PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUORUM INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.



ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CXLVII.

JOANNES ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS, ALPHANUS SALERNITANUS ARCHIEPISCOPUS, ARNULFUS CLERICUS MEDIOLANENSIS, BERTHOLDUS CONSTANTIENSIS, BRUNO MAGDEBURGENSIS CLERICUS, MARIANUS SCOTTUS, LANDULFUS CLERICUS MEDIOLANENSIS, GEBUINUS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPUS, GUALTERIUS MELDENSIS, EUSEBIUS BRUNO ANDEGAVENSIS, EPISCOPI, SANCTUS GERALDUS SILVÆ MAJORIS PRIMUS ABBAS, JOANNES FISCAMNENSIS ABBAS, THOMELLUS MONACHUS HASNONIENSIS, RENALLUS MAGISTER SEDIS BARCINONENSIS, FOLCARDUS SITHIENSIS MONACHUS, GUAIFERIUS MONACHUS CASINENSIS, THEODERICUS PADERBRUNNENSIS CANONICUS.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

Digitized by Google

SÆCULUM XI.

JOANNIS

ABRINCENSIS PRIMUM EPISCOPI,

POSTMODUM

ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS,

ALPHANI SALERNITANI ARCHIEPISCOPI,

OPERA OMNIA.

ACCEDUNT

ARNULFI CLERICI MEDIOLANENSIS, BERTHOLDI CONSTANTIENSIS, BRUNONIS MAGDEBURGENSIS CLERICI, MARIANI SCOTTI, LANDULFI CLERICI MEDIOLANENSIS,

CHRONICA,

Intermiscentur

GEBUINI LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI, GUALTERII MELDENSIS, EUSEBII BRUNONIS ANDEGAVENSIS, EPISCOPORUM, SANCTI GERALDI SILVÆ MAJORIS PRIMI ABBATIS, JOANNIS FISCAMNENSIS ABBATIS, THOMELLI MONACHI HASNONIENSIS, RENALLI MAGISTRI SEDIS BARCINONENSIS, FOLCARDI SITHIVENSIS MONACHI, GUAIFERII MONACHI CASINENSIS, THEODERICI PADERBRUNNENSIS CANONICI,

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

—

1853

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXLVII CONTINENTUR.

JOANNES ABRINCENSIS PRIMUM EPISCOPUS, POSTMODUM ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS.

Liber de officiis ecclesiasticis, *col.* 27.

ARNULFUS CLERICUS MEDIOLANENSIS.

Gesta episcoporum Mediolanensium, *col.* 286.

THEODERICUS PADERBRUNNENSIS CANONICUS.

Commentatio in Orationem Dominicam, *col.* 334.

BERTHOLDUS CONSTANTIENSIS PRESBYTER.

Chronicon, *col.* 343.

JOANNES FISCAMNENSIS ABBAS.

Libellus de Scripturis et verbis Patrum collectus, *col.* 446. — Libellus alter, *col.* 459. — Epistolæ *col.* 464.

APPENDIX.

Præfatio Joannis hominis Dei, *col.* 478. — Chronicon Fiscamnense, *col.* 479. — Catalogus abbatum Fiscamnensium, *col.* 483.

BRUNO MAGDEBURGENSIS CLERICUS.

De bello Saxonico, *col.* 490.

THOMELLUS MONACHUS HASNONIENSIS.

Historia Hasnoniensis monasterii, *col.* 587.

RENALLUS MAGISTER SEDIS BARCINONENSIS

Versus de corpore Christi, *col.* 600.

MARIANUS SCOTTUS.

Chronicon, *col.* 624.

LANDULPHUS SENIOR CLERICUS MEDIOLANENSIS.

Historia Mediolanensis *col.* 818.

APPENDIX.

Catalogus archiepiscoporum Mediolanensium, *col.* 954. — Joannis Petri Puricelli dissertatio, *col.* 970.

S. GERALDUS SILVÆ MAJORIS PRIMUS ABBAS.

Vita S. Adalardi abbatis, *col.* 1046.

FOLCARDUS SITHIVENSIS MONACHUS.

Vita S. Bertini, *col.* 1084. — Vita S. Joannis Beverlacensis, *col.* 1161.

OPUSCULA DUBIA.

Vita S. Audomari, *col.* 1177. — Vita S. Oswaldi, *col.* 1187.

EUSEBIUS BRUNO ANDEGAVENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad Berengarium, *col.* 1201.

GEBUINUS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Epistola ad Rodulphum Turonensem archiepiscopum, *col.* 1209.

GUALTERIUS MELDENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad Rodulphum Turonensem archiepiscopum, *col.* 1213.

ALPHANUS SALERNITANUS ARCHIEPISCOPUS.

Carmina, *col.* 1219. — Sermo in evang. « Cum transiret Jesus, » etc., *col.* 1269. — Vita et passio S. Christinæ, *col.* 1269.

GUAIFERIUS CASINENSIS MONACHUS.

Carmina, *col.* 1283. — Vita S. Secundini, *col.* 1293. — Vita S. Lucii papæ et martyris, *col.* 1301.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLXXIX.

JOANNES

ABRINCENSIS PRIMUM EPISCOPUS

POSTMODUM

ARCHIEPISCOPUS ROTOMAGENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia Christiana* novæ editionis, tom. XI, pag. 31.)

Mortuo Maurilio, clerus Rotomagensis Lanfrancum Cadomensem abbatem sibi archiepiscopum elegit, qui, teste Orderico Vitali, recusavit, totisque sategit viribus et apud eumdem clerum, et apud Normannorum ducem Guillelmum, et apud summum pontificem Alexandrum II, ut Ecclesiæ viduæ præficeretur Joannes episcopus Abrincensis; quod et assecutus est, Romam ordinationis hujus licentiam petendi causa a duce missus, unde pallium cum licentia deportavit.

Joannes vero episcopus apostolica legatione recepta, et omnium comprovincialium episcoporum cunctorumque etiam ejusdem Ecclesiæ canonicorum electione communi consensu facta, metropolitanam adeptus est sedem, quemadmodum legitur in actis archiep. Rotom. Transiit igitur a sede Abrincensi, unde et plerumque *Joannis Abrincensis* nomen sortitus est, ad sedem Rotomagensem Joannes, filius Radulfi comitis Baiocarum et Ibreii, fratris uterini Richardi Normaniæ ducis, cujus archiepiscopi in curiam XIII Kalendas Martii 1070 tracta est causa de cella S. Audoeni de Gisortio inter monachos Sancti Leutfredi et Majoris Monasterii. Anno 1072 in majori basilica sua concilium habuit cum suis suffraganeis pro restituenda ecclesiastica disciplina.

« Hic vero, ex actis archiepiscoporum Rotomag., fuit vir progenie nobilis, liberalibus imbutus disciplinis. Is alias satis strenuus, animi fuit impatientissimus. Crudescebat in eo hic morbus, et, ut ita dixerim, exaggerabatur tum carnis nobilitate, tum prælationis dignitate. Solent enim hæc duo plerumque positos in culmine in flexum usque superbiæ, ipso potentiæ fastigio lenocinante, corrumpere : adeo ut normæ obliti justitiæ, unde animi sui furorem videntur pascere, hoc zelo justitiæ velint deputare. Evenit autem aliquando, ut hi tales, non pastores, sed crudeles exactores, occulto Dei judicio coram ipsis, quos injuste vexaverunt, corripiantur : quatenus exemplariter correpti, et posteris similibus sint terrori, et parvulis spei. Quod totum in hoc de quo agitur Joanne archiepiscopo divina censura exhibuit in eo, quem is adversus sancti Audoeni cœnobitas inconsulte tumultum exercuit. Quod non derogatorie, non insultatorie, sed consultorie censuimus scribere. Primo, quia insolitum, incredibile, et quasi monstro simile, tantum tumultum, tantam turbam eo die sine sanguine accidisse. Secundo, ut loco nobilissimo, et ab omni jure seu consuetudine archipræsulum hujus urbis privilegio Caroli Magni libero sit memoriale, quo se probent nec in magnis excessibus ipsorum aliquid justitiæ debere. Causa erat, qua Guillelmus Nortmannorum comes et Anglorum rex gloriosus Cenomannis cum expeditione sua morabatur. Aderant ei inter reliquos proceres iste Joannes sedis hujus archiepiscopus, ut vir excellentis ingenii, et non mediocris consilii : Nicolaus quoque reverendus abbas supradicti cœnobii. Imminebant celeberrima totisque votis excipienda sanctissimi Audoeni dies natalitia : et quia moris est ut archiepiscopus ipsa die inibi missarum solemnia celebret, non pro ulla quidem vel ipsius jentaculi vicissitudine, sed quasi in recompensationem consecrationis suæ, quam nonnisi in præfata ecclesia cuivis sedis memoratæ licet accipere; missione a rege petita redibat concite, abbate prænominato interim ad occupatiora remanente. Quid plura? adest dies veneranda, clerici majoris ecclesiæ solito eo conveniunt : et quia præmisso nuntio venturum se mandaverat, solemne missarum interim differtur. Post aliquandiu vero e communi consilio, ne quid tantæ diei subtraberetur, dum veniat, initiatur. Tanta vero morositate, tanta id factum est devotione; ut non mirum totis animis hostem humani generis ad hanc lætitiam turbandam exarsisse: qui maximo sibi lucro credidit accedere, sic illud veneno suæ nequitiæ tempus inficere, quod interim

Digitized by Google

sibi dolebat deperire. Finito itaque *Kyrie* cum duobus rhythmis, exacto *Gloria in excelsis Deo*, quod incœptum ab abbate Richardo Sagiensi chorus celeberrime fuerat exsecutus cum laudibus suis (id vero totum expendebatur in præstolatione archipræsulis), ecce accurrit ut turbo tempestatis, omnem confundens gratiam illius celebritatis. Hic namque totam mentis indignationem animo concipiens, quod non usquequaque fuisset exspectatus, torvis oculis, ore furibundo cunctis maledixit; conversusque ad ipsos monachos excommunicavit, ex auctoritate Dei et sua officium præsens interdicens cessare fecit, abbatem ab altari evellens, divini officium ministerii prohibuit. Mœroris erat plenum et stuporis cernere tantæ festum lætitiæ, tot et tantas voces eam præconantes in subitum silentium obmutuisse. Ipse ad complendum se officium præparat : clericis suis, ut a loco incœpto peragerent, imperat. Nihil hic reticendum fore censemus, quod dum alteri parti favendo dissimulamus, alteri totum derogando imputare videamur. Verum falsi astipulatione non indiget. Fratres, etsi decorem sibi tanti gaudii præripi dolentes, pontificali tamen auctoritati cedunt, festivis se ornatibus exuunt, satis cum tumultu ecclesiam egrediuntur; huc quidam, pars illo, alii alio succedunt, invicem et ad suos super suo pudore mœrentes conqueruntur. Cum subito quidam mœroris impatiens, dubium quidem an ex ipsis, vel eorum famulis, plus furoris, minus consilii animo colligens, turrim properat, majus ecclesiæ signum pulsat. Hinc forum otior advolat : archiepiscopum sancti Audoeni glebam ad majorem ecclesiam asportare velle proclamat. Prosiliunt omnes e domibus, alius gladium, hic bipennem, diversi quod primum manibus occurrerat, arripiunt; ecclesiam cum furore irrumpunt. Quidam curiositate acti, celata monasterii conscendunt, quædam ex tabulatis auferunt : quid sic furens populus agere vellet, rimantur. Plurimi ejus intentionis erant, ut quia eis tantæ continuationem lætitiæ interrupisset, nec sibi perficere liceret. Archiepiscopus circumcirca furentium se turmis appeti expavescens, plus tamen desuper imminentes metuens, ab altari ad valvas monasterii fugam arripuit : vix elapsus infra ambitum earum ipsis prius clausis se recepit : undique circum se sedilia et formas aggerari fecit. Nonnulli tamen partis ipsius arreptis candelabris, cereis et perticis, in monachos efferati, sed ab eis non seguiter excepti, pudet dicere, quam fœdo exemplo res eo die debuit determinari. Constitit satis ipso die meritum sancti omnibus adfuisse, qui hinc sævientium manus comprimendo, hinc archiepiscopum cum suis eo periculo eximendo, tantum nefas non parvo cunctis miraculo potuit avertere. Nam tanta subito nubis caligo id spatium sanctuarii, quod loculi sanctorum continebantur, obtinuit, ut vix vel a curiosis oculorum acie corripi potuerit. Rei congruit miraculum. Quia enim sacræ Scripturæ diversis in locis per nubem nunc delinquentium cæcitas, nunc Domini protectio figuratur; jure hoc in ipsa nube portendebatur. Hinc nempe insensibiliter furentium nubilum velut fumus ascendens, divinæ gratiæ serenum turbabat : hinc manum Domini reatu ipsorum ad feriendum provocatam sanctus Audoenus meritis suis protegendo continebat. Dicto nil subripit quod refragetur : tantum ratio ipsa a toto pendens suffragatur. Ipsi sane, cujus patientiæ sit Altissimus redditor, æstimare licuisset, ni se in sua pertinacia continens a consideratione rationis animum revocasset. Sed animositatis ejus immanitas non destitit eo usque, quo se invehens irruit in se. Igitur vicecomes civitatis archiepiscopum sic circumventum ut audivit, veritus ne quid inconsultius adversus ipsum ageretur, et ipse post noxæ argueretur; militarem manum cogit, regis bannum omnibus prætendit, suppetias accurrit; jam nil reluctantem, imo sibi penitus diffidentem periculo eximit. Iis tumultuum dementiis exacta est dies tantæ celebritatis.

« Æstimet qui valet quæ facies tunc fuerit curiæ cœlestis, quam indigne tulerit sui præcellentissimi civis Audoeni sic confusam, sic fœdatam, sic præreptam diem suæ remunerationis. Æstimet quid exstiterit miseriæ, tantum patronum nil penitus in filiis suis quod Domini faciem placaturus offerret, eo die accepisse. Nos ignorantes divini secretum, consilii omittimus, de hominibus humana pensamus. In tanta multitudine discreta sexu, ætate et ordine, non credimus defuisse, et qui mente carnali se minus nocuisse pœnituerint, dum nil medium, quin tam speciali gaudio privati forent, attenderint; et qui sanioris consilii, peccatis suis eam turbam imputaverint, vota sua prærepta gemuerint, a suo patrono veniam suspirantes super suis actibus erubuerint. Fratres in crastinum de suis eligunt, per quos abbati suo quod factum fuerat, innotesceret, et regem super hoc suggesturus adiret; sed archiepiscopi nuntius præcesserat, invidiam omnem in monachos retorserat : sic infecto negotio reditum est. Rex licet post ipsius archiepiscopi et quorumdam aulicorum instinctu animo in monachos motus; rem tamen ex æquo pensans, hinc immoderatam arrogantiam, hinc inconsultum tumultum justis librationibus præponderat. Jubet igitur statim ecclesiam ab archiepiscopo reconciliari. Quod cum satis irato et reluctanti animo abnueret, rex Michaeli episcopo Abrincatensi loci reconciliationem injunxit; pudorem vero suum, in futuro vindictam prætendens, dissimulavit. Quatuor igitur monachos loci, quos et factionis auctores audierat, totidem aliorum cœnobiorum abbatibus commisit, quatenus et archiepiscopo satisfaceret, et illi in peregrinatione sua luerent, quod minus consulte peccassent. Non multo post tamen, et rationis consideratione, et petitu abbatis ipsorum flexus, in præsentiam sui eos revocavit, et Ecclesiæ reconciliatos reddidit. In his omnibus semper apud ipsum cautum exstitit, ne quid sibi archiepiscopus, quasi sub ecclesiastico vigore, in causis hujus ecclesiæ insolenter arroga-

Digitized by Google

verit. Imo postquam gemino fratrum eorumdem exsilio satisfecit, rem in consilium ponit, concilium cogit; quod abbatiam suam irato et tumultuanti animo intrasset; quod totius turbæ causa et materia exstitisset; quod loci reconciliationem sibi denegasset, judicio primatum suorum trecentas libras exegit. Delicti satis hæc vindicta exsolvisset, si intime facti pœnituisset, Dominique patientiam non negligendam putasset. Sed animi rancorem nec tunc primum adversus Sancti Audoeni cœnobitas occeperat, et hoc modo potuit potius exaggerari, quam leniri. Trium annorum spatium evolutum erat, et semper repulsam sui dolore continuo secum corrodebat, congruenti sane exemplo suspensus, velut evangelicæ illius ficulneæ fructus. Unde sic quidam,

Exspectata tribus fructum non attulit annis.

Cum post id temporis redeunte eadem festivitate, paucis ante mensibus paralysi percussus, sed ab hac infirmitate jam respirans, ad solemnitatem venit, et quia per se missam celebrare non potuit, Gisleberto Ebroacensi episcopo vices suas commisit: ipse in medio cantorum specie præcentoris stetit. Ut vero evangelium cœpit legi, horribile dictu! sic ab intimis humoribus in secretiorem meatum profluentibus est subito angustiatus, ut raptim urina procurrens, lineam usque superpellicialem indumentum omne infecerit, pavimentum etiam quo stabat, per quam humectaverit. Hinc post fidelium oblationes, cum amplius dissimulare non posset, ecclesiam egressus, pudore non oportet dici quantum et mœrore confusus, ad sua reversus est. Quod ut primum ad aures populi percrebuit, quis æstimare, quis dicere suffecerit, in quas et quantas voces se derepente sparserit? Omnes tamen in commune Domini magnificentiam sanctique Audoeni meritum personabant: jure hunc ab integritate præsentis lætitiæ sic ignominiose repulsum, quam olim indigne nimis perturbaverat, acclamabant. Nemo nobis succensere habet, si vera dicimus, quia nemini examen judicis omnium, in cujus manus horrendum est incidere, improperandum scimus, et ex aliena culpa pœnam incurrere valde formidamus. Sed enim judicia Domini, quæ velut abyssus multa sunt, mirari, ipsum in tam sancto viro prædicare, quo affectu pietatis iisdem devote sibi famulantes protegendo semper foveat, plus est sacrilegii ingrato silentio tegere, quam ut dicatur, reverentiæ. Cæterum non parum intentionem piam dirigit, studendum continue Domino servire in timore, et exsultare ei, sed cum tremore: sobrie pensare, quam nitidum templum ipsi nosmet scilicet exhibere deceat, si adeo zelans hujus exterioris cultus in visibilibus templis appareat. Non enim inhabitantes propter locum, sed propter inhabitantes locum Dominus elegit. Verum, ut cœpta prosequamur, per alios tres annos adeo ipso incommodo laboravit, ut neque jam administrationis infulis deservire potuerit. Cum tandem regia auctoritate, imo consultu omnium pulsatus, episcopatu dedit, et ad quamdam patrimonii sui villam, S. Philiberti dictam, secedit, ubi et aliquantisper supervixit. Duodecimo vero sui præsulatus anno viam universæ carnis ingressus, hominem exivit. Inde tamen ad propriam sedem refertur. »

Hactenus scriptor ille, quem, si minus circumspecte verbisque asperioribus præsulem tractavit, tantum abest ut laudemus; ubi vero in incommodo naturali miraculum videre sibi visus est absque revelatione, non possumus non reprehendere. Sed quo nomine afficiendi sunt editores historiæ Matthæi *Paris*, qui tam in utraque editione Londoniensi annorum 1571 et 1640, quam in editione Parisiensi anni 1644, hanc notulam scripsere in margine: *Monachi Sancti Audoeni Joannem archiepiscopum Rotomagensem occiduni!* Scripserat minus inconsiderate ipse Matthæus ad annum 1073: *Invaserunt Sancti Audoeni monachi Joannem archiepiscopum Rotomagensem missam celebrantem festivitate ejusdem sancti cum armata manu virorum.* Sed ad ultimos præsulis annos quod spectat, tradit Ordericus Vitalis, pagina 550, illum subita passione percussum, turba spectante, ad terram dejectum esse, et biennio quo supervixit, elinguem exstitisse

Joannes decorem domus Dei impense coluerat, cujus egregium hodieque superest monumentum in libello divinorum officiorum ad usum metropolitanæ ecclesiæ, Maurilio decessori suo oblato. Plura etiam concilia celebravit; primum anno 1072, de quo jam diximus; alius anno 1074, in quo prioratus S. Victoris apud Caletes ad abbatias evectus; ipse vero quod presbyteris suis concubinas prohibuisset, lapidibus petitus est fugaque saluti consulere coactus, quo de re Ordericus Vitalis. Subscripsit anno 1074 diplomati Wilelmi regis pro ecclesia Bajocensi. Anno 1075 Cæciliam virginem, filiam Guil'elmi Nothi, Deo sacravit in basilica Fiscamnensi. Adfuit, anno 1077, dedicationi basilicarum S. Stephani Cadomensis, et Beatæ Mariæ Becçensis. Eodem anno jussus a Guillelmo rege; noluit sepelire Hugonem Lexoviensem episcopum. Denique ad finem, tam episcopatus quam vitæ ejus quod spectat; abdicare coactus est, tam propter offensam regis quam propter paralysim aut urinæ incontinentiam. Ad id vero exsequendum Gregorius VII papa Hubertum legatum ad regem Anglorum miserat, pridie Nonas Aprilis, indictione prima, quæ cadit in annum 1078, ut inquireret an ille pro sua ægritudine episcopale onus sustinere posset; quod si tanto oneri impar reperiretur, alius in ejus locum canonice eligeretur Successorem tamen non habuit, nisi mense Julio anni sequentis, duobus ante obitum ejus mensibus, exactis archiepiscop. Rotomag., quæ cum duodecimo præsulatus anno mortem illam consignent, initium episcopatus ab ipsa decessoris morte computent necesse est; quando e contrario Ordericus Vitalis, qui sibi constare non videtur, illud modo in annum 1069 rejicit, modo in annum 1072 ubi

Digitized by Google

tumulatum esse ait in baptisterio basilicæ suæ ad aquilonem v Idus Sept. Trinas ad eum Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus, unam vero Hildebertus Cenomanensis episcopus litteras scripsere, quas post Acherium et Bibliothecam Patrum vulgavit Pommeragus, Concil. Rotomag., pag. 78 et seqq. et Beslinus parte II, pag. 15 et seqq. Hoc epitaphium ejus recitat Ordericus :

Metropolita tuus jacet hic, urbs Rotomagensis,
Culmine de summo, quo moriente ruis,
Ecclesiæ minuuntur opes, sacer ordo tepescit,
Provida relligio quem sua constituit.
Hic neglecta diu canonum decreta reformans,
Instituit caste vivere presbyteros,
Dona Dei sub eo venalia nulla fuere;
Huic et opes largas contulit Ecclesiæ.
Lingua diserta, genus, sapientia, sobria vita
Huic fuit, exiguus quem tegit iste lapis.
Nona dies septembris erat, cum carne Johannes
Exspoliatus obit : sit sibi vera quies.

R. P. JOANNIS

ABRINCENSIS EPISCOPI, DEINDE ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI

LIBER

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

AD MAURILIUM

ROTOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM,

Primum ex codice ms. cœnobii Salicosani in lucem editus, nunc ex ms. codice bibliothecæ Rigotianæ auctus et emendatus; notis D. Joannis Prevotii, Rotomagensis ecclesiæ cathedralis canonici, et recentioribus observationibus illustratus;

In quo varia antiquitatis ecclesiasticæ monimenta, hactenus inedita, ex mss. codicibus nunc primum in lucem prodeunt.

(*ROTOMAGI. Impensis et typis Bonaventuræ Lebrun, typographi et bibliopolæ, in area Palatii, sub signo S. Bonaventuræ*, cum approbatione doctorum et privilegio regis. M. DC. LXXIX.)

PRÆFATIO.

Solemne habent omnes qui de re aliqua scribendum susceperint, quædam præmittere sive ut laborem legentibus commendent suum, sive ut instituti a se operis rationem exponant. Quem morem neque penitus convellere, neque omnino custodire propositum est. Quid enim necesse est librum extollere, quem et dignitas auctoris, et ipsa per se doctrinæ commendat utilitas? Divina in eo tractantur officia, ritusque quibus illa celebrantur : in quibus *inest*, Augustino teste (*epist.* 119, *ad Januar.*, c. 7; lib. IX *Conf.*, c. 7; *serm.* 16; inter Paris.), *quædam eloquentia salutaris admonendo discentium affectui accommodata*, qua *frigidus a calore Spiritus Dei excitatur animus*, dum *fides quæ oculum habet in corde, ad id quod accipit visibili lumine, gaudet invisibili veritate.* Horum vero expositionem tanti fecit idem eximius, neque satis unquam laudandus Ecclesiæ doctor, ut eam universi mundi hujus imperiis, etiam inusitata felicitate pacatis, præferendam esse censuerit (*epist.* 119, *ad Januar.*, c. 16). Hæc cogitanti dudum in votis fuerat, ut distractum iam, neque facile obvium Joannis Abrincensis primum episcopi, dein archiepiscopi Rotomagensis, opus iterum prodiret in lucem : ne nativo decore nudari patriam, et scriptione penitili plerosque carere contingeret. Verum cum non satis ex animi sententia procederet eventus, tacitus felicioris exspectabam opem, qui imperfecto operi ultimam imponeret manum, et mutilis truncato partibus faceret medicinam. Cum inter hæc audio typographum ad novam hujus editionem se accingere, pupugit ea res animum, reluctantemque impulit eo vehementius, quod typographus consilium suum clam me esse noluit, sed hortatus est ut operam adjungerem meam. Illiberalis visum esset animi eam opportunitatem, quam ad optatum negotium administrandum dabat Deus, corruptam sinere, neque in illud pro virili parte incumbere. Unum me morabatur cœptisque obstabat, quod etsi non indiligenter amicorum lustraram bibliothecas et scrinia excusseram, nullum tamen numeris omnibus absolutum, imo ne melierem quidem Salicosano codicem nancisci licuerat. Quare

Digitized by Google

diversus animi, quid consilii caperem fluctuabam, ut enim sapienter monet Theodoricus rex apud Cassiodorum (lib. IV *Var., epist.* 31), *ad finem debet perducere quæ prudentium intentio visa est suscepisse; defectus namque rerum aut consilium titubare, aut vires arguit defecisse, quia sicut perfectam laudem ad finem perducta pariunt, ita vituperationem generant quæ in mediis conatibus ægra deseruntur.* Sed quamvis exitus labor ille non habuerit expetitos, non despondit tamen animum, et quod priore via parum prospere cesserat, altera aggredi statui. Itaque exquisitis undequaque veteribus ad Rotomagensis Ecclesiæ usum codicibus manuscriptis, qui plerumque verbis Joannis Abrincensis ita consonant, ut non ovum ovo similius esse videatur : eorum subsidio varios ejus locos illustrari, et quædam quæ in edito deerant libro, in margine suppleri posse, verba cogitavi. Neque fefellit opinio. Sacrarum enim vestium expositionem quæ in fine editi libri exstabat mutila, integram reperimus in expositionis divinorum officiorum codice ms. annorum 500, quem benigne pro suo more concessit V. cl. Emericus Bigotius. Neque hic stetit viri non minus humanitatis dote quam eruditionis et natalium splendore conspicui in me benevolentia : nam instructissimæ bibliothecæ suæ copiam fecit, neque aliquid habuit reconditum ad eam rem pertinens, quo me non uti tanquam re mea voluerit. Præstitit præterea ritualem Ecclesiæ Rotomagensis librum ms. annorum circiter ducentorum, ex quo sacrarum octo processionum ritus exscripsi, earum scilicet quæ fiunt die Dominica Palmarum ad Sanctum Gildardum, in qua defertur corpus Christi in feretro reconditum, die sancto Marco sacra, tribus Rogationum, et ascendentis in cœlum Christi, ut captivam duceret captivitatem, cui recens absolutus interest reus; die solemni corporis Christi, et in festivitate S. Audoeni, qua cathedralis ecclesiæ clerus ad ejusdem sancti basilicam progreditur. Si quæ autem occurrant variæ discrepantesque lectiones, eas in margine, ex cathedralis ecclesiæ ordinario ms. in ejus sacrario servato, notatas lector inveniet.

Ex eodem pariter varios excerpsi ritus, qui jam in metropolitana ecclesia nonnullisque parœcialibus servantur ecclesiis, quorum tamen non meminit auctor noster. Ad hos confugere licebit iis qui matrem ecclesiam sacrorum rituum ducem sequi voluerint, omnemque ex ejus exemplo, ut par est, exsorbere, si quæ inciderit, difficultatem, servatis tamen primum cæremoniis in rituali præscriptis.

Ex eodem et ordinario ms. Bigotiano sancti chrismatis et sancti olei desumptas benedictiones exhibemus.

Necnon ex eodem Bigotiano codice ordinem in lotione pedum tum pauperum, tum clericorum; officium missæ siccæ, ut vocant, in die Parasceves celebrari solitum; et ejectionis et reconciliationis pœnitentium ritum, quem utrumque, quia ad eamdem rem pertinet, simul repræsentamus.

Ex antiquo pontificali ms. bibliothecæ cathedralis annorum ut minimum 700 adjunximus allocutionem archidiaconi ad D. archiepiscopum pro absolutione pœnitentium, quæ incipit : *Adest tempus*, et legitur in cathedrali ecclesia Rotomagensi; iis concepta est verbis quæ paternam omnino benignitatem pietatemque spirant. Differt ab ea quæ habetur in Ordine Romano, neque hactenus, quod sciam, in lucem emissa est.

Excipit hanc tabula paschalis quæ cereo paschali affixa fuit anno Domini 1678. Eam scribere scribendamve curare ad ecclesiæ cathedralis cancellarium pertinet. Idem est quotannis in ea tenor verborum, mutanturque tantummodo notæ arithmeticæ sive numerales.

Varios insuper deprompsimus ritus ex rituali ms. ecclesiæ cathedralis ducentorum, plus minus, annorum, qui quia jam obsoleti sunt et inusitati, ideo eos a superioribus, de quibus locuti sumus, sejunximus.

Hos inter eminent officium infantum, officium stellæ, et officium sepulcri, quorum meminit Joannes, et quorum damus ritus, verba cantumque, quæ omnia sumpsimus ex duobus mss. codicibus bibliothecæ Bigotianæ annorum circiter 200, ad usum ecclesiæ Rotomagensis. Hæc officia pluribus in provinciis usu recepta erant, de his enim scribunt Joannes Belethus, Guillelmus Durandus et alii rerum sacrarum tractatores.

Suppeditavit nobis vetus Pontificale bibliothecæ cathedralis 700 annorum ordinationem episcopi in provincia Neustriaca, una cum cæremoniis precibusque super eum in ejus consecratione recitandis, meminitque Ecclesiæ Rotomagensis dum a consecrando hanc professionem exigit : *Vis sanctæ Ecclesiæ Rotomagensi*, etc.

In hujus Pontificalis fine eorum nomina continentur, quos aut citari, aut etiam excommunicari oportebat, quos inter recensentur monachi proprietarii; quæ referre extra rem esse non credidimus.

Episcopalem admonitionem ad ordinandos habuimus ex Pontificali ms. bibliothecæ cathedralis annorum 300, in quo multa observatione digna reperiuntur. Præ cæteris quod ad subdiaconatus 18 annos, ad diaconatus 20, ad sacerdotii ordinem 24 et 25 requirat.

Insuper ex eodem damus benedictionem abbatis cum omnibus precibus super abbatem ordinandum fundendis, in qua mentio fit obedientiæ episcopis exhibendæ, quamque in conspectu ecclesiæ pollicebantur abbates. Sub ejus finem habetur hujus professionis obedientiæ formula, quæ forte eadem est quam Hugo Ambianensis, archiepiscopus Rotomagensis, exigere solebat, sicut ab Innocentio II in concilio Remensi mandatum fuerat.

Necnon ex eodem ordinationem abbatis canonicorum et abbatissæ sanctimonialium desumpsimus.

Digitized by Google

Excipiendæ pariter visæ sunt tres antiquæ benedictiones pontificales ex vetustissimo pontificali ms. 700 saltem annorum bibliothecæ cathedralis. Prima est in dissolutione synodi, cujus tres priores versus exstant in Ordine Romano. Duarum posteriorum primam continet codex infra missam quæ in Nativitate Domini celebratur media nocte, alteram infra missam Sabbati sancti. Ejusmodi benedictiones impertiri solebat episcopus infra missarum solemnia, antequam hæc verba proferret : *Pax Domini sit semper vobiscum* (vide Bona, lib. II *Rer. liturg.*, c. 16). Supradictæ non habentur in sancti Gregorii Sacramentorum libro.

Quibus subnectendam credidimus institutionem canonici regularis prioratus S. Laudi Rotomagensis, ex processionali ms. et collectario hujus domus transsumptam. Uterque codex ætatem præsefert annorum 160. Ex ea institutione patet annuam probationem non fuisse requisitam, sed postquam susceptus fuerat candidatus, cum positis vestibus sæcularibus, regulares induisse. Eæ erant talaris tunica, lineum indumentum et caputium : de birreto, et almutia quæ nunc sinistro brachio imponitur nulla fit mentio. Deinde fusis nonnullis precibus, professionem emittebat hac verborum forma præconceptam : *Ego frater N. offerens trado me ipsum divinæ pietati in ecclesia B. Laudi serviturum secundum regulam S. Augustini, et promitto obedientiam domno N. priori præfatæ ecclesiæ, et successoribus ejus canonice intrantibus.* Exinde admissus ad osculum prioris et sociorum, jurejurando firmabat se ordinis statuta servaturum, et arcana capituli secum habiturum, neque cuiquam extraneo patefacturum. Ubi observare licet eos tum assiduitatem, seu ut vocant, stabilitatem in eadem domo fuisse professos.

Viam parat hæc institutio ad ordinarium, sive vetus rituale totius anni ad usum canonicorum regularium ejusdem ecclesiæ, quod in multis scriptori nostro consentiens est. Canonici enim regulares, ne parum eis nomen congrueret suum, viderenturque minus canonibus obsequentes (*concil. Venet.* a. 465, c. 15; *Epaon.* a. 517, c. 27; *Gerund.* a. 517, c. 1; *Bracar.* II, a. 563, c. 1; *Tolet.* IV, a. 633, c. 2; *Tolet.* XI, c. 3; *Rotomag.* a. 1189, c. 1), quibus cautum erat ut ordinem quem ad celebranda divina officia observant metropolitani comprovinciales custodiant, ad diœcesanos ritus se conformabant, idem recitabant officium, eosdem psalmos hymnosque concinebant, additis etiam ad finem antiphonarum canoris repetitionibus quas *pneumata* vulgo vocant. Summa denique erat eorum cum cathedralis ecclesiæ Rotomagensis canonicis societas atque consensio, ut ex variis ordinarii hujus locis perspicuum fiet. Quadringentorum est annorum codex quod indicant tum character quo exaratus est, tum quod cum omnes sigillatim ferias recenseat, prætermittit tamen festivitates SS. Brunonis, Dominici, Francisci, Ludovici Francorum regis, imo et corporis Christi diem festum, cujus loco feria quinta post diem Dominicam sanctissimæ Trinitati sacram (cui dedicata fuit hæc ecclesia) officium de feria fieri indicat. Majorem præterea huic codici auctoritatem conciliat quod qui eum exscripsit, ex antiquioribus libris illum se transtulisse in præfatione significat. Illud in eo præ cæteris observatione dignum, quod apud canonicos regulares usu receptum erat, ut diebus hebdomadæ sanctæ aliorumque per annum solemnium pervigilio ad celebranda religiosius quæ recolebant mysteria brevibus mutuisque se cohortationibus accenderent, et per adventum a carnibus et sagimine abstinerent.

Expositionem Canonis missæ et divinorum officiorum incerti auctoris nunquam antea editam, et quæ in multis Joanni nostro congruit, tradidit nobis ex bibliotheca Bigotiana codex ms. annorum 500; ejus auctor et antiquus et in Amalarii lectione adeo versatus est, ut ejus breviator merito dici possit. Breves notas adjecimus quæ ejus intelligentiam juvarent. Ex hoc codice eam partem expositionis sacrarum vestium hausimus, quam desiderari in edito libro supra monuimus; quam tamen hic exstare passi sumus, neque suo loco avulsam contextui Joannis inseruimus, ne dicti codicis series interturbaretur, quam, ut exstat, bona fide repræsentare potius habuimus.

Post hæc instrumenta duarum celeberrimarum fundationum capellanorum scilicet collegii Albanensis ex tabulario archiepiscopatus, et collegii Clementinorum ut vocant, ex ejus chartophylacio, excerpta ideo addidimus, quia divinum officium *cantatio eorum semper* (*Psal.* LXX), horumque *portio est septies in die confiteri Domino* (*Psal.* CXVIII) *et psallere nomini Altissimi* (*Psal.* IX). Primum horum collegium Petrum de Colle-Medio Rotomagensem primo archiepiscopum eximiis suis statutis notissimum, dein cardinalem et episcopum Albanensem agnovit auctorem anno Domini 1245; alterum anno 1350 erectum Petro Rogerio, qui ex Rotomagensi archiepiscopo summus demum pontifex electus est, dictusque Clemens VI, gaudet conditore. Capellani vero sic ab utroque instituti sunt ut in divinis exsequendis officiis accedant canonicis adjutores, non ut canonici, quod forte arbitrantur, ab illis celebrandis se liberos factos putent; cantabiles enim sunt iis justificationes Dei in domo sanctificationis ejus (*Psal.* CXVIII; *Isai.* LXIV), quibus insistere eo magis tenentur, quo jussit eos divina officia per se, non per substitutos, obire concilium Tridentinum sess. 24, *De ref.*, c. 12. Cum insuper Christus eos increpaverit, qui *alligant onera gravia et importabilia, imponuntque ea in humeros hominum, quæ nolunt digito movere* (*Matth.* XXIII, 4). Inter ea quæ in his monimentis observanda veniunt non infimum locum tenet, quod eo etiam tempore communem in cibo, potu, somno cultuque vitam clerici vixerint, quæ aliquandiu interrupta feliciter restituta fuerat die 1 Aprilis, anno 1666, et tam sapienter omnia dispo-

Digitized by Google

si mensæ frugali sacra lectio non deesset; eam tandem mense Decembri anno 1668 diremptam et destructam dolemus.

Sex præterea sermones, primum de observantia qua populi pastores colere debent, et de officio pastorum clericorumque cæterorum; reliquos demum quinque, qui de munere agunt, quod incumbit pastoribus, docendi populi, perditosque hominum mores et scelera arguendi; de sanctitate qua eminere sacerdotes, quamque integram et intactam custodire debent etiam a tempore suscepti baptismatis; quibus dotibus virtutibusque ornari, quæ vitia tum ipsi tum inferioris ordinis clerici vitare teneantur, quibus a sacerdotio defectibus arceantur, quod sacerdotes non verbo solum, sed opere simul et exemplo oporteat prædicare, scientia præditos esse qua alios doceant, peccata peccantesque gravibus verbis sine timore sed cum fiducia increpare, paratos denique esse conveniat ad vitam pro commissarum sibi ovium salute profundendam, adeo persecutionem mortemve formidare ab eorum sorte alienum est. Demum postquam quibus teneantur astricti officii sui vinculis edocuit, ad perpendendam impositi sibi oneris gravitatem his verbis, *Considerate ergo onus vestrum*, auctor hortatur. Quis ille fuerit quæri potest, cum nomen auctoris præ se non ferant : Si quid in re dubia conjicere licet, forte fuerit Ivo Carnotensis episcopus. Nam inter eos de quibus loquimur tres alii exstant in nostro codice ms. bibliothecæ Bigotianæ 500 annorum, qui jam sub ejus nomine non semel prodierunt; loquendi præterea genus idem, dictioque consimilis iis sermonibus quos de rebus ecclesiasticis edidit Ivo, præsertim sermones de pastoribus cum eo quem habuit ille in die festo cathedræ S. Petri congruunt. Alia quæ consonant referre supervacaneum duximus, tum ne lectori fastidium pareremus, tum quia id facile studiosus experietur. Certe diffiteri nemo potest quin ii sint alicujus episcopi, loquitur enim ad sacerdotes tanquam potestatem habens, et quasi rationem de eorum regimine redditurus, quo fit ut synodici sermones esse videantur; suum tamen ea in re judicium cuique sit liberum per me licet, quibus ducti argumentis ea opinione teneamur, exposuisse satis habemus. Neminem, opinor, pigebit operæ in iis legendis positæ, cum nondum editi fuerint, monitisque abundent minime contemnendis.

Expositionem baptismatis et Eucharistiæ ex eodem codice ms. subjunximus.

His qui de disciplina agunt sermonibus, appendicis instar induximus in animum annecti, posse statutum synodale Bajocense anno 1518 sub reverendo in Christo Patre D. Ludovico de Canossa editum, et tunc typis Gothicis excusum; simulque Ebroicense anno 1576 promulgatum a Claudio *de Sainctes*, qui concilio Tridentino interfuerat, necnon et provinciali Rotomagensi anno 1581, cujus canones in ordinem redegerat, patriæque linguæ in rudiorum gratiam reddiderat. Virum hunc eximium Spiritu Dei ductum fuisse, domusque ejus zelo exæstuasse decreta probant, in quibus ubique emicat eloquium Dei ignitum vehementer, et depravatos cleri populique mores castigandi, ac devios a fide fratres in unum summi pastoris ovile adducendi desiderium ingens. Prædictis statutis pretium etiam fecit *raritas*, quæ *gratiam semper inveniens* (ut Tertulliani verbis loquar) *concupiscentiam concitat habendi* (lib. I *De cultu fem.*, c. 9); concitavit enim vero in viris illius diœcesis pietate doctrinaque insignibus, quorum adducti precibus ea hic exhibemus.

Ultimum ideo occupant locum ii ritus qui in cathedrali ecclesia coram D. archiepiscopo celebrantur, quia et tempore posteriores, et vernacule editi sunt : constituti fuerant anno Domini 1632, die Martis sexta Aprilis, capitulo congregato per juramentum et domos. Hos ex ejusdem capituli monimentis excerptos hic tradimus.

Ex his omnibus, aliisque veteribus, sed editis, tum Rotomagensis, tum comprovincialium ecclesiarum libris notas confecimus, quas ii viri quorum consiliis non parere religio fuisset, necessarias judicaverunt ad majorem auctoris nostri elucidationem (cujus utinam libros *de stola et dedicatione ecclesiæ*, *necnon manipulo* reperire et edere potuissemus, de quibus loquitur scripta ad eum epistola Lanfrancus) eas Joannis libro subjecimus iis intertextas, quas Joannes Prevotius, nunquam sine honore nominandus, in idem opus e ms. Salicosano codice erutum ediderat (*in Collect. concil. Rotomag.*, p. 78); ut autem erudito viro sua laus integra constet, Prevotianas distinximus his characteribus *Pr.* dignoscendas, quibus epistolam ejusdem ad D. Franciscum II Rotomagensem archiepiscopum adjunximus. De nostris nihil dicimus, *auris* enim viri *dicta adjudicat et probat* ut habetur apud Job (*Job* XII et XXXIV). Stylus simplex nihil habet affectati nitoris, sed non ideo forte minus rebus sacris exponendis idoneus : *Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea si hoc potest? quando nil quærimus nisi patere quod clausum est* (S. August. lib. IV *De doct. Christ.*, c. 11). Dictio certe placuit amicis sive illi examine non fallunt, sive charitate falluntur, cupimus autem ut cæteri sic censeant. Erunt forte qui minuta nimis et ipso usu trita observari querantur; verum omnia hæc illi sibi dicta non putent suique similibus, sed iis qui ritus nostros omnino non norunt, suntque tam in nostris moribus peregrini, quam a nostro jure sunt liberi; cogitent mendicum esse fluviorum cursum qui illustrium tantum satiare valet ardorem, meminerintque apostolum non solum infirmis infirmum, sed et omnibus omnia factum. Alii forsan antiquis nos nimis inhærere moribus criminabuntur, sed

Moribus antiquis res stat Romana virisque

et ipsa antiquitas, ut habet commentarius Ambro-

Digitized by Google

siastes (*in cap.* III *Epist. II ad Timoth.*), *robur est novitatis.* Veteres porro sic veneramur referimusque ritus, ut usitatos quos præscripsere præsules nostri nunc servemus colamusque ex animo, divini memores oraculi : *Non contemnas cum senuerit mater tua* (*Prov.* XXIII). Si tamen alicubi labi contigerit (homines enim sumus, humani nihil a nobis alienum putamus) lubet sic cum Hieronymo denuntiare (S. HIER., l. I *in Mich.*, c. 2) : *A quolibet cupio discere quod ignoro, libenter me discipulum ejus profitebor, dummodo doceat et non detrahat; nihil enim tam facile quam otiosum de aliorum labore disputare.* Unumque votum nostrum erit quod fuit quondam S. Augustini : *Doleat in me fraternus animus* (ait ille Deum alloquens [lib. X *Conf.*, c. 4]) *quod dolendum doces, animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus cujus os loquitur vanitatem; fraternus ille qui cum approbat me gaudet de me, cum autem improbat me contristatur pro me, quia sive approbet me, sive improbet me, diligit me.* Prolixam jam satis præfationem non aliis quam Salviani verbis juvat concludere (SALVIAN. *in epist. ad Salonium*) : *Requiret forsitan aliquis quis ille auctor sit : potest hoc quidem quæri, et recte quæritur si inquisitio valet ad fructum aliquem pervenire. Cæterum si infructuosa est, quid necesse est ut laboret curiositas cum profectum curiositatis non sit habitura cognitio? In omni enim volumine profectus magis quæritur lectionis quam nomen auctoris; et ideo si profectus est in lectione, et habet quisquis ille est quod potest instruere lecturos, quid ei cum vocabulo quod juvare non potest curiosos?* Dein studiosi silentii reddens rationes : *Prima*, inquit, *veniens a mandato Dei quo præcipimur vitare omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem, ne dum humanæ laudis aurulam quærimus, præmium cœleste perdamus.* Secunda causa : *Scilicet ne auctoritatem salubribus scriptis personæ suæ parvitas derogaret, omnia enim amodo dicta tanti existimantur, quantus est ipse qui dixit. Siquidem tam imbecillia sunt judicia hujus temporis, ac pene tam nulla, ut qui legunt non tam considerent quid legant quam cujus legant, nec tam dictionis vim atque virtutem quam dictatoris cogitent dignitatem. Idcirco igitur scriptor ille abscondi et latitare omnibus modis voluit, ne scripta quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen auctoris.* Demum his verbis cum eo concludimus, et lectorem precamur *ut oret Dominum Deum nostrum, et orando impetret ut libellus pro ecclesia Christi conscriptus tantum apud Deum scriptori suo prosit, quantum eum prodesse ipse omnibus cupit.* Vale.

ELENCHUS EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Joannis Abrincensis episcopi liber De officiis ecclesiasticis, pag. 1.
Observationes ad eumdem librum, 88.
Epistola D. Joannis Prevotii de eodem libro ad D. Franciscum II Harlæum Rotomag. archiep., 157.
Processio cathedralis ecclesiæ ad S. Gildardum Dominica in Ramis palmarum, 159.
Processio ad S. Audoenum in festo S. Marci, 163.
Processio ad S. Eligium feria 2 Rogationum, 165.
Processio ad S. Gervasium feria 3 Rogationum, 169.
Processio ad S. Trinitatem de Monte feria 4 Rogationum, 171.
Processio in Ascensione Domini, 172.
Processio in festo Corporis Christi, 173.
Processio ad S. Audoenum in festo ejusdem sancti, 174.
Fragmenta ordinarii cathedralis ecclesiæ Rotomagensis, 175.
Benedictio chrismatis, 184.
Mandatum, seu lotio pedum, 186.
Officium diei Parasceves, 188.
Expulsio publice pœnitentium. 193.
Reconciliatio pœnitentium, 195.
Sermo archidiaconi ad archiep. Rotomag. pro reconciliatione pœnitentium, 196.
Tabula paschalis cereo paschali affixa, 198.
Cæremoniæ quædam ex ordinario Ecclesiæ Rotomag. quæ non observantur, 200.
Officium infantum in die Innocentium, 202.
Officium stellæ, seu trium regum, cum cantu, 206.
Officium sepulcri Dominica Resurrectionis, cum cantu, 211.
Ordinatio episcopi, 215.
Nomina vocandorum et excommunicandorum, 221.
Monitio episcopi ad ordinandos, 225.
Benedictio abbatis monachorum, 228.
Benedictio abbatis canonicorum, 237.
Benedictio abbatissæ, 240.
Benedictio episcopalis in solutione synodi, 244
Benedictio episcopalis ad missam in nocte Nativitatis Domini, 245.
Benedictio episcopalis ad missam in Sabbato sancto, 246.
Vetus ordo ad instituendum canonicum reg. in ecclesia S. Laudi Rotomagensis, 247.
Ordinarium vetus canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis, 254.
Expositio incerti auctoris super Canonem missæ secundum Amalarium, 361.
Ejusdem auctoris expositio divinorum officiorum. 385
Fundatio X clericorum collegii de Albania in ecclesia cathedrali Rotomag. anno 1245, 422.
Fundatio XVI *clericorum collegii Clementinorum in eadem ecclesia anno* 1350, 432.
Sermo 1 *ad populum de honorandis presbyteris*. 444.
Sermo 2 *ad pastores Ecclesiæ, de officio pastorali*. 453.
Sermo 3 *ad sacerdotes*, 459.
Sermo 4 *ad sacerdotes*, 465.
Sermo 5 *ad sacerdotes*, 473.
Sermo 6 *de sacerdote*, 481.
Expositio baptismatis et eucharistiæ, 488.
Synodus Bajocensis anno 1518, *celebrata per R. P. Ludovicum de Canossa Bajocensem episcopum. append.* 1.
Synodus Ebroicensis anno 1576 *habita per R. P. Claudium de Sainctes, Ebroicensem episcopum. app.* 9.
Epistola ejusdem ad illustrissimum cardinalem Carolum a Borbonio Rotomagensem archiepiscopum, ibid.
Forma professionis decani ruralis, app. 59.
Bulla Urbani papæ de ordinibus et residentia, app. 60.
Litteræ Gregorii papæ X super eodem, app. 61.
Cérémonies qui s'observent en l'église cathédrale de Rouen en présence de monseigneur l'archevêque, app. 61.

Digitized by Google

SCRIPTORUM VETERUM DE JOANNE TESTIMONIA.

B. Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus in epistola ad Joannem II Rotomagensem archiepiscopum.

Domino merito sanctitatis insigniter efferendo Joanni Normannorum archiepiscopo, Lanfrancus indignus vocari episcopus, bene cœptis meliora connectere. Quidquid sanctitas vestra de stola scripsit multum mihi placuit, nec unquam displicuit; sed quod subjunxit quia ad dedicandam ecclesiam episcopus processurus sacris vestibus ex institutione episcopalis ordinis debeat esse indutus, atque in expositione ipsarum sacrarum vestium casulam posuit, valde stupui, quia tale aliquid me unquam vidisse meminisse non potui. Porro quod in dandis ordinibus soli subdiacono dari manipulum perhibuistis, ubi hoc acceperitis rogo me vestris litteris instruatis; a quibusdam enim id fieri audio, sed utrum id fieri sacris auctoritatibus præcipiatur meminisse non valeo.

Ordericus Vitalis, Uticensis monachus, ecclesiasticæ Historiæ lib. v.

Hic filius Radulfii Bajocarum comitis præsul Abrincatensis Ecclesiæ fuit, et inde ad archiepiscopatum assumptus, x annis tempore Alexandri et Gregorii VII paparum claruit.

Guillelmus Pictaviensis Lexoriorum archidiaconus, in Gestis Guillelmi ducis Normannorum et regis Anglorum.

Statuit enim summe idoneos pontifices, Hugonem Lexovii, proprium fratrem Odonem Bajocarum, Joannem Abrincarum. Quorum in electione penes judicium ejus probitas ipsorum valuit, non altitudo natalium proximorum ipsi. Joannes Radulfi comitis filius, jam pridem laicus ordine, eruditus litteris; clero, imo rectoribus cleri adnirandus, innotuerat vita religiosa. Non illius desideria specie sacerdotalis gradus honorem, sed illum vota præsulum ambierunt collegam sibi consecrandum.

Willelmus Gemeticensis monachus, Hist. Normann. lib. VII, *cap.* 38.

Joannes Abrincatinæ urbis præsul, vir ingenuitate plurimum conspicuus, sapientia spirituali feliciter imbutus, prudentia sæculari summe præditus : secundum quippe nobilitatem generis, comitis Rodulfi filius.

Ibidem de Rodulfo patre Joannis.

Accepit autem mulierem quamdam vocabulo Erambergam, speciosam valde, natam in quadam villa Calcini territorii, quæ dicitur Cavilla [Cachevilla]. Genuit vero ex ea duos filios, Hugonem postea episcopum Bajocensem, et Joannem Abrincatensem, qui ad ultimum fuit Rotomagensis archiepiscopus.

Ordericus Vitalis, eccles. Hist. lib. IV.

Post mortem antistitis sui Maurilii Rotomagensis Ecclesia Lanfrancum Cadomensem abbatem sibi præsulem elegit : et rex Guillelmus cum optimatibus suis, omnique populo libentissime concessit. Sed vir Deo devotus, et humilitati studens, tanti primatus sarcinam refutavit, et sibi ad hunc apicem toto conatu Joannem Abrincatensium præsulem præferre sategit. Porro ut canonice fieret ista conjugatio, Romam adiit, prædictæ ordinationis licentiam ab Alexandro papa impetravit; sacrum quoque pallium, unde et ipsi et toti Normanniæ gloriandum erat, cum licentia deportavit.

Joannes itaque de sede Abrincatensi, quam VII annis et III mensibus rexerat, assumptus est; et metropolitanus Rotomagensis factus est. Hic ardore virtutum in verbis et operibus multipliciter fervebat, nimioque zelo in vitia, ut Phinees, sæviebat. Quantum vero ad sæculi dignitatem attinet, magnæ nobilitatis lampade clucbat. Erat enim filius Radulfi comitis Bajocensium, qui frater fuerat uterinus Richardi senioris ducis Normannorum. Decem itaque annis metropolitanum regimen fortiter et diligenter gessit : multumque contra impudicos presbyteros pro auferendis pellicibus laboravit : a quibus, dum in synodo concubinas eis sub anathemate prohiberet, lapidibus percussus aufugit, fugiensque de ecclesia : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam* (*Psal.* LXXVIII, 1), fortiter clamavit.

Gesta archiepiscoporum Rotomagensium, ex mss. codicibus S. Mariæ et S. Audoeni.

Defuncto Maurilio Guillelmus rex Anglorum, Lanfrancum abbatem Cadomensem, quem postea Cantuariensi metropoli præfecit, Alexandro papæ misit, postulans ejus clementiam ut ei assensum præberet quatenus ejus auctoritate Joannem Abrincensem episcopum metropolitanæ ecclesiæ præficeret, eique, ne aliqua occasione in hoc resisteret, litteris apostolicis mandaret. Ipse vero ejus petitioni, quia devotam vidit, acquievit, et litteras inde pontifici misit. Verba quæ litteris continentur hæc sunt :

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, Joanni Abrincensium venerabili episcopo apostolicam benedictionem. Destituta Rotomagensi Ecclesia pastore, comperimus Sedunensis episcopi, et Lanfranci abbatis relatione, te ex electione principis tui, dilectissimi filii nostri Guillelmi regis Anglorum, ob vitæ et morum probitatem ad majorem sedem promovendum, si ex auctoritate sedis apostolicæ fuerit assensus, cui Deo auctore præsidemus. Nos igitur moti illorum precibus, ob salutem illius ecclesiæ, et omnium in tuis partibus, volumus, atque dilectioni tuæ apostolica auctoritate præcipimus, ut quod divina dispensatio de te providit non contradicas, et electioni tuæ te obedientem exhibeas. Admonemus itaque fraternitatem dulcedinis tuæ [*al.*, dulcedinem fraternitatis tuæ], ut si in modico fuisti fidelis, in majori bene operari non desinas, populum divini verbi pabulo reficias, ut mercaris audire illam benignam vocem Domini dicentis : *Euge, serve bone et fidelis, quia super panca fuisti fidelis, supra multa te constituam* (*Matth.* XXV, 23). De cætero secretiorem animi nostri voluntatem planius audies per nostrorum legatorum veridicam relationem. »

Joannes vero ejus apostolica legatione recepta, et omnium comprovincialium episcoporum, cunctorumque etiam ejusdem ecclesiæ canonicorum electione communi consensu facta, metropolitanam adeptus est sedem. Hic vero fuit vir progenie nobilis, liberalibus imbutus disciplinis.

Anno 1061 Joannes episcopus Abrincensis mense Septembri.

Anno 1069 Maurilio succedit Joannes filius Rodulfi comitis fratris Richardi qui prius Abrincensi Ecclesiæ VII annis et tribus mensibus præfuit, et postea rogatu Alexandri papæ, concedente Guillelmo principe Normannorum et rege Anglorum, adeptus est cathedram Rotomagensis Ecclesiæ.

Anno 1079 obiit Joannes Rotomagensis archiepiscopus.

Anno ab incarnatione Domini 1079 Joannes ar-

Digitized by Google

chiepiscopus octavo [undecimo] anno regiminis sui defunctus est, et in baptisterio basilicæ ad aquilonem tumulatus est. Monumentum ejus (1) ex albo lapide factum est, in quo hujusmodi epitathium solerter insertum est.

Metropolita tuus jacet hic, urbs Rotomagensis,
Culmine de summo quo moriente ruis :
Ecclesiæ minuuntur opes, sacer ordo tepescit,
Provida relligio quem sua constituit.,
Hic neglecta diu canonum decreta reformans,
Instituit caste vivere presbyteros.
Dona Dei sub eo venalia nulla fuere,
Huic et opes largas contulit ecclesiæ.
Lingua diserta, genus, sapientia, sobria vita
Huic fuit, exiguus quem tegit iste lapis,
Nona dies Septembris erat, cum carne JOANNES
Exspoliatus obit : sit sibi vera quies. Amen.

(1) Hujus nullum hodie videtur vestigium.

JOANNIS

ABRINCENSIS EPISCOPI

LIBER

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

AD MAURILIUM ROTOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

1 (1) Domino vere sancto, et meritis honorando, MAURILIO venerabili (2) sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ archiepiscopo, (3) JOANNES Abrincacensis, omnium episcoporum meritis infimus, corpore et spiritu totius obedientiæ munus.

Quoniam tuæ paternitatis sanctitatem de ecclesiasticæ dignitatis profectu semper sollicitam, ejus lapsu nimio mœrore affici, sæpissimis inde mecum habitis quæstionibus comperi; hocque dolorem tibi augmentare ejus reparatione flagranti, quod vires ad hoc tuæ subtraxerat imbecillitas ægritudinis, parvitas mea tuæ sanctissimæ **2** optioni suffragari, non aliquo fastu succensa, sed pia compassione commota appetiit : ut quod negligentium pastorum depravatur incuria, tuæ sanctæ religionis reparetur vigilantia. Hinc tua auctoritate fretus sententias sanctorum Patrum aggressus, diversarumque Ecclesiarum mores et consuetudines prospectans, et ea, quæ ad divini cultus officia pertinent, quodque in se mystice continent, nihilominus considerans, quamdam quasi confectionem ex ea diversitate composui, quam omnibus adhuc occultam tuæ sagacitatis repræsento examini, ut susceptum opusculum inspicias, et inspiciendo eam, precor, diligentiam adhibeas, qua te nobis eum esse significes, quem in paternitate ac magisterio sat decenter exhibes. Tua quippe refert, ut si aliqua sint quæ valeant paterno affectu velis annuere, si vero econtra, vigilantis magisterii censura corrigere. Quod si utile et ratum tua auctoritate censetur, (4) postquam de metropolitana sede stillare videbimus, canonum statuta sequentes, nostræ propinare studebimus.

Propositum sanctæ religionis in primis oportet clericos in moribus, habitu, et incessu (5) juxta Carthaginense **3** concilium (IV, c. 44 et 45) canonice observare : scilicet, ut clerici coronas, non absconsas, sed patentes habeant : (6) variis nec rubeis utantur indumentis, cappis in ecclesia nunquam nisi nigris. Unum tempus, et una dies sit semper eis radendi. Huic præcepto inobediens districtim subjaceat correptioni. (7) Quod caput nostrum ex apostolica doctrina in superiori parte radimus, superfluas temporalesque cogitationes de mente, quæ per caput exprimitur, resecare jubemur. (8) Per coronam capillorum, quam in inferiori parte portamus, temporalia, sine quibus præsens vita non transigitur, concordi ratione regere, et eis ordinata discretione uti admonemur. Quod ne capillorum superfluitas aures vel oculos cooperiat, sacra religio observat; ne aures cordis vel oculos ad bonum operandum sollicitudines et divitiæ hujus sæculi impediant, ut summopere provideamus, designat. Quod vero (9) barbam radimus, per quam virtus corporis designatur, nos mentis feritatem amittere, et juxta Apostolum (*I Cor.* XIV, 20) parvuli in Christo effici debere figuramur.

Hoc ergo expedito, horæ noctis et diei juxta canonicam institutionem certis temporibus observentur; et canonici ad ecclesiam **4** devote congregentur a quibus ita ut scribitur, per totum anni circulum ecclesiastica officia agentur. Quia vero quatuor elementis subsistentes, Dominum nocte ac die offendimus, dignum est ut quater nocte et die in hymnis, et psalmis, et orationibus Dei omnipotentiam, antiquorum exempla sectantes, placare stu-

Digitized by Google

deamus; Esdras enim a captivitate Babylonica reversus (*II Esdr.* IX, 3) populum Israeliticum (10) quater nocte et die domino psallere ad ejus misericordiam provocandam instituit. Propheta vero David septies in die laudem Domino se dixisse, et media nocte ad confitendum Domino surrexisse, nobis indicit (*Psal.* CXVIII). Has namque horas, scilicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium, Nocturnas et matutinale Officium, ad psallendum Domino sancti Patres præ cæteris elegerunt. Primam vero, quia finis est noctis et initium diei. Hæc hora omni tempore, exceptis diebus tribus passionis Domini, et septem diebus Paschæ, cum oratione Dominica, et Symbolo, et Capitulo, et Collecta completur. In hac quia noctem cum salute transegimus, pastori nostro gratias debemus reddere, et quidquid mali quinque sensibus corporis contraximus, precibus et lacrymis ejus misericordiam 5 postulando delere; id insuper exorare ut imminenti die ab omnibus malis gregem suum dignetur defendere, et quinque sensus corporis nostri in beneplacito suo dirigere. Idcirco (11) quinque psalmos canimus : sed trina sanctæ Trinitatis glorificatione connectimus, ut sensus nostri ejus fide muniantur. (12) Quibus fidem catholicam a B. Athanasio Alexandrino patriarcha expositam adjicimus, ut contra omnia adversa visibilia seu invisibilia sit nobis inexpugnabilis clypeus. (13) Tertiam vero, quia in ea Spiritus sanctus super apostolos descendit; Sextam, quia in ea Salvatorem nostrum crucifixerunt Judæi; Nonam, quia in ea idem Salvator in cruce pendens spiritum emisit. In his tribus horis (14) bis tres psalmos cum trina glorificatione sanctæ Trinitatis canimus : fidem enim sanctæ Trinitatis mente et corpore tenere ac venerari debemus. Has quoque cum responsorio, et versu, et (15) oratione Dominica, et precibus, et psalmo, *Miserere mei, Deus*, genuflectendo, et oratione complemus : exceptis festis, in quibus oratio Dominica, et preces cum psalmo et genuflectione prætermittuntur. Finitis his diurnalibus officiis, (16) nocturnalia succedunt, in quibus Vesperæ prima hora consistit. 6 In hac, quia finis est diei, et initium noctis, ut in prima, quinque psalmos propter quinque sensus corporis canimus : ut quidquid per eos in die offendimus, psalmorum deprecatione nobis dimittatur; et iidem sensus nostri imminente nocte a Domino in beneplacito suo dirigantur. Unusquisque psalmus cum antiphona cantetur, ut instituit beatus Ignatius patriarcha Antiochenus. Per psalmum, qui alternantibus choris cantatur, bona fratrum opera designantur : per antiphonam, quæ ab uno incipitur et a cæteris communiter cantatur, charitas exprimitur, qua fidelium mentes in unum connectuntur. Illinc a sacerdote, qui vicem Christi gerit, lectio, id est exhortatio populi, ne deficiant, sed in bono opere perseverent, dicetur : quam responsum, id est bonum exhortati populi opus, et hymnus, id est laus Dei, prosequitur : et versu dicto (17) hymnus sanctæ Mariæ, humilitatis, et obedientiæ, et spei exemplo nos corroborans, Dominicæ incarnationis memoriam ad exercendam fidei nostræ devotionem nobis reducit. Incipiente versus juxta quod Dominus præcepit Moysi (*Exod.* XXIX, 13), (18) incensum super altare a sacerdote offertur : sicque, ut in cæteris horis, (19) cum oratione Dominica et precibus, exceptis 7 festis oratione vero semper completur.

(20) Quia vero post Vesperas non statim quiescimus, sed terrenis operibus et necessitatibus corporum, quæ absque ' omnino exerceri nequeunt, ' quidquid in illis deliquimus, per completorium emendamus. In hac quippe hora secundum elementa corporis nostri, quibus Dominum offendimus, quatuor ad placandum Dominum psalmos canimus, quibus, post capitulum hymno dicto, (21) hymnum iterum justi Simeonis adjicimus, ut a Deo custoditi et illuminati in pace quiescamus. Postea ut in prima, (22) oratione Dominica, et Symbolo, et confessione, nos contra noctis insidias munientes, horam cum precibus, et oratione complemus (23) quam lectio præcedit de exemplis sanctorum Patrum, ad excitandas in bono animas fratrum.

(24) Media nocte, juxta Prophetam (*Psal.* CXVIII), ad confitendum Domino surgere debemus. Populum enim sedentem in tenebris, et umbra mortis venit Christus redimere, natus de virgine, noctis in tempore, quam etiam sua illustravit resurrectione. In hac, quia somno dominante hucusque conticuimus Dominum deprecamur, ut labia nostra ad laudem suam pronuntiandam 8 aperire dignetur. Post, ut in cæterarum primordio horarum, ipsum in nostro opere (25) adjutorem invocamus. Postque hymno ad eum placandum dicto, (26) duodecim psalmos canimus, ut per duodecim horas noctis a Domino ab omnibus malis tueamur. Et quia hæc custodia per sex ætates mundi necessaria fuit, eosdem psalmos sex antiphonis copulamus. Per antiphonas, ut diximus, charitas exprimitur. Versu ad excitandos animos dicto, et oratione Dominica ad mundanda corda finita, benedictione a sacerdote accepta, tres lectiones leguntur, quarum unamquamque responsorium subsequitur. Lectionibus prædicamus, responsis bona opera, quæ subsequi debent, designantur. Sex enim ætates tribus temporibus, id est, naturalis legis, legis litteræ, et legis gratiæ concluduntur. Quod idem Dominicis diebus et festis per tres nocturnas figuratur. Quod vero in primo nocturno in Dominicis diebus duodecim psalmos cum trina glorificatione sanctæ Trinitatis canimus, quatuor una glorificatione, et una antiphona copulamus, duodecim patriarchas, ex quibus Judaicus Dei populus propagatus est, ad memoriam reducimus : qui in quatuor virtutibus, scilicet prudentia, fortitudine 9 justitia et temperantia fulgentes, easque Trinitatis fide et charitate connectentes, Domino devote servierunt : quorum exemplis debemus instrui. Per secundum nocturnum significantur hi qui sub lege

Digitized by Google

fuerunt eadem fide et charitate muniti. Per tertium, hi qui sub gratia fuerunt eisdem virtutibus illuminati. Per novem lectiones, quibus *Te Deum laudamus*, scilicet laudem Dei, conjungimus, nos horum trium temporum exempla ita imitari prædicatione et opere debere designatur, ut novem angelorum ordinibus conjungi mereamur, ut ex nobis decimus restauretur, qui divinis incessabiliter inhæreat laudibus.

(27) Per Officium matutinale recolimus baptismum plebis Israeliticæ, per quem noster figuratur, qui in vigilia matutina Exodi factus est, dum necatis divina potentia hostibus, rubrum mare transierunt. In hoc etiam Dominicam resurrectionem recolimus, quam summo diluculo angeli nuntiaverunt mulieribus. In hac hora quinque psalmos ad muniendum quinque corporis sensus canimus. Post sacerdotis lectio, quæ capitulum vocatur, nos in bono opere perseverare hortatur : cui nos obedientes hymnum Domino resonamus. **10** Versu quoque excitati, hymnum Zachariæ concinimus, in quo Dominum nos visitasse, et redemptionem per Abraham nobis promissam complevisse, collaudando profitemur. Versu incœpto, juxta quod Dominus Moysi præcepit (*Exod.* xxix), sacerdos incensum super altare adolebit; sicque ut in Vesperis, antiphona cantata, (28) cum oratione Dominica, et precibus, et oratione finitur. In festis vero oratio Dominica et preces non dicuntur. Quo finito ut in cæteris horis Dominus benedicitur, et ab omnibus sibi grates referuntur. Aliud quoque mysticum gerit hoc officium. Per primum psalmum primitiva de Judæis Ecclesia designatur; per secundum de gentibus; per tertium, cui unus psalmus sub una *gloria* adjicitur, uterque populus, gentilis et Judæus, qui in fine mundi una fide, una lege conjungentur. Per quartum, quem pueri in camino ardenti cecinerunt, Antichristi tribulatio, quam uterque pro Christo patietur populus. Per tres psalmos *Laudate*, qui sub una *gloria* conjunguntur, tres ordines, qui per Job, Daniel et Noe exprimuntur cum Christo in laude et gloria regnaturi, (29) Signo pulsante, antequam laxetur, ad Primam, vel ad omnes horas noctis et diei, fratres congregentur, (30) ubi religiose **11** consistentes, non hac aut illac se moventes, nec alicui confabulantes, neque bini simul, nisi competentibus horis, sedentes, (31) et ad *Gloria Patri*, ad altare se inclinando vertentes, (32) chorum non exeant, majores absque decani, minores absque licentia cantoris. Qui autem legere perrexerit, non medium chori, quousque (33) ante et retro inclinet, transeat; nec cum strepitu, sed decenter pergat, ut in incessu et habitu eorum religio semper appareat. Qui vero ex una parte ad alteram summa quidem necessitate ierit, ante tantummodo stans quidem reverenter inclinet. Violator hujus propositi legitimæ subjaceat correptioni. Hymno dicto psalmi cum antiphona ad eos pertinente dicantur : post quos *Quicunque vult*, cum antiphona sanctæ Trinitatis cantetur, (34) exceptis diebus Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniæ, et diebus Pentecostes. (35) Subsequente capitulo *Domine miserere*, in ferialibus diebus, festivis autem *Regi sæculorum*, responsorium cum versu sequitur, et dictis precibus, (36) confessione facta cum precibus ibi pertinentibus, oratione subjecta hora compleatur. (37) Prima finita in capitulum fratres conveniant. Martyrologii lectio legatur, (38) ne aliqua sancti festivitas in crastino celebranda **12** negligenter omittatur. Versu, *Pretiosa est in conspectu Domini*, dicto, beatæ Mariæ, sanctorumque intercessione postulata, tumque Deo in eorum auxilio invocato, oratione Dominica completa, cum sacerdotis oratione, ibi finiatur. Inde recitetur (39) lectio regulæ canonicalis, (40) seu pastoralis, (41) vel alicujus regularis libri. Deinde culpæ examinentur : examinatio canonicaliter exerceatur. Post ad ecclesiam redeant, et missam matutinalem canant. In ea hæ orationes dicantur : prima *Fidelium Deus*, secunda, *Deus, qui inter apostolicos*, tertia, *Deus veniæ largitor*, post cæteræ quæ fratribus placuerint.

Signo indicante Tertia cantetur. Missa diei hora tertia, excepto jejunii tempore, celebretur. Hora enim tertia linguis Judæorum crucifixus est Christus : jejunii tempore hora nona, in qua Christus emisit spiritum. Missa vero diei hoc ordine celebretur. In Primis in ferialibus diebus duæ campanæ pulsentur, (42) in festis omnes. Ad *Gloria Patri*, choro introitum a beato Cœlestino institutum canente, sacerdos in vestiario, cæterique ministri sanctis vestibus juxta ordinem induantur, scilicet alba, stola et dalmatica diaconus : alba, et tunica, et manipulo subdiaconus : **13** reliqui tantum albis, scilicet (43) duo acolythi, unus qui cantet graduale, et deferat candelabrum; alter qui *Alleluia*, et ferat thuribulum. (44) Psalmo dicto, incipiente choro *Gloria Patri*, sacerdos cæterique ministri sic ad altare procedant. Diaconus præcedat presbyterum, subdiaconus præcedens diaconum ferat Evangelium, (45) ceroferarius cum cereo præcedat subdiaconum, portitor thuribuli ceroferarium. Dum ergo ante altare venerint, subdiaconus Evangelium ponat super dextrum cornu altaris, ubi usque ad Evangelium manebit. Per altare Jerusalem designatur, in qua ab initio adventus Domini evangelica doctrina resonuit, et inde usque ad publicum exivit, ut scriptum est : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isa.* II, 3). Postea subdiaconus ad sinistram sacerdotis transeat, diaconus ad dextram; ubi confessione invicem facta, (46) diaconum et subdiaconum osculetur sacerdos; primum enim Christus pacem apostolis dedit, per eos orbi transmisit. Postque (47) sacerdos cæterique ministri retro coram altari breviter orent stantes ordine suo. Deinde primum ab oratione surgens inclinanti sibi inclinet diacono, diaconus inclinanti subdiacono, subdiaconus inclinanti sibi choro. **14** Diaconus vero post inclinationem utraque altaris cornua deosculans,

Digitized by Google

sacerdoti medium altaris osculanti Evangelium osculandum offerat; evangelio enim Christus prævaricationis chirographum delens, pacem mundo dedit : cujus præconibus utrumque populum, Judaicum quippe et gentilem sibi reconciliavit. Quod altare sacerdos osculatur, significat gentem Judæam in Jerusalem morantem, quam Christus sibi reconciliavit; per evangelium, gentilem populum. Dehinc pergit sacerdos ad dextrum cornu altaris : dexteram enim Christus semper egit vitam : dextera enim vita acquiritur cœlestis gloria. (48) Diaconus post eum eamdem imitando vitam [*fort.*, viam] consistat, quousque ei sedere innuat. Sessio episcopi juxta decreta Urbani papæ (*epist. de cathedr. episc.* IV, c. 35), et Carthaginense concilium cæteris celsior debet fieri, in qua cathedra pontificalis honorifice constituatur : episcopus enim Græce, Latine *superintendens* interpretatur : ideo altior, sicut vinitori, ad custodiendam vineam Domini sabaoth, ei locus præparatur, quam, incipiente *Kyrie eleison*, episcopus cum ministris suis ascendat, quorum alii stent, alii sedeant. Per eos qui sedent membra Christi designantur in pace quiescentia; per eos qui **15** stant, in certamine posita. *Gloria in excelsis Deo* cum incœperit, vel orationem dixerit pontifex, ac sacerdos ad orientem vertatur; non quia ibi solum sit Dominus, qui ubique non locorum spatiis, sed majestatis potentia præsens est, sed quia ab oriente lux oritur, qua cæteræ partes illustrantur : sic a Deo summum bonum, quo totus orbis illuminatur. Per salutationem sacerdotis et responsionem populi eorum communis et charitativus ostenditur affectus, alternatim monens et optans ut in eis semper maneat Christus. Quod solus episcopus salutando populum *Pax Domini* dicit, (49) ostendit eum esse vicarium Christi, qui resurgens a mortuis, pacem apostolis nuntiavit. Ministrorum quantuscunque fuerit numerus, major pars in dextera, minor in sinistra [*f. add.* parte] : utraque enim benedictio scilicet temporalis et æterna, nobis a Deo est postulanda, licet instantius sempiterna. Ceroferarii vero usque ad *Kyrie eleison*, (50) ab austro ad aquilonem candelabra teneant, quo incœpto ibidem dimittant. Per austrum, qui est ventus calidus, Spiritus sancti fervor designatur, qui veri solis ortu, ab oriente ad occidentem, mundum illuminando, diffunditur. Unus vero tertius in medio ponatur, per **16** quem, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine Domini, Dominum adesse designatur (*Matth.* XVIII, 20). Per hoc quod (51) incœpto *Kyrie* cerei deponuntur, nos, dum Dominum exoramus, contrito corde humiliari oportere demonstratur. Salutante presbytero populum, ibidem teneant. Oratione finita, ab oriente ad occidentem colloceat; duobus enim Testamentis illuminantur quatuor partes mundi. (52) Septem candelabra in festis significant septem dona Spiritus sancti. (53) Incipiente subdiacono Epistolam, sacerdos juxta altare sedeat, et diacono in loco suo sedere innuat : (54) subdiaconus vero, excepto tempore ministrationis suæ, in choro maneat. (55) Epistolam responsorium opportunis temporibus tractus vel *Alleluia* sequuntur. Per responsorium quod alternatim cantatur, activa vita designatur, in qua Ecclesia, bona operando, promeretur æternam gloriam, quæ per *Alleluia* figuratur; per tractum, qui nullo respondente cantatur, et in melodiis suis similitudinem fert gemitus, vita contemplativa, in qua perfecti viri peccata plorando, soli Deo vacando, morantes, eamdem excellentius quidem gloriam promerentur. Pneuma sequentiæ, quod post *Alleluia* cantatur, laudem æternæ **17** gloriæ significat, ubi nulla erit necessaria verborum locutio, sed sola pura, et in Deo semper intenta cogitatio. (56) Per tabulas osseas, quas cantores tenent in manibus, fortis bonorum operum perseverantia, qua divinis oportet inhærere laudibus, designatur. Lectores Epistolæ et Evangelii, et cantores gradualis et *Alleluia*, in festivis diebus in pulpitum ascendant : debent enim pastores et doctores prædicationem suam juxta prophetam exaltare (*Isai.* XL, 9), et opera ad instruendum Dei populum, ut in eis illud Dominicum impleatur præceptum : *Luceant opera vestra coram hominibus, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Diaconus cum pulpitum ascendit, celsius consistat ceroferariis : Evangelium enim Christi legem et prophetas præcellit; per thuribuli vero portitorem, qui in eodem loco cum diacono consistit, designatur fragrantia doctrinæ et magnalium Christi. Crucem, quam incipiente Evangelio frontibus nostris imponimus, ad expellendas omnes pravas suggestiones facimus, crux enim pellit omnes adversitates animi. In eadem hora (57) oportet episcopos et abbates baculos de manibus deponere in auditu verbi Domini, et ante Dominum devotos humiliter stare. Tempore **18** quo ministri casulis induuntur, oratione finita (58) subdiaconus exuta casula Epistolam legat, qua lecta iterum induat, et corporale ad altare deferens diacono tribuat : quod ille in altari disponat. Incœpto tractu aut *Alleluia*, diaconus casulam exuat, et sub dextro armo superque sinistrum ponat, dextrum post discoopertum habeat; brachium enim Domini, quod in lege erat absconsum, nobis patefecit Evangelium. Quod (59) casula induitur diaconus, significat mysticum sub lege tempus; quod exuitur, figurat tempus sub gratia, [*f.* in quo] mysteria revelantur. Propinquante Evangelii termino sacerdos thymiama in thuribulo ponat, quo (60) incensato altari, ante Evangelium deferatur. Per thuribulum, quod fragrantiam odoris emittit, fama bonorum, quæ doctrinam præcessit. Diaconus benedictione a sacerdote accepta, ab altari Evangelium accipiens, (61) super sinistrum armum imponat. Per sinistrum enim armum vita temporalis designatur, in qua oportet Evangelium prædicari; et subdiaconus ante eum pulvinar deferat. Per pulvinar quod præcedit, lex figuratur, quæ Evangelium præcessit; per plumas quæ intus occultantur, mysteria, quæ in lege continebantur; per

Digitized by Google

levitatem plumæ, præcepta **19** veteris legis levia ad comparationem novæ : in illa enim dicitur : *Non occides* (*Exod.* xx, 13), in nova vero, *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v, 22). Sicque (62) præcedentibus ceroferario thuribulique latore, cum processione ad pulpitum pergat, et sepposito Evangelio ac incensato, versus ad aquilonem Evangelium legat : per aquilonem enim infidelitas gentium designatur, quibus Evangelium ab apostolis igne Spiritus sancti accensis prædicatur. (63) Quo lecto candelabra exstinguantur : immolatione enim veri Agni, typici cessavit immolatio, et cætera mysteria, quæ in lege continebantur et prophetis per candelabra designatis. (64) Incensum sacerdoti in thuribulo offeratur, et Evangelium primum a subdiacono sibi porrectum osculetur, quod post a diacono osculetur : et in festivis diebus a subdiacono omni clero, incenso præcedente, præsentetur. Evangelio lecto populus a sacerdote salutetur; offerenda incipiatur, (65) quam finitam versus sequatur. Interim vero panis et vini oblatio a subdiacono diacono, a diacono offeratur presbytero; (66) cantor aquam linteo coopertam in festis diacono deferat, quam diaconus vino misceat : dulci enim cantoris modulatione, populus pia devotione et **20** divino amore accenditur, et sic ad Dominum currit, et unum corpus in Christo efficitur. Per vinum Christus, per aquam populus, per linteum cooperturam aquæ labor modulationis cantoris, quo liberatur populus a cogitationum pravitate : lino enim labor exprimitur. Aqua mista vino, populus adunatus Christo; vinum sine aqua Christus est; aqua sine vino, populus sine Christo. (67) Aliis diebus ministret eam acolythus. (68) Sacerdos oblationem ita componat, ut in dextera parte hostiæ calicem constituat : a dextro enim latere Domini sanguis defluxit et aqua : sicque corporali cooperta (69) incensum desuper offerat, et sic diacono præbeat; diaconus vero in circuitu altaris deferat, postea sacerdoti, deinde ministro reddat, ut clero populoque deferat. Præterea accipiens patenam de altari, subdiacono porrigat; (70) subdiaconus vero, si fuerit, acolytho. Non licet enim quidquam sacri ab altari auferre alicui, nisi diacono, vel sacerdoti. Tunc coram altari oret inclinatus sacerdos solus, postulando ut dignus possit accedere ad altare, et insistere cultibus divinis, ne fiat illi quod factum est Bethsamitibus, qui temere viderunt arcam Domini (*I Reg.* vi, 19). Christus enim antequam pateretur, sæpe solus pernoctans **21** in oratione oravit, non pro se, sed pro nobis. Cæteri vero ministri stent in oratione ordine suo. Post quæ versus ad populum orare moneat, conversusque ad altare secretam orationem dicat : qua completa, *Vere dignum*, devota mente dulcique voce proferat, in cujus fine hymnum, *Sanctus, sanctus, sanctus*, a beato Sixto institutum chorus respondeat; diaconus et ministri ad *Te igitur* perseverent retro sacerdotem, usque *Sed libera nos;* inclinati Domino enim patienti mœrore et timore sui compatiebantur apostoli. Per inclinationem diaconorum significatur mœstitia apostolorum; per subdiaconorum, sanctarum mulierum. Subdiaconi vero similiter inclinati sint in aspectu sacerdotis, per quos exprimuntur sanctæ mulieres, quæ patiente Domino, fugientibus discipulis, licet timore et mœrore perculsæ, in his, quæ de eo fiebant, erant intendentes; sed Domino de cruce deposito ac sepulto, inde recesserunt, et aromata sepulturæ paraverunt; ita subdiaconi ab eo loco discedant, et corpori ac sanguini Christi ministrare satagant, efferentes patenam per manum diaconi sacerdoti ad frangendum in ea corpus Domini. Hoc expleto sacerdos (71) Dominici corporis et sanguinis consecrationem **22** juxta sanctorum Patrum institutionem puro et humili corde compleat. Dum ergo ad *Nobis quoque peccatoribus* venerit, altius vocem suam proferat, et pectus suum percutiat. Vocis enim exaltatione per centurionem gentilium exprimitur professio; per pectoris tunsionem, Judæorum pectora sua percutientium lamentatio. Ubi ergo ad hæc verba venerit, scilicet, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona*, tunc diaconus accedat, et dextera manu dextrum cornu corporalis accipiat, cum sacerdote discooperiat. Sacerdos, *Per ipsum*, dicendo (72), oblata quatuor partes calicis tangat. Immolatione enim corporis Christi redempta sunt quatuor climata mundi. Item (73) oratione finita uterque calicem levent, et simul ponant et cooperiant. Inde (74) altare diaconus osculetur, deinde dexteram sacerdotis scapulam. Per scapulam sacerdotis lapis designatur, in quo angelus ad sepulcrum resedit. Semper enim angelus credendus est adesse immolationi corporis Christi. Per diaconum Joseph exprimitur, per sacerdotem Nicodemus; per elevationem de altari hostiæ, depositio Christi de cruce; per depositionem iterum in altari, sepultura Christi. Post quæ sacerdos orationem Dominicam alta voce proferat. **23** Per exaltationem Dominicæ orationis demonstratur nostræ unitas fraternitatis (S. Cyp. *de orat. Dominica*) : *Deus enim Pater noster, pacis et concordiæ magister, sic nos unum pro omnibus orare docuit, quomodo in uno omnes portavit.* Clero, *Sed libera nos a malo*, respondente, officium consecrationis perficiat. *Sed libera* dicto, diaconus et subdiaconus se erigant, et oculos in Dominici corporis consecrationem intendant; ait enim evangelista, quia *noli ejus a longe stabant, sua pectora percutientes* (*Luc.* xxiii, 49). Ubi ergo ad locum, *Da propitius pacem*, venerit, qui mantili indutus tenuerat, [*add.* patenam] subdiacono (75), subdiaconus diacono, diaconus sacerdoti offerat, in qua sacerdos corpus Domini tripliciter dividat, quarum partium unam sacerdos calici immittens, *Pax Domini*, alta voce dicendo, prius subdat secrete : *Fiat commistio corporis et sanguinis Domini nobis accipientibus in vitam æternam* (76). Alia se, diaconum subdiaconumque communicet. Tertiam viaticum, si opus fuerit in patina usque ad finem missæ reservet. Per particulam oblatæ im-

Digitized by Google

missæ in calicem ostenditur corpus Christi, quod resurrexit a mortuis; per comestam a sacerdote vel populo, vivificantem eos in Deo, Christi cum discipulis suis post resurrectionem conversatio. Tertiam, quæ **24** remanet in altari, vocat sancta Ecclesia viaticum morientis; ut ostendatur non eos debere deputari morientes, sed dormientes qui in Christo moriuntur, dum tali tantoque ductore ad æternam vitam perducuntur (77). Si autem opus non fuerit, tertiam sacerdos, aut unus ministrorum accipiat. Non autem intincto pane, sed juxta definitionem Toletani concilii seorsum corpore, seorsum sanguine, sacerdos communicet, excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed (78) summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis permittitur communicare. Dum ergo sacerdos ministris communionem porrigit (79), unumquemque primitus osculetur, et post qui communicandus est, manu sacerdotis osculata, communionem ab eo accipiat. Postremo vero particulam, quæ in calice remansit, sacerdos sumat: et post diacono calicem ad mundandum, et sumendum quod remansit, porrigat, qui in sinistrum cornu altaris calicem cum patena deferat, ubi (80) partem sibi accipiat, et partem subdiacono tribuat Post mundato utroque utrique participent. Acolythus vero alterum calicem sacerdoti ad mundandos digitos deferat. Subdiaconus autem ad mundandum calicem et patenam **25** diacono serviat. Post mundationem patenæ et calicis acolythus utrumque mantili involutum teneat, usque ad completionem primæ post communionis, suaque cæteri ministri officia. Sacerdos, ut supra diximus, partito corpore Domini, *Pax Domini*, alta voce proferat (81), a quo unus canonicorum pacem accipiat, quam in utroque choro majoribus distribuat. Ipsi autem cæteris ita porrigant ut nullus de loco moveatur, sed a superiori accipiat et inferiori tribuat. Unus minorum utriusque chori a majoribus accipiat, et juxta præceptum ordinem cæteris distribuat. Hoc autem firmiter teneant, juxta apostolum, *honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII, 10), ut dantes pacem et recipientes semper inclinent, per osculum pacis designatur nostræ utilitas fidei (82). Chorus vero psallat, *Agnus Dei*, quod Sergius papa tempore confractionis corporis Domini cantare præcepit, cujus Agni immolatio mundum redemit. Quo incepto candelabra illuminentur. Agni passione illuminatus est mundus (83). Diaconus autem si casula utitur, quam sibi, ut supra diximus, circumdederat, choro, *Agnus*, bis repetente, iterum induat. Sacerdos salutato populo orationem dicat. Cui iterum salutanti populum, diaconus, *Ite*, **26** *missa*, tempore suo aut, *Benedicamus Domino*, succinat (84). Clero respondente, *Deo gratias*, officium finiat.

Missa vero, ut prædictum est, juxta sanctorum instituta Patrum hora tertia celebranda est: ipsa enim hora crucifixus Christus linguis Judæorum; secundum communem consuetudinem potius hora sexta, quia in ea passus est manibus persecutorum; tempore jejunii hora nona, quia in ea emisit spiritum. Qui autem necessitate ante Tertiam vel post Nonam non perpetue, sed desiderio sacrificandi missam celebrant, non sunt reprehendendi; legitur enim Leonem summum pontificem diluculo missam celebrasse. Missa pro defunctis absque *Gloria* et *Alleluia*, et pacis osculo celebretur. Sunt quædam ecclesiæ, in quibus exceptis depositionibus, solum per Kalendas mensium missæ festive celebrantur mortuorum. Nos vero quotidie, exceptis festis, et (85) diebus Pentecostes, pro eis Domino sacrificamus, anniversarios dies festive recolimus. Vesperas et Matutinas absque *Deus in adjutorium*, et *Domine labia*, et *Gloria Patri*, celebramus in depositionibus et festis cum novem lectionibus.

27 EXCEPTIO.

In Adventu vero et Septuagesima usque ad diem Cœnæ, et quatuor temporum Sabbatis et agendis mortuorum festivis (86), diaconus et subdiaconus induantur casulis; si autem in eisdem temporibus festivitas evenerit, dalmaticis et tunicis; similiter in die Cœnæ, et Sabbato Paschæ. In omnibus festis induantur duo ceroferarii. Graduale, *Alleluia*, vel tractum bini et bini cantabunt clerici (87). *Gloria in excelsis*, in festis excepto Adventu, et Quadragesimæ tempore, semper post *Kyrie eleison*, sacerdos ad orientem versus incipiat, quod Telesphorus papa, ea quæ angelicam prosequuntur adjiciendo, instituit; et Symmachus papa omni die Dominica, et natalitiis martyrum cantare præcepit (88); et sic altare incensando, secrete cum ministris dicendo finiat: post quæ in loco suo juxta altare resideat, et diacono licentiam sedendi tribuat. Hymnum vero præfatum chorus celebriter canendo expleat. Dicto hymno, sacerdos salutato populo orationem dicat. Ordo vero missæ supra scriptus * per totum servetur. Sed in his diebus (89), *Credo in unum Deum*, a sacerdote incœptum cantabitur, scilicet omnibus diebus Dominicis, **28** et octo diebus Paschæ, et Pentecostes, et Nativitatis Domini, et in die Epiphaniæ et Ascensionis, et in cunctis sanctæ Mariæ festis, excepta Annuntiatione, et sancti Joannis Baptistæ nativitate, omniumque apostolorum, et S. Crucis, sanctique Michaelis, et in Omnium Sanctorum festivitate, et Dedicationis ecclesiæ. Sabbato Paschæ vel Pentecostes non cantetur, neque ullis aliis festivitatibus, sed semper Evangelium salutatio sacerdotis subsequatur. Diebus omnibus, excepto jejunii tempore, sexta missam sequatur; (90) nona sua hora dicatur. In vesperis, et matutinis plures campanæ sigillatim sonent; postremo ut in missa duæ, et sic incipiantur vesperæ. Unusquisque psalmus cum antiphona cantetur (91), quos capitulum, dehinc hymnus sequatur, qui nunquam prætermittatur. Et (92) feriales hymni, nisi in festis et diebus Pentecostes, semper cantentur. Dicto versu, *Magnificat*, cum antiphona cantetur, et cum (93) *Kyrie eleison*, et oratione Dominica, flexis genibus, precibus finiant: et non solum vesperæ, sed omnes noctis et diei horæ, exceptis Pentecostes et festivis diebus. Sacerdos cum cæteris se peccatorem cognoscens

Digitized by Google

genuflectat. Quia vero vicem Christi gerit, dum 29 ad orationem venerit, surgat et orationem stando dicat. Stare vero pugnantis est : pugnat ergo sacerdos Christi orationibus contra hostem antiquum pro populo sibi commisso. Si autem alicujus sancti evenerit festivitas, oratio tantum sine precibus sufficiat. Et si festum trium lectionum fuerit, in matutinis invitatorium et (94) hymnus de sancto cantetur, nocturna tota dicatur, versus de sancto cum responsoriis, et matutinæ laudes cum hymno absque precibus celebrentur.; lectiones vero de historia legantur. Missa vero, si denotatum libris officialibus officium habuerit, de sancto erit; sin autem, Dominicalis cantabitur; oratio vero, et *Alleluia*, de sancto dicatur.

Ab Adventu usque ad Nativitatem in conventu B memoria tantum S. Mariæ virginis, omniumque sanctorum celebretur. A Nativitate usque ad octavam Epiphaniæ tantum sanctæ Mariæ. Ab octava Epiphaniæ usque ad caput jejunii (95) memoria sanctæ Mariæ, angelorum, Joannis Baptistæ, sancti Petri, Joannis evangelistæ, sanctorumque apostolorum et beati Stephani, omnium martyrum, S. Martini, omniumque confessorum, sanctarum virginum, omniumque sanctorum in vesperis 30 et matutinis semper recolatur. (96) In missa vero, exceptis festis, secunda oratio de omnibus sanctis; tertia pro episcopo; quarta pro cunctis sibi commissis; (97) quinta pro principe et omni populo. In missa pro defunctis, prima omnium defunctorum; secunda episcoporum; tertia fratrum et sororum; C quarta pro commissis. Ab octavis Pentecostes usque ad Adventum Domini hæc eadem memoria cum sanctæ Crucis veneratione celebrabitur. In his ergo temporibus, (98) si in Dominicis festivitas novem lectionum alicujus sancti evenerit, vesperæ, et matutinæ, et missa de sancto celebrabuntur. Vesperæ etiam ipsius sancti de sancto finientur; et si in die Dominica festivitas trium lectionum evenerit, unde officium, vel passio habeatur, invitatorium et hymnus de sancto dicetur; sex lectiones cum totidem responsoriis de historia legentur; post tertium nocturnum, versu de sancto dicto, Evangelium de eodem pronuntietur, et aliæ lectiones cum matutinis laudibus de sancto celebrabuntur; si autem proprium officium defuerit, Dominicalis missa cantabitur; oratio vero et *Alleluia* de sancto celebrabitur. Si novem lectionem evenerit, totum officium de sancto complebitur. Ab Adventu ergo usque ad Nativitatem, 31 et a Septuagesima usque ad Pentecosten, si festum novem lectionum in Dominicis evenerit, officium noctis et diei nunquam mutabitur; festivitas vero in crastinum celebranda reservabitur. Sancti vero de quo tres tantum lectiones celebrantur, si festum in ipsa die evenerit, memoria tantum de eo fiat. A Paschate usque ad octavam Pentecostes memoria tantum sanctæ Crucis, et S. Mariæ, et Omnium Sanctorum, in vesperis, et matutinis fiat. Agenda mortuorum sic per totum annum celebretur, excepto a Pascha usque ad Pente- A costen, et a Nativitate usque ad octavam Epiphaniæ et omnibus festis, ut a Kalendis Novembris usque ad caput jejunii vesperæ tantum dicantur post vesperas diei, post matutinas laudes vigilia mortuorum cum matutinis laudibus eorum; (99) a capite jejunii usque ad Kalendas Novembris, vesperæ et vigiliæ mortuorum post vesperas diei, post matutinum laudes pro defunctis: quod officium post matutinas laudes in quarta feria passionis Domini finiatur. Ibi vero (100) cum novem lectionibus festive celebretur, quia non amplius usque in octavam Pentecostes dicetur. Hoc idem fiat in vigilia Nativitatis Dominicæ : non enim amplius celebrabitur usque ad octavam Epiphaniæ.

32 Prima Dominica Adventus Domini, Sabbato B in vesperis responsorium : *Ecce dies veniunt*, dicetur (101) quod altero præcedente Sabbato in pronuntiatione Adventus Domini, a duobus cleris cappis indutis primitus celeberrime cantabitur. Quod in isto quidem Sabbato adventus hymnus *Conditor alme*, subsequitur. Capitulum vero, et versus, et antiphona de Adventu dicantur. Ab hac hora usque ad octavam Paschæ (102) processio ad crucifixum nulla fiat. Matutinæ cum proprio invitatorio, hymnis, et responsoriis, et antiphonis festive celebrentur. Matutinum cum propheticis sex antiphonis, et tribus ultimis apostolicis per diversa nocturna dicatur. In primo nocturno liber Isaiæ incipiatur, qui per totum Adventum usque ad Nativitatem legatur; sed in secundis nocturnis de sermonibus Patrum, in tertiis de expositionibus Evangeliorum : similiter in quarta et sexta feriis, et Sabbato temporalis jejunii. et vigilia Nativitatis Domini. Si festivitas in Dominicis his evenerit, ut supra dixitus, in crastino celebranda reservetur. In his Dominicis, et in his quæ sunt a Septuagesima usque in Pascha, *Te Deum laudamus*, non cantabitur; sed ejus loco nonum responsorium repetetur. Ordo ferialium dierum, ut 33 ut supra notavimus, servetur. In Dominicis finita prima processio sic fiat, ut tantum a crucifixo divertat, in qua antiphonæ Adventus processionales, aut aliqua responsoria cantentur.

DE DOMINI NATIVITATE.

Solemnitas Nativitatis Domini ita celebretur. (103) D A duobus cantoribus cappatis chorus regatur : (104) a quibus, dicto capitulo, responsorium, *O Juda*, celebriter decantetur. Hymno dicto; *Veni redemptor*, antiphona cum trina repetitione super *Magnificat*, cantetur : duobus thuribulis altare incensetur. Ad matutinum (105) omnes campanæ prima noctis vigilia pulsentur; deinde binæ et binæ consonando consequentur. (106) Invitatorium a quatuor clericis cantetur; hymnus sequatur. Chorum ut in vesperis duo regant. Omnia responsoria cantent bini et bini, (107) tertium, sextum, nonum cappis induti; (108) in secundo, quinto et octavo, et ad *Te Deum laudamus*, sed et ad *Benedictus*, altare incensetur. (109) Lectiones primi nocturni de prophetis erunt, secundi de sermonibus Patrum, tertii de exposi-

Digitized by Google

tione Evangeliorum. (110) Tria Evangelia in cappis, incenso, et candelabris præcedentibus, **34** pronuntientur. Finito nono responsorio, (111) major ecclesiæ sacerdos, si fuerit, dalmatica indutus et casula procedat, et Evangelium genealogiæ Christi secundum Matthæum festive legat; quo lecto, *Te Deum laudamus*, alta voce incipiat, et post (112) clerus et populus, brevi mora intercedente, lavatum exeat. Deinde clerici sacris vestibus induti (113) missam celebrent cum laudibus, et sequentia, quam (114) secretarius ecclesiæ celebret, secundam vero cantor, tertiam præsul aut decanus. Ideo in nocte angelis missam cantare Telesphorus papa instituit, quia in ea natus est Salvator mundi, et quia seipsum erat oblaturus hostiam sanctam pro totius mundi salute, et in ea partum Virginis, in ejus laude *Gloria in excelsis Deo*, cantantes, nuntiaverunt pastoribus angeli. Qua peracta, matutinas laudes compleant. Quibus completis (115) cantor antiphonam, *Ecce completa sunt*, incipiat; cui oratio congruens commemorationis sanctæ Mariæ succedat. (116) Incipiente diluculo altera missa eodem modo celebretur, ut prima. Lucis vero exordio altera canitur, quia, juxta Isaiæ vaticinium, ipsa die lux orta est nova populis sedentibus in tenebris (*Isa.* IX, 2), seu propter visitationem pastorum ad præsepe Domini, *in* quo invenerunt panem angelorum, **35** quo *reficiuntur* animæ sanctorum. Post tertiam vero semper in Natali Domini fiat processio, quæ ut fuerit finita, major missa celebretur. (117) In vesperis hymnus : *A solis ortus*, ut in matutinis laudibus canatur : cui responsorium, *Verbum caro*, præponatur. Finitis his vesperis, (118) diaconi diaconalibus vestibus induti procedant cum cereis, canentes aliquod responsorium de sancto Stephano, cujus natalis oritur celebratio. Subsequatur antiphona cum *Gloria Patri*, et oratione dicta compleatur vespertina synaxis. (119) In matutinis ut præcedenti nocte pulsentur campanæ. A quatuor diaconis cappatis cantetur invitatorium, conservato cætero præcedentis noctis ordine in lectionibus et responsoriis, et cantorum numero. Tria tamen responsoria non cantentur in cappis. Evangelium pronuntiet diaconus dalmaticatus, thymiamaterio et cereis præcedentibus. Duo diaconi in dalmaticis chorum regant, qui, altare incensando, *Te Deum* incipiant. Ante nocturnum, et in laudibus cantentur hymni præsenti festo congrui; *ad Benedictus*, antiphona ter repetatur. Missa in cappis celebretur. Qui chorum regent, et graduale vel *Alleluia* cantabunt · sed et Epistolam vel Evangelium legent, utantur dalmaticis. **36** Finitis diaconalibus vesperis, recolatur (120) cum antiphona et *Gloria Patri*, memoria Nativitatis.

(121) Deinceps procedentibus sacerdotibus cum casulis et cereis, cantando responsorium *In medio ecclesiæ*, cum quadam antiphona et oratione, officium finiatur. Matutinale officium ut prioribus duabus noctibus per omnia a presbyteris tamen est agendum. Missa diluculo matutinalis celebretur, ut authentico Missali demonstratur; et similiter in nativitate sancti Joannis Baptistæ : uterque enim ab exordio lucis seipsos obtulerunt Deo sacrificium, virginitatis evangelista, abstinentiæ Baptista. Major missa in cappis, cujus officiales, qui sunt (122) sacerdotes, utantur casulis. Vesperis ut supra finitis, finitur sacerdotale officium.

(123) Incipiente officio infantum, in omnibus, ut a diaconis in suo, agendum, licet, ut in morte Domini, *Te Deum*, et *Gloria in excelsis*, et *Alleluia*, in aliquot ecclesiis ex more antiquo omittatur; quia ut Christus occideretur, tot parvuli occidi jubentur; et illis occisis fit mors Christi secundum æstimationem Herodis : tamen quia placuit modernis, placet et nobis ut cantentur. Subdiaconi et diaconi tunicis et **37** dalmaticis utantur, quamvis apud quasdam Ecclesias hac die [*f. add.* usus] casularum habeatur.

(124) In festo sancti Silvestri sex primæ lectiones de sancto, tres ultimæ de nativitate; missa matutinalis de sancto; major, nativitatis. Cæteris vero diebus usque ad octavum a duobus clericis in cappis cantetur invitatorium. Novem psalmi cum totidem antiphonis; (125) lectiones tres cum tribus responsoriis a binis et binis concinendis. *Te Deum laudamus* cantetur; et missæ officium (126) cum laudibus et sequentia est agendum. Octavæ sancti Stephani, ut festum Dominicale; (127) sancti Joannis, ut festum apostoli; Innocentium, ut dies Dominicalis. (128) Dies Circumcisionis, qui est octavus nativitatis, celebretur ut festum sancti Joannis, exceptis casulis et missa matutinali. Ideo præcipuæ festivitates octo diebus coluntur, quia sex ætatibus vergitur mundus; septima ætas est usque ad universalem resurrectionem requies animarum sanctarum; octava, regnum Dei post resurrectionem sempiternam : et ideo octava dies agitur celebrior, quia in ipso regno Christi gloria erit sempiterna, et ineffabilis exsultatio. Et iterum dum sanctorum festa celebramus, in die solemnitatis eorum animarum requiei **38** congaudemus, in octavo eorum in gloria resurrectioni.

(129) Dies Epiphaniæ ut dies Nativitatis celebretur (130) absque invitatorio. Lectiones primi nocturni de prophetis erunt; secundi, de sermonibus Patrum; tertii, de expositione Evangeliorum. Invitatorium quidem in die Epiphaniæ prædecessores nostros arbitror non dixisse, ideo quod per prætermissionem invitationis ab Herodianis operibus discrepare videntur; qui ea die ad hoc Scribarum et Pharisæorum fecit invitationem, ut Dominus noster Jesus Christus ab eisdem investigatus, perfide necaretur; sed (131) non omnino omittitur quin in ordine psalmorum recitetur. Sæpe enim Christus a pia Virgine matre, ac beato Joseph cæterisque suis ubique fidelibus, licet non palam propter persequentium rabiem, tamen occulte colebatur. *Deus noster refugium*, et sequentes psalmos cum antiphonis al-

Digitized by Google

lelujaticis in tertia nocturna cum responsoriis baptisterii ideo dicimus, quia in tertio tempore, scilicet gratiæ, venit Christus. Finito nono responsorio, (132) sacerdos dalmaticatus et casulatus procedat, et Evangelium genealogiæ Christi secundum Lucam solemniter legat. In Nativitate Domini ejus generatio ab Abraham **39** patre fidei et obedientiæ, usque ad Joseph virum Mariæ, quæ Christum fide concepit et peperit, descendendo contexta legitur. Christus enim fideles quærens de sede majestatis ad ima descendit, Patrique usque ad mortem obediendo, qui perierant redemit. In baptismo vero ejus, ipsius generatio ab Heli filio adoptivo usque ad Adam, qui gloriam primum sibi concessam peccando amisit, septuaginta septem generationibus ascendendo contexta legitur. Septuaginta enim septem undenario numero septies dicto colliguntur. Per undecim vero, quod est Decalogi transgressio, peccata, et per septenarium septem dona sancti Spiritus exprimuntur : per quæ, originali peccato, quod ab Adam contraximus, cæterisque omnibus in baptismate deletis, filii Dei adoptivi efficimur, sicque bona operando, fide et obedientia ad eamdem gloriam, quam Adam plasmatus accepit, pervenimus. Deinde (133) stellæ officium incipiat. Processio autem ut in die Nativitatis semper eadem die fiat. Reliquis diebus usque ad octavum, officium diurnum et nocturnum (134) absque *Te Deum laudamus* et *Gloria in excelsis*, compleatur. Octavus dies in cappis, ut festum apostoli celebretur. In crastino festum **40** sancti Remigii, Hilarii et Felicis celebretur.

Transactis festis, in Dominicis usque ad Septuagesimam processio ita fiat ut ad crucifixum divertat. Antiphonæ processionales, vel responsoria ejus temporis cantentur, quæ ante chorum finiantur. (135) Introeuntibus chorum, cantor antiphonam aut responsorium incipiat de sancto, cujus est ecclesia. Dominicalibus et ferialibus noctibus Epistolæ Pauli legantur ; responsoria de psalmis cantentur ; exceptis autem Dominicis et festivis, preces et agenda mortuorum agantur. Quia vero dies inter Circumcisionem et Epiphaniam exponere prætermisimus, hoc in loco interserere commodum arbitramur. In crastino Circumcisionis Domini celebramus octavum sancti Stephani more Dominicali ; in tertia die, sancti Joannis, ut festum apostoli ; in quarta, sanctorum Innocentium, ut sancti Stephani. (136) Vigilia vero Epiphaniæ, quam plebes diverse colunt, (alii enim jejunant, et alii prandent) nobis jejunandum congruum videtur : nullam enim celsitudinem reverentiæ hujus diei reperimus, quam in omnibus diebus Purificationis sanctæ Mariæ (137) in quibus per aliquot dies jejunamus. Et quia tanta solemnitas **41** nobis imminet, in qua se tota Trinitas mundo manifestavit, oportet nos purificari. Simplex vero jejunium cum bonorum operum fructu vera est purificatio mentis.

Dies vero Purificationis sanctæ Mariæ festive, ut

A As umptionis, celebretur, exceptis vigilia et octavis processio ita fiat, ut cereis et candelabris positis in altera, si fuerit, ecclesia, (138) ad eam clerus et populus antiphonam : *Ave gratia*, cantando religiose pergant, ibique candelas ab episcopo vel sacerdote sacratas [*id est*, benedictas] accipiant. Quibus accensis, cantor antiphonam, *Lumen ad revelationem*, incipiat ; qua finita, *Adorna thalamum*, cantantes, ad matrem ecclesiam per claustrum, aut in circuitu ecclesiæ redeant. Deinde responsorium, *Accepit*, cantantes, ante chorum finiant ; (139) versus sequatur a duobus clericis cantatus : post repetendo antiphonam chorum intrent, et sic missam cum laudibus et sequentia festive celebrent. Si autem festivitas ipsa evenerit infra Septuagesimam, pro *Alle-*
B *luia*, tractus dicatur : sequentia vero sine *Alleluia*, subsequatur. In Hypapanti, quæ dicitur *præsentatio Domini*, lumen Domino præsentamus, quia in eadem die Christus lumen sempiternum a beato **42** Simeone in templo præsentatur, per lumen in manibus bona opera designantur.

Dominica Septuagesimæ ita celebretur, ut in (140) præcedente Sabbato ad vesperas vice hymni cantetur sequentia : *Cantemus cuncti melodum*. In matutinis (141) invitatorium alleluiaticum ; psalmi cum suis antiphonis et responsoriis suis cantentur. (142) In primo nocturno heptaticum incipiatur quod usque ad primam Dominicam Dominicæ passionis legatur : ita tamen ut in Dominicis tres primæ lectiones de eo legantur, in secundo nocturno tres de sermonibus
C Patrum, in tertio de expositione Evangeliorum. In Septuagesima, *Te Deum laudamus*, celebrato, (143) matutinæ laudes cum alleluiaticis antiphonis et hymno finiantur. A Septuagesima usque in Pascha (144) in matutinis per Dominicas noctes duo psalmi mutantur : *Miserere mei, Deus*, et *Confitemini Domino*. Peccata enim nostra plangere oportet, *Miserere mei, Deus*, dicendo. Quibus vero cordis planctu deletis, charitatis fiducia accensi debemus laudare Dominum, et invicem hortari Domino confiteri quoniam bonus est. In prima vero in loco *Confitemini*, *Dominus regnavit*. Post matutinum commemoratio sanctæ Mariæ, omniumque sanctorum item cum alleluiaticis **43** antiphonis tantum fiat.
D (145) Post *Benedicamus* cum *Alleluia* pronuntietur, nec ultra ad Sabbatum Paschæ audiatur, sed in ejus loco *Laus tibi, Domine*, et in missa tractus cantetur. Quod ab ipsa die, *Te Deum* et *Gloria in excelsis*, et *Alleluia*, usque ad Pascha intermittitur, et in loco *Alleluia*, quod Hebraicum cæteris linguis celsius, *Laus tibi, Domine*, quod humilius est, dicimus, (Græca enim et Latina, cæteræque linguæ ad comparationem Hebraicæ pauperes vocantur) afflictio, quam in his septuaginta diebus contritione et humilitate cordis pro peccatis nostris exercere debemus, qua vera libertate adepta ad hæreditatem cœlestis patriæ redire mereamur, designatur. Tot enim annorum tempore plebs Israelitica delictorum pœnitentia in captivitate peracta, ad propria rediisse

Digitized by Google

describitur. (146) Septuaginta enim dies a Dominica quæ Septuagesima dicitur, usque ad diem Sabbati post Pascha computantur. Licet enim in Pascha jugum servitutis nostræ Christi morte deletum sit, tamen non perfectam libertatem usque ad verum Sabbatismum, per quod sempiterna requies designatur, consequemur. Dum enim in hoc corpore subsistimus, multis carnis voluptatibus et sæculi curis aggravamur. Quod per **44** sex dies Paschæ, in quibus graduale et *Alleluia* cantamus, figuratur. Per graduale enim, ut prætulimus, actualis bonorum operum vita; per *Alleluia*, æterna animarum gloria bono opere acquisita. Post quam vero ad præfatum Sabbatismum, quod per hoc, in quo absque responsorio duo *Alleluia* cantantur, designatur, perveniemus regnum Dei, in quo duplicem. scilicet corporis et animæ gloriam possidebimus, et perfecta libertate acquisita, in cœlesti Jerusalem, omni servitute et operis onere deposito, cum Christo rege nostro, in ejus laudibus semper vacantes. perpetualiter regnabimus. (147) Ipsa die in processione, *Ecce charissimi*, vel aliæ [*f. add.* antiphonæ] congruentes huic tempori cantentur, et in aliis Dominicis usque ad diem Quadragesimæ. Hi ergo dies usque ad caput jejunii, ut præcedentes, excepto *Alleluia*, celebrentur. Ad vesperas responsorium, *Spes mea*, cantetur. Sexagesima in tertia feria paschalis hebdomadæ finitur. Habet vero ipsa quarta feria quamdam convenientiam cum quarta ætate mundi in qua David et Salomon nobilissimi reges regnaverunt, per quos Christus rex pacificus designatur. Ipsa ætas gloriosa sanctissimi templi ædificatione designatur. In hac Christus resurgens ex **45** mortuis, ex duobus populis unum nobilissimum Deo Patri templum ædificavit. Per Sexagesimam afflictio et pœnitentia exprimitur. Sexaginta enim [*f. add.* dies] ad viduas, quarum vita in tribulatione consistit, referuntur. In tribulatione et afflictione carnis nostræ peccata nostra pœnitere debemus, ut omni sorde peccatorum expiati, et mentis puritate sanctisque operibus ornati, unum in Christo templum efficiamur. Quinquagesima in die Paschæ finitur: et ipse est quinquagesimus, quem mystice quondam figurabat quinquagesimus, scilicet jubilæus, remissionis et libertatis annus. In hac enim die, hoste Christi morte triumphato, ab ejus servitute populus Christi est ereptus et veræ libertati redditus. Quicunque ergo post baptismum obsequendo vitiis, se diabolicæ iterum subdidit potestati, cordis contritione et carnis maceratione commissa deleat, et Decalogum quinque sensibus servare studeat, ut in die sanctæ resurrectionis hostili servituti ereptus perfectam libertatem consequi mereatur. De Quadragesima a die Dominica post Quinquagesimam Cœnæ finitur. Hæc vero diversos in se continet sensus. Primum quia juxta Moysi et Eliæ [*f.*, *add.* exemplum], id est, legis, prophetarum (*Exod.* XXIV, 34; *III Reg.* XIX), et Jesu Christi redemptoris nostri instructionem **46** sectantes, quidquid corporis nostri quatuor elementis subsistentis cogitatione et actu contra Decalogum contraximus, quotidiana afflictione emendemus. Tot enim diebus secundum physiologos humanum corpus intra matris uterum adita nativitatis die compaginatur. Tot enim [*f.*, dierum] circulo, carnem nostram macerando et bona operando, oportet nos unum corpus compaginari cum Christo. Quod autem juxta Gregorium (*homil.* 16 *de temp.*) triginta sex dies jejunii in se continent sex hebdomadæ, demonstrat [*f.*, *add.* nos] decimas dierum anni debere cordis contritione et carnis maceratione Deo immolare. Post tempus vero beati Gregorii ad complendum numerum Dominici jejunii (148) quatuor dies a sanctis Patribus sunt additi. Quod vero a capite jejunii usque ad Pascha inter Dominicales et feriales quadraginta et sex dies abstinentiæ computantur, significat nos debere tot diebus templum Christi vitiorum impetu in nobis destructum, bonis operibus nos excolendo, restaurare, quot diebus templum Domini a Babyloniis destructum, a populo Dei restauratum esse perhibetur: quadraginta enim et sex annis reædificatum est templum. Per Babylonios vitia exprimuntur. In capite jejunii (149) legantur **47** sermones Patrum, a capite jejunii usque ad diem Cœnæ, ita, exceptis Dominicis, servetur. Post matutinas laudes (150), laudes mortuorum tantum celebrentur. Quibus finitis (151) septem psalmi, cum litania et orationibus, prostratis fratribus, decantentur. Post tertiam vero missa pro defunctis, post nonam missa celebretur diei. (152) Prima vero post solis ortum cantetur. Capitulum post tertiam reservetur, quod missa matutinalis sequatur: et mox (153) sexta dicta parvum intervallum fiat. Nona hora sua dicatur, quam missa diei sequatur, (154) qua finita vesperæ mortuorum dicantur; quas sine intervallo subsequatur vespertinale diei officium. Ante completorium, significante campana fratres in ecclesia congregentur; (155) vigilia mortuorum agatur; deinde (156) lectio collationis recitetur. Iterum pulsante signo completorium dicatur. Unamquamque horam diei sequatur pro fratribus unus de istis psalmis: *Ad Dominum cum tribularer; Levavi; Lætatus sum; Ad te levavi; Nisi quia Dominus; Qui confidunt; In convertendo;* pro defunctis semper *De profundis.* (157) In omnibus horarum precibus semper *Miserere mei, Deus*, cui si placet (158) unum psalterium psalmorum subjungatur. In vesperis **48** et matutinis nulla sanctorum commemoratio fiat; sed in ejus loco (159) dicatur pro peccatis, scilicet in matutinis: *Vivo ego, dicit Dominus*, et oratio: *Exaudi, Domine, supplicum preces*; in vesperis antiphona: *Quis scit si convertatur*, quam oratio: *Preces nostras*, subsequatur, nisi tantum (160) in vesperis Sabbati et matutinis, vel missa Dominicæ diei, in quibus est sanctorum agenda memoria, quorum festa in præterita evenerint hebdomada, secundum Laodicensis concilii decreta (can. 49) quæ cum aliis quampluribus statuunt aliter in Quadragesima nullius sancti recolere festa. Sanctæ

Digitized by Google

Dei Genitricis annuntiationem licet Toletana concilia (x, c. 1) hoc tempore celebrari prohibeant, sed anticipandam octava ante Nativitatem Domini die decernant. Tamen absque vestræ prudenti sagacitatis censura non audemus huic observationi inserere.

In capite jejunii nona dicta clerus et populus ante altare, ab unoquoque confessione singulariter facta, et pœnitentia accepta, prosternantur, et sic ab episcopo vel a majore ecclesiæ sacerdote absolvantur. Post (161) incipiente episcopo antiphonam *Immutemur*, (162) cinerem cum aqua benedicta tribuat, et sic cum antiphonis vel responsoriis afflictioni congruis ad quamdam **49** ecclesiam vel oratorium pergant : ubi dum pervenerint, finitis antiphonis, terræ se cuncti prosternant, et orationem Dominicam dicant. Sed (163) ante processionem (164) pœnitentes ejiciantur. Sicque *Miserere mei, Deus*, cum precibus et oratione finiantur [*f.*, finiant].

Hic surgentes duo pueri litaniam incipiant. Hic ordo usque ad diem Palmarum quartis et sextis feriis servetur. In sequenti Sabbato, vel Ramis palmarum, quibus officia desunt, non hesternæ feriæ, sed officium præcedentis Dominicæ celebretur. Primis duabus Quadragesimæ hebdomadis, (165) hymni in vesperis *Ex more docti mystico* in nocturnis et laudibus *Summi largitor*, et *Audi benigne*, cantentur. In aliis duabus, *Ecce tempus*, *Clarum decus*, *Jesu quadragenariæ*. Aliis duabus, *Vexilla Regis*, *Pange lingua*, *Lustra sex*. Ultimis hebdomadis omnes horæ diei cantentur cum responsoriis ibidem denotatis. A prima Dominica passionis usque ad diem Paschæ legatur liber Jeremiæ prophetæ, Dominicis diebus tantum in primo nocturno. In quo tempore in introitu, neque in tertiis responsoriis in fine, *Gloria Patri*, dicatur, sed ejus loco responsorium repetatur. Antiphonæ processionales : *Cum sederit, Christe, Pater, In die cum venerimus*, in Dominicis **50** quadragesimalibus ad processionem cantentur. In quarta feria quartæ hebdomadæ, varietas fit (166) per adjectionem unius lectionis et unius responsorii ; ipsa enim die scrutinium fit, in quo fide et moribus instruuntur catechumeni. Ob hoc (167) traditur eis oratio Dominica, et symbolum, quod in sancto Sabbato Paschæ debent reddere. (168) In Sabbato quod Palmas præcedit, episcopum aut majorem ecclesiæ pedes pauperum lavare ecclesiasticus ordo præcepit, et fratrum unumquemque, si potest, unius pauperis; ipsa enim die lacrymis Maria lavit pedes Domini, et quod ipsa fecit in capite, nos in membris debemus facere. Ipsa ergo die quandoquidem officium vacat, cantetur officium Dominicæ non hesternæ. Per duas hebdomadas passio Domini celebratur, id est per duo tempora : primum per Noe figuratur, et post per Christum completur; et per duo tempora, scilicet legis naturalis et legis litteræ, justi licet bona promererentur, usque ad tempus gratiæ cruciabantur, morte enim Christi tempus gratiæ inchoavit. Dies palmarum ita celebretur. (169) Post tertiam clerici cum ramis palmarum ad processionem pergant, qua finita officium festive celebretur. Tractum **51** quatuor clerici in cappis cantent. Passio Domini ipsa die, et tertia, et quarta feria, et sexta in omnibus ecclesiis legatur, et in omnibus passionibus, excepta sextæ feriæ (170), *Dominus vobiscum* dicatur, *Et cum spiritu* respondeatur ; sed cum dicit diaconus *Passio Domini*, nemo respondeat *Gloria tibi, Domine*. Ob hoc ergo ipsa die passio legitur, quia in ea Jerosolymam venit propria voluntate passurus. Decima enim die primi mensis agnus qui immolandus erat in pascha, in veteri lege jussus est domum introduci, id est, quinto die ante diem passionis. In quarta feria lectio legatur, quam responsorium sequatur, secundam lectionem tractus. His duabus lectionibus, dupla mors primi parentis, quæ simpla Christi morte deleta est, significatur : quod hac die, quia in ea mors Christi consilio Judæorum tractata est, recolitur. Per quinque versus tractus, quinque sensuum prævaricationis redemptio figuratur, et in passione quo citius *Velum templi scissum est* dicetur, (171) cortina ante altare deponatur. Ipsa die vesperæ mortuorum et vigilia non dicantur ; sed in vesperis ipsa die, ut in festis, (172) omnes pulsentur campanæ ob reverentiam Dominicæ cœnæ, et vesperæ festive celebrentur. Post completorium **52** usque ad Sabbatum Paschæ non dicatur *Gloria Patri*.

In quinta feria in nocturnis primitus campanæ sigillatim post (173) omnes simul pulsentur. Ante quidem viginti quatuor candelæ a retro altare incendantur, quæ secundum psalmos ac lectiones exstinguantur. In primo nocturno, lectiones de Jeremiæ lamentationibus legantur; in secundo de expositione psalmi : *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor;* (174) in tertio Evangelii expositio. Incipiente cantore antiphonam *Traditor autem*, (175) quæ etiam sola remansit candela exstinguatur, et *Benedictus* alta voce cantetur ; quo finito, duo clerici, stantes retro altare, *Kyrie eleison* incipiant, quod ter alta voce pronuntient : duo alii in medio, in introitu chori sint alii duo. Et finita prima trina *Kyrie eleison* repetitione, mediis nihil dicentibus, ultimi, dulci voce. *Domine, miserere* respondeant. Chorus *Christus Dominus* usque ad finem succinat. Item bini *Christe eleison* una vice dicant, medii *Qui passurus advenisti* respondeant. Item alia vice primi *Christe eleison*, medii vero *Qui expansis in cruce*. Item *Kyrie* primi medii dicant : *Qui prophetice prompsisti;* ultimi et chorus quod primum. Item primi ter **53** simul *Kyrie eleison*, nihil respondentibus mediis ; ultimi et chorus quod primum. Eodem modo celebrentur matutinæ cum suis lectionibus et responsoriis in die parasceves, et sancto Sabbato Paschæ. Ex quo vero ultima candela ad *Benedictus* exstinguitur, lumen in ecclesia usque post ignis benedictionem non accendatur. In die cœnæ psalmi in omnibus horis, absque comple-

Digitized by Google

torio, (176) alta voce et cum tono cantentur. In tertia, et sexta, et nona, psalmos suum responsorium sequatur : et (177) dicto versu ab aliquo puero, cum silentio fiant omnia quæ sequuntur. Ipso die hora sexta populus ad ecclesiam conveniat. Si episcopus fuerit, (178) convocatio pœnitentium, et absolutio, chrismatis et olei consecratio, juxta episcopalem ritum ordinetur : ubi vero defuerit, in primis (179) tam clerus quam populus prostrati in terra cum lacrymis et gemitu absolutionem criminum a majori sacerdote accipiant : et post cum processione in porticum, *Miserere mei, Deus*, dicendo, ad novum ignem de petra excussum pergant, quem cum aqua benedicta ac incenso benedicant. (180) Quod in his tribus diebus novus ignis de petra excussus in ecclesia accenditur, et inde per cæteras domos **54** Christianorum delertur, lux deitatis, quæ in carne Salvatoris latuerat usque ad passionem, et per passionem ac resurrectionem in ecclesia, id est in cordibus fidelium resplenduit, et post, eisdem novam doctrinam evangelizantibus, mundo insonuit, mystice ostenditur ; quod in hasta fertur, Christus in cruce suspensus ; quod in serpente, idem Christus, qui per serpentem in eremo figuratur. Mox ignem accipiat sacerdos in hasta cum cereo, revertaturque ad altare, psalmum *Dominus illuminatio* cantando. Sonantibus cunctis campanis officium inchoetur, et indutis duobus cantoribus cappis, diacono dalmatica, subdiacono tunica, festive celebretur. (181) Si episcopus fuerit, *Gloria in excelsis* cantetur ; sin autem, non. In hac vero die olei consecratio celebratur, et pœnitentibus absolutio tribuitur. Quinta enim ætate venit ad nos Christus, oleo lætitiæ præ participibus suis unctus, quærere sibi cohæredes, quos eadem unctione unctos, regni sui faceret consortes : quod facere eum posse nulli dubium est absque oleo, qui cuncta creavit ex nihilo. Sed quia juxta Apostolum (*Hebr.* xi, 3) ex visibilibus invisibilia intelligantur, per arborem oleæ, quæ pacis insigne vocatur, et fructum fert, cujus **55** pinguedine lassi et infirmi reçreantur, et luminis gratia paratur, mysterium geri disposuit, quo peccatorum vulnere sauciati et virtutum robore debilitati, saluti æternæ restituerentur, et, fugatis peccatorum tenebris, veram in cordibus pacem ferentes, fidei lumine illuminarentur. Ipsa enim die, veteri legi, quæ peccata puniebat, finem dedit, et primum sacrificium corporis et sanguinis sui, quo peccata solvuntur, instituit. Altaria etiam nudantur, quia comprehenso Christo, qui per altare figuratur, *discipuli relicto eo fugerunt* (*Matth.* xxvi, 56), et timore perculsi triduo latuerunt. Quod vero ab ipsa die (182) usque missam noctis Dominicæ, non fit sacramentorum consecratio, observatur juxta illud quod Dominus ait : *Non bibam de hoc genimine vitis, usque dum bibam illud novum in regno meo* (*Matth.* xxvi, 29). Regnum Christi fuit gloria suæ resurrectionis : et ipsa die manducavit coram discipulis suis. Significatur etiam quod isto biduo non celebratur sacrificium, biduana mœroris afflictio, et jejunium apostolorum. *Agnus Dei* non dicatur ; pax non accipiatur : quod etiam sexta feria servetur, falso enim pacis osculo traditur. In loco *Agnus Dei* communio *Dominus Jesus* cantetur. Quo finito (183) sacerdos, manibus tenens **56** calicem, antiphonam *Calicem salutaris* incipiat. Hic sonent omnes campanæ, quæ non amplius pulsentur, usque ad *Gloria in excelsis*, in Sabbato sancto Paschæ : sed (184) loco earum percutiantur tabulæ ; et (185) sex psalmi sequantur, scilicet : *Credidi, Ad Dominum, Eripe me ; Domine, clamavi ; Voce mea, Benedictus*, cum antiphonis suis. His finitis, sacerdos *Cœnantibus* incipiat, et dum *Magnificat* cantatur, altare incensetur, et sic vesperæ communionis oratione fiantur. (186) Ipsa die plures hostiæ consecrentur, quibus clerus et populus communicetur ; (187) et medietas hostiarum absque vino in crastino reservetur, unde (188) iterum communicentur. Ipsæ vero hostiæ a sacerdote et ministris altaris indutis, cum processione, scilicet cum cereis et incenso, super quoddam altare honorifice deportentur, ubi cum nitidissimis linteaminibus optime recondantur. Ibi semper lumen usque ad ultimæ candelæ exstinctionem in matutinis ardeat.

Post prandium autem iterum ad ecclesiam omnes conveniant, (189) nudantes altaria, cantantes aliquod responsorium, de vino et aqua benedicta abluant, (190) sola aqua parietes et pavimenta. Per ecclesiam quæ aqua benedicta abluitur mentes **57** fidelium, qui sacra confessione et lacrymarum inundantia mundari debent, designantur. Ait enim Apostolus : *Templum Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* iii, 17). Per ablutionem pedum, humanorum mundatio affectuum. Quo acto (191), in quadam domo conveniant, et Dominico exemplo mandatum faciant. Majores vero, linteis præcincti, *Cum Dominus Jesus* incipientes, cæterorum pedes lavent, et lintels tergant, cantantes antiphonas quæ ibi pertinent. Similiter aquam manibus subministrent cum manutergiis. Hoc idem ab uno cæterorum et majoribus fiat. Quo finito, diaconus cum processione, dalmatica, cæterisque vestimentis indutus, cum cereis et incenso accedat, et evangelium *Ante diem festum* voce quidem lectionis legat. Quo lecto, diaconus taceat, et ita cum eadem processione ad portandam charitatem (192) in refectorium pergant ; et iterum diaconus evangelium ubi dimisit incipiat, et usque ad passionem perlegat. (193) Unicuique fratrum vel episcopus, vel decanus, phialam vini exhibeat. Quo expleto, ipse et diaconus, et cæteri ministri resideant, et completorium cum silentio dicant. (194) Mandatum pauperum mandatum fratrum præcedat, quod nullomodo prætermittatur, **58** et charitas eis juxta posse impendatur. In his tribus diebus omnis doctrina pastoris, scilicet : *Domine, labia mea aperies*, et *Deus in adjutorium*, silebit. Recessit pastor noster Christus, arietes gregis jam pastores Eccle-

Digitized by Google

siæ prædestinati disperguntur. Grex Christi timore perculsus plebeio more Dominum suum veneratur. Quod viginti quatuor candelæ juxta psalmos, et lectiones, et hymnum Zachariæ, exstinguuntur, apostolorum nocte ac die mœstitiam designat : et iterum exstinctio trium dierum mœstitiam septuaginta duorum discipulorum.

In sexta feria (195) omnes horæ, exceptis matutinis, in ecclesiam conveniendo cum silentio dicantur. Post matutinum fratres in claustro, aut, si deest, in ecclesia, (196) psalterium cum litania communiter dicant, quo dicto omnes intra ecclesiam cum silentio privatas orationes faciendo usque ad officium sedeant. Hora nona percutiuntur tabulæ ut in matutinis : omnes et ad ignem benedicendum clerici ut hesterna die pergant cum processione. Igne accepto ad ecclesiam redeant, et officium incipiant. (197) Officium a lectione libri Exodi inchoetur, tractus sequatur : postea cum genuflexione a sacerdote **59** dicatur oratio *Deus, a quo et Judas;* post sequatur altera Osee lectio, deinde tractus *Eripe me;* deinde passio Domini secundum Joannem legatur, ad quam *Dominus vobiscum* non dicat diaconus, nec *Gloria tibi, Domine*, respondeat clerus : ipsa enim die omittenda est salutatio in membris, quæ a traditore discipulo in capite falsa præcessit. Dum autem venerit ad locum ubi dicitur : *Partiti sunt vestimenta mea*, (198) duo diaconi nudent altare sindonibus, quæ prius sub evangelio fuerant posita. Altare significat Dominum, sindones apostolos, qui comprehensum Dominum relinquentes fugerunt. More autem lectionis passio legatur, (199) excepta voce *Domini* quæ in aliis dicatur, qua finita major sacerdos solemnes orationes [*f.*, dicat]. Oravit enim Christus in passione sua pro persecutoribus suis, dicens : *Pater, dimitte illis* (*Luc.* XXXIII, 34); et in eis orationibus genuflectatur, excepta [*f.*, excepto] Judæorum, qui falsa genuflexione Dominum illuserunt. Quibus expletis (200) duo sacerdotes, casulis induti, antiphonam *Popule meus* cantantes, velatam crucem afferant : quibus alli duo, cappis induti, in medio choro stantes, Græcos versus Αγιος respondeant, omnesque alii *Sanctus* dicant, quod ter repetunt. Hoc ter repetito, **60** sacerdos veniens ante crucem antiphonam, *Ecce lignum*, incipiens, crucem discooperiat, quam mox ut viderint lacrymabili corde prostrati in terra adorent. Post sacerdos et subdiaconus se prosternentes adorent crucem, post illos omnis clerus, dehinc populus. Adoratio omnium ita fiat, ut (201) uniuscujusque venter in terra hæreat; dum enim juxta Augustinum in psalmo XLIII genuflectitur, adhuc restat quod humilietur; qui autem sic humiliatur ut totus in terra hæreat, nihil in eo amplius humilitatis restat. Quo peracto crucifixus in commemoratione sanguinis et aquæ fluentis de latere Redemptoris, (202) vino et aqua lavetur, (203) de quo post sacram communionem chorus [*f.*, clerus] bibat et populus. Post responsorium : *Sicut ovis ad occisionem*, cantando, ad [*f.*, locum] aliquem deferant in modum sepulcri compositum, ubi recondatur usque in diem Dominicum. Quo collocato, antiphona *In pace in idipsum*, et responsorium *Sepulto Domino*, cantetur. Post (204) ministri crucis casulis induti afferant ad altare cum vino non consecrato reservatum corpus Domini, ubi a sacerdote incensetur, et ibi tantum *Oremus : Præceptis salutaribus*, usque *Sed libera nos a malo*, a sacerdote dicatur. *Pax Domini* **61** tacetur, pacis enim osculo traditur Christus. Postea (205) a majore ad minorem omnes communicentur. Post tabulis percussis vesperas sigillatim dicant, et sic (206) ad refectionem panis et aquæ pergant. Ad completorium redeant, quod sigillatim dicant.

In Sabbato sancto omnis ecclesia cum altaribus paretur. Omnes horæ dicitur in Parasceve cum silentio celebrentur. In his tribus diebus *Gloria Patri* non cantatur, quia triduana in his sepultura Domini celebratur; per mortem enim designatur humiliatio, per gloriam exaltatio. Quia vero in Dominica, quæ per noctem tertia dies sepulturæ Domini computatur, propter gloriam resurrectionis non potest sepultura Domini celebrari, tertia celebratio constituitur a sanctis Patribus in die Cœnæ Domini, in qua se pro omnibus suis passurum apostolis innotuit, quia carnem suam ad vescendum in crastino passuram, sanguinem quoque effundendum simul eis tradidit. (207) Nona hora dici (208) percussis tabulis ad ecclesiam concurrat populus. Et sic clerus cum processione ad ignem benedicendum pergat : et eo benedicto atque incensato, cereus unus accendatur, qui ab episcopo aut a sacerdote, cum diacono **62** in quadam hasta, in cujus summitate effigies serpentis habeatur, (209) cantante clero : *Dominus* . . . . . vita sua (*Hic desunt haud pauca*), id est, gaudium animæ et gloria incorruptibilis corporis : albæ enim vestes gloriam resurrectionis designant. (210) Alba licet baptizatis uti, chrismali non nisi sacerdotes [*f.*, in] cultibus, quidem divinis. Post lumen datur in manibus, per quod Spiritus sanctus accipitur, quo bona operari mereatur. Per albedinem vestis munditia mentis designatur. Per lumen quod manibus accipitur, bona opera figurantur. (211) Quod per septem dies albæ vestes et chrismales portantur, cursus hujus vitæ, in quo semper bono opere candidi esse debemus, exprimitur : de quo Salomon ait : *Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccle.* IX, 8). Per oleum charitas designatur. Sex enim ætatibus mundus vergitur; requies animarum septima ætas computatur. (212) Per octavam qua vestes deponuntur, regnum Dei, in quo charitas cæteraque bona opera cessabunt, designatur, et beata immortalitate vestiemur. Post (213) duobus aliis *Sancta Maria, intercede pro nobis*, tertiam litaniam incipientibus, ad chorum redeat clerus : in cujus fine *Agnus Dei* cantetur, et sic **63** omnes cerei illuminentur : quia per Agnum Dei illuminatus est

Digitized by Google

mundus. Post versus *Suscipe deprecationem nostram*, cum *Gloria Patri* dicatur, et iterum *Agnus Dei* repetatur. Deinde *Kyrie eleison* sequatur : (214) post *Gloria in excelsis*, altare incensetur, et pulsantibus omnibus campanis alta voce finiatur. Oratione præterea dicta et lectione lecta (215), duo cappati in pulpito *Alleluia*, *Confitemini*, celebre cantent. Quo finito, duo seniorum in albis tractum, *Laudate Dominum* cantent. Per hoc Sabbatum, et *Alleluia*, quod sequitur tractus, prima vita, quæ non fuit æterna, sed lapsa est in ærumna, designatur. Per *Alleluia* enim gloria, et per tractum lamentatio figuratur; per graduale, quod *Alleluia* sequitur, sex ætates hujus mundi, in quibus bona operatione sic ad æternam vitam pervenitur; per octavum Sabbati, in quo duo *Alleluia* cantantur, quibus duplex corporis et animæ gloria designatur, octava beatitudo, quæ absque mœroris consequentia æterna manebit, exprimitur. Evangelio lecto, nec *Credo*, nec offerenda dicantur. Dicto *Dominus vobiscum* a sacerdote, respondet chorus : *Et cum spiritu ;* dicto etiam, *Oremus* super oblata, et *Vere dignum*, totum officium missæ solito celebretur. Dum ergo sacerdos *Pax* **64** *Domini* dixerit, pax non accipiatur. *Agnus Dei*, nec communio sequitur ; sed (216) communicato clero et populo vesperæ cum uno psalmo, *Laudate Dominum omnes*, et cum antiphona alleluiatica dicantur. Post sacerdos antiphonam *Vespere autem* incipiat, et (217) *Magnificat* cantato, et altari incensato, officium cum oratione post communionem finiat. Quod in Sabbato Paschæ non incensum, sed thymiama secundum ordinem Romanum offertur, aromata quæ a mulieribus parata sunt significantur. Quod offerenda, nec *Agnus Dei* cantatur, silentium mulierum, quæ pavore perculsæ Dominicam resurrectionem latenter nuntiaverunt, designatur. *Sanctus* vero, scilicet angelorum cantus dicitur, quia Domini resurrectionem non tacuerunt, sed aperta voce prædixerunt mulieribus. Diaconus *Ite Missa est* dicat, chorus *Deo Gratias* respondeat. (218) Hoc peracto quoddam responsorium ad hoc pertinens cum versu cantetur, et post incensum benedicatur. (219) Post prandium redeant ad completorium, quod per, *Deus in adjutorium*, incipiatur, et tres psalmi : *Cum invocarem*, *In te, Domine*, *Ecce nunc*, cantatis absque capitulo et versu ut in vesperis, *Nunc dimittis*, cum antiphona alleluiatica cantetur, et oratione dicta finiatur.

65 ORDO PASCHÆ.

(220) Decima hora noctis pauci clerici induti veniant, et crucifixum cum incenso et thymiamate levantes, antiphonamque *Surrexit Dominus de sepulcro* [*f.*, cantantes], loco suo honorifice constituant. Post cunctis campanis sonantibus, januas ecclesiæ aperiant, et matutinas incipiant. Matutinale officium duo cantores induti cappis regant. Invitatorium a quatuor clericis cappatis cantetur, quod tres psalmi cum antiphonis subsequantur. (221) Diaconus dalmaticatus evangelicam lectionem pronunciet. Alii duo in capp.s alias duas lectiones legant. (222) Unumquodque responsorium a binis clericis indutis cantetur. (223) Post tertium responsorium officium sepulcri celebretur. Quo peracto, *Te Deum laudamus*, altari incensato, cantetur, et post unumquodque responsorium incensetur. Post matutinæ laudes cum quinque psalmis, et suis antiphonis, et capitulo, et *Benedictus*, cum trina antiphonæ repetitione celebrentur. (224) Finita oratione cantores benedicant Dominum cum gratiis. Prima, tertia, sexta, nona et completorium, cum psalmis, et graduali, et oratione dicantur. (225) Post capitulum **66** spargendo aquam benedictam antiphona *Vidi aquam* dicatur. (226) Tertia cantata processio per claustrum, et in circuitu ecclesiæ fiat, et responsorium, *Maria Magdalene*, aut aliqua processionalis antiphona diei cantetur, deinde *Sedit angelus*, ita ut ante crucifixum finiatur, ubi versus cantetur : quo finito, ad chorum, *Christus resurgens*, canentes redeant, et (227) officium diei celeberrime compleant. Vespertinale officium ita celebretur. Primum ministri Ecclesiæ induantur, et post (228) cum processione, scilicet cum cruce et incenso, cereis et textu ante crucifixum veniant, et ibi absque *Deus in adjutorium*, (229) per *Kyrie eleison*, vesperas incipiant, et cantato ter *Kyrie eleison*, et *Christe eleison*, dum iterum *Kyrie eleison* incœperint, ad chorum redeant, et tres ibi psalmos cum antiphona alleluiatica dicant. Post duo clerici graduale canant. Qui vero chorum rexerint *Alleluia* diei psallant. Dicto versu, *Magnificat*, cum trina repetitione antiphonæ celebretur, et dicta oratione, (230) *Benedicamus Domino* ab his qui *Alleluia* cantarunt dicatur. Post incœpta a cantore alleluiatica antiphona, (231) psalmum *Laudate, pueri, Dominum*, cantantes ad fontes pergant : ibi dicto graduali absque versu, pueri **67** *Alleluia, Laudate, pueri*, canant. Per baptismum enim quem in fonte suscipimus, ad bonum opus quod per responsorium exprimitur, pervenimus : per bonum opus ad gloriam, quæ per *Alleluia* designatur. Versum responsi propter nullam significationem, sed pro vitando fastidio solum vitamus. Per *Laudate, pueri, Dominum*, quod in eundo ad fontes dicitur, baptismus recolitur. Per *In exitu Israel* canticum Israeliticæ plebis, transitus maris Rubri, quo liberata est de potestate Pharaonis, per quod iterum baptismus figuratur. Per Pharaonem enim diabolus exprimitur, per mare Rubrum baptismus : per baptismum enim de potestate diaboli liberamur.

Hi vero sex dies paschales, in quibus responsorium cum *Alleluia* canimus, tempus Christianorum designant, in quibus bona opera agimus quibus ad gloriam perveniamus. Per Sabbatum et tempus quod sequitur usque ad Pentecosten, in quo absque responsorio duo *Alleluia* canimus, regnum Dei, in quo absque ullo tempore duplici gloria, scilicet corporis et animæ, glorificabimur ; et iterum per sex dies in quibus responsorium cantatur, sex ætates in

Digitized by Google

quibus bona operantur; per septimum et octavum, requies animarum, et regnum **68** Dei, in quibus jam non operabimur, sed laude et gloria perfruemur. Quo finito, dicta oratione, *In exitu Israel* cum alleluiatica antiphona canentes, ad crucifixum redeant. Ibi iterum *Alleluia*, *Redemptionem misit Dominus*, vel *Christus resurgens*, a duobus clericis cantato, oratio dicatur. (232) Huic antiphonam *Lux perpetua* concinentes, et chorum intrantes, officium cum oratione de sanctis, et *Benedicamus Domino* finiant. Hic ordo per totam hebdomadam usque ad Sabbatum in albis servetur : et in matutinis cantetur *Te Deum laudamus* : et post *Benedictus*, ad crucifixum processio fiat, in qua *Christus resurgens* cantetur : versus ante crucifixum, *Dicant nunc Judæi*, et oratio de cruce dicatur. Inde, ut in vesperis, antiphonam *Lux perpetua* canentes, chorum ingrediantur, et cum oratione et *Benedicamus* officium compleatur. Omnes isti (233) dies septem in cappis cum laudibus et sequentia, excepta processione missæ, uno modo festive celebrentur. Sed in Sabbato in Albis loco gradalis alterum *Alleluia* cantetur; et in vesperis *Deus in adjutorium*, et quinque psalmi, capitulum, responsorium, *Surrexit Dominus de sepulcro*, et hymnus *Chorus novæ Jerusalem* dicatur; et (234) ad crucifixum post vesperas, non ad **69** fontem fiat processio, in qua de resurrectione cantetur. Completorium ipsa die cum psalmis suis, et hymno, et *Nunc dimittis*, et (235) oratione Dominica et symbolo celebretur. (236) Dies octavus, ut primus celebretur; sed omnes horæ diei cum capitulis et versibus ibi pertinentibus, ut per totum annum, dicentur, et in vesperis *Deus in adjutorium*. Officium diei gradali carebit, sed duo *Alleluia* habebit. In ipsa die et in omnibus Sabbatis, in vesperis quinque psalmis cantatis, (237) responsorium, *Surexit Dominus de sepulcro*, a duobus cantetur, hymnus *Chorus novæ* sequatur, et sic cantato *Magnificat*, officium cum *Benedicamus Domino* compleatur. In aliis Dominicis absque responsorio hymnus *Ad cœnam* dicatur. Eodem modo horæ dici omnes ab hac usque ad Pentecosten celebrentur. Completorium cum suis psalmis et hymno *Jesu redemptor sæculi*, et antiphona alleluiatica ad *Nunc dimittis*, cantetur. In omnibus Dominicis usque ad Pentecosten (238) unaquæque nocturna cum una antiphona alleluiatica dicatur; (239) sex lectiones de Apocalypsi legantur, et tres de resurrectione. Si autem in his sanctorum Patrum statutis minime resisti aliquibus videtur, propter noctium brevitatem, ad evitandum fastidium, **70** in nocturnis novem tantum psalmos psallere concedimus. Quia octodecim existunt, novem una Dominica, et novem dicantur alia. (240) Nonum [*deesse videtur*, responsorium] ob honorem resurrectionis a duobus clericis cantetur. Quo finito, sacerdos altare incensando, *Te Deum laudamus* incipiat, et hoc dicto (241) matutinæ laudes cum una antiphona *Angelus autem Domini*, et capitulo, et hymno *Aurora lucis*, et *Benedictus*, et antiphona *Et valde mane*, et oratione finiantur. Post, ut in hebdomada paschæ, processio ad crucifixum fiat. *Christus resurgens*, cum versu præfato cantetur. Et in vesperis Sabbatorum, et (242) in Dominicis matutinis, ab ipsa die usque ad Dominicam ante Nativitatem semper fiat processio, in qua ante Pentecosten cantetur de resurrectione, post Pentecosten de cruce. Officium diei (243) sine tropis, et laudibus, et gradali, (244) cum duobus *Alleluia*, et sequentia celebretur. Missa matutinalis sit resurrectionis : cui autem placuerit, Dominicalis; major vero semper resurrectionis. Cantus processionalis sit resurrectionis, et crucis. Post octavam Paschæ, (245) quandiu responsorium *Dignus es* cantatur, Apocalypsis legatur. Quo finito canonicales epistolæ usque ad diem Ascensionis sequantur. (246) **71** Per dies feriales in nocturna sex psalmos (cum trino *Gloria Patri*, et una antiphona psallant et tres lectiones cum responsoriis ejusdem temporis legantur. Missam Dominicalem per totam hebdomadam canant, nisi festa sanctorum occurrerint. (247) Unum tantum *Alleluia* cantetur ob jucundam animarum requiem, qua tantum fruuntur ante universalem resurrectionem : in festis duo, ad memoriam, post judicium non tantum animarum, sed æternæ gloriæ etiam corporum. Si autem evenerint, ut in alio tempore celebrentur, minora cum tribus, majora cum novem lectionibus. Si autem in Dominicis hujus temporis festivitas evenerit, in crastino celebranda reservetur. Officium generale pro defunctis, ut prædiximus, nisi in alicujus depositione aut anniversario non celebretur. Litania major si infra octo dies Paschæ evenerit, nullum jejunium, nulla abstinentia, nec aliqua ejus mentio fiat, nisi festiva tantum processio. (248) Si autem alio tempore evenerit, omnes, exceptis parvulis et infirmis, jejunent; et missa cantata, post sextam cum processione (249) ad ecclesiam sancti Petri sancti Audoeni pergant, in qua sacerdos cum cæteris ministris sit absque casula indutus. Rogationales antiphonæ cantentur : **72** quo dum pervenerint, responsorium aut antiphonam de sancto dicant, et oratione a sacerdote finita, idem *Kyrie eleison* incipiat, et oratione Dominica ab omnibus cum silentio dicta, preces cum *Miserere mei, Deus*, subsequantur : qua finita ad ecclesiam, aliquam litaniam cantantes, redeant; et, (250) nona dicta, comestum pergant. (251) Simili modo dies Rogationum celebrentur. Si autem in diebus Rogationum sanctorum, quorum officium habetur, festivitas evenerit, post primam missa de eis cantetur.

Inventio sanctæ Crucis ita celebretur. Invitatorium et tres ultimæ lectiones de cruce dicantur, cum matutinis laudibus. (252) Sex primæ lectiones cum totidem responsoriis de sanctis dicantur, quorum ipsa die festivitas celebratur. Tertia responsoria de istis, et tria de cruce [*f.*, a] binis clericis cantentur. Officium cum laudibus et sequentia festive

Digitized by Google

celebretur. (253) Processio ad crucem in vesperis, et matutinis, et missa fiat.

Ascensio Domini ita veneretur. (254) In vesperis cantor chorum regat ; duo clerici cappati responsorium canant, qui cantaverint chorum regant. Hymnus sequatur, *Magnificat* cum trina antiphonæ repetitione 73 finiatur. Oratione dicta, vesperæ cum *Benedicamus* finiantur. Processio ad missam tantum fiat. In matutinis omnes campanæ ut in Pascha pulsentur, invitatorium a quatuor clericis cappatis cantetur; hymnus sequatur; novem psalmi cum totidem antiphonis, novem lectiones cum totidem responsoriis celebrentur. Unumquodque responsorium bini clerici canant. Secundo, quinto, octavo, et ad *Te Deum laudamus* altare incensetur. Matutinæ laudes cum hymno, et trina antiphonæ repetitione ad *Benedictus*, cum *Benedicamus* finiantur. (255) Post tertiam processio fiat. Postea omnes pro posse ecclesiæ ornati officium cum laudibus et sequentia celebrent. Vesperas ut in vigilia agant. Hujus solemnitatis octavus dies non celeberrime, ut Paschæ, colitur, sed tantum..... [*f. deest* ut festum apostoli] celebrabitur : quæ non solum octo, sed decem diebus recolitur, ad instar apostolorum, qui post ascensionem Domini semper in cœlum mentibus intenti, adventum præstolabantur Spiritus sancti. Siquidem omnibus his octo diebus, *Te Deum laudamus*, et *Gloria in excelsis Deo*, et duo *Alleluia* cantabuntur. Ab Ascensionis die usque ad Dominicam in qua (256) historia, *Deus omnium*, cantatur, (257) Actus apostolorum 74 legantur, deinde libri Regum sequantur.

In vigilia Pentecostes ut in Sabbato Paschæ, absque cerei benedictione, et vesperis in missa celebretur. (258) Octava hora diei populus ad ecclesiam conveniat. Prima lectio *Tentavit Deus* major legat. Hanc ideo sequitur cantus, quia per fidem, quæ [*f. add.* præ] cæteris [*f. add.* in] Abraham laudatur, sempiterna lætitia acquiritur. Tractus, *Cantemus Domino*, a duobus clericis cantetur; post sacerdos orationem, *Deus, qui in Abrahæ famuli*, dicat : et secundam lectionem, *Audi Israel*, aliquis major legat. Tractus *Attende cœlum*, ut primus, cantetur : quem oratio, *Deus, qui nobis per prophetarum ora*, sequatur. Item legatur *Apprehendent septem*, tertia lectio : et post tractu, *Vinea facta*, cantato, dicatur *Deus qui nos ad celebrandam præsentem*. Finita oratione, quarta vero lectio *Nuntiavit Moyses* legatur. Tractus *Sicut cervus*, et oratio postea, *Omnipotens sempiterne, Deus, qui hanc solemnitatem*, sequatur. Post totum officium ut in Sabbato [*f.* sancto] peragatur; sed et *Agnus Dei*, et communio cantetur, et (259) pax accipiatur. In vesperis cantor indutus chorum regat, responsorium a duobus clericis cappatis, scilicet *Apparuerunt* 75 cantetur, et iidem succentores postea habeantur. Psalmi quinque cum una antiphona cantentur, dicto capitulo et hymno *Magnificat* cum trina antiphonæ repetitione cantetur, et oratione sacerdotis, cum *Benedicamus*, a succentoribus dicto finiantur. (260) Post vesperas et matutinas ipsa die memoriam resurrectionis peragant ad crucifixum.

DE PENTECOSTE, QUALITER CELEBRETUR.

In solemnitate Pentecostes totum officium noctis et diei ut in die Paschæ, absque officio sepulcri, sine gradali et fontis processione, ser[illegible]tur. autem cum hymnis et responsoriis dicantur. Celebratio hebdomadæ fiat, ut paschalis septimanæ. (261) Dies octavus, ut primus celeberrime agatur, et idem officium noctis et diei ex toto compleatur. Hi qui ab episcopo accipiunt manus impositionem, septem diebus debent observare chrismatis unctionem; est enim septiformis gratiæ Spiritus sanctus, et ejus celebritas atque mysterium jure septem diebus colitur. Hoc tantum distat inter Pascha et Pentecosten, quod in matutinis Paschæ nullus hymnus, in hoc duo cantantur. Et 76 hora tertia sonantibus cunctis campaniis. Post *Deus in adjutorium*, (262) hymnus a tribus clericis cappatis altare incensantibus inchoetur; ecclesia tota illuminetur, et clerici omnes pro posse ecclesiæ induantur, et donec hymnus cantatur, (263) flores diversi coloris ad instar charismatum Spiritus sancti desursum immittantur, et sic tota hora festive celebretur. Processio ipso die fiat ut in die Paschæ. In crastino et per totam hebdomadam [*f.*, si] (264) alicujus sancti festivitas evenerit, de sancto cantetur. Sin autem, matutinæ dicantur cum psalmis [*f.* lectionibus et] responsoriis. (265) Missa in tertia feria de angelis, et in cæteris diebus missæ institutæ in libro officiali. Proxima Dominica cum novem psalmis et antiphonis, cum novem lectionibus et responsoriis celebretur in honore sanctæ Trinitatis, eadem celsitudine qua dies ascensionis; sed (266) Epistola legatur *Vidi ostium*, et *Erat homo ex Pharisæis* Evangelium. In crastino (267) incipiatur Regum cum suis responsoriis historia, et Paralipomenon, quæ legatur usque ad Kalendas Augusti : et per totam hebdomadam cantetur missa Dominicalis. A Kalendis ipsis liber Ecclesiastes usque ad decimum octavum Kalendas Septembris. Ab ipso die liber 77 Job usque ad Kalendas : et a Kalendis Septembris usque ad medium mensem (268) liber Tobiæ et Esdræ. Ab ipsa die, usque ad Kalendas Octobris, Esther et Judith, et ab ipsis Kalendis liber Machabæorum usque ad Kalendas Novembris : a quibus usque ad adventum Ezechiel, Daniel et duodecim prophetarum. Ab ipso tempore, quo celebratio sanctæ Trinitatis, usque ad Adventum Domini, in Dominicis et ferialibus diebus ordo ecclesiasticus servetur ut supra inter octavum [*scil.* diem] Epiphaniæ et Septuagesimam prænotavimus, excepto quod post vesperas cantetur vigilia mortuorum, et (269) post matutinas tantum laudes defunctorum. Ad processionem crucis de cruce cantetur (270) in vesperis Sabbati, et Dominicalibus matutinis : ubi finita ejusdem oratione, memoria, sicut placuerit, celebretur resurrectionis : et processio diei a crucifixo non

Digitized by Google

divertat; sed finita processionali antiphona, cantor antiphonam aut responsorium incipiat, quod ante crucem finiat. Inde revertentes ad chorum, sancti, cujus ecclesia fuerit, antiphona cantetur, et sic tertia dicatur, et officium diei compleatur.

Quatuor tempora ut tempus Quadragesimæ celebrentur. In Sabbato autem quando **78** ordines dantur, cantor chorum regat. Ad unamquamque orationem, præter ultimam, diaconus *Flectamus genua* dicat, scilicet lectionem trium puerorum, qui solum Deum adorantes, coram statua Nabuchodonosor genu flectere respuerunt. (271)Ultimam benedictio non sequitur (272) propter Dominicæ noctis honorem, in qua ipsa die officium missæ completur. Quia vero quatuor elementis, scilicet igne, aere, terra et aqua subsistimus, dignum est ut Quatuor Temporum jejunii maceratione omnia corporis vitia temporum varietatis administratione in nobis pullulantia resecemus. Et tribus diebus unumquodque jejunium colimus ; quia toto corde, tota anima, tota virtute, quibus sanctam Trinitatem, unum Deum, eo docente, diligere jubemur, nos his quatuor elementis subsistentes in beneplacito suo regere debemus. Quod quia non absque re fit quod primum prima Sabbati primi mensis, secundum secunda Sabbati quarti, tertium tertia Sabbati septimi celebratur; quartum vero non in quarta Sabbati decimi, in qua Nativitas Domini celebratur, sed ob ejus reverentiam in præcedenti colitur, ut in divinis sanctorum Patrum paginis reperitur, ad evitandum fastidium nostro operi inserere **79** oniisimus. In his itaque temporibus, in Sabbatis post nonam, (273) in missa vespertinali quidem hora, quæ pars est Dominicæ resurrectionis, a beato Leone summo pontifice, cæterisque sanctis Patribus, ordinum consecratio fieri constituitur, quæ jejunis a jejunantibus conferatur. (274) Ante nonam vero fieri sacra auctoritate prohibetur. Et iterum unumquodque tempus tribus diebus jejunamus, quod tribus consistit mensibus. (275) In die vero Dominica episcoporum ordinatio celebretur. In ipsa enim creatus et redemptus est mundus; in ipsa super apostolos descendit Spiritus sanctus. Unumquodque gradale unus clericus ante altare canat. Responsorium, *Benedicite*, et tractus a binis clericis cantetur, et in fine missæ, *Humiliate capita*, non dicatur. Quatuor Temporum in quarta feria duæ lectiones leguntur; quoniam hi qui ordinandi sunt, ut notitiam legis et prophetarum habeant, admoneri debent, et secundum apostolum fulgere doctrina et sermone (*I Tim.* v, 17).

DE FESTIVITATIBUS SANCTORUM.

Oportet nos festivitates sanctorum discernere qualiter celebrentur, ne sint nobis fastidiosæ, si superflue agimus; aut si nimis reticemus, eorum juvamine careamus. **80** Quibus quamvis una in regno Dei sit gloria, tamen secundum ordinis primatum, aut corporum affinitatem, sunt nobis eorum festa celebranda. In primis festa beatæ ac gloriosæ virginis genitricis Dei Mariæ celeberrimo studio decet venerari, sed præcipue illud, quo Dominus noster Jesus Christus secum eam in suum clarissimum solium transvexit. In vigilia hora nona missa festive cum una cappa in choro celebretur. Omnis jejunet populus. In hac igitur festivitate (276) in vesperis binæ et binæ pulsentur campanæ. In vespertinis psalmis quinque antiphonæ cantentur. Capitulo dicto (277) responsorium duo cappati canant, et iidem ex utraque parte chorum regant cum cantore, donec Dominum benedicant. Hymnus dicatur ; cum duobus thuribulis altare incensetur. *Magnificat* cum trina antiphonæ repetitione dicatur. In matutinorum initio omnes campanæ pulsentur. Quatuor clerici invitatorium cantent, bini unumquodque responsorium. (278) Diaconus cappa indutus cum processione pergat ad pronuntiandum Evangelium : secundo, et quinto, et octavo [*add.* responsorio], et ad *Te Deum laudamus* altare incensetur. In noct. et mat. hymni dicantur. Ad *Benedictus* antiphona ter repetatur. Post tertiam **81** ad processionem in claustro, aut ubi defuerit, in circuitu ecclesiæ pergant. Officium missæ festive celebretur. (279) Omnes clerici pro posse ecclesiæ induantur, et missa cum laude et sequentia festive celebretur. (280) Clerus, et cui ex populo placuerit, communicetur. Diei vesperæ fiant ut vigiliæ. Omnes ergo dies usque ad octavum more Dominicali celebrentur, excepto quod (281) in nocturnis quatuor lectiones legantur. *Te Deum laudamus* cantetur. Dies octavus ut apostolica festa celebretur. Eodem modo et nativitas ejusdem, et purificatio, et annuntiatio, et sancti, cujus ecclesia fuerit. et (282) omnium sanctorum : sed et aliæ ejus festivitates absque vigiliis et octavis, et sancti ejusdem vigilia, si confessor fuerit, omnium sanctorum, octavis. In crastino omnium sanctorum fiat festiva celebratio omnium mortuorum, in qua (283) non dicatur hymnus aut invitatorium. Bini clerici cantent unumquodque responsorium ; (284) duo regant chorum, duo cappati gradale, quatuor cantent tractum. Matutinæ, et (285) horæ diei nullomodo prætermittantur, sed has ferialiter dictas agenda mortuorum festiva sequatur. Prima dicta, tres psalmi, scilicet *Ad Dominum* **82** *cum tribularer*, *Levavi*, *Lætatus sum*, in tono dicantur, et versu dicto, *Kyrie eleison* cantetur. Oratione Dominica finita cum primo tantum cap. *Requiem æternam*, oratio sequatur. Eodem modo in cæteris horis, exceptis [*f.* vesperis] et matutinis. In tertia, *Ad te levavi*, *Nisi quia Dominus*, *Qui confidunt*, versiculus erit : *A porta inferi*. In sexta, *In convertendo*, *Nisi Dominus ædificaverit*, *Beati omnes*, ℣. *Non intres in judicium*. In nona, *Sæpe expugnaverunt*, *De profundis*, *Domine, non est*, versiculus : *In memoria æterna*. (286) In completorio, *Deus misereatur*, *Deus in adjutorium*, *Domine, exaudi orationem meam*, *auribus*, versiculus : *Requiem æternam*.

(287) Festivitas nativitatis sancti Joannis Baptistæ, et passiones apostolorum Petri et Pauli, et Andreæ, et in monte Gargano memoria beati Mi-

Digitized by Google

chaelis, et sancti Martini depositio, uno modo celebrentur. In his solemnitatibus campanæ binæ et binæ pulsentur : quinque psalmi in vesperis cum una antiphona tantum cantentur. Responsorium duo cappati canant, qui postea chorum regant, donec Dominum benedicant. Cum uno thuribulo altare incensetur. (288) Invitatorium in matutinis a tribus clericis cantetur. Responsoria bini et bini cantent. in nocturnis et laudibus **83** hymnus cantetur. Processio non fiat. Unaquaque die usque ad octavum, nisi major festivitas interciderit, de illis cantetur, et tota matutina dicatur. (289) Dies octavus ut dies Dominica celebretur.

Solemnitates cæterorum apostolorum, et evangelistarum, et exaltationis sanctæ crucis, et decollatio sancti Joannis, et (290) dedicatio sancti Michaelis in Mari, et ad Vincula sancti Petri; et conversio sancti Pauli, et sanctorum martyrum Laurentii, Mauritii, Dionysii, Nicasii, sanctorumque confessorum; ordinatio Gregorii, Augustini, Hieronymi, Nicolai, Gildaldi; translatio sancti Benedicti, æquali ordine celebrentur. In horum festivitatibus (291) in vesperis et matutinis chorus non regatur. Responsorium a duobus clericis cappatis cantetur. Ad *Te Deum laudamus*, et ad *Benedictus*, altare incensetur. Invitatorium duo cappati canant : unumquodque tertium responsorium a binis cantetur : (292) officium cum laudibus et sequentia celebretur : et quotidie usque ad octavum eorum tantum memoria recitetur. In octavo die, nisi alicujus sancti festivitas evenerit, de ipsis cantetur, et matutina dicatur. Hæ sanctorum festivitates, quæ more Dominicali **84** celebrantur, excepto quod (293) matutina non dicatur : Silvestri, Sebastiani, Vincentii, Agnetis, Cæciliæ, Agathæ, cathedra sancti Petri, Gervasii; translatio sancti Martini, Wandregisili, Germani; inventio sancti Stephani, Remigii, Georgii, Leodegarii, (294) Romani, Audoeni, Brictii, Luciæ virginis, et aliæ quæ placuerint, et omnium sanctorum pontificum qui huic Ecclesiæ præfuerunt.

DE DIE DOMINICO.

Dies Dominicus ita celebretur. In sabbato psalmis diei cum antiphonis suis cantatis, et dicto capitulo (295) responsorium a duobus clericis absque cappis cantetur, quod hymnus sequatur. Et ad *Magnificat*, altare incensetur. In matutinis invitatorium a duobus absque cappis cantetur, quod hymnus sequatur. Novem lectiones et novem responsoria dicantur; *Te Deum laudamus*, excepto adventu et quadragesima, dicatur. Hymnus in nocturnis et laudibus dicatur. (296) In matutinis, exceptis præfatis temporibus, una tantum antiphona cantetur; post primam processio fiat, ut prædictum est. Officium duobus cantoribus celebretur. Ministri ita induantur. Diaconus dalmatica, **85** subdiaconus tunica, duo in albis, qui candelabra, et unus, qui thuribulum deferat. Gradale duo in albis canant, et duo cum cappis *Alleluia*.

Quia vero de divinis mysteriis tractavimus, oportet discernere quibus sacris indumentis ministraturi induantur. Amictus igitur primum est indumentum quod ideo collo circumdamus, quatenus vox, quæ per collum egreditur, ab omni prava locutione muniatur : ut juxta Prophetam cor nostrum custodiamus, ne in lingua nostra delinquamus. Secundum, camisia linea, quæ alba, vel poderis, vel talaris nuncupatur..... nodum corporis arcta totum corpus absque..... quem nimio labore perducitur, mentis et corporis munditia designatur, quæ multo jejunii, et vigiliarum, et orationum, bonorumque operum exercitio acquiritur. Per stricturam..... cor, cunctaque membra corporis..... talarem vero longitudinem..... consummationem, per rugarum devitationem, quibus..... complexiones..... puritas fidei catholicæ, per..... Per stolam, quæ dicitur orarium, jugum Domini suave, et onus ejus leve, per quod designatur..... stolæ puritas..... Per longitudinem usque ad pedes virtus **86** humilitatis. Per balteum quo lumbi restringuntur, castitas designatur..... Deinde sequitur tunica, de qua dixit Dominus ad Aaron : *Facies tibi tunicam hyacinthinam* (*Exod.* xxviii, 31). Hæc vero sub dalmatica induitur, et..... nominatur. Hyacinthus vero rarus est, nec densitate obtensus, nec rutilat æqualiter : sereno enim cœlo fit perspicuus, et pallidus est, varius, et quasi ætherei coloris. Per æthereum et varium colorem designat vitam sacerdotalem, quæ supernis solum incessanter intenta desideriis, conversationem juxta Apostolum debet semper habere in cœlis (*Philipp.* iii, 20). Per coloris mutationem fraternam compassionem, ut Apostolus ait, *Gaudere cum gaudentibus* (*Rom.* xii, 15). Quod propria est pontifici, significat rationem sublimium non patere nisi perfectis. Per hoc quod est vestis interior, et non cingitur, virtutes animæ soli Deo cognitas sine intermissione semper habendas. Per dalmaticam vero, quæ candid..... [*f.*, candida est, et] lineis coccineis ante et retro a summo usque deorsum decoratur..... munditia cum utriusque Testamenti prædicatione, et Dei proximique dilectione, designatur, quibus fulgere debent sacerdotes atque diaconi. Per duodecim fimbrias, quas utræque lineæ **87** in se continent, duodecim rami virtutum, qui ex charitatis radice..... : quos etiam Apostolus enumerat, dicens : *Charitas patiens, benigna est* (*I Cor.* xiii, 4), et reliqua. Tertia vero linea, quæ.....

Reliqua desiderantur in codice Salicosano (Gall. *de Saulceuse*), *unde hæc excerpta sunt.*

Digitized by Google

OBSERVATIONES

AD LIBRUM

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

88 (1) *Domino vere sancto, et meritis honorando, Maurilio.* Operis ærei statim ex inscriptione deprehenditur. Cum enim Joannes noster Abrincenses insulas ante annum Christi 1061 non inierit, ut superius observavimus, Maurilius autem in pontificatu annum 1067 haud excesserit, extra dubium est librum qui superstiti dicatus est, intra illius septennii tempus scriptum fuisse. De Maurilio notæ sanctitatis antistite (qui primarium Deiparæ templum perfecit et dicavit) præter ea quæ exstant apud vulgatos auctores, Guillelmum Pictavinum in gestis Guillelmi ducis, Willelmum Gemeticensem l. VII Hist. Norman., c. 24 et 38; Ordericum Vitalem eccles. Hist. l. IV et V, Willelmum Malmesburiensem De gestis regum Angl. lib. III, et alios, consulenda sunt gesta archiepiscoporum Rotomagensium ex ms. codice eburneo ecclesiæ metropolitanæ; quibus, quod hac parte prolixiora sint, omissis, duo notatu digna huic loco inseruisse non pigeat. 1. In antiquo libro pontificali ejusdem ecclesiæ formulam exstare professionis fidei de veritate carnis et sanguinis Christi in Eucharistia contra Berengarium ejusque successores in concilio provinciali, *præsidente huic sanctæ sedi* (verba sunt formulæ) *venerabilis memoriæ Maurilio*, latam, quam integram hic describere supervacaneum duximus, quod religiosissimi D. archiepiscopi beneficio, una cum doctissimis ejus scriptis in lucem jam prodierit. **89** 2. Locum illum, qui Maurilii primum, deinde Guillelmi cardinalis de Stotevilla, sepulcro quondam illustris, nunc mutata rerum facie vacuus in navi basilicæ visitur, clero Rotomagensi semper veneratioui fuisse, hacque de causa solere statis diebus thurificari. Ejus autem rei ratio non modo ex antistitis sanctitate petenda est, cujus ille tantam posteris opinionem reliquit, ut locus is vulgo *S. Maurilii tumba* diceretur : verum etiam ex antiqua traditione, qua sibi persuasum habuere majores nostri altare maximum antiquitus ibidem fuisse constitutum, ut aperte indicant litteræ canonicorum Rotomagensium ad eumdem cardinalem, quarum exemplar in ecclesiæ scriniis asservatur. JOANNES PREVOST.

(2) *Sanctæ Rotomagensis ecclesiæ.* Familiaris religiosæ antiquitati loquendi modus, cujus tot exempla passim occurrunt in sacrarum ædium monumentis, maxime vero domesticis, ut cæcutire videantur in meridie qui id improbent aut nesciant. Ne longius evagemur, hujus veritatis testes omni exceptione majores proferri possunt, Carolus Calvus Francorum rex in diplomate pro rebus ejusdem ecclesiæ : *Riculfus venerabilis Rotomagensis archiepiscopus detulit serenitati nostræ præceptum avi nostri divæ memoriæ domni imperatoris Karoli, in quo continebatur, quod ad petitionem sanctæ recordationis domni archiepiscopi Remigii prædecessoris sui quasdam villas viris sanctæ suæ metropolis ecclesiæ Rotomagensis canonicis in aula S. Mariæ Domino deservientibus*, etc., *delegasset.* Ricardus Normanniæ dux in charta pro monasterio Fiscannensi : *Accitis totius nostræ diœcesis episcopis, Roberto scilicet sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopo, necnon et Radulfo sanctæ Bajocensis ecclesiæ præsule*, etc. Robertus Normanniæ dux cognomento magnificus, et Robertus Rotomagensis archiepiscopus in charta de rebus ejusdem ecclesiæ : *Placuit nobis res sanctæ ecclesiæ Rotomagensis, quæ capitalis et metropolis est regni nostri*, etc., *confirmare.* Philippus I Francorum rex in diplomate archivi archiepiscopalis dato anno Christi 1091 : *Concedo abbatiam S. Mellonis de Pontisara domno Willelmo Rotomagensi archiepiscopo, et omnibus successoribus suis, et dono in feudum, ut eam de me et successoribus meis perpetuo teneant ad honorem et exaltationem* **90** *sanctæ Rotomagensis ecclesiæ.* Ludovicus XII rex in litteris concessionis duorum modiorum salis in gratiam canonicorum Rotomagensium datis Blasiis anno Christi 1506 : *His denique temporibus huic sanctæ ecclesiæ Rotomagensi præest, volente Deo creatore, Georgius de Ambasia noster consanguineus carissimus, sanctæ sedis apostolicæ et Romanæ ecclesiæ cardinalis, legatusque de latere nobis probatissimus, nostrique imperii patricius et consiliarius fidelissimus.* PR.

(3) *Joannes Abrincacensis.* Sic Bajocacensis, et Parisiacensis, pro Bajocensi et Parisiensi passim ejus ævi scriptoribus. Rectius forte Abrincatensis, ut apud Ordericum ecclesiast. hist. lib. III, IV, VIII et XII. Porro de Joanne, præter testimonia superius ad libri limen allata vide eumdem Ordericum lib. IV et V, et Matthæum West monasteriensem ad annum Christi 1073 et 1079, quibus adderem anonymum S. Audoeni monachum, nisi Joanni parum æquus videretur. PR.

(4) *Postquam de metropolitana sede stillare videbimus.* Concilium Rotomagense celebratum sub Waltero de Constantiis archiepiscopo A. C. juxta veterem Galliæ calculum 1189, 3 idus Februarii can. 1 : *Antiquorum Patrum nostrorum vestigiis*

Digitized by Google

adhærentes in primis decernimus, ut omnes suffraganeæ ecclesiæ nostræ in legendo et psallendo usum hujus sacrosanctæ ecclesiæ metropolitanæ imitentur. PR.

(5) Item concilium oletanum XI, can. 3.

Juxta Carthaginense concilium. Quartum scilicet, can. 44 et 45, quorum alter ad tonsuram, alter ad habitum pertinet. Prioris mentem ne quis suo arbitrio interpretaretur, placuit concilio IV Toletano tonsuræ formam disertis verbis ita præscribere can. 41: *Omnes clerici, vel lectores sicut levitæ et sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet ut pro amputando ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, et una sit tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicæ reus erit.* Astipulatur huic instituto omnium fere locorum et temporum consensus, **91** ut mirum non sit, si tam severe in ejus contemptores ecclesiasticæ leges animadverterint. Testantur id antiqua provinciæ nostræ decreta, atque in primis concilium Rotomagense sub Waltero can. 5: *Sacerdotes et clerici coronas habeant patulas et decentem crinium circumferentiam. Istius constitutionis transgressores ab ecclesiasticis beneficiis suspendantur. Qui vero beneficia non habuerint, et ita comam nutrierint, privilegio careant clericali.* Præcepta nova Petri de Colle-medio archiepiscopi, qui sedere cœpit anno Christi 1237: *Cum in tonsura et maxime habitu differre debeant a laicis sacerdotes, in quibus plures invenimus istis temporibus delinquentes, præcipimus quod omnes coronam magnam habeant, et tonsuram altam et bene rotundam. Et qui in his de cætero invenietur culpabilis, gravius punietur.* Concilium apud Pontem-Audomari habitum anno Christi 1267. [sedente archiepiscopo Otone Rigaltio], clericos, etiam uxoratos, ad deferendum tonsuram et habitum clerico congruentem trinis monitionibus adigi præcipit, et addit: *Denique si post præmissas monitiones aliqui clerici in apostasia tonsuræ et habitus permanserint et contingat quod pro suis excessibus a secularibus judicibus capiantur, in criminibus comprehensi; non præcipiemus eos per censuras ecclesiasticas liberari.* Eadem fere sanxit concilium aliud ibidem anno Christi 1279 (*Collect. conciliorum Rotomag.*, pag. 276) celebratum. Tepescente demum disciplina, canonici Rotomagenses in capitulo generali anno Christi 1311 hæc de tonsura et habitu statuerunt: *Ut quanto ecclesia nostra cæteras nobilitate præcellit, sic ejus ecclesiastici servitores majori honestate a cæteris distinguantur: statuimus ut universi canonici, capellani, et clerici chori nostri tonsuram amodo deferant congruentem, in quantitate fere similem tonsuræ puerorum de altari, a quibus circa hoc antiquæ consuetudinis servatur honestas. Nec quisquam prædictorum amodo consutilios deferat sotulares. Item statuimus, quod quicunque ad missam, evangelium et epistolam, in tabula scriptus fuerit, tonsuram ac barbam se radi faciat: alioquin in officio suo nequeat ad altare, donec rasus fuerit, ministrare: decernentes ut hoc statutum, et omnia alia edita in hoc capitulo generali, inter illa statuta numerentur, quæ quilibet canonicus in sua receptione jurat servare.* Plura de tonsura Isidorus De ecclesiast. offic. **92** lib. II, cap. 4; Albinus Flaccus Alcuinus, lib. De div. offic.; Amalarius item De ecclesiast. offic., lib. II, cap. 5; Rabanus Maurus De institut. clericorum lib. I, cap. 3; Rupertus abbas Tuitiensis De div. offic., lib. III, cap. 25; concilium Agathense can. 20; Stephanus II papa in responsis in Carisiaco villa ad annum Christi 754, can. 18; concilium Aquisgranense A. C. 816, lib. I, qui est de institutione canonicorum, cap. 1; Coyacense anno Christi 1050; West-monasteriense anno Christi 1175; Eboracense anno Christi 1195; Oxoniense anno Christi 1222; Londinense anno Christi 1237; Ravenn. I, anno Christi 1286, rubr. 3; Ravenn. III, anno Christi 1314, rubr. 10; Ravenn. IV, anno Christi 1317, rubr. 4; ac demum Patrum ætate Rotomagense anno Christi 1581, tit. *De episc. et capit.*, § 7, et tit. *De curat. et aliorum offic.*, § 9, et Remense anno Christi 1585 tit. *De clericis in gen.*, § 18. PR.

(6) *Variis nec rubeis utantur indumentis.* Plurimis conciliorum decretis idem fuit prohibitum. Unde autem heteromallon rubeum in cappis hiemalibus canonicorum sumpserit exordium non liquet, huic enim instituto repugnat.

(7) *Quod caput nostrum ex apostolica doctrina in superiori parte radimus.* Primis temporibus radere caput minus usitatum fuisse videtur quam tondere, nam S. Hieronymus in caput XLIV Ezechielis ait: *Perspicue demonstratur ne rasis capitibus sicut sacerdotes cultoresque Isidis et Serapis nos esse debere;* hujusque usus moralem rationem affert S. Gregorius lib. II Pastoralis, cap. 7, et lib. I Regist., ep. 24. Ex apostolica autem doctrina dicitur descendere, sive quia tonsuram gestamus exemplo S. Petri, ut habet ordo Romanus; isque ita in memoriam Dominicæ passionis attonsus est, ut legitur apud Bedam lib. V Hist., c. 22, sive quia eam Petrus instituit, ut tradunt Gregorius Turonensis lib. I De mirac., cap. 28, concilium Triburiense can. 20, et Gemma animæ lib. I, c. 195.

(8) *Per coronam capillorum, quam in inferiori parte portamus.* Hinc planum est clericos circulum crinium in modum coronæ olim deferre solitos, sicut hodie gestant Franciscani. Idem quoque præcipitur in synodo Ebroicensi a. 1576, cap. 3, de vita et honestate curatorum et aliorum ecclesiasticorum, art. 3, et in Rituali seu Manuali Rotomagensi **93** 1651 edito, part. I, pag. 383, in hunc modum: *Clerici professionis suæ memores Dominicæ coronæ signum in capite religiose deferant ac nunquam dimittant. Qui secus fecerint, tanquam ecclesiasticæ desertores militiæ, sacrorumque canonum contemptores districtæ,*

Digitized by Google

correctioni subjaceant, et ab ecclesiasticis conventibus cum dedecore ejiciantur; item *ut capillorum pars inferior in coronæ speciem præcidatur, ita ut oculi et aures pateant.* Ibidem pag. 409.

(9) *Barbam radimus.* De rasura barbæ vide Ordinem Romanum, et Rituale Rotomagense ibidem.

(10) *Quater nocte et die.* Alludit haud dubie ad id quod legimus lib. II Esdræ, c. 9, *Legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, et quater confitebantur;* sed quod psalleretur quater in nocte, neque exstat in Hebraica veritate, neque in editione LXX Interpretum, neque in Latina vulgata. Quapropter hanc additionem videtur Joannes noster mutuatus ab Amalario lib. IV De ecclesiast. officiis c. 3, eamque Amalarius desumpsisse ex Beda in Esdram, quem ibi laudat.

(11) *Quinque psalmos canimus, sed trina sanctæ Trinitatis glorificatione connectimus.* Per quinque psalmos cum trina glorificatione intellige psalmum : *Deus in nomine*, et quatuor octonaria seu divisiones psalmi : *Beati immaculati*, quas divisiones etiamnum sub duplici glorificatione canimus, cui consonat Gemma animæ lib. II, c. 60 et 61. Quod etiam videtur in Psalterio Rotomagensi anno 1507, in alio item psalterio Parisiis anno 1540 apud Franciscum *Regnault*, in diurnali Lexoviensi anno 1542, in Breviario Parisiensi anno 1557, et in Breviario Abrincensi an. 1592 editis. Fortasse tum temporis in ecclesia Rotomagensi feriales psalmi non recitabantur ad horam primam, ut videtur in Breviariis Parisiensi et Abrincensi supradictis : alioqui non quinque, sed sex essent numerandi.

(12) *Quibus fidem catholicam a B. Athanasio expositam adjicimus.* Symbolum S. Athanasii in Ecclesia Rotomagensi per totum annum, nullo excepto die, olim decantabatur, ut videtur in ordinario ms. ad usum Rotomagensis ecclesiæ, ex bibliotheca clarissimi et eruditissimi viri D. Emerici *Bigot;* cui etiam consonat Gemma animæ lib. II, c. 59, his verbis : *Fidem*, Quicunque vult, *quotidie ad primam iterat* (ecclesia), 94 *quam Athanasius Alexandrinus episcopus rogatu Theodosii imperatoris edidit.* Item in Breviario Rotomagensi anno 1491 edito per totum annum etiam in feriis dicitur. Habetur quoque in Psalterio Rotomagensi an. 1507 et 1586, in Diurnali Lexoviensi anno 1542, in breviario Rotomagensi sub cardinali Carolo Borbonio Rotomagensi archiepiscopo anno 1578 editis, et ut Diurnali Carthusianorum legitur quotidie ad Primam; item in Breviariis Parisiensi et Abrincensi præfatis, quod symbolum D. Franciscus *de Harlay* I in Breviario Rotomagensi ad Dominicas de tempore redegit.

(13) *Tertiam vero.* Aliam præterea rationem de Tertiæ, Sextæ Nonæque officiis offert Isidorus De ecclesiast. offic. lib. I, cap. 19. *Horam*, inquit, *tertiam, sextam, et nonam Daniel et tres pueri supplicationibus devoverunt, scilicet ut ab ortu diei in tempus precationis tres horæ porrectæ Trinitatis nobis reverentiam declararent.* PR.

(14) *Bis tres psalmos.* Idem hic accipe quod supra, id est, psalmi hujus per octo versus sex divisiones.

(15) *Oratione Dominica, et precibus, et psalmo,* MISERERE MEI DEUS, *genuflectendo.* Hæc habentur in Breviario Rotomagensi edito anno 1491, in Psalteriis Rotomag. A. 1507 et 1586, in Breviario Rotomagensi anno 1578, in Diurnali Lexoviensi anno 1542, in Breviariis Parisiensi, Abrincensi, Fontebraldensis ordinis an. 1586, et in Diurnali Carthusianorum. Hæc tamen in ecclesia Rotomagensi non servantur, exceptis feriis Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum et jejunii, in quibus non dicitur psalmus *Miserere*, nisi in Vesperis.

(16) *Nocturnalia succedunt, in quibus Vesperæ.* Apud antiquos Vesperas ad noctem pertinuisse, et ejus initio recitari solitas constat, imprimis ex S. Hieronymo ad Lætam : *Assuescat*, inquit, *accensa lucerna reddere sacrificium vespertinum.* Isidorus lib. VII Origin., c. *De officiis : Vespertinum officium est in noctis initio.* Concilium Emeritense can. 2 : *Vespertino tempore post lumen oblatum dicitur vespertinum;* et innumeris aliis scriptoribus tum Græcis tum Latinis, apud eminentissimum cardinalem Bona De divina psalmodia c. 10, sect. 5. Unde officium vespertinum a concilio Toletano I, can. 9, dictum est *lucernarium*, a 95 sancto Basilio cap. 29 lib. De Spiritu sancto, *lucernaria gratiarum actio;* a Cassiano lib. III De institut. renuntiant. c. 3, *lucernalis hora.* Et licet ante noctem Vesperas agi voluerit sanctus Benedictus c. 41 Regulæ, idque jam suo tempore in usu positum fuisse testetur Amalarius De ordine antiphon. cap. 6, ut ante solis occubitum celebraretur vespertinale officium, illud tamen ad noctis initium quando ad dormitionem accedimus retulit Hugo Victorinus lib. II De offic. ecclesiast., c. 5, etiam Joanne nostro posterior.

(17) *Hymnus sanctæ Mariæ.* Per hymnum sanctæ Mariæ intellige canticum *Magnificat :* Ita enim apud Amalarium lib. 4, c. 7, de vespertinali synaxi pro eodem cantico usurpatur.

(18) *Incensum super altare offertur.* Sic quoque ibidem Amalarius : *Intendat summus sacerdos qui vicem tenet Aaron in ecclesia, quia debeat incensum offerre Domino super altare; post hoc sequitur hymnus sanctæ Mariæ.* Et Guillelmus Durandus Ration. div. offic. l. V, c. 9, de vesperis. Item Rituale Romagense anno 1651, p. I, pag. 392. *Altare juxta consuetudinem ecclesiæ cathedralis turificatur extra missam a celebrante cappa indulo, genuflexo, triplici ductu cum osculatione in omni quidem officio, excepto simplici et feriali ad* Benedictus *et* Magnificat; (postea ab acolytho celebrans et chorus) *in triplici vero, etiam ad hymnum :* Te Deum, *ab eodem celebrante, et ante primam lectionem homiliæ a diacono, et in nocte nativitatis Domini ante octavam etiam et nonam lectionem ab eis qui lecturi sunt, similiter cappa indutis et genuflexis;* qui ritus in ecclesia

Digitized by Google

cathedrali et quampluribus civitatis Rotomagensis parochialibus ecclesiis observatur

(19) *Cum oratione Dominica et precibus, exceptis festis.* Ita apud Carthusianos, antiqua Breviaria et Psalteria Rotomagensis ecclesiæ, necnon Lexoviensis, Parisiensis, et Abrincensis. Nunc autem, ut supra monuimus, non dicuntur preces nisi in feriis Adventus, Quadragesimæ et diebus jejunii.

(20) *Quia vero post vesperas.* Ex hoc loco apparet Joannis sæculo Completorium separatim a vespertino officio persolvi consuevisse. Quem sinceræ antiquitatis usum **96** optandum esset in collegiis canonicorum et per urbanos saltem titulos restitui. Pr.

(21) *Hymnum justi Simeonis.* Scilicet canticum *Nunc dimittis*, hymnus enim pro cantico a sacrorum rituum interpretibus aliquando usurpatur, ut supra declaravimus, quod etiam de hymno Zachariæ intelligas.

(22) *Oratione Dominica, et Symbolo et confessione nos munientes.* Exceptis triplicibus, duplicibus, et intra octavas.

(23) *Quam lectio præcedit de exemplis sanctorum Patrum.* Idem habetur in Ordinario Rotomagensi ms. per totam quadragesimam. Ita quoque sanctus Benedictus in Regula cap. 42, quod a monachis sancti Benedicti religiose observatur; legitur enim sive de gestis ipsorum, sive de operibus.

(24) *Media nocte ad confitendum Domino surgere debemus.* Sic S. Hieronymus in epitaphio sanctæ Paulæ : *Mane, hora tertia, sexta, nona : vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant.* Et sanctus Athanasius lib. De virginitate : *Media nocte surgito, et laudato Dominum Deum tuum.* Item sanctus Augustinus serm. 55 de tempore : *Rogo vos, ad vigilias maturius surgite.* S. Isidorus De ecclesiasticis officiis lib. I, c. 22 de vigiliis, Radulfus decanus Tungrensis De canonum observantia proposit. 14, aliique divinorum officiorum expositores.

(25) *Adjutorem invocamus; postque hymno dicto.* Significare videtur statim post versum : *Deus in adjutorium*, dici hymnum, et omitti solitum invitatorium in officio feriali, cujus usus, si ita tulit, ratio me fugit; scribit enim Durandus Ration. l. v, c. 3, et l. vi, c. 72, non omitti Invitatorium, nisi in officio Epiphaniæ, tridui ante Pascha, et officio defunctorum quando funus non est præsens, secutus antiquos de sacris officiis tractatores ordinem Romanum, Alcuinum De Cœna Domini, Amalarium l. iv, c. 21, Honorium l. iii, Gem. animæ, c. 88.

(26) *Duodecim psalmos canimus.* Quod observat Ecclesia Rotomagensis in feriis extra tempus paschale. In Dominicis vero diebus duodecim psalmi canuntur in primo nocturno, quorum cuilibet versus : *Gloria Patri* subjungitur, licet apud Joannem nostrum quatuor psalmi una **97** glorificatione copulentur; cui consonat Guill. Durandus Ration. divin. offic. lib. v, c. 3.

(27) *Per officium Matutinale.* Intellige laudes, eo enim nomine ab officiorum divinorum expositoribus sæpe nuncupatur. *Matutini officium appellant quod vocamus Laudes*, ait Radulfus Tungrensis proposit. 14. Hujus tamen vocis apud auctorem nostrum ambigua est significatio, nam in ordine diei Paschæ per officium matutinale nocturnum intelligit. *Matutinale*, inquit, *officium duo cantores cappis induti regant. Invitatorium a quatuor*, etc. *Post matutinæ Laudes*, ubi Laudes ab officio matutinali distinguit; initio autem operis matutinale officium sumit pro Laudibus, illud enim perspicue sejungit a nocturno, et cæteris aliis omnibus horis quas ibi sigillatim recenset : quam acceptionem, quæ omnium maxime propria est judicio eminentissimi cardinalis Bona c. 5 Divin. psalmod., sect. I, et ad antiquorum mentem accommodata, hoc loco retinet.

(28) *Cum oratione Dominica et precibus.* Ita et in Ecclesia Rotomagensi ante sexaginta annos id observabatur, ut patet ex Breviariis an. 1491, 1578, et Psalteriis Rotomag. an. 1507 et 1586; item in Parisiensi, Lexoviensi et Abrincensi Ecclesiis olim recitabantur, ut constat ex Diurnali Lexoviensi an. 1542, et antiquis Breviariis Parisiensi et Abrincensi.

(29) *Signo pulsante.* Concilium Aquisgranense c. 31 : *Mox enim ut auditum fuerit signum, festinato omnes ad ecclesiam conveniant, quam non pompatice aut inhoneste, vel incomposite, sed cum reverentia et Dei timore ingrediantur.* Vide epilogum ejusdem concilii c. 45. Pr.

(30) *Ubi religiose consistentes, non hac aut illac se moventes nec aliqui confabulantes.* Hic attendant clerici quanta modestia in ecclesia Dei consistere debeant, sic enim statuit concilium Aquisgranense anno 816, c. 131 : *Omnes igitur ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigent et linguam : in ecclesia cum timore et veneratione stantes, aut orent, aut cantent, aut audiant.* Et Grodogangus Metensis episcopus in Regula canonicorum, c. 26 : *Mox audito signo omnes canonici festinent ad ecclesiam; et non pompatice, aut inhoneste, vel incomposite, sed cum Dei timore ingrediantur eam : nec cum baculis aut fustibus in choro, exceptis debilibus,* **98** *sed religiose illis standum et psallendum est.* Postea ipse conqueritur quod clerici negotiis sæcularibus se implicantes ad divinum officium peragendum viderentur inepti. *Mox*, inquit, *ut ecclesiam ad divinum officium peragendum intraverint, ita fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad psallendum stare valeant; sed potius sedentes, non divinis, sed vanis solent instare loquelis.* Et statuta antiqua capituli cathedralis ecclesiæ Parisiensis : *Ibi simplices et erecti stent, caveant a confabulatione, cachinno et risu, psallant graviter et modeste coram Deo, memores eorum facta aliis minoribus ministris exemplum fore.* Plura de psalmodia et cultu Dei statuit concilium Basileense sess. 21, § 3, 4 et 6. De confabulatione autem et divagatione in ecclesia vide concilium Rotomagense anno 1522 habitum, sedente Georgio II de Ambasia, tit. 1, cui consonat Rituale Rotomagense an. 1651 p. I,

Digitized by Google

pag. 587 : *ntra chorum nulla fiant colloquia, non sint qui risu, aliove incomposito, seu minus modesto actu, rem divinam turbent : non qui cum cæterorum scandalo dormiant, vel litteras, aut alias scripturas legant : non qui privatim officium vel alias orationes recitent*, etc.

(31) *Et ad* Gloria Patri, *ad altare se inclinando vertentes.* Idem præcipit Rituale Rotomagense an. 1651, p. I, pag. 388. *Ita tamen ut surgant ad ℣.* Gloria patri *et* Sicut erat, *in principio horarum, et in fine invitatorii, psalmorum et canticorum, et ad eumdem versum* Gloria Patri *in fine responsoriorum.* Quod ex parte servatur in ecclesia cathedrali, stant enim omnes, vel surgunt quotiescunque cantatur : *Gloria Patri*, soli vero de minima sede vertunt se ad altare : at in plurimis urbis et diœcesis parochialibus ecclesiis vertunt se et inclinant omnes.

(32) *Chorum non exeant, majores absque decani, minores absque licentia cantoris.* Idem Rituale Rotomagense : *Quandiu celebratur officium, nullus e choro discedere præsumat, nisi officii causa, vel urgente gravi necessitate.* Nunc in cathedrali ecclesia quilibet canonicus injussu decani vel cantoris pro suo placito egredi potest post primi psalmi recitationem; veram (excepto pane quem sic percipit ad matutinum) omnes fere alias distributiones amittit, nisi regrediatur in chorum antequam officium absolvatur.

99 (33) *Ante et retro inclinet.* Sic etiam Rituale Rotomagense an. 1651, *Profunde inclinant versus altare, et faciunt reverentiam ante et retro.* Item in veteri ordine ad recipiendum canonicum cathedralis ecclesiæ Parisiensis : *Factis versus orientem, deinde versus occidentem debitis inclinationibus.* In ecclesia autem cathedrali Rotomagensi fit reverentia versus altare et chorum alterius partis. Id sic intelligendum puto, *Ante altare et retro*, scilicet ante crucifixum in navi constitutum, vel ante decanum qui prope januam consistebat, ut solet in festis triplicibus. Eo enim modo a monachis Grandimontensibus observatur hæc inclinatio, quæ etiam in antiquioribus consuetudinibus Cluniacensis monasterii sæpissime legitur. Spicil. t. IV.

(34) *Exceptis diebus Nativitatis Domini et Pentecostes.* Quibus temporibus antiphona de tempore paschali sumebatur, sicut habetur in breviariis Rotomag. an. 1491 et 1578, et psalteriis an. 1507 et 1586, in quibus legitur : *Nota quod per totum annum dicitur ad* Quicunque *aliqua antiphona de suprascriptis excepto tempore paschali;* et in Diurnali Lexoviensi an. 1542 : *In tempore paschali post psalmos et* Quicunque *antiphona,* Alleluia : Non enim hic agitur de symbolo *Quicunque*, quod ex ordinario Rotomagensi MS. et istis Breviariis et Psalteriis per totum annum etiam in feriis habetur.

(35) *Subsequente capitulo :* Domine miserere, *in ferialibus diebus.* Nunc autem in feriis per annum dicitur capitulum : *Pacem et veritatem.*

(36) *Confessione facta cum precibus.* Preces non dicuntur, nec fit confessio in festis triplicibus, duplicibus, nec infra octavas.

(37) *Prima finita in capitulum fratres conveniant.* Regula canonica S. Grodogangi episcopi Metensis de hora prima. *Hoc expleto conveniunt ad capitulum quotidie, et ex ista institutione, quam propter illorum utilitatem Deo auxiliante fecimus, in unoquoque die aliquod capitulum relegant, præter diem Dominicum, et quartam, et sextam feriam et solemnitates sanctorum, in quibus relegant tractatus, et alias homilias, vel quod ædificet audientes,* etc. *Et episcopus, vel archidiaconus, vel qui in loco illorum præesse videtur, ibidem quod jubere habet, jubeat, et quod corrigere, corrigat, et quod* **100** *faciendum sit, ordinare studeat. Post lectionem recitantur ætas mensis et lunæ, et sanctorum, quorum festa crastinus excipiet dies,* etc. Concilium Aquisgranense A. C. 816, l. I, cap. 123 De institutione canonicorum : *Ut quotidie ad collationem veniant, ubi et hanc institutionem et aliarum Scripturarum sanctarum lectiones perlegant, et pro admissis veniam postulent, et sententiam pro qualitate admissi suscipiant; ubi etiam de communi profectu et utilitate Ecclesiæ pertractent.* Consuetudines Ecclesiæ Rotomagensis scriptæ tempore Ricardi de Constantiis decani ante annos 400 ex veteri codice ejusdem Ecclesiæ : *In capitulo finita lectione prout decet, debet legi tabula, quæ debet ordinari et conscribi secundum exigentiam temporis, et prout convenit singulis dignitatibus et ordinibus canonicorum et servientium in choro, quæ postea non debet immutari. Postea solet fieri compotum, et tunc et ibi solent recipi excusationes canonicæ, vel reprobari; ibi etiam faciendæ sunt gratiæ vel a decano, vel ab hebdomadario, si quæ sint faciendæ. Post hæc solent recitari marantiæ et offensæ diei et horarum præcedentium, et ibi puniri. Item qualibet die Veneris debent convenire omnes canonici in capitulo hora capituli, et ibi finitis præmissis debent tractari negotia Ecclesiæ : nec se debent absentare canonici, neque tractatum impedire, nisi finitis negotiis, vel licentia accepta a decano, vel hebdomadario, si decanum abesse contigerit. Et ibi debent observari honor, honestas, commodum Ecclesiæ, sine simulatione et personarum acceptione, et absque fidelitatis et conscientiarum læsione. Et qui non venerit, vel sine licentia recesserit, panem unius diei amittat.* PR.

Item statuta antiqua Ecclesiæ Parisiensis : *Inde ad capitulum progrediuntur, ubi gestis sanctorum et diptychis defunctorum perlectis fiunt preces pro eorum requie. Postea, ter petito Dei adjutorio, subjungitur versus cum collecta, et lector, data benedictione, legit canonem seu caput regulæ quod omnes cum summa reverentia auscultant sedentes; iterumque data ab hebdomadario benedictione secedunt... Omnibus sextis feriis audiat capitulum defectus chori in hebdomada, et delinquentes examinentur, et errata corrigantur.* Ordinarium Rotomagense MS. ex bibliotheca Bigotiana, pag. 5. *Dehinc in capitulo, et ibi*

Digitized by Google

audiatur lectio de Martyrologio. ℣ Pretiosa est in conspectu Domini. Mors sanctorum **101** ejus. *Oratio* : Sancta Maria, etc. Per Dominum. Amen. Deus in adjutorium *ter dicatur*. Gloria Patri, Sicut erat, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Et veniat super. Et respice in servos. Et sit splendor. Oremus : Omnipotens sempiterne Deus dirige. Dominus vobiscum. Benedicamus. *Dehinc legatur obitus si fuerit, et dicatur* De profundis, *et preces ibi pertinentes, ut in Obitario notantur. Quo peracto puer dicat :* Jube, domne, benedicere. *Benedictio :* In viam mandatorum suorum dirigat nos omnipotens Deus. Amen. *Sequatur lectio de sermonibus vitæ clericorum.*

(38) *Ne aliqua sancti festivitas in crastino celebranda omittatur.* Sic Rituale Rotomagense an. 1651, p. 1, pag. 402 et 439. Item Grodogangus in regula canonicorum, c. 18 de hora prima : *Quotide ad capitulum omnes clericos venire constituimus, ut anima verbum Dei audiat; et episcopus, vel archidiaconus ibidem quod jubere habet, jubeat, et quod corrigere, corrigat, et quod faciendum sit ordinare studeat. Post lectionem recitantur ætas mensis et lunæ, quorum festa crastinus excipiet dies.* Et Petrus de Honestis in regula canonicorum : *Cum fratres post Primam in capitulo mane conveniunt, lector petita benedictione, mensis terminum, ætatem lunæ, feriam sequentis diei et festa more solito pronuntiet.* Unde mirum videri potest quod in quibusdam Ecclesiis in quibus Martyrologium legitur, ejusdem diei festum annuntietur; cum decantatis primis Vesperis, Nocturnis, Laudibus et Prima, jam majori ex parte officium fuerit celebratum.

(39) *Lectio regulæ canonicalis.* Scilicet Grodogangi Metensis episcopi, vel concilii Aquisgranensis.

(40) *Seu pastoralis.* Videlicet S. Gregorii papæ Libri pastoralis curæ ad Joannem episcopum civitatis Ravennæ.

(41) *Vel alicujus regularis libri.* De sententiis sanctorum Patrum, de Vita clericorum post Martyrologium Rotomagense editis, aut de sermonibus eorumdem hic agitur. In Ordinario enim ms. cathedralis ecclesiæ legitur : *Et sit lectio de sermonibus Vitæ clericorum;* aliquando : *Legatur de residuo expositionis,* id est, homiliæ.

(42) *In festis omnes.* In festis solemnioribus omnes campanæ, in duplicibus et semiduplicibus tres tantum pulsantur.

102 (43) *Duo acolythi, unus qui cantet graduale, et deferat candelabrum, alter qui* alleluia, *et ferat thuribulum.* Sic quoque Rituale Rotomagense an. 1651, pag. 399. Qua vero de causa quidam ritum illum improbent ignoro, cum in nostris habeatur institutis. Hinc etiam patet per ferias olim in Ecclesia Rotomagensi tantum fuisse ceroferarium unum in celebratione missæ; nunc autem duo toto anni tempore.

(44) *Psalmo dicto.* Id est, versu ex psalmis desumpto; sic enim testatur Honorius, l. 1, Gem. animæ, c. 87 : *Cœlestinus papa psalmos ad introitum missæ cantari instituit, de quibus Gregorius papa antiphonas ad introitum missæ modulando composuit.* Unde adhuc primus versus ejusdem psalmi canitur, qui totus olim ad introitum decantabatur.

(45) *Ceroferarius.* Qui apud Græcos acolythus nuncupatur, sicut testantur Alcuinus, cap. De tonsura clericorum, et Amalarius Fortunatus De ecclesiasticis officiis, lib. 1, cap. 10; Ivo quoque Carnotensis, serm. 2 De vita ordinandorum. Item Gemma animæ lib. 1, De antiq. ritu miss., cap. 178.

(46) *Diaconum et subdiaconum osculetur sacerdos.* Nunc autem in confessione inclinat se tantum ad illos, nec osculatur. Is tamen antiquus est ministros osculandi ritus, cujus meminere ordo Romanus in quatuor ordinibus missæ, Amalarius, lib. III De offic. ecclesiast., c. 5; Honorius lib. 1; Gem. animæ, c. 7; Hugo Victor, in Speculo eccles., c. 7, ideo (ut opinor) quod cum Tertulliano, l. De orat., cap. 10, nefas ducerent ad sacrificium pacis accedere sine pace; ad quod ut paratiores et idonei magis accederent signum reconcilationis præmittebant : quod indicat Missale Ecclesiæ Sarisberiensis editum Parisiis anno 1555, in quo habetur : *Deinde osculatur diaconum et subdiaconum, dicens :* Habete osculum pacis et dilectionis, ut apti sitis sancto altari ad perficiendum officia divina.

(47) *Sacerdos cæterique ministri retro coram altari orent,* etc. Hæc non sunt hodierni usus in Ecclesia Rotomagensi.

(48) *Diaconus post eum eamdem imitando viam consistat quousque ei sedere innuat.* Hoc statuerat concilium Laodicenum can. 20, et Rituale Rotomagense an. 1651, p. 1, pag. 398. *Nec stante presbytero diaconus aut subdiaconus* **103** *contra sanctos canones sedere præsumat, sed presbyter sedens innuat eis ut sedeant.*

(49) *Ostendit eum esse vicarium Christi.* Eadem ratione Amalarius, lib. III, De eccles. offic., cap. 5 : *Introitus episcopi ad missam, qui vicarius est Christi, ipsius adventum nobis ad memoriam reducit;* et cap. 10 de sede episcopali : *Episcopus, quia vicarius est Christi in omnibus memoratis superius, debet et hic ad memoriam nobis inthronizare Christi ascensionem et sedem.* Sic Christi vicarii sacerdotes apud Hormisdam papam, epist. 60. PR.

(50) *Ab austro ad aquilonem candelabra teneant.* Ita Alcuinus, De celebratione missæ : *Cantore incipiente* Kyrie eleison *collocantur cerei in ordine a parte australi ad septentrionem ab acolytho, ostendente hoc facto quod misertus sit Dominus omnipotens mundo in meridie et septentrione.* Nunc vero ponuntur ad orientem in Ecclesia Rotomagensi, excepto Evangelii tempore.

(51) *Incæpto* Kyrie *cerei deponuntur.* Ita ordines passim, et Amalarius, libro III, cap. 7. PR.

Item rituale Rotomagense pag. 441.

(52) *Septem candelabra.* Septenarium hunc cero-

Digitized by Google

ferariorum numerum ex Apocalypsi petitum (de quo videndus Ordo Romanus) miramur apud nos in missis pontificalibus exolevisse, ubi æqualis diaconorum et subdiaconorum numerus perseverat, in usu olim fuisse constat ex veteri Libro pontificali disertis hisce verbis : *In die ordinationis episcopi, manissime pulsetur et cantetur Prima : post quam eatur ad capitulum ibique a decano, archidiacono, cantore et cancellario ordinentur qui debent procedere ministri, sicut in majoribus mos est festivitatibus : hoc est, duo acolythi cum thuribulis, duo subdiaconi cum crucibus, septem acolythi cum candelabris et cereis, septem subdiaconi cum Evangeliorum libris, septem diaconi cum sanctis reliquiis, duodecim presbyteri induti planetis*, etc. Pr.

De septenario acolythorum numero in missis pontificalibus legendum Rituale Rotomagense anno 1651 editum, p. I, pag. 444. Et Gemma animæ, lib. I, c. 4, sic habet : *Postquam campanæ sonaverint pontifex ornatus procedit, quem septem acolythi cum luminibus præeunt.* Hunc ritum restituendum censet Rituale Rotomagense an. 1651, p. I, pag. 502.

104 (53) *Incipiente subdiacono epistolam, sacerdos juxta altare sedeat.* Sicut et hodie fit apud Carthusianos, quo in loco celebrans audit Epistolam, Graduale, *Alleluia* et Evangelium. Ex quibus constat novissime omnino hunc morem introductum, ut sacerdos celebrans legere teneatur ea quæ a diacono aut subdiacono leguntur, aut quæ a choro succinuntur.

(54) *Subdiaconus excepto tempore ministrationis suæ in choro maneat.* Id apud Carthusienses monachos non tantum a subdiacono observatur, verum etiam a diacono, qui ubi primum in ministerio altaris non desideratur, ad locum suum in choro revertitur, et cum aliis missæ decantat officium.

(55) *Epistolam, responsorium, tractus, vel alleluia sequuntur.* Per responsorium intelligas graduale, sic a Joanne et aliis divinorum officiorum expositoribus nuncupatum, quod Epistolæ respondeat.

(56) *Per tabulas osseas.* De his tabulis vide Amalarium, De ecclesiast. offic. lib. III, cap. 16. Pr.

(57) *Oportet episcopos et abbates baculos de manibus deponere.* Idem docet Amalarius, lib. III, De ecclesiast. offic., cap. 18 : *Usque ad istud officium baculis sustentabamur ; modo, ut aportet servos ante Dominum stare, humiliter stamus deponentes baculos e manibus.* Illud a cantore cathedralis ecclesiæ Rotomagensis observatur.

(58) *Subdiaconus exuta casula Epistolam legat.* De ista casula quam vocamus planetam plicatam sic habet Ordinarium Rotomagense ms. pag. 3 : *In Dominicis autem Adventus Domini et in Dominicis a Septuagesima usque ad Pascha, sint ad missam diaconus et subdiaconus in casulis, et ad Epistolam tollat subdiaconus casulam, lecta Epistola induat eam. Et diaconus ad Evangelium exuat casulam, et se more stolæ in sinistro humero palliet, sicque maneant usque in fine missæ.* Et Amalarius, l. III, c. 15 : *Ministri casula se exuunt, quando lectoris sive cantoris officium assumunt.* Item Gemma animæ l. I, c. 232. Et Hugo a S. Victore, De special. miss. observat., l. III, c. 9 sic loquitur : *In diebus autem Adventus Domini et Quadragesimæ ministri non utuntur hujusmodi vestibus* (scilicet dalmatica et tunica) *sed casulis. Tamen quando proprium officium assumunt casulis se exuunt, quia in* **105** *proprio officio, id est legendo Epistolam vel Evangelium, eos qui ad prædicandum a Domino missi sunt repræsentat. Casula autem talia significat opera quæ in itinere observari non possunt ; significat enim per latitudinem suam charitatis amplitudinem. Hæc autem exigitur et in loquendo propter quod collo circumdatur, in operando quia super utrumque brachium replicatur, et in cogitando quoniam pectus inde tegitur, et in portando aliorum onera eo quod humeri inde ambiuntur.* Quæ in cathedrali Rotomagensi in Dominicis Adventus et Quadragesimæ observantur, præterquam in Dominica Palmarum, in qua ministri utuntur dalmatica et tunica, ut in Rituali Rotomagensi, an. 1651, p. I, pag. 451 et 466, et in Missali Rotomag., an. 1668, De ritu celebrandi missam, præscribitur.

(59) *Casula induitur diaconus.* Casula non tantum diaconorum et subdiaconorum in ministerio altaris peculiare vestimentum, verum etiam omnium clericorum olim commune erat ornamentum, teste Amalario, l. II De ecclesiast. offic., cap. 19, De casula : *Casula vero quæ pertinet generaliter ad omnes clericos, debet significare opera quæ pertinent ad omnes.* Item ordo Romanus in Cœna Domini : *Statim duo acolythi parati cum nigris casulis incipiant exspoliare altaria usquedum finitur Vespera, postea tollantur.* Quibus consonat Ivo Carnotensis, lib. De rebus ecclesiasticis, serm. De significationibus indumentorum sacerdotalium.

(60) *Incensato altari.* Altare non incensatur immediate ante lectionem Evangelii, nec defertur pulvinar a subdiacono ante diaconum ad legendum Evangelium, licet idem habeatur apud Guill. Durandum Ration. div. offic., lib. IV, c. 24 De Evangelio.

(61) *Super sinistrum armum imponat.* Id est, supra sinistram pectoris partem. Idem legitur apud Amalarium, l. III, c. 18 : *Diaconus portat Evangelium in sinistro brachio*, etc.

(62) *Præcedentibus ceroferario thuribulique latore, cum processione.* Id est, in modum processionis. Unus autem (ut legimus supra) olim erat in missæ celebratione per ferias ceroferarius in Ecclesia Rotomagensi, cujus vestigium videtur in nostro Rituali., p. I, pag. 444.

(63) *Quo lecto candelabra exstinguantur.* Idem docet Amalarius, lib. III, De ecclesiast. offic., c. 18 : *Evangelio reposito post lectionem in loco suo cerei exstinguuntur, quia, finita* **106** *prædicatione Evangelii, lex et prophetia cessabunt.* Amalario astipulatur G. Durandus, Ration., l. IV, c. 24. et expositio mis-

Digitized by Google

sæ subsequens ex ms. codice Bigotiano deprompta. Nunc autem remanent accensi per totum missæ officium, quo finito celebrans et ministri in sacristiam recedunt, præeuntibus duobus ceroferariis cum cereis ardentibus.

(64) *Incensum sacerdoti in thuribulo offeratur.* Id est, incensetur : quod de thurificatione altaris non est intelligendum.

(65) *Quam finitam versus sequatur.* Ordinarium ecclesiæ metropolitanæ : *Statutum est in Ecclesia Rotomagensi per totum annum versus offerendarum secundum suum ordinem cantare, et sub anathemate jussum ne dimittantur propter cleri negligentiam, nisi presbyter fuerit promptus ad :* Per omnia.

(66) *Cantor aquam linteo coopertam in festis diacono deferat.* Idem Alcuinus in libro De divin. officiis hisce verbis edocet : *Cantores more levitarum, qui omnia necessaria tabernaculi providebant, quærunt aquam ad fontem, et servant eam coopertam usque ad tempus sacrificii, et sic eam mundam offerunt.* Gemma animæ similiter de antiquo ritu missarum l. I, c. 38, De cantoribus : *Unus cantor oblatam cum favone et vinum cum ampulla offert, alter aquam vino admiscendam præbet.* Id non est hodierni usus.

(67) *Aliis diebus ministret eam acolythus.* In hac nostra diœcesi tam in feriis et Dominicis, quam festivis diebus ab acolytho offertur.

(68) *Sacerdos oblationem ita componat.* Micrologus, De eccles. observat., cap. 10. *Oblata in corporali posita, calix ad dextrum latus oblata ponatur, quasi sanguinem Domini susceperus, quem de latere Dominico profluxisse credimus.*

(69) *Incensum desuper offerat.* Juxta decretum concilii Rotomagensis sub Joanne I, archiep. Rotomag., c. 1 : *Ut tempore quo Evangelium legitur, finitoque offertorio super oblationem incensum in mortem videlicet Redemptoris nostri ponatur, decrevimus.* In ecclesia cathedrali incensatis oblatis et altari, incensato etiam sacerdote, in circuitu altaris defert diaconus, qui incensatis regum tumulis et altari sanctæ Mariæ acolytho reddit thuribulum, qui nec clerum nec populum thurificat.

107 (70) *Subdiaconus vero, si fuerit, acolytho.* Eodem modo Ordo Romanus, de officio missæ : *Quando inchoat canonem venit acolythus sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera usque ad medium canonem.* Et Gemma animæ de antiq. ritu miss., c. 48 : *Acolythus infra canonem patenam involutam tenet, quam hic subdiaconus defert.* Hunc ritum observat Parisiensis Ecclesia; verum in Ecclesia Rotomagensi, non acolythus, sed patenam tenet subdiaconus.

(71) *Dominici corporis et sanguinis consecrationem.* Consecrationis nomen duobus modis apud liturgicos accipitur, vel pro conversione panis et vini in Christi corpus et sanguinem, vel pro ipsa, ut mystice loquamur, corporis et sanguinis commistione. Priori sensu intelligendus est sanctus Ambrosius, lib. IV, De sacramentis, cap. 4, cum ait : *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu.* Et paulo post : *Non erat corpus Christi ante consecrationem ; sed post consecrationem dico tibi quod jam corpus est Christi.* Ad posteriorem de quo hic sermo, referenda sunt verba illa S. Laurentii ex libro. I Officiorum ejusdem Ambrosii, cap. 41 : *Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum.* Sic enim constanter legendum est hoc loco, et in actis ejusdem S. Laurentii, ex antiquis codicibus, non *sanguinis dispensationem*, ut perperam habent recentiores. Nam Dominici sanguinis consecratio, id est, cum parte oblatæ in calice commistio, diaconi custodiæ et ministerio committebatur. Quod munus *consummandorum consortium sacramentorum* aptissime ibidem appellatur. Pr.

Et concilium Aquisgranense habitum A. D. 816, p. 335, edit. Sirmondi, cap. 7 : *Sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet, nam sicut in sacerdote consecratio, ita et in ministro dispensatio sacramenti est,* etc. Eadem Isidorus, lib. II De offic. ecclesiast., cap. 8.

(72) *Oblata quatuor partes calicis tangat.* Idem habetur apud Ivonem Carnotensem, epist. 233, et in Ordine Romano, in antiquo ordine missæ : *Pontifex e latere tangit calicem duas faciens cruces.* Tres nunc formantur cruces; monent autem rubricarum Missalis commentatores cavendum, **108** ne oblata labium calicis tangat hostia, ne fragmenta inde fiant, et inter alios Bartholomæus Gavantus ibi.

(73) *Oratione finita uterque calicem levent, et simul ponant et cooperiant.* Hodie diaconus non levat calicem, sed tantum discooperit, et post elevationem cooperit. Olim calix levabatur a sacerdote et diacono, simul et deponebatur; verum non solus calix, sed etiam hostia in patena calici superposita, ut planum est ex Ivone Carnotensi, epist. 233. Adverte autem apud auctorem nostrum nihil legi de elevatione corporis et sanguinis Christi seorsim, ut hodie fit simul atque panis et vinum consecrata sunt, ut a populo circumastante adorentur : quem ritum non puto adeo esse antiquum, cum nec in Sacramentario S. Gregorii, nec in Sacramentariis excusis, nec apud Pamelium reperiatur, quemadmodum nec in veteribus Ordinibus Romanis, neque apud Alcuinum, Amalarium Walafridum, Rabanum, neque in expositione missæ inferius edita, nec apud Micrologum, qui elevationis corporis, quæ fit simul cum calice antequam oratio Dominica recitetur, mentionem facit.

(74) *Altare diaconus osculetur, deinde dexteram sacerdotis scapulam.* Hæc non observantur in Rotomagensi Ecclesia.

(75) *Subdiaconus diacono.* Hunc ritum retinet Ecclesia Rotomagensis, sed Gemma animæ, lib. I, cap. 48 sic habet : *Acolythus infra canonem patenam involutam tenet, quam hic subdiaconus defert : subdiaconus præbet archidiacono, quam ipse osculatam uni de dia-*

Digitized by Google

conibus ad tenendam, et corpus Domini in ea confringendum porrigit.

(76) *Alia se diaconum subdiaconumque communicet.* Eadem enim hostia diaconus, subdiaconus et populus communicabantur, ut inferius demonstratur.

(77) *Si autem opus non fuerit, tertiam sacerdos, aut unus ministrorum accipiat.* Qui enim sacris altaribus olim ministrabant sacramenti hujus participatione digni judicabantur. Quod autem ad laudationem Toletani concilii spectat, Joannes noster videtur hic memoria lapsus, non enim in Toletano, sed in Bracharensi concilio III exstat hæc prohibitio.

(78) *Summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis.* Digna Mauriliani sæculi religione cautio; sed minus probata **109** intinctionis consuetudo, quam vitandam monet Micrologus, cap. 19, ac paulo post abrogavit concilium Arvernense A. C. 1095, dum sanxit ut *corpus Dominicum et sanguis Dominicus singulatim acciperetur.* Diutius viguit abusus ille apud Anglos, nam in concilio Westmonasteriensi A. C. 1175 inhibetur, *ne quis quasi pro complemento communionis intinctam alicui eucharistiam tradat.* PR.

(79) *Unumquemque primitus osculetur*, etc. Ordo Romanus De officio missæ et vetus ms. Benedictionale bibliothecæ cathedralis Rotomagensis huic loco concordant : *Presbyteri ergo et diaconi osculando episcopum corpus Christi ab eo manibus accipiant, subdiaconi autem osculando manum episcopi ore accipiant corpus Christi ab eo.*

(80) *Partem sibi accipiat, et partem subdiacono tribuat.* Sic Ordo Romanus et vetus ms. Benedictionale ibidem : *Ipse autem diaconus tenens calicem et fistulam stet ante episcopum, usquedum ex sanguine et corpore Christi quantum voluerit sumat, et calicem et fistulam subdiacono commendet ; et eidem diacono nimis caute procurandum est, ne quid in calice aut patena sanguinis vel corporis Christi remaneat.* Hæc et sequentia non usitantur in Rotomagensi Ecclesia.

(81) *A quo unus canonicorum pacem accipiat, quam in utroque choro majoribus distribuat*, etc. Osculum pacis olim in fine sacrificii dabatur, ut appareret populum ad omnia quæ in sacris mysteriis aguntur et in Ecclesia celebrantur præbuisse consensum. In Ordine enim Romano De officio missæ hæc leguntur : *Expleta benedictione* (scilicet episcopali post *Da propitius pacem*) *veniens presbyter accipiat pacem ab episcopo eamdem cæteris oblaturus.* Item Alcuinus, De divinis officiis, tit. De celebratione missæ : *Impreeata igitur pace incipiens a sacerdote dat sibi mutuo omnis Ecclesia osculum pacis, ut omnibus vera pace unitis fiat in eis locus Dei;* et libro De significatione vestimentorum : *Ab his personis dantur oscula mutuo in ecclesia, quæ nullius titillationem libidinosæ suggestionis cogunt excitare.* Idem docet Amalarius, lib. III De ecclesiast. offic., cap. 32 De osculo pacis ; Carolus Magnus, lib. I Capitular. apud Ansegisum, cap. 55. In Decretalibus Innocentii papæ : *Ut pax detur ab omnibus confectis Christi sacramentis.* Item Walafridus Strabo, De rebus ecclesiasticis, c. 22 : *Pacem ante communionem dari Innocentius* **110** *papa decretis suis instituit.* Micrologus De eccles. observat., c. 18, Radulfus Tungrensis, De canonum observ., proposit. ult.; Gemma animæ, lib. I, De antiquo ritu miss., c. 90 De canone, et c. 62 De pace Domini; Joannes Belethus in sua divinorum officiorum explicatione, c. 48; G. Durandus Mimatensis episcopus, lib. IV, Ration. div. offic., c. 53 De pacis osculo. Item Joannes Stephanus Durantus, De ritibus Ecclesiæ catholicæ, lib. II, c. 54 De osculo pacis, expositio missæ ex vetusto codice; et Odo Cameracensis episcopus in Expositione canonis : *Finis et consummatio sacrificii fit de pace, ut maneamus in pace; unde et in consummatione sacrificii osculum pacis sumimus, quo et nostrum in sacrificio assensum participatione offerimus, et quod debeamus in pace manere, significamus.* Quibus consonant Ordinarium Rotomagense ms. pluribus in locis, Missale Parisiense ms. 300 circiter annorum, in cujus canone, post *Agnus Dei*, sic legitur : *Pax tibi, frater, et omnibus Christifidelibus.* Missalia Rotomagensis Ecclesiæ A. C. 1516, 1527, 1576 et 1604, et Rituale Rotomagense sub Carolo Borbonio an. 1586 in canone missæ : *Hic capiat pacem si capi debeat, dicendo :* Pax tibi, frater, et Ecclesiæ sanctæ Dei. Missale autem Ecclesiæ Sarisberiensis in Anglia anno 1555 editum in canone sic habet : *Hic deosculatur sacerdos corporalia in dextera parte et summitatem calicis, et postea diacono dicat :* Pax tibi et Ecclesiæ Dei. *Responsio :* Et cum spiritu tuo. *Diaconus a dextris sacerdotis ab eo pacem recipiat, et subdiacono porrigat : deinde ad gradum chori ipse diaconus pacem portet rectoribus chori, et ipsi pacem choro portent uterque suæ parti, incipiens a majoribus. In festis vero et feriis quando chorus non regitur, pax a diacono choro apportatur per duos extremos de secunda forma.* Rituale vero Rotomagense an. 1651, p. I, pag. 400 : *Præterea eadem auctoritate archiepiscopali cautum est, ut in omnibus missis (præterquam pro defunctis) post orationem :* Domine Jesu Christe qui dixisti, etc., *pax detur. In ea vero danda in missis solemnibus servetur ordo a memorato Joanne II in Libro rituali (quem ante annos 570 ipse tum Abrincensis episcopus venerabili Maurilio archiepiscopo et decessori suo obtulit) ita præscriptus :* Sacerdos, etc. Item Missale Rotomagense anno 1668, De ritu celebrandi missam. Hujus quoque mystici pacis osculi meminerunt prisci Patres : **111** Auctor libri De Ecclesiastica hierarchia cap. De communione; Justinus martyr, Apolog. 2, circa finem; Tertullianus, lib. De Orat.; S. Gregorius Nazianzenus, orat. 3 De pace ; S. Chrysostomus, lib. I De compunctione cordis, homil. 3; De proditione Judæ ad finem, et homil. 51 ad populum Antiochenum; S. Hieronymus ad Theoph. Alexandrinum; S. Augustinus in serm. De vigilia Paschæ; S. Paulinus Nolanus episcopus, Carm. ad Cyther. et Isidorus Hispalensis De divinis officiis, cap. 15. Suprascriptis testimoniis videtur osculum vel instrumentum pacis in missæ sacrificio

Digitized by Google

dandum, ut in pluribus ecclesiis parochialibus diœcesis Rotomagensis observatur : quem ritum in ecclesia cathedrali Rotomagensi inusitatum utpote antiquum et laudabilem multi de capitulo revocari in votis habuerunt, sed nondum restitutus est.

(82) *Chorus psallat* Agnus Dei, *quod Sergius papa tempore confractionis corporis Domini cantare præcepit.* Sic Alcuinus, lib. De divin. offic. et Amalarius, l. III, De ecclesiast. officiis, c. 33 hisce verbis : *Sergius papa constituit ut* Agnus Dei *cantaretur, sicut scriptum est in Gestis pontificalibus. Hic statuit ut tempore confractionis Dominici corporis* Agnus Dei *a clero et populo decantetur.* Item Walafridus Strabo De rebus ecclesiast. c. 23, Micrologus De eccles. observat., c. 18, et Gemma animæ, l. I, c. 90.

(83) *Diaconus si casula utitur, iterum induat.* Idem Gemma animæ, l. I, c. 231 De diaconi casula : *Peracto ministerio diaconus casula induitur.* Idem Rituale Rotomagense anno 1651 editum indicat, p. I, pag. 466.

(84) *Clero respondente* Deo gratias *officium finiat.* Hinc notandum in fine missæ nec benedictionem super populum dari, nec Evangelium Joannis olim legi consuevisse, sicut nec hodie apud Carthusianos : quod etiam sequentia indicant. Gemma animæ, l. I, c. 3. Ite missa est, *licentia;* Deo gratias, *interjectio gratulandi. His quippe peractis populus grates Deo reddit, et ad propria redit.* In Missalibus vero Rotomagensis Ecclesiæ an. 1516, 1527 et 1576, habetur benedictio, sed non Evangelium Joannis, et in Missali Rotomag., an. 1604, sub Carolo a Borbonio habetur : *Vertit se ad populum, et ei benedicit manu, interim exuitur casula dicendo :* Dominus vobiscum, *et Evangelium secundum Joannem.* In **112** Missali autem Parisiensi ms. 300 circiter annorum, in veteri Romano 200 et in Missali Ecclesiæ Sarisberiensis an. 1555, nec benedictio nec Evangelium habentur, sed tantum, *Placeat tibi, sancta Trinitas.* Missale Sarisberiense præscribit : Placeat tibi sancta Trinitas, *qua finita erigat se sacerdos signans se in facie sua, dicens* : In nomine Patris, etc. *Et sic inclinatione facta, eo ordine quo prius accesserunt ad altare in principio missæ, sic induti cum ceroferariis et cæteris ministris redeant; et statim post* Deo gratias *incipiatur in choro hora nona, quando post missam dicitur; sacerdos vero in redeundo dicat Evangelium :* In principio.

(85) *Diebus Pentecostes.* Id est, tempore paschalis Quinquagesimæ. Sic Amalarius, lib. IV, cap. 29 et 46, et alii. PR.

(86) *Diaconus et subdiaconus induantur casulis.* Joannis tempore casulæ diaconi et subdiaconi videntur in usu fuisse per ferias Adventus et Quadragesimæ, nunc autem in Dominicis tantum ejusdem temporis; et in feriis agendis mortuorum, et Sabbatis Quatuor Temporum utuntur alba, manipulo et stola, ut etiam legitur in Ordinario Rotomagensi ms., pag. 3 : *In feriis prædicti temporis sint in albis ad missam, et in vigiliis sanctorum, et jejuniis Quatuor Temporum, Septembris, Adventus et Quadragesimæ.*

(87) Gloria in excelsis *in festis, excepto Adventu et Quadragesimæ tempore.* Olim in festis tempore Adventus et Quadragesimæ *Gloria in excelsis* non decantabatur, ut hinc patet, et ex Alcuino, lib. De divin. offic., tit. De Purificatione S. Mariæ : *Ipsa die non cantatur* Gloria in excelsis Deo, *si infra Septuagesimam evenerit;* et ex Missalibus ad usum Rotomagensis Ecclesiæ an. 1513, 1516, 1527, 1576 et 1604, in quibus legitur in festo Purificationis : Gloria in excelsis, *nisi Septuagesima fuerit.*

(88) *Et sic altare incensando.* Hæc thurificatio nostra adhuc ætate fiebat a diacono genuflexo. PR.

In nostra diœcesi incensatur altare dum a choro cantatur *Kyrie eleison,* quod notat Guill. Durandus, Ration. div. offic., l. IV, c. 10. *Post datum osculum episcopus seu sacerdos accipiens de manu diaconi thuribulum sacrum incensat altare.* Item Rituale Rotomagense, p. I, pag. 393. In omnibus festis (exceptis simplicibus) in Ecclesia Rotomagensi, dum cantatur *Gloria in excelsis,* ab acolytho thurificatur chorus.

113 (89) Credo in unum *cantabitur, scilicet omnibus diebus Dominicis,* etc. Sic fere Ordinarium Rotomagense a 200 circiter annis conscriptum, ex bibliotheca Bigotiana.

(90) *Nona hora sua dicatur.* Scilicet tertia post meridiem hora, quod observat ecclesia metropolitana Rotomagensis, exceptis jejunii diebus, in quibus hæc hora ut in monasteriis ante meridiem anticipatur.

(91) *Quos capitulum, dehinc hymnus sequatur.* Hic non fit mentio responsorii : *Tu exsurgens, Domine,* quod canitur per totum Adventum in Dominicis et feriis, et assignatur in Ordinario Rotomagensi ms., p. 5, in Breviariis ad usum Rotomagensis Ecclesiæ, an. 1491 et 1578 editis, et in novissimis. Fortasse tempore Joannis in nostra provincia nondum fuerat decantatum; nec ubique (ut testatur Amalarius libro De ordine antiphon., c. 80) decantabatur, sed tantum in quibusdam peculiaribus ecclesiis.

(92) *Feriales hymni semper cantentur.* Nunc cantatur per ferias Adventus ad Vesperas hymnus : *Conditor,* ut notatur in antiquo Diurnali Lexoviensi, et in Breviariis Rotomag., an. 1491, 1578 et in novissimis.

(93) Kyrie eleison *et oratione Dominica, flexis genibus, precibus finiant.* Idem habetur in Breviariis Rotomag., an. 1491, 1578, et in psalteriis an. 1507 et 1586, et in Breviariis Parisiensi a. 1557, et Abrincensi 1592, in quibus dicuntur preces in singulis horis per ferias, sed et in Ordinario Rotomagensi ms., pag. 6 legitur : *Feria secunda* (Adventus scilicet) *ad Primam hymnus :* Jam lucis : *Ant.* Veni. *Psal.* Deus in nomine, etc., *Ant.* Gloria tibi, Trinitas. Quicunque. *Capitulum :* Domine miserere. *Responsorium :* Jesu Christe, *non dicatur, sed dicto capitulo sequatur versus :* Exsurge, Domine; *ad* Kyrie eleison

Digitized by Google

sint prostrati. Pater noster, *et dicantur vreces*, etc. *In capitulo sicut prænotatur.*

(94) *Hymnus de sancto cantetur*, etc. Nunc de eo fit tantum commemoratio in primis Vesperis, Laudibus et missa.

(95) *Memoria S. Mariæ, angelorum, Joannis Baptistæ*, etc. Hæ memoriæ non fiunt in Ecclesia Rotomagensi, sed tantum de cruce, de sancta Maria, de patrono, de sancto Romano et de pace.

(96) *In missa vero*, etc. Non quinque ut hic, sed tres ut plurimum orationes nunc præcipiuntur in missa de feria, **114** totidemque in missa pro defunctis, non quatuor, ut hic notatur.

(97) *Quinta pro principe.* Hoc apostoli præceptum de obsecrationibus et orationibus pro regibus faciendis constantissime præ cæteris semper tenuit Ecclesia Rotomagensis, regum lactata uberibus, et regum mater. Hinc illud Hugonis III archiepiscopi ad Ludovicum VII Franciæ regem, epist. 202, De rebus Franc., tom. IV script. Hist. Franc. : *Novit Deus, quod in omnibus synodis, ecclesiarum consecrationibus, conventibus, missis, memoriam vestri facimus in orationibus nostris quoniam vos plurimum diligimus.* Hinc Rotrodus, Hugonis successor, apud Petrum Blesensem canonicum Rotomagensem, epist. 28 De eodem Ludovico. *Recordetur* (inquit) *dominus rex Francorum Rotomagensem Ecclesiam suam esse, quæ pro illo assidue, tanquam pro rege suo unico, specialiter interpellat.* Hinc etiam in Ordinario ejusdem Ecclesiæ identidem præscribitur, ut si D. archiepiscopus celebret, fiat memoria papæ et regis. Hinc denique in eadem missa archiepiscopali solemnis illa canonicorum ad cantum, *Christus vincit*, acclamatio. *N. regi Francorum pax, salus et victoria.* PR.

(98) *Si in Dominicis festivitas 9 lectionum alicujus sancti evenerit*, etc. Hæc in nostra diœcesi non observantur, nisi sit festum duplex aut triplex.

(99) *A capite jejunii usque ad Kal. Nov. Vesperæ et Vigiliæ mortuorum post Vesperas diei*, etc. In ecclesia cathedrali per Quadragesimam Vigiliæ mortuorum immediate ante Completorium una cum Laudibus persolvuntur tertia post meridiem hora.

(100) *Cum novem lectionibus festive celebretur.* In metropolitana ecclesia officium defunctorum sub una tantum nocturna celebratur, præterquam in die depositionis defuncti, ut in Rituali Rotomagensi notatur.

(101) *Quod altero præcedente Sabbato cantabitur* Responsorium *Ecce dies* Dominica præcedente Adventum in statione processionis ante crucifixum canitur, non autem Sabbato præcedenti ad Vesperas, ut hic describetur, sed in Ordinario Rotomagensi ms. nulla fit mentio.

(102) *Processio ad crucifixum nulla fiat.* Scilicet in Sabbatis; nunc tamen in cathedrali ecclesia fit processio post Vesperas **115** Sabbati per totum annum, in qua canitur responsorium : *Sancta et immaculata virginitas*, cui prosa : *Inviolata*, subjungitur, et psalmus : *De profundis*, musice, ex fundatione domini *de Grigneuseville*, (licet musica in luctu importuna sit narratio) quæ fundatio facta est pro Sabbatis Adventus et Quadragesimæ, aliis vero temporibus pro primis Sabbatis cujusque mensis.

(103) *A duobus cantoribus cappatis chorus regatur.* Cappa enim cantorum proprium est ornamentum, quod olim habebat caputium quo caput tegeretur, sicut apud Honorium, l. I Gem. animæ, c. 227, de cappa legitur : *Cappa propria vestis est cantorum. Per hanc vestem sanctam conversatio prænonstratur, ideo a singulis ordinibus portatur : hæc in supremo habet caputium quod designat supernum gaudium.* Hodie istud caputium in humeros descendit, nec in capite defertur.

(104) *A quibus responsorium* O Juda *decantetur.* Olim a duobus hoc responsorium decantabatur, postea ad tres numerus excrevit, ut constat ex Ordinario Rotomagensi ms., pag. 16 : *Tres de majoribus in cappis.* ℟. O Juda et Jerusalem. *Antiphona cum trina repetitione. Antiph.* Ecce jam venit. *Psal.* Magnificat *psalmodizetur de sexto (nunc de 6 tantum) et quinto tono : interim altaria incensentur a duobus presbyteris in cappis, et postea a duobus pueris chorus.* Numerus cappatorum qui responsorium in festis triplicibus canunt a ternario ad quaternarium numerum hodie extenditur.

(105) *Omnes campanæ prima noctis vigilia pulsentur.* Olim tres in nocte vigiliæ, ut testatur Honorius Augustodunensis in libro Gem. animæ, De antiquo ritu miss., lib. II, c. 1, 2, 7 et 11. Prima enim vigilia decima circiter hora serotina agebatur, secunda media nocte, tertia una circiter hora ante diluculum. Tres vigilias sic indicat S. Hieronymus in epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis : *Noctibus bis terque surgendum;* et G. Durandus, Rationdiv. offic. lib. v, c. 3, De Nocturnis, perspicue omnino eas demonstrat disertis hisce verbis : *Sciendum est quod in primitiva Ecclesia ministri Ecclesiæ ter de nocte interpellatim surgebant ad divinum officium celebrandum. Surgebant enim primo circa primum somnum, quando vulgus solet ire dormitum; secundo circa mediam noctem; tertio paululum ante diem : sic ordinantes officium, ut nocturnæ finitæ et lectiones cum suis* **116** *responsoriis perlectæ essent priusquam lucesceret; apparente vero aurora pulsatis campanis cantabant :* Te Deum laudamus, *et matutinas Laudes. Ad primum nocturnum pontifex et ministri Ecclesiæ surgebant, quæ sine invitatorio cantabatur, pro eo quia nullus ad hanc invitabatur. Et vocabatur vigilia, quia habuit initium a pastoribus vigilias noctis super greges suos servantibus. In præcipuis tamen solemnitatibus populus tota nocte in Dei laudibus persistebat; sed illud sublatum est, et jejunium loco illius vigiliæ ordinatum. Ad secundum nocturnum surgebant ministri simul et conjugati, tam mulieres quam viri : quæ cum invitatorio dicebatur, ad significandum angelos invitantes pastores ad videndum regem natum. Ad tertium surgebant omnes communiter; sed postea algescente charitate, cum omnes*

Digitized by Google

tam ministri Ecclesiæ quam populus surgere ad nocturnum officium pigritarent, statutum est ut omnes media nocte surgerent, et totum noctis officium continue cantaretur, et plures adhuc illa hora surgunt (ut fit in ecclesia cathedrali Parisiensi, et in plurimis monasteriis). *Quia vero quidem nocturnis deliciis plus quam Dei servitiis vacantes institutionem hujusmodi non servabant, consequenter statutum est ut saltem tempore ultimi nocturni omnes surgant. Rursus in memoriam dictæ devotionis antiquorum ter in nocte surgentium tres nocturnos dicimus, qui et inde nomen et originem habuerunt.* In ecclesia vero cathedrali Rotomagensi in festis solemnioribus officium nocturnum cum Laudibus hora quarta matutina cum dimidia, in aliis triplicibus quinta, in duplicibus et semiduplicibus quinta cum dimidia, in simplicibus autem et feriis sexta persolvitur.

(106) *Invitatorium a quatuor clericis cantetur.* Invitatorium a quatuor clericis, scilicet cappis indutis, canitur, ut habet Ordinarium Rotomagense ms., p. 17 : *Ad matutinum invitatorium quatuor de majoribus in cappis :* Christus natus est. *Psal.* Venite.

(107) *Tertium, sextum, nonum cappis induti.* Tertium et sextum respons. a tribus cappatis canuntur, nonum autem a quatuor qui cantaverint invitatorium.

(108) *In secundo, quinto et octavo.* Ordinarium Ecclesiæ in rubrica de Matutinis festorum triplicium : *Altaria incensentur et chorus ad secundam, et quintam, et octavam lectiones, et altare ad Evangelium.* Pr.

117 In ecclesia cathedrali et in aliis parochialibus ecclesiis diœcesis Rotomagensis, ad responsoria nunquam thurificatur chorus in nocturnis.

(109) *Lectiones primi nocturni de prophetis erunt.* Scilicet de prophetia Isaiæ, ut habetur in antiquis Breviariis ad usum Rotomagensis Ecclesiæ, quæ etiamnum leguntur hac in nocte sine titulo. Notandum autem quod in ecclesia cathedrali Rotomagensi toto anni tempore, etiam æstivali, defertur lucerna ardens a puero præcedente acolythum qui defert lectionarium : quod nocturnas vigilias de nocte dicendas demonstrat.

(110) *Tria Evangelia in cappis, incenso et candelabris præcedentibus pronuntientur.* Quæ omnia observantur in Rotomagensi Ecclesia, et incensatur altare antequam quisque legat Evangelium, ut præscribit Ordinarium Rotomagense ms., pag. 17 : *Septima lectio, octava et nona cum candelabris et thuribulo, et incensetur majus altare.*

(111) *Major ecclesiæ sacerdos dalmatica indutus et casula.* Eo die sicut in Epiphania, non dalmatica, sed casula tantum induitur sacerdos, comitante subdiacono, ut notat Ordinarium Rotomag. ms., p. 17 : *Finita prosa quidam sacerdos revestitus omnibus indumentis sacerdotalibus, cum ipso subdiaconus tunica revestitus, cantet ante altare Evangelium :* Liber generationis. *Finito Evangelio dominus archiepiscopus, aut decanus, vel alius de majoribus de dextro choro, inciviat ante altare cum candelabris et thuribulo :* Te Deum.

(112) *Clerus et populus lavatum exeat.* De ista lotione nihil reperio in Ordinario et in libris officialibus ms. ad usum Rotomagensis Ecclesiæ, nec apud officiorum divinorum interpretes. Hic forte irrepsit librarii error, qui *lavatum exeat*, pro *salutatum eat*, scripserit ; hujus enim salutationis ad præsepe mentio fit in officialibus libris et in Ordinario Rotomagensi ms. in hunc modum : *Finito* Te Deum, *peragatur officium pastorum hoc modo secundum Rotomagensem usum. Præsepe sit paratum retro altare, et imago sanctæ Mariæ sit in eo posita. In primis quidam puer ante chorum in excelso in similitudine angeli Nativitatem Domini nuntians ad quinque canonicos quindecim marcarum et librarum, vel ad eorum vicarios de secunda sede ; pastores intrantes per magnum ostium chori, per medium chori transeuntes, ad locum in quo paratum est* **118** *præsepe accedant cantantes hunc versum :* Pax in terris, etc. *Salutent pastores Virginem... Tunc viso puero pastores qdorent eum. Finita missa, sacerdos qui missam cantaverit vertat se versus pastores, et dicat :* Quem vidistis, pastores? dicite, annuntiate nobis in terris quis apparuit. *Pastores respondeant :* Natum vidimus, etc.

(113) *Missam celebrent, quam secretarius ecclesiæ celebret, secundam cantor, tertiam præsul aut decanus.* Sic quoque Ordinarium Rotomagense ms. tribus diversis presbyteris tres missas assignat, non eidem (ut vulgo fit in ecclesiis parochialibus). *Dominus archiepiscopus si præsens fuerit cantet missam, aut decanus. Sequatur missa de luce* quam *cantet unus de sinistro choro...* (Post processionem) *archiepiscopus cum septem diaconis et totidem subdiaconis et aliis ministris cantet missam.* Similiter a tribus diversis presbyteris tres missæ debent decantari apud Carthusianos, ex cap. 5 Statut. antiq.

(114) *Secretarius ecclesiæ.* Qui et custos apud Rotomagenses et sacrista, nunc autem usitatiori et ab Isidori tempore in sacra jam adscito nomine thesaurarius dicitur. Pr.

(115) *Cantor antiphonam :* Ecce completa sunt, *incipiat.* Ordinarium Rotomagense ms. Benedicamus *cantetur a pastoribus,* Verbum Patris hodie ; *quo finito pastores cantent hanc antiphonam in pulpito :* Ecce completa ; *archiepiscopus vel sacerdos dicat versum :* Post partum. *Oratio :* Deus qui salutis. Benedicamus, *tres pueri.* Hæc sublata sunt in Ecclesia Rotomagensi.

(116) *Incipiente diluculo altera missa eodem modo celebretur.* Nunc vero more duplici celebratur in ecclesia cathedrali, quæ, Laudibus peractis, ibi statim decantatur, in parochialibus vero ecclesiis oriente sole.

(117) *In Vesperis hymnus :* A solis ortus. Hodie canitur in primis Vesperis hymnus : *Veni, Redemptor,* ut habetur in Ordinario Rotom. ms. et in vetustis Breviariis et Psalteriis.

(118) *Diaconi diaconalibus vestibus induti.* Hunc diaconorum et sequentes presbyterorum et puero

Digitized by Google

rum ritus fusius explicat Ordinarium ecclesiæ metropolitanæ, ubi inter cætera in festo S. Stephani præscribitur, ut in processione (si festum in Dominica evenerit) *diaconi in cappis sericis sint in superiori parte processionis versus portam S. Romani, et omnes* **119** *alii sint cappis suis nigris versus pulpitum : et ita fiat a sacerdotibus et pueris in die S. Joannis et SS. Innocentium.* Item ut *ad missam omnes diaconi in cappis in medio chori chorum regant ;* ut *diaconus legat epistolam :* Stephanus plenus, *et in loco ubi dicitur :* Clamavit voce magna dicens, *duo diaconi cantent prosam :* Stat ut agnus inter lupos. *Tres diaconi :* Sederunt principes. ℣ Adjuva me. *Ut omnes diaconi cantent :* Alleluia. ℣ Ecce video cœlos, *in medio chori in modum coronæ*, etc. ; denique ut lecto Evangelio pronuntiet *quidam diaconus in cantu :* Credo in unum Deum. Pr.

Diaconi procedant cum cereis. Scilicet ad altare S. Stephani, ut habetur in Ordinario Rotomagensi ms., p. 20 : *Finitis Vesperis, omnes diaconi ecclesiæ in superliciis, tenentes cereos ardentes in manibus veniant per chorum cum processione bini et bini usque ad altare S. Stephani, cantando responsorium :* Sancte Dei pretiose. *Tres diaconi cantent versum :* Ut tuo. *Quo finito incipiatur antiphona :* Beatus Stephanus, levita. *Tres diaconi* ℣ Gloria, etc. *Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus. *In reditu, ant.* Nesciens mater, *vel responsorium de S. Maria ad placitum, et finiatur in choro. Duo diaconi cantent* ℣ Post partum, *vel* Speciosa. Oremus. Deus qui salutis. Benedicamus *ad placitum.* Hujus processionis usus sublatus est in Rotomagensi Ecclesia ; eam tamen sic describit Processionale Bajocense anno 1624 editum : *Finitis ultimis Vesperis diei istius* (scilicet Nativitatis Domini) *petit processio fontes per superiorem exitum chori ; subdiaconus autem festive indutus brachium sancti Stephani cum sindone sericea, et ea rubea, defert cantaturque responsorium sequens :* Lapides torrentis, etc. *Hæc tantum in ecclesia cathedrali observantur. Prosa :* Cœlos vidit, etc. *Deinde incipit archichorista antiphonam sequentem :* Infunde, etc. ; *postmodum progreditur processio in navim ecclesiæ, cantando responsorium :* Felix namque, *cum versu* et Gloria Patri, et *prosa :* Inviolata. *In reditu* ℟ Descendit *sine versu.* In eodem Processionali Bajocensi habentur processiones tribus sequentibus diebus post Vesperas et Tertiam. In veteri vero Ordinario, seu Ceremoniali ms. canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis ordinis S. Augustini, post Vesperas et Laudes.

(119) *In matutinis ut præcedenti nocte pulsentur campanæ.* **120** Festum S. Stephani nunc more duplici celebratur ; invitatorium a duobus cappatis canitur qui chorum regunt in nocturnis et Laudibus. Sequentes ceremoniæ scilicet in festis S. Stephani, S. Joannis evangelistæ, et sanctorum Innocentium penitus obsolevere. Non incongruum tamen nobis videtur referre quæ in Ordinario ms. habentur in hac festivitate. *Dum nona lectio legetur omnes diaconi pergant ad vestiarium, qua finita exeant de vestiario cum cereis ardentibus cantando* ℟ O martyrum gemma, *et ante altare ad modum coronæ cum versu et prosa a tribus diaconibus finiatur : quo finito incipiatur* Te Deum, etc., ut supra. In festo S. Joannis evangelistæ eosdem ritus processionales describit Ordinarium Rotomagense ms.

(120) *Cum antiphona* et Gloria Patri, *memoria Nativitatis.* In Ecclesia Rotomagensi fit memoria Nativitatis cum antiphona, versu et oratione, sublato versu *Gloria Patri.*

(121) *Deinceps procedentibus sacerdotibus.* Magna S. Joannis antiquitus apud nostrates presbyteros veneratio : cujus variæ rationes peti possunt ex variis ejus prærogativis, quæ sacerdotali ordini admodum conveniunt. Sed hæc potissimum arridet, quod solus inter apostolos senioris nomen epistolis suis præfixerit. De missa matutinali in nativitate S. Joannis Baptistæ vide Amalarium De officiis ecclesiasticis, lib. III, cap. 38. Pr.

Hæc autem missa peculiaris erat et omnino diversa ab ea quæ post Tertiam celebratur, ut ex Missali Parisiensi ms. 300 circiter annorum planum est, et ex veteri Ordinario ms. canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis.

(122) *Sacerdotes utantur casulis.* Quantum istæ casulæ a nostris differrent colligi potest ex Rabano l. I De institut. cleric., c. 21, De casula. *Septimum* (inquit) *sacerdotale indumentum est, quod casulam vocant : dicta est autem per diminutionem a casa, eo quod totum hominem tegat : Græci planetam nominant.* Cui consonat Gemma animæ, De antiq. ritu miss., l. I, c. 207, De casula. Casulæ antiquitus erant rotundæ, et limbus earum super brachia errabundus totum corpus circumibat. Hujusmodi duæ in sacristia ecclesiæ cathedralis Rotomagensis asservantur casulæ, de materia quidem plicabili (ut indicat Rituale Rotomagense) quarum altera **121** quæ est violacei coloris utitur celebrans in Sabbato sancto Paschæ, et vigilia Pentescotes, dum leguntur prophetiæ ; alteram vero coloris albi induit sacerdos cantaturus genealogiam in festis Natalis Domini et Epiphaniæ, ut venerandæ hujus antiquitatis usus omnino non depereat. Eapropter Rituale Rotomagense præcipit ut *sacrarum vestium ea forma servetur, quam Patrum institutio, et cathedralis ecclesiæ veneranda præscribit antiquitas, videlicet ut casulæ seu planetæ in tantam hinc inde amplitudinem extendantur, ut brachia tota saltem obtegant ; ideoque ex commoda et plicabili materia fiant, ut facile per fimbrias levari possint, nec celebrantem impediant.* p. I, pag. 386. Hæc retulisse sufficiat, ut inde discant qui ecclesiasticis ornamentis provident hodiernum usum non tenere, sed potius ecclesiasticis legibus obtemperare, et ad veteren formam ea reducere.

(123) *Incipiente officio infantum.* Id est puerorum. Sic Carthaginenses lectores infantuli apud Victorem Vitensem lib. II, et in Martyrologio ad III Idus Julii. De officio infantum, quod diutius in Ecclesia viguit,

Digitized by Google

plura Ordinarium hac die, (Pr.) quod post observationes ex eodem Ordinario Rotomagensi ms. describimus.

(124) *In festo S. Silvestri 6 primæ lectiones de sancto, tres ultimæ de Nativitate.* Idem habetur in Breviariis Rotomag. a. 1491 et 1578, quibus Ordinarium Rotomagense ms. concordat de lectionibus pariter et missis, et Ordinarium ms. canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis. Nunc tres primæ lectiones de Epistola ad Romanos, tres secundi nocturni de Vita sancti Silvestri, et tres tertii nocturni de expositione in Evangelium : *Sint lumbi;* et vice versa missa matutinalis de Nativitate, major de S. Silvestro celebratur.

(125) *Lectiones tres cum tribus responsoriis.* Hodie novem in Breviario Rotomagensi lectiones cum totidem responsoriis leguntur.

(126) *Cum Laudibus et sequentia.* Sequentia et Laudes ex hac missa sunt ablatæ.

(127) *Sancti Joannis octavæ ut festum apostoli.* Nunc ut festum Dominicale recolitur, sicut et octavæ sancti Stephani et sanctorum Innocentium.

(128) *Dies circumcisionis celebretur ut festum S. Joannis.* More **122** triplicis 2 classis celebratur in Ecclesia Rotomagensi. Ad Vesperas duo cappis induti chorum regunt, responsorium a quatuor in cappis decantatur, et duo de majoribus thurificant altare. Similiter ad Matutinum quatuor in cappis invitatorium canunt et nonum responsorium, et per Nocturnas et Laudes chorum regunt. Ad missam cantor in cappa intonat introitum, duo cappati de secunda sede graduale, quatuor de majori sede cappis induti *Alleluia* cum versu succinunt. In secundis Vesperis omnia ut in primis, sed ab uno tantum celebrante altare thurificatur.

(129) *Dies Epiphaniæ ut dies Nativitatis celebretur.* Excepto quod in septima tantum lectione altare thurificatur.

(130) *Absque invitatorio.* Idem docet Alcuinus, lib. De div. offic., tit. De Epiphania : *In hac die* (inquit) *unum omittimus ex his quæ in Nativitate Domini celebramus, hoc est invitatorium.* Idem cum Alcuino Amalarius lib. IV De Eccles. observat., c. 33, et libro De ordine antiphon., c. 21. Item Micrologus, c. 40 : *In Epiphania ad Nocturnas juxta Romanum Ordinem invitatorium reticemus, ut a dolosa invitatione Herodis discrepemus.* Eo die invitatorium non legitur apud Honorium Gem. animæ, nec apud Belethum, lib. De div. offic. c. 37, nec apud Durandum; libro enim sexto, c. 16, De festo Epiphaniæ ait : *Invitatorium etiam non dicitur propter quatuor rationes.* Et in Breviario Dominicanorum : *In Epiphania ad Matutinum non dicatur invitatorium neque hymnus.* Item in Ordinario ms canonicorum reg. S. Laudi Rotomagensis : *Ad Matutinum invitatorium et hymnus non dicuntur.* Nunc vero invitatorium dicitur, quod a 200 circiter annis in Ecclesia Rotomagensi institutum legitur ex Ordinario ms. Bigotiano, p. 33.

(131) *Non omnino omittitur, quin in ordine psalmorum recitetur.* Consonat quod legere est apud Durandum loco supra citato : *Licet ergo hac die non dicatur invitatorium, tamen psalmus invitatorius, scilicet :* Venite exsultemus, *in tertio nocturno ad septimam antiphonam dicitur.* In Breviario Dominicanorum : *In tertio nocturno antiphona :* Venite adoremus, etc. *Psalmus ipse.* Et in Ordinario ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis : *In tertio nocturno antiphona :* Venite, *psalmus ipse, stando psallatur totus.*

(132) *Sacerdos dalmaticatus et casulatus procedat.* Sic legitur **123** in ordinario Rotomagensi ms. p. 33 : *Finito nono responsorio sacerdos revestitus sacerdotalibus vestibus cantet hoc Evangelium ante altare, et subdiaconus cum eo, sicut notatur in Nativitate Domini :* Factum est cum baptizaretur. *Finito Evangelio incipiat archiepiscopus, vel sacerdos hebdomadarius ante altare cum candelabris et thuribulo usal.* Te Deum.

(133) *Stellæ officium incipiat.* Per officium intellige spectaculum, seu (ut vocabant) mysterium, quo apparitionis stellæ et adorationis magorum historia populo exhibebatur. Eodem sensu accipiendum est officium sepulcri, de quo inferius in ordine Paschæ. Hæc et alia sequiorum temporum inventa, quæ diutius apud majores nostros perseverasse docet Ordinarium, castigatior ætas jure postea abrogavit, ne sacri ritus in ludos scenicos et ineptias defluerent. Pr.

In Ordinario Rotomagensi ms. vocatur *officium trium regum;* post Tertiam olim fieri solitum; illud subjungimus officio infantum.

(134) *Absque* Te Deum laudamus et Gloria in excelsis. Hodie dicuntur in diœcesi Rotomagensis, sicut fieri solet intra octavas.

(135) *Introeuntibus chorum cantor ant. aut* ℟ *incipiat de sancto cujus est ecclesia.* His Dominicis vacantibus ad introitum chori dicitur ℟ *Te laudant,* vel *Confirmatum est,* aut *Nesciens mater,* ut notatur in Ordinario ms., vel etiam de sancto patrono, ut habetur in Processionali Rotomagensi, aut aliqua antiphona de beata virgine Maria.

(136) *Vigilia vero Epiphaniæ.* Hanc de vigiliæ illius jejunio Joannis sententiam olim apud nos tenuisse, processu vero temporis religiosum morem abusu, an indulgentia, exolevisse, vel inde constat, quod eadem fere legere sit in Ordinario, cum quodam tamen temperamento : [*In crastino, vigilia Epiphaniæ quam plebes diverse colunt, alteri prandent, alteri jejunant, nobis autem jejunando colore congruum videtur. Quia enim tanta solemnitas nobis eminet in qua se tota Trinitas mundo præmanifestavit, oportet nos ante purificari :*] *sed Ecclesia Rotomagensis non jejunat propter solemnitatem Nativitatis Domini.* Pr.

(137) *In quibus per aliquot dies jejunamus.* Hinc appareret in Ecclesia Rotomagensi olim jejunium per aliquot dies ante **124** purificationem in usu fuisse posi-

Digitized by Google

tum; cujus etsi vestigium nullibi apud expositores divinorum officiorum deprehenderimus, nec in Ordinariis nostris et officialibus libris mss., legitur tamen in Missali Parisiensi ms. 300 annorum, et in veteri Breviario ordinis Fontebraldensis : *Vigilia Purificationis;* quod ad jejunium proxime accedit.

(138) *Ad eam clerus et populus pergant.* Hodie ad aliam ecclesiam non pergit clerus, sed in motu processionis canitur hæc antiphona : *Ave, gratia plena.*

(139) *Versus sequatur a duobus clericis cantatus.* Nunc a quatuor in pulpito canitur; quod in omnibus festis triplicibus observatur.

(140) *Præcedente Sabbato ad Vesperas vice hymni cantetur sequentia :* Cantemus cuncti melodum. Ejus loco in Sabbatis dicitur hymnus : *O lux, beata Trinitas,* in Vesperis, usque ad Sabbatum ante Dominicam primam Quadragesimæ, quod etiam præscribit Ordinarium Rotomag. ms., p. 46.

(141) *Invitatorium alleluiaticum.* Invitatorium sine *Alleluia* canitur, cessat enim in Vesperis Sabbati præcedentis.

(142) *In primo nocturno heptaticum incipiatur.* Ordinarium ms. Ecclesiæ Rotomagensis : *In Septuagesima incipiatur liber Genesis, et legatur tam ipse quam cæteri libri legales usque ad passionem Domini; scilicet liber Exodi, liber Levitici, liber Numeri, liber Deuteronomii, liber Josue, liber Judicum, liber Ruth, per hebdomadam tres lectiones : in secundo nocturno tres lectiones de sermone; in tertio nocturno tres lectiones de expositionibus.* Breviarium Rotomagense an. 1491, p. 1 : *A principio Septuagesimæ usque ad passionem Domini legitur de libris Moysi, Josue, Judicum, et Ruth, per ferias tres lectiones.* In Rotomagensi diœcesi nunc legitur de libro Genesis usque ad Cineres; per totam Quadragesimam leguntur expositiones Patrum in Evangelia : in Dominicis vero legitur in primo nocturno de libro Genesis et de libro Exodi.

(143) *Matutinæ laudes cum alleluiaticis antiphonis.* Hodie a Vesperis Sabbati ante Septuagesimam cantato ultimo *Benedicamus Domino*, et *Deo gratias* cum duplici *Alleluia*, in quocunque officio usque ad Pascha *Alleluia* dimittitur; *Te Deum, Gloria in excelsis*, et *Ite missa est* non dicuntur, nisi in festis per Quadragesimam. Idem præscribit Ordinarium ms.

125 (144) *In Matutinis.* Scilicet Laudibus: Laudes enim Matutinum vocabantur, ut liquet ex sacrorum rituum expositoribus; nos vero Nocturnas et Laudes quia conjunctæ fuerunt uno nomine Matutinum vocamus.

(145) *Post,* Benedicamus *cum* Alleluia. Id ipsa Joannis ætate correctum fuit ab Alexandro II papa, qui *Alleluia* in Sabbato ad Vesperam jussit dimitti ante Septuagesimam, ut docet Micrologus De eccles. observat., cap. 47. Pr.

(146) *Septuaginta enim dies.* De mystica hac dierum significatione vide Alcuinum, libro De divinis officiis, ejusque et Caroli Magni epistolas; Amalarium, lib. I, cap. 1, 2, 3 et 4; Rabanum Maurum, De institut. cler., lib. II, cap. 34; Hugonem de S. Victore, De special. miss. observat., lib. III, cap. 16. Pr.

(147) *Ipsa die in processione,* Ecce charissimi. Hoc responsorium in pluribus Ecclesiis ob longitudinem respuitur, licet in Processionali Rotomagensi notetur, et in Ordinario ms., p. 47, in hunc modum : *Sequitur processio* ℣ Ubi est Abel, *cum versu et regressu. In statione.* Ecce, charissimi, dies. *Versus in pulpito:* Ecce mater nostra. Ut videatis. *Ad introitum chori* ℣ Igitur perfecti sunt, *cum versu et regressu* (in cathedrali finitur in navi ecclesiæ, nec intrat in chorum clerus). *Quibus finitis dominus archiepiscopus faciat sermonem ad populum, et post cantetur Tertia*

(148) *Quatuor dies a sanctis Patribus sunt additi.* Ut testantur Amalarius, l. I De ecclesiast. officiis, c. 7, De jejunio, et Guill. Durandus Ration. divin. offic., l. VI, c. 28.

(149) *Legantur sermones Patrum.* Seu homiliæ, vel expositiones Patrum in Evangelia quæ leguntur per ferias Quadragesimæ.

(150) *Laudes mortuorum tantum celebrentur.* Idem legere est apud Radulfum Tungrensem libro De canonum observantia, proposit. 20: *Generalis* (inquit) *plurium usu est, ut Vesperæ et vigiliæ dicantur die præcedenti, et Laudes die sequenti post Matutinas.* Sed post nocturnum pro defunctis, dicuntur pro iisdem Laudes in ecclesia cathedrali ante Completorium.

(151) *Septem psalmi cum litania.* Non dicuntur hac die post Laudes septem psalmi pœnitentiales, sed post Nonam sine litania. In Quadragesima vero qualibet feria quarta dicuntur **126** quindecim psalmi graduales Laudibus peractis, feria sexta psalmi pœnitentiales septem cum litania et precibus, dummodo officium sit de feria.

(152) *Prima post solis ortum cantetur.* Horam indicat hymnus : *Jam lucis orto sidere,* etc., sed in ecclesia cathedrali hora octava Matutina cum dimidia canitur.

(153) *Sexta dicta parvum intervallum fiat.* Diebus jejunii et Quadragesimæ nullum fit intervallum, sed statim dicitur Nona, quæ sua hora dicenda est (ut notat Joannes Abrincensis). Quæ autem sit hora qua Nona dicenda sit, vix ullus antiquarius ignorat : est enim tertia pomeridiana : ipsa hora dicitur Nona in ecclesia cathedrali, sed diebus jejunii quatuor horis anticipatur, scilicet una antemeridiana. In Quadragesima expleta Nona quæ tertia post meridiem hora cantabatur, postea missa, et Vesperæ psallebantur, quibus expletis clerus et populus ad refectionem, eamque unicam, pergebant, ut testantur S. Basilius, orat. 1, De jejunio; S. Joannes Chrysostomus, homil. 10 in Genesim; S. Augustinus, serm. 56 de temp.; S. Ambrosius, serm. 33; S. Bernardus, serm. 3 in Quadragesima; Micrologus De rebus ecclesiasticis, c. 49, et concilium Rotomagense A.

Digitized by Google

C. 1072, præsidente Joanne II, canone 20 idem præcipit : *Statum est ut nullus in Quadragesima prandeat antequam hora nona peracta vespertina incipiat, non enim jejunat qui ante manducat.* Hoc de jejunio decretum religiosissime servant monachi Benedictini abbatiæ S. Cyranni, unica refectione contenti ab Exaltatione S. Crucis usque ad Quadragesimam hora nona, scilicet tertia post meridiem ; in Quadragesima vero post Vesperas, scilicet sexta vespertina.

(154) *Qua finita Vesperæ mortuorum dicantur*, etc. Sic quoque Ordinarium Rotomagense ms. *In agendis mortuorum ita fiat singulis diebus : Ante Vesperas dicatur :* Placebo, *exceptis Sabbatis et festis triplicibus.* Hanc consuetudinem semper retinuerat ecclesia cathedralis Rotomagensis usque ad annum præteritum, quo Vesperas diei anteposuit Vesperis defunctorum, quæ immutatio facta est pro quadragesimali tantum tempore propter nimietatem officiorum.

(155) *Vigilia mortuorum agatur.* Hic concordat Ordinarium ms., in quo sic legitur p. 53 : *Post prandium sequitur vigilia mortuorum.*

127 (156) *Lectio collationis recitetur.* Collatio ista per totam Quadragesimam recitabatur ante Completorium, ut legitur in Ordinario ms., pag. 53 et 56. *In his quatuor diebus* (scilicet a capite jejunii usque ad Dominicam I Quadragesimæ) *lectio legatur ante Completorium De dialogo Gregorii*, etc. *Sic teneas usque ad Cœnam Domini.* Item feria 2 Quadragesimæ, *ante Completorium usque ad Ramos palmarum legantur expositiones per ferias ;* et in Dominicis Quadragesimæ : *legatur lectio de residuo expositionis ejusdem diei.* Hæc spiritualis collatio in clero et populo postea in corporalem collationem sive cœnulam transmutata est, de qua vide Francolinum, De tempore horarum canonicarum, c. 38, n. 10.

(157) *In omnibus horarum precibus semper* Miserere mei Deus. Idem exstat in Breviariis A. 1491 et 1578, in Psalteriis A. 1507 et 1586 ; quibus astipulatur Durandus, Ration. divin. offic., l. VI, c. 32 De Dominica I Quadragesimæ : *Hoc tempore dicitur regulariter octies in canonicis horis psalmus ille pœnitentialis,* Miserere mei, Deus. In Ecclesia autem Rotomagensi ille psalmus dicitur tantum in Vesperis feriarum Adventus, Quadragesimæ, et IV Temporum, nec dicuntur psalmi illic assignati per horas, sed dicto capitulo dicuntur preces ut in Breviario Rotomagensi, quibus oratio diei cum versu *Benedicamus Domino* in fine subjungitur.

(158) *Unum psalterium psalmorum subjungatur.* Hic quemdam psalmorum numerum intellige, non integrum psalterium, quod indicat Radulfus Tungrensis libro De canonum observ., propos. 21, in hunc modum : *Et quia in sancta Quadragesima sancti Patres voluerunt officium Ecclesiæ cum aliis bonis operibus omnimode augmentari, ideo in augmentum divini cultus ejusdem temporis, diebus ferialibus Quadragesimæ et novem lectionibus vacantibus, dicta prima legitur psalterium hoc modo. Recepta cum prostratione venia, incipit sacerdos :* Deus in adjutorium ; Gloria ; Laus tibi ; *deinde quotidie leguntur decem psalmi de psalterio bini, et bini sub uno* Gloria ; *post ultimum,* Laus tibi ; *versus,* Intret ; *deinde litania tota : qua dicta omnibus prostratis dicuntur preces majores cum septem psalmis et orationibus supradictis, et ad* Per Dominum *surgant omnes.*

(159) *Dicatur pro peccatis in Matutinis :* Vivo ego, etc. Hæc **128** sublata sunt in Ecclesia Rotomagensi, tam in Laudibus matutinis quam in Vesperis.

(160) *In Vesperis Sabbati*, etc., *sanctorum agenda est memoria.* Nulla olim tempore quadragesimali festivitas, sed in Vesperis Sabbati et Dominica die sanctorum agebatur memoria quorum festa evenirent in hebdomada, sicut statuerat concilium Laodicenum, c. 49 : *Non oportet in Quadragesima natalitia martyrum celebrare, sed eorum in Sabbato et Dominica tantum memoriam fieri.*

(161) *Incipiente episcopo antiphonam :* Immutemur. Eam cantor hodie inchoat quam chorus prosequitur.

(162) *Cinerem cum aqua benedicta tribuat.* Idem præscribit vetus Ordinarium ms. canonicorum regularium sancti Laudi Rotomagensis, in feria quarta Cinerum. Non aspergitur hodie aqua benedicta in cinerum impositione. Cineres benedicti in signum pœnitentiæ imponuntur, quia olim in cinere et cilicio pœnitentia agebatur (de quibus instruendus est a pastoribus populus) in cujus testimonium Ecclesia hac die canit antiphonam : *Immutemur habitu in cinere et cilicio ;* et in cathedrali, Rotomagensi ecclesia in ejectione publice pœnitentium a diacono hastili appensum portatur cilicium, juxta illud Durandi Ration., lib. VII, cap. 35 : *Cinis et cilicium arma sunt pœnitentium.* De expulsione pœnitentium videndus sermo egregius Ivonis Carnotensis episcopi, De capite jejunii, inter ipsius opera jam editus.

(163) *Ante processionem.* Quæ expulsis pœnitentibus fit ad altare S. Stephani in eadem ecclesia, cantando responsorium ; cum autem processio pervenerit ad capellam S. Stephani, omnibus genuflexis (olim etiam prostratis, ut ex veteri Ceremoniali ms. constat), dicuntur preces et orationes, ut in feria secunda Rogationum : quibus finitis litaniæ breves integre a duobus de secunda sede cantantur choro respondente, qui ordo 4 et 6 feriis usque ad feriam sextam in parasceve exclusive servatur, quarta feria ad altare S. Stephani, sexta ad altare S. Joannis.

(164) *Pœnitentes ejiciantur.* Hæc Durandus, Ration., lib. VI, c. 28 : *Pœnitentes namque tunc ab Ecclesia cum processione et cruce ejiciuntur, et in die Cœnæ in eadem recipiuntur.* De ejectione autem publice pœnitentium et convocatione in **129** Ecclesia Rotomagensi, vide quid præscribat Ordinarium ms. post nostras observationes.

Digitized by Google

(165) *Hymni in Vesperis : Ex more docti mystico*, etc. Iidem hymni habentur in Breviariis Rotomag., an. 1491, 1578, et in Psalteriis an. 1507 et 1586; sed quotidie in Vesperis usque ad primas Vesperas Dominicæ Passionis, exceptis festis, dicitur hymnus : *Audi, benigne conditor*, et ad Matutinum hymnus : *Ex more docti ;* ad Laudes vero : *Jam Christe sol justitiæ.*

(166) *Per adjectionem unius lectionis et unius responsorii.* Per responsorium intelligas graduale, ut jam diximus. Idem legit Amalarius, l. I, De eccles. offic., c. 8, De secunda varietate 4 hebdomadæ quadragesimæ : *In quarta feria quartæ septimanæ varietas est per adjectionem unius lectionis et unius responsorii. Eadem die agitur scrutinium tertium quod maximum est inter septem scrutinia..... Eadem die instruuntur de auctoribus et initiis quatuor Evangeliorum.*

(167) *Traditur eis oratio Dominica et symbolum, quod*, etc. Amalarius ibidem : *Eadem die percipiunt orationem Dominicam et symbolum ad reddendum in Sabbato sancto Paschæ.* Idem docet, Guill. Durandus, Ration. divin. offic., l. VI, c. 46, De quarta feria quartæ hebdomadæ.

(168) *In Sabbato quod palmas præcedit pedes pauperum lavare ecclesiasticus Ordo præcepit.* Hinc in Sacramentario et Antiphonario vetus diei inscriptio : *Sabbato vacat, dominus papa eleemosynam dat.* Qua de re consule Amalarium, l. I, c. 9, et Rupertum abbatem Tuiticnsem, De div. offic., l. V, c. 6. PR.

His subscribit Durandus, Ration. divin. offic., l. VI, c. 66, De Sabbato ante Palmas : *In hoc enim Sabbato intendere consuevit dominus papa pauperibus Christi dando eleemosynam, et mandatum celebrando.* Item Gemma animæ, l. III, c. 71.

(169) *Post Tertiam, clerici cum ramis palmarum ad processionem pergant.* Hic altum silentium de processione ad S. Gildardum, in qua defertur a duobus presbyteris corpus Christi in feretro reconditum : cujus institutionis licet fixum tempus statui non possit, saltem legitur idem ritus in Decretis B. Lanfranci Ordinar., c. 1, sect. 4, et in veteri Ordinario ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis. Hujus processionis ritum post observationes ex Ordinario Rotomagensi ms. describimus.

130 (170) *Dominus vobiscum dicatur.* Ita ordinaria mss., libri officiales mss. et Missalia quædam; jam vero nulla die ad passionem dicitur *Dominus vobiscum.*

(171) *Cortina ante altare deponatur.* Idem præscribit Ordinarium ms. canonicorum S. Laudi Rotomag. Ita quoque Ordinarium ms., p. 74 : *Ad passionem Domini cortina pendens inter chorum et altare non moveatur usque ad :* Et velum templi scissum est, *et tunc trahatur ab utraque parte et scindatur per medium, et amplius non reponatur.* Hæc in ecclesia cathedrali Rotomagensi observantur.

(172) *Omnes pulsentur campanæ.* In ecclesia cathedrali more semiduplici, ut in Sabbatis Vesperæ celebrantur, nec omnes campanæ sonant, sed tres tantum, ut in Dominicis ; et duo cappati chorum regunt, sicut in duplicibus; in quibus concordat Ordinarium ms., p. 74 : *Ad Vesperas non dicatur :* PlaceLo, *sed festive pulsetur sicut in Dominica ob reverentiam Dominicæ Cœnæ, et festive cantetur et antiphonæ super psalmos cum neuma finiantur. Ant.* Beatus vir. *Psal.* Nisi Dominus ædificaverit, etc., *secundum ordinem, et duo de secunda sede in cappis nigris de serico regant chorum;* (nunc autem in cappis violacei coloris) duo de majori sede in cappis. ℟ *Circumdederunt*, et ad *Magnificat* altare et chorus thurificantur. *Benedicamus* ab uno ut in semiduplicibus canitur. Item in veteri libro officiali ms. ad usum Ecclesiæ Rotomagensis legitur : *In Vesperis omnes campanæ ut in novem lectionibus pulsentur ob reverentiam Dominicæ Cœnæ.* Idem præscribit Ordinarium ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis.

(173) *Omnes simul pulsentur.* Liber officialis Rotomagensis ms. ex bibliotheca Bigotiana : *In quinta feria, in nocturno primitus campanæ sigillatim, post omnes simul pulsentur.* Idem quod supra.

(174) *In tertio Evangelii expositio.* Non legitur de expositione Evangelii, sed de Epistola I B. Pauli ad Corinth., c. XI.

(175) *Quæ sola remansit candela exstinguatur.* Ita Ordinarium ms., p. 75. *Psalmus*, Benedictus *festive cantetur, et candela quæ sola remanserat exstinguatur.* Idem Liber officialis Rotomagensis ms. et addit : *Ex quo vero ultima candela ad* Benedictus *exstinguitur, lumen in ecclesia usque post ignis benedictionem non accendatur.* His tamen diebus in Ecclesia Rotomagensi in arca reservatur ut postea reveletur, quemadmodum **131** apud Durandum legitur Ration. div. offic. l. VI, c. 72. *Candela autem quæ in medio est non exstinguitur, sed in fenestra vel arca accensa servatur occulte, ut postea reveletur, et ecclesiam illuminet.* In breviariis vero Rotomag., an. 1491 et 1578. *Et candela quæ remanserat abscondatur.*

(176) *Alta voce cantentur.* Nunc Vesperæ voce mediocri recitari solent, ex ordine divini officii, sicut horæ canonicæ, exceptis Nocturnis et Laudibus.

(177) *Dicto versu ab aliquo puero.* Versus subjungitur a choro, nec dicitur a puero nisi post Laudes in fine troporum. Responsorium autem post psalmos, de quo apud Joannem fit mentio, legitur in Ordinario ms. canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis.

(178) *Convocatio pœnitentium.* Veterem hanc et salutarem observationem Ecclesia Rotomagensis haetenus constantissime tenuit. Cæterum notare libet ex Ordinario, duplicem olim hac die absolutionem dari consuevisse, alteram populo post matutinas Laudes, alteram finita Nona pœnitentibus, quæ re-

Digitized by Google

conciliationi et sermoni subjungebatur. De convocatione et absolutione pœnitentium vide Ordinem Romanum, Alcuinum, lib. De div. offic., De Cœna Domini, Amalarium, lib. I, c. 12 et Rupertum, lib. V, c. 19. PR.

(179) *Tam clerus quam populus prostrati absolutionem accipiant.* Duplex hac die absolutio ex Ordinario ms. habetur : prima cleri et populi post Laudes, altera publice pœnitentium post Nonam, sic enim legitur, p. 76 : *Puer unus alta voce dicat :* Mortem autem crucis. *Tunc chorus cum silentio dicat :* Pater noster. Sed libera. Amen. *Psalmus* Miserere mei, Deus. *Oratio :* Respice, quæsumus, Domine, *quilibet per se* Amen *tantum. Tunc aperiatur lucerna. Hoc finito septem psalmi pœnitentiales dicantur. Antiphona :* Ne reminiscaris. *Psalmus :* Domine, ne in furore, *et cæteri psalmi.* Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. ℣ Mitte eis, Domine. ℣ Convertere, Domine. ℣ Fiat misericordia. ℣ Domine Deus virtutum. ℣ Domine, exaudi. ℣ Dominus vobiscum. *Oratio :* Adesto, Domine, supplicationibus. *Oratio :* Deus qui humani. *Alia oratio :* Domine, sancte Pater. *Postea dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius populum absolvat :* Absolvimus vos vice beati Petri. *Postea eos benedicat.* Secundam absolutionem quæ est pœnitentium **132** ex eodem Ordinario ms. exhibemus post observationes nostras una cum sermone archidiaconi ad archiepiscopum Rotomagensem, pro reconciliatione publice pœnitentium nondum edito, ex veteri ms. codice bibliothecæ cathedralis ecclesiæ Rotomagensis 700 annorum.

(180) *Quod in his tribus diebus novus ignis accenditur.* De triduano ignis accendendi ritu legendus Ordo Romanus, et Rupertus, lib. V, cap. 28. PR.

Ignis ille benedictus in ecclesia cathedrali, et in quibusdam parochiis Sabbato sancto populo distribuitur, ut ex eo ignis in Christianorum domibus accendatur. De quo vide Ordinarium ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis.

(181) *Si episcopus fuerit,* Gloria in excelsis *cantetur ; sin autem non.* Idem docet Durandus, Ration. div. offic., l. VI, c. 75, De officio missæ ipsius quintæ feriæ. Item Ordinarium Rotomagense ms. *Ista die in parochiali ecclesia.* Gloria in excelsis *non dicatur.* Hodie tamen dicitur in omnibus ecclesiis parochialibus diœcesis Rotomagensis. In ecclesia cathedrali fit in missa consecratio chrismatis, cujus ritum et cæremonias describimus ex Ordinariis mss. ecclesiæ cathedralis Rotomag. et Bigot. post processiones solemnes.

(182) *Usque missam noctis Dominicæ.* Hæc enim missa quæ Sabbato sancto dicitur, juxta sacrorum canonum et Patrum decreta in nocte dicenda foret, cum ad noctem Dominicæ, resurrectionis pertineat.

(183) *Sacerdos manibus tenens calicem, ant.* Calicem *incipiat.* Sic constanter legitur in Libro officiali ms. et in Missalibus ad usum Ecclesiæ Rotomagensis an. 1513, 1516, 1527, 1538, 1576 et 1604. *Deinde dicantur Vesperæ demissa voce, presbyter tenens calicem in manibus incipiat hanc antiphonam :* Calicem, etc. Hodie ab uno e majoribus chori inchoatur.

(184) *Loco earum percutiantur tabulæ.* Ita Alcuinus in libro De div. offic., tit. De Cœna Domini : *Reticetur sonus signorum atque campanarum, pro hoc enim humilior sonus lignorum ad congregandum populum assumitur.* Item Amalarius De Cœna Domini : *Nec non etiam altitudo signorum quæ fiebat etiam per vasa ærea deponitur, et lignorum usus usquequaque humilior æris sono necessario pulsatur ut conveniat populus ad ecclesiam.* Item Rupertus, Div. offic., l. V, c. 29 : *Ligneo malleolo in tabula suspenso et personante, populumque ad ecclesiam invitante* **133** *significamus.* Item Joannes Belethus, De divinis officiis, c. 100 : *Ad officium Tenebrarum non campanis pulsandum est, sed ligneis tabulis ;* et Guill. Durandus, Ration. div. offic., l. VI, c. 71 : *Et non ulterius pulsant campanis, fit tamen signum cum tabula, ... ligni quidem usus humilior æris sono hoc ostendit, et inde Ecclesia Orientalis usum adhuc tenet lignorum, et ut populus humilior reddatur.* Quibus concordat Missale Romanum 200 circiter annorum, et 1658 in die Cœnæ : *Facto signo cum tabula conveniunt.*

(185) *Sex psalmi.* Hodie canuntur tantum quinque, et prætermittitur *Benedictus ;* sed Vesperæ altera oratione a communione diversa concluduntur. In ecclesia cathedrali chorus regitur a duobus cantoribus de secunda sede in cappis violacei coloris, et ad *Magnificat* altare thurificatur triplici ductu a celebrante cappa induto, qui et Vesperas oratione complet.

(186) *Ipsa die clerus et populus communicetur.* Idem in Ordinario ms. et in Rituali Rotomagensi, an. 1651, p. I, pag. 400, præcipitur ut *feria quinta in Cœna Domini omnis clerus, etiam presbyteri de manu præsidentis seu præpositi in missa solemni communionem accipiant, memores institutionis sacræ mensæ, in qua Dominus discipulos manu propria sui corporis compotes fecit ;* et in Missali Romano 200 annorum : *Deinde fratres immediate communicant, et postea completur missa.*

(187) *Medietas hostiarum absque vino in crastino reservetur.* Ordo Romanus : *Missa expleta, communicent ordine constituto, et servent de sancta usque in crastinum.* Alcuinus, De Cœna Domini. *De eodem vero die legitur in Ordinibus, quod reservandum sit de corpore Domini ad communicandum in crastinum.* Consonant quæ legere est apud utrumque, ad feriam 6 Parasceves, omnes scilicet ea die communicare cum silentio. Amalarius tamen, lib. I, cap. 13 ex responsione Romani archidiaconi, observat contrariam fuisse Romanæ Ecclesiæ praxim. *In ea* (inquit) *statione, ubi apostolicus salutat crucem, nemo ibi communicat.* PR.

Digitized by Google

(188) *Iterum communicentur.* Obtinuerat is usus ante Joannem, nam et Theodulfus Aurelianensis episcopus : *In Cœna Domini* (inquit) *et in Parasceve, in vigilia Paschæ, et in die resurrectionis Domini, penitus ab omnibus communicandum.* Capitul., c. 41; viguitque post eum, nam Joannes **134** Belethus libro De div. offic., c. 99, dicit ab omnibus religiosis, quibus necessitas est, communicari. Ordinarium autem ms. canonicorum regul. S. Laudi Rotomagensis : *His quatuor diebus nullus se, nisi rationabili causa, a communione debet subtrahere.*

(189) *Nudantes altaria.* De nudatione altarium usque ad Sabbatum sanctum legendus Ordo Romanus De Cœna Domini ; Amalarius, l. I, De ecclesiast. offic., c. De Cœna Domini ; Gemma animæ De antiq. ritu miss., l. III, c. 85, etc. Quapropter qui his diebus privatas missas celebrant presbyteri, videant quam parum veteri instituto et ecclesiasticæ hoc congruat disciplinæ.

(190) *Sola aqua parietes et pavimenta.* Quod parietes et pavimentum aqua lavari debeant docet Alcuinus, lib. De div. offic., in Cœna Domini : *Eodem die altaria templi et parietes sive pavimenta ecclesiæ lavantur.* Alcuino astipulantur Joannes Belethus De div. offic., c. 103, et G. Durandus, l. VI, c. 76. In Ecclesia vero Rotomagensi altaria tantum vino et aqua lavantur.

(191) *In quadam domo conveniant, et Dominico exemplo mandatum faciant.* In navi ecclesiæ mandatum fit pauperum, nec hodie clericorum. De mandato pauperum sic præcipit synodus autumnalis an. 1611, art. 4 : *Ut feria quinta in Cœna Domini mandatum Dominicum in singulis (si fieri potest) ecclesiis, maxime vero in congregationibus clericorum et monachorum, religiose peragatur, pauperum pedes lavando, tergendo, deosculando, eisque ministrando cum omni humilitate, sicut in hac sancta metropolitana ecclesia, omnium nostræ provinciæ ecclesiarum matre ac magistra, laudabiliter observatur.* Advertant autem sacerdotes hanc pedum lotionem non posse omitti cum mandatum sit Dominicum, et a Domino institutum, ideoque ab omnibus, præcipue pastoribus, exemplo Dominico fideliter est peragendum.

(192) *In refectorium pergant.* Idem legitur in Ordinario ms. canonicorum S. Laudi. Verum cum hodie in ecclesia cathedrali commune non habeatur refectorium, in capitulum pergunt, ut præscribit Ordinarium ms. et Processionale Rotomagense, et ibi legitur Evangelium Joannis a principio cap. XIII usque ad finem XIV.

(193) *Unicuique fratrum episcopus phialam vini exhibeat.* Vide **135** post observationes ea quæ de mandato præscribunt Ordinaria mss. Ecclesiæ Rotomag. et canonicorum S. Laudi.

(194) *Mandatum pauperum mandatum fratrum præcedat.* Duplex enim in Ecclesia Rotomagensi olim mandatum, ut legitur in Ordinario et in Libro officiali Rotomag. mss.; et apud Rupertum, De div. offic., l. V, c. 22. De mandato pauperum, et in Missali Romano 200 annorum : *Post nudationem altarium, hora competenti facto signo cum tabula conveniunt fratres ad faciendum mandatum, majores abluunt pedes minoribus, tergunt et osculantur.* De mandato pauperum et clericorum fit mentio in Processionali Rotomagensi anni 1588 in hunc modum : *Post prandium mandatum pauperum fiat, et mandatum clericorum ita celebretur. Sacerdos indutus alba cum diacono et subdiacono Dominico exemplo mandatum servat, et quantum placuerit de majoribus in albis pedes cæterorum lavent.* Perspicue omnino et fuse de duplici mandato disserit Ordinarium canonicorum sancti Laudi Rotomagensis, feria quinta in Cœna Domini.

(195) *Omnes horæ, exceptis matutinis.* Ordinarium ecclesiæ metropolitanæ : *Horæ hujus diei cum silentio in quatuor angulis chori dicantur more Judæorum, de morte Domini consilium capientium.* PR.

Sic Liber officialis Rotomagensis ms.

(196) *Psalterium cum litania communiter dicant.* Per psalterium hic intelligi possunt septem psalmi pœnitentiales cum litania, qui qualibet sexta feria per Quadragesimam post Laudes recitari solent, vel forsan psalterium psalmorum, de quo supra egimus. Forte satius dixerimus integrum psalterium, sic enim præscribit Ordinarium canonicorum S. Laudi Rotomagensis : *Ipsa die singuli simul totum ex ordine psalterium in claustro dicant.*

(197) *A lectione libri Exodi inchoetur.* Nunc incipit a lectione Osee.

(198) *Duo diaconi nudent altare sindonibus.* Ordinarium Rotomagense et Liber officialis mss. : *Duo clerici nudent altare sindonibus*, et Ordinarium mss. S. Laudi Rotomag. Ordo Romanus : *Duo acolythi.* Missalia Ecclesiæ Rotomagensis an. 1516, 1527, 1538 et 1576. *Hic subtrahantur duæ mappæ a duabus partibus altaris desuper positæ.* Hodie non extrahuntur in diœcesi Rotomagensi.

136 (199) *Excepta voce Domini quæ in aliis dicatur.* Restituendus hic locus ex Ordinario et duobus libris officialibus mss. ad usum Ecclesiæ Rotomagensis, in quibus legitur : *Diaconus in alba ante altare legat Passionem more lectionis, excepta voce Domini quæ* more Evangelii *legatur.*

(200) *Duo sacerdotes casulis induti*, etc. Hæc et sequentia eodem tenore continentur in Ordinario Rotomagensi post observationes nostras.

(201) *Uniuscujusque venter in terra hæreat.* Sic Alcuinus lib. De divin. offic., tit. De feria sexta quæ et Parasceve : *Quando hanc crucem adoramus omne corpus nostrum hæreat terræ,..... prosternimur corpore ante crucem mente ante Dominum.* Item Amalarius, De ecclesiast. officiis, l. I, c. 14. De adoratione sanctæ crucis, et Guill. Durandus, Ration. div. offic. l. VI, c. 77. De die Parasceves. Idem quoque habetur in Ordinario et libris officialibus Rotomag. mss. in officio diei Parasceves. Vide Ordina-

Digitized by Google

rium ms. canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis in eadem feria sexta.

(202) *Vino et aqua lavetur.* Hujus lotionis mentio fit in Ordinario et in libro officiali Rotomag. mss. bibliothecæ Bigotianæ, in quibus sic legitur : *Chorus finiat antiphonam, qua cantata crux parvula in commemoratione sanguinis et aquæ fluentis de latere Redemptoris aqua et vino lavetur, de quo post communionem sacram clerus bibat et populus, et ad opus infirmorum reservetur,* et in Processionali Rotomagensi an. 1588 : *Cruce adorata a clero et populo, lavetur vino et aqua, et tollatur in altum, et cantetur hæc antiphona sequens :* Super omnia, etc.

(203) *De quo post sacram communionem clerus bibat et populus.* Secus apud alios teste Micrologo, qui notat ex Ordinis Romani præscripto in Parasceve vinum non consecratum cum Dominica oratione et Dominici corporis immissione consecrari (rectius dixisset sanctificari) ut populus plene possit communicare. Pr.

(204) *Ministri crucis casulis induti,* etc. Hæc et sequentia in Libro officiali Rotomag. ms. habentur isdem plane verbis. Vide post observationes Ordinarium de Officio hujus diei.

(205) *A majore ad minorem omnes communicentur.* In Ordinario ms. et in Missalibus Rotomag. 1513, 1516, 1527, 1538, 1576 et 1604 hæc leguntur : *Communicetur qui voluerit* **137** *sicut hesterna die.* In Ordine Romano : *Communicent omnes cum silentio.* in Libro officiali Rotomag. ms. : *Communicet et omnes fratres sine osculo pacis.* In Ordinario canonicorum S. Laudi Rotomagensis : *Se et cæteros cum silentio communicet.*

(206) *Ad refectionem panis et aquæ pergant.* Hæc jejunii severa observatio, quæ in Ordinario et Libro officiali Rotomag. mss. habetur, non tantum apud nostrates viguit, verum etiam in aliis regionibus, ut ex Ordine Romano, et Alcuino constat ; sic enim lib. De div. offic., tit. De Cœna Domini scribit : *Ab hac nocte usque Ad Sabbatum nonnulli servi Dei imitantes apostolos jejuni permanent ; aliqui vero contenti sunt pane tantum et herbis ; atque leguminibus, seu sicera.* Idem confirmat Durandus, Ration. div. offic., lib VI., cap. 77. De Parasceve, ubi ait : *In Parasceve uno solo cibo vescimur.* Ordinarium vero ms. canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis : *In mensa nonnisi panis et aqua, et herbæ crudæ apponantur.* Post prandium autem non sigillatim Completorium, sed in communi mediocri voce cantatur, sicut et in die Cœnæ Domini.

(207) *Nona hora diei.* Concilium Rotomagense sub Joanne nostro celebratum A. C. (juxta Orderici calculum) 1072. can. 21 : *Item statutum est ut Sabbato Paschæ officium ante Nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ resurrectionis respicit, ob cujus reverentiam* Gloria in excelsis Deo, et Alleluia *cantatur, quod etiam in officii initio, cerei scilicet benedictione, monstratur,* Idem paulo post inculcatum est in concilio Arvernensi. Pr.

Idem docet Durandus, Ration. divin. offic. lib. VI, c. 78. Verum Hugo a S. Victore, De speciali miss. observat., l. III, c. 21, hodiernum morem improbat. *Vere* (inquit) *antiqui jam fere transacto die Sabbati officium hoc celebrabant, sed modernorum debilitas ad epulas festinans tempus prævenit constitutum.*

(208) *Percussis tabulis.* Quibus utuntur in plerisque parochialibus ecclesiis, sed in cathedrali portæ ecclesiæ malleo ligneo percutiuntur.

(209) *Cantante clero :* Dominus. Qui sequitur hiatus suppleri potest ex ordinario ecclesiæ metropolitanæ, in quo hac die multa notatu digna præscribuntur. In his, ut *benedictus ignis non extinguatur, donec benedictus cereus eo* **138** *accendatur : sit vero juxta Romanum Ordinem alius cereus, qui a benedicto cereo illuminatus, ad fontes per septem dies deferatur, et loco instituto in fontes mittatur.* Addit Ordinarium *: Per cereum Christi designatur humanitas : lumen in cera, divinitas virginea carne obumbrata : ignis in cereo novus ardens, nova doctrina a Christo in apostolos, ab apostolis in mundum resplendens.* Item ut *dum lectiones et litania cantabuntur, presbyteri catechizent infantes.* Item ut *si nullus infans fuerit ad baptizandum, non mittatur de chrismate et oleo in fontes ; si autem fuerit, tunc mittatur.* Pr.

Eadem omnino leguntur in Libro officiali ms. ad usum Ecclesiæ Rotomagensis ex bibliotheca Bigotiana.

Hic notandum occurrit quod annus ab Incarnatione Domini in cereo paschali inscribi debet, cujus inscriptionis meminere, Rupertus Tuitiensis, lib. VI De divin. offic., cap. 29 ; Honorius, Gem. animæ, De antiq. tit. miss., lib. III, cap 102 ; B. Lanfrancus in Decretis pag. 266 ; Guillelmus Durandus, Ration., l. VI, c. 80, et Joannes Belethus, libro De div. offic., c. 108, in eum, qui sequitur, modum : *Annotatur quidem in cereo paschali annus ab Incarnatione Domini, inscribuntur quoque cereo paschali indictio, vel æra, atque epacta.* Hæc in ecclesia cathedrali tantummodo serventur, in qua tabula paschali a cancellario inscribitur, et cereo paschali affigitur, quam suo loco dabimus pro anno præsenti 1678 ex eodem cereo cathedralis ecclesiæ depromptam.

(210) *Alba licet baptizatis uti.* Sic Alcuinus, in epistola ad Oduinum presbyterum, et Rabanus Maurus, lib. I De institut. cleric ; cap. 29. Item Gemma animæ, lib. I, c, 243 : *Baptizati autem ideo vestes albas portant, quia amissam innocentiam se recepisse insinuant.*

(211) *Quod per septem dies albæ vestes portantur.* Alcuinus, libro De divin. offic., tit. De Sabbato sancti Paschæ : *Omni autem die usque in octavas ad missam veniant et communicent.* Item Rabanus, l. II, De institut. cleric., c. 39 : *Septem dies albas vocitamus propter eos qui in sancta nocte baptizati albis per totam hebdomadam utuntur vestibus, et per septem dies in angelico castitatis habitu, et luminibus cœlestis*

Digitized by Google

claritatis, sanctis assistere sacrificiis solent. Idem præcipit concilium Rotomagense sub Malgerto anno 1050 celebratum, **139** can. 19: *Ut baptizati in eadem ecclesia in qua regenerationis gratiam acceperunt, et in qua parochiani existunt per octavos dies in Albis represententur cum cereis ardentibus.*

(212) *Per octavam qua vestes deponuntur.* Sic Alcuinus, De Sabbato in Albis: *Hodie albati qui in Sabbato sancto baptizati fuerunt, vestibus albis exuuntur.* Amalarius, De Sabbato in Albis, cap. 51: *Qui in Christo baptizati sunt et sunt agni novelli, et hodie revertuntur ad fontes ut exuant se albis.*

(213) *Duobus aliis tertium litaniam incipientibus.* Hodie hæc litania a tribus cappatis de majori sede canitur in choro finienda, ut ex Ordinario et libris officialibus Rotomag. mss. colligitur: prima vero a septem pueris, secunda a quinque clericis de secunda sede in superpelliceis; quæ tres litaniæ describuntur in Ordine Romano et a sacrorum rituum expositoribus.

(214) *Post* Gloria in excelsis, *altare incensetur.* Ordinarium: *Interim archiepiscopus, vel sacerdos cum diacono et subdiacono, candelabris et thuribulis veniat, et confessione humiliter dicta alte incipiat:* Gloria in excelsis Deo, *absque tropis; et prosternat se omnis chorus.*

Et addit: *Et interim omnes campanæ pulsentur, et dehinc per omnes abbatias et parochias totius civitatis.* Secus apud nos, nam (ut supra diximus) altare thurificatur dum *Kyrie eleison* a choro cantatur; et chorus, dum *Gloria in excelsis* dicitur, ab acolytho incensatur.

(215) *Duo cappati in pulpito* Alleluia, Confitemini *celebre cantent.* Joanni consonat Liber officialis ms. ad usum Ecclesiæ Rotomagensis. Sed in ecclesia cathedrali *Alleluia* cum versu a duobus canonicis cantoribus qui cantaverint litaniam in cappis canitur in pulpito, alii duo canonici de majori quoque sede cappis induti tractum ante altare succinunt, et lecto Evangelio in sacristiam recedunt.

(216) *Communicato clero et populo.* Ordinarium: *Communicatis presbyteris et aliis quibus placuerit, Vesperæ sic incipiantur;* et Liber officialis Rotomagensis ms.: *Communicato clero et populo,* etc. Miramur nonnullos recentiores a Patrum institutis adeo abhorrere, ut sacram communionem in hac missa, quod nocturna sit, populo dari non probent. Certe religiosa illa consuetudo, si alio unquam tempore, hac potissimum nocte observanda videtur, qua mysticum Christianorum Pascha colitur. Pr.

140 Quod Rabanus, De institut. clericorum, l. II, c. 38, non solum omnibus licitum, sed etiam quasi necessarium ostendit: *Post baptismum vero et litanias sequitur sancta missarum celebratio, et communicatio corporis et sanguinis Domini, cujus participatione quicunque fidelium se hac nocte abstinuerit, nescio quomodo dicam illum Christianum, exceptis his qui pro capitalibus criminibus excommunicati pœnitentiam gerunt.* Item Missalia Rotomagensis Ecclesiæ an. 1516, 1527, 1538 et 1576. *Communicatis quibus placuerit, Vesperæ sic incipiantur,* etc.

(217) Magnificat *cantato et altari incensato.* Idem habetur in Libro officiali Rotomagensi ms. sed hodie nec altare nec chorus thurificatur, ut etiam præscribit Missale Ecclesiæ Sarisberiensis in Anglia, an. 1555. *Non thurificetur altare neque chorus.*

(218) *Hoc peracto quoddam responsorium cantetur.* Nullum responsorium canitur, sed dicto *Deo gratias,* quisque domum revertitur, ut notat Ordinarium Rotomagense ms. Ite missa est *festive dicatur, et benedictione accepta recedant;* et Ordinarium ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis: *Dicto* Ite missa est *a diacono, missa et Vesperæ pariter finiantur.*

(219) *Post prandium.* Prandium appellat non meridianam comestionem, sed unicam. Primis Ecclesiæ temporibus huic celebritati tota nox impendebatur. Decrescente postea baptizandorum multitudine, officium et noctis initium contrahi cœpit, quod Vesperæ, prandium, et Completorium subsequebantur. Romæ serior fuit Vesperarum quam prandii introductio. Nam anonymus Romani Ordinis scriptor (quisquis ille fuit) observat sua ætate, in hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nihil actum, neque ante missam, neque post missam; et paulo post subdit, eodem die dominum papam et cæteros Romanos ova manducare, et formaticum, id est caseum. Pr.

(220) *Decima hora noctis,* etc. Illud sublatum est in Ecclesia Rotomagensi.

(221) *Diaconus dalmaticatus evangelicam lectionem pronuntiet.* Nunc cappatus, incensato altari, candelabris et thuribulo præcedentibus, pronuntiat Evangelium.

(222) *Unumquodque responsorium a binis clericis indutis cantetur.* **141** In Ecclesia Rotomagensi hodie primum et secundum respons. a tribus in cappis canuntur, tertium vero a quatuor qui cantaverint invitatorium, quod in festis triplicibus temporis paschalis observatur.

(223) *Post tertium responsorium officium sepulcri celebretur.* De officio sepulcri fuse disserit Joannes Belethus, lib. De div. offic., c. 113, et Guill. Durandus, lib. VI, c. 87; et concordant cum nostro sepulcri officio, quod videas in fine post nostras observationes.

(224) *Finita oratione.* Hic inserenda videtur processio ad crucifixum, quam mirum hac die vel tunc in usu non fuisse, vel certe a Joanne, qui similium ad sequentes dies meminit, prætermissam. Eam describit Ordinarium, docetque solemni benedictione terminari consuevisse. *Hoc finito* (inquit) *benedicantur ab archiepiscopo, si præsens fuerit; et osculetur omnes fratres, dicens ad singulos:* Resurrexit Dominus. Pr.

Hunc ritum in Græcia tam clerus quam populus religiose tenet, quisque enim in die sancto Paschæ sic salutem dicit: Χριστὸς ἀνέστη.

Digitized by Google

(225) *Post capitulum.* Sic quoque Ordinarium Rotomagense ms. *Dehinc in capitulo, et ibi legatur lectio de Martyrologio ab uno puero, et sequatur* ℣ Pretiosa est in conspectu Domini. *Oratio* Sancta Maria, isti sancti, et omnes alii, *etc.* Per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Tum postea legatur ab uno canonico diacono de expositione Evangelii*

(226) *Tertia cantata processio per claustrum.* Processionem sic disponit Ordinarium Rotomagense ms. *Sequitur processio per atrium in cappis, sacerdos et diaconus in Albis, et subdiaconus tunicam habeat cum cruce, candelabris et signis. Cantor incipiat :* Maria Magda'ene, *cum versu et regressu ; quo finito tres de majori sede cantent :* Salve, festa dies, *usque ad stationem. In statione cantor incipiat* ℟ Sedit angelus. *Tres de majoribus* (nunc *quatuor*) *in pulpito* ℣ Crucifixum in cruce [*al.*, carne]. Nolite. *Ad introitum chori dominus archiepiscopus, si præsens fuerit, si non, cantor, incipiat :* Christus resurgens, *cum* ℣ D cant nunc Judæi ; *quo finito dominus archiepiscopus, si præsens fuerit, benedicat populum, et statim incipiatur missa. Et dominus archiepiscopus, si præsens fuerit, habeat secum septem diaconos et totidem subdiaconos revestitos*, **142** *de quibus duodecim sint de secunda sede*, etc. Ad processionem omnes de choro sunt in cappis cum celebrante, diaconus dalmatica indutus, et subdiaconus tunica, cujus vice acolythus crucem defert tunica indutus.

(227) *Officium diei celeberrime compleant.* Ordinarium sæpe laudatum : *Archiepiscopus, si præsens fuerit, faciat benedictionem super populum ante* Agnus Dei. *Finito* Agnus Dei, *omnes qui voluerint, communicent.* Pr.

Tres benedictiones episcopales olim in missa fieri solitas describimus ex ms. Pontificali bibliothecæ cathedralis Rotomagensis, quas in missis pontificalibus revocari optat rituale Rotomagense, p. 1, p. 503.

(228) *Cum processione*, etc. In his omnibus concordat Ordinarium Rotomagense ms. ; sic autem habet in die Paschæ, pag. 88. *Ad Vesperas tres de majori sede in cappis cantent ad processionem :* Salve, festa dies, *cum diacono et subdiacono revestitis, cruce, candelabris, thuribulis et signis ; descendat processio per dextram alam ecclesiæ, usque ad occidentalem portam ecclesiæ, et processione ordinata in navi ecclesiæ unus de cantoribus incipiat :* Kyrie eleison, *et processio ad chorum redeat cantando :* Christe eleison ; *et finito* Kyrie eleison, *incipiatur ab uno de majori sede ant.* Alleluia. *Illi qui cantaverint ad processionem* : Salve, festa dies, *regant chorum, et unus ex illis incipiat in dextro choro psal.* Dixit Dominus, *psal.* Confitebor, *psal.* Beatus vir. *Ant.* Alleluia *quatuor.* Eadem legere est in libro officiali Rotomagensi ms ; et apud Durandum Ration., lib. VI, c. 89. De ista processione ante Vesperas, et de *Kyrie eleison*, nihil hodie fit in Ecclesia Rotomagensi, licet habeantur in Breviariis ad usum Rotomagensis Ecclesiæ an. 1491 et 1578 editis ; et in Breviario Dominicanorum : *Ad Vesperas non dicatur :* Deus in adjutorium, *sed dicto* Pater noster, *sic incipiantur :* Kyrie eleison, etc.

(229) *Per* Kyrie eleison *Vesperas incipiant.* Pius ille ritus, quem germanæ antiquitatis ignorantia nostro demum sæculo abolevit, e Romanis fontibus ad nos emanaverat. Ordo Romanus : *Die sancto Paschæ conveniente schola temporius cum episcopis et diaconibus ad sanctum Joannem in ecclesia majore ad locum crucifixi, incipiunt,* Kyrie eleison, *et veniunt usque ad altare : ascendentibus diaconibus in pogium,* **143** *episcopi et presbyteri statuuntur in locis suis, et scholæ ante altare. Finito* Kyrie eleison, *innuit archidiaconus primo scholæ : et ille inclinans se illi, incipiat* Alleluia *cum psalmo :* Dixit Dominus Domino meo, etc. Alcuinus lib. De divin. offic. *Eadem die ad Vesperas ad sanctum Joannem congregatur maturius universus gradus ecclesiasticus in ecclesia majore, in loco qui vocatur crucifixio : ibique inchoat schola :* Kyrie eleison, *et eo concentu perveniunt usque ad altare*, etc. Pa.

(230) Benedicamus Domino *ab his qui* Alleluia *cantarunt dicatur.* Nunc a tribus de secunda sede in superpelliceis.

(231) *Psalmum :* Laudate, pueri, Dominum, *cantantes ad fontes pergant.* Iste processionis ritus laudabiliter observatur in cathedrali et plurimis parochialibus ecclesiis hujus civitatis, qui in ordinario ms., p. 88, describitur disertis hisce verbis : *Unus de majoribus incipiat :* Alleluia, *et unus de regentibus chorum incipiat :* Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini, Alleluia. Sit nomen Domini benedictum, etc. Alleluia : *et sic cantando psalmum eat processio ad fontes cum diacono et subdiacono, et ampullæ a duobus presbyteris albatis, et cereo benedicto, quem ferat unus diaconus* (dalmaticatus) *de secunda sede, et chorus psalmum finiat, et dicat* Alleluia *quatuor, et* Hæc dies *sine* Alleluia, *et versu. Et post cantetur ante altare S. Joannis :* Alleluia, ℣ Laudate, pueri *et reiteretur* Alleluia ; *quo finito sacerdos dicat :* Oremus. Deus, qui ecclesiam tuam. Per Christum Dominum. *Festive unus de majori sede incipiat :* Alleluia, *et unus de regentibus chorum psal.* In exitu Israel de Ægypto, Alleluia, ℣ Facta est Judæa sanctificatio ejus, *etc.* Alleluia, alleluia ; ℣ Mare vidit et fugit, *etc.* alleluia, alleluia, alleluia. *Et sic ad finem perducatur, et in fine psalmi dicatur* : Gloria Patri, Alleluia. Sicut erat, Alleluia, alleluia. Surrexit Dominus de sepulcro, Alleluia, alleluia, alleluia. *Et cantando psalmum descendat processio per aliam alam ecclesiæ ad occidentalem portam ecclesiæ ; et processione in navi ecclesiæ statuta, et ultimo versu psalmi finito, tres* (nunc, *duo*) *de majori sede in pulpito cantent* Alleluia, ℣ Redemptionem, *non reiteretur* Alleluia *in fine ; quo finito sacerdos dicat versum :* Dicite in nationibus. Oremus. Deus, qui pro nobis Filium. *Sequatur memoria ibidem beatæ Mariæ, antiphona :* Paradisi porta. ℣ Post partum. Oremus. Gratiam tuam **144** quæsumus, Domine *Ad introitum chori memoria omnium san-*

Digitized by Google

clarîtatis, sanctis assistere sacrificiis solent. Idem præcipit concilium Rotomagense sub Malgerto anno 1050 celebratum, **139** can. 19: *Ut baptizati in eadem ecclesia in qua regenerationis gratiam acceperunt, et in qua parochiani existunt per octavos dies in Albis represententur cum cereis ardentibus.*

(212) *Per octavam qua vestes deponuntur.* Sic Alcuinus, De Sabbato in Albis: *Hodie albati qui in Sabbato sancto baptizati fuerunt, vestibus albis exuuntur.* Amalarius, De Sabbato in Albis, cap. 51: *Qui in Christo baptizati sunt et sunt agni novelli, et hodie revertuntur ad fontes ut exuant se albis.*

(213) *Duobus aliis tertiam litaniam incipientibus.* Hodie hæc litania a tribus cappatis de majori sede canitur in choro finienda, ut ex Ordinario et libris officialibus Rotomag. mss. colligitur: prima vero a septem pueris, secunda a quinque clericis de secunda sede in superpelliceis; quæ tres litaniæ describuntur in Ordine Romano et a sacrorum rituum expositoribus.

(214) *Post* Gloria in excelsis, *altare incensetur.* Ordinarium: *Interim archiepiscopus, vel sacerdos cum diacono et subdiacono, candelabris et thuribulis veniat, et confessione humiliter dicta alte incipiat:* Gloria in excelsis Deo, *absque tropis; et prosternat se omnis chorus.*

Et addit: *Et interim omnes campanæ pulsentur, et dehinc per omnes abbatias et parochias totius civitatis.* Secus apud nos, nam (ut supra diximus) altare thurificatur dum *Kyrie eleison* a choro cantatur; et chorus, dum *Gloria in excelsis* dicitur, ab acolytho incensatur.

(215) *Duo cappati in pulpito* Alleluia, Confitemini *celebre cantent.* Joanni consonat Liber officialis ms. ad usum Ecclesiæ Rotomagensis. Sed in ecclesia cathedrali *Alleluia* cum versu a duobus canonicis cantoribus qui cantaverint litaniam in cappis canitur in pulpito, alii duo canonici de majori quoque sede cappis induti tractum ante altare succinunt, et lecto Evangelio in sacristiam recedunt.

(216) *Communicato clero et populo.* Ordinarium: *Communicatis presbyteris et aliis quibus placuerit, Vesperæ sic incipiantur;* et Liber officialis Rotomagensis ms.: *Communicato clero et populo,* etc. Miramur nonnullos recentiores a Patrum institutis adeo abhorrere, ut sacram communionem in hac missa, quod nocturna sit, populo dari non probent. Certe religiosa illa consuetudo, si alio unquam tempore, hac potissimum nocte observanda videtur, qua mysticum Christianorum Pascha colitur. Pr.

140 Quod Rabanus, De institut. clericorum, l. II, c. 38, non solum omnibus licitum, sed etiam quasi necessarium ostendit: *Post baptismum vero et litanias sequitur sancta missarum celebratio, et communicatio corporis et sanguinis Domini, cujus participatione quicunque fidelium se hac nocte abstinuerit, nescio quomodo dicam illum Christianum, exceptis his qui pro capitalibus criminibus excommunicati pœnitentiam gerunt.* Item Missalia Rotomagensis Ecclesiæ an. 1516, 1527, 1538 et 1576. *Communicatis quibus placuerit, Vesperæ sic incipiantur,* etc.

(217) Magnificat *cantato et altari incensato.* Idem habetur in Libro officiali Rotomagensi ms. sed hodie nec altare nec chorus thurificatur, ut etiam præscribit Missale Ecclesiæ Sarisberiensis in Anglia, an. 1555. *Non thurificetur altare neque chorus.*

(218) *Hoc peracto quoddam responsorium cantetur.* Nullum responsorium canitur, sed dicto *Deo gratias,* quisque domum revertitur, ut notat Ordinarium Rotomagense ms. Ite missa est *festive dicatur, et benedictione accepta recedant;* et Ordinarium ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis: *Dicto* Ite missa est *a diacono, missa et Vesperæ pariter finiantur.*

(219) *Post prandium.* Prandium appellat non meridianam comestionem, sed unicam. Primis Ecclesiæ temporibus huic celebritati tota nox impendebatur. Decrescente postea baptizandorum multitudine, officium et noctis initium contrahi cœpit, quod Vesperæ, prandium, et Completorium subsequebantur. Romæ serior fuit Vesperarum quam prandii introductio. Nam anonymus Romani Ordinis scriptor (quisquis ille fuit) observat sua ætate, in hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nihil actum, neque ante missam, neque post missam; et paulo post subdit, eodem die dominum papam et cæteros Romanos ova manducare, et formaticum, id est caseum. Pr.

(220) *Decima hora noctis,* etc. Illud sublatum est in Ecclesia Rotomagensi.

(221) *Diaconus dalmaticatus evangelicam lectionem pronuntiet.* Nunc cappatus, incensato altari, candelabris et thuribulo præcedentibus, pronuntiat Evangelium.

(222) *Unumquodque responsorium a binis clericis indutis cantetur.* **141** In Ecclesia Rotomagensi hodie primum et secundum respons. a tribus in cappis canuntur, tertium vero a quatuor qui cantaverint invitatorium, quod in festis triplicibus temporis paschalis observatur.

(223) *Post tertium responsorium officium sepulcri celebretur.* De officio sepulcri fuse disserit Joannes Belethus, lib. De div. offic, c. 113, et Guill. Durandus, lib. VI, c. 87; et concordant cum nostro sepulcri officio, quod videas in fine post nostras observationes.

(224) *Finita oratione.* Hic inserenda videtur processio ad crucifixum, quam mirum hac die vel tunc in usu non fuisse, vel certe a Joanne, qui similium ad sequentes dies meminit, prætermissam. Eam describit Ordinarium, docetque solemni benedictione terminari consuevisse. *Hoc finito* (inquit) *benedicantur ab archiepiscopo, si præsens fuerit; et osculetur omnes fratres, dicens ad singulos:* Resurrexit Dominus. Pr.

Hunc ritum in Græcia tam clerus quam populus religiose tenet, quisque enim in die sancto Paschæ sic salutem dicit: Χριστὸς ἀνέστη.

Digitized by Google

(225) *Post capitulum.* Sic quoque Ordinarium Rotomagense ms. *Dehinc in capitulo, et ibi legatur lectio de Martyrologio ab uno puero, et sequatur* ℣ Pretiosa est in conspectu Domini. *Oratio* Sancta Maria, isti sancti, et omnes alii, *etc.* Per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Tum postea legatur ab uno canonico diacono de expositione Evangelii*

(226) *Tertia cantata processio per claustrum.* Processionem sic disponit Ordinarium Rotomagense ms. *Sequitur processio per atrium in cappis, sacerdos et diaconus in Albis, et subdiaconus tunicam habeat cum cruce, candelabris et signis. Cantor incipiat :* Maria Magda'ene, *cum versu et regressu ; quo finito tres de majori sede cantent :* Salve, festa dies, *usque ad stationem. In statione cantor incipiat* ℟ Sedit angelus. *Tres de majoribus* (nunc *quatuor*) *in pulpito* ℣ Crucifixum in cruce [*al.*, carne]. Nolite. *Ad introitum chori dominus archiepiscopus, si præsens fuerit, si non, cantor, incipiat :* Christus resurgens, *cum* ℣ D cant nunc Judæi ; *quo finito dominus archiepiscopus, si præsens fuerit, benedicat populum, et statim incipiatur missa. Et dominus archiepiscopus, si præsens fuerit, habeat secum septem diaconos et totidem subdiaconos revestitos,* **142** *de quibus duodecim sint de secunda sede,* etc. Ad processionem omnes de choro sunt in cappis cum celebrante, diaconus dalmatica indutus, et subdiaconus tunica, cujus vice acolythus crucem defert tunica indutus.

(227) *Officium diei celeberrime compleant.* Ordinarium sæpe laudatum : *Archiepiscopus, si præsens fuerit, faciat benedictionem super populum ante* Agnus Dei. *Finito* Agnus Dei, *omnes qui voluerint, communicent.* Pr.

Tres benedictiones episcopales olim in missa fieri solitas describimus ex ms. Pontificali bibliothecæ cathedralis Rotomagensis, quas in missis pontificalibus revocari optat rituale Rotomagense, p. 1, p. 503.

(228) *Cum processione,* etc. In his omnibus concordat Ordinarium Rotomagense ms. ; sic autem habet in die Paschæ, pag. 88. *Ad Vesperas tres de majori sede in cappis cantent ad processionem :* Salve, festa dies, *cum diacono et subdiacono revestitis, cruce, candelabris, thuribulis et signis ; descendat processio per dextram alam ecclesiæ, usque ad occidentalem portam ecclesiæ, et processione ordinata in navi ecclesiæ unus de cantoribus incipiat :* Kyrie eleison, *et processio ad chorum redeat cantando :* Christe eleison ; *et finito* Kyrie eleison, *incipiatur ab uno de majori sede ant.* Alleluia. *Illi qui cantaverint ad processionem* : Salve, festa dies, *regant chorum, et unus ex illis incipiat in dextro choro psal.* Dixit Dominus, *psal.* Confitebor, *psal.* Beatus vir. *Ant.* Alleluia *quatuor.* Eadem legere est in libro officiali Rotomagensi ms ; et apud Durandum Ration., lib. VI, c. 89. De ista processione ante Vesperas, et de *Kyrie eleison,* nihil hodie fit in Ecclesia Rotomagensi, licet habeantur in Breviariis ad usum Rotomagensis Ecclesiæ an. 1491 et 1578 editis ; et in Breviario Dominicanorum : *Ad Vesperas non dicatur :* Deus in adjutorium, *sed dicto* Pater noster, *sic incipiantur :* Kyrie eleison, etc.

(229) *Per* Kyrie eleison *Vesperas incipiant.* Pius ille ritus, quem germanæ antiquitatis ignorantia nostro demum sæculo abolevit, e Romanis fontibus ad nos emanaverat. Ordo Romanus : *Die sancto Paschæ conveniente schola temporius cum episcopis et diaconibus ad sanctum Joannem in ecclesia majore ad locum crucifixi, incipiunt,* Kyrie eleison, *et veniunt usque ad altare : ascendentibus diaconibus in pogium,* **143** *episcopi et presbyteri statuuntur in locis suis, et scholæ ante altare. Finito* Kyrie eleison, *innuit archidiaconus primo scholæ : et ille inclinans se illi, incipiat* Alleluia *cum psalmo :* Dixit Dominus Domino meo, etc. Alcuinus lib. De divin. offic. *Eadem die ad Vesperas ad sanctum Joannem congregatur maturius universus gradus ecclesiasticus in ecclesia majore, in loco qui vocatur crucifixio : ibique inchoat schola :* Kyrie eleison, *et eo concentu perveniunt usque ad altare,* etc. Pa.

(230) Benedicamus Domino *ab his qui* Alleluia *cantarunt dicatur.* Nunc a tribus de secunda sede in superpelliceis.

(231) *Psalmum :* Laudate, pueri, Dominum, *cantantes ad fontes pergant.* Iste processionis ritus laudabiliter observatur in cathedrali et plurimis parochialibus ecclesiis hujus civitatis, qui in ordinario ms., p. 88, describitur disertis hisce verbis : *Unus de majoribus incipiat :* Alleluia, *et unus de regentibus chorum incipiat :* Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini, Alleluia. Sit nomen Domini benedictum, etc. Alleluia : *et sic cantando psalmum eat processio ad fontes cum diacono et subdiacono, et ampullæ a duobus presbyteris albatis, et cereo benedicto, quem ferat unus diaconus* (dalmaticatus) *de secunda sede, et chorus psalmum finiat, et dicat* Alleluia *quatuor, et* Hæc dies *sine* Alleluia, *et versu. Et post cantetur ante altare S. Joannis :* Alleluia, ℣ Laudate, pueri *et reiteretur* Alleluia ; *quo finito sacerdos dicat :* Oremus. Deus, qui ecclesiam tuam. Per Christum Dominum. *Festive unus de majori sede incipiat :* Alleluia, *et unus de regentibus chorum psal.* In exitu Israel de Ægypto, Alleluia, ℣ Facta est Judæa sanctificatio ejus, *etc.* Alleluia, alleluia ; ℣ Mare vidit et fugit, *etc.* alleluia, alleluia, alleluia. *Et sic ad finem perducatur, et in fine psalmi dicatur* : Gloria Patri, Alleluia. Sicut erat, Alleluia, alleluia. Surrexit Dominus de sepulcro, Alleluia, alleluia, alleluia. *Et cantando psalmum descendat processio per aliam alam ecclesiæ ad occidentalem portam ecclesiæ ; et processione in navi ecclesiæ statuta, et ultimo versu psalmi finito, tres* (nunc, *duo*) *de majori sede in pulpito cantent* Alleluia, ℣ Redemptionem, *non reiteretur* Alleluia *in fine ; quo finito sacerdos dicat versum :* Dicite in nationibus. Oremus. Deus, qui pro nobis Filium. *Sequatur memoria ibidem beatæ Mariæ, antiphona :* Paradisi porta. ℣ Post partum. Oremus. Gratiam tuam **144** quæsumus, Domine *Ad introitum chori memoria omnium san-*

Digitized by Google

torum, antiphona : Lux perpetua. Si diligeretis. ℣ Vox lætitiæ. Oremus. Vide, Domine, infirmitates. *Tres pueri :* Benedicamus Domino, Alleluia. Idem quoque habetur in Brevariis Rotomag. an. 1491 et 1578, et in Processionali Rotomagensi pag. 168 et seq. Hujus antiquissimi ritus mentio fit in Ordine Romano, apud Alcuinum, G. Durandum, in ordinario ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis, etc.; eumque improbare non possunt, qui baptismi memoriam in hominum animis indeletam servari cupiunt.

(232) *Huic antiphonam :* Lux perpetua, *concinentes.* Tempore paschali in processione ad crucifixum nulla apud Joannem nostrum habetur sanctæ Mariæ memoria, neque in Ordinario ms. canonicorum S. Laudi : reperitur tamen in Ordinario et officialibus libris mss. et Processionalibus, nec non Breviariis ad usum Ecclesiæ Rotomagensis.

(233) *Dies septem in cappis,* etc. In ecclesia cathedrali Sabbato in Albis ad missam quinque pueri albis induti, sive cappis, non ita pridem regebant chorum. Idem legitur in Ordinario ms. p. 93. *Ad missam nulla cappa in choro, sed quinque pueri in albis regant chorum. Officium :* Eduxit populum suum. *Psalmus :* Confitemini Domino et invocate. *Quinque pueri prædicti cantent :* Kyrie eleison, Rex genitor *et* Gloria in excelsis, *prosam :* Omnipotens genitor; *quinque pueri cantent prosam, et chorus respondeat residuum. Oratio :* Concede, quæsumus, omnipotens Deus. *Nulla memoria, nisi ut prænotatur. Epistola :* Deponentes omnem. Alleluia. ℣ Hæc dies. *Quinque pueri in pulpito* Alleluia. ℣ Laudate, pueri; *sequitur alius versus :* Sit nomen Domini. *Hoc finito quinque pueri incipiant in pulpito :* Jubilans concrepa, *et chorus respondeat neuma.* In ecclesia cathedrali hodie omnia fiunt ut in duplicibus.

(234) *Ad crucifixum post Vesperas fiat processio.* Idem processionis ritus describitur in Ordinario ms. sancti Laudi. Fit hodie in diœce. i Rotomagensi post Vesperas processio, in qua non portatur crux, sed candelabra et thuribulum, juxta Ordinarium Rotomagense ms. et dum cantatur ℟ *Dignus es, Domine,* crucifixus a celebrante cappa induto et genuflexo triplici ductu thurificatur. Duo in pulpito canunt ℣ *O quam.* Dicitur versus et oratio de cruce, et post memoriam **145** B. Mariæ, ad introitum chori dicitur antiphona de sanctis cum versu et oratione.

(235) *Oratione Dominica et symbolo.* In Completorio per octavam non dicitur oratio Dominica nec symbolum; sed post *Nunc dimittis* decantata antiphona oratio dicitur, et dicto *Benedicamus,* Completorium finitur.

236) *Dies octavus ut primus celebretur.* Non eodem modo, sed more duplici colitur.

(237) *Responsorium* Surrexit, *a duobus cantetur* Scilicet in cappis, qui chorum regant.

(238) *Unaquæque nocturna cum una antiphona.* Ex his et sequentibus patet, apud majores nostros tempore paschali Dominicarum et festorum officium tribus nocturnis constitisse. Ut secus postea fieret, pervicit brevitatis ratio, non disciplinæ : quod valde improbatur a Guillelmo Durando, l. VI, Ration. div. offic., cap. 89, et Radulfo decano Tungrensi, libro De canonum observantia, propositione 10. Pa.

(239) *Sex lectiones de Apocalypsi legantur, et tres de resurrectione.* Hinc apparet olim in Rotomagensi Ecclesia tres nocturnas dici solitas, quæ reperiuntur in Ordinario ms. canonicorum S. Laudi Rotomagensis; eas adhuc retinet Romana Ecclesia, multæ quoque cathedrales ecclesiæ. De lectione Apocalypsis concordat Ordinarium Rotomagense ms. Nos vero legimus de Actibus apostolorum (exceptis Dominicis) usque ad hebdomadam tertiam, in qua legitur liber Apocalypsis, postea canonicæ epistolæ usque ad vigiliam Ascensionis.

(240) *Nonum a duobus clericis cantetur.* Scilicet de majori sede in superpelliceis tantum, quod in Ecclesia Rotomagensi servatur in tertio responsorio per Dominicas temporis paschalis.

(241) *Matutinæ Laudes cum una antiphona :* Angelus. Ad Laudes in Dominicis usque ad Ascensionem psalmi dicuntur sub una antiphona : *Alleluia.*

(242) *In Dominicis matutinis semper fiat processio.* In Dominicis usque ad Ascensionem tantum fit processio in Laudibus, cæteris Dominicis nulla in Laudibus, sed immediate ante Tertiam post aspersionem aquæ.

(243) *Sine tropis et Laudibus.* Quid sint tropi docet Durandus **146** lib. IV, Ration., c. V, et post eum Pamelius in fine tomi II Liturgicon Eccl. Lat. Ad hanc cantus speciem referendæ sunt litaniæ (ut vocant) prosatæ, ut *Kyrie, fons bonitatis.* Quod ad Laudes attinet, varia est ejus nominis apud liturgicos acceptio. Plerumque enim sumitur pro *Alleluia,* ut apud Isidorum, lib. I De eccl. offic., cap. 13, qui sensus huic loco non convenit, ubi agitur de officio quod celebratur cum *Alleluia,* sed sine Laudibus. Itaque cum hic troporum, Laudumque simul occurrat mentio, rectius per Laudes hujusmodi intelligemus cantum aliquem ecclesiasticum tropis affinem. Nam et Durandus loco prædicto tropos appellat Laudes ad introitum convertibiles. Conjecturæ facem præfert anonymus S. Audoeni monachus in Historia Joannis nostri ad calcem gestorum archiepiscoporum Rotomag. his verbis : *Finitis itaque* Kyrie eleison *cum duobus rhythmis,* id est, nostro judicio tropis, *exacto* Gloria in excelsis Deo, *quod incœptum ab abbate Ricardo Sigiensi* (*Sagiensi*) *chorus celeberrime fuerat exsecutus cum Laudibus, id vero totum expendebatur in præstolatione archipræsulis.* Quo ex loco colligitur Laudes illas in missis solemnibus hymno *Gloria in excelsis* interseri, vel certe subjungi consuevisse : quem quidem hymnum in missa Sabbati sancti absque tropis decantatum, paulo ante observavimus ex Ordinario. Ejus generis erat prosa *Quem cives cœlici,* quæ juxta idem Ordinarium, in nocte

Digitized by Google

Natalis Domini a clericis pastores agentibus, post hymnum prædictum cantabatur : itemque *O gloria sanctorum*, ibidem in festo sancti Stephani. Denique Laudum nomine forte censeri posset insignis ille cantus, *Christus vincit*, de quo supra. Pr.

(244) *Cum duobus* Alleluia *et sequentia.* Sequentia non dicitur, sed quatuor *Alleluia* canuntur.

(245) *Quandiu* ℟ Dignus es *cantatur, Apocalypsis legatur.* In Breviariis Rotomag. an. 1491 et 1578 post octavam Paschæ legitur Apocalypsis, quibus concinit Ordinarium ms., p. 2 : *Post octavam Paschæ incipiatur liber Apocalypsis, et legantur de eo tres lectiones per hebdomadam usque ad Dominicam in qua cantatur :* Jubilate Deo. *In crastino incipiantur Epistolæ canonicæ, et legantur de ipsis quotidie tres lectiones per ferias usque ad vigiliam Ascensionis Domini.* Et Micrologus, De ecclesiast. observat., cap. 54 : *In octava Paschæ historiam :* **147** Dignus es, Domine, *et Apocalypsin juxta ordinem incipimus.*

(246) *Per dies feriales in nocturna sex psalmos.* Tempore paschali tres tantum dicuntur psalmi per ferias.

(247) *Unum tantum* Alleluia *cantetur.* Ita quoque Micrologus, De eccles. observat., c. 55, et G. Durandus, Ration. divin. offic., l. VI, c. 89. Sed in Ecclesia Rotomagensi in officio tam de Tempore quam de Sanctis a Pascha usque ad Pentecosten canuntur quatuor *Alleluia*, exceptis Rogationibus et vigilia Pentecostes.

(248) *Si alio tempore evenerit, omnes exceptis parvulis jejunent.* Hoc indicat Ordinarium ms. bibliothecæ Bigotianæ : *Item si evenerit in die octava, memoria ad utrasque Vesperas, Matutinum et missam, et in crastino reservetur cum jejunio. Item si evenerit in Sabbatis aut Dominicis resurrectionis, processio et jejunium in crastinum reserventur ;* in Ordinario autem ms. cathedralis ecclesiæ : *Missa de jejunio cantabitur, et omnes jejunabunt.* Hinc duo notanda occurrunt : primum quod olim Ecclesia Rotomagensis jejunium observaret in festo S. Marci, quando non concurrebat cum octava Paschæ, aut Dominicis tempore paschali. Secundum quod omnes exceptis pueris et infirmis jejunarent. Simile reperitur mandatum præfixum initio Breviarii Rotomag., an. 1578, et Abrincensis, an. 1592, De observatione jejunii : *Sacerdotes ecclesiarum præcipiant omnibus ætatem adultam habentibus instituta jejunia observari, ut jejunium Quadragesimæ,* etc. *Et omnia prædicta prohibeant expresse, et sub pœna peccati mortalis.* Illud vero jejunium postea in abstinentiam a carnibus fuit mutatum, similiter in diebus Rogationum.

(249) *Ad ecclesiam S. Petri, S. Audoeni.* Hunc morem etiamnum servat ecclesia metropolitana. De antiquitate et dignitate ecclesiæ S. Audoeni vide Surium in Vita ejusdem sancti ad 24 Augusti ; Dudonem, De moribus et actis Norman., lib. II ; Willelmum Gemetic., lib. II, cap. 18 ; Ordericum, initio libri III et lib. VIII, pag. 710. Pr.

Item in Charta Riculfi Rotomagensis archiepiscopi legitur : *Cœnobium D. Petri, almique Audoeni ;* processu vero temporis unicum nomen S. Audoeni, cujus corpus hac in ecclesia fuit tumulatum, sortita est. Hujus processionis ritum vide post notas.

(250) **148** *Nona dicta comestum pergant.* Excepto enim Quadragesimæ tempore, aliis jejunii diebus frangebatur hora nona jejunium, ut constat ex Micrologo, c. 49, De capite jejunii, et pluribus aliis.

(251) *Simili modo dies Rogationum celebrentur.* De jejunio Rogationum sic loquitur Rabanus, lib. II, De institut. cleric., cap. 4 : *Ante hanc ergo diem Ascensionis Domini mos est ecclesiarum Occidentis per tres dies proximos jejunium exercere et litanias agere, et hoc congrue.* Vide Amalarium, lib. I, cap. 37, De litania majori.

(252) *Sex primæ lectiones de sanctis dicantur.* Eadem plane habentur in libro officiali Rotomagensi ms. ; nunc autem una nocturna dicitur, in qua prima lectio de expositione Evangelii, secunda et tertia de cruce ; fit memoria martyrum in primis Vesperis, Laudibus et missa.

(253) *Processio ad crucem in Vesperis et Matutinis, et missa fiat.* Processio nulla fit, nisi sit Dominica, scilicet ante Tertiam, nec Laudes neque sequentia in aliquo officio canuntur.

(254) *In Vesperis cantor chorum regat.* Hujus diei officium in omnibus pene est immutatum ; nunc enim duo cantores cappati chorum regunt, quatuor alii de majori sede item cappis induti, istis recedentibus in vestiarium, responsorium canunt. Olim tres nocturnæ vigiliæ, hodie una tantum dicitur, scilicet tres psalmi cum tribus antiphonis, et in cappis tres lectiones de expositione Evangelii leguntur, cum totidem responsoriis, quorum primum et secundum a tribus in cappis, tertium a quatuor regentibus chorum decantatur.

(255) *Post Tertiam processio fiat.* Ordinarium Rotomagense ms. post Tertiam processionem immediate constituit, p. 109. *Ad Primam* Jam lucis, *etc. Dehinc eatur in capitulum* [ms., *capitulo*], *et ibi legatur ab uno diacono de majori sede de residuo expositionis Evangelii. Pulsetur processio festive. Sequitur ad Tertiam hymnus :* Nunc sancte. *Sequitur processio,* etc. Tanta est eo die in cathedrali ecclesia rerum confusio, propter populi affluentiam, ut Tertia, Sexta, Nona et postea missa solemnis usque ad quartam aut quintam horam pomeridianam differantur, qua circiter hora reus e carcere educitur. Unus cantor in cappa missæ officium inchoat quod musici prosequuntur, pauci enim canonici et pauci capellani **149** intersunt, quia viri et feminæ illorum sedes occupant ; sic quisque per ecclesiam vagatur, et ecclesia strepitu et tumultu resonat, ac gladiis evaginatis et armis more castrorum resplendet. Finita missa statim dicuntur Vesperæ, ut quadragesimali tempore.

(256) *Historia :* Deus omnium. Hæc vox in scriptoribus de rebus sacris aliquando psalmum signifi-

Digitized by Google

cat, ut l. III, De Gemma animæ, c. 19. *Historiam :* Domine, ne in furore tuo, *pro pœnitentia canimus;* aliquando lectionem, ut Gemma animæ, l. IV, c. 118, De adventu Domini. *Historia*, Clama in fortitudine, *non ad Quatuor Tempora, sed ad proximam septimanam Natalis Domini pertinet;* aliquando vero responsoria et antiphonas, sic enim habet Radulfus de Rivo proposit. 12. *Prænotetur* (inquit) *quod antiphonæ et responsoria ad unum diem vel observationem pertinentia vocantur historia.* Sed sæpissime pro responsoriis accipitur : apud Micrologum, De ecclesiast. observat, c. 54. *In octava Paschæ historiam :* Dignus es, Domine, *incipimus;* apud Radulfum, De Rivo, lib. De can. observ., proposit. 16. *Simili modo servatur Historia :* Dignus es, *et historia :* Si oblitus. In Ordinario vero Rotomagensi historia frequenter pro responsoriis usurpatur, in quo etiam legitur : *Et responsorium de historia*, Deus omnium. Idem sæpe videtur in Ordinario canonicorum S. Laudi Rotomagensis.

(257) *Actus apostolorum legantur.* Ita quoque Ordinarium Rotomagense ms., p. 2 : *In crastino Ascensionis Domini incipiantur Actus apostolorum, et legantur de ipsis per hebdomadam tres lectiones usque ad vigiliam Pentecostes.* Item in Breviariis 1491 et 1578 *legantur usque ad vigiliam Pentecostes quotidie tres lectiones de Actibus apostolorum, excepta Dominica et die octava.* Nunc per octavas Ascensionis et Pentecostes leguntur Patrum expositiones in Evangelia.

(258) *Octava hora diei populus ad ecclesiam conveniat.* Scilicet secunda post meridiem, hodie vero quarta hora diei scilicet decima matutina. Ordo lectionum et tractuum in quibusdam immutatus est, cætera ut in Sabbato sancto Paschæ, excepta benedictione ignis et cerei.

(259) *Pax accipiatur.* Ordinarium Rotomagense ms., p. 113 : Sanctus *et* Agnus *festive, et pax datur.* Vide quæ diximus de osculo pacis in observationibus de officio missæ.

(260) **150** *Post Vesperas et Matutinas ipsa die memoriam resurrectionis peragant ad crucifixum.* Nulla post Vesperas et Matutinas hodie processio ad crucifixum, in qua fiat memoria resurrectionis, et in Ordinario Rotomagensi ms. legitur : *Nulla memoria.* Reperitur tamen hæc processio in Breviario Fiscannensi an. 1627 in primis Vesperis.

(261) *Dies octavus ut primus celeberrime agatur.* Nunc autem ritu triplici 2 classis in honore SS. Trinitatis colitur.

(262) *Hymnus a tribus clericis cappatis altare incensantibus inchoetur.* Aliter ecclesiæ metropolitanæ Ordinarium et praxis, nam ternarius numerus ad septenarium jam excrevit non cappatorum, sed casulatorum. PR.

Hodie in Ecclesia Rotomagensi a septem casulatis et altare incensantibus inchoatur hymnus, qui ab ipsis et a choro alternatim perficitur, ut in Ordinario ms., p. 114, habetur : *Septem presbyteri de majori sede cum septem thuribulis casula induti ante altare veniant cum diacono et subdiacono revestitis* (dalmatica et tunica) *et medius presbyterorum incipiat.* Deus in adjutorium, *et simul incipiant hymnum :* Veni, creator Spiritus, *et tunc pulsentur omnes campanæ, et dicant totum versum flexis genibus incensando altare. Chorus :* ℣ Qui paracletus diceris *Septem presbyteri :* ℣ Tu septiformis. *Chorus :* Ac cende lumen. *Presbyteri :* ℣ Hostem repellas. *Chorus :* ℣ Per te sciamus. *Presbyteri :* Sit laus Patri. *Finito hymno presbyteri versis vultibus ad chorum* (incensando) *incipiant antiphonam :* Accipite Spiritum sanctum, *et totam finiant, et cantor festive incipiat psalmum :* Legem pone, *et presbyteri interim inter se privatim Tertiam dicant, qua finita recedant.* Et feria secunda et per hebdomadam : *Ad Tertiam sacerdos missam cantaturus cum diacono et subdiacono revestitis* (amictu, alba et stola) *incipiat in choro ante formam :* Deus, in adjutorium, *cum duobus thuribulis et candelabris, et simul incipiant :* Veni, Creator, *incensando quandiu versus a parte dicta cantabitur, et sinister chorus finiat dictum versum, dexter chorus alium versum cantet, et sic finiatur hymnus, et sic fiat per hebdomadam alternatim. Ant.* Repleti sunt. *Cantor incipiat psalmum :* Legem pone, *et sacerdos cum diacono et subdiacono sedeant super formam chori. Finita antiphona dicat sacerdos capitulum :* Dum complerentur. ℟ Spiritus Domini, etc. *Sacerdos dicat :* Dominus vobiscum. Oremus. **151** Deus, qui hodierna die, etc. *Finita Tertia recedant, et cantor incipiat officium missæ.* Iisdem fere verbis hæc leguntur in libro officiali Rotomagensi ms. bibliothecæ Bigotianæ.

(263) *Flores diversi coloris immittantur.* Liber officialis præfatus : *Dum hymnus cantatur altare incensetur, luminaria accendantur, signa pulsentur, et flores de diversis coloribus ad instar charismatum sancti Spiritus desuper chorum sparsim mittantur.* A decem aut circiter annis mos iste tam in cathedrali quam in parochialibus ecclesiis non immerito obsolevit, qui in Ordinario ms., p. 114, sic describitur : *Sequitur Tertia, et dum incipitur.* Veni, Creator, *projicientur per familiares thesaurarii existentes in deambulatoriis inferioribus turribus ante crucifixum, scilicet inferius, et quantum poterunt infra chorum folia quercuum, nebulæ et stuppæ ardentes in magna quantitate, et ad* Gloria in excelsis *missæ emittent volare versus chorum aves parvas et mediocres, et non magnas, cum nebulis ligatis ad tibiam in competenti numero, et continuabuntur præmissa usque ad Evangelium : et hæc omnia fient ad expensam thesaurarii et capituli æquis portionibus.*

(264) *Si alicujus sancti festivitas evenerit, de sancto cantetur.* Per octavam Pentecostes, si sanctorum festivitas evenerit, post octavam transfertur.

(265) *Missa in tertia feria de angelis.* Hodie non dicitur de angelis, sed propria quæ in Missalibus Rotomagensis diœcesis assignatur.

(266) *Epistola legatur :* Vidi ostium, *et* Erat homo

Digitized by Google

ex Pharisæis *Evangelium*. Idem habetur in libro officiali Rotomagensi ms. bibliothecæ Bigotianæ, et in Missalibus Rotomagensis Ecclesiæ an. 1516, 1527, 1538 et 1576. Hodie legitur Epistola beati Pauli ad Romanos, c. XI : *O altitudo*, etc., et Evangelium secundum Matthæum, c. 28 : *Dixit Jesus discipulis suis : Data est mihi omnis potestas.*

(267) *Incipiatur Regum historia et Paralipomenon.* Libri Paralipomenon non leguntur in Ecclesia Rotomagensi, sed tantum quatuor libri Regum usque ad Dominicam proximiorem Kalend. Augusti.

(268) *Liber Tobiæ et Esdræ.* Esdras non legitur, sed solummodo liber Tobiæ in tertia Septembris hebdomada, in quarta vero et quinta Judith et Esther.

(269) *Post matutinas tantum Laudes defunctorum.* In ecclesia **152** cathedrali post nocturnum dicuntur ante Completorium.

(270) *In Vesperis Abbati et Dominicalibus matutinis de cruce cantetur.* In Ordinario ms. canonicorum S. Laudi : *Ab octavo Pentecostes usque ad Adventum Domini in omnibus Vesperis et Matutinis fiat memoria de sancta cruce, nisi in duplicibus festis.* Ad processionem post Vesperas Sabbati nihil de cruce canitur, sed de beata Virgine Maria, licet in Ordinario Rotomag. ms. legatur : *Sequatur processio, antiphona :* O crux splendidior. ℣ Omnis terra. *Oratio :* Deus, qui unigen. In Matutinis autem Dominicalibus nulla fit processio extra tempus paschale, nisi intelligas eam quæ post aspersionem aquæ fit immediate ante Tertiam.

(271) *Ultimam benedictio non sequitur.* Id est, oratio super populum, quæ ulterior ultima benedictio dicitur Amalario, lib. III, cap. 37. PR.

(272) *Propter Dominicæ noctis honorem.* Hinc constat missam in Sabbatis Quatuor Temporum sub Vespera fuisse celebratam : ob officii enim prolixitatem et sacram ordinationem missa sæpe usque ad noctem Dominicæ protendebatur; quapropter officio vacabant isti dies, et officium Dominicæ in missa desumebatur, ut notant divinorum officiorum expositores.

(273) *In missa vespertinali quidem hora.* Videlicet circa quintam aut sextam horam post meridiem.

(274) *Ante nonam fieri sacra auctoritate prohibetur.* In hodiernis ordinationibus non fit ordinum collatio antequam Nona dicatur, sed sex aut septem horis Nonæ officium anticipatur. Admonitionem in ordinationibus clericorum fieri solitam post notas ex ms. codice exhibemus.

(275) *In die vero Dominica episcoporum ordinatio celebretur.* Hujus ordinationis ritum post observationes e ms. codice cathedralis ecclesiæ 700 annorum eruimus.

(276) *In Vesperis binæ et binæ pulsentur campanæ.* Hac die ad Vesperas omnes sicut in Matutinis campanæ pulsantur.

(277) *Responsorium duo cappati canant.* Responsorium a quatuor in cappis, sicut invitatorium et nonum responsorium in Matutinis, canitur; nec cantor in Vesperis, sed duo cantores in cappis ad psalmos regunt chorum. In Matutinis tertium et sextum respons. a tribus in cappis canuntur.

(278) *Diaconus cappa indutus cum processione pergat ad pronuntiandum* **153** *Evangelium.* Cum processione, id est, cum thuriferario et duobus cereferariis, pergat ad modum processionis, incensato altari. Primus thuriferarius incedit, post duo cereferarii, quos sequitur diaconus cappa indutus qui lecturus est Evangelium in pulpito; quod in omnibus festis triplicibus, tam primæ quam secundæ classis, observatur. In secundo autem, quinto, et octavo responsoriis non incensatur altare, neque chorus.

(279) *Omnes clerici pro posse ecclesiæ induantur.* Ad processionem hodie et in festis solemnioribus omnes cappis induuntur pro posse ecclesiæ; immerito vero nonnulli in ea colorum varietatem improbant, cum ecclesia, licet ditissima, tot ejusdem coloris ornamenta suppeditare non possit quot sunt clerici. Attendant illi quod sponsa Christi *circumdata* sit *varietate*, et, sicut David propheta regius testatur (*Psal.* XLIV), *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

(280) *Clerus, et cui ex populo placuerit, communicetur.* Antiqua Ecclesiæ regula et praxis est ut post communionem cleri populus communicetur; quæ jam in plurimis parochialibus ecclesiis abrogata est. Qua tandem ratione, mihi non compertum est.

(281) *In Nocturnis quatuor lectiones legantur.* Tres solummodo in ecclesia Rotomagensi per octavas leguntur lectiones : ordinarium quoque ms. tres tantum numerat, item breviaria an. 1491 et 1578, *etc.* Prima lectio dicitur de expositione in Evangelium, secunda et tertia de Sermonibus Patrum.

(282) *Omnium sanctorum.* Hæc festivitas eodem modo quo assumptio celebratur, excepto eo quod sequitur ex Ordinario Rotomagensi ms., p. 254 : *In isto festo dicuntur benedictiones propriæ. Prima lectio, secunda, tertia, septima, octava, et nona legantur in cappis, cæteræ in superpelliciis. Omnes lectiones de majori sede. Primum responsorium, secundum, tertium, sextum, et nonum in cappis cantetur. Dominus archiepiscopus legat primam lectionem. Primum responsorium tres de majoribus in cappis. Secundum responsorium dominus archiepiscopus, cum eo decanus et cantor in cappis. Tertium responsorium tres de majoribus in cappis. In secundo nocturno, tres de majoribus in cappis* (rubeis) ℟ O constantia martyrum.

(283) **154** *Non dicatur hymnus aut invitatorium.* Ordinarium Rotomagense ms. *Matutinæ ita incipiantur. Duo de majori sede regant chorum ut in Vesperis. Ant.* Dirige. *Psal.* Verba mea, *etc.* et in Breviariis Rotomag. an. 1491 et 1578 hæc leguntur : *Ad Matutinas, antiphona.* Dirige. Non legitur invitatorium apud Joannem Belethum, c. 161 de Celebratione officii mortuorum, nec apud G. Durandum, nec apud

Digitized by Google

Honorium Augustodun.; libro enim IV Gem. animæ, c. 116, sic lego : *In officio mortuorum imitamur officia mortis vel sepulturæ Domini, ideoque invitatorium non cantatur, et benedictiones ad lectiones non dantur.* Item nec in rituali Lexoviensi an. 1661 habetur invitatorium in die commemorationis omnium defunctorum et in depositione defuncti, nec in Breviario Parisiensi an. 1557, et Manuali item Parisiensi 1581, nec in Ordinario ms. canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis. Hoc invitatorium D. Franciscus a Joyosa Rotomagensis archiepiscopus in Manuali Rotomag., an. 1612, primus instituit, et successor ejus D. Franciscus de Harlay I in Breviario Rotomagensi anno 1618 edito.

(284) *Duo regant chorum.* Cantor chorum regit : a duobus in cappis Graduale canitur, a duobus item cappatis Tractus; sed in ecclesia cathedrali a quatuor cantatur, quia in ea more triplici missa celebratur.

(285) *Horæ diei nullomodo prætermittantur.* Hinc et inferius apparet quod tunc in Ecclesia Rotomagensi præter officium mortuorum officium de die diceretur, ut in Breviario Romano hodie observatur; quod etiam confirmant verba sequentia : *Has ferialiter dictas agenda mortuorum festiva sequatur.*

(286) *In Completorio.* De secundis Vesperis et Completorio mortuorum nulla fit mentio in ordinariis mss., nec ullum breviarium Rotomagense assignat.

(287) *Festivitas nativitatis S. Joannis Baptistæ*, etc. Festivitates S. Joannis Baptistæ, et passionis SS. Petri et Pauli, et S. Michaelis in mense Septembri ritu triplici 2 classis per totam diœcesim celebrantur, ut festum SS. Trinitatis.

(288) *Invitatorium in Matutinis a tribus clericis cantetur.* In festis triplicibus a quatuor, in duplicibus et semiduplicibus a duobus in cappis in medio chori, in simplicibus et feriis ab uno in stallo suo in superpellicio canitur invitatorium, **155** nunquam a tribus in Ecclesia Rotomagensi.

(289) *Dies octavus ut Dominica celebretur.* Nunc ritu duplici colitur.

(290) *Dedicatio sancti Michaelis in mari.* Quæ et *festivitas S. Michaelis in periculo maris*, in antiquo ecclesiæ metropolitanæ Martyrologio nuncupatur die 16 Octobris. Ejus autem veneratio etiam ad exteros transiit. In concilio enim Oxoniensi apud Anglos celebrato an. Christi 1222 recensetur inter festa a rectoribus Ecclesiarum et capellanis in obsequio divino et laude celebranda cum interdictione minorum operum servilium. Pr.

(291) *In Vesperis et Matutinis chorus non regatur.* In his Vesperis et Matutinis chorus a duobus cappis indutis regitur, sed ad *Te Deum* altare non incensatur.

(292) *Officium cum Laudibus et Sequentia celebretur.* De istis Laudibus nihil fit in Ecclesia Rotomagensi, Sequentias tantum in festis triplicibus retinuit cathedralis ecclesia.

(293) *Matutina non dicatur.* Officium nocturnum pariter et diurnum de istis sanctis agitur in diœcesi Rotomagensi.

(294) *Romani, Audoeni.* Cum auctoris scopus fuerit librum hunc non in unius metropoleos sed totius provinciæ usum exscribere, nemo miretur si præcipuos Ecclesiæ nostræ tutelares in infimam sanctorum classem redegerit, multaque præterea vel omiserit, vel obiter perstrinxerit, ad peculiares ejusdem ecclesiæ cærimonias pertinentia, quorum notitia peti potest ex Ordinario. Cujusmodi sunt solemnes Dominicæ Palmarum, et ascensionis processiones, ac S. Audoeni festivitas, Joannis tempore (ut ex ejus Historia constat) celeberrima: Quod hic consulto notatum voluimus, ne quis inde sugillandorum rituum nostrorum occasionem arripiat. Pr.

Festum S. Romani civitatis Rotomagensis patroni et archiepiscopi ritu triplici in ecclesia observatur, non item in populo qui totus negotiationi et deambulationi hac die incumbit, ita ut ecclesia jure merito lugeat *eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Concilium Rotomagense anno 1581, præsidente Carolo Borbonio archiepiscopo Rotomagensi et S. Romanæ Ecclesiæ cardinali, de cultu divino in genere, art. 4 et seq. de istis nundinis et mercatibus publicis in diebus festis maxime conqueritur, et rebelles **156** excommunicatione plectit. Festum vero S. Audoeni Rotomagensis item archipræsulis ritu duplici celebratur per totam diœcesim, solemniter autem et triplici more in ecclesia S. Audoeni propria canonici cathedralis ecclesiæ celebrant, ad quam eo die fit processio ex cathedrali ecclesia, quæ post observationes nostras in ordine processionum est extrema.

(295) *Responsorium a duobus clericis absque cappis cantetur.* In Sabbatis per annum quando in Vesperis habetur responsorium, scilicet in Adventu, et a Septuagesima usque ad Trinitatem, a duobus in cappis canitur, similiter in omnibus Dominicis invitatorium.

(296) *In Matutinis una tantum antiphona cantetur.* Nunc antiphonæ novem super psalmos canuntur, excepto tempore paschali.

Digitized by Google

RELIGIOSISSIMO PATRI ET DOMINO

D. FRANCISCO II.

ARCHIEPISCOPO ROTOMAGENSI, NORMANNIÆ PRIMAT.

157 Opportune prorsus accidit, religiossissime præsul, ut dum restituendo pristino sacrorum rituum splèndori impensius providentia tua invigilat, ex improviso manibus nostris occurreret liber De ecclesiasticis officiis, ab annis circiter sexcentis, Joannis tum Abrincensis episcopi, qui postmodum metropoli tuæ præfuit, singulari diligentia scriptus, et venerabili Maurilio decessori suo in provinciæ usum oblatus. Hunc ætati nostræ divino munere sepositum e Salicosani cœnobii solitudine, ubi diutius nec sine damno delituerat, tandem aliquando, nominis tui auspiciis, in publicum revocamus eo majori fiducia quo potiori jure rem Ecclesiæ tuæ origine institutoque propriam, celsitudini tuæ non tam dicari quam vindicari oporteat. Antistitis pallium una cum corpore sacra lex humari jubet, ejusque usu successoribus interdicit. Longe alia est scriptorum operumque ratio quæ superstite fama fructuque transeunt ad posteros, ac tenebris et silentio quantumvis sepulta reviviscunt. Ejus generis est liber iste, cujus notitiam vel inde **158** gratiorem fore speramus quod multa contineat, quæ partim in Ecclesia tua religiose hactenus observantur, partim haud ita pridem subito quodam vicissitudinis æstu magis abrepta quam abolita, multorum adhuc animis hærent nulloque negotio repeti possunt, prorsus ut appareat optimum hunc sinceræ antiquitatis testem ac vindicem divinitus, quasi e diuturno somno, excitari, qui publicis cleri studiis facem præferat, tuæque in primis sollicitudini emerita magisterii auctoritate cooperetur. Excipiat igitur pietas tua, religiossissime præsul, Joannem in exiguo mutiloque codice redivivum, et clericorum manibus evectum in sedis ac honoris partem postliminio restituat. Quidquid vero opellæ nostræ præclaris ejus lucubrationibus accessit, ita placide spectet ut patrocinii tui gratia quantum decessori ad gloriam tantum nobis virium ad studia ac disciplinam additum fateamur.

Celsitudini tuæ addictissimi, GEORGIUS RIDEL, JACOBUS MALET, et JOANNES LE PREVOST Ecclesiæ tuæ canonici.

ACTA VETERA
QUORUM IN NOTIS FACTA EST MENTIO.

Sequuntur processiones solemnes quæ per annum fieri solent in ecclesia cathedrali Rotomagensi, ex Ordinario ms. ad usum ejusdem ecclesiæ.

(Ex ms. codice Bigotiano.)

PROCESSIO AD S. GILDARDUM

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

159 In ramispalmarum. Finitis Matutinis deferatur corpus Domini ad locum destinatum [*al.*, determinatum] in feretro a duobus sacerdotibus de secunda sede in albis, et sint duodecim famuli circa feretrum portantes duodecim torchias quas debet dominus archiepiscopus; et duo de præfata [*al.*, prima] sede ferant duas torchias chori, et associent corpus Domini usque ad atrium Sancti Gildardi..... Ordo in ramis palmarum. Tertia cantata (2) clerus et populus totius civitatis ad matrem ecclesiam **160** conveniant, et processione ordinata cum cruce discooperta et candelabris ad altare crucis, in quo benedictio palmarum fiet, pergat; et cantor incipiat ant. *Ante sex dies solemnitatis.* Sequitur alia antiphona *Ante sex dies Paschæ.* Finita antiphona, dicat archiepiscopus vel sacerdos super ramos orationem *Actiones nostras, quæsumus, Domine.* Finita oratione subdiaconus revestitus, verso vultu ad populum, in pulpito legat quasi lectionem cum titulo *Dicite, filiæ Sion.* Qua finita cantor incipiat ℟ *Circumdederunt,* ℣ *Quoniam.* Quo finito Evangelium a diacono dalmaticato legatur in pulpito *Cum appropinquasset Jesus.* [*Al.*, *add.* quo lecto] Sequitur benedictio ramorum, et dicantur orationes *Deus, qui dispersa*

A *congregas, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Æterne Deus* (more præfationis), *cujus Filius pro salute.* Postea dominus archiepiscopus vel sacerdos super ramos aquam benedictam aspergat, et hæc oratio sequitur: *Deus, qui per olivæ ramos.* His itaque peractis distribuantur rami, et cantor incipiat: *Pueri Hebræorum tollentes.* Alia ant.: *Pueri Hebræorum vestimenta.* Hoc finito pergat processio ad locum destinatum [*al.*, determinatum], cantore incipiente ℟ *Cum audisset turba,* ℣ *Et cum appropinquasset.* Sequitur ant. *Fratres, hoc enim sentite.* Sequantur **161** aliæ antiphonæ ad placitum cantoris, quantum necesse fuerit. Ant. *Cum audisset populus.* Alia ant. *Prima autem.* Alia ant. *Cum appropinquaret Dominus.* Cum autem ventum fuerit ad locum ubi statio debet fieri, flat sermo ad populum. Quo finito quinque de secunda sede cantent in albis hos versus ante feretrum ubi corpus Domini fuerit portatum [*al. add.* ad illum locum] privatim ante lucem illius B diei, ℣ *En rex venit.* Quo finito, dominus archiepiscopus vel sacerdos, cantor, diaconus et subdiaconus cum choro de statione sua flectendo genua [*add.* respondeant] *Salve, quem Jesum,* incensando. Quinque clerici ℣ *Hic est qui de Edom venit.* Dominus archiepiscopus, cantor, diaconus et subdiaconus, et chorus *Salve, lux mundi,* incensando et flectendo genua. Quinque prædicti clerici. ℣ *Hic est ille qui ut agnus.* Interim sicut prius dominus archiepisco-

(2) Nunc solius ecclesiæ cathedralis.

Digitized by Google

pus, cantor, et alii *Salve, nostra salus.* Quo finito, dominus archiepiscopus, cantor, diaconus et subdiaconus vertant se ad feretrum, et incensent corpus Domini honorifice, cantore incipiente cum domino archiepiscopo et revestitis, incensando, et ter repetatur, et chorus ducat ad finem *Dignus es, Domine.* Alia antiphona *Hosanna filio David.* Hoc finito processio redeat, cantore incipiente antiphonam *Cæperunt omnes turbæ.* **162** Sequantur respons. *Dominus Jesus,* ℣ *Convenerunt,* ℟ *Cum audisset turba,* ℣ *Et dum appropinquaret.* Cum autem processio ad portam civitatis ordinata [*al.*, ornatam] venerit, sex pueri turrim ascendant (3), et hos versus festive cantent *Gloria, laus et honor.* Dominus archiepiscopus vel sacerdos, cantor, cum revestitis incensando incipiat *Gloria, laus,* flectendo genua, et chorus ducat ad finem. Item sex pueri ℣ *Israel es tu rex.* Chorus, flexis genibus, dominus archiepiscopus, cantor et alii *Gloria, laus,* ut prius. Item pueri ℣ *Cœtus in excelsis*, dominus archiepiscopus vel sacerdos, et alii ut prius. Item pueri ℣ *Plebs Hebræa ; Gloria, laus,* ut supra. Hoc finito dominus archiepiscopus vel sacerdos, cum [*al.*, *add.* cantor] revestitis incipiat ant., et omnes flectant genua, et chorus finiat : *In nomine Jesu.* Qua finita cantor incipiat ℟ *Ingrediente Domino,* ℣ *Cum audisset.* Et intret processio urbem. Sequitur ℟ *Cogitaverunt autem,* ℣ *Testimonium.* Ad introitum atrii cantor incipiat *Collegerunt pontifices.* Quatuor presbyteri de majori sede cum rubeis et viridibus cappis (4) induti ante januas ecclesiæ cantent hunc versum *Unus autem ex ipsis ;* chorus *Ne forte.* Hoc finito, intret processio ecclesiam, et feretrum, in quo corpus Domini fuerit, ante portas ecclesiæ a duobus **163** presbyteris in transversum ablatum teneatur, et clerus et populus subintrent. Hoc finito, statim discooperiatur crucifixus, et dominus archiepiscopus vel sacerdos, cantor, diaconus et subdiaconus incipiant, flectendo genua, *Ave, rex noster,* et chorus similiter, *Ave, rex noster.* Dominus archiepiscopus et alii dicant *Ave, rex noster.* Et chorus *Ave, rex, noster,* et totam deinceps finiat antiphonam *Fili David.* Qua finita, quatuor diaconi de secunda sede nigris cappis induti in pulpito retro crucifixum versis vultibus ad se ipsos cantent hoc resp. *Circumdederunt,* cum versu et regressu. Quo finito, ad introitum chori cantor incipiat ant. *Principes sacerdotum,* et cantando intret processio chorum. Sequitur alia ant., si necesse fuerit, *Multa turba Judæorum,* qua finita, dominus archiepiscopus, si præsens fuerit, benedicat populum, et incipiatur missa.

PROCESSIO AD S. AUDOENUM.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

Ad Sextam ant. *In velamento,* etc. Interim præparetur processio, et nota quod si evenerit infra octavam Paschæ, ita celebretur. In motu processionis in eundo ad aliquam ecclesiam cantetur a tribus de majori sede de his versibus, quantum opus **164** fuerit, *Salve, festa dies.* Cum vero perventum fuerit ad ecclesiam nulla ibi cantetur missa, sed cantetur de sancto ecclesiæ ℟ vel ant. cum versu et oratione; qua finita, redeat processio per portam orientalem, et cantetur a tribus de secunda sede litania *Domine, defende nos.* Si alia dies fuerit, cantor incipiat ant. *Exsurge,* et dicatur a sacerdote ℣ *Ostende nobis, Domine;* oratio *Ascendant ad te.* Demum moveatur processio a choro ordinata cum cruce, candelabris et signis, presbytero, diacono et subdiacono revestitis, et pergant ad locum consuetum, et ibi cantetur missa de jejunio Et in motione processionis cantor incipiat ant. *Propitius esto,* demum alia, si necesse fuerit : *In nomine Domini.* Quibus cantatis cantetur ℟ vel ant. de sanctis, per quorum parochias processio transierit, ad placitum cantoris; et post dicantur septem psalmi pœnitentiales, quibus finitis dicatur ant. *Ne reminiscaris.* Et post dicatur de jejunio officium *Exaudivit de templo,* etc., sicut in feria secunda Rogationum habetur, et post missam fiat processio ante altare cum precibus et orationibus ibi pertinentibus. Deinde incipiatur a tribus de secunda sede hæc litania : *Domine, defende nos,* et chorus respondeat *Domine, defende.* Cantores, *Sancta Maria,* etc., per **165** litaniam usquedum veniant ad ecclesiam.

PROCESSIO AD S. ELIGIUM.

FERIA SECUNDA IN ROGATIONIBUS.

Finita Sexta paretur processio, in qua clerus et populus totius civitatis cum feretris, crucibus (5), signis et vexillis ecclesiasticis ad metropolitanam et matrem ecclesiam convenire tenentur. Ad quam sic confluentibus, honeste extrahantur feretra et sanctuaria reliquiarum portabilia de thesauro ecclesiæ, et deferatur successive et per ordinem usque ad chorum quodlibet feretrum per duos sacerdotes [*al.* capellanos] communiam percipientes de secunda sede scriptos in tabula ad placitum scriptoris, revestitos albis, et super altaria chori situentur feretra, [(6) quorum capellanorum quilibet inde sex denarios percipiet de bursa domini archiepiscopi pro qualibet die ipsarum processionum, exceptis illis qui portabunt feretrum sanctæ Annæ, et etiam debent habere quilibet unum par chirothecarum a fratribus confratriarum ;] et in cujuslibet feretri exitu de thesauro cantor incipiat alte antiphonam propriam tali sanctuario, quæ per assistentes capellanos continue cantabitur associando feretrum cum fratribus confratriarum, qui tenentur **166** interesse, usque ad introitum chori; ac per hebdomadarium vel dietarium revestitum omnibus sacerdotalibus vestimentis [*al.*, indumentis] præter casulam, cum thuribulo, a puero altaris sibi tradito, incensum offeratur cuilibet feretro ab exitu thesauri usque ad introitum chori, concomitantibus diacono et subdiacono similiter revestitis, cum duobus pueris perferentibus ardentes cereos in candelabris usque ad primum ascensum altaris, juxta introitum chori de latere dextro, et ibidem pueris cum candelabris quiescentibus, per alium puerum offeratur collectarium sacerdoti, qui alte dicat ibidem versiculum et collectam appropriatam tali sanctuario, finiendo basse *Per Christum Dominum nostrum.* Quibus sic expletis, pro primo feretro, similiter fiat pro quolibet altero, tali ordine servato quod primo educatur feretrum corporis et capitis S. Severi, secundo feretrum Omnium Sanctorum, tertio sanctæ Annæ, quarto beatæ Mariæ, quinto sancti Romani. Quibus peractis, cantor in sua cathedra chori incipiat alie antiph. *Exsurge, Domine;* Psal. *Deus, auribus ;* Ant. *Exsurge.* Sacerdos revestitus in choro ante aquilam, cum diacono et subdiacono revestitis, cum cruce et candelabris, dicat ℣ *Ostende nobis.* Oratio *Ascendant ad te, Domine.* Hoc **167** finito, moveat processio, et eat ad locum destinatum per portale Sancti Stephani, et deferatur quodlibet feretrum per duos sacerdotes [*al.*, capellanos] prædictos usque portale ecclesiæ, et de portali usque ad introitum ecclesiæ ad quam vadit processio, deportetur (7) per fratres confratriæ. In quo introitu iterum sacerdotes recipiant feretrum, et introducant intra ipsam ecclesiam, et situentur in suis locis consuetis; et ante quodlibet feretrum præcedant duo (8) clerici

(3) Nunc in vicinæ domus cubiculum ascendunt.
(4) Hodie, cappis nigris.
(5) Quæ ut plurimum a laicis deferuntur, in probrum cleri.
(6) Ms. cathedralis ecclesiæ addit.
(7) Hodie a clericis in albis.
(8) Nunc duo laici superpelliciis induti.

Digitized by Google

de prædicta [*al.*, prima] sede cum cereis accensis et candelabris confratriarum quæ venerint de domibus ipsarum confratriarum, cum ipsis fratribus usque ad ecclesiam, præter duos qui recipiant cereos et candelabra in ipsa ecclesia, et præcedant ante feretrum beatæ Mariæ. Et in progressu processionis cantor incedat in medio processionis inter capellanos, [(9) et præcedant ipsum curati Sancti Dionysii et Sancti Vigoris in habitu ecclesiæ cum virgis excoriatis (10) ad custodiendum ordinem capellanorum. Qui curati similiter cum processione revertuntur, et in progressu prædicto cantor] incipiat in choro antiphonam *Propitius esto*, et de aliis antiphonis cantetur, secundum quod tempus poposcit, et secundum ordinem præscriptum per istam feriam, et de responsoriis et antiphonis **168** sanctorum per quorum parochias processio transibit. Priusquam processio veniat per istos tres dies ad loca consueta, per tres dies procedentes monachi prius cantent responsorium vel ant. de sancto ecclesiæ cum versu et oratione, et chorus immediate post eos cantet similiter, et oratione dicta fiat sermo ad populum; quo facto dicantur preces ante altare cum prostratione. Quibus finitis, in regressu tres clerici de secunda sede incipiant litaniam istam *Salvator mundi, salva nos*. Et sic veniant ad ecclesiam cantando, et chorus respondeat *Kyrie, eleison*. Cum autem processio venerit ad ecclesiam sancti Salvatoris, ibi subsistat, et cum monachi cantaverint, statim canonicis et clericis simul aggregatis in atrium prædictæ ecclesiæ, incipiat cantor hanc antiphonam : *Isti etenim maximo;* finita antiphona, sacerdos dicat versum *Exsultent justi*. Oratio *Propitiare nobis*. Finita oratione, separetur processio, et resumant cantores litaniam ubi dimiserant : cum autem processio venerit ad ecclesiam litania finiatur in choro. [(11) Nota quod in qualibet die trium dierum processionis religiosi sancti Audoeni tenentur mittere per suos servitores ad domum cantoris ecclesiæ Rotomagensis, vel ejus locum tenentis, **169** horæ prandii, unum panem magnum, unum galonem boni vini, honestum ferculum piscium, et unum magnum flaconem de pinguedine lactis, sicque in duobus primis diebus reportantur vasa, et in tertia die dimittuntur, et pertinent cantori.]

PROCESSIO AD S. GERVASIUM.

FERIA TERTIA IN ROGATIONIBUS.

Secunda die in Rogationibus conveniant omnes ad matrem ecclesiam ut in feria secunda, et incipiat cantor ant. *Exsurge, Domine*, etc., ut supra. Interim incensentur sanctuaria, et conveniat processio, sicut hesterna die, et eat processio ad locum consuetum, et exeat per portale Sancti Romani, cantore incipiente antiphonam *De Jerusalem exeunt*. Alia antiphona *Cum jucunditate*, et de cæteris antiphonis, quantum necesse fuerit, et cantetur ad placitum cantoris de sanctis per quorum ecclesias transibit processio. Sequuntur septem psalmi : cum processio venerit ad locum consuetum cantetur a nostris, immediate post monachos, de sancto ecclesiæ, ℟. *Concede*. Sacerdos versum et orationem dicat, ut debet, et post fiat sermo ad populum. Quo facto, dicantur preces cum prostratione; quibus finitis, cantor incipiat responsorium de sanctis **170** ℟ *O constantia martyrum*, et recedant finito responsorio. Tres de majori sede incipiant litaniam *Humili prece et sincera devotione;* et chorus respondeat, et cantetur usque ad Sanctum Nicolaum de Bello Visu (12). Cum autem processio venerit ad introitum atrii Sancti Nicolai dimittatur litania, et cantor incipiat hoc responsorium : *Quadam die*, et transeundo per anteliciam ecclesiam cantetur. Finito responsorio, sacerdos dicat versum *Ora pro nobis, beate Nicolae*. Oratio *Deus, qui beatum Nicolaum*. Finita oratione, recedat processio, cantore incipiente hoc responsorium : *Ex ejus tumba*. Finito responsorio, tres de secunda sede sumant litaniam, ubi tres de majori sede dimiserunt, et cantent usque ad portam magni Pontis (13), et ibi fiet statio sicut ad Sanctum Salvatorem; et postquam monachi (14) cantaverint, cantor incipiat ant. *Isti sunt viri sancti*, et ibi dicat sacerdos versum et orationem, ut supra ad Sanctum Salvatorem. Dehinc separetur processio sicut heri, et cantores litaniam resumant *Audoene Dei*, etc., et in choro finiatur.

PROCESSIO AD S. NICASIUM.

FERIA QUARTA IN ROGATIONIBUS.

Olim ad S. Trinitatem de Monte.

171 Tertia die in Rogationibus omnes conveniant ut supra, et moveat processio, et eat ad montem Sanctæ Catherinæ (Gallice nunc, *Mont Sainte-Catherine*), et exeat per portale Sancti Joannis, cantore incipiente antiphonam *Exsurge, Domine*, etc., ut supra. Quo finito, cantor incipiat antiphonam *Surgite, sancti*. Ant. *Miserere*. Ant. *Multa sunt*, et de aliis, quantum necesse fuerit. Sequuntur septem psalmi. Intrante processione ecclesiam Sancti Michaelis cantor incipiat ℟ *Te sanctum Dominum*, et sacerdos dicat versum et orationem. Finita oratione moram ad placitum faciat. Quo facto, cantor incipiat ℟ de S. Michaele *Princeps sancte*, et exeant. Finito responsorio, dicantur quindecim psalmi. Quibus finitis incipiat cantor post monachos ℟ *Honor, virtus*, et ibi, finita oratione, fiat sermo ad populum, quo peracto dicantur preces cum prostratione, quibus finitis recedat processio cantore incipiente ℟ *Summæ Trinitati;* quo finito, cantor incipiat ℟ *Regnum mundi*. Quo finito, incipiatur hæc sequens litania a tribus de majori sede *Ardua spes mundi*, et cantent eam quousque processio veniat **172** in bivium sancti Michaelis. Tunc dimittatur prædicta litania, et tres presbyteri de secunda sede incipiant istam litaniam : *Rex, Kyrie;* chorus reiteret. Item iidem : *Sancta Maria*. Item tres diaconi de secunda sede : *Rex virginum*. Tres vero subdiaconi de eadem sede : *Servis tuis*, et sic deducant usque ad Sanctum Macutum (Gallice *Saint-Maclou*), et ibi fiat statio; et cum cantaverint monachi, et oratione dicta, cantor incipiat in atrio Sancti Macuti antiphonam *Gaudent in cœlis* (15). Qua finita, et oratione dicta, separetur processio, et recedant, cantore incipiente ℟ *In circuitu tuo*, cum versu et regressu; quo finito, cantores litaniam resumant, et cantetur ut prius usque ad portale versus Magdalenam. In introitu ecclesiæ cantor incipiat hanc antiphonam : *Salvator mundi*, et finiatur in choro.

PROCESSIO IN ASCENSIONE DOMINI.

Sequitur processio; per portam orientalem exeat, et eat ad veterem turrim (Gallice *la Vieille-Tour*). In primis cantor incipiat ℟ *Tempus est ut revertar*, ℣ *Pacem relinquo*, et de aliis responsoriis cum versibus suis, quantum placuerit. Hoc expleto tres de majoribus cantent hos versus : *Salve, festa dies*, quousque **173** venerint ad locum in quo consuetum est catenatum solvi. Et redeundo cantores cantent hunc versum : *Solve catenatos*, et alios versus, donec veniant ad occidentales portas ecclesiæ, ubi duo presbyteri canonici albis induti in turre, versis vultibus ad populum, incipiant ℟ *Viri Galilæi*, et totum finiatur.

(9) Ms. cathedralis ecclesiæ addit.
(10) Hoc non est in usu.
(11) Ms. cathedralis ecclesiæ addit.
(12) Gallice *de Beauregard* in cœmeterio S. Mauri runcipato.
(13) In loco qui hodie Gallice vocatur *Lacrosse*.
(14) Hic non monachi, sed eorum vice musici S. Maclovii antiphonam musice canunt.
(15) Hodie cantatur, *O quam gloriosum est*.

Digitized by Google

niant. Quo finito, dominus archiepiscopus, vel sacerdos, cantor cum revestitis incipiant *Tu, rex gloriæ, Christe.* Dexter chorus *Tu patris sempiternus es Filius;* sinister chorus, *Tu ad liberandum.* Et sic cantent vicissim usque, *æterna fac,* dominus archiepiscopus et alii; cantor incipiat *O rex gloriæ, Domine virtutum.* Finita antiphona intret processio ecclesiam, et feretrum sancti Romani ante januas ecclesiæ a duobus sacerdotibus in albis in transversum teneatur, et populus subintret, cantore incipiente ℟ *Omnis pulchritudo,* cum versu et regressu, et ascendant processio ad chorum. Finito responsorio, incipitur missa.

PROCESSIO POST TERTIAM.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Sequitur processio in cappis per atrium, et portetur feretrum in quo sit corpus Christi honorifice a duobus sacerdotibus indutis casulis albis, et cum illis quatuor **174** pueri in albis qui incensent feretrum. [(16) Et alii duo clerici qui portent duas torchias ceræ circa feretrum.] Movente processione cantor incipiat ℟ *Homo quidam fecit,* ℣ *Venite.* Finito responsorio, tres de majoribus cantent *Salve, festa dies, Qua Deus in cibum.* In statione *Verbum caro factum est* (vel, *Ego sum panis*), tres de majoribus in pulpito ℣ *In principio erat. Plenum gratiæ.* Quo finito, sacerdos cum diacono et cantore cantent ante feretrum, quod in medio navis in transversum teneatur, hos versus sequentes, incensando et flectendo genua. ℣ *Ave, verum corpus natum.* Chorus idem repetat (17), flexis genibus, ℣ *Vere passum.* Chorus idem ℣ *Cujus latus.* Chorus idem. Quibus finitis, ad introitum chori incipitur antiphona *O quam suavis est!* Finita antiphona, benedictio domini archiepiscopi, si præsens fuerit. Sequitur missa, etc.

(16) Ms. cathedralis ecclesiæ addit.
(17) Non repetitur, sed chorus prosequitur.
(18) Hac die antiquus ecclesiæ Rotomag. retinetur usus.

PROCESSIO AD S. AUDOENUM.

IN FESTO S. AUDOENI ROTOMAG. ARCHIEP.

Sequitur processio apud Sanctum Audoenum, et ibi dicantur Vesperæ de sancto Audoeno festive. Antiph. *Similabo.* Psalmi (18) feriales. Ant. *Confessor Domini.* Ant. *Iste est qui ante.* Ant. *Amavit eum.* Ant. *Justum deduxit.* Capitulum *Ecce sacerdos.* ℟ *Miles Christi.* Hymnus *Iste confessor.* ℣ *Ora* **175** *pro nobis, beate.* Ant. *Suscipe nostra,* cum trina repetitione. Psal. *Magnificat.* Oratio de Communi. Finitis Vesperis, redeat processio ad ecclesiam. Et in crastinum eat processio apud Sanctum Audoenum, sicut in Vesperis, finita Sexta, post majorem missam (19), et sint omnes cum monachis in processione, et missa in cappis. [(20) Et debent solvere dominis de capitulo abbas et Conventus Sancti Audoeni per procuratorem centum solidos de quibus quilibet canonicus præsens debet percipere duos solidos, et septem religiosi de Sancto Laudo quilibet duos solidos, et pueri chori quinque solidos; residuum debet distribui inter capellanos communiam percipientes; et etiam pueri altaris debent percipere vas, in quo portatur aqua benedicta, plenum bono vino de cellario Sancti Audoeni.] Post missam redeat processio ad ecclesiam, et in pace recedant, et inde ad refectionem.

(19) Quæ dicitur de S. Bartholomæo in cathedrali ecclesia.
(20) Ms. cathedralis ecclesiæ addit.

FRAGMENTA QUÆDAM

Ex Ordinario ms. cathedralis ecclesiæ Rotomag. desumpta.

Dominica I *Adventus, ad Matutinum.*

Tres de secunda sede ℟ *Aspiciens a longe,* et debent habere quilibet unum **176** galonem vini (21) de cellario archiepiscopi.

Nono die nativitatem Domini præcedente cantari incipiantur antiphonæ quæ per *O* inchoant, quas preces non subsequantur, non tamen commemorationes dimittantur. Prima a cancellario ecclesiæ incipiatur, si præsens fuerit; si non, ab uno de majoribus non tenente dignitatem de sinistra parte; et sic de dextra parte fiat. Secunda antiphona a decano ecclesiæ incipiatur. Tertia antiphona a cantore ecclesiæ incipiatur. Quarta antiphona a sacrista ecclesiæ incipiatur. Quinta antiphona ab archidiacono Vulcassini Franciæ incipiatur. Sexta antiphona ab archidiacono majori. Septima antiphona ad placitum cantoris a parte hebdomadarii. Et dominus archiepiscopus incipiat *O virgo virginum;* et omnes antiphonæ cum bina repetitione; et post Completorium eant ad loca consueta, sive in capitulo, et ibi incipiatur : *O;* quo finito, moderate bibant, et in pace recedant. Amen.

Et nota, ex quo incipientur antiphonæ istæ : *O,* incensentur altaria et chorus dum cantabitur *Magnificat.*

Vigilia Nativitatis Domini.

Expositio Evangelii legatur a diacono in cappa alba (22) in pulpito cum candelabris **177** et thuribulo *Cum esset desponsata.* Psal. *Benedictus.* Interim incensentur altaria et chorus.

In Nativitate Domini.

Tres lectiones legantur de Prophetia, et tres lectiones de Sermone, et tres lectiones de Expositione. Tres primæ lectiones de secunda sede, cæteræ secundum ordinem de majori sede; nonam dominus archiepiscopus. Primum responsorium et secundum bini et bini de secunda sede, tertium responsorium tres de secunda sede in cappis; quartum et quintum responsorium bini et bini de majori sede, sextum responsorium dominus archiepiscopus, cum eo decanus et cantor in cappis; septimum et octavum responsorium bini et bini de majori sede, nonum responsorium tres de majoribus in cappis. Tres ultimæ lectiones sint in cappis; et sic in aliis triplicibus. ℟ 1 *Hodie nobis,* stet omnis chorus dum versus cantabitur *Gloria in excelsis.*

In Septuagesima, ad missam.

Responsorium (*id est* graduale) duo de secunda sede in pulpito et in albis *Adjutor in opportunitatibus.* ℣ *Quoniam non in finem.* Et debent habere quilibet unum galonem vini (23) de cellario domini archiepiscopi.

(21) Nunc solidos.
(22) Nunc, violacea.
(23) Nunc 5 sol.

Digitized by Google

Ad Vesperas.

178 Istud sequens responsorium cantetur ad Vesperas usque ad Quadragesimam, exceptis Sabbatis et novem lectionum festis. In Dominica unus de secunda sede, per ferias unus de prima (*id est* infima) sede, *Spes mea.*

Feria quarta Cinerum.

Nota, post Completorium aspergatur aqua benedicta a decano vel dietario, et sic fiat usque ad cœnam Domini, exceptis Dominicis diebus.

Dominica I *Quadragesimæ, ad missam.*

Tractus quatuor canonici, duo de majori sede et duo de secunda sede in (24) albis ante altare, *Qui habitat*, bini et bini cantent versum suum; omnes simul incipiant, et ad finem omnes simul : *Longitudine*, et sic finiatur.

Feria II, *infra hebdomadam primam Quadragesimæ.*

Ordo iste præscriptus cum osculo sedium a singulis a capite jejunii in ista secunda feria de horis, antiphonis, capitulis teneatur usque ad passionem Domini, et osculum sedium usque ad Vesperas cœnæ Domini.

Sabbato Quatuor Temporum.

In hac missa ad orationem epistolæ non dicatur *Flectamus genua*, ob reverentiam S. Pauli, et quatuor primæ lectiones de **179** majori sede legantur, et quinta lectio de secunda sede, *Angelus Domini.* Et quatuor responsoria de prima sede in albis ante aquilam, et tractus *Laudate*, duo de majori sede in albis (25) ante altare, et ad quinque primas orationes non dicatur *Dominus vobiscum*, sed *Oremus.*

Dominica II *Quadragesimæ, ad missam.*

Duo pueri in pulpito incipiant *De necessitatibus*, et chorus hunc versum finiat. Duo pueri cantent tantum versum secundum *Ad te, Domine*, et chorus finem versus. Duo pueri incipiant *Etenim universi*, et finiatur a choro. Sequatur alius tractus. Quatuor canonici, duo de majori sede et duo de secunda cantent tractum *Benedicam Dominum*, ante altare in albis (26).

Dominica Palmarum, ad missam.

Responsorium duo de secunda sede in albis : *Tenuisti manum.* ℣ *Quam bonus* non reiteretur. Et debent habere quilibet unum galonem vini (27) a cellario domini archiepiscopi. Tractum quatuor canonici ante altare, duo de majori sede et duo de secunda sede in albis (28) *Deus, Deus meus, respice.*

In Ascensione Domini.

Invitatorium quatuor de majoribus qui per Matutinas chorum regant, duo majores **180** vel antiquiores per Nocturnas, et alii duo ad Laudes.

In festo Pentecostes, ad I *Vesperas.*

Psal. *Magnificat.* Interim majus altare incensetur a domino archiepiscopo, si præsens fuerit, et post revertatur in cathedram suam, et incensentur sepulturæ regum et altare beatæ Mariæ a duobus presbyteris canonicis, et in redeundo incensentur ab ipsis canonicis dominus archiepiscopus et dominus decanus, et postea incensetur chorus a duobus pueris; et sic fiat in omnibus festis triplicibus, dum tamen archiepiscopus celebraverit servitium. Tres de secunda sede : *Benedicamus Domino.*

In Matutinis.

Legantur tres lectiones de Expositione : *Si quis diligit me*, et sint in cappis diversorum colorum. Ad primam lectionem candelabra et thuribulum. Omnia responsoria in cappis ; primum responsorium tres de secunda sede, secundum responsorium tres de tertia sede, tertium responsorium (29) tres de majoribus.

Ad missam.

Si archiepiscopus fuerit, secum habeat septem diaconos et totidem subdiaconos, de quibus duodecim sint de secunda sede, et debent prædicti duodecim prandere cum **181** domino archiepiscopo, vel habere quilibet duos (30) solidos de bursa prædicti domini; et *Christus vincit* cantetur a duobus canonicis, et debent habere quilibet (31) quinque solidos de bursa domini archiepiscopi, quos ipsemet debet tradere prædictis canonicis propria manu. Sin autem, major honore presbyter peragat officium.

In festo S. Trinitatis, ad missam.

Finito Evangelio, *Credo in unum* dicatur, interim textus (32) deferatur a subdiacono ad decanum præcedente thuribulo a diacono. Si decanus non fuerit, subdiaconus deferat per chorum osculandum, puero incensante; et sic fiat in omnibus festis, in quibus *Credo in unum* dicitur.

In festo Corporis Christi, ad Matutinum.

Tres primæ lectiones de secunda sede, aliæ lectiones de majori sede et archiepiscopus legat nonam lectionem in cathedra sua, si præsens fuerit.

In festo Purificationis, ad missam.

Unusquisque ardentem cereum teneat, quem post Evangelium offerat.

In Assumptione B. V. Mariæ, ad Matutinum.

Incipiatur festive *Te Deum laudamus*, et incensetur altare a sacerdote, et duo pueri sint ante altare tenentes duo candelabra, et sic fiat in omnibus festis triplicibus.

In Commemoratione omnium defunctorum, ad Vesperas.

182 Psal. *Magnificat*, incensetur majus altare et chorus [*leg.* celebrans] tantum.

Per annum, qualibet die, ad Completorium.

Si decanus præsens fuerit, decano dicatur *Confiteor* ab utroque choro.

Ordo matutini Officii.

In Dominicis usque ad Pascha invitatorium duo de secunda sede ; antiphonæ de nocturnis de majori sede, et in singulis nocturnis ultima cujuslibet nocturnæ cum neuma finiatur. Tres primæ lectiones de prima sede. Quarta lectio et quinta de secunda sede, cæteræ lectiones de majori sede. Responsoria eodem ordine celebrentur. Hic ordo servetur per Dominicas.

Ad Laudes.

Quinque antiphonæ de Laudibus de secunda sede incipiantur, et ultima cum neuma finiatur per omnes Dominicas. *Benedicamus*, unus puer a parte hebdomadarii per totum annum.

Ad Horas canonicas.

Nota, omnes antiphonæ de Horis etiam in Dominicis et festivis diebus de secunda sede incipiantur, et cum neuma finiantur.

Ad Vesperas.

Omnes antiphonæ de secunda sede incipiantur, **183** et cum neuma finiantur per omnes Dominicas.

In feriis, per annum.

Invitatorium unus de secunda sede. Antiphonæ de

(24) Nunc in cappis.
(25) Nunc in cappis.
(26) In cappis.
(27) Nunc 5 sol.
(28) In cappis.
(29) Nunc 4 cantores.
(30) Nunc 5 sol.
(31) Prandent cum domino archiepiscopo, diaconus et subdiaconus et 5 cantores, canonici cum eis.
(32) Id est, liber Evangeliorum.

Digitized by Google

nocturno de prima sede, ultima cum neuma. Primum responsorium per omnes ferias de prima sede, secundum responsorium de secunda sede, et tertium responsorium de majori sede.

Per omnes ferias antiphonæ de Laudibus de prima sede.

Omnes antiphonæ de feriis et trium lectionum festis, de Nocturnis, Laudibus, Horis, Vesperis, et Completorio sunt de prima sede, exceptis antiphonis *Benedictus* et *Magnificat*, [add. et *Nunc dimittis*] quæ de majori sede incipiantur, et cum neuma finiantur; ultima de Nocturnis et ultima de Laudibus, et omnes antiphonæ de Horis cum neuma, excepta sola antiphona *Deus, exaudi*, quæ est sine neuma (33); et duæ ad Completorium, prima cum neuma, ultima sine neuma finiatur.

In Sabbatis.

In Sabbatis usque ad Adventum Domini fiat servitium de Sancta Maria, nisi festum novem lectionum, vel octavæ solemnes, vel Quatuor Tempora his diebus evenerint; propter festa trium lectionum non dimittatur, et Vesperæ sextæ feriæ sint de beata **184** Maria, hoc modo : Ant. *Gloriosa genitrix*, Psal. *Confitebor*, et cæteri psalmi de die, *etc.*

Ad Matutinum.

Nonum responsorium duo (*in superpelliciis*) de majori sede

(33) Nunc cum neuma dicitur.

BENEDICTIO CHRISMATIS

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

(*Ex Ordinario mss. ecclesiæ cath. Rotomag. et Biblioth. Bigotianæ.*)

Duodecim presbyteri suburbani cum decano Christianitatis sint parati cum archiepiscopo cunctis sacerdotalibus vestimentis, a quibus chrisma et oleum cum archiepiscopo consecretur; et plures hostiæ in hac die consecrentur de quibus in crastinum communicetur, et ipsæ hostiæ qui remanserint honorifice post missam reserventur. Post *Sanctus* vadant duodecim presbyteri urbani revestiti omnibus indumentis sacerdotalibus cum decano Christianitatis per ostium sinistræ partis chori ad capellam Sancti Joannis pro oleo infirmorum, et redeant in choro per magnum ostium. Quo consecrato reportetur in locum suum. Et dicatur *Te igitur, clementissime*, usque *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas.* Hic duodecim presbyteri cum sex diaconis et sex subdiaconis (34), et sex clericis de prima sede, quorum duo duas cruces ferant, et alii duo duo thuribula, et alii duo duo candelabra **185** inter duas cruces. Plures presbyteri revestiti chrismale oleum ferant, et inter duo thuribula alii presbyteri oleum catechumenorum ferant, et ita processio ordinata exeat per sinistrum ostium chori, et eat ad capellam Sancti Joannis, et redeat ante majus altare per medium chori, et positum sit super processionem unum pallium quod portent quatuor presbyteri, et duo diaconi revestiti [*cappis albis*] cantent hos versus ante processionem *O Redemptor, sume carmen.* Et respondeant sequentes cum stola : *O Redemptor.* Interim dum corporis et sanguinis Domini consecratio fiet, decanus Christianitatis (35) revestitus ampullam olei infirmorum coram altari teneat, quam præsentet archiepiscopo, et archiepiscopus cum duodecim presbyteris dicat : *Exorcizo te*, ita ut ab illis audiatur. Sequitur *Emitte, Domine, Spiritum paracletum de cœlis.* Finito *Pater noster*, archiepiscopus cum duodecim presbyteris cathedram episcopalem retro altare ascendat, et tunc ordinentur circa eum duodecim presbyteri, cruces, candelabra, et thuribula. Hoc finito, archiepiscopus vertat se ad orientem, et intret in consecrationem principalis chrismatis, et primo misceat balsamum cum oleo, deinde ter halet, et dicat : *Exorcizo te, creatura olei.* Deinde alta voce : **186** *Per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Præfatio : *Qui in principio inter cætera.* Hoc finito, archiepiscopus nudum chrisma sic salutet : *Ave, sanctum chrisma*, ter. Similiter alii sacerdotes salutent sic. Hoc finito, oleum benedicatur : *Exorcizo te, creatura olei.* Alia oratio : *Deus incrementorum.* Hoc finito, archiepiscopus nudum oleum sic salutet : *Ave, sanctum oleum*, ter. Similiter et alii sacerdotes salutent sic. Hoc finito reportetur chrisma et oleum sanctum ad locum in quo dividi debet, diaconis cantantibus in redeundo sicut in eundo, processione ordinata sicut venerat, cæteris respondentibus *O Redemptor.* Hoc finito, archiepiscopus lavet manus suas, et dicat *Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Pax Domini sit semper vobiscum*, etc.

(35) Id est, decanus curatorum urbis.

(34) Hæc non observantur in Ecclesia Rotomag.

SEQUUNTUR QUÆDAM NOTATU DIGNA,

Excerpta ex eodem ms. Ordinario ad usum cathedralis ecclesiæ Rotomagensis.

(*Ex eodem ms. Bigot.*)

MANDATUM, SEU LOTIO PEDUM,

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

Post prandium, Mandatum pauperum fiat, et Mandatum clericorum ita celebretur. Dominus archiepiscopus indutus alba cum diacono et subdiacono, et ceroferariis, ad navim ecclesiæ exeant, et Dominico **187** exemplo Mandatum faciant, et quantum placuerit ex majoribus in albis pedes cæterorum lavent. Et debet dominus archiepiscopus facere distribui cuilibet canonico præsenti et custodi vestiarii unum linteum (Gallice *devantel*), unam conchan (Gallice *gatte*), unam ollam terræ, unum scyphum de salice, et habeat quilibet canonicus unum clericum de præ-

Digitized by Google

dicta [*al.*, prima] sede in superpellicio ad hauriendum [*al.*, sumendum] sibi de vino et aqua pro pauperibus. Interim cantore incipiente *Dominus Jesus, Mandatum novum.* Psal. *Beati immaculati.* Ant. *Si ego Dominus.* Psal. *Beati qui scrutantur.* Ant. *Postquam surrexit Dominus. Deus misereatur,* et *Vos vocatis me.* ℣ *Exemplum enim.* Ant. *In hoc cognoscent.* Ant. *In diebus illis.* Psal. *Miserere.* ℣ *Remittuntur ei peccata.* Ant. *Maria ergo unxit pedes. Benedixisti.* Ant. *Diligamus nos.* ℣ *Et hoc mandatum.* Ant. *Ubi fratres in unum.* ℣ *Ubi est charitas.* Psal. *Miserere mei.* Ant. *Domine, tu mihi lavas. Venit ad Simonem.* Ant. *Domine, non tantum.* ℣ *Quod ergo facio.* Quo finito, eant in capitulum [*ms.* capitulo], et ibi diaconus alba et stola indutus, cum cereis et thuribulo legat, more lectionis, *Ante diem festum.* Alii diaconi vel sacerdotes legant et juvent eum quousque veniant ad *Surgite, eamus hinc.* Tunc nebulæ cum **188** vino distribuantur. Quo finito [*al.*, facto] redeant ad chorum, et sequenti modo Completorium cum silentio dicant.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Finita Nona, ad ignem benedicendum pergant versificando sub silentio : *Miserere mei, Deus.* sicut in quinta feria, quo benedicto redeant ad chorum versificando psal. *Dominus illuminatio.* Hoc finito, dominus archiepiscopus, vel sacerdos omnibus vestimentis consacerdotalibus indutus cum diacono et subdiacono in albis accedat ad altare, et incipiatur ita servitium. Lectio legatur sine titulo ad aquilam, unus canonicus de secunda sede legat *In tribulatione.* Duo de secunda sede in albis ante aquilam tractum *Domine, audivi.* Demum [*al add.* quo finito] sequatur *Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Levate. Deus a quo et Judas. Per omnia sæcula sæculorum;* dicto *Amen,* tum subdiaconus in albis legat lectionem sine titulo et more lectionis ante aquilam *Dixit Dominus ad Moysen.* Quatuor canonici, duo de majori sede, et duo de secunda, bini et bini versum suum, et sint in albis, ante altare cantent tractum *Eripe me, Domine.* Diaconus in alba (manipulo et stola) ante altare legat passionem more lectionis, excepta **189** voce Domini, quæ more Evangelii legatur. *Dominus vobiscum* non dicatur, nec *Gloria tibi, Domine* respondeatur, et ita incipiatur : *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem. Egressus est Jesus,* etc. Cum autem ventum fuerit ad locum ubi dicitur : *Partiti sunt vestimenta,* duo clerici nudent altare sindonibus quæ prius super altare fuerant positæ. Altare autem significat Dominum ; sindones, apostolos qui comprehensum Jesum omnes [*al.*, relinquentes] fugerunt. Et cum venerit ad locum ubi dicitur : *Et inclinato capite tradidit spiritum,* omnes prosternant se ad terram. Finita passione dicantur orationes solemnes sine intervallo, et casula non tollatur, et pro Judæis non flectantur genua. Ad primam orationem non dicatur : *Flectamus genua, Levate,* nec *Per Dominum.* Ad II orationem dicatur : *Flectamus genua, Levate,* et *Per Dominum.* Incipiunt sic : *Oremus. Dilectissimi nobis pro ecclesia. Oremus Omnipotens, sempiterne Deus, qui gloriam tuam. Oremus et pro beatissimo papa nostro. Flectamus genua. Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu. Per. Oremus et pro catechumenis nostris, ut Deus et Dominus noster. Flectamus genua. Omnipotens, sempiterne Deus, mœstorum consolatio. Per. Oremus et pro hæreticis. Flectamus genua, Levate. Omnipotens, sempiterne* **190** *Deus, qui salvas omnes. Per. Oremus et pro perfidis Judæis.* Hic non dicatur *Flectamus genua. Omnipotens, sempiterne, Deus, qui etiam Judaicam. Per. Oremus et pro paganis, ut Deus omnipotens auferat. Flectamus genua, Levate. Omn potens, sempiterne Deus, qui non vis mortem.* Quibus finitis, tollat casulam dominus archiepiscopus, vel sacerdos, et pergat cum diacono et subdiacono ; illis sedentibus nudis pedibus super formam chori, duo sacerdotes nigris casulis indoti velatam crucem retro altare teneant, et supplici voce dicant *Populo meus.* Duo diaconi ante aquilam nudi pedes, nigris cappis induti respondeant, flectendo genua, *Agios, o Theos.* Dominus archiepiscopus et alii sicut prius, *Sanctus Deus.* Tunc duo presbyteri crucem ante altare teneant, et dicant *Quid ultra debui facere.* Diaconi, sicut prius, *Agios, o Theos.* Dominus archiepiscopus et alii, sicut prius, *Sanctus Deus.* Hoc finito, dominus archiepiscopus, vel sacerdos, crucem cum baculo discooperiat genibus flexis, dicens *Ecce lignum crucis,* et chorus prosternat se in terram et finiat antiphonam. Psalmus : *Beati immaculati.* Chorus reiteret antiphonam *Ecce lignum.* Tunc crux adoretur prius a domino archiepiscopo, postea ab aliis secundum ordinem. Adoratio **191** omnium ita fiat ut uniuscujusque venter in terra hæreat (36), *dum* enim (juxta Augustinum in psalmo XLIII) *genuflectitur, restat adhuc quod humilietur. Qui autem sic humiliatur ut totus in terra hæreat, nihil amplius in eo humilitatis restat.* Et oblatio facta ad adorationem crucis distribuatur duobus qui cantaverint *Populo meus,* et illis duobus qui cantaverint *Agios,* æquis portionibus. Dum adoratur crux cantor incipiat ant. *Crucem tuam adoramus.* Psal. *Deus misereatur.* Item alia antiphona : *Tuam crucem.* Item alia : *Adoremus crucis signaculum. Dum fabricator.* Item ant. *O admirabile pretium.* Item hymnus dicatur *Crux fidelis. Pange lingua. Crux fidelis.* Item, si necesse fuerit, dicatur hymnus *Lustra sex.* Iis finitis, et cruce adorata a clero et populo, crucifixus in commemoratione sanguinis et aquæ fluentis de latere Redemptoris vino et aqua lavetur (37) ; et dum lavatus fuerit tollatur in altum, et cantetur ant. *Super omnia ligna.* Finita antiphona deferat dominus archiepiscopus aut sacerdos, et cum eo duo presbyteri qui cantaverint : *Populo meus,* crucifixum ad sepulcrum, cantore incipiente [*ms. cath.* : Quo finito deferatur crucifixus ad sepulcrum a duobus presbyteris, qui cantaverint] ℟ *Sicut ovis ad occisionem,* cum versu et regressu. Quo collocato, dicatur antiphona *In pace in idipsum dormiam.* Postea archiepiscopus **192** aut sacerdos lavet ostium sepulcri, et humili voce incipiat ℟ *Sepulto Domino.* Quibus finitis, dominus archiepiscopus vel sacerdos induat casulam nigri coloris, et lotis manibus, cum magna reverentia ad sacrarium pergat, præcedentibus thuribulis, candelabris et torchiis, et corpus Domini ab heri servatum afferat super altare, et reponantur vinum et aqua in calice, sicut in aliis diebus consuetum est, et prius ante altare faciat confessionem (38), dicendo *Confiteor,* etc. Quo facto accedat ad altare, et parum moratus humili voce dicat (39) *Oremus : Præceptis salutaribus,* etc. *Pater noster.* Chorus respondeat *Sed libera nos a malo.* Dominus archiepiscopus, vel sacerdos, demissa voce et privatim dicat *Amen. Libera nos, quæsumus, Domine.* Ad *Per eumdem Dominum* faciat fractionem ; qua facta, humili voce cantet *Per omnia sæcula sæculorum, Amen.* Chorus in eadem voce respondeat *Amen.* Non dicatur *Pax Domini,* nec *Agnus Dei* cantetur, sed mittatur pars corporis Christi in calice, ut moris est, et dicat sacerdos orationes *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus ; Domine Jesu Christe.* Interim sacerdos utatur corpore Domini, dicens : *Corpus Domini nostri,* etc. Item quando accipit calicem dicat : *Corpus et sanguis Domini,* etc., **193** more solito ; et communicentur qui voluerint, sicut hesterna die, et reservetur de corpore Christi Domini ad viaticum. Postea dominus archiepiscopus, vel sacerdos, tenens

(36) Ita apud Joannem Abrinc. p. 60, licet apud Augustinum paulo aliter habeatur.

(37) Hodie nec defertur crux ad sepulcrum, nec lavatur. *Al.*, deest.

(38) Hodie non fit confessio.

(39) Hic non fit mentio elevationis hostiæ.

Digitized by Google

calicem in manibus incipiat ad Vesperas mediocri voce *Calicem*, etc., sicut heri notatum est, et chorus suaviter dicat Vesperas, et finitis quinque psalmis et antiphona, dominus archiepiscopus, vel sacerdos, incipiat antiphonam *Cum accepisset acetum*. Psal. *Magnificat*. Hoc finito, dominus archiepiscopus, vel sacerdos, abluat manus suas, et mediocri voce sine *Dominus vobiscum*, cantet *Oremus*, *Refecti vitalibus*, et *Per omnia sæcula sæculorum* dicto, in fine *Amen* tantum respondeatur et sic ad refectionem panis et aquæ pergant. Post prandium erigatur columna cerei, quo finito, Completorium cum silentio dicatur.

EXPULSIO PUBLICE PŒNITENTIUM.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

(*Ex eodem ms. Bigot.*)

Ad Nonam hymnus, antiphona, capitulum, responsorium, versus de serie psalmorum..... Dehinc paret se archiepiscopus, vel ille qui in loco ejus fuerit ad absolutionem faciendam cum cantore; et diaconus et subdiaconus sint revestiti **194** in albis, et eant [*al.*, eatur] ante crucifixum, et ibi faciat Dominus archiepiscopus sermonem ad populum, quo finito, omnes sint prostrati. Cantor incipiat septem psalmos pœnitentiales *Domine, ne in furore*, etc. Quibus finitis dicat dominus archiepiscopus orationes ibi pertinentes. Ultima oratio *Absolutionem et remissionem*, etc. Dehinc pergat dominus archiepiscopus ad majus altare, et super illud benedicat cineres cum orationibus ibi pertinentibus. Quibus peractis, tribuantur a domino archiepiscopo et aliis sacerdotibus, et interim cantetur hæc antiphona *Immutemur habitu*. Alia ant. *Juxta* [al., *Inter*] *vestibulum et altare*. Qua finita, pergat dominus archiepiscopus cum processione ad occidentales portas ecclesiæ ad expellendos pœnitentes, et cantor incipiat *Exaudi nos, Domine*. Psal. *Salvum me fac, Deus*, et reiteretur *Exaudi*. Quibus finitis, legatur hic sermo a diacono : *Vox sanguinis*, dehinc pœnitentes ejiciantur, cantando *Ne reminiscaris*. Tunc Dominus archiepiscopus cum eis loquatur, et claudantur [*al.*, claudat] fores ecclesiæ. Quo finito, redeat processio ad altare dextræ crucis in capella sancti Spiritus, cantore incipiente hoc responsorium : *Ecce Adam.* ℣ *Cherubim* (40). *Videte*, et ibi cum prostratione, preces dicantur **195** cum *Miserere mei Deus*, et orationibus ibi pertinentibus. Quo finito, duo de secunda sede litaniam incipiant, quam in choro cum processione finiant. Hoc expleto, incipiatur missa, et celebretur more feriali.

RECONCILIATIO PŒNITENTIUM.

FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI.

(*Ex eodem ms. Bigot*)

Finita Nona, dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius indutus alba et stola cum cappa rubea, vel sacerdos sine cappa cum diacono et subdiacono indutis albis et stola, cum cantore, processione ordinata, pergat ad occidentales portas ecclesiæ ad reconciliandos pœnitentes. Et domino archiepiscopo sedente juxta januas ecclesiæ, processione stante in navi ecclesiæ (41), legatur a diacono, more lectionis, hæc lectio : *Adest tempus, o venerabilis pontifex.* Finita lectione, dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius, se erigat et cantet antiphonam *Venite*, ter, et finiat. Cantor incipiat psalmum *Benedicam Dominum*, et dicatur totus psalmus, si necesse fuerit, et ad quemlibet versum repetatur antiphona *Venite, Venite*, et interim Dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius, pœnitentes in ecclesiam intromittat cum baculo, et reconciliati ardentes candelas ad altare deferant, alii exstinctas **196** vel nullas, et dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius ponat manum suam super capita reconciliatorum, dans singulis pacis osculum, dicens : *Pax tecum*. His itaque peractis processio redeat cum silentio, et fiat sermo ad populum ; quo finito, dominus archiepiscopus cum diacono et subdiacono dicat septem psalmos pœnitentiales cum prostratione, choro respondente. Quibus finitis, antiphona *Ne reminiscaris;* qua finita, dominus archiepiscopus pœnitentes prostratos absolvat, dicendo preces *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison. Pater noster. Et ne nos.* ℣ *Salvos fac.* ℣ *Mitte eis auxilium.* ℣ *Domine exaudi. Dominus vobiscum.* Oratio : *Præsta, quæsumus, Domine, his famulis tuis.* Oratio : *Absolutionem et remissionem.*

(40) Nunc dicitur ℣ *Fecitque Dom.*

(41) Hæc lectio a nobis infra eruitur ex vetusto codice ms. bibl. cathed. eccles. Rotomag.

SERMO ARCHIDIACONI

Ad archiepiscopum Rotomagensem, pro reconciliatione publice pœnitentium feria quinta in cœna Domini.

(*Ex ms. Pontificali 700 annorum biblioth. cathedr. Rotomagensis.*)

Adest tempus, o venerabilis pontifex, votivum afflictis, congruum pœnitentibus, optabile tribulatis. Adsunt filii tui, Pater, quos Domino per Spiritum sanctum vera mater Ecclesia in lætitia peperit, sed iterum suadente diabolo a sua integritate **197** corruptos, miseros factos et exsules novis quotidie doloribus ingemiscit. Pro his suppliciter orant quicunque felices in sinu suo remanserunt, quique divina se protegente clementia, in fide stabiles perstiterunt. Reminiscendum qualiter a patre clementissimo susceptus sit filius ille minor qui tandiu porcos pavit, qui paternæ hæreditatis pretiosa stipendia infeliciter dissipavit. Patet pater, patet hodie manans de latere Salvatoris fons ille David in quo menstrua abluuntur, in quo peccatorum nigredine obsoleti, per humilem confessionem super nivem dealbantur. Ad hoc enim te Deus et Dominus noster constituit Mediatorem ut susceptum, sicut ille, in humeris reportes ei peccatorem. Accepisti a Domino annulum discretionis et honoris, ut quæ signanda sunt signes, et quæ aperienda sunt prodas, quæ liganda sunt liges, quæ solvenda sunt solvas; atque credentibus per fidem baptismatis, lapsis autem et pœnitentibus per ministerium reconciliationis januas regni cœlestis aperias. Moveat pietatem tuam fletus ipse miserorum. Maria flevit et suscepta est. In hac nocte negavit apostolus, et lacrymis suis baptizatus iterum restitutus est. Publicanus de te loneo apostolatum meruit. Latro de **198** cruce paradisum intravit. Plorat mater nostra Jerusalem orans pro filiis suis, *et lacrymæ ejus in maxillis ejus* (*Thren.* I, 2). Miserere, miserere, Pater, *quia venit tempus miserendi ejus* (*Psal.* CI, 14).

Digitized by Google

TABULA PASCHALIS

Anno Domini 1678.

Ex cereo paschali cathedr. ecclesiæ Rotomagensis.

Annus ab Origine mundi 5678.
Annus ab universali Diluvio 4033.
Annus ab Incarnatione Domini 1678.
Annus a Passione ejusdem 1645.
Annus a Nativitate B. Mariæ 1692.
Annus ab Assumptione ejusdem 1628.
Annus Indictionis 1.
Annus Cycli Solaris 7.
Annus Cycli Lunaris 7.
Annus præsens a Pascha præcedente usque ad Pascha sequens est communis abund.
Epacta 7.
Aureus Numerus 7.
Littera Dominicalis B.
Littera Martyrologii g.
Terminus Paschæ 17 April.
Dies Paschæ 10 April.
Luna ipsius 5. April.
Annotinum Paschale 18 April.
Dies Rogationum 16 Maii.
Dies Ascensionis 19 Maii.
199 Dies Pentecostes 29 Maii.
Dies Eucharistiæ 9 Junii.
Dominicæ a Pentecoste usque ad Adventum 25.
Dominica prima Adventus 27 Nov.
Littera Dominicalis anni sequentis A.
Annus sequens est 1679 communis ord.
Littera martyrologii anni sequentis t.
Dominicæ a nativate Domini usque ad Septuagesimam anni sequentis 4.
Terminus Septuagesimæ anni sequentis 11 Febr.
Dominica Septuagesimæ anni sequentis 29 Januar.

A Dominica 1 Quadragesimæ anni sequentis 19 Febr.
Dies Paschæ anni sequentis 2 April.
Annus ab institutione sancti Melloni 1419.
Annus a transitu ejusdem 1368.
Annus ab institutione sancti Romani 1032.
Annus a transitu ejusdem 989.
Annus ab institutione sancti Audoeni 1046.
Annus a transitu ejusdem 1033.
Annus a dedicatione hujus ecclesiæ metropolitanæ 614.
Annus ab institutione Rollonis primi ducis Normanniæ 766.
Annus a transitu ejusdem, 760.
Annus a coronatione Guillelmi primi ducis 200 Normanniæ in regno Angliæ 604.
Annus ab obitu ejusdem 590.
Annus a reductione ducatus Normanniæ ad Philippum II Franciæ regem 474.
Annus ab alia reductione ducatus Normanniæ ad
B Carolum VII Franciæ regem 228.
Annus pontificatus SS. patris et DD. Innocentii papæ XI 2.
Annus ab institutione R. patris et DD. Francisci IV archiepiscopi Rotomagensis et Normanniæ primatis 7.
Annus a nativitate Christianissimi principis Ludovici XIV, Franciæ et Navarræ regis, 40.
Annus regni ipsius 35.
Consecratus est iste cereus in honore Agni immaculati, et in honore gloriosæ Virginis ejus genitricis Mariæ.

FRAGMENTA

Ex Ordinario ms. cathedralis ecclesiæ Rotomagensis.

Sequentes cæremoniæ non observantur in eadem ecclesia.

(In Nativitate Domini, in fine 1 nocturni.)

Omnes de secunda sede in superliciis in modum coronæ cantent prosam. Cantor cum cappa sua nigra stans ante 201 formam chori incipiat *Felix Maria.*

Post nonum responsorium.

Omnes de majori sede in superliciis, excepto decano, in modum coronæ cantent prosam, et incipiatur a cantore *Quem æthera et terra.*

De annotino Pascha.

Officium de annotino Pascha non potest fieri, nisi evenerit post octavam Paschæ. Ordo in annotino Pascha, festum de tertio responsorio duplici. Ad Vesperas antiphonæ de majori sede et cum ucuma. Antiphona, *Alleluia*, psalmi de die.

C *Residuum officii fere concordat cum officio Dominicæ in Albis.*

In festo sanctæ Trinitatis.

Nota quod ad II, V et VIII lectiones majus altare, sepulturæ regum incensentur, et archiepiscopus et decanus, si præsentes fuerint, a duobus sacerdotibus canonicis in cappis, et postea chorus a duobus pueris. Et sic fiat in omnibus festis triplicibus.

In festo corporis Christi, ad 1 Vesperas.

Magnificat cantetur de sexto et quinto tonis.

In Purificatione B. Mariæ, ad 1 Vesperas.

Memoria S. Severi fiat ob reverentiam corporis ejus quod in ecclesia Rotamagensi requiescit.

Ad missam.

202 Sequatur missa, novem cappæ in choro.

Digitized by Google

In diebus Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, Dedicationis ecclesiæ, et S. Romani, ad missam.

Omnes cappæ in choro, novem sint in linea [*al.*, in medio.]

In Assumptione B. Mariæ, ad I *Vesperas.*

Antiphona cum trina repetitione *Ascendit Christus*, et cantetur a dextro choro usque *Et hæc est illa*; et post cantetur a sinistro choro usque *In qua gloriosa*, demum a dextro choro cantetur usque *Quo pia*, et finiatur a sinistro choro. Psal. *Magnificat* cantetur de sexto et quinto tonis; et post ultimum versum incipiatur antiphona *Ascendit*, a sinistro choro, et dividatur in quatuor partes, ut supra notatur; et post *Gloria Patri* cantetur a toto choro insimul, et dum incipitur *Magnificat* incensetur majus altare.

OFFICIUM INFANTUM.

In festo sancti Joannis evangelistæ, post secundas vesperas.

(*Ex ordin. ms. Bigot.*)

Hoc finito, duo pueri tunicis et amictis induti, tenentes candelabra cum cereis ardentibus, et omnes pueri ecclesiæ **203** in cappis tenentes cereos ardentes cum suo episcopo exeant de vestiario bini et bini, cantantes ℟ *Centum quadraginta*, et processione ordinata veniant per chorum et eant ad Altare Innocentium, et ibi stationem faciant, et finiatur ibi, et tres pueri cantent ℣ *Hi empti sunt*. Quo finito, sequatur antiphona *Innocentes*. Tres pueri ℣ *Lætamini*. Episcopus *Oremus. Deus, cujus hodierna die*. In reditu antiphona vel responsorium de sancta Maria ad placitum, duo pueri cantent ℣ *Post partum*, episcopus *Oremus. Deus, qui salutis*. Pueri dicant *Benedicamus*. Sequatur benedictio episcopi, et dicat unus puer alta voce *Humiliate vos ad benedictionem*, et alii respondeant *Deo gratias*. Benedictio: *Dominus omnipotens benedicat vos*, etc. In crastino est festum duplex, [(42) sed pueri voluntate faciunt illud triplex.] Invitatorium dominus episcopus, cum eo duo pueri *Venite, adoremus*, psal. *Venite*, etc., dominus episcopus legat nonam lectionem exposit. *Angelus Domini apparuit*. Dum nona lectio legetur p rgant pueri ad vestiarium; qua finita, exeant bini et bini cum cereis ardentibus cantantes responsorium *Centum quadraginta*. Tres pueri cantent versum et prosam, et ante altare in modum coronæ illud finiant; quo finito **204** incipiatur psalmus *Te Deum laudamus*, quo finito incipiantur ibi matutinæ Laudes, et redeant ad chorum, et ibi in medio chori finiantur Matutinæ. Antiphona in Laudibus *Herodes iratus*, psal. *Dominus regnavit*. Ant. *A bimatu et infra*, psal. *Jubilate*, Ant. *Vox in Rama*, psal. *Deus, Deus*. Ant. *Sub throno*, psal. *Benedicite*. Tres pueri incipiant in pulpito antiphonam *Laudes reddant pueri*, psal. *Laudate Dominum*. Ant. *Laudes reddant*. ℣ *Laudate eum*. Ant. *Laudes reddant;* et sic chorus psalmum finiat; pueri ad ℟ unumquemque versum dicant *Laudes reddant*, etc. *Benedicamus* ad placitum puerorum. Sequitur processio ad altare Innocentium cantando ℟ *Dignus a dignis* cum versu et regressu; versus ad placitum. Oratio, *Deus qui licet*. In reditu de S. Maria antiphona vel responsorium ad placitum, ut prænotatur ℣ *Post partum. Oremus. Deus qui salutis*, etc. Qua finita pueri cum suo episcopo ante majus altare eant cantantes, ut supra notatur in die S. Stephani. Post primam benedictio episcopi, ut supra..... Si Dominica fuerit sequatur aquæ benedictio, et post Tertiam aspergatur, et post sequatur processio, et sit de nativitate secundum suum ordinem, et pueri in cappis sint in superiori parte, ut supra notatur in die S. Stephani. **205** Ad missam Officium. Omnes pueri in cappis in medio chori regant chorum; episcopus incipiat *Ex ore infantium*. Psal. *Domine, Dominus noster. Kyrie, eleison* et *Gloria* festive. Oratio. *Deus, cujus hodierna*. Epistola in cantu cum prosa, ut supra, *Vidi supra montem*. Graduale, pueri, ut prænotatur: *Anima nostra*. ℣ *Laqueus*. Episcopus, cum eo omnes pueri in modum coronæ *Alleluia, Hi sunt qui cum*. Sequentiam episcopus incipiat *Celsa pueri*. Evangelium in cantu *Angelus Domini apparuit. Credo*. Offertorium: *Anima nostra*, quod incipiatur ab episcopo, etc. Omnia, ut supra. Deinde offerant omnes qui voluerint, ut supra notatur. Ad Vesperas duo de prima sede regant chorum, antiphonæ de prima sede incipiantur, et cum nemma finiantur. Ant. *Tecum principium*, psal. *Dixit Dominus*, etc. Capitulum: *Hi empti sunt*. Dominus episcopus, cum eo duo tunicati ℟ *Justi in perpetuum*..... Ant. *O quam gloriosum est*, psal. *Magnificat;* et tandiu cantetur *Deposuit potentes*, quod baculus accipiatur (ab eo) qui accipere voluerit; Vesperæ finiantur a dietario, etc.

(42) Ms. cathedralis ecclesiæ addit.

OFFICIUM STELLÆ, SEU TRIUM REGUM.


(*Ex ordinario et libro offic. mss. bibliothecæ Bigotianæ.*)

206 *Officium trium regum secundum usum ecclesiæ Rotomagensis. Die Epiphaniæ, Tertia cantata, tres de majori sede more regum induti* [*al.*, *cappis et coronis ornati*], *et debent esse scripti in tabula, ex tribus partibus ante altare conveniant cum suis famulis portantibus regum oblationes indutis tunicis et amictis, et debent esse de secunda sede scripti in tabula ad placitum scriptoris. Ex tribus regibus medius ab* [*al.*, *primus stans retro altare, quasi ab*] *oriente veniens, stellam cum baculo ostendens, dicat alte:*

Digitized by Google



Secundus rex a dextra parte [al. add. *veniens*] *respondeat :*




Tertius rex a sinistra parte [al. add. *veniens*] *dicat:*




Tunc magi ante altare [al. add. *congregati*] *sese osculentur, et simul cantent :*









Quo finito cantor incipiat ℣





Et moveat processio. Sequatur aliud responsorium, si necesse fuerit.





Processione [al. *Processio*] *in navi ecclesiæ constituta, stationem faciant* [al. *faciat*]. *Dum autem processio navem ecclesiæ intrare cœperit, corona ante altare crucis* [al. *ante crucem*] *pendens ad modum stellæ* [al. add. *accendatur*] *et magi stellam ostendentes* [al. add. *cum baculis*]. *ad imaginem Sanctæ Mariæ super altare crucis prius positam cantantes pergant :*



















(43) Hic versus cum cantu deest in libro officiali ms.


A *Hoc finito duo de majori sede cum dalmaticis* [al. *dalmaticis induti*], *ex utraque parte altaris stantes suaviter respondeant* [al. *submissa voce inter se dicant*].







Magi respondeant :







B






Tunc duo dalmaticati aperientes cortinam, dicant:






C *Tunc procidentes reges ad terram simul, salutent puerum, ita dicentes :* Salve, princeps sæculorum (45). *Tunc unus a suo famulo aurum accipiat, et dicat, et offerat :*




Secundus rex ita dicat, et offerat :





Tertius dicat, et offerat :



D *Interim fiant oblationes a clero et populo* (44), [*et dividatur oblatio prædictis duobus canonicis.*] *Tunc magis orantibus, et quasi somno sopitis, quidam puer alba indutus, et amictu super caput quasi angelus in pulpito* [al. *ante altare*] *illis dicat hanc antiphonam :*








(44) Ms. cathedrâlis ecclesiæ addit.

Digitized by Google

Hoc finito reges recedant per alam ecclesiæ ante fontes, et intrent chorum per ostium sinistrum, et processio intret chorum, sicut consuetum est in dominicis, cantore incipiente hoc responsorium :



si necesse fuerit.

Tri-a sunt munera ℣ Salu-tis.

Ad missam tres reges regant chorum, qui Kyrie, Fons bonitatis, Alleluia, Sanctus *et* Agnus *cantent. Officium* Ecce advenit. *Epistola* Surge, illuminare, *prædicti famuli cantent graduale* Omnes de Saba. ℣ Surge, illuminare, *offertorium* Reges Tharsis. *Deinde offerant reges, et omnes qui voluerint*, etc.

OFFICIUM SEPULCRI

(Ex ordinario et libro offic. mss. bibliothecæ Bigotianæ.)

211 *Finito tertio responsorio officium sepulcri ita celebretur. Tres diaconi* [al., add. *canonici*] *de majori sede induti dalmaticis, et amictus habentes super capita sua ad similitudinem mulierum, vascula tenentes in manibus, veniant per medium chori, et versus sepulcrum properantes vultibus submissis cantent pariter hunc versum :*




Quis revolvet nobis la-pidem ab osti-o monumen-ti?

Hoc finito quidam puer, quasi angelus, indutus alba et amictu, tenens spicam [al. *palmam*] *in manu ante sepulcrum, dicat :*



Quem quæ-ri-tis in sepul-cro, ô Christi-colæ.

Mariæ respondeant :




Jesum Nazarenum cruci-fixum, o cœ-li-co-la.


Tunc angelus [al. add. *aperiens sepulcrum*] *dicat :*



Non est hic, surrexit e-nim si-cut



dixit. **212** Ve-ni-te, et vi-de-te lo-cum




ubi po-situs fu-e-rat, et e-un-tes di-ci-te




discipulis ejus et Pe-tro qui-a sur-rexit.

Et locum digito ostendens. Hoc finito [al., *facto*] *angelus citissime discedat* [al. add. *mulieres intrent sepulcrum, dum non invenerint*], *et duo presbyteri, de majori sede in tunicis intus sepulcrum residen es, dicant :*




Mu-li-er, quid plo-ras?

Medius trium mulierum [al. add. *loco Mariæ Magdalenæ*] *respondeat, ita dicens :*




Quia tu-le-runt Do-minum me-um, et




ne-sci-o u-bi posue-runt eum.


Duo residentes dicant :




Quem quæ-ri-tis viventem cum mortuis, non




est hic, sed sur-re-xit; recor-da-mi-ni




qua-li-ter locu-tus est vobis, dum adhuc in



213 Ga-li-læ-a es-set vobis dicens: qui-a




oportet fi-lium ho-minis pati et



cru-ci-fi-gi, et di-e terti-a re-surgere.

Mulieres Mariæ osculentur locum, postea exeant de sepulcro. Interim quidam sacerdos [al. add. *canonicus*] *de majori sede in persona Domini albatus cum stola, tenens crucem, obvians eis in sinistro cornu altaris, dicat :*




Mu-li-er, quid plo-ras? quem quæris?

Medius Mulierum dicat :




Do-mine, si tu sustu-listi eum,




di-ci-to mi-hi, et ego e-um tollam.

Sacerdos illi crucem ostendens, dicat :




Ma-ri-a

Quod cum audierit, pedibus ejus citissime sese offerat, et alta voce dicat :




Rab-bo-ni.

Sacerdos innuens [al. *retro trahens*] *manu, dicat*



214 Noli me tan-gere, nondum e-nim as-cendi



ad Patrem meum; va-de autem ad fratres me-os,

Digitized by Google




Hoc finito sacerdos in dextro cornu altaris iterum a pareat, et illis transeuntibus ante altare dicat :



B

A *Hoc finito se abscondat, et mulieres hoc audito lætæ inclinent ad altare, et conversæ ad chorum hunc versum cantent* [al. add. *alta voce*] *:*



215 Le-o for-tis, Christus Fili-us De-i.

Hoc finito, dominus archiepiscopus, vel sacerdos, ante altare cum thuribulo incipiat alte Te Deum laudamus, *et sine neuma finiatur. (Ad laudes) tres Mariæ* Resurgente, *vel aliud* Benedicamus *ad placitum. Sequatur processio ante crucifixum cum cruce per totum hebdomadam ; una de Mariis incipiat* Christus resurgens, *et tres Mariæ cantent versum in pulpito* Dicant nunc, etc.

ORDINATIO EPISCOPI.

(Ex vetustissimo Pontificali ms. bibliothecæ cathedralis Rotomag.)

In die ordinationis episcopi manissime pulsetur et cantetur Prima; post quam eatur ad capitulum, ibique a decano, archidiacono, cantore et cancellario ordinentur qui debent procedere ministri, sicut in majoribus mos est festivitatibus, hoc est, duo acolythi cum thuribulis, duo subdiaconi cum crucibus, septem acolythi cum candelabris et cereis, septem subdiaconi cum Evangeliorum libris, septem diaconi cum sanctis reliquiis, duodecim presbyteri induti planetis, acolythus indutus podere cum vasculo aureo chrismatis. Tertia pulsetur temporanee, et interim præparet se domnus archiepiscopus sandaliis et **216** *cæteris omnibus usque ad dalmaticam. Tunc induitur cappa, et tenens baculum pastoralem in manu procedit e sacrario. Similiter omnes episcopi exeant induti. Ipse autem electus necdum induatur sandaliis, sed tantum alba, et stola, et cappa; nec ferat baculum, sed ponatur super altare cum annulo, usquedum consecratus accipiat de manu archiepiscopi. Venientes autem in ecclesia, ponantur sedes ita : Domnus metropolitanus sedebit verso dorso ad altare ; sedilia vero cæterorum episcoporum ponantur ante oculos metropolitani. Sedes autem ipsius electi ponatur in medio, non tamen ad majus altare. Comprovinciales autem episcopi offerant electum domno metropolitano, his verbis :* Reverende Pater, postulat sancta mater Ecclesia N. ut hunc præsentem presbyterum ad onus episcopatus sublevetis. *Et respondeat metropolitanus :* Scitis illum dignum esse? *Et episcopi :* Scimus et credimus illum esse dignum, quantum humana fragilitas sinit nosse. *Et respondeant omnes :* Deo gratias.

Tunc metropolitanus ad episcopos : Audiamus, si placet, quid de tanta consecratione sancti Patres statuere. *Tunc cancellarius legat distincte et aperte ad intelligendum hæc decreta, dicens :* Jube, domne, benedicere. *Et domnus :* Quidquid in nobis Christo displicet, hoc sanctus Spiritus emundet.

217 Ex Decretis Anacleti papæ. Anacletus episcopus universis episcopis in Italia constitutis.

Tunc metropolitanus ad electum : Audisti, charissime, quod antiqua sanctorum Patrum institutio docet et præcipit ut is qui ad ordinem episcopatus eligitur, maxime ut regimus in canone Carthaginensi, antea diligentissime examinetur cum omni charitate de fide sanctæ Trinitatis, et interrogetur de diversis causis et moribus quæ huic regimini congruunt, et quæ necessaria sunt retinere secundum Apostoli dictum : *Manus nemini cito imposueris (I Tim.* v, 22). Et ut etiam is qui est ordinandus antea erudiatur qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei, ut irreprehensibiles sint qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem divina auctoritate et præcepto interrogamus te, dilectissime frater, charitate sificera, si omnem providentiam tuam, quantum tua capax est natura, divinæ Scripturæ sensibus accommodare volueris? (45)

C

Interrogatio. Vis ea quæ ex divinis Scripturis intellexeris plebem, cui ordinandus es, et verbis docere et exemplis? *Responsio.* Volo.

Interrogatio. Vis per Dei gratiam et tuam diligentiam talis esse qualem episcopum **218** esse debere docet Apostolus, videlicet, *Sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum? (I Tim.* III). ℟ Volo.

Interrogatio. Vis castitatem mentis et corporis, Deo donante, custodire, et in ea filios tuos enutrire? ℟ Volo.

D

Interrogatio. Vis beato Petro et sanctæ Romanæ Ecclesiæ esse subditus secundum statuta Patrum? ℟. Volo.

Interrogatio. Vis sanctæ Rotomagensi Ecclesiæ, mihique et successoribus meis obediens esse et subditus? ℟ Volo.

Interrogatio. Vis mihi et Ecclesiæ meæ professionem facere, sicut mos antiquitus constitutus obtinuit? ℟ Volo, et paratus sum in omnibus obedire.

Interrogatio. Pauperibus et peregrinis, omnibusque indigentibus vis esse propter nomen Domini affabilis et misericors? ℟ Volo.

Deinde dicatur ei hæc oratio.

Hæc omnia et cætera bona tribuat tibi Dominus,

(45) In Ordine et Pontificali romano legitur responsio : *Ita ex toto corde volo in omnibus obedire et consentire.*

Digitized by Google

et custodiat te atque corroboret in omni bonitate.

Et respondeant omnes : Amen.

Interrogatio credulitatis. Credis, secundum intelligentiam et capacitatem sensus tui, **219** sanctam Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum esse naturaliter atque essentialiter Deum omnipotentem, æternum et incommutabilem, neque tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, nec Filium ipsum esse qui Pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater aut Filius est, sed Patrem semper Patrem, Filium semper Filium, Spiritum sanctum semper Spiritum sanctum? ℟ Credo.

Interrogatio. Credis quod Pater plenus Deus est in se, et Filius plenus Deus est in se, et Spiritus sanctus plenus Deus est in se, et tamen istas tres personas non tres Deos, sed unum esse Deum vivum, verum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia quæ sunt in cœlo et in terra visibilia et invisibilia? ℟ Assentior et ita credo.

Interrogatio. Credis Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum, plenum et perfectum, coomnipotentem et coæqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura, atque perfectum, **220** non adoptivum, non phantasticum, unicum et unum Deum, Dei Filium, in duabus naturis, in unius personæ singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne qua resurrexit et anima ascendisse in cœlum, et sedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua? ℟ Credo.

Interrogatio. Credis panem, qui in mensa Dominica proponitur, panem tantummodo esse ante consecrationem, sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam et substantiam panis in naturam et substantiam carnis, carnis vero non alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu sancto, et nata ex Maria Virgine? ℟ Credo.

Interrogatio. Similiter vinum quod aquæ mistum in calice sacrificandum proponitur, vere et essentialiter converti in eum sanguinem qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris emanavit? ℟ Credo.

Interrogatio. Credis unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, in qua hæc singularis gratia efficitur, in qua unum **221** datur baptisma, et vera omnium remissio peccatorum? ℟ Credo.

Interrogatio. Anathematizas omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam catholicam? ℟ Anathematizo.

Interrogatio. Credis veram resurrectionem ejusdem carnis quam nunc gestas, et vitam æternam? ℟ Credo.

Oratio.

Hæc tibi fides augeatur a Domino ad veram et æternam salutem [*al.* beatitudinem], dilectissime frater.

Oratio ad missam.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et quod nostræ humilitatis agendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Alia.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per.

Secreta.

Hæc hostia, quæsumus, Domine, emundet nostra delicta, et ad sacrificium celebrandum, subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per.

Infra-actio.

222 Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo N. quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus consequatur, diesque nostros.

Postcommunio.

Hæc nos communio purget a crimine, et cœlestis remedii faciat esse consortes. Per.

Ad pollicem consecrandum.

Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad pontificalem sublimari voluit dignitatem, ipse te chrismate et mysticæ delibutionis liquore perfundat, et spiritualis benedictionis ubertate fecundet, ut quidquid sanctificaveris sanctificetur, et consecratæ manus istius vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. Per.

Benedictio baculi.

Omnipotens et misericors Deus, qui ineffabili bonitate votis supplicantium assistis, quique ex tuæ pietatis abundantia affectum petendi attribuis, baculo huic quem ad pastoralis officii signum in **223** tuo nomine dedicamus, tuæ benedictionis vim copiose infunde, ut eo pastor insignitus, sic populum tuum sollicite custodiat quatenus ab unitate Ecclesiæ nullatenus deviare permittat, sed infractum redintegret, quassatum consolidet, seque una cum grege suo integrum tibi atque immaculatum conservet. Per.

Benedictio annuli.

Deus, totius creaturæ principium et finis, in quo clausa sunt omnia, hunc annulum benedicere et sanctificare digneris; ut qui per eum famulo tuo honoris insignia concedis, virtutem et præmia largiaris, quo et discretionis habitum semper retineat, et veræ fidei fulgore præfulgeat, sanctæ Trinitatis quoque armatus munimine, miles inexpugnabilis acies diaboli constanter evincat. Per.

Hic immittitur episcopus in cathedram episcopalem et dicitur hæc oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui distinctis ordinibus omnem militiam cœlestem dignatus es in supernis sedibus ordinare, quique beatum Petrum apostolum in cathedram honoris totius Ecclesiæ sublimasti, et Matthiam ejusdem consortem in throno apostolico residere voluisti, quæsumus, pro tua immensa misericordia, **224** effunde gratiam tuam in loco isto, ut sit hæc sedes cathedra honoris et dignitatis in conspectu majestatis tuæ, ad laudem et gloriam nominis tui, ad honorem Ecclesiæ tuæ, ut quicunque in ea te eligente resederit, requiescat super eum gratia septiformis Spiritus tui. Per Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus. Per.

Digitized by Google

NOMINA EXCOMMUNICANDORUM.

(Ex eodem Pontificali ms.)

Hi sunt vocandi. Guillelmus de Arcis, filius Huberti, Rogerus *Arundel*, Guillelmus *de Vernum*.

Hi sunt excommunicandi. Robertus filius Helgonis, Guillelmus de Poileio, Gunfridus de Falesia, Gualterus diaconus de Sancto Leodecario, Herbertus *de Tot* similiter, Goiffridus *de Comanvil*, filia Heltonis, filia Ansguoldi, Ricardus de Fonte, filia Benzelini, Radulfus de Argento, de filiabus Ansguoldi, quarum unam habet Ricardus, alteram Gislebertus. Monachi pecuniam habentes.

MONITIO EPISCOPI AD ORDINANDOS.

(Ex Pontificali ms. bibliothecæ cathedralis Rotomag.)

225 *In celebratione ordinum præmuniantur ordinandi quod pure de peccatis sint confessi, et qui in sacerdotali ordine esse voluerint præparent se communioni. Omnes etiam sibi provideant de vestibus necessariis, et quod habeant tonsuras competentes. Cum aguntur ordines, fiat sermo, si placet; postea fiant inhibitiones sequentes, si sint generales ordines et episcopo placuerit, ad terrorem male subintrantium, sub hac forma.*

Ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sub pœna excommunicationis majoris *inhibemus* ne aliquis ligatus infra scriptis impedimentis contra sanctorum Patrum decreta ingerat se ad ordines suscipiendos. Primo ergo, secundo et tertio monemus et inhibemus, sub pœna anathematis, ne quis se ingerat ordinandum, nisi prius examinata persona, cum titulo matriculatus, et infra scriptus fuerit et vocatus, ne quis etiam mortalis peccati conscius, vel excommunicatus, aut suspensus ordines recipiat, nisi prius potestatem habenti confiteatur et debite absolvatur. Ne autem ignorans ignoretur, irregulares **226** qui, secundum sacros canones, ab ordinibus prohibentur, duximus seriatim et per ordinem specificandos : Quicunque homicida; item, ecclesiarum incendiarius, seu earum fractor [*ms.* fractus] violentus; item, advocatus in causa sanguinis, vel notorius perjurus; item, exsecutor sævorum tormentorum in publicis administrationibus; item, Simoniacus qui quodcunque beneficium vel titulum illicite adeptus, vel religionem taliter est ingressus; item, inventor vel fautor Simoniacarum pactionum; item, apostata a fide vel religione, non reconciliatus; item, qui ab episcopis hæreticis, schismaticis gratiam sedis apostolicæ non habentibus scienter aliquos [*ms.* alios] ordines recipit; item, qui sub falso titulo vel ficto, aut alias pacto inito cum suo præsentatore de hujusmodi titulo postquam ordinatus fuerit eidem restituendo, vel alias occasione hujusmodi eumdem non inquietando, vel qui annuam pensionem, vel quodcunque emolumentum temporale, præsentationem vel promotionem procuranti, sub quocunque promiserit colore; item, per saltum ad aliquos ordines promotus; item, prius conjugatus, nisi hoc faciat in casu a jure permisso; item, nullus qui excommunicatus scienter ordines recipit aliquos, et in susceptis ministrare præsumpserit; **227** item, bigamus, vel corruptarum maritus; item, Deo sacratarum virginum violator; item, nullus sortilegus, vel necromanticus, vel prohibitarum artium doctor sive factor; item, morbo sontico vel caduco, lunatico, vel alio incurabili morbo laborans, aut corpore vitiatus; item, illegitimus, nisi cum eo fuerit dispensatum sufficienter; item, servus nativus præter conscientiam et voluntatem domini sui; item, nullus alterius diœcesis, nisi litteras dimissorias habuerit, ac etiam titulum sufficientem. Item, inhibemus quod nullus ordinem subdiaconatus accipiat, nisi sit ætatis XVIII annorum, diaconatus XX, presbyteratus XXIII et XXV annum attigerit; item, nullus religiosus de jure vel facto non professus; item, curatus beneficiatus, qui infra annum non fuerit ordinatus in presbyterum a tempore curæ susceptæ, et pacificæ possessionis adeptæ, nisi ex dispensatione, qua etiam rite sit usus; juxta constitutionem *Cum exc.*: item, nullus sine vero titulo, vel cujus titulus ad non titulum est redactus, nisi in gratia speciali. Quibus omnibus et singulis durantibus impedimentis supradictis, ut ab hujusmodi ordinum susceptione se abstineant, quousque cum eis fuerit dispensatum, **228** præcipimus sub pœna excommunicationis superius adnotata, et bene caveatur de omnium mutilatione membrorum ordinandorum in sacris; ne sint etiam gibbosi, vel manci, vel alias corpore vitiati, propter scandalum cleri et Ecclesiæ evitandum.

Quia res quam tractaturi estis satis periculosa est, fratres charissimi, moneo vos ut diligenter et honeste totius missæ ordinem, et consecrationem, et fractionem atque communicationem ab aliis jam doctis sacerdotibus discatis, priusquam missam vestram cantare præsumatis.

BENEDICTIO ABBATIS MONACHORUM.

(Ex eodem Pontificali ms.)

In ordinatione et benedictione abbatis per electionem monachorum, primo venit ad altare indutus in habitu pontificali pro missa dicenda, et dicit Confiteor, etc. *Et postea debet sedere ante altare in sede sua præparata, et tunc duo abbates adducunt novum abbatem ante episcopum indutum amictu, alba, mu-*

Digitized by Google

nipulo, et stola, et cappa loco casulæ, et eodem modo abbbates assistentes; et antequam incipiatur missa, dicant isti assistentes : Adest electus, etc. *Dicti vero abbates assistentes, baculos* **229** *tenentes in manibus, electus vero baculum non ferat, sed super altare ponatur, donec illum de manu episcopi recipiat, sicque sedeant in ordine super scamnum ad gradum altaris, et dicto* Confiteor *a pontifice*, etc., *antequam introitus missæ incipiatur, dicant dicti assistentes :*

Adest, Pater reverende, electus noster ad benedictionem suam suscipiendam.

Interrogatio ab episcopo facienda : Scitis hunc fratrem electum idoneum ad abbatis officium? *Responsio :* Scimus, quantum humana fragilitas nosse sinit.

Interrogatio. Est electus secundum regulam beati Benedicti a fratribus? ℟ Canonica in eum fratrum consensit electio.

Interrogatio episcopi : Habetis inde scriptum? ℟ Habemus.

Episcopus : Legatur.

Tunc legitur scriptum seu processum. Si autem ex provisione apostolica sit electus, abbates assistentes ipsum electum ad benedicendum præsentantes dicant : Reverende Pater, adest electus noster ad benedictionem suam suscipiendam.

Interrogatio episcopi : Est canonice electus? *Abbates :* Provisionis apostolicæ in eum canonica consensit electio.

230 *Episcopus :* Habetis inde scriptum? *Abbates :* Habemus. *Episcopus :* Legatur.

Tunc legatur provisionis scriptum, quo lecto dicat episcopus : Quia ergo in eum fratrum consentiunt vota, prius eum censemus apostolica auctoritate examinandum, si sum propositum et sancti Benedicti regulam velit ipse observare, sibique subjectos ut idipsum faciant diligenter instruere, resque locorum suorum hactenus dispersas injuste, quantum prævalet, congregare, easque in usus Ecclesiæ et fratrum, pauperum etiam et peregrinorum distribuere; sicque esse dignum ad ordinationem accedere; et ideo interrogamus te, frater, si vis secundum regulam sancti N. vel Benedicti vivere, tibique subjectos ut idipsum faciant regulariter edocere? *Responsio :* Volo.

Interrogatio episcopi : Vis bonis et rebus ecclesiæ tibi commissæ inibi coadunatus fideliter custodiam adhibere; et injuste dispersas, quantum prævales, recolligere, easque in usus ecclesiæ et fratrum, pauperum et peregrinorum fideliter distribuere? ℟ Volo.

Interrogatio episcopi : Vis pauperibus et peregrinis benevolens et hospitalis esse? ℟ Volo.

Interrogatio episcopi : Vis ordinem tuum religioso **231** habitu et sanctis moribus decorare? ℟ Volo.

Interrogatio episcopi : Vis sanctæ N. Ecclesiæ, mihique (46) et successoribus meis subjectionem et obedientiam exhibere secundum canonicam auctoritatem et decreta sanctorum pontificum? ℟ Volo.

Episcopus : Augeat tibi Deus fidem et constantiam, ut promissa servare valeas et fideliter adimplere. *Clerus respondeat :* Amen.

Quo dicto incipiat episcopus antiphonam, choro eam prosequente. Antiphona : Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo quod est in Hierusalem, alleluia, alleluia. *Psalmus :* Exsurgat Deus. *Et dicitur totus psalmus cum* Gloria Patri, *et* Sicut erat, *reincipiendo antiphonam* Confirma. *Et in casu quo fiet missa de alio quam pro abbate, post orationem diei dicitur oratio sequens sub uno* Per Dominum.

Ad missam introitus. Officium.

Protector noster, aspice, Deus. *Psal.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine, etc.

Oremus. Oratio.

Concede, quæsumus, Domine, [*al.*, *add.*, huic] electo famulo tuo N., ut prædicando et exercendo quæ recta sunt per exemplum bonorum operum animos suorum instruat subditorum, **232** et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiat. Per.

Finita oratione prosternant se ante altare episcopus et electus etiam cum abbatibus assistentibus, et dicantur septem pœnitentiales [add. *Psalmi*], *et fiant litaniæ. Et cum dictum fuerit* Ut pontificem nostrum, *surgat episcopus solus, et dicat :* Ut electum istum bene†dicere digneris, te rogamus. *Chorus respondeat, respondendo.* Ut electum, etc. *Episcopus.* Ut electum istum bene†dicere et sanctifi†care digneris, te rogamus. Ut electum istum bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris, te rogamus. *Quo dicto iterato se prosternat episcopus, et finiatur litania, qua dicta episcopus dicat sub silentio.* Pater noster, *et ad modum precum.* Et ne nos. *Chorus :* Sed libera nos. *Et post :* Salvum fac servum tuum. *Chorus :* Deus meus. *Episcopus :* Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum. *Chorus :* Ex hoc nunc. *Episcopus :* Dominus custodiat te ab omni malo. *Chorus :* Custodiat animam tuam Dominus. *Episcopus :* Nihil proficiat inimicus in eo. *Chorus :* Et filius iniquitatis. *Episcopus :* Esto illi, Domine, turris fortitudinis. *Chorus :* A facie inimici. *Episcopus :* Exsurge, Domine, adjuva nos. *Chorus :* Et libera nos. *Episcopus :* Domine, Deus virtutum, converte nos. **233** *Chorus :* Et ostende. *Episcopus :* Domine, exaudi. *Chorus :* Et clamor. *Episcopus :* Dominus vobiscum. *Chorus :* Et cum spiritu tuo. *Orationes sequentes ad modum orationis.*

Oratio.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, affectui nostro tuæ miserationis effectum, et famulum tuum, quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Christum.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, exaudi preces nostras, et super hunc famulum tuum spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditatus, et tuæ majestatis possit gratiam acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per.

Oremus.

Exaudi, Domine, preces nostras quas in conspectu tuæ majestatis super hunc famulum tuum fundimus, qui vice tui nominis ad gubernationem ovium tuarum statuitur, ut eum respicere, et interveniente beato Benedicto patrono et gubernatore nostro bene†dicere digneris; et qui ad redemptionem et protectionem nostram de cœlis descendisti, et mundo te Deum et summum [*al.*, summum et verum] Pastorem exhibuisti, dicens : *Ego* **234** *sum pastor bonus* (*Joan.* XI, 14), te invocamus, te suppliciter deprecamur, ut huic servo tuo quem pastoralitatis [*al.*, pastoralis officii] culmen subire voluisti, tua bonitas adsit, et benedictio omnibus diebus vitæ suæ; protege eum, Domine, et defende ab omnibus visibilium et invisibilium adversitatibus inimicorum, dirige gressus ejus in viam pacis et justitiæ; et largire tuarum dona virtutum, justitiam, temperantiam [*al.*, *add.* prudentiam, charitatem, sobrietatem, patien-

(46) De abbatum subjectione et obedientia episcopis suis vide S. Bernardum, l. III De consider., c. 3, et tract. De offic. episcoporum, c. 9.

Digitized by Google

tiam], fortitudinem et longanimitatem, constantiam A i superabilem, fidem non fictam, spem inconcussam, mentem devotam, humilitatem perfectam, intelligentiam rectam, benignitatem, modestiam, unanimitatem, pacem, concordiam, castitatem, abstinentiam, vigilantiam, discretionem, rectitudinem, scientiam, pietatem, consilium, et in cunctis actibus bonis inviolatam perseverantiam. Aufer, Domine Jesu Christe, ab eo quidquid pravum et distortum, et [*al.*, est] quidquid saluti contrarium, quidquid animæ noxium [*al.*, nocivum], superbiam, jactantiam, vanam gloriam, elationem, quidquid ad ultimum displicens esse potest. Circumda eum interius et exterius tuæ protectionis auxilio, ut te defensore sit tutus, te protegente securus, te docente scius. Ostende ei viam pe; quam ambulet, tribue ei thesauros sapientiæ ut **235** sciat et habeat unde nova et vetera proferat, fac eum in omnibus tua sequi vestigia, et de sua ministratione gaudium bonum adipisci, ut post hujus sæculi excursum, cum ante B tribunal tuum venerit, cum multiplici fructu animarum illud [*al.*, *add.* ei] præmium etiam largiaris cum omnibus quos tibi repræsentabit, quod fidelibus dispensatoribus tuis pro tuo nomine laborantibus in terris te promisisti [*al.*, repromisisti] daturum esse in cœlis; qui cum Deo Patre, etc. Amen.

Tunc tradat ei regulam episcopus, legendo regulam, dicens :

Accipe regulam a sanctis Patribus nobis traditam a regendum et custodiendum gregem tibi a Deo creditum, quantum ipse tibi Deus constituerit, et humana fragilitas permiserit.

Postea det ei baculum, legendo, dicens :

Accipe baculum pastoralis officii quem præferas caterv tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis et correctionis.

Deinde prosequatur missam, et dicatur Epistola ad Timotheum : « Omnis Scriptura divinitus inspirata, » etc. (*II Tim.* III, 16.) *Et Evangelium secundum* C *Lucam :* « Quis putas fidelis servus? » (*Luc.* XII, 42.) Credo in unum Deum Patrem. *Offertorium; et tunc offerat abbas novus duos magnos panes,* **236** *duos potus vini* [al., *duo barilia vino plena*], *duas torchias cum pecunia in torchiis infixa usque ad devotionem novi abbatis pro oblatione. Oblatione facta remaneant novus abbas et assistentes in locis suis ante altare, et tunc domnus episcopus procedat in missa, et lavet manus suas dicendo :* Lavabo inter innocentes, etc. *Et tunc administratur una hostia pro abbate novo. Sequitur secreta.*

Munera, quæsumus, Domine, suscipe placatus, et [*al.*, *add.* hunc] electum famulum tuum semper [*al.*, *add.* et] ubique misericorditer protege. Per Dominum.

Et post fractionem fit benedictio ad populum, prout missa celebratur ad voluntatem celebrantis. Post Agnus Dei *episcopus dat pacem novo abbati, et communicat eum.*

Communio : Unam petii a Domino, hanc requiram etc.

Postcommunio. *Oratio.*

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, ac B electum famulum tuum benigna pietate conservet. Per Dominum.

Missa rite peracta, antequam episcopus recedat ab altari, duo abbates assistentes abbati ordinato, unus ad dextram et alter ad sinistram, ducant ipsum ad majus altare ante conspectum episcopi, et ibidem faciat abbas ordinatus professionem suam super altare ad modum qui sequitur :

Sequitur professio.

237 Ego frater N. humilis abbas N. talis loci, Deo et sanctæ matri Ecclesiæ, N. et tibi, Pater N. tuisque successoribus debitam subjectionem et obedientiam a sanctis Patribus constitutam, secundum regulam sancti Benedicti, ore promitto et manu propria confirmo. *Tunc faciat abbas cum penna et incausto* [Gallice, *encre*] *crucem in fine cedulæ de manu sua propria; et postea ducatur in sede sua per archidiaconum dicentem :* Sta, et tene locum a Deo tibi delegatum; potens est enim Deus ut augeat tibi C gratiam. *Statimque cantor incipiat :* Te Deum laudamus. *Quo finito dent ei omnes fratres osculum pacis, genua flectentes ante patrem a Deo sibi constitutum.*

BENEDICTIO ABBATIS CANONICORUM.

Ex eodem Pontificali. ms.)

Electio abbatis canonicorum eodem ordine quo superius digesta est electio abbatis monachorum, et omnibus eodem ritu expletis, psalmis, litaniis, et precibus, dicat super electum has benedictiones.

Oremus. *Oratio.*

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio tuæ **238** virtutis impleatur effectu. Per Dominum.

Benedictio.

Bene†dic, Domine, hunc famulum tuum N. quem ad regimen animarum eligimus, ut sit ei fidelissima cura subditorum ad bona provocare, seipsum irreprehensibilem custodire, bona semper agere, prava vitare, studium in divinis habere. Illumina, Domine, eor ejus gratia Spiritus tui, cujus plenitudine repletus mundana despiciat, prospera contemnat, in adversis fortis et insuperabilis existat, odio habeat superbiam, diligat humanitatem, amplectatur charitatem, præ oculis semper habeat castitatem, dilectioni Dei et proximi semper vacet [*ms.*, vocetur], vitia reprehendat, contra superbos erectus existat, errantes ad viam veritatis reducat, bonis se parem D faciat. Expande [*ms.*, expandi] ei, Domine, thesaurum sapientiæ tuæ ut sciat et intelligat, cæterosque doceat verba sacræ legis tuæ, ut Veteri et Novo Testamento instructus voluntatem tuam faciat, et in finem usque perficiat. Dominator Domine, a cujus munere venit omne quod bonum est, da ei potestatem ligandi atque solvendi subditos, et ita rem ecclesiasticam moderari ut in nullo dissentiat a vero; sed ita ducat subditos ut cœlestis patriæ faciat colonos, ipseque **239** in finem a te mercatur audire : *Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21). Quod ipse præstare digneris, qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hic tradat ei episcopus regulam canonicorum, et legendo, dicat : (47)

Accipe virgam pastoralem sollicitudinis, et sic vi-

(47) Hic aliquid desse videtur.

Digitized by Google

giles super gregem Dominicum tibi commissum, quatenus sicut fidelis servus et prudens merearis intrare in gaudium Domini tui.]

Post hæc legatur Epistola, et perficiatur missa usque ad offertorium; et tunc debet novus abbas accedere, et idem offerre duas torchias cum pecunia ad voluntatem ipsius in ipsis depicta, cum duobus magnis panibus, et duobus potis vini. Collecta vero, secreta, et postcommunio dicantur in missa, sicut dictum est superius in ordinatione abbatis monachorum, et in ipsa missa debet novus abbas communicare; cætera fiant, ut superius dictum est. Et antequam pontifex recedat ab altari, faciat novus abbas professionem eodem modo, et omnia alia, quo supra dictum est in ordinatione abbatis monachorum.

BENEDICTIO ABBATISSÆ.

Ex eodem Pontificali ms.

240 *An ordinatione abbatissæ debet pontifex missam celebrare, et eam benedicere cum duabus vel tribus abbatissis. Et antequam incipiatur missa vel introitus missæ, aliquæ moniales de abbatia cujus est electa, ducant electam examinandam coram pontifice pontificalibus induto et casula, et debet sedere in loco examinationis dorso verso ad majus altare, et dicant tunc moniales antedictæ :* Adest, reverende Pater, electa nostra ad benedictionem suam suscipiendam.

Interrogatio episcopi : Est electa secundum regulam sancti Benedicti a sororibus? *Respondeant sorores :* Canonica in eam sororum consensit electio.

Et interroget episcopus : Habetis inde scriptum? *Respondeant sorores :* Habemus.

Episcopus : Legatur.

Quo lecto, dicat episcopus : Quia ergo in eam sororum vota consentiunt, prius eam censemus, *et cætera quæ sequuntur, prout superius digesta sunt in ordinatione abbatis monachorum. Et omnibus eodem ritu expletis, psalmis, litaniis, versiculis, dicat pontifex has benedictiones quæ sequuntur.*

Oratio.

241 Exaudi, Domine, preces nostras, et super hanc famulam tuam Spiritum tuæ benedictionis infunde, ut cœlesti munere ditata, et majestatis tuæ dona [*al.*, gratiam] possit acquirere et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotentiam tuam, Domine, humiliter imploramus, ut super hanc famulam tuam, quam ad sacrum ordinem (id est, sacram benedictionem, *seu* ordinationem) assumere dignatus es, benedictionis tuæ donum dignanter infundas, eique gratiam consecrationis tribuas, ut quod percipit te protegente illæsum custodiat. Per Dominum nostrum Jusum Christum.

Per omnia sæcula seculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Adesto precibus nostris, adesto votis, adesto famulatibus, adesto consecrationibus, qui omnia per Verbum tuum mirabiliter dispensas et dispensanda ministras, qui diversis floribus **242** tuam semper exornas Ecclesiam, dum eam et virorum exemplis et illustrium feminarum irradias institutis, qui etiam de inferiori [*al.*, infirmiori] sexu hanc famulam tuam servitutis tuæ applicare dignatus es famulatui; effunde super hanc famulam tuam, quam in officium divinum fideliter dedicamus, gratiam Spiritus sancti, ut tibi omni tempore ejus servitus dignanter complaceat, eamque dextera potentiæ tuæ bene † dicere et sancti † ficare digneris in opus ministerii tui condignum, quatenus actum ministrationis sibi creditæ fideliter exsequatur, et ejusdem sancti Spiritus septiformis gratiæ virtute corroboretur. Requiescat ergo super eam, precamur, Domine, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus sapientiæ et pietatis, et repleat eam spiritus timoris Domini. Concede ei quoque gravitatem actuum, censuramque vivendi, ut in lege tua die ac nocte meditetur, mandata tua custodiat, dictis tuis obediat, sacris lectionibus insistat, terrena et transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inserviat, omnem libidinem pravæ voluptatis superet, amorem honestæ castitatis teneat, ut tibi sponso venienti cum lampadibus suis inexstinguibilibus possit occurrere, et prudentum **243** virginum choro jungi; et ne cum stultis excludatur, regalem januam cum sapientibus virginibus licenter introeat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, intenta [*al.*, innocentiæ] puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus ejus præcepta fulgeant, ut suæ castitatis exemplo cunctis sibi subjectis imitationem præbeat puram, et bonum conscientiæ testimonium ostendens, in Christo Jesu firma et stabilis perseveret, atque ita perceptum ministerium te auxiliante peragat, quatenus ad æternam remunerationem te donante pervenire mereatur. Per Dominum nostrum, etc.

Tunc det ei regulam, et legendo dicat :

Accipe regulam sanctæ conversationis, simulque gratiam sanctæ benedictionis; et ut per hanc cum grege tibi credito in districti die judicii Domino incontaminata repræsentari valeas, ipse te adjuvare dignetur, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tunc det ei episcopus baculum, legendo dicens.

Accipe baculum pastoralitatis, quem præferas catervæ tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis et correctionis.

Sequitur oratio, et dicatur a pontifice ad modum orationis :

244 Domine Deus omnipotens, qui sororem Moysis Mariam præeuntem cum cæteris virginibus [*al.*, mulieribus] inter æquoreas undas cum tympanis et choris lætam ad littus maris venire fecisti, te suppliciter [supplices] deprecamur pro fideli famula tua, quæ hodie in cathedra materna super universas subditas [universis sibi subditis] sibi abbatissa constituitur, ut ita canonica [monastica] norma tueatur cunctas famulas tuas [*al.*, *add.* sibi commissas], quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cum omnibus illis introeat læta, ibique exsultans [*al.*, exsultantes] cum angelis, canens [canentes] cantica nova, sequatur [*al.*, sequantur] Agnum quocunque ierit. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio.

Famulam tuam, quæsumus, Domine, tua semper gratia bene † dicat, et inculpabilem ad vitam perducat æternam. Per Christum.

Collecta missæ, secreta et postcommunio dicantur, et cætera omnia eodem ritu fiant, sicut ante dictum est in consecratione abbatis.

Digitized by Google

BENEDICTIO IN SOLUTIONE SYNODI.

(Ex vetustissimo Pontificali ms. bibliothecæ cathedralis Rotomag.)

Christus Dei Filius, qui est initium et finis, complementum vobis tribuat charitatis. Amen.

245 Et qui vos [*ms.*, nos] ad expletionem [*al.*, absolutionem] hujus fecit pervenire concilii, absolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen.

Ab omni reatu liberiores effecti, absoluti [*al.*, adjuti] etiam per donum Spiritus sancti, felici reditu vestrarum sedium cubilia repetatis illæsi. Amen.

Semper proficiat cura vestra, ut quando judex venerit evigilet fides vestra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Amen.

Detque vobis potestatem prædicandi in populo, et quod aliis ore prædicatis, corde semper teneatis. Amen.

Exaudiat vos Dominus in tempore orationis vestræ, et det vobis consilium rectitudinis, ut evadere mereamini supplicium Acherontis. Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

BENEDICTIO EPISCOPALIS

Ad missam in nocte Nativitatis Domini.

(Ex eodem Pontificali ms.)

Populum tuum, quæsumus, Domine, pio favore prosequere, pro quo dignatus es in hac sacratissima nocte tuam mundo præsentiam exhibere. Amen.

A cunctis eum adversitatibus paterna pietate custodi, pro quo in mundo hoc in tempore dignatus es ex Virgine nasci. Amen.

246 Utinam te Redemptorem suum semper intelligat, et tuam veraciter gratiam comprehendat. Amen.

Quod ipse præstare dignetur. Amen.

BENEDICTIO EPISCOPALIS

Ad missam in Sabbato sancto.

(Ex eodem Pontificali ms.)

Deus, qui mortem nostram ingressus inferni tartara in hac nocte devicisti virtute divina, suscipe propitius famuliæ tuæ preces humillimas voto sinceræ mentis oblatas. Amen.

Et quos veteribus maculis baptismatis emundavit unda sacrata, per lavacrum tuæ protectionis auxilio purgati, tales ante te præsententur in judicium, quales nunc processerunt ex baptismo. Amen.

Et qui te miserante revocati sunt in paradiso pereunte peccato, non patiaris exsules fieri renascente commisso. Amen.

Et qui te semel agnoverunt [*ms.* agnovit] Principem universitatis et Dominum, nunquam invasis sensibus in se tyrannizantem sentiant inimicum. Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

Benedictio Dei Patris et Filii.

VETUS ORDO

Ad instituendum canonicum regularem in ecclesia S. Laudi Rotomagensis.

(Ex ms. codice ejusdem ecclesiæ.)

247 *Sequitur servitium religiosorum professorum secundum usum Sancti Laudi Rotomagensis.*

Veniens novitius post offertorium missæ cum magistro suo ante majus altare, dicat stando :

Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam.

Flectendo genua sua, dicat.

Et non confundas me ab exspectatione mea.

Ter dicat hunc versum. Finito versu, cantor incipiat antiphonam : Suscepimus, Deus, *cum* Gloria Patri, *et postea iterum* Suscepimus, Deus. *Idem.*

Magnus Dominus

Digitized by Google

Miserere mei, Deus.
Ecce quam bonum.
Deinde cantor : Suscepimus, Deus.
Postea litania a duobus cantatur usque Fili Dei, *deinde prælatus benedicat habitum religionis sub iis orationibus.*

Signum Domini nostri Jesu Christi damus super hanc vestem ad custodiendum **248** divinum propositum, et ut Spiritus sanctus reguet in corde et in corpore suscipientis.

Oratio.

Deus bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, exaudi preces nostras, et hoc vestimentum, quod famulus tuus pro conservando sanctæ conversationis proposito se ad induendum exposcit, bene†dicere et sanctificare digneris. Per Dominum.

Quo facto, aqua benedicta aspergatur; deinde novitius adhuc sæculari habitu indutus ad ordinatorem accedens, flexis genibus, stet ante eum, quem ordinator sæculari habitu exuens, dicat :

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. Amen.

Et induens eum lineo indumento, subjungat :

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Fratres respondeant : Amen.

Postea induatur cappa sive caputium (48).

Deinde remittat se ante altare flexis genibus, et dicat prælatus preces sequentes.

Salvum fac servum tuum,
Deus meus, sperantem in te.
Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
249 Et de Sion tuere eum.
Nihil proficiat inimicus in eo.
Et filius iniquitatis non noceat ei.
Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
A facie inimici.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam et emandationem semper desideras; misericordiæ tuæ suppliciter imploramus [auxilium], ut huic famulo tuo sæcularibus actibus renuntianti largæ tuæ pietatis gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus ita tibi militando stadium vitæ præsentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis te donante percipiat. Per Christum.

Oremus, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro famulo isto, qui accepto habitu religionis sibi servire festinat, ut donet ei Spiritum sanctum, qui susceptæ religionis propositum in eo perpetuum conservet, et a mundi impedimento vel sæculari desiderio cor ejus defendat, ut sicut mutatur habitu, ita manus dexteræ suæ ei virtutis tribuat incrementa, et ab omni cæcitate humana oculos ejus aperiat; et lumen ei æternæ gratiæ **250** concedat. Qui cum Deo Patre et eodem Spiritu.

Oremus.

Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum Deo Patri Filioque coæqualem revelare mortalibus dignatus es, immensam bonitatis tuæ gratiam postulamus, ut sicut ubi vis spiras, sic huic famulo affectum devotionis indulgeas, et quoniam sapientia tua est conditus, tua quoque providentia gubernetur, quem juxta consuetam gratiam unctio tua de omnibus doceat, et per intercessionem beatissimi patris nostri Augustini, quem præcipuum hujus sanctæ institutionis legislatorem dedisti, et omnium sanctorum, eum veraciter a vanitate sæculi converte, et sicut ei omnium peccatorum remissio, deprimentes impietatis obligationes in eo dissolve, ad observantiam hujus sancti propositi fac eum certatim fervere, ut in tribulationibus et angustiis tua indeficienti consolatione valeat respirare, ut sobrie, juste et pie per veram humilitatem atque obedientiam in fraterna charitate fundatus, quod te donante promittit, felici perseverantia compleat. Quod ipse præstare digneris, qui cum Deo Patre et unigenito Filio ejus Domino nostro Jesu Christo vivis et regnas Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

251 *Tunc surgat novitius, et legat aperta voce professionem suam propria manu scriptam.*

Ego frater N. offerens trado me ipsum divinæ pietati in ecclesia beati Laudi serviturum secundum regulam S. Augustini, et promitto obedientiam domno N. priori præfatæ ecclesiæ, et successoribus ejus canonice intrantibus.

Et ponens eam professionem super altare, flexis genibus oret, et prælatus incipit dicere ter hanc antiphonam : Confirma hoc, Deus. *Chorus respondeat :* Quod operatus es in nobis a templo sancto tuo quod est in Jerusalem. *Et repetatur ter. Sequitur oratio super eum :*

Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oratio. Oremus.

Deus qui famulum tuum N. a sæculi vanitate conversum, ad supernæ vocationis amorem accendis, pectori illius purificando illabere, et gratiam ei qua in te perseveret infunde, ut protectionis tuæ munitus præsidio, quod te donante promisit impleat, et suæ professionis exsecutor effectus, ad ea quæ perseverantibus in te dignatus es promittere pertingat. Per Dominum.

Postea prælatus donet novitio se flexis genibus stanti communem societatem congregationis, **252** *dicens hanc orationem S. Augustini.*

Oratio.

Omnes quamvis per gratiam baptismi fratres simus in Christo, et unum Patrem habeamus in cœlo, si ejus præceptis, prout possumus, obsequamur; procul dubio tunc maxime unimur, quando orationibus et beneficiis invicem copulamur quemadmodum primitiva Ecclesia, quibus cor unum et anima una erat; quo amore plures accensi mente, possessiones et facultates rerum vendentes, congregatis cum matre Jesu in unum pretia deferebant gaudentes, quæ apostoli accepta tribuebant omnibus, prout opus erat, sicque iste nihilominus Deo inspirante eorum exemplo communitus nostris optat jungi consortiis. Idcirco damus ei communem societatem vivendi nobiscum, quantum a Deo possumus promereri, et nostrum est largiri, quatenus cum electis a remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromissa percipere : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde novitius osculetur prælatum, postea superiorem, et omnes fratres a senioribus inchoando sicut sunt per ordinem; postea osculo pacis dato, **253** *prælatus incipiat :* Veni, Creator. *Finito* Veni, Creator; *dicat prælatus :* Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui renuntiantibus sæculo mansionem paras in cœlo, dilata hujus sanctæ congregationis temporale habitaculum cœlestibus bonis, ut fraternæ teneantur compagine charitatis, unanimes continentiæ præcepta custodiant, sobrii, simplices et quieti, gratis sibi datam gratiam fuisse cognoscant; concordet vita illorum cum nomine, professio sentiatur in opere. Per Dominum.

Item prælatus faciat eum jurare, dicendo hæc verba quæ sequuntur.

Ecclesiæ jura, ordinis statuta, capituli secreta, nonne sic juras [*ms.* juratis] tenere? *Respondeat :* Ita.

(48) Hic nulla fit mentio pilei quadrati, et almutii, sive almutiæ.

Digitized by Google

ORDINARIUM

CANONICORUM REGULARIUM S. LAUDI ROTOMAGENSIS.

(Ex ms. codice ejusdem ecclesiæ.)

PRÆFATIO.

254 Quoniam a nonnullis prædecessoribus sive contemporaneis nostris in ecclesia Sancti Laudi Rotomagensis, cujus nos divina vocante clementia canonici existimus, super ordinatione servitii, licet non in multis, tamen in quibusdam erratum fuisse dignovimus, idcirco ejusdem Domini cooperante gratia, et fratrum nostrorum orationibus suffulti, ad honorem ipsius, et eorum utilitatem, ecclesiæ nostræ servitium in legendis duntaxat, psallendis et cantandis, non rationem assignando de singulis, sed, prout potuimus, usum Ecclesiæ et rerum ordinem observando, sub parvi libelli compendio decrevimus explanare, in quo non arrogantiæ titulis aut lucris temporalibus inhiantes, sed solius charitatis intuitu necessitatibus fratrum (ut diximus) famulantes, verborum obscuritatibus et sententiarum **255** diversitatibus prætermissis, doctrina facili et perspicua modum et ordinem servitii nocturni pariter et diurni, librorum veterum tenorem minime relinquendo; quasdam etiam festorum mutationes nostris factas temporibus inserendo, et si quid defuerit consulte et fideliter apponendo, quantum Dominus inspiraverit et memoriæ nostræ occurrerit, oculis non solum prudentium, sed et simplicium intendimus declarare, a principio Adventus Domini, qui in nostrum adveni e dignetur auxilium, exordium assumentes.

Notum sit igitur omnibus ut semper a quinto Kalendas Decembris usque in tertio Nonas ejusdem mensis, ubi dies Dominicus advenerit, ibi Adventus Domini celebretur unde versus :

Andreæ festo vicinior ordine quovis
Adventum Domini prima colit feria.

Sabbato ante primam Dominicam Adventus Domini ad Vesperas ant. *Benedictus*, psal. Ipsum. Ant. *In æternum*, psal. *Exaltabo te.* Ant. *Laudabo*, psal. *Lauda, anima.* Ant. *Deo nostro*, psal. *Laudate Dominum quoniam.* Ant. *Lauda, Jerusalem*, psal. Ipsum. Capitulum *Erit in novissimis diebus.* ℟ *Ecce dies veniunt.* ℣ *In diebus. Et hoc est. Gloria Patri.* Hymnus *Conditor alme.* **256** Cantores hebdomadæ canant responsorium ad gradus in habitu suo. ℣ *Rorate, cœli.* Ant. *Ecce nomen Domini*, psal. *Magnificat.* Dum cantatur *Magnificat* sacerdos hebdomadarius sumit cappam sericam, et ceroferariis præcedentibus thurificat duo altaria, et priorem si sit in choro, postea in ultimo stallo thurificatur, et post omnes a senioribus inchoando. Oratio : *Excita, quæsumus, Domine. Benedicamus Domino*, quod dicitur a juniore in parte ubi est septimana. Si in ipsa die festum beati Andreæ occurrerit, festum debet differri in crastinum, de quo tamen debet fieri memoria ad Vesperas post primam collectam sub hac antiphona : *Cum pervenisset.* ℣ *Dilexit Andream.* Oratio *Quæsumus, omnipotens Deus*, deinde de S. Laudo antiphona, *Dignus laude*, etc., quæ memoria nullo tempore intermittitur, nisi in festis duplicibus vel triplicibus, et per octavas natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, et tribus diebus ante Pascha, et per octavam Assumptionis.

Per Adventum Isaias propheta ad legendum ponitur, et quanto de Christo prophetavit urbanius et clarius, tanto nativitati ejus legitur proximius. Sciendum autem quod omni Dominica per annum, quando tantummodo officium Dominicale **257** agitur, sex primæ lectiones terminantur de libro, qui tunc temporis legitur, ultimæ vero tres de expositione Evangelii. Hoc quoque observatur, quod in fine lectionum quæ de prophetis sunt, si Domini verba fuerint, *Hæc dicit Dominus*, dicitur; sin aliter : *Tu autem, Domine.*

Prima itaque Dominica Adventus Domini quando Isaias incipitur, ad primam lectionem legatur prologus cum ejusdem libri principio, quam debet lectionem legere cantor

Ad matutinas ejusdem Dominicæ invitatorium : *Ecce venit rex*, psal. *Venite*, duo hebdomadarii cantant, etc. Primum responsorium : *Aspiciens*, quod responsorium cantores hebdomadarii incipiant ad gradus, et dicant primum versum : *Quique terrigenæ*, repetitio : *Ite obviam*, et finitur totum responsorium ad omnes repetitiones; deinde cantor dextri chori commendet versum majori ejusdem chori, scilicet *Qui regis*, quem dicat in stallo suo; chorus *Nuntia*, etc., tota. Interim cantor sinistri chori commendet tertium versum majori sinistri chori, scilicet *Excita, Qui regnaturus.* Et sic dicti cantores ad gradus, *Gloria Patri* subjungant, post quod *Aspiciens* præcentor reincipiat, etc. Nonum responsorium, scilicet **258** *Lætentur cœli*, repetitur, quia *Te Deum laudamus* usque ad Natale intermittitur, et interim classicum pulsatur, et ita semper fit in Dominicis et in festis quando *Te Deum laudamus* non dicitur. *Gloria in excelsis* usque ad natale Domini intermittitur. Quamvis enim boni servi cum gaudio Domini sui adventum exspectent, maximum tamen in ejus præsentia recolunt gaudium; idcirco *Gloria in excelsis*, et aliæ quædam hilaritates sacri officii usque ad præsentiam Dominicæ nativitatis postponuntur, ut devotius tunc et avidius resumantur, et angelicum illud canticum tunc pastoribus cum magna lætitia annuntiatum, quasi novum, in eorum mentibus repetatur.

In capitulo Evangelium *Cum appropinquasset.* Statim post capitulum tam ista die quam omnibus diebus Dominicis, sive omnibus diebus in quibus fit processio, debet ter pulsari signum ad processionem, deinde appellatio ad revestiendum. Tunc revestiantur ministri, interim pulsetur ad tertiam. Pulsata Tertia, et dicto *Pater noster*, sacerdos hebdomadarius aquam benedicat, deinde cantor hebdomadarius illius chori in quo septimana fuerit incipiat *Asperges me.* Interim sacerdos per altaria aspergat aquam, sicut consuetudo se habet, **259** similiter in choro, inde veniens ad gradus dicat versum : *Ostende nobis. Dominus vobiscum. Oremus : Exaudi nos, Domine*, quæ oratio dicenda est canendo omnibus diebus Dominicis, exceptis duplicibus festis, in quibus alia dicitur, scilicet *Ascendant ad te.* Deinde moveat processio, et dicatur hæc antiphona : *Missus est;* tunc eat sacerdos cum bajulo aquæ benedictæ, qui aspergat aquam per officinas, primo in capitulo, ubi dicat hanc orationem : *Absolve, quæsumus, Domine*, deinde in dormitorio, etc., sicut in collectario habentur. In statione claustri finita antiphona dicat sacerdos versum *Fundamenta ejus*, oratio : *Via sanctorum*, legendo. Nota quod ab Adventu Domini usque ad Pascha, statio processionis quæ in medio ecclesiæ solet fieri intermittitur. Ibi incœpta antiphona vel respon-

Digitized by Google

sorio de sancto Laudo a priore, vel hebdomadario [a cantore], si deest prior, processio redeat in chorum. Sacerdos ad gradus dicat versum *Ora pro nobis, beate Laude.* Oratio : *Exsultet, quæsumus, Domine,* et dicatur canendo, ibi et Tertia incipiatur. Deinde pulsetur classicum, et incipiatur missæ officium : *Ad te levavi,* etc , sicut in libris habentur. In fine missæ *Benedicamus.* Tunc accedat lector mensæ ad gradus petens benedictionem, dicendo **260** ter : *Domine, labia mea aperies,* choro respondente : *Et os meum.* Sacerdos ad altare ℣ *Salvum fac servum,* etc., cum oratione, scilicet *Averte, quæsumus, Domine.* Hoc tempore et a Septuagesima usque ad Pascha, ad majorem missam diaconus et subdiaconus casulis utuntur, nisi missa sit de festo, privatis vero diebus in albis sint tempore isto; in Quadragesima autem casulis utantur; ad missam vero de medio festo vel novem lectionum cum solemni apparatu, id est tunica et dalmatica, missæ deserviant. Quando vero casulis utuntur, subdiaconus casulam suam epistolam lecturus deponat, qua lecta eam resumat. Diaconus vero, dum *Alleluia* vel tractus canitur, suam casulam super sinistrum humerum plicatam adaptet, sicque eam usque post communionem portet, dicturus vero *Benedicamus,* reinduat. Ad Sextam et Nonam, sicut in libris. In refectorio homilia *Cum appropinquasset.* Item alius sermo *Satis abunde,* quibus finitis, si opus fuerit, incipiatur Isaias. Ad Vesperas ant. *Sede a dextris,* psal. *Dixit Dominus,* etc. Capitulum *Hora est.* ℟ *Tu exsurgens.* Hymnus *Conditor.* ℣ *Rorate, cœli.* Antiphona *Ne timeas.* Oratio *Excita.*

Per totum Adventum esus carnium et **261** sagiminis dimittitur, caseus et ova conceduntur.

Dominica secunda. Nota quod in talibus Dominicis et novem lectionibus, et in mediis festis, in Vesperis, Matutinis, et Laudibus, cantores septimanæ debent primas antiphonas inchoare, et cæteras commendare descendendo, a senioribus [*ms.* junioribus] incipientes.

Sabbato Quatuor Temporum, eodem die ad missam officium *Veni et ostende.* Sciendum autem quod, cum ante Epistolam dicantur hac die orationes, in nulla dicitur *Dominus vobiscum,* nisi in ultima, scilicet *Deus, qui tribus pueris.* Hac die et omnibus Sabbatis Quatuor Temporum, et Paschæ, et Pentecostes, qui ad missam lectiones vel tractus dicturi sunt, in tabula cerea scripti primitus recitentur, quæ tabula, ita debet fieri.

Hodie ad missam.

Primam lectionem talis, scilicet unus de junioribus.

Secundam	alius, ascendendo.
Tertiam	alius.
Quartam	alius.
Angelus Domini,	unus de senioribus, usque ad ℣ *Benedictus es.*

Tractum *Benedictus es,* duo.

Quatuor gradalia cum versibus suis similiter **262** cantantur sedendo. Tractum [*ms.*, Tractus] *Benedictus es,* duo ad gradus, choro per singulos versus repetente *Et laudabilis.* In fine reincipiatur *Benedictus es.* Tractus *Qui regis,* ab utroque choro alternatim cantetur, primo versu ex illa parte incœpto, qua cantor hebdomadarius exstiterit. In refectorio, lectio : *Anno quinto decimo.*

Antiphonæ *O*, quæ ad *Magnificat* dicantur, 17 Kal. Januarii incipiuntur, et in Vesperis ante vigiliam nativitatis Domini finiuntur. Nonnulli postquam has antiphonas incœperint prostrationes et preces in Vesperis dimittunt; a nobis vero non dimittuntur, sed solitum cursum exsequimur, quarum prima sic incipit : *O sapientia,* etc.

In vigilia nativitatis Domini. Ipsa die post missam matutinalem signum capituli celerius et productius

A solito debet pulsari, ut fratres ad initium capituli omnes undecunque valeant convenire; et ne quis desit, pridie in capitulo omnibus denuntietur; pridie enim, vel ante etiam, si Dominica obstiterit, fratres raduntur. Hac die ad lætitiam et devotionem cordium demonstrandam, et in amorem venientis Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi flagrantius excitandam, locus quo denuntiari debet nostra redemptio, videlicet capitulum, **263** quam honestius præparetur; ubi cum lector pronuntiaverit, dicens : *In Bethleem Judæ Jesus Christus Filius Dei nascitur,* omnes statim in terram se prosternent; prostrati vero, prout devotio ratioque dictaverit, orantes, innuente prælato surgant, et lector reliqua prosequatur. Post hæc pronuntiato Evangelio, scilicet *Cum esset desponsata,* lectaque tabula prælatus dicat *Benedicite.* Tractatis igitur quæ in capitulo tractanda sunt, de missis etiam in crastinum dicendis, qui eas dicturi sunt (49), prælatus provideat. In fine vero capituli tam hujus diei quam octo B subsequentium, psal. *Laudate Dominum, omnes gentes,* dicatur. Abhinc prostratio ad Horas non fiat, hinc etiam Horæ beatæ Mariæ, hinc psalmi familiares dimittuntur, super Horas responsoria cum *Alleluia* dicantur; ut autem spatiatim et diligenter cuncta compleantur, statim post capitulum lectiones audiantur.

Igitur ante missam rite præparatis omnibus, quæ intrinsecus sive extrinsecus præparanda sunt, ante missam totum classicum pulsetur. Ad hanc missam sacerdos honorifice induatur, diaconus sit in dalmatica, subdiaconus in tunica : totum officium festive persolvatur, submissius tamen quam in crastino cantetur. Ad missam, officium *Hodie* **264** *scietis.* Oratio *Deus, qui nos redemptionis.* Lectio in superlicio legatur inter chorum et altare, quæ sic incipit : *Hæc dicit Dominus Deus. Propter Sion.* Qua finita, statim Epistola incipiatur : *Paulus servus Christi.* C Graduale *Hodie scietis,* a duobus in cappis sericis cantatur, et reincipitur. Evangelium *Cum esset desponsata,* cum candelabris et incenso. Offertorium *Tollite portas.* Communio *Revelabitur.* In fine missæ nullum signum pulsetur, sed post breve intervallum duo de majoribus signis ad Nonam.

In refectorio *Cum esset desponsata,* deinde sermo : *Nativitatem Domini,* etc. De regula nostra scilicet : *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus,* quæ per septimanam semel ex præcepto legitur; quod restat, pridie ad cœnam vel ante, ut in quarta feria ante Pascha, perlegatur; tamen infra octavas si opus fuerit ad cœnam potest legi, et maxime in Sabbato, si opportunum fuerit.

Ad Vesperas, primum duo de minoribus signis pulsentur; secundo, tertio et quarto, duo et duo sicut sunt per ordinem, ac deinde omnia. Inter signa hæc, omnia luminaria ecclesiæ accenduntur, scilicet ad gradus chori magnum candelabrum cum D septem cereis, inter chorum et altare septem lampades, ante majus altare tres **265** cerei in bacinis, circa crucifixum quatuor cerei, per singula altaria singuli cerei. Duo in cappis sericis chorum regant, antiphonam primam prælatus incipiat, quam cantor dexter eidem priori imponit, scilicet *Rex pacificus,* psal. *Laudate, pueri.* Cæteras antiphonas incipiant majores, sicut sunt in ordine, impositas a regentibus chorum. Capitulum *Propter hoc sciet,* prælatus dicat in cappa serica, assistentibus ceroferariis. Responsorium *O Juda,* tres cantent in cappis rubeis. Hymnum *Veni, Redemptor,* præcentor incipit. Nota quod ubicunque sit septimana, quando duplex festum occurrit, chorus dexter ita præcellit sinistro quod in Vesperis et Matutinis, in eo, quæ dicenda sunt vel cantanda, incipiantur. Ultimus versus hymni *Laus, honor.* ℣ *Tanquam sponsus.* Antiph. *Dum ortus* a prælato primo et postremo inci-

(49) Ergo non idem sacerdos plures missas celebrabat.

Digitized by Google

pitur, quam imponit ei præcentor, et ter canitur; ipse vero prælatus præcedentibus ceroferariis, et cantore in cappa sibi ministrante, omnia ecclesiæ incenset altaria, rediensque in stallo suo incensetur a cantore, permanentibus ibi ceroferariis; postea incensentur illi qui habent cappas sericas, sicut sunt in ordine, primum in dextro choro, et post in sinistro, postea **266** omnes, a majoribus inchoando. Oratio : *Deus, qui nos redemptionis*, quam prælatus dicit in stallo suo, cantore sibi de libro ministrante. Tres dicant *Benedicamus Domino*. Ad Completorium, antiph. *Miserere*, psal. *Cum invocarem*, etc. Hymnus *Salvator mundi*. ℣ *Custodi nos*. Ant. *Veni, Domine*.

Ad Matutinum primo totum classicum pulsetur, et remanente classico duo minora signa sonent, donec fratres ad ecclesiam conveniant. Invitatorium *Christus natus est*, quod dicant quatuor in cappis sericis. Regatur chorus a duobus hebdomadariis, qui imponant antiphonas, sicut dictum est ad Vesperas, a majoribus inchoantes. In primo nocturno antiphona *Dominus dixit ad me*, quæ imponitur priori. Primum responsorium cantores hebdomadarii in cappis sericis dicant, videlicet *Hodie nobis*, ℣ *Gloria in excelsis*. Cætera responsoria omnia, excepto tertio, sexto et nono, bini cantant; tres in cappis cantant responsorium tertium, similiter sextum, scilicet prior et duo de majoribus. Et nota quod quando prælatus sextum responsorium cum aliis ad gradus cantat, præcentor prius debet coram prælato incipere responsorium, et cantare versum cum *Gloria Patri*, quantum prælato placuerit. Tria **267** Evangelia in cappis sericis legantur. Prælatus legat ultimum Evangelium : *In principio erat Verbum*, præcedentibus duobus ceroferariis, et quoties legit in cappa, vel dicit capitulum seu orationem, assistunt ei. Dum vero nona lectio legitur, præparat se diaconus in dalmatica, subdiaconus in tunica, ceroferarii cum thuriferario in supelliciis, sintque parati ad repetitionem responsorii; noni per chorum ordinate incedentes, videlicet præcedentibus ceroferariis, deinde thuriferario, subdiacono et diacono subsequentibus ante prælatum veniant, ubi diaconus incensum prælato offerat; quo in thuribulo posito, textum accipiens, benedictionem petat : redditoque textu subdiacono ad lectricum inter chorum et altare honeste præparatum, ministris sicut venerant præeuntibus cum magna reverentia, accedat, et genealogiam, non cantando, sed honeste legendo, pronuntiet; qua lecta, et *Te Deum laudamus* a prælato incœpto, diaconus incensum ponat in thuribulo, et cum processione sua altare majus et matutinale (50) incenset, et prælatum postea, cui scilicet prælato subdiaconus textum ad osculandum offerat. Quibus peractis, repositis in locum suum candelabris, dum *Te Deum laudamus* canitur **268** in choro, omnes ministraturi ad primam missam remaneant ultimi. Thuriferarius vero, incensato prius diacono, per chorum incensum ferat, subdiacono sequente cum textu. Sacerdos ad primam missam interim honorifice induatur. Ad *Te Deum laudamus*, duo majora signa pulsantur; et ad versum : *Per singulos dies*, classicum, id est, omnia signa.

Finito *Te Deum laudamus*, dicat prælatus versum : *Ipse invocavit me;* incœptoque ab eo, *Deus in adjutorium*, tunc quando prima antiphona ad Laudes solet imponi, officium ad missam : *Dominus dixit ad me*, in choro præcentor incipiat, quod tertio repetatur. *Kyrie. Orbis Factor*, a duobus in cappis canitur, ceroferarii presbyterum præcedant, tunica et dalmatica habeantur. *Gloria in excelsis* sacerdoti a cantore delatum devote et celebriter ab omnibus decantetur, oratio *Deus, qui hanc sanctissimam*. Lectio inter chorum et altare in supellicio legatur, quæ sic incipitur : *Populus gentium*, qua finita statim Epistola incipiatur, quæ sic incipit : *Apparuit gratia Dei*. Graduale duo cantant in cappis sericis, et reincipiant, videlicet *Tecum principium*, ℣ *Dixit Dominus ad me. Alleluia*, duo canant, adjuncto sibi tertio in cappis, videlicet *Dominus dixit* **269** *ad me*. Sequentia : *Nato canunt omnia*, signa vero non pulsantur. Evangelium cum candelabris et incenso. Cantata vero communione, statim in choro ad Laudes antiphonam cantor incipiat *Quem vidistis*, psal. *Dominus regnavit;* dumque Laudes dicuntur, sacerdos cum ministris sileat. Antiphona secunda *Genuit puerpera;* psal. *Jubilate*. Hanc antiphonam et tres sequentes cantores hebdomadarii commendant, et omnes sine pneumate finiuntur. Capitulum, hymnus, nec versus dicuntur; sed finita antiphona, *Parvulus filius*, sine pneumate, sacerdos ad altare antiphonam, *Gloria in excelsis* a cantore delatam sine mora incipiat, statimque post *Benedictus*, incipiatur et finiatur ipsa antiphona sine pneumate. Post hæc, dicta ratione, ad complendum diaconus subjungat *Ite, missa est*. Quibus expletis, laternis accensis omnes dormitorium petant; hac tantum vice, qui volunt vestiti jaceant. Nota quod ad prædictam missam diaconus defert pacem priori, et cantor assumens a priore defert hinc inde; quod si deest prior, præcentor sumit et defert, ut dictum est.

Cum autem summo diluculo dies illuxerit, unum de majoribus signis pulsetur, quo audito omnes qui ad missam serviturі sunt **270** abluere et revestire accelerent; alii vero expedite surgant, et in choro sedeant, donec pulsetur classicum. Ad hanc missam induantur sacerdos et ministri, sicut solent in Dominicis, tunica et dalmatica albis, ut supra; tunc secretarius debet candelas in choro cantantibus ministrare, sicut et ad primam missam. Officium *Lux fulgebit*, quod præcentor incipit. Lectio *Spiritus Domini*, quæ legatur sicut in præcedente missa, qua finita statim Epistola incipiatur, scilicet *Apparuit benignitas. Alleluia, Dominus regnavit*, a duobus canitur sicut graduale. Evangelium cum candelabris et incenso, non pulsatur classicum. Finita missa in claustrum veniant, manusque lavent, et acceptis libris sedeant. Interim sacerdotes ad missas privatas se expediant.

Ad Primam duo de majoribus signis pulsentur. Post Primam capitulum teneatur, in quo solummodo de amore et dulcedine tantæ solemnitatis debet tractari. Statim post capitulum processio pulsetur; sive Dominica sit, sive non, processio agitur, missa matutinalis intermittitur. Processio fit sine cappis sericis, excepto priore qui habet : subdiaconus tunicam, diaconus dalmaticam habent.

Post Tertiam omnibus rite peractis, ministris **271** quoque ante altare quæ portanda sunt tenentibus, cum præcentor responsorium vel antiphonam inchoaverit, procedunt hoc modo : Primus, qui aquam benedictam portat, deinde qui crucem, post qui candelabra, deinde qui thuribulum, inde subdiaconus cum textu in tunica, et diaconus in dalmatica, post quos incedunt pueri, et reliqui bini et bini, sicut est ordo eorum; post omnes prælatus in cappa serica. Procedentes vero per claustrum nullam stationem faciunt, sed cantantes responsorium ecclesiam ingrediuntur, et ita facta statione ante crucifixum, stent donec quod canitur finiatur; ad quam processionem dicatur responsorium *Descendit de cœlis*. In statione ecclesiæ incipit præcentor responsorium *Verbum caro*, tres in pulpito versum dicant *In principio*. Ad introitum chori prælatus imponat antiphonam a cantore sibi delatam *Hodie Christus natus est*, post hæc prælatus, pronuntiato versu, *Ipse invocavit me*, dicat orationem *Da, quæsumus, omnipotens Deus*. Tunc pulsetur classicum. Officium *Puer natus est, Kyrie, Deus creator omnium. Gloria in excelsis Deo*

(43) Id est, altare missæ matutinalis.

Digitized by Google

a tribus in cappis sericis. Oratio *Concede*. Lectio, *Propter hoc sciet populus*, in cappa serica in pulpito legatur, qua finita statim Epistola : **272** *Multifarie*, etc. Graduale a duobus in cappis in pulpito cantetur *Viderunt*, et reincipiatur. *Alleluia. Dies sanctificatus*, ibidem a tribus in cappis. Sequentia *Christi hodierna*, interim duo de majoribus signis pulsentur.

Quando festivitas ista, vel alia duplex in Dominica occurrit, primum fiat aqua benedicta ab hebdomadario, et ipse statim incipiat Tertiam, quæ dum canitur vadit cum aquæ bajulo per officinas, et solitas complet observantias, postea in chorum horam finiturus revertitur. In talibus festis omnes qui missas non cantant ad communionem vadunt, exceptis illis qui pro aliqua rationabili causa consulto præ-
luto se abstinent, sic etiam in omnibus Dominicis.

Notandum autem quod quando quælibet festivitatum duplicium in quibus prælatus missam debet celebrare, in Dominica occurrit, benedictio super lectorem hebdomadarium ad missam matutinalem
B dabitur. In refectorio lectio *In principio*, deinde sermo *Vox spiritualis Aquilæ*, et alii sermones per septimanam assumantur, cum opus fuerit, post Evangelia dicrum.

Ad Vesperas signa sicut in vigilia pulsantur, cantores chorum regunt; cantor hebdomadarius dextri chori primam antiphonam **273** incipiat, scilicet : *Tecum principium*, ps. *Dixit Dominus*. Alius cantor sinistri chori antiphonam secundam incipiat *Redemptionem*, psal. *Confitebor;* aliæ distribuantur, et finiantur omnes cum pneumate. Capitulum cum cappa et cereis prælatus dicat *Multifarie*. ℟ *Verbum caro*, cantores adjuncto sibi tertio cantent in cappis. Hymnus *A solis ortus cardine*. ℣ *Tanquam sponsus*. Antiphonam *Hodie Christus*, primo et postremo prælatus incipit, et tota canitur, psal. *Magnificat*. Interim prælatus majus altare incenset, per cætera quoque altaria incensum portetur. Oratio *Concede, quæsumus*. Cantores dicant *Benedicamus*
C *Domino*. Statim tres diaconi in cappis rubeis ad gradus incipiant responsorium *Sancte;* tunc eat processio ad altare sancti Stephani, prælatus autem incenset altare; diaconi cantent versum *Ut tuo propitiatus*. Versum *Gloria et honore*, unus de diaconis dicat, Oratio : *Da nobis*, diaconi subjungant *Benedicamus Domino*. Postea redeat processio in chorum cantando *Inviolata*. ℣ *Post partum*, oratio *Deus, qui salutis æternæ*, pueri ad gradus subjungant *Benedicamus*. Ad Completorium antiphona *Miserere*, etc., hymnus *Salvator mundi*. ℣ *Custodi nos*, Antiphona *Alleluia, Verbum*.

274 De S. Stephano duplex festum simplex agitur. Invitatorium a tribus sine cappis sericis, *Christum natum*. Hymnus *Deus, tuorum militum*. In primo nocturno, ant. *Beatus Stephanus*, quam imponat diaconus cantum agens majori in choro dextro post priorem, psal. *Beatus vir.*, antiphona 2 *Constitutus*, quam imponit alius diaconus in sinistro choro majori, etc. Primum responsorium *Stephanus autem*,
D quod cantant duo ad gradus; similiter omnia responsoria bini et bini cantant, prior ponitur ad sextum responsorium, sicut semper in duplicibus festis, et ad nonam lectionem, etc. *Te Deum laudamus*. ℣ *Posuisti, Domine*, quem prælatus dicit. Ad *Benedictus*, ant. *Impii super*, quam prælatus sibi delatam a diacono cantum agente incipiat. Tunc eat processio ad altare, interim prælatus majus altare et matutinale incenset, postea altare beati Stephani; finito psalmo *Benedictus*, et antiphona, sequitur oratio *Da nobis, quæsumus, Domine*, diaconi : *Benedicamus, Domino*. In reditu de Nativitate memoria *Verbum caro factum est*. ℣ *Benedictus qui venit*. De beata Maria *Virgo verbo*. ℣ *Post partum*. Oratio *Deus, qui salutis*, ceroferarii subjungant *Benedicamus*.

Officium ad missam *Etenim sederunt*. **275** *Kyrie, Conditor* a duobus in cappis cantetur. Epistola in pulpito *Stephanus plenus gratia et fortitudine*. Graduale, *Alleluia*, et Evangelium similiter in pulpito, etc.

Ad Vesperas, ant. *Tecum principium*, psal. *Dixit Dominus;* etc., ut supra, capitulum *Stephanus*. ℟ *O martyrum*, hymnus *Deus tuorum*. ℣ *Gloria et honore*, ant. *Patefactæ sunt*, psal. *Magnificat*, interim prælatus majus altare et matutinale incenset. Oratio *Da nobis, Domine, quæsumus*, Cantores tres in cappis *Benedicamus Domino*. Tunc sacerdotes tres de senioribus ad gradus in cappis incipiant ℟ *Apparuit*. Fiat processio ad altare beati Joannis, quod prælatus incenset. ℣ *Cumque complesset*, ℣ *Valde honorandus est*, quem dicat unus de sacerdotibus. Oratio *Ecclesiam tuam*, sacerdotes subjungant *Benedicamus*. In reditu in chorum de Nativitate memoria *Gaudeamus*. De beata Maria memoria *Alma Redemptoris*. ℣ *Post partum*, oratio *Deus, qui salutis*, ceroferarii *Benedicamus*.

De sancto Joanne duplex festum agitur simplex,
B quod dicitur tertiæ dignitatis. Eodem modo per omnia sicut notatum est in festo beati Stephani, sic etiam de Innocentibus et de sancto Thoma sine differentia observatur. (Post Laudes) fiat processio **276** ad altare sancti Joannis, ibi incensato altari, et dicto psalmo *Benedictus*, dicatur oratio *Ecclesiam tuam*. Sacerdotes cantores subjungant *Benedicamus*. De Nativitate memoria, de sancto Stephano memoria, de beata Maria memoria, ceroferarii *Benedicamus*.

Ad Vesperas ant. *Tecum principium*, etc., ut supra, capitulum *Qui timet Deum*, ℟ *In medio*, hymnus *Exsultet*. ℣ *Valde honorandus*, ant. *In medio Ecclesiæ*. Oratio *Ecclesiam*. Cantores subjungant *Benedicamus*. Tunc tres de junioribus, acceptis cappis sericis, ad gradus incipiant ℟ *Dignus a dignis*, et fiat processio ad altare Innocentium, quod prælatus incenset. ℣ *Accipiunt*. ℣ *Lætamini*, oratio *Deus, cujus hodierna*, cantores *Benedicamus*. In reditu de
C Nativitate memoria, de sancto Stephano memoria, de beata Maria memoria.

(*In festo Innocentium.*) In Laudibus processio ad altare eodem modo quo supra.

Ad Vesperas. Cantores hebdomadarii adjuncto sibi tertio in cappis sericis ad gradus incipiant ℟ *Miles Christi*. Fiat processio ad altare beati Thomæ eodem modo quo dictum est de aliis.

(*In festo S. Thomæ.*) Ad Laudes fiat processio ad altare, sicut supra.

277 In vigilia Epiphaniæ, nona cum duobus de majoribus signis pulsetur.

Solemnitas Epiphaniæ cum magna reverentia celebratur, quia in ipsa multa sacramenta recoluntur. Altaria quoque omnia parantur, signa pulsantur, ut supra dictum est, præter ad Matutinas, tunc enim ad excitandos fratres non pulsatur classicum, sed duo minora signa. Omnia luminaria quæ circa majus altare sunt, exceptis tribus cereis qui sunt coram altari, accenduntur. Ante singula altaria, sin-
D gula luminaria ponuntur. Ad Vesperas cantores hebdomadarii chorum regunt in cappis albis. Prima antiphona *Tecum principium*, imponitur priori, cæteræ similiter senioribus imponuntur et sine pneumate finiuntur; prior in cappa ad gallos deaurata dicat capitulum *Surge, illuminare*. Responsorium in cappis croceis et rubea : *Reges Tharsis*. Hymnus, *Hostis Herodes*, versus *Omnes de Saba*. Antiphona *Magi*, bis imponitur, et ter canitur. Oratio *Corda nostra*.

Ad Matutinum invitatorium et hymnus non dicuntur, sed antiphona ad priorem delata ab ipso incipitur sic : *Afferte Domino*, psalmus ipse, etc. In tertio nocturno, ant. *Venite*, psalmus ipse, stando psallatur totus. **278** Tantum in die dicatur prædicta antiphona cum psalmo; per octavam, ant. *Adorate Dominum*, psal. *Cantate* t. etc. Homilia in cappa legitur cum ceroferariis. Nonum reponsorium *in Columbæ*, a tribus in cappis canitur, nec iteratur.

Digitized by Google

Ad legendum Evangelium *Factum est*, accedat diaconus cum processione, sicut dictum est in nativitate Domini.

Ad missam officium *Ecce advenit*. Cantores adjuncto tertio ad gradus in cappis cantent *Kyrie*, *Fons bonitatis*; in pulpito, graduale *Omnes de Saba*, *Alleluia*, *Vidimus stellam*, etc.

In refectorio lectio *Cum natus esset*, cum sermonibus ad idem festum pertinentibus.

Ab octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam leguntur Epistolæ beati Pauli, et per idem tempus quotidie bis comeditur, etiam feria sexta de consuetudine approbata.

Summopere autem provideatur ut ante Septuagesimam Epistolæ beati Pauli finiantur; proinde etiam si tempus breve fuerit, a crastino Circumcisionis in refectorio incipiantur. Historia *Domine, in ira tua*, ante Dominicam post octavam Epiphaniæ nunquam incipitur; quando vero in prima Dominica post octavam Epiphaniæ Septugesima **279** occurrit, tunc ex necessitate dimittitur. B

Feria secunda, in Laudibus antiphona : *Miserere*, psalmus ipse, capitulum ad Laudes omnibus feriis usque ad diem cinerum : *Vigilate et orate*. Prostrationes et preces resumuntur. Nota quod si tempus longum fuerit, et non suffecerint Epistolæ beati Pauli ad lectionem refectorii usque ad Septuagesimam, assumendæ sunt lectiones sanctorum.

Sabbato ante Septuagesimam, *Alleluia* ante Nonam dicitur, in Vesperis tacetur. Hac tamen die, quando purificatio beatæ Mariæ occurrerit, quia Vesperæ de festo erunt, *Alleluia* in ipsis dicatur, et etiam in Completorio, de Septuagesima tunc ad Vesperas memoria tantum fit. Ab illo die usque Paschæ Vesperas : *Laus tibi, Domine, rex æternæ gloriæ* pro *Alleluia* dicitur in principio Horarum.

Ad Matutinum invitatorium *Præoccupemus faciem*, etc. Ad primam lectionem legitur prologus cum initio Genesis. Primum responsorium *In principio fecit Deus*, etc. Nonum responsorium reincipitur. Versus *Excelsus super omnes*. Sancta quippe Ecclesia abhinc usque ad Pascha organa sua, videlicet cantica lætitiæ *Alleluia*. *Te Deum* **280** *laudamus*, *Gloria in excelsis Deo*, *Ite missa est*, suspendit. C

Per totum tempus Septuagesimæ, sicut dictum est in prima Dominica Adventus, ad magnam missam diaconus et subdiaconus casulis utantur.

Dominica in Quinquagesima, in refectorio lectio *Assumpsit Jesus*. Sermo *Fides est religionis*. Ab hac die quæcunque festivitas occurrat jejunium non solvitur.

In Capite jejunii invitatorium *In manu tua*, etc. His quatuor diebus ad Matutinum et Vesperas tantum capitula propria dicuntur et orationes, sicut in omnibus aliis diebus Quadragesimæ; ad Horas vero dicitur collecta Dominicalis, scilicet *Preces nostras*.

Sciendum est quod a Capite jejunii de festo trium lectionum nihil fit usque ad Pascha, nisi commemoratio tantum, et missa matutinalis si in Dominica evenerit, excepto in ramis Palmarum. Sciendum est quod si in Capite jejunii festum novem lectionum occurrat, in crastinum differendum est. In capitulo lectio *Cum jejunatis*. Hac die et omni feria quarta et sexta Quadragsimæ tenendum est silentium in claustro; debet etiam unusquisque, loco processionis quæ illis diebus solet fieri, statim post exitum **281** a capitulo dicere psalmum *Miserere mei, Deus*.

Post Nonam, dum psalmi familiares dicuntur, a secretario unum de majoribus signis tribus vicibus modicum pulsetur, quo audito omnes in choro se discalceent, nisi propter asperitatem frigoris eis misericordia fiat a prælato. Deinde veniente prælato ante majus altare cum sacerdote hebdomadario et ministris, ubi tapetum debet esse expansum, incipiat prælatus antiphonam *Parce, Domine*, et dicant ibi prostrati septem psalmos, similiter conventus in choro. Finitis psalmis sine litania cum *Kyrie*, *eleison* A tantum, erigens se prælatus, et stolam assumens, stans ante altare absolutionem faciat; diaconus ministris ad sedes suas in chorum reversis, sacrista cineres, quos de palmis præteriti anni paravit, afferat; quos ipso tenente prælatus benedicens, et subpriore aspersorium ministrante aqua benedicta aspergens, stolam ipsi subpriori tribuat, et sibi primo cineres imponat et aqua aspergat; deinde stolam resumat, ac eidem subpriori cæterisque fratribus cum magna cordis contritione venientibus, et coram se genua flectentibus cineres imponens, singulis dicat : *Memento quia cinis es*, etc., subpriore singulos **282** aspergente. Interim cantetur antiphona *Immutemur*, cum versibus psalmi *Deus misereatur nostri*; repetatur, quantum opus fuerit. Post datos cineres, parata processione, dicat prælatus in sede sua in choro versum *Ostende nobis : Dominus vobiscum*. Oratio *Concede nobis, Domine*, postea inchoata antiphona, *Exaudinos, Domine*, per claustrum ad processionem exeant. Nullus in hac processione ecclesiasticis indumentis debet indui. Percantata antiphona ante refectorium cum uno versu psalmi *Salvum me fac*, subjungatur alia *Juxta vestibulum*; qua ante introitum ecclesiæ finita, litaniam duo cantores incipiant, quibus pronuntiantibus *Sancte Joannes Baptista*, processio ingrediatur ecclesiam, quæ dum percantatur ad gradus, interim sacerdos et ministri revestiantur. Finita litania sine oratione officium incipiatur *Misereris omnium*. Hac die ac deinceps in omni Quadragesima diaconus et subdiaconus omnibus diebus usque ad cœnam Domini ad magnam missam de tempore debent in casulis ministrare, etiam diebus Dominicis. Oratio *Præsta, quæsumus, Domine*, cui diaconus debet præponere *Flectamus genua*, et sic omnibus feriis Quadragesimæ. Epistola *Convertimini ad me*, quæ dum legitur fratres recalceent **283** se. Graduale *Miserere mei*. Tractus *Domine non secundum*, alternatim debet cantari. Evangelium *Cum jejunatis*. Offertorium *Exaltabo te*. Ad Vesperas primum signum, quando *Sanctus* cantatum est, pulsari incipiat, ad secundum *Per omnia*, cesset; post *Agnus Dei*, secundum signum. Communio *Qui meditabitur*, qua finita debet pulsari tertium signum. Ad ultimam orationem, quæ dicitur super populum, dicat diaconus *Humiliate capita vestra*, post quam orationem classicum infertur. Sacerdos qui missam celebravit (nisi fuerit duplex festum, vel dies Sabbati in quo hebdomadarius hebdomadæ sequentis Vesperas inchoat) Vesperas ibidem ad altare incipiat. Post Vesperas facto brevi intervallo pulsetur cymbalum, et eant cœnatum.

(Feria sexta.) Sciendum tamen quod a Capite jejunii usque ad cœnam Domini singulis diebus, nisi in Dominicis, post Tertiam septem psalmi cum litania dicuntur : in diebus festivis post Primam immediate.

Dominica prima in Quadragesima, ad missam, officium *Invocavit me*, etc. Tractus *Qui habitat*, quem quatuor alternatim canant, etc. Hac die post Completorium sacrista cortinam inter chorum et altare protendat, tunc etiam cruces et **284** imagines cooperiat. A secunda feria Quadragesimæ usque ad Pascha, exceptis festis, ad initium principalis Horæ dum *Gloria Patri* dicitur, ab omnibus simul super formas venia petatur. D

Sciendum quod in omnibus missis quæ de Quadragesima dicuntur cortinæ debet esse collecta dum Evangelium legitur, sed lecto Evangelio statim expandatur; quando vero festum celebrandum est, finita missa diei præcedentis statim colligatur cortina, quæ tamen ipsa die dum missa de Quadragesima canitur debet esse protensa; in qua missa se fratres super formas ad canonem non incurvent; qua die post Completorium nisi aliud festum occurrat, cortina, sicut solet, extendatur.

Notandum quod feria secunda Quadragesimæ ad

Digitized by Google

collationem incipendæ sunt homiliæ Quadragesimales.

(*Sabbato — temporum.*) Sabbato ad missam, officium *Intret oratio.* Oratio *Populum tuum*, ad quam dicatur *Flectamus genua*, et dicatur sine *Dominus vobiscum*, cum omnibus sequentibus, excepta ultima ante Epistolam. Lectio, *Angelus Domini* legatur usque ad illum versum *Benedictus es in firmamento;* exinde enim tractus incipitur, cujus primum versum dimidium quatuor fratres simul, reliquos **285** bini et bini dicant; chorus vero primum versum ab eo quod dicitur *Et laudabilis*, accipiat. Tunc post finem cæterorum versuum *Hymnum dicite*, semper sedendo repetat. Postquam tractus fuerit finitus a prædictis quatuor, primus versus reincipiatur. Hunc tractum in suis nigris cappis laneis canunt, in quo (sicut in suprascripta Dominica descriptum est) vicissim sedeant. *Dominus vobiscum*, oratio *Deus, qui tribus pueris*, sine *Flectamus genua*. Epistola *Roganus vos*. Tractus *Laudate Dominum*, in choro alternatim cantetur. Missa ista una collecta tantum finitur.

Dominica tertia Quadragesimæ, ad Completorium antiphona *Media vita*, psal. *Nunc dimittis*. In canendo istam antiphonam, cum venitur ad locum, ubi dicitur *Sancte Deus*, debent omnes ter in profestis diebus prosterni, in diebus vero festivis tantum inclinari.

Dominica in Passione, ad primas Vesperas, ant. *Benedictus*, etc. ℟ *Circumdederunt.* ℣ *Quoniam tribulatio*, sine *Gloria Patri*, iterum *Circumdederunt.* Notandum quod responsoria tam ad Matutinum quam ad Horas quæ cum *Gloria* solent dici, reincipiuntur usque ad Pascha. Quod si festum celebrari contingat, vel missa dicatur quæ **286** non sit de passione, *Gloria Patri* solito more dicitur.

Dominica in ramis Palmarum. In Laudibus ant. *Occurrunt turbæ*, psal. *Benedictus*. Hic sciendum quod, dum transit processio beatæ Mariæ per terminos parochiæ nostræ ferendo corpus Domini ad locum deputatum, audito cymbalo ejusdem processionis, debent pulsari duo de majoribus signis in honorem Dominici corporis. Ad Primam mane pulsetur, missa matutinalis intermittitur. In capitulo lectio *Cum appropinquasset.* Statim post capitulum processio pulsetur. Ad Tertiam pulsetur, postea benedicatur aqua, et solito more asperguntur fratres; deinde dicta oratione : *Exaudi nos, Domine*, incipit hebdomadarius Tertiam, quæ dum canitur, ipse cum aquæ bajulo more solito aspergit officinas. Post Tertiam statim ordinetur processio, videlicet aqua benedicta, candelabra, et crux discooperta. Omnes debent tam presbyteri parochiales quam alii fratres huic processioni interesse. Antiphona *Ante sex dies*, etc. In introitu ecclesiæ beatæ Mariæ. ℟ *Christi Virgo*, etc. In de ingressi chorum ecclesiæ beatæ Mariæ more se habeant aliorum. Debet cavere clericus sacristiæ quod singulis canonicis nostris ramos distribuat benedictos. Dum rami **287** distribuuntur, canitur antiphona *Pueri Hebræorum*, etc. In reditu processionis, ant. *Cæperunt omnes.* ℟ *Dominus Jesus.* Item ℟ *Cum audisset turba.* Cum ad portam civitatis processio venerit fit statio, pueris super portam canentibus *Gloria, laus.* In introitu civitatis responsorium *Ingrediente Domino.* ℣ *Cumque audisset*, tunc iterum debent pulsari duo de majoribus signis. In introitu ecclesiæ Sancti Laudi, responsorium *Circumdederunt me*, facta in basilica statione, versus a duobus canitur. Finito responsorio prælatus genua flectendo delatam sibi antiphonam a cantore *Ave, rex noster*, ter incipiat; tantum dicens *Ave, rex noster*, conventus per singulas vices, similiter genua flectendo, idem repetat, interim crucifixus paulatim discooperiatur; ad ultimum tota antiphona cantetur. Ad introitum chori, ℟ *Collegerunt*, versus a tribus de senioribus ad gradus cantetur : *Unus autem;* interim conventus sedeat. Post versum dicta repetitione antiphonæ *Ne forte*, subjungat præl.atus ℣ *Benedictus qui venit*, choro respondente *Hosanna in excelsis.* Oratio *Omnipotens sempiterne.* Tunc possunt ministri de suis necessariis providere. Pulsato classico inchoatur Officium *Domine, ne longe.* Sacerdos et ministri procedentes **288** ad altare palmas manibus gestent. Ministri casulis induti sint. Tractus a quatuor cantetur, sicut prima Dominica Quadragesimæ. Ad passionem *Dominus vobiscum* propter Dominicam dicatur, sed *Gloria tibi, Domine*, loco suo taceatur. *Credo.* Offerenda *Improperium*, quæ dum canitur primo ministri palmas offerant, deinde prælatus, et reliqui bini et bini ordinate venientes, quas sacrista suscipiat. Propter laborem officii post prandium dormiant; cumque tempus surgendi fuerit, unum de minoribus signis pulsetur, quo audito in claustrum venientes, primo (sicut mos est) manus lavent, deinde pulsata Nona procedant. Hujusmodi meridiana observantia a Pascha usque ad Kalendas Octobris, exceptis diebus jejuniorum in quibus post Nonam comeditur et dormitur, teneatur. Hac die et deinceps usque ad Kalendas Octobris conventus in claustro sedens silentium teneat.

Feria quarta ad missam *Passio Domini*, sine *Dominus vobiscum* et sine *Gloria tibi, Domine. Appropinquabat dies festus;* hora qua diaconus dixerit *Velum templi scissum est*, cortina cadere permittatur.

Ad Vesperas et usque ad missam in crastino signa sicut in Dominicis pulsentur **289** prælatus debet cantare Vesperas. Ad Vesperas antiphona *Beatus vir*, psal. *Nisi Dominus ædificaverit*, etc. Capitulum *Attende, Domine.* ℟ *Circumdederunt me*, quod cantare debent cantores ad gradus in cappis sericis. Hymnus *Vexilla regis*, ant. *Tanto tempore*, quam prælatus incipiat, et duo altaria incenset; statim incœpta antiphona, incipiatur *Magnificat.* Oratio *Respice, quæsumus, Domine*, quæ tribus diebus sequentibus ad omnes Horas dicatur, præter ad Primam et Completorium. Cantores in cappis sericis dicant : *Benedicamus Domino.* Nota quod quando annuntiatio Domini hac die occurrerit, Vesperæ de festo aguntur. Regula ad prandium hac die legatur. Completorium hujus diei solito more dicitur absque prostratione. Hac die si quid in ecclesia, vel in claustro, vel in cæteris officinis mundandum fuerit, emundetur.

Feria quinta in cœna Domini custos ecclesiæ sollicite provideat ut ea hora ad Matutinum surgatur, quod ante lucem suo modo spatiose nocturnum Officium compleri valeat. Hac die sicut et in sequentibus duabus, ad Horas fit prostratio. In Matutinis istorum dierum per singulas noctes viginti quatuor candelæ ante majus altare præparantur, quarum singulæ ad initium cujusque **290** antiphonæ vel responsorii exstinguuntur. In hac quinta feria ad Matutinum pulsato classico, non dicitur *Domine, labia mea aperies*, neque *Deus, in adjutorium meum; Gloria Patri* penitus intermittitur; invitatorium quoque non canitur, sed primam antiphonam prælatus incipiat mediocri voce, sic : *Zelus domus tuæ.* Psalmus *Salvum me fac*, qui cum imponitur veniam super formam omnes petant, sic ad Matutinum, Laudes et singulas Horas his tribus diebus faciant. Antiphonæ et versiculi sine pneumate finiantur. Prælatus legat nonam lectionem. Responsorium nonum *Revelabunt*, etc., iterum, *Revelabunt*, interim pulsetur classicum. Finito nono responsorio, non dicatur versus, sed statim antiphona *Justificeris, Domine*, prælato imponatur, psal. *Miserere mei, Deus*, etc. Dum psalmus *Laudate Dominum de cœlis* canitur, lumen a sacrista recondatur, et si quæ sunt per ecclesiam luminaria exstinguantur; deinde ubi finita antiphona prælatus antiphonam *Traditor autem* imposuerit, subito illa candela quæ remanserat exstinguatur, sicque *Benedictus*, et cætera quæ sequuntur in tenebris dicantur. Post *Benedictus*, finita antiphona

Digitized by Google

duo fratres in dextra cruce ecclesiæ primo incipiant *Kyrie, eleison*, quibus **291** alii duo in sinistra cruce similiter *Kyrie, eleison* respondeant; deinde duobus prioribus iterum *Kyrie, eleison* repetentibus, duo de majoribus ad gradus a cantore præmuniti subinferant *Domine, miserere*; chorus subjungat *Christus Dominus factus est*. Quo audito, illi qui in sinistra cruce sunt, *Christe, eleison* dicant, duo ad gradus. ℣ *Qui passurus advenisti*. Illi de dextra cruce: *Christe, eleison*, duo ad gradus. ℣ *Qui discipulos*. Illi de sinistra: *Christe, eleison*, duo ad gradus. ℣ *Agnus innocens*. Dicto versu, illi illum ad gradus incipiant *Domine, miserere*. Chorus: *Christus Dominus factus est*. Iterum illi de dextra cruce: *Kyrie, eleison*. Illi de sinistra: *Kyrie, eleison*, iterum in dextra: *Kyrie, eleison*. Ad gradus: *Domine, miserere*. Chorus: *Christus Dominus*. His ita finitis, mox ut prælatus *Mortem autem crucis* pronuntiaverit, super formas se prosternent. *Pater noster*, cum precibus et psalmo *Miserere mei, Deus*, et oratione *Respice, quæsumus*, unus quisque per se dicat *Amen*. Postea prælato sonitum dante lumen profertur Accensis laternis, dormitorium petatur. Mane surgentes fratres solito more usque ad Primam se habeant, excepto quod missas familares non dicant.

Pulsata Prima, *Pater noster* prostrati præmittant, **292** et sine *Deus, in adjutorium*, et hymno, hebdomadario incipiente antiphonam *Justificeris*, psal. *Deus, in nomine. Beati immaculati, Retribue*, sine *Quicunque vult*, submissius solito canant. Quibus dictis, statim responsorium *Unus ex discipulis*, ille cui cura canendi responsoria super Horas commissa est, incipiat, et versum canat, responsorium reincipiat subjungens versum *Christus factus est*. Quo facto prostrati, unusquisque per se sub silentio solitas preces usque confessionem dicat, confessio in audientia fiat, deinde preces quæ sequuntur, et *Miserere mei, Deus*, cum solita oratione: *Domine, sancte Pater*, sub silentio finiantur. Sicque facto signo surgant, capitulum intrent, ubi pronuntiato kalendario, *Isti sancti et omnes alii*, sub silentio ab unoquoque dicatur; quo dicto, immente prælato, lecto *Convenientibus vobis in unum* sine *Jube Domne*, et sine *Tu autem*, legatur, statimque tabula recitetur. Defuncti si fuerint pronuntientur, illisque absolutis, dicto *Benedicite*, primo, sicut mos est, de ordine tractetur, de inde quæ agenda sunt usque ad crastinum capitulum ordinentur. In fine capituli exeant nihil dicentes, et per istud tempus ex toto in claustro et in aliis officinis plus solito silentium observent.

293 Post capitulum indicet prælatus præposito et elecmosynario quot pauperes ad Mandatum assumi debeant; qui ante Tertiam masculi et integri corporis, ne infirmis fratribus molestiam inferant, tot eligantur quot in monasterio fratres sani et infirmi habentur, et quot eodem anno obierunt; quatuor etiam ad prælatum, et alii tot quot ipse pro familiaribus loci in Mandato habere judicaverit, adducantur. Horæ hujus dici et duorum sequentium simili modo, quo supra dictum est de Prima, canentur cum precibus: *Ego dixi, Domine*, et oratione: *Respice, quæsumus*, hac tamen die paulo altius quam in duobus sequentibus dicuntur. Post Tertiam dicatur missa ad crucifixum infirmis fratribus, et familiæ, et pauperibus, qui ad Mandatum electi [*add.*, sunt]. Finita vero missa, elecmosynarius ducat pauperes ad locum ubi aqua calida pedes lavent; dum vero Sexta cantur ipse et præpositus introducant eos in claustrum, faciantque sedere in parte claustri juxta ecclesiam hoc modo: Quatuor pauperes prælato in medio faciant sedere, juxta quos hinc et inde alios collocent, omnia etiam, quæ ad Mandatum sunt necessaria, videlicet aqua calida, bacinia, lintea ad tergendas manus et pedes pauperum præparentur.

A Finita **294** ergo Sexta, in capitulum coadunentur fratres, ubi cappas deponentes, præeunte prælato sequuntur bini et bini; quo ante suos pauperes consistente dexter chorus ad dextram ejus transeat, sinister remaneat ad sinistram. Tunc omnibus per ordinem ante pauperes suos astantibus, et ad illos conversis, prælatus ad instar Domini Jesu accincto linteo præcingat se, et dicat preces: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, Ostende nobis, Domine; Domine, exaudi orationem; Dominus vobiscum*. Oratio: *Actiones nostras*. Postea cantor incipiat antiphonam *Dominus Jesus*. Inter m prælatus humiliter et devote primo suis pauperibus pedes lavet, linteo tergat, capillis etiam ad exemplum illius mulieris detergat et osculetur, cui sunior qui ad dexteram ejus est de bacinis serviat. Nullus, excepto prælato, linteo se præcingat, sed cum ordinis ex una parte omnibus lintea mittet, quæ eam uni de fratribus injungat ut similiter ex altera parte faciat. Dum hæc agantur,
B semper antiphona *Dominus Jesus*, per singulos versus psalmi *Beati immaculati*, repetatur. Lotis pedibus omnium, rursum prælatus suis pauperibus aquam manibus tribuat; eleemosynarius quater quatuor nummos, quos illis offerat, ministret. Quibus et manus **295** offerens osculetur, dehinc ex utraque parte singuli eis quibus pedes laverunt aquam manibus tribuant, supradictum scilicet ordinem observantes, ut inferiores a superioribus bacinia recipiant. Camerarius cum collega suo, sicut lintea, ita mantergia tam prælato quam fratribus omnibus subministret; eleemosynarius vero singulis duos nummos pauperibus tribuendos ministret, quos omnibus pauperibus, quibus aquam ministraverunt, similiter manus osculando offerant. Peracto tandem hoc sancto et pio mentibus devoto obsequio, cantuque terminato, inclinati dicant ter *Kyrie eleison*, *Pater noster*; prælatus dicat *Et ne nos*, preces *Tu mandasti. Tu lavisti pedes discipulorum. Domine,*
C *exaudi orationem. Dominus vobiscum*. Oratio *Adesto, Domine*; deinde ad lavatorium manus abluant, resumptisque cappis, facto parvo intervallo de suis necessitatibus sibi provideant. Pauperes ducantur ad eleemosynariam, ubi data unicuique præbenda (50*) in eorum arbitrio relinquitur vel ibi comedere, vel secum deportare. Dum vero Nona cantatur, prælatus cum ministris honorifice induatur. Antequam hora finiatur, secretarius unum de majoribus signis, ter modicum pulset. Archiepiscopus (51) vel episcopus loco ejus eo die **296** absolutionem solitus est fratribus impendere; quos si forte contigerit non adesse, dictis septem psalmis absque *Gloria Patri*, sicut factum est in capite jejunii, prælatus eos absolvat; facta autem absolutione, omnia signa productius solito in classicum pulsentur, sicque chordæ usque in Sabbato sancto religentur. Missa solemniter et devotissime celebretur. Officium *Nos autem gloriari*, cantores hebdomadarii in cappis
D chorum regant. Oratio *Deus, a quo Judas*, sine *Flectamus genua*. Epistola *Convenientibus vobis*. Graduale *Christus factus est*. Versus *Propter quod*, iterum *Christus*. Evangelium cum candelabris et incenso *Ante diem festum paschæ*. *Credo* dicitur, præfatio non dicitur (51*). Diaconus tot hostias ponat ad sacrandum quot hodie et crastino sufficiant ad communicandum. His quatuor diebus nullus se, nisi rationabili causa, a communione debet subtrahere. *Communicantes. Hanc. Qui pridie*, sicut in missali reperiuntur, ita dicantur; *Agnus Dei* cantur, sed pax non datur. Communicatis omnibus, cantata communione, *Dominus Jesus*; prælatus ad altare antiphonam *Calicem* imponat, qui, dum psalmi vespertinales in choro cantantur, cum suis ministris ipsos psalmos dicens, hostias in crastinum reservandas **297** in corporalibus componat, ponens-

(50*) Præbenda est victus necessarius.

(51) Canonici S. Laudi ab archiepiscopo absolutionem accipiebant in die cœnæ Domini.

(51*) Scilicet propria de cruce, sed communis.

Digitized by Google

que corporalia plicata super calicem diacono portanda tradat, quo illa cum magna diligentia portante, præcedente processione cum qua ad altare venerat, ac prælato subsequente vadant ad locum ad hoc decenter præparatum, in quo idem prælatus corpus Domini a diacono susceptum caute et honeste reponat, incensato loco ante repositionem et post, ubi quandiu corpus Dominicum manserit lumen continue ardeat. Hoc expleto, ad altare redeant. Primus psalmus *Credidi propter*, etc.; cantata antiphona, statim prælatus ad altare incipiat antiphonam *Cœnantibus autem;* psal. *Magnificat*, antiphona sine pneumate finiatur; prælatus vero statim subjungat *Dominus vobiscum* et orationem, diaconus *Benedicamus Domino*.

Post missam conventus in choro sedeat exspectans donec prælatus, depositis quibus indutus erat vestimentis, alba viliori reinduatur, interim altaria nudentur. Præcedente autem prælato ad lavanda altaria, subpriore et secretario aquam et vinum præferentibus cum ante majus altare venerint, prælatus dicat *Adjutorium nostrum in nomine Domini. Domine, exaudi orationem. Dominus vobiscum*, oratio *Actiones nostras*. Tunc **298** debet incipi in choro responsorium *Circumdederunt me*, postea de responsoriis nocturnis, quantum opus fuerit, donec omnia altaria laventur; prælatus vero, postquam altare quodlibet aqua abluerit, vinum infundat super illud in modum crucis, dicens orationem illius sancti cujus est altare. Omnibus altaribus ita ablutis, prælatus redeat ante majus altare, et dicat versum *Christus factus est*. Oratio *Respice, quæsumus, Domine*. Depositis igitur a prælato ecclesiasticis indumentis, et conventu a suis necessariis reverso, post modicum temporis subprior ad ostium refectorii cum instrumento sibi a cantore præparato faciat sonitum ad refectionem, neque enim hodie et in crastino ad refectionem pulsatur cymbalum vel campana. Tunc ingressi refectorium, et stantes in ordine suo, dato signo a prælato sine tintinnabulo dicatur *Benedicite.* ℣ *Edent pauperes*, sine *Gloria Patri*, et sine *Kyrie, eleison. Pater noster* tacite dicant, dicatque sacerdos hebdomadarius humili voce *Oremus, Benedic, Domine*, etc., et responso *Amen*, lectio sine benedictione incipiatur, et sine *Tu autem* finiatur. Finita cœna, dato signo a prælato dicant ℣ *Memoriam fecit*, sine *Gloria*, et sacerdos *Agimus tibi gratias*, sicque cantando **299** psalmum *Miserere mei, Deus*, ad ecclesiam pergant; quo finito, sine *Gloria, Kyrie, eleison, Pater noster* et preces tacite dicant, et sic egrediantur.

Post hæc dum servitores comedunt, præparentur omnia ad Mandatum fratrum. In capitulo ornetur lectricum ubi legendum est Evangelium, similiter in refectorio aliud lectricum ante ultimum gradum ponatur; super gradus etiam cathedra in qua prælatus sedeat convenienter aptetur. Ablutis itaque fratrum in infirmaria pedibus, et omnibus paratis ut hoc sanctum officium spatiose et devote, ut dignum est, possit impleri, postquam servitores refecerint, mature ad Mandatum a cantore tabula feriatur; et cum omnes in capitulum convenerint, prælatus, vel si deest, ille qui vices ejus tenuerit, ad exemplum Domini surgat, et ponat vestimenta sua, et accepto linteo præcingat se, mittat aquam in pelvim ante ostium capituli, veniensque in capitulum cum sacerdote hebdomadario, qui ei aquam debet ministrare, ante gradus preces dicat et orationem sicut in Mandato pauperum. Deinde subpriori in sede ipsius prioris sedenti primo pedes abluat, tergat et osculetur, deinde erga cæteros, prout ordo exigit, a dextro choro incipiens, humilitatis **300** exhibeat implementum; unusquisque autem fratrum, statim ut ita lotus fuerit, prosternatur, et terram humiliter osculetur. Interim cantentur antiphonæ, cantore incipiente antiphonam *Mandatum novum*, etc. Postquam vero omnium pedes loti fuerint, prælato ad sedem suam reverso, subprior præcinctus linteo pedes ejus et fratris qui ei ministraverit, serviente sibi hebdomadario minoris missæ, abluat, tergat et osculetur; quo facto, rursum prælatus accipiat bacinia, et adjutore suo manutergium ministrante, omnibus per ordinem, sicut pedibus, sic lavandis manibus aquam fundat, et osculetur; idem officium subprior cum suo adjutore prælato et socio suo persolvat. Diaconus lecturus Dominicum sermonem, et cæteri qui ei serviturі sunt competenti hora ad præparandum se prius lotis pedibus exeant, induatur dalmatica, subdiaconus tunica, ceroferarii in supelliciis; jamque finito mandato cum *Kyrie, eleison;* et solutis [*f.*, solitis] precibus, et oratione *Adesto, Domine*, procedant illi de vestiario, quibus ingredientibus capitulum assurgat conventus. Tunc diaconus, accedens cum processione sua ad prælatum, ex more ei incensum offerat, et benedictionem accipiat, qua accepta ad lectricum sermonem **301** Domini in cœna ad discipulos habitum in modum lectionis legat, ita incipiens : *Ante diem festum Paschæ*, conventu stante donec primum versum finiat. Sedentibus vero omnibus, stent hinc et inde ceroferarii cum thuriferario, postea cum diaconus dixerit : *Surgite, eamus hinc*, præcedente processione omnes in refectorium eant, ubi dato signo a prælato dicant *Benedicite*, et prælatus, *Potum charitatis benedicat dextera Dei Patris*, subjunga'. Tunc incipiat diaconus *Ego sum vitis vera*, etc. Tunc subpriore in loco prioris sedente, cæteris quoque in suis locis sedentibus, prælatus a subpriore incipiens, singulis manus osculans potum charitatis offerat, quem refectorarius cum alio fratre scyphis potum infundens, præcedat, post omnes ipsis etiam qui sibi ministrant potum prælatus porrigat, deinde sedenti ipsi in sede sua subprior simili modo de potu serviat, nullus vero bibere præsumat donec a prælato accipiat; lecto autem de Sermone, quantum prælato visum fuerit, ipso innuente diaconus sine *Tu autem* finem faciat; sicque dato signo a mensis surgentes, dicto a prælato versu *Benedictus Deus in donis suis*, præcedentibus ministris ad ecclesiam pergant, et Completorium dicant. Interim diaconus et cæteri **302** ministri plicatis vestibus in refectorium bibituri simul pergant, simulque ecclesiam reversi Completorium dicant, et ad conventum redeant. Ad Completorium dictis simul psalmis *Cum invocarem; In te, Domine, speravi; Qui habitat; Ecce nunc; Nunc dimittis*, cum antiphona *Oblatus est*, et cantato responsorio *Judas mercator pessimus*, adjuncto versiculo *Christus factus est pro nobis*, prostrati dicant *Kyrie, eleison* in silentio, *Pater noster* et *Credo*, cum solitis precibus usque ad confessionem. Confessio tantum in audientia fiat. *Miserere*. Oratio *Illumina, quæsumus, Domine*, et ita dicta trina oratione, surgentes, et aqua benedicta aspersi dormitorium petant.

Feria sexta, hæc tabula in cera in capitulo recitetur :

Hodie 1 lectionem frater talis, scilicet unus de minoribus.
Secundam frater talis, scilicet subdiaconus hebdomadarius.
Primum tractum *Domine, audivi*, talis et talis, scilicet duo mediocres in ordine.
Secundum tractum *Eripe me* D. talis et D. talis, scilicet duo seniores.
Passio Domini, D. talis scilicet præcentor.
303 *Populeus*, D. talis et D. talis, scilicet præcentor et alius mediocris.
Agios, D. talis et frater talis, scilicet duo levitæ juniores.
Crux fidelis, D. talis et D. talis, scilicet duo mediocres.

Licet ita se habeat consuetudo approbata, tamen præcentor potest secundum personarum possibilitatem ordinare.

Ad Matutinum autem secretarius ad ostium dor-

Digitized by Google

mitorii ad excitandos fratres sonitum suum faciat hora competenti. Matutinæ eodem modo quo supra dictum est in cœna Domini dicuntur. Hac die postquam fratres mane surrexerint nudis pedibus, donec Officium compleatur, maneant nisi jussu, prælati pro nimia frigoris asperitate se calceent, quod quando evenerit, Officio tantum erunt [*leg.* intererunt] discalceati. Ipsa die singuli simul totum ex ordine psalterium in claustro dicant. Capitulum usque ad *Benedicite*, sicut hesterna die agatur, in quo lectio legatur *Festinemus ingredi* (*Hebr.* IV), recitata vero tabula et dicto *Benedicite*, statim consuetudines quæ ad Officium pertinent legantur. Quibus lectis, si non fuerit magna necessitas loquendi, innuente prælato exeant nihil dicentes; si autem causa aliqua existat quæ differri non debeat, **304** quam compendiosius tractetur; nulla enim hora hujus diei fuit vacua a passione Domini, unde et nobis per singulas Horas hæc de illo meditandi materia debet esse, ut, quomodo sputa, probra, colaphos, alapas, spineam coronam, flagella, crucem, clavos, fel, acetum, mortem, lanceamque pertulerit, jugiter recordemur, et tota hac die in his assidue meditemur. Horæ, Tertia, Sexta et Nona, non ut a quibusdam continuatim, sed ut pridie divisim dicantur, et eodem modo finiantur (52). Quando autem propter nimium frigus per totam hanc diem oportuerit fratres calceatos existere, tunc tamen quia (ut dictum est) Officio nudis pedibus debent interesse, finita Nona statim in dormitorium calceamenta deponere pergant, statimque ad ecclesiam redeant. Cantata Nona, conventu in choro exspectante, ministri altaris revestiri accelerent. Ministri, sicut in privatis diebus, exceptis casulis induantur, prælatus vero albis vestibus non paratis se induat, et casula purpurea, si eam habet; si non, una de mediocribus induatur; qui cum finita Hora nudis pedibus, diacono et subdiacono tantum sine candelabris præcedentibus, similiter nudis pedibus ad altare veñerit, non modo confessionem faciat, sed dicto tantum : **305** *Pater noster*, et signans se, mox lectore incipiente primam lectionem, sessum eat. Altare tantum uno linteamine sit coopertum, candelæ non accendantur circa illud, utraque lectio sine titulo legatur, prima lectio sic incipiatur in superlicio inter chorum et altare, *Hæc dicit Dominus : In tribulatione sua*, qua finita, tractus *Domine, audivi*, a duobus ad gradus cantetur, choro per singulos versus repetente *Consideravi opera tua*. Post tractum dicatur oratio *Deus a quo et Judas*, ad quam dicatur *Flectamus genua*. Post orationem legat subdiaconus secundam lectionem, non ut Epistolam, sed in modum lectionis, ita incipiens : *Dixit Dominus ad Moysen*, qua lecta, tractus *Eripe me* a duobus et choro alternatim cantetur; omnes vero qui legunt vel cantant, vel ad altare de candelabris serviunt, solis superliciis vel albis induantur, sed nullus hodie alba parata debet indui. In passione cum dixerit diaconus : *Partiti sunt vestimenta mea*, sint juxta altare illi duo qui ultimum tractum dixerunt, unus hinc et alius inde, qui trahant ad se duo lintea, quæ ante Officium ad hoc idem ibi fuerant posita. Finita autem passione, incipiat prælatus solemnes orationes; et cum in omnibus *Flectamus genua* diaconus **306** dixerit, in ea tantum, quæ pro perfidis Judæis fit, non dicat, nam quia ipsi Redemptori nostro genu irridendo in passione flexerunt, Ecclesia, illorum exhorrescens facinus, pro illis tantum in oratione genua non flectit : *Oremus, dilectissimi, Deum*, etc. Circa finem harum orationum, secretarius ante majus altare ubi crux adoranda est, tapetum extendat et desuper linteamen; orationibus vero finitis, prælatus et ministri depositis in vestiario casula, stolis, et manipulis, in chorum veniant in albis, stetque ipse prælatus ultimus. Tunc duo sacerdotes in albis depost altare crucem præparatam accipientes, juxta idem altare a dextris stantes coopertam eam omnibus repræsentent cantantes : *Populo meus*, quibus duo levitæ in casulis stantes inter chorum et altare : *Agios*, ter veniam petentes, respondeant; ad quæ chorus similiter ter genua flectens, *Sanctus, sanctus, sanctus* subjungat. Prædicti sacerdotes circa finem responsionis chori paulnlum progredientes, tacente choro, alium versum dicant *Quia eduxi te*, quibus levitæ *Agios*, et chorus *Sanctus*, respondeant. Iterum sacerdotes aliquantulum procedentes tertium versum canant *Quid ultra debui;* levitæ *Agios*, et chorus *Sanctus*, respondeant. Tunc sacerdotes tantum **307** progressi, ut jam loco, quo crux adoranda est, assistant, crucem subito discooperientes, incipiant antiphonam *Ecce lignum crucis*, ad quam omnes conversi, mox ut crucifixum Dominum extensis brachiis, ad exemplum reconciliationis suæ nos invitantem conspexerint, et fons ille pietatis manans de latere pendentis Domini, patens in ablutionem peccatoris et menstruatæ, intuentium oculis occurrerit, quantæ devotionis affectu erga tantum beneficium accendantur, ostendant, terræ siquidem quoties ipsa antiphona incipitur se prosternentes adorent Dominum, ipsam terram osculantes. In fine quoque antiphonæ cum dixerint *Venite, adoremus*, genua flectant; ipsa vero antiphona ter ab illis qui crucem tenent reincipiatur, qua primo cantata subjungatur primus versus psalmi *Beati immaculati*, secundo alius qui sequitur; tertio præcantata, statim in choro antiphonam *Crucem tuam* incipiant, ad quam et quoties incipitur in terram se prosternant, quæ etiam ter dicatur cum tribus versibus psalmi *Deus misereatur nostri*. Postea a duobus in albis ad gradus chori incipiatur, *Crux fidelis*, et dicantur versus hymni *Pange lingua*, quandiu crux adoratur, choro per singulos versus repetente **308** *Crux fidelis*. Prælatus, cum primo discooperta cruce *Ecce lignum* incipitur, statim accedens toto corpore ante ipsam crucem se prosternat, et solus, ut sibi placuerit, in libro, vel sine libro, orationem suam, brevem tamen faciat; cæteri vero omnes cum ante crucifixum Dominum bini et bini similiter toto corpore prostrati jacuerint, sine libro, sed ex intima cordis intentione, prout ipse quem adorant inspiraverit, suam orationem compleant compendiose. Cum prælato quando adorabit subdiaconus prope eum jaceat coadorans. Cumque ipse surrexerit, osculata cruce, tunc ipse subdiaconus accedat. Interim illi qui *Agios* dixerunt depositis casulis, in locum sacerdotum qui crucem adhuc tenent succedant, ipsique sacerdotes postquam, adoraverint, iterum crucem teneant, et tunc diaconi adorent, post quos ab utroque choro bini et bini, a majoribus incipientes, ordinate et cum magna reverentia adorare veniant. Jam vero cum ad osculandos crucifixi Domini pedes accedunt, et illæ fixuræ clavorum illeque sanguinis rivulus, quibus oscula imprimuntur ad memoriam redeunt, quid amoris, quidve dulcedinis intentæ menti conferre debeant, cogitandum est potius quam dicendum. **309** Prælatus postquam adoraverit non in chorum redeat, sed quandiu crux adoratur, vel ad altare orans, vel ubi sibi melius videbitur, sedeat. Postquam omnes adoraverint, si populus adest qui adorare debeat, deferatur crux in alium locum, quæ si per chorum portatur, flectant omnes genua, non simul, sed sicut ante singulos transierit; si vero populus in adorando moram fecerit, afferat secretarius aliam crucem, quam accipiant illi, qui *Populo meus* dixerunt et elevantes incipiant antiphonam *Super omnia ligna*, sicque in eminenti loco reponant, omnes vero flexis genibus adorantes antiphonam finiant. His peractis, prælatus ac ministri resumptis stolis et manipulis, solo prælato calceato et casula induto, cum thuriferario et ceroferariis pergant ad

(52) Mos persolvendi horas canonicas consequenter et indivisim improbatur.

Digitized by Google

locum ubi pridie corpus Domini posuerunt, ibique incensato eo prælatus illud tradat diacono reportandum, interim secretarius aliud linteamen super altare extendat; cumque altari appropinquaverint, adorent omnes flexis genibus corpus Domini, quod prælatus a diacono recipiens super altare consueto more componat. Tunc in præsentia ejus diaconus in calice vinum et aquam mittat, quæ postquam incensaverit, ablutis manibus, et facta **310** confessione cum ministris, mediocri voce incipiat *Oremus, Præceptis salutaribus*, et finiat *Pater noster*, choro respondente *Sed libera nos;* postea dicat solito more *Libera nos, quæsumus, Domine*, et cum dixerit *Per omnia sæcula sæculorum*, et responsum fuerit *Amen; Pax Domini* non dicat, nec pacis osculum porrigat, sed sumat de sancto, et ponat in calice nihil dicens, sicque se et cæteros cum silentio communicet; sanctificatur enim vinum non consecratum, per corpus Domini immissum. Quod in memoriam sepulturæ ejus, corpus Dominicum a quinta feria reservatum a fidelibus sexta feria sumitur, hoc designat, quia a fidelibus Dominus ea die est sepultus. Nec reservatur sanguis eo quod ab infidelibus est effusus. Innocentius propterea dicit hac die sacramenta non celebrari, ita : *Neque enim decet* (inquit) *ut ea die Veritas a fidelibus in sacramento immoletur qua pro se ab infidelibus dignata est immolari.* Postquam vero omnes communicaverint, incipiatur in choro antiphona *Calicem salutaris*, et cum aliis, quæ pridie dictæ sunt, antiphonis et psalmis, suaviter, sicut cæteræ Horæ vesperæ cum capitularibus, precibus, et psalmo *Miserere mei, Deus*, finiantur. Oratio *Respice, quæsumus*, etc., quisque per se finiat. Prælatus **311** cum ministris, compositis quæ circa altare componenda sunt, Vesperas cantando in vestiarium redeat. Post Vesperas omnes egressi ab ecclesia, ablutis pedibus se calceent; deinde post parvum intervallum percussa tabula refectorium ingressi, ante cœnam et post, ut pridie, cuncta compleant. In mensa non nisi panis et aqua, et herbæ crudæ apponantur; cibi enim fratrum, sicut aliis diebus, coquantur, et de coquina ad eleemosynam portentur; solitus quoque cibus [*leg.*, potus] pauperibus detur. De infirmioribus fratribus qui in conventu sunt præpositus sollicitus sit. Quia vero Officium in crastino solito tardius agendum est, propter laborem post collationem in refectorio potum chari atis omnes accipiant. Ad collationem legatur sermo sancti Joannis Constantinopolitani, scilicet : *Hodierna die Dominus noster pependit.*

Completorium, ut pridie, finiatur. Hac autem nocte meditandi de Christo sit materia; ejus, post tanta quæ pertulit, requies in sepulcro, ac per illius descensum ad inferos ineffabile illud magnumque gaudium miserorum tandiu præstolatum, tamque subito præsentatum, quos captivato mortis imperio secum ab inferis Christus eduxit, ut, dum per ista meditando mens **312** ducitur, in pace in idipsum dormiat et requiescat (*Psal.* IV).

Sabbato sancto Paschæ, cuncta quæ supra dicta sunt de Officio noctis et diei usque ad Officium missæ eodem ordine compleantur. Ad Matutinum, in primo nocturno antiphona *In pace in idipsum*, etc. In Laudibus, ant. *O mors*, etc. *Kyrie, eleison*, eodem modo quo pridie.

Summo mane ornetur tota ecclesia, capitulum sicut in cœna Domini teneatur, lectio *Christus assistens pontifex*. Post capitulum statim fratres radantur, ut scilicet pro gaudio tantæ solemnitatis ad Officium omnes rasi inveniantur, et in lectis interim singulorum munda et nova mutatoria ponantur a camerario. Post Sextam lectiones prævideantur, altaria cooperiantur; et festivo modo ad ostendendam tam ineffabilis gaudii solemnitatem intrinsecus et extrinsecus dignissime cuncta adornentur, ita ut præcipue apparatus mentis in tanta resurrectionis gloria non negligatur.

Post Nonam eant omnes fratres in dormitorium, cappas deponant, ac munda supellicia cum caputiis, si opus fuerit, omnes induant; decet namque ut in reparationis suæ solemniis ad instar angelorum, qui festivitatis hujus gaudia in albis vestibus **313** nuntiarunt, ipsi quoque et mente et veste candidi appareant; ministri quoque altaris induantur cultioribus indumentis, diaconus dalmatica, subdiaconus tunica, tres in supelliciis ad aquam, crucem, et thuribulum ad processionem deportanda. Prælatus etiam pretiosis ornetur indumentis; omnibus honeste præparatis, facto sonitu, conventus in chorum veniat, tunc ordinata processione ante altare ad locum ubi novus ignis benedicendus est ordinate procedant hoc modo : ante omnes secretarius cum hasta cui cereus infixus sit, in quo ignem reportaturus est, incedat; post quem aquæ bajulus, deinde qui crucem portat, quem sequitur thuriferarius, quem diaconus et subdiaconus subsequuntur; deinde conventus, prælato ultimo cappa serica induto. Cumque ad ignem pervenerit, omnibus in ordine stantibus, accedat prælatus et ignem benedicat, aqua benedicta eum aspergens. Tunc thuribulum de carbonibus novi ignis impleatur, et a secretario cereus in hasta accendatur; in laterna quoque candela, unde cereus, si forte exstinctus fuerit, reaccendatur; in omnibus quoque officinis, exstincto veteri igne, novus ab aliquibus deportetur : tunc a cantore antiphona *Cum rex gloriæ*, incipiatur. Conventus vero in **314** chorum processione redeat, eamdem antiphonam percantando, qua cantata incensum a prælato benedicatur hoc modo : *Veniat, omnipotens Deus*, etc. (*Benedictio cerei paschalis*). Interim subdiaconus in choro ultimus assistat, prælatus etiam in sede sua sit, diaconus vero statim ad consecrationem cerei accedat hoc modo : *Exsultet jam angelica.* Omnibus vero astantibus, et ad tanti luminis consecrationem intentis, cum diaconus dixerit *Suscipe, sancte Pater*, sit paratus thuriferarius qui ipsi diacono incensum offerat, quod ille in thuribulo ponens cereum tantum incenset, ante Officium enim a secretario quinque grana incensi in modum crucis in ipso cereo debent esse infixa. Thuriferarius post incensatum cereum, donec idem consecratus sit, ibidem cum thuribulo fumigante consistat; rursum cum diaconus dixerit *In honore Dei rutilans ignis*, secretarius cereum de novo igne accendat; et cum adjunxerit *Qui licet sit divisus in partes*, accendat etiam duos cereos ex utraque parte magni cerei in candelabris infixos. Cereus usque in crastinum post Completorium non exstinguatur, qui etiam per totam hebdomadam ad majorem missam et Vesperas accendatur. Peracta consecratione cerei, prælato et ministris in vestiarium revertentibus, statim prima lectio incipiatur **315** *In principio fecit Deus*, tunc exstinguantur duo cerei in candelabris usque ad missam. Tunc et prælatus indutus una de mediocribus planetis, cum diacono et subdiacono tantum dalmatica et tunica exutis ad altare procedens, non modo confessionem dicat, sed præmisso : *Pater noster*, et osculato altari, cum suis ministris sedeat. Primam lectionem subprior legat, cæteras alii sicut sunt in ordine primi, etc. His ita peractis, prima litania ad gradus a pueris, si adsunt; si non adsunt, a tribus de minoribus de conventu incipiatur; hæc litania in choro finiatur; prælatus vero incœpta litania cum ministris in vestiarum secedat, deponensque casulam, et cappam induens in chorum ad sedem suam veniat. Finita prima litania, tres alii fratres secundam litaniam incipiant. Cum autem pronuntiabunt *Sancte Joannes Baptista*, jam ordinata processione ad fontes cum magna veneratione procedant, procedentibus per ordinem, primo illo qui crucem portat, deinde ceroferariis, post illo qui fert cereum ad consecrandos fontes præparatum, subdiacono quoque cum libro, et diacono cum chrismatorio, ac deinde illis, qui

Digitized by Google

litaniam dicunt, subsequente conventu cum priore ultimo. Quo cum pervenerint, stantibus **316** illis qui sacra portant citra fontes, illi tres qui litaniam canunt, ante crucifixum ipsam finiant; qua finita, statim prælatus stans ibidem ante fontes, a dextris habens diaconum cum chrismatorio, et a sinistris subdiaconum cum sacramentario, intret in consecrationem fontium hoc modo : *Oremus, Omnipotens*, etc. Quam dum exsequitur, stet ille qui crucem tenet juxta fontes de contra, versa facie ad ipsos fontes, juxta quem hinc inde stent ceroferarii eodem modo; qui vero cereum tenet juxta diaconum sit. Magnus ad fontes cereus non portatur, sed alter quidam qui a cereo benedicto illuminatur, et ab uno acolytho, si adsit, ad fontes portetur. Consecratis vero fontibus chrisma non infunditur, donec, si qui adfuerint, aquam benedictam hauserint ad domos suos deportandam. Provideat etiam secretarius ut ex eadem aqua reservet in crastinum, unde (sicut mos est) aspergantur altaria, fratres, et officinæ, nam in die sancto Paschæ sacerdos aquam nullatenus benedicit. Deinde (sicut mos est) chrisma cum oleo infundatur, et fontes consecrati candido linteamine operiantur, incensentur, et claudantur. Completo itaque hujus Officio, tertia litania a tribus in cappis sericis ante crucifixum **317** incipiatur, cumque pronuntiaverint : *Sancte Joannes Baptista*, processio in chorum redeat; prælatus interim cum ministris in vestiarium secedat, seque ad missam solemniter præparet; diaconus quoque dalmatica et subdiaconus tunica induantur. Jam vero finita litania, quæ ter dicto *Agnus Dei*, sicut in libris plenius continetur, fluiri debet. Cum cantor *Kyrie, eleison* inchoaverit ad missam, præcedentibus ceroferariis cum thuriferario ad altare procedant, quo cum pervenerint confessionem solito more faciant. Secretarius circa finem litaniæ omnia luminaria ecclesiæ de novo igne accendat, quia omnis anterior ignis debet esse exstinctus ut omnino æterni ignis luce illuminemur. Postea dum *Gloria in excelsis Deo* a cantore priori delatum, tractim et spatiose canitur, omnia signa in classicum pulsentur. Epistola inter chorum et altare legatur. *Alleluia* præcentor, et qui cum eo chorum regunt in pulpito solemniter imponant, et cantato versu *Confitemini*, iterum *Alleluia* repetant, deinde tractus *Laudate Dominum*, ad gradus a duobus de senioribus in supelliciis canetur, choro medietatem singulorum versuum canente. Ante Evangelium candelabra non portentur, sed tantum incensum. **318** *Credo* non dicitur, nec *Agnus Dei*, nec pacis osculum datur. Dum *Sanctus* canitur, incipiant pulsari Vesperæ, sicut in festis duplicibus, ita ut, postquam omnes communicaverint, sonet classicum, quo cessante cantor *Alleluia* celebre incipiat, tunc psalmus *Laudate Dominum* cum magna exsultatione decantetur, deinde alleluiatica sine pneumate finiantur, inde enim usque ad Vesperas Sabbati sequentis, tam in antiphonis quam in versiculis, pneumata omnino intermittuntur; similiter et antiphonæ quæ dicuntur ad *Benedictus* et *Magnificat* non repetuntur. Præcantato prædicto alleluiatico, mox prælatus ad altare antiphonam a cantore sibi delatam, hoc modo incipiat : *Vespere autem*, qua finita, post *Magnificat* orationem ad complendum subjungat; sicque dicto *Ite, missa est* a diacono, missa et Vesperæ pariter finiantur. Post hæc egressis de ecclesia, facto spatio cymbalum percutiatur; deinde refectorium ingressis, pulsata scilla (52*) dicatur solito more ℣ *Edent pauperes et saturabuntur* cum *Gloria Patri* et *Kyrie, eleison*; hebdomadarius dicat : *Et ne nos*, etc. Ad lectionem detur benedictio. In refectorio lectio : *Vespere sabbati quæ lucescit*, etc. Sermo : *Maria Magdalene vidit Dominum resurgentem*, etc. Post cibum similiter **319** cuncta solito more compleantur, excepto quod pro psalmo luctus et pœnitentiæ *Miserere mei, Deus*, psalmus lætitiæ et exsultationis *Confitemini Domino*, qui proprie est de resurrectione commutetur, qui usque ad cœnam sequentis sabbati tam ad prandium quam ad cœnam quotidie frequentatur. Ad Completorium dictis quatuor psalmis : *Cum invocarem; In te, Domine, speravi; Ecce nunc : Nunc dimittis*, cum brevi alleluiatico, sine capitulo, sine hymno, pronuntiato versiculo tantum *Confitemini Domino*, dicatur confessio, deinde *Dominus vobiscum*, oratio *Spiritum nobis, Domine*. Eodem modo per totam hebdomadam hæc Hora dicatur, addito responsorio *Hæc dies*. Post completam, facta trina oratione, aqua benedicta aspersi dormitorium petant.

In die sancto Paschæ ad Matutinum omnia signa pulsentur in classicum, sicut supra dictum [*add.* est] in Natali Domini. Homilia in cappa serica legatur. Per totam hebdomadam ad Laudes et Vesperas capitulum, hymnus et versiculus non dicuntur. Ad Primam, sine hymno, antiphona *Angelus Domini*, psalmi : *Deus in nomine; Beati immaculati; Retribue*, sine capitulo per tot in hebdomadam, sicut et cæteræ Horæ dicuntur. Responsorium ad omnes Horas per totam **320** hebdomadam, exceptis Matutinis : *Hæc dies*, cum *Alleluia*. ℣ *Confitemini*, dicatur confessio per totam hebdomadam, *Dominus vobiscum*. Oratio *Deus qui hodierna die*. Sic per totam hebdomadam ad Primam. In capitulo lectio *Maria Magdalene*. In fine capituli hujus diei et sex sequentium, imo in omnibus duplicibus festis, psalmus *Laudate Dominum, omnes gentes*, dicitur. Abhinc usque ad octavam Pentecostes ad aquam benedictam aspergendam, antiphona *Vidi aquam* cantatur. Sciendum tamen quod statim post capitulum debet pulsari ad processionem, deinde ad Tertiam. Cantata Tertia, ordinata processione, statim cantor incipiat dictam antiphonam *Vidi aquam*. Dum autem Tertia decantatur hac die, et omnibus diebus in quibus processio fit in cappis, cantor per chorum cappas distribuat. In processione hujus diei, quæ per claustrum ducenda est, dicatur antiphona *Sedit angelus*; quæ sic protrahatur ut in ecclesia facta statione ante crucifixum, versus ejusdem antiphonæ a tribus fratribus in pulpito decantetur, deinde incœpta a prælato antiphona *Christus resurgens*, chorum ingrediantur, iterum versum *Dicant nunc* tres ad gradus decantent; pronuntiato versiculo **321** *Surrexit Dominus vere*, et dicta oratione diei, pulsetur classicum, et officium missæ solemniter imponatur : *Resurrexit*, etc. In refectorio lectio : *Maria Magdalene*, et sermones qui sequuntur.

Vesperæ hoc modo agantur. Ad Vesperas antiphona *Angelus autem*, psal. *Dixit Dominus*. Ant. *Et ecce terræ*, psal. *Confitebor*. Ant. *Erat autem*, psal. *Beatus vir*. Responsorium *Hæc dies*. Deinde cantores adjuncto tertio ad gradus dicant *Alleluia, Angelus Domini*, cum utroque versu, postea subjungatur sequentia *Victimæ paschali*; qua finita sine versiculo, antiphona imponatur *Et respicientes. Dominus vobiscum*, oratio *Concede, quæsumus*. Dicto *Benedicamus*, statim ordinetur processio hoc modo : primo procedat ille qui crucem tenet, sequuntur ceroferarii cum thuriferario, post quos incedit hajulus cerei illius cum quo fuerunt fontes consecrati, diaconus cum chrismatorio. Tunc inchoata in sinistro choro antiphona *Præ timore autem*, conventus ordine cantando psalmum *Laudate, pueri*, ad fontes procedat, quo cum pervenerint, incensatis fontibus, post finem antiphonæ, sine versu et sine *Dominus vobiscum*, dicatur collecta *Præsta, quæsumus*; qua finita cum antiphona *Sedit angelus*, paulatim **322** divertentes crucifixo appropinquant, et incensatis ibi altaribus, et finita antiphona, dicatur versus : *Dicite in nationibus*, deinde oratio *Deus, qui pro*

(52*) **Scilla, seu skilla, id est, campanula.**

Digitized by Google

nobis Filium; inde imposita in dextro choro antiphona *Respondens autem*, cum psalmo *In exitu Israel de Ægypto* in chorum redeant, sicque post collectam, quæ sine versu et sine *Dominus vobiscum* dicenda est, videlicet *Præsta, quæsumus*, ceroferarii *Benedicamus Domino* subjungant, et hoc modo usque in quartam feriam Vesperæ decantentur. Ad Completorium antiphona *Alleluia*, psalmi : *Cum invocarem; In te, Domine, speravi; Ecce nunc; Nunc dimittis*, sine capitulo et hymno; *Hæc dies quam*, dicatur confessio, etc., sicut supra dictum est.

Feria secunda Psalmus *Venite* in duplici cantu dicatur per tres dies. In hac hebdomada si festum trium lectionum occurrat, in primis quatuor diebus de eo nihil fiet, cæteris vero diebus commemoratio tantum, quæ commemoratio dicenda est post ultimam collectam quæ dicitur in choro, solemnitas autem novem lectionum usque post octavam Paschæ ex toto reservetur. Sciendum etiam quod tres dies qui supra dicti sunt venerabiliter sicut festa tertiæ dignitatis excoluntur, reliqui vero tres **323** ex more Dominicalis Officii. Ad Vesperas sicut pridie, processio ad fontes, ut supra.

Dominica in albis, ad primas Vesperas antiph. *Alleluia*, psal. *Benedictus*, etc. Capitulum omnibus Sabbatis usque ad ascensionem Domini : ad Vesperas : *Si consurrexistis cum Christo.* ℟ *Surrexit Dominus.* ℣ *Qui pro nobis*, etc. Hymnus *Chorus novæ Jerusalem.* ℣ *Mane nobiscum.* Ant. *Surgens Jesus*, psal. *Magnificat.* Oratio *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus.* Ad processionem antiphona *Rex noster.* Tunc conventus cum thuriferario, ceroferariis, celebrante in cappa serica, sine cruce, canendo hanc antiphonam ad crucifixum pergat, ubi, incensatis altaribus duobus, post finem antiphonæ dicat sacerdos versum : *Dicite in nationibus*, oratio *Deus qui pro nobis*, nisi festum aliquod occurrat de quo oporteat fieri memoria, quia tunc debet præcedere memoria, de festo; deinde cum antiphona de reliquiis *Lux perpetua* in chorum redeant, inde pronuntiato, non a presbytero sed ultimo, versu *Vox lætitiæ*, dicatur oratio *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum tuorum.* Hoc modo processio fit ad crucifixum cæteris Sabbatis usque ad ascensionem Domini, quæ pro nullo festo, etiamsi duplex sit, intermittitur. Tamen quando inventio **324** sanctæ crucis in Dominica occurrit, ad Vesperas quidem ad crucifixum itur, sed cum cantu de festo, sicut in ipsa festivitate scriptum est. Post cœnam psalmus *Miserere mei, Deus*, resumitur.

In omnibus Dominicis usque ad ascensionem Domini, nisi festum occurrerit, sit missa matutinalis de Resurrectione. Dicta Dominica in capitulo lectio *Cum esset sero.* In refectorio lectio *Cum esset sero.* Finitis homeliis Evangeliorum paschalium, statim Actus apostolorum incipiantur, quibus lectis Apocalypsis apponatur, postea Epistolæ canonicæ subjungantur.

Ab hac Dominica post albas Officium pro defunctis, psalmi familiares, et cætera quæ pro reverentia dierum intermissa fuerant, recuperantur. Hoc tamen tempore usque ad octavam Pentecostes tres psalmi de pace, quia cum prostratione solent dici, intermittuntur. Genuflexiones, quas venias appellamus, hoc tempore postponuntur, exceptis illis quas accipiunt illi qui in choro in cantu vel psalmodia fallunt.

Feria secunda Rogationum, statim post *Pretiosa* pulsetur ad Primam. Post capitulum facto brevi intervallo pulsetur ad Tertiam, statim post Tertiam ministri altaris revestiantur. Post Sextam Officium *Exaudivit* **325** *de templo*, etc. Hac die post missam, dum fratres in dormitorium cappas induere propter processionem perrexerint, secretarius unum de majoribus signis ter modicum pulset, inde, cum opus fuerit, in chorum redeant, interim omnes qui in processione portare aliquid debent albis se induant. Tunc ordinata processione incipiat cantor *Exsurge, Domine*, cum versu *Deus, auribus nostris*, et *Gloria Patri.* Interim hebdomadarius, sicut est in cappa sua lanea, aqua benedicta aspergat majus altare, deinde conventum, postea dicat ℣ *Ostende nobis misericordiam tuam, Dominus vobiscum*, oratio *Præsta, quæsumus.* Tunc incipiat cantor *Surgite, sancti.* Movente igitur processione procedant vexilla, sequuntur per ordinem aqua, crux et cerei, deinde capsulæ cum reliquiis sanctorum, postea conventus, prælato ultimo subsequente. Finita antiphona sequitur responsorium *Beatus Nicolaus*, inde de sancto Hermelando ℟ *Vir Israelita;* in introitu ecclesiæ beatæ Mariæ ant. *Alma Redemptoris,* ℣ *Post partum Virgo*, oratio *Famulorum tuorum*, inde chorum sinistrum ingrediantur. Inde egrediente processione imponat cantor responsorium *O præclare;* quo finito cum versu, de Magdalena sequitur antiphona *In diebus illis;* **326** postea de sancto Martino antiphona *O Martine.* De sancto Clemente ℟ *Ora pro nobis, beate Clemens*, cum versu. De sancto Vincentio ℟ *Agnosce*, sine versu. Postea incipiantur septem psalmi *Domine, ne in furore*, etc. In introitu ecclesiæ Sancti Eligii ℟ *Miles Christi*, ℣ *Ora pro nobis, beate Eligi*, oratio *Da, quæsumus, omnipotens Deus.* In reditu ℟ *Sancte Eligi*, cum versu *O sancte.* Movente autem processione de Sancto Salvatore incipiant duo fratres litaniam sic : *Salvator mundi.* Litania ista secundum quantitatem itineris vel producatur, vel brevietur; cumque chorum ingressi fuerint, pulsetur classicum. Finita litania dicat sacerdos versum *Vox lætitiæ.* Oratio *Clamantes ad te, Domine.* Post parvum intervallum pulsetur ad Nonam, et dicatur.

Feria tertia. Hac die usque ad motum processionis tam in missis et horis quam in ordinatione processionis, omnia fiant sicut ordinata sunt feria præcedente. In motu igitur processionis imponat cantor antiphonam *De Jerusalem exeunt*, etc. Sequuntur septem psalmi : *Domine, ne in furore*, etc. In ingressu Sancti Gervasii ℟ *In circuitu tuo*, ℣ *Lux perpetua*, ℣ *Vox lætitiæ*, oratio *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus.* Finito sermone, in reditu ℟ *Concede nobis.* **327** ℣ *Adjuvent nos.* De sancto Nicolao ℟ *Ex ejus tumba*, ℣ *Catervatim.* In recessu de Sancto Nicolao incipitur a quatuor fratribus litania sic : *Humili prece*, etc. Et sic usque ad ecclesiam Sancti Laudi proceditur. Ingresso conventu in chorum pulsatur classicum, versus et oratio ut supra; deinde post parvum spatium pulsatur ad Nonam, et dicitur.

Feria quarta, ad missam Officium *Omnes gentes*, etc. Statim pulsetur ad Nonam, et dicatur, deinde ordinetur processio, sicut prius. In ecclesia Sanctæ Trinitatis responsorium *Honor virtus,* ℣ *Benedicamus Patrem*, oratio *Populum tuum, Domine.* In recessu de eadem ecclesia, ℟ *Summæ Trinitati,* ℣ *Præstet nobis.* Postea a quatuor fratribus cantetur litania sic : *Rex, Kyrie.* In statione ante ecclesiam Sancti Audoeni, ant. *Gaudent in cœlis,* ℣ *Vox lætitiæ*, oratio *Propitiare, quæsumus, nobis, Domine.* In recessu iterum *Rex, Kyrie*, ingresso conventu in chorum pulsetur classicum, et dicatur oratio sicut supra. In refectorio lectio *Sublevatis Jesus oculis.*

In vigilia ascensionis Domini, tam ad Vesperas quam ad Matutinum et cæteras horas, pulsentur signa, sicut determinatum est in Epiphania Domini. Ad Vesperas antiphona : **328** *Vado parare*, psal. *Nisi Dominus ædificaverit domum*, etc.

Ad Matutinum quatuor in cappis sericis cantent invitatorium, responsorium nonum *Viri Galilæi*, a tribus in cappis sericis. In capitulo lectio : *Recumbentibus undecim.* Post capitulum pulsetur processio, deinde Tertia, post Tertiam ordinetur processio. In hac processione aqua non aspergitur, *Exsurge* non canitur, sed processione movente cantor incipit ℟ *Tempus est,* ℣ *Pacem meam.* Notandum tamen quod

Digitized by Google

in hujus diei processione omnes solis supelliciis induuntur. Aliud responsorium *Non conturbetur*, etc. In introitu ecclesiæ beatæ Mariæ, ant. *O rex gloriæ*, etc. In recessu de atrio beatæ Mariæ, post stationem ibi factam tres fratres incipiant, *Salve, festa dies*, conventu per singulos versus repetente, nunc *Salve*, nunc *Qua Deus*. Ante januas ecclesiæ facta parva statione et finitis versibus, prælatus imponat antiphonam : *O rex gloriæ;* sicque conventu in chorum reverso, et a prælato dicto versu *Elevata est*, cum oratione, *Deus cujus Filius;* facto brevi intervallo ministri altaris ad missam honorifice præparentur, pulsato classico missa incipiatur Officium *Viri Galilæi*, etc. Epistola in pulpito legatur. In refectorio lectio *Recumbentibus*, **329** deinde sermones de eodem festo.

Sabbato. Hac die finita Nona statim ad legendum subprior accedit, lectiones sicut in vigilia Paschæ senioribus dantur; prælatus quoque et ministri sicut tunc, ita et nunc induuntur, et ad altare procedunt et inde redeunt. Ad initium servitii cereus benedictus accenditur, et usque in crastinum post Completorium non exstinguitur. Lectio prima *Tentavit Deus Abraham*, etc. Postea sive in processione fontium, sive in litaniis, omnia sicut in Sabbato Paschæ compleantur; et post ultimam litaniam cantore incipiente *Kyrie, eleison*, omnia ecclesiæ luminaria accendantur, dum *Gloria in excelsis Deo* canitur classicum pulsetur. *Alleluia* in pulpito canitur, *Confitemini Domino, Alleluia* reiteratur, et pneumatice finitur. Tractus *Laudate Dominum* ad gradus chori, Evangelium cum candelabris et incenso, etc. Post missam nullum signum pulsetur, sed post breve intervallum duo de majoribus signis ad Nonam pulsentur. In refectorio lectio *Si diligitis me*. Hujus diei et sequentis hebdomadæ Officium cum eadem diligentia et dignitate, sicut hebdomada Paschæ, peragendum est.

Ad Vesperas antiphona : *Non vos relinquam*, psal. *Benedictus*, etc. Ad Completorium, **330** ant. *Spiritus paracletus, alleluia*, psal. *Nunc dimittis*.

Ad Matutinum primum totum classicum pulsetur, omnes antiphonæ cum pneumate finiantur, homilia in cappa serica legatur. In capitulo lectio *Si quis diligit me*. Post capitulum statim pulsetur ad processionem ; pulsata postmodum Tertia, cantor incipiat antiphonam *Vidi aquam*, aspergantur altaria, deinde chorus. Processio fiat in cappis sericis, in qua a tribus de majoribus cantatur sequentia : *Alma chorus Domini*, choro per singulos versus eumdem versum, scilicet *Alma chorus Domini*, repetente. Sciendum etiam quod, dum cantores versum suum dicunt, tota processio debet stare. Finita sequentia prælatus incipiat antiphonam *Hodie completi sunt*, interim omnia luminaria ecclesiæ accendantur; post antiphonam dicat prælatus ℣ *Repleti sunt*, oratio *Deus qui hodierna*. Statim a prælato Tertia incipiatur, hymnus *Veni, creator Spiritus*, solemniter et devote coram altari a prælato incipiatur. Tunc omnibus veniam petentibus (*id est*, genuflexis), cum magna exsultatione idem hymnus ab utroque choro simul spatiatim decantetur; interim omnia signa pulsentur, altaria quoque cum duobus thuribulis incensentur, deinde **331** per chorum incensum portetur. Prælatus ad hanc horam antiphonam imponit, et reincipit post psalmodiam *Accipite*.

Feria secunda, invitatorium *Repleti sunt*, etc. De festis novem lectionum, excepto primo die, in Vesperis et Matutinis commemoratio fit et ad missam matutinalem, et post Trinitatem totum servitium; de festis trium lectionum memoria, et post quartum diem missa matutinalis. Ad tertiam quotidie canitur hymnus *Veni, creator*, quem sacerdos incipit qui ipsam horam dicit, qui et ab omnibus, ut supra dictum est, simul canitur : altaria vero cum uno thuribulo a sacerdote incensentur, deinde per chorum incensum portetur. Tria luminaria tantum post A primum diem ad hanc horam accenduntur. Sacerdos incipiat antiphonam *Accipite*, etc. In refectorio lectio *Sic Deus dilexit mundum*.

Sabbato, ad missam omnes orationes sine *Dominus vobiscum* dicantur, præter illam quæ dicitur ante Epistolam. Cum titulo legantur lectiones. *Benedictus es, Domine*, a duobus ad gradus cantetur, et reincipiatur. Epistola *Convenit*, etc. *Alleluia* 1 *Emitte*, 2. *Laudate Dominum*, ambo hæc *Alleluia* ad gradus cantentur, etc. Post missam statim dicatur Sexta. Ad Nonam duo de majoribus **332** signis pulsentur, post Nonam paschalis cereus deponatur. In refectorio lectio *Surgens Jesus*.

Festum sanctæ Trinitatis ad instar Natalis Domini eodem modo, eadem dignitate et diligentia celebretur. De sancta Trinitate, tam ad Vesperas quam ad Matutinum, omnes antiphonæ cum pneumate finiantur. Ad Completorium et deinceps antiphona *Miserere*.

B Post Completorium facto brevi intervallo, propter necessitates fratrum pulsetur classicum ad Matutinum. Responsorium primum *Benedicat nos*, duo in cappis sericis; responsorium tertium *Quis Deus*, in cappis sericis dicatur a tribus ; responsorium sextum *Honor*, in cappis sericis, a priore scilicet et duobus senioribus. Homilia in cappa serica legatur, responsorium nonum a quatuor in cappis cantetur, quod reincipitur. Missa matutinalis fiat de Dominica. In capitulo lectio *Erat homo ex Pharisæis*, deinde pulsetur ad processionem quæ debet fieri in cappis sericis.

Feria secunda, ad Matutinum invitatorium : *Venite exsultemus*. Notandum quod hymni et antiphonæ feriales usque ad adventum Domini eodem modo dicuntur quomodo intitulantur in historia Dominicæ post **333** octavam Epiphaniæ, videlicet; *Domine, ne in ira*. Legenda tam in ecclesia quam in refectorio, debet esse de libro Regum, sic : *Fuit vir unus* C *de Ramatha*, ℣ *Deus omnium*, etc. Oratio Dominicalis per totam hebdomadam : *Deus in te sperantium*. Ab octava Pentecostes usque ad adventum Domini, tam in feriis quam in Dominicis, capitula dicuntur sicut ab octava Epiphaniæ usque ad Quadragesimam. Ab octava Pentecostes usque ad adventum Domini in omnibus Vesperis et Matutinis fit memoria de sancta cruce, nisi in duplicibus festis. Hoc tempore usque ad adventum Domini omnibus Dominicis nonum responsorium ad Matutinum de historia Trinitatis debet in Ordine accipi, nisi quando historia incipitur. In omnibus Dominicis hujus temporis ad processionem responsoria de Trinitate successive cantantur, nisi duplex festum, vel triplices octavæ celebrentur.

Hæc historia hoc modo tam in Dominicis quam in feriis cantatur usque ad Kalendas Augusti.

Incipit historia de libro Sapientiæ canenda, et legenda a Kalendis Augusti usque ad Kalendas D Septembris.

Incipit historia Job canenda a Kalendis Septembris usque eumdem medium mensem.

334 Incipit historia de Tobia canenda cum historia Judith, quæ sequitur a medio Septembris usque ad Kalendas Octobris.

Sequitur historia Judith canenda ante Kalendas Octobris.

Incipit historia Machabæorum canenda a Kalendis Octobris usque ad Kalendas Novembris.

Incipit historia prophetarum canenda a Kalendis Novembris usque ad adventum Domini.

Notandum quod singula Evangelia Dominicarum suprascriptarum, quo die fuerint in ecclesia recitata, sive Dominica sive dies professus fuerit, eodem die eorum homiliæ in refectorio legi debent. Hic vero incipiendorum librorum, tam in legendis quam in cantandis, ordo teneatur, ut si Kalenda mensis Dominica, aut feria secunda, vel tertia, vel quarta intraverit, liber historiæ cum responsoriis in ipsa

Digitized by Google

Dominica incipiatur; si autem feria quinta, vel sexta, vel etiam Sabbato Kalenda mensis intraverit, liber historiæ et responsoria usque in sequentem Dominicam inchoari differantur. A

Explicit opitulante Dei gratia Officium temporale.

DE FESTIVITATIBUS SANCTORUM.

335 PRÆFATIO.

Postquam de Ordine temporalis servitii disseruimus, prout vidimus opportunum, restat ut de festis sanctorum, quomodo debeant celebrari, præsenti operi inserere satagamus; et ut incœptum ordinem teneamus, a festo sancti Andreæ, quod semper circa principium adventus Domini recolitur, tractatus nostri principium ordinamur.

Per totum Adventum singulis diebus jejunamus, et in omnibus festis ibidem occurrentibus, bis in omnibus Dominicis solummodo comedentes.

Quando autem de festis sanctorum in Adventu solemnizatur, ante Tertiam pulsatur appellatio ad revestiendum; qua cantata sequitur missa, et statim sine intervallo pulsatur ad Sextam, et dicitur; post breve intervallum pulsatur ad Nonam, et dicitur ante prandium. Quando vero fit de tempore sine appellatione Tertia dicitur, qua cantata pulsatur appellatio ad revestiendum, et dicitur Sexta; qua cantata sequitur missa, et post breve intervallum B pulsatur ad Nonam, etc., ut supra.

336 In festo S. Andreæ, ad primas Vesperas lampas una ardeat, tres cerei bacinorum, pulsatur classicum, cantor septimanarius in choro ubi est septimana incipiat ant. *Unus ex duobus*. Psalmi de die. ℣ *Homo Dei*, quod cantant ad gradus duo cantores hebdomadarii in cappis sericis. In choro debet esse formula linteamine cooperta. Ant. *Cum pervenisset*, quam debet imponere hebdomadarius cantor in choro suo ubi est septimana, majori, nisi ipse major sit sacerdos hebdomadarius, tunc enim imponat alii propinquiori. Sacerdos induat cappam sericam, et precedentibus ceroferariis incenset majus altare et matutinale, rediensque in cho um incenset priorem, postea ante formulam incensetur, deinde dexter chorus a majoribus inchoando, et post sinister.

Ad Matutinum pulsentur signa singulariter semel et bis, et tertio et quarto, cum classico immediate. C Ardeant duæ lampades inter chorum et altare, et in singulis altaribus singulæ lampades, quæ post Matutinas exstinguantur. Invitatorium *Adoremus*, quod cantatur a duobus. In primo nocturno antiphona *Andreas*, quam incipit hebdomadarius chori in quo est septimana. Ant. *Ego crucis*, quam incipit alius cantor, **337** cæteras vero antiphonas imponant, a junioribus inchoando. Si ante Adventum, dicitur *Te Deum laudamus*, interim pulsentur duo mediocria signa, et ad versum *Per singulos dies* pulsetur classicum. Si in Adventu, dum cantatur nonum responsorium pulsetur ut supra, et reincœpto responsorio classicum flat. In Laudibus ad *Benedictus* ant. *Ambulans Jesus*, quam incipit hebdomadarius cantor in stallo suo. Oratio *Majestatem*. Ad primam pulsantur duo mediocria signa, ant. *Biduo vivens*, quam incipit junior de choro ubi est septimana, similiter et cæteras antiphonas ad Horas. Ad missam pulsatur classicum, tres cerei bacinorum accenduntur, diaconus dalmaticam, subdiaconus tunicam habeant. Graduale *Constitues eos* a duobus canitur, non iteratur *Alleluia* similiter a duobus in cappis sericis, sed repetitur. Evangelium cum ceroferariis et incenso. *Credo* dicitur, et textus cum incenso per chorum defertur, et talis est regula quod non deferatur nisi *Credo* dicatur. In refectorio lectio *Ambulans*. Si oportuerit mutari festum S. Andreæ in crastinum, mutetur similiter festum beati Eligii ad aliud crastinum. Ad Vesperas ardeant tres cerei bacinorum, sacerdos in cappa incenset duo altaria.

338 De beato Nicolao duplex festum simplex, id est tertiæ dignitatis, agitur. Invitatorium tres, scilicet hebdomadarii cantent et alius. Prior sit ad sextum responsorium, qui prior legat nonam lectionem in cappa serica cum candelabris. Ad Vesperas quinque lampades, tres cerei accenduntur, majus altare paratur, chorus regitur in cappis sericis. Psalmi de die. Prior dicit capitulum sine cappa et candelabris. Responsorium *Quodam die* cantor et hebdomadarii chorum regentes cantant in cappis. Antiphona *O pastor* imponitur priori, vel ejus vices gerenti. *Benedicamus* a tribus dicitur.

Ad Matutinum pulsantur signa bina et bina sicut sunt in Ordine, et classicum ultimo, luminaria ut supra. Invitatorium a tribus cantatur. Ad primam pulsantur unum majus signum et unum mediocre. Ad missam Officium *Statuit*. Graduale *Domine, prævenisti* duo cantant in cappis sericis ad gradus, et reincipitur; *Alleluia* a tribus. Sequentia *Congaudentes*, interim pulsantur signa quæ ad Primam. Evangelium cum candelabris. Ad Vesperas, ut supra, luminaria et pulsationes.

De Conceptione beatæ Mariæ duplex festum agitur simplex, ut supra de sancto Nicolao. Quacunque die evenerit totum **339** servitium de festo fit cum memoria de Adventu. Ad Vesperas antiphona *Cœleste beneficium*, psalmi de die. Omnia sicut in Nativitate ejusdem, ita quod ubi illic nominatur Nativitas, hic nominetur Conceptio; hoc etiam addito quod ad Sextam et Nonam propriæ dicuntur orationes.

In vigilia S. Thomæ, ad Vesperas psalmi de die. Responsorium in cappis sericis a duobus hebdomadariis, sacerdos in cappa incensat duo altaria, postea priorem, et post incensatur ad formam in choro. Una lampas et tres cerei ardeant. Si in vigilia S. Thomæ, vel in festo ipsius *O* solemnizetur, post antiphonam de festo, et collectam et *Benedicamus*, imponit cantor hebdomadarius solemnizanti *O*, et tota canitur antiphona, et dicitur *Gloria Patri, Sicut erat*, et iterum imponitur et canitur.

Sunt igitur quædam festa trium lectionum quæ simplicia vocamus, in quibus antiphonæ feriales, tam ad Veperas quam ad nocturnos dicuntur, capitula vero et hymni, et Laudes super unam antiphonam ad festum pertinentem cum antiphona ad *Benedictus* explicantur. In hujusmodi festis preces et prostrationes non dimittuntur. Si autem hujusmodi festa in Dominica vel in duplicibus octavis evenerint, fiet de illis **340** tantum memoria, cum missa matutinali.

De sancto Vincentio duplex festum simplex, id est tertiæ dignitatis. Ad Vesperas chorus regitur in cappis. Ant. *Beatus vir*, quæ imponitur majori post priorem. Psalmi de die. In omnibus duplicibus festis regatur chorus, et adjuncto tertio responsorium cantetur. Ant. *Sacram hujus*. Psal. *Magnificat*, D bis imponitur antiphona priori, et tantumdem canitur.

De conversione sancti Pauli medium festum agitur. Responsorium in cappis sericis sicut in omnibus mediis festis, ad primas Vesperas *Sancte Paule. Benedicamus* a duobus in cappis sericis dicitur.

Solemnitas purificationis beatæ Mariæ celebratur ad similitudinem Epiphaniæ Domini. Post Tertiam cereis ante majus altare super tapetum honeste collocatis, veniens illuc prælatus alba, et stola, et cappa serica indutus primo eos benedicat, ac deinde aqua benedicta aspergat. Tunc igitur præ-

Digitized by Google

lato ad sedem suam in chorum reverso, sacrista cereos distribuat, incipiens a prælato et cæteris majoribus. Cum vero illuminari cœperint, præcentor antiphonam *Lumen ad revelationem* incipiat, quæ cum versibus *Nunc dimittis* ter repetatur. Item antiphona *Ave, gratia plena* tota in choro **341** cantetur. Interim præparata processione, statim ut antiphona *Adorna thalamum* incipitur, moveant, et per claustrum incedentes ante refectorium stationem faciant, donec finita antiphona *Adorna*, cantor ℟ *Responsum accepit* imponat, cum quo ante crucifixum venientes ℣ *Hodie beata* tres in pulpito cantent, deinde incœpta a prælato antiphona *Cum inducerent*, in chorum redeant, sicque dicto versu *Responsum accepit*, et collecta *Exaudi, Domine*, pulsetur classicum et missa inchoetur, omnis vero conventus donec prælatus ad altare veniat cereos in manibus tenent; ipse etiam et ministri ad altare cum cereis procedant, quo postquam venerint, cereos cum eis vacaverint in manibus teneant, in choro autem qui voluerint coram se ponant. Officium : *Suscepimus, Deus. Kyrie, Rex virginum* a tribus non in cappis sericis propter distillationem cereorum, sed in cappis laneis, sicut prius in processione, solus prælatus habet cappam sericam; diaconus et subdiaconus non habent dalmaticam nec tunicam : habent tamen ad missam. Epistola in pulpito. Tractus, si dicendus est, a quatuor cantetur, qui simul incipiant et simul finiant, sed singulos versus bini et bini canant *Nunc dimittis*, eodem modo tractus **342** in annuntiatione Dominica cantetur. Dum offertorium cantur primo ministri altaris cereos offerant, deinde incipientes a senioribus de choro ordinate veniant et redeant. Secretarius concham juxta se cum aqua habeat, in qua susceptos cereos mergens exstinguat ne fumus inde procedat, prælati vero cereus, vel alterius qui pro eo missam celebrat, super altare positus usque ad finem missæ non exstinguatur. In refectorio lectio *Postquam completi sunt.*

In hac die et omnibus Dominicis usque in Palmis fiat spatium inter gratias prandii et Nonam, in quo spatio donec pulsetur ad Nonam, in ecclesia Beatæ Mariæ habeatur colloquium extra claustrum, similiter in festis novem lectionum usque ad Quinquagesimam, qua cantatur *Esto mihi;* in festis autem more octavarum idem spatium observatur, sed in claustro statim post capitulum more solito habetur colloquium, et bis comeditur; cæteris vero diebus omnibus, et in præcipuis festis si occurrant, usque in Palmis jejunatur. Abhinc tenentur servitores ad Nonam, nisi canonicam excusationem habeant, interesse.

Hæc festivitas, scilicet Purificatio, quando in prima Dominica Septuagesimæ occurrit, mutatur in crastinum, in duabus vero **343** sequentibus Dominicis occurrens non mutatur.

Ad Vesperas antiphona *Tecum principium*, quam incipit hebdomadarius cantor dextri chori in cappa serica, etc. ℟ *Gaude, Maria*, cantores adjuncto sibi præcentore in cappa ad gallos cantent, omnia altaria incensentur. Antiphona *Cum inducerent*, quæ bis imponitur priori a præcentore, et ter canitur Psal. *Magnificat.*

Sequitur de S. Ansberto episcopo, de quo dicuntur ad Vesperas et ad nocturnos antiphonæ feriales ad diem pertinentes, cum capitulis unius episcopi et confessoris. Ad *Magnificat* ant. *Similabo.* Ad Laudes ant. *Ecce sacerdos*, etc. Ad *Benedictus* ant. *Sacerdos et pontifex.* Similiter et ad Horas sequentes antiphonæ et capitula unius episcopi et confessoris ad singulas Horas pertinentia cum oratione de festo, precibus tamen et prostratione non intermissis; et quod de isto dicimus, omni tempore in quo prostrationes fiunt et preces dicuntur, de omnibus festis trium lectionum simplicium, quæ dies suos habebant, similiter observetur.

De Annuntiatione Dominica duplex festum agitur. Ad Vesperas ant. *Ave Maria.* Psalmi de die.

De sancto Marco medium festum agitur, **344** quod festum si in aliqua Dominica post octavam Paschæ evenerit, totum fiet de festo, cum memoria de Dominica et missa matutinali, et in crastinum processio et jejunium; si in ipsis octavis Paschæ, processio in illo anno ex toto dimittitur, festum vero post octavas Paschæ cum primis Vesperis celebratur.

Ad missam, Officium *Protexisti*, etc. Post Sextam dum fratres in dormitorium cappas induere propter processionem perrexerint, secretarius unum de majoribus signis ter modicum pulset; deinde post paululum cunctis in chorum reversis, primo a cantore antiphona *Exsurge, Domine*, imponatur. Hebdomadarius, sicut est in cappa sua, asperso principali altari, conventum etiam ordine consueto aspergat, postea dicat versum *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Dominus vobiscum*, et orationem de jejunio. Tunc ordinata processione incipiat cantor antiphonam *In nomine Domini*, et alias antiphonas, quantum opus fuerit, usque ad introitum ecclesiæ Sancti Joannis. In introitu ecclesiæ prædictæ, ℟ *Inter natos mulierum.* Interim sacerdos et ministri ad missam se velociter præparent celebrandam. Finito responsorio dicat sacerdos versum *Fuit homo missus*, et orationem *Præsta, quæsumus*, **345** *omnipotens Deus, ut familia.* Officium *Exaudivit de templo.* Oratio *Præsta, quæsumus.* De S. Joanne fiat memoria cum oratione prædicta, de omnibus sanctis memoria cum oratione *Concede, quæsumus*, etc. Ad hanc missam omnia quæ ibi ad servitium sunt necessaria secretarii provisione illuc debent esse ante delata. Expleta missa statim duo fratres in medio stantes litaniam incipiant : *Domine, defende nos.* Interim sacerdos et ministri se expedientes in ordinem suum redeant. Cantores cum pronuntiaverint : *Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis*, redeat processio, litania vero secundum quantitatem itineris producatur vel brevietur. Qui eam præcinunt in medio conventu simul incedant. Finita litania, ad gradus chori dicat sacerdos ℣ *Vox lætitiæ*, et orationem *Clamantes ad te, Domine.* Tunc depositis cappis pulsetur ad Nonam. In refectorio lectio *Quis vestrum habebit amicum.* Notandum quod, quando hoc festum infra hebdomadam paschalem evenerit, differtur ejus servitium usque in feriam post *Quasimodo;* processio vero ipso die quo festum evenerit celebratur hoc modo. Ordinata processione statim duo ad gradus incipiant *Salve, festa dies*, conventus per singulos versus repetat nunc *Salve*, nunc *Qua Deus*, **346** ita cantando procedant ad ecclesiam Sancti Joannis. In introitu ecclesiæ ℟ *Inter natos*, cum versu *Fuit homo*, et oratione *Præsta, quæsumus*, et tunc ibidem missa non celebratur, sed facto qualicunque intervallo, ordinata processione cantores in redeundo, ubi prius finierant, incipientes, residuum versuum, quantum opus fuerit, prosequuntur, quibus in chorum reversis sacerdos ad gradus dicat versum *Vox lætitiæ.* Oratio *Præsta, quæsumus.*

De apostolis Philippo et Jacobo, ad secundas Vesperas ant. *Domine*, etc. Post Vesperas incœpta antiphona *Crux fidelis*, cum processione ad crucifixum exeant, indeque cum antiphona de martyribus, *Filiæ Jerusalem*, in chorum redeant. In Laudibus processio ad crucifixum, in reditu de martyribus memoria *Lux perpetua*, etc.

De S. Joanne Baptista duplex festum primæ dignitatis. Ad Vesperas ant. *Descendit.* ℟ Psalmi de die. Antiphona *Ingresso* bis imponitur et ter canitur. Psal. *Magnificat* in utrisque Vesperis, Matutinis, processione claustrali, et pneumatibus per singulas antiphonas eodem modo fit sicut in Trinitate. Incortinatur altare Sancti Joannis, et juncatur. In primis Vesperis non fit processio ad altare. Post Vesperas eat processio cum **347** cruce et ceroferariis ad ec-

Digitized by Google

clesiam Sancti Joannis cum capsa beati Laudi. In motu processionis incipiat cantor ℟ *O lux*, cum versu et *Gloria*. In introitu ecclesiæ Sancti Joannis ℟ *Inter natos*. Finito responsorio prior Vesperas incipiat, quæ dicuntur eodem modo quo supra. Sciendum quod corpus beati Laudi debet ibi morari usque post crastinas Vesperas, et debet continue coram capsa ardere cereus a presbytero ejusdem ecclesiæ præparatus. Dictis Vesperis conventus nihil cantando revertitur. Post Completorium, facto brevi intervallo pulsetur classicum ad Matutinum. Invitatorium a quatuor, et cætera sicut in Trinitate. Omnes antiphonæ cum pneumate finiantur. Homilia in cappa serica legatur, et nona lectio similiter in cappa candelabris præsentibus. Ad Laudes, ad *Benedictus* ant. *Apertum est* ter canitur, primo usque *Et prophetavit dicens*. Psal. *Benedictus*, incipitur, bis imponitur priori. Processio ad altare.

Missa matutinalis ad altare Sancti Joannis de ipso fiat. Officium *Justus ut palma*. Oratio *Concede, quæsumus*. Epistola *Factum est verbum Domini ad me, dicens*. Graduale *Justus ut palma. Alleluia, Tu puer*. Evangelium *Dixit Zacharias ad angelum*. Offertorium *In virtute*. Communio *Posuisti, Domine*. **348** Ad Tertiam, ant. *Innuebant*, etc. Quacunque die evenerit, processio fiat in cappis sericis. Ad missam Officium *De ventre. Kyrie, Cunctipotens*. Oratio *Deus, qui præsentem*. Epistola, *Audite, insulæ* in pulpito; graduale *Priusquam te formarem. Alleluia, Inter natos*. Evangelium *Elisabeth impletum est*. Offertorium *Justus ut palma*. Communio *Tu puer*.

Post Vesperas ad ecclesiam Sancti Joannis nihil cantando processio gradiatur, ibique a duobus capsa cum corpore sancto sumpta, statim cantor incipiat ℟ *O vere spirituale*, cum versu et *Gloria*. In introitu ecclesiæ *O beate præsul, Laude*. ℣ *Ora pro nobis*. Oratio *Da, quæsumus, omnipotens*.

In festo S. Eusebii confessoris, ad Matutinum tres lectiones. Hac die in capitulo [*leg.*, capitulum] sicut in vigilia Natalis Domini honeste debet præparari; pronuntiante lectore *Dormitio sanctæ Mariæ*, omnes in terram se prosternant, recordantes et secum pertractantes quanta bona per hanc gloriosam Virginem accepimus. Post aliquantulum spatium, dato signo a prælato surgant, et lector quæ restant prosequatur; postea legatur lectio de Evangelio *Extollens vocem quædam mulier*. In fine vero capituli, tam hujus diei quam octo subsequentium, dicatur psalmus *Laudate* **349** *Dominum, omnes gentes*, exinde vigilia cum magno gaudio celebretur, prostrationes, psalmi familiares intermittuntur. Sequentes Horæ de ipsa Virgine dicantur, etiamsi Dominica sit, cum collecta de vigilia. Ad missam Officium *Salve, sancta Parens*. Graduale *Benedicta*, ad gradus in cappis sericis a duobus cantetur; si Dominica fuerit, *Alleluia, Post partum*, similiter in cappis a tribus. Sequentia, *Credo* et præfatio [*scilicet*, propria] non dicantur. Evangelium *Factum est, cum loqueretur*, cum cereis et incenso; in fine missæ nullum signum pulsetur, sed post breve intervallum duo de majoribus signis ad Nonam. In refectorio lectio *Factum est cum loqueretur*.

Hæc solemnitas ad similitudinem Natalis Domini debet celebrari. Ad Vesperas ant. *Tota pulchra es*. Psal. *Laudate, pueri, Dominum*, etc. Omnes antiphonæ ad Vesperas, Matutinum, et Laudes pneumatice finiuntur. Antiphona *Ascendit Christus* bis imponitur a præcentore prælato, et ter canitur, omnia altaria incensantur.

Ad Matutinum primo omnia signa in classicum pulsentur. Invitatorium a quatuor in cappis. Homilia in cappa serica legatur.

Processio in cappis agitur. Ad missam Officium *Gaudeamus. Kyrie, Rex virginum*. **350** Epistola in pulpito legatur, etc. In refectorio lectio *Intravit Jesus*, deinde Sermones de eodem festo. Per octavas *Cogitis me, o Paula*, etc.

De sancto Bartholomæo medium festum. Ad primas Vesperas ant. *Estote fortes*. Psalmi de die. Notandum quod hac die ad Vesperas, et in crastinum ad missam septem de canonicis nostris apud Sanctum Audoenum cum processione beatæ Mariæ tenentur ex consuetudine proficisci. Nihilominus ad Vesperas nostras de S. Audoeno facimus memoriam cum hac antiphona : *Suscipe nostra*.

De sancto Augustino duplex festum primæ dignitatis ad Vesperas *Lætare, mater*. Psalmi de die. Antiphona *Adest dies*, bis imponitur, et ter canitur. Omnia altaria incensantur. Psal. *Magnificat*. A tribus *Benedicamus*.

Processio in cappis sericis agitur. In pulpito prosa a tribus cantetur *cum Patribus*. Ad missam Officium *In medio Ecclesiæ, Kyrie, Cunctipotens*. Epistola in pulpito legatur, etc. In refectorio lectio *Beatus Augustinus ex provincia*, etc.

Ad Vesperas antiphona *Post mortem*, etc. ant. *Hodie gloriosus*, ter canitur. Psal. *Magnificat. Benedicamus*. Postea tres alii in cappis **351** rubeis incipiunt ad gradus responsorium *Inter natos*, processio ad altare. Cantatur versus *Fuit homo*, versiculus dicitur ab ultimo dextri chori in cappa *Gloria et honore. Benedicamus Domino*.

In nativitate sanctæ Mariæ virginis duplex festum secundæ dignitatis, ad Vesperas antiphona : *Cæleste beneficium*, etc. Missa matutinalis de S. Adriano, nisi Dominica fuerit. Hac die processio non agitur in cappis sericis. Ad magnam missam Officium *Gaudeamus*. Epistola *Ego quasi vitis* in pulpito legatur. Evangelium *Liber generationis*, etc.

Exaltatio sanctæ crucis, medium festum ita tamen quod nonum responsorium sit duplex. Ad Vesperas et Laudes processio fit ad altare. In reditu de martyribus Cornelio et Cypriano memoria *Isti sunt sancti*.

In solemnitate S. Laudi triplex festum agitur. Ad Vesperas in circuitu chori duodecim cerei accendantur, præter candelabrum et aliud solitum luminare. Antiphona *In laudem Christi*, psalmi de die. Cantores hebdomadarii in cappis sericis chorum regant. Omnes antiphonæ tam diurnæ quam nocturnæ cum pneumate finiantur. Capitulum in cappa serica a prælato dicatur. Responsorium *O lux mundi* **352** a tribus de senioribus in cappis sericis cantetur. Antiphona *Voto, voce*, bis imponitur et ter canitur. Psal. *Magnificat*. Altare majus cum duobus thuribulis incensetur.

Ad Matutinum classicum primo pulsetur. Invitatorium *Unum et verum Deum*, a quatuor in cappis sericis cantetur. Tertium responsoriorum *O lux mundi*, a tribus in cappis sericis cantetur. Sextum *O vere*, a tribus in cappis sericis, scilicet priore et duobus senioribus. In tertio nocturno homilia in cappa serica legatur; responsorium nonum *O lucris gaudens*, a quatuor in cappis sericis agatur, et iteratur. In Laudibus ad *Benedictus* antiphona *Quasi luna*, bis imponitur et ter canitur, omnia altaria incensantur. In capitulo lectio *Videte, vigilate*. In fine capituli per totas octavas dicatur : psalmus *Laudate Dominum, omnes gentes*. Post capitulum pulsetur ad processionem.

Notandum si festum sancti laudi feria IV vel VI, vel Sabbato evenerit, fiat jejunium Quatuor Temporum in hebdomada præcedenti (53).

Processio in cappis agitur sericis, in qua processione capsa beati Laudi post conventum honorifice a duobus bajulis in cappis sericis cum duobus cereferariis, aliis **353** vero duobus ante crucem præcedentibus cum thuriferario, debet deportari. In statione ecclesiæ responsorium : *O vere*, quatuor in cappis sericis in pulpito dicant ℣ *Te tutore*. Ad introitum chori

(53) *In festo patroni non jejunabant.*

Digitized by Google

O beate præsul Laude. Ad missam Officium *Statuit.* Pneuma, *Kyrie, Deus creator. Gloria in excelsis*, cum prosa *O gloria sanctorum.* Oratio *Deus, qui ad decorandam.* Epistola *Ecce sacerdos.* Graduale, *Domine prævenisti*, a tribus in pulpito cantetur. *Alleluia, Salve, gemma.* Sequentia *Alma cohors.* In refectorio vita S. Laudi, postea sermo *Dominus et Salvator noster, fratres charissimi.* Ad Vesperas ant. *Beatus Laudus*, etc. Responsorium *O lucris*, octo, vel plus vel minus ad voluntatem præcentoris, cantant in circuitu. De sancto Matthæo memoria.

In octava S. Laudi duplex festum tertiæ dignitatis. Unus cereus debet ardere super altare ante corpus sancti Laudi ad utrasque Vesperas et Matutinum.

De sanctis confessoribus Remigio (1 *Octob.*), Germano et Velasto tres lectiones. Ab hac die usque ad Pascha somnus meridianus intermittitur. Ab hac die usque ad Kalendas Novembris, nisi festum novem lectionum, vel festum more octavæ celebretur, immediate post gratias Nona decantetur. In novem **354** vero lectionibus extra claustrum collocutorium fratres post prandium donec pulsetur ad Nonam, usque ad festum omnium Sanctorum, habere debent. Ad Nonam servitores mensæ debent, si commode valeant, interesse.

In translatione S. Augustini medium festum. Ad Vesperas ant. *Lætare.* Psalmi de die. Processio fit ad altare quod est commune S. Augustini et S. Nicolai. In reditu, de martyribus memoria *Gaudent in cœlis.* Ad Matutinum, sicut in alia solemnitate, servata proprietate medii festi, ita tamen quod mediæ lectiones et media responsoria fiant de martyribus. In Laudibus processio ad altare, in reditu de martyribus memoria *Cum audieritis.*

In dedicatione ecclesiæ triplex festum. Ad Vesperas ant. *Architectus*, etc. Omnes antiphonæ, tam diurnæ quam nocturnæ, prima die cum pneumate finiuntur. Antiphona *Sanctificavit Dominus*, ter canitur. Psal. *Magnificat.* Altare majus et altare matutinale tantummodo incensantur. Post *Benedicamus* processio agitur ad duodecim cruces quæ sunt in ecclesia depictæ, et debent in singulis quinque cerei [*f.*, singuli] accendi ad singulas processiones, videlicet ad Vesperas et Matutinum. Ad processionem ℟ *Terribilis* **355** *est locus*, cum versu, et *Gloria*, si opus fuerit. In præcedendo prælatus debet singulas cruces cum altaribus incensare. In choro ℣ *Beati qui habitant.* Oratio *Annue, quæsumus, Domine.*

Ante Matutinum pulsetur classicum. Homilia in cappa serica legatur. In Laudibus processio fiat sicut post Vesperas. In capitulo lectio *Egressus Jesus perambulabat Jericho;* postea solemniter pulsetur ad processionem, processio in cappis sericis agitur. ℟ *Terribilis.* In statione ℟ *Ecce tabernaculum*, in pulpito a tribus cantetur versus *Si quis.* Ad missam, Officium *Terribilis est locus iste*, etc. In refectorio lectio *Egressus Jesus.*

Per octavam ad Horas et ad missam fiat servitium in modum medii festi. *Alleluia* in cappis sericis decantetur; ministri altaris tunica et dalmatica vestiantur. In refectorio sermones de festo, quantum possunt sufficere.

De sancto Mellono fit duplex festum tertiæ dignitatis.

De sancto Romano medium festum agitur; ad Vesperas ant. *Similabo.* Psalmi de die.

De sancto Fromondo martyre duplex festum. Ad utrasque Vesperas et Matutinum **356** cereus ardeat coram feretro. Ad Vesperas ant. *Beatus vir.* Psalmi de die. Si Dominica fuerit ad processionem dicatur responsorium *Gloria et honore;* in qua processione debet capsa beati Fromondi deportari et duo cerei juxta feretrum.

De Omnibus Sanctis triplex festum agitur. Omnes antiphonæ cum pneumate finiantur. Ante Matutinum omnia signa in classicum pulsentur. Prima lectio in cappa serica a prælato legatur, secunda a subpriore non in cappa serica, cæteræ a senioribus sicut sunt in ordine constituti. In hac festivitate non pronuntiatur Evangelium, sed septima lectio sic incipitur: *Christi sacerdotibus.* Octavam lectionem legit unus de junioribus; ad Nonam vero lectionem ponitur unus de sacerdotibus, quæ in cappa serica legi debet. Responsorium primum quatuor in cappis sericis decantant *Summæ Trinitati.* ℣ *Præstet nobis. Gloria Patri*, reincipitur *Summæ Trinitati.* Responsorium secundum prælatus cum duobus aliis similiter in cappis sericis. Cætera responsoria duo et duo cantant, sed non in cappis sericis; ℟ nonum *Concede nobis* a tribus in cappis sericis decantetur. In capitulo lectio *Christi vero sacerdotibus.* Processio hujus diei non agitur in cappis sericis. Ad processionem **357** ℟ *Concede*, ℣ *Adjuvent* a tribus in pulpito cantetur. Officium *Gaudeamus.* Epistola in pulpito legitur. In refectorio lectio *Videns Jesus turbas.*

A Kalendis Novembris usque ad Purificationem beatæ Mariæ statim post gratias redditas, præmisso *Pater noster*, quando bis comeditur cantatur Nona.

Ad Vesperas ant. *Salvator mundi* ter canitur. Psal. *Magnificat.* Post Vesperas in memoriam fidelium defunctorum festivius solito aguntur Vesperæ, ita: Primam antiphonam incipiat præcentor, cæteras cantores hebdomadarii, psalmi sedendo cantentur, quia, si statio teneretur et si antiphonæ deferrentur, ita essent duæ Vesperæ in conventu, quod nunquam fit. Ant. *Placebo*, psal. *Dilexi.* Hoc addito quod in fine cujuslibet psalmi *Requiem æternam* dicatur, etc. Psal. *Magnificat*, in fine *Kyrie, eleison* ter cum cantu, etc., una tantum collecta: *Fidelium, Deus*, etc. *Requiescant in pace.* Qua finita classicum aliquandiu pulsetur, interim conventu in choro exspectante.

In crastinum totum Servitium fiat pro defunctis in modum duplicis festi tertiæ dignitatis. Ad Matutinum pulsentur signa duo et duo. Pulsato classico, præmisso *Pater noster*, et facto sonitu a prælato cantor hebdomadarius **358** dextri chori deferat primam antiphonam prælato per chorum extra formas, cæteræ majoribus deferantur, in fine cujuslibet psalmi, et etiam ad omnes Horas *Requiem æternam* dicatur loco *Gloria Patri.* Ant. *Dirige.* Psal. *Verba mea*, etc. ℣ *A porta inferi.* Lectiones ad lectricum extra chorum legantur, et sumantur de Epistola beati Pauli I ad Corinthios in fine: *Si autem Christus prædicatur*, etc. Lectiones sine *Jube* et sine *Tu autem.* Nonum responsorium *Libera me, Domine*, a tribus cantetur. In fine dicat prælatus *Requiescant in pace*, et responso *Amen* sileant omnes. Interim pulsetur classicum aliquandiu conventu in choro exspectante. Finito classico prælatus incipiat antiphonam a cantore hebdomadario sibi delatam, *Exsultabunt*, etc. Ad Primam et ad omnes Horas hebdomadarius majoris missæ incipiat antiphonam loco *Deus, in adjutorium.* In capitulo omnia fiant sicut solitum est, lectio *Tempus quod inter hominis mortem*, sine *Jube* et sine *Tu autem*, legatur. In fine capitulum *Verba mea.* Sicut solitum est post capitulum pulsetur ad processionem, deinde ad revestiendum, post cum revestiti fuerint ad Tertiam.

Finita Tertia, et præparata processione cum aqua benedicta, cruce, cereis, et thuribulo, **359** induto etiam prælato, et ministris albis paratis, cantore incipiente ℟ *Credo quod Redemptor*, exeat processio per dextram crucem ecclesiæ, prælatus aspergat tumulos defunctorum. Interim conventu in basilica ordinate exspectante et cantante responsoria historiæ, scilicet *Credo quod Redemptor*, etc., quantum opus fuerit, exeat prælatus cum ministris et cruce, et cereis, et aqua benedicta in commune cœmeterium parochianorum, et ibi circumquaque aquam benedictam aspergat; deinde regresso prælato procedat tota processio per claustrum, ipso prælato similiter aquam benedictam aspergente, quo transeunte cum

Digitized by Google

clesiam Sancti Joannis cum capsa beati Laudi. In motu processionis incipiat cantor ℟ *O lux*, cum versu et *Gloria*. In introitu ecclesiæ Sancti Joannis ℟ *Inter natos*. Finito responsorio prior Vesperas incipiat, quæ dicuntur eodem modo quo supra. Sciendum quod corpus beati Laudi debet ibi morari usque post crastinas Vesperas, et debet continue coram capsa ardere cereus a presbytero ejusdem ecclesiæ præparatus. Dictis Vesperis conventus nihil cantando revertitur. Post Completorium, facto brevi intervallo pulsetur classicum ad Matutinum. Invitatorium a quatuor, et cætera sicut in Trinitate. Omnes antiphonæ cum pneumate finiantur. Homilia in cappa serica legatur, et nona lectio similiter in cappa candelabris præsentibus. Ad Laudes, ad *Benedictus* ant. *Apertum est* ter canitur, primo usque *Et prophetavit dicens*. Psal. *Benedictus*, incipitur, bis imponitur priori. Processio ad altare.

Missa matutinalis ad altare Sancti Joannis de ipso fiat. Officium *Justus ut palma*. Oratio *Concede, quæsumus*. Epistola *Factum est verbum Domini ad me, dicens*. Graduale *Justus ut palma. Alleluia, Tu puer*. Evangelium *Dixit Zacharias ad angelum*. Offertorium *In virtute*. Communio *Posuisti, Domine*. **348** Ad Tertiam, ant. *Innuebant*, etc. Quacunque die evenerit, processio fiat in cappis sericis. Ad missam Officium *De ventre. Kyrie, Cunctipotens*. Oratio *Deus, qui præsentem*. Epistola, *Audite, insulæ* in pulpito; graduale *Priusquam te formarem. Alleluia, Inter natos*. Evangelium *Elisabeth impletum est*. Offertorium *Justus ut palma*. Communio *Tu puer*.

Post Vesperas ad ecclesiam Sancti Joannis nihil cantando processio gradiatur, ibique a duobus capsa cum corpore sancto sumpta, statim cantor incipiat ℟ *O vere spirituale*, cum versu et *Gloria*. In introitu ecclesiæ *O beate præsul, Laude.* ℣ *Ora pro nobis*. Oratio *Da, quæsumus, omnipotens*.

In festo S. Eusebii confessoris, ad Matutinum tres lectiones. Hac die in capitulo [*leg.*, capitulum] sicut in vigilia Natalis Domini honeste debet præparari; pronuntiante lectore *Dormitio sanctæ Mariæ*, omnes in terram se prosternant, recordantes et secum pertractantes quanta bona per hanc gloriosam Virginem accepimus. Post aliquantulum spatium, dato signo a prælato surgant, et lector quæ restant prosequatur; postea legatur lectio de Evangelio *Extollens vocem quædam mulier*. In fine vero capituli, tam hujus diei quam octo subsequentium, dicatur psalmus *Laudate* **349** *Dominum, omnes gentes*, exinde vigilia cum magno gaudio celebretur, prostrationes, psalmi familiares intermittuntur. Sequentes Horæ de ipsa Virgine dicantur, etiamsi Dominica sit, cum collecta de vigilia. Ad missam Officium *Salve, sancta Parens*. Graduale *Benedicta*, ad gradus in cappis sericis a duobus cantetur; si Dominica fuerit, *Alleluia, Post partum*, similiter in cappis a tribus. Sequentia, *Credo* et præfatio [*scilicet*, propria] non dicantur. Evangelium *Factum est, cum loqueretur*, cum cereis et incenso; in fine missæ nullum signum pulsetur, sed post breve intervallum duo de majoribus signis ad Nonam. In refectorio lectio *Factum est cum loqueretur*.

Hæc solemnitas ad similitudinem Natalis Domini debet celebrari. Ad Vesperas ant. *Tota pulchra es*. Psal. *Laudate, pueri, Dominum*, etc. Omnes antiphonæ ad Vesperas, Matutinum, et Laudes pneumatice finiuntur. Antiphona *Ascendit Christus* bis imponitur a præcentore prælato, et ter canitur, omnia altaria incensantur.

Ad Matutinum primo omnia signa in classicum pulsentur. Invitatorium a quatuor in cappis. Homilia in cappa serica legatur.

Processio in cappis agitur. Ad missam Officium *Gaudeamus. Kyrie, Rex virginum*. **350** Epistola in pulpito legatur, etc. In refectorio lectio *Intravit Jesus*, deinde Sermones de eodem festo. Per octavas *Cogitis me, o Paula*, etc.

De sancto Bartholomæo medium festum. Ad primas Vesperas ant. *Estote fortes*. Psalmi de die. Notandum quod hac die ad Vesperas, et in crastinum ad missam septem de canonicis nostris apud Sanctum Audoenum cum processione beatæ Mariæ tenentur ex consuetudine proficisci. Nihilominus ad Vesperas nostras de S. Audoeno facimus memoriam cum hac antiphona : *Suscipe nostra*.

De sancto Augustino duplex festum primæ dignitatis ad Vesperas *Lætare, mater*. Psalmi de die. Antiphona *Adest dies*, bis imponitur, et ter canitur. Omnia altaria incensantur. Psal. *Magnificat*. A tribus *Benedicamus*.

Processio in cappis sericis agitur. In pulpito prosa a tribus cantetur *cum Patribus*. Ad missam Officium *In medio Ecclesiæ, Kyrie, Cunctipotens*. Epistola in pulpito legatur, etc. In refectorio lectio *Beatus Augustinus ex provincia*, etc.

Ad Vesperas antiphona *Post mortem*, etc. ant. *Hodie gloriosus*, ter canitur. Psal. *Magnificat. Benedicamus*. Postea tres alii in cappis **351** rubeis incipiunt ad gradus responsorium *Inter natos*, processio ad altare. Cantatur versus *Fuit homo*, versiculus dicitur ab ultimo dextri chori in cappa *Gloria et honore. Benedicamus Domino*.

In nativitate sanctæ Mariæ virginis duplex festum secundæ dignitatis, ad Vesperas antiphona : *Cæleste beneficium*, etc. Missa matutinalis de S. Adriano, nisi Dominica fuerit. Hac die processio non agitur in cappis sericis. Ad magnam missam Officium *Gaudeamus*. Epistola *Ego quasi vitis* in pulpito legatur. Evangelium *Liber generationis*, etc.

Exaltatio sanctæ crucis, medium festum ita tamen quod nonum responsorium sit duplex. Ad Vesperas et Laudes processio fit ad altare. In reditu de martyribus Cornelio et Cypriano memoria *Isti sunt sancti*.

In solemnitate S. Laudi triplex festum agitur. Ad Vesperas in circuitu chori duodecim cerei accendantur, præter candelabrum et aliud solitum luminare. Antiphona *In laudem Christi*, psalmi de die. Cantores hebdomadarii in cappis sericis chorum regant. Omnes antiphonæ tam diurnæ quam nocturnæ cum pneumate finiantur. Capitulum in cappa serica a prælato dicatur. Responsorium *O lux mundi* **352** a tribus de senioribus in cappis sericis cantetur. Antiphona *Voto, voce*, bis imponitur et ter canitur. Psal. *Magnificat*. Altare majus cum duobus thuribulis incensetur.

Ad Matutinum classicum primo pulsetur. Invitatorium *Unum et verum Deum*, a quatuor in cappis sericis cantetur. Tertium responsoriorum *O lux mundi*, a tribus in cappis sericis cantetur. Sextum *O vere*, a tribus in cappis sericis, scilicet priore et duobus senioribus. In tertio nocturno homilia in cappa serica legatur; responsorium nonum *O lucis gaudens*, a quatuor in cappis sericis agatur, et iteratur. In Laudibus ad *Benedictus* antiphona *Quasi luna*, bis imponitur et ter canitur, omnia altaria incensantur. In capitulo lectio *Videte, vigilate*. In fine capituli per totas octavas dicatur : psalmus *Laudate Dominum, omnes gentes*. Post capitulum pulsetur ad processionem.

Notandum si festum sancti laudi feria IV vel VI, vel Sabbato evenerit, fiat jejunium Quatuor Temporum in hebdomada præcedenti (53).

Processio in cappis agitur sericis, in qua processione capsa beati Laudi post conventum honorifice a duobus bajulis in cappis sericis cum duobus cerofer rariis, aliis **353** vero duobus ante crucem præcedentibus cum thuriferario, debet deportari. In statione ecclesiæ responsorium : *O vere*, quatuor in cappis sericis in pulpito dicant ℣ *Te tutore*. Ad introitum chori

(53) *In festo patroni non jejunabant.*

Digitized by Google

O beate præsul Laude. Ad missam Officium *Statuit.* Pneuma, *Kyrie, Deus creator. Gloria in excelsis*, cum prosa *O gloria sanctorum.* Oratio *Deus, qui ad decorandam.* Epistola *Ecce sacerdos.* Graduale, *Domine prævenisti*, a tribus in pulpito cantetur. *Alleluia, Salve, gemma.* Sequentia *Alma cohors.* In refectorio vita S. Laudi, postea sermo *Dominus et Salvator noster, fratres charissimi.* Ad Vesperas ant. *Beatus Laudus*, etc. Responsorium *O lucris*, octo, vel plus vel minus ad voluntatem præcentoris, cantant in circuitu. De sancto Matthæo memoria.

In octava S. Laudi duplex festum tertiæ dignitatis. Unus cereus debet ardere super altare ante corpus sancti Laudi ad utrasque Vesperas et Matutinum.

De sanctis confessoribus Remigio (1 *Octob.*), Germano et Vedasto tres lectiones. Ab hac die usque ad Pascha sonnus meridianus intermittitur. Ab hac die usque ad Kalendas Novembris, nisi festum novem lectionum, vel festum more octavæ celebretur, immediate post gratias Nona decantetur. In novem **354** vero lectionibus extra claustrum collocutorium fratres post prandium donec pulsetur ad Nonam, usque ad festum omnium Sanctorum, habere debent. Ad Nonam servitores mensæ debent, si commode valeant, interesse.

In translatione S. Augustini medium festum. Ad Vesperas ant. *Lætare.* Psalmi de die. Processio fit ad altare quod est commune S. Augustini et S. Nicolai. In reditu, de martyribus memoria *Gaudent in cœlis.* Ad Matutinum, sicut in alia solemnitate, servata proprietate medii festi, ita tamen quod mediæ lectiones et media responsoria fiant de martyribus. In Laudibus processio ad altare, in reditu de martyribus memoria *Cum audieritis.*

In dedicatione ecclesiæ triplex festum. Ad Vesperas ant. *Architectus*, etc. Omnes antiphonæ, tam diurnæ quam nocturnæ, prima die cum pneumate finiuntur. Antiphona *Sanctificavit Dominus*, ter canitur. Psal. *Magnificat.* Altare majus et altare matutinale tantummodo incensantur. Post *Benedicamus* processio agitur ad duodecim cruces quæ sunt in ecclesia depictæ, et debent in singulis quinque cerei [*f.*, singuli] accendi ad singulas processiones, videlicet ad Vesperas et Matutinum. Ad processionem ℟ *Terribilis* **355** *est locus*, cum versu, et *Gloria*, si opus fuerit. In præcedendo prælatus debet singulas cruces cum altaribus incensare. In choro ℣ *Beati qui habitant.* Oratio *Annue, quæsumus, Domine.*

Ante Matutinum pulsetur classicum. Homilia in cappa serica legatur. In Laudibus processio fiat sicut post Vesperas. In capitulo lectio *Egressus Jesus perambulabat Jericho;* postea solemniter pulsetur ad processionem, processio in cappis sericis agitur. ℟ *Terribilis.* In statione ℟ *Ecce tabernaculum*, in pulpito a tribus cantetur versus *Si quis.* Ad missam, Officium *Terribilis est locus iste*, etc. In refectorio lectio *Egressus Jesus.*

Per octavam ad Horas et ad missam fiat servitium in modum medii festi. *Alleluia* in cappis sericis decantetur; ministri altaris tunica et dalmatica vestiantur. In refectorio sermones de festo, quantum possunt sufficere.

De sancto Mellono fit duplex festum tertiæ dignitatis.

De sancto Romano medium festum agitur; ad Vesperas ant. *Similabo.* Psalmi de die.

De sancto Fromondo martyre duplex festum. Ad utrasque Vesperas et Matutinum **356** cereus ardeat coram feretro. Ad Vesperas ant. *Beatus vir.* Psalmi de die. Si Dominica fuerit ad processionem dicatur responsorium *Gloria et honore;* in qua processione debet capsa beati Fromondi deportari et duo cerei juxta feretrum.

De Omnibus Sanctis triplex festum agitur. Omnes antiphonæ cum pneumate finiantur. Ante Matutinum omnia signa in classicum pulsentur. Prima lectio A in cappa serica a prælato legatur, secunda a subpriore non in cappa serica, cæteræ a senioribus sicut sunt in ordine constituti. In hac festivitate non pronuntiatur Evangelium, sed septima lectio sic incipitur : *Christi sacerdotibus.* Octavam lectionem legit unus de junioribus; ad Nonam vero lectionem ponitur unus de sacerdotibus, quæ in cappa serica legi debet. Responsorium primum quatuor in cappis sericis decantant *Summæ Trinitati.* ℣ *Præstet nobis. Gloria Patri*, reincipitur *Summæ Trinitati.* Responsorium secundum prælatus cum duobus aliis similiter in cappis sericis. Cætera responsoria duo et duo cantant, sed non in cappis sericis; ℟ nonum *Concede nobis* a tribus in cappis sericis decantetur. In capitulo lectio *Christi vero sacerdotibus.* Processio hujus diei non agitur in cappis sericis. Ad processionem **357** ℟ *Concede*, ℣ *Adjuvent* a tribus in pulpito cantetur. Officium *Gaudeamus.* Epistola in pulpito legitur. In refectorio lectio *Videns Jesus turbas.*

B A Kalendis Novembris usque ad Purificationem beatæ Mariæ statim post gratias redditas, præmisso *Pater noster*, quando bis comeditur cantatur Nona.

Ad Vesperas ant. *Salvator mundi* ter canitur. Psal. *Magnificat.* Post Vesperas in memoriam fidelium defunctorum festivius solito aguntur Vesperæ, ita : Primam antiphonam incipiat præcentor, cæteras cantores hebdomadarii, psalmi sedendo cantentur, quia, si statio teneretur et si antiphonæ deferrentur, ita essent duæ Vesperæ in conventu, quod nunquam fit. Ant. *Placebo*, psal. *Dilexi.* Hoc addito quod in fine cujuslibet psalmi *Requiem æternam* dicatur, etc. Psal. *Magnificat*, in fine *Kyrie, eleison* ter cum cantu, etc., una tantum collecta : *Fidelium, Deus*, etc. *Requiescant in pace.* Qua finita classicum aliquandiu pulsetur, interim conventu in choro exspectante.

C In crastinum totum Servitium fiat pro defunctis in modum duplicis festi tertiæ dignitatis. Ad Matutinum pulsentur signa duo et duo. Pulsato classico, præmisso *Pater noster*, et facto sonitu a prælato cantor hebdomadarius **358** dextri chori deferat primam antiphonam prælato per chorum extra formas, cæteræ majoribus deferantur, in fine cujuslibet psalmi, et etiam ad omnes Horas *Requiem æternam* dicatur loco *Gloria Patri.* Ant. *Dirige.* Psal. *Verba mea*, etc. ℣ *A porta inferi.* Lectiones ad lectricum extra chorum legantur, et sumantur de Epistola beati Pauli I ad Corinthios in fine : *Si autem Christus prædicatur*, etc. Lectiones sine *Jube* et sine *Tu autem.* Nonum responsorium *Libera me, Domine*, a tribus cantetur. In fine dicat prælatus *Requiescant in pace*, et responso *Amen* silcant omnes. Interim pulsetur classicum aliquandiu conventu in choro exspectante. Finito classico prælatus incipiat antiphonam a cantore hebdomadario sibi delatam, *Exsultabunt*, etc. Ad Primam et ad omnes Horas hebdomadarius majoris missæ incipiat antiphonam loco *Deus, in adjutorium.* In capitulo omnia fiant D sicut solitum est, lectio *Tempus quod inter hominis mortem*, sine *Jube* et sine *Tu autem*, legatur. In fine capitulum *Verba mea.* Sicut solitum est post capitulum pulsetur ad processionem, deinde ad revestiendum, post cum revestiti fuerint ad Tertiam.

Finita Tertia, et præparata processione cum aqua benedicta, cruce, cereis, et thuribulo, **359** induto etiam prælato, et ministris albis paratis, cantore incipiente ℟ *Credo quod Redemptor*, exeat processio per dextram crucem ecclesiæ, prælatus aspergat tumulos defunctorum. Interim conventu in basilica ordinate exspectante et cantante responsoria historiæ, scilicet *Credo quod Redemptor*, etc., quantum opus fuerit, exeat prælatus cum ministris et cruce, et cereis, et aqua benedicta in commune cœmeterium parochianorum, et ibi circumquaque aquam benedictam aspergat; deinde regresso prælato procedat tota processio per claustrum, ipso prælato similiter aquam benedictam aspergente, quo transeunte cum

Digitized by Google

ministris in cœmeterium fratrum, conventus ante capitulum in ordine suo stans prædicta responsoria finiat, quibus finitis dicatur *Kyrie, eleison* ter cum cantu, prælatus dicat : *Et ne nos*, etc. *Deus, veniæ largitor. Deus, cujus miseratione.* In fine *Requiescant in pace. Amen.* Postea cum septem psalmis sine *Gloria Patri* in chorum redeat conventus, prælatus cum ministris in revestiarium. In fine septem psalmorum dicatur *Requiem æternam, Kyrie, eleison* ter sine cantu, iterum cum prædictis precibus dicatur oratio *Absolve ;* deinde pulsato classico missa pro fidelibus ad majus altare solemniter celebretur. Diaconus habeat **360** dalmaticam, subdiaconus tunicam, cantores hebdomadarii chorum regant cum præcentore. Officium *Requiem æternam.* Psal. *Te decet*, iterum *Requiem æternam*, loco *Gloria Patri* dicatur versus *Exaudi orationem*, etc. Iterum *Requiem æternam.* Una tantum oratio, scilicet *Fidelium.* Epistola *Facta est super me manus Domini.* Graduale *Si ambulem*, a duobus ad gradus in cappis sericis cantetur, et reincipiatur. Tractus *De profundis*, totus a tribus in cappis sericis cantetur. Evangelium *Sicut Pater suscitat.* Offertorium *Domine Jesu Christe.* Sacerdos *Hostias*, etc. Communio *Lux æterna, Requiem æternam.* In fine nullum signum pulsetur. Ad Nonam post gratias redditas.

Notandum quod si festivitas Omnium Sanctorum in Sabbato occurrerit, officium fidelium usque in secundam feriam sequentem penitus reservatur eo modo quo supra dictum est celebrandum ; in Sabbato vero ad Vesperas, hoc est, in festivitate Omnium Sanctorum fiat memoria de Dominica tantum.

De S. Rumpharío duplex festum secundæ dignitatis. Ad Vesperas antiphona *Similabo eum*, et aliæ antiphonæ cum psalmis de die ; et omnia alia in hymnis, antiphonis, psalmis et responsoriis, sicut in festo **361** S. Laudi, excepto quod in hac festivitate omnes antiphonæ non finiuntur cum pneumate. Sciendum etiam quod unus cereus ab initio primarum Vesperarum usque ad finem secundarum ante capsam beati Rumpharii continue debet ardere. In capitulo lectio : *Homo quidam peregre.* Processio agatur cum capsa beati Rumpharii, sed non in cappis sericis. Ad processionem ℟ *Sint lumbi*, duo cerei juxta capsam deportentur si affuerint pueri; ℣ *Vigilate* in pulpito a tribus decantetur. Ad missam, officium *Statuit*, etc. Epistola in pulpito legatur.

INCERTI AUCTORIS

EXPOSITIO SUPER CANONEM MISSÆ

Secundum] Amalarium [*ms.* Alarium].

(Ex Veteri ms. codice Bigotiano.)

Dominus vobiscum. Salutat sacerdos populum, orat ut Dominus sit cum illo. *Et cum spiritu tuo.* Responsio populi atque oratio, ut sicut sacerdos oravit ut Dominus esset cum populo, et populus orat quod Dominus sit cum spiritu sacerdotis. Dicit sacerdos *Orate, fratres.* Rogat **362** omnes orare ut oratio ejus exaudiatur. Et quando dicit *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, ac Dominum Patrem orat sacerdos ut per Filium suum, qui Dominus noster est æqualiter sicut Pater, oratio perficiatur. Cum dicit : *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus*, vult populum credere et intelligere quod Filius cum Patre suo ab initio sine fine et regnat et vivit, et Deus est, sicut Pater Deus est, et una potestas est Spiritus sancti cum Patre et Filio, atque una substantia, et in omnibus unitas deitatis. *Per omnia sæcula sæculorum*, id est ut Filius cum Patre in unitate Spiritus sancti, sicut ante omnia sæcula in deitate vixit et fuit, ita in præsenti sæculo, atque in futuro ubi justi cum angelis permanebunt et injusti cum diabolo cruciabuntur, credatur æqualiter vivere cum Patre et Spiritu sancto, et nullo fine concludit. *Amen*, confirmatio orationis est a populo, et in nostra lingua intelligi potest, quasi omnes dicant : Ut ita fiat sicut sacerdos oravit ; sed propria ejus interpretatio, *vere* sive *fideliter. Sursum corda.* Admonet sacerdos populum ut sursum, id est super semetipsum, ad Dominum omnipotentem corda leventur, et fideliter oretur quod desursum eis veniat auxilium a Deo cœlesti a quo **363** creati sunt. *Habemus ad Dominum*, responsio est populi, quod sicut sacerdos jussit eos sursum corda tenere, profitentur. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Sacerdos gratias agit Deo juxta professionem populi qui confessus est ad Dominum se esse intentum. *Dignum et justum est.* Populus cum sacerdote simul gratias agit Deo, quia digna et justa oratio est Deo gratias referre quia ab ipso omnia bona suscipimus. *Vere dignum et justum est, æquum et salutare.* Commendat sacerdos orationem vel professionem populi, et dicit quod vere dignum et justum est Deo gratias referre, et quod *æquum est*, hoc est rectum est sive æquale Salvatori, vel salute plenum ut ei gratias referamus qui nobis salutem dedit æternam : *Nos tibi semper et ubique gratias agere*, conversus ad Dominum post confessionem populi, quasi ad præsentem loquitur, quia in præsentia Domini semper sumus, et ipse videt cogitationes nostras. Et dicit sacerdos tam de se quam de populo ; *Nos tibi semper*, hoc est, omni tempore. *Et ubique*, id est, in omni loco, gratias agere. *Domine*, quia Dominator es omnium, et sub tua dominatione sunt omnia. *Sancte*, tu qui sanctus es, et per quem omnia sancta, quia omnia bona creasti. *Pater*, Græce dicitur πατὴρ, et Latine Genitor, quia **364** ipse genuit Filium sine ulla coinquinatione seu corruptione. Pater Latine a *paterno* dicitur, hoc est, perpetrando, quod est a perficiendo vel adjuvando, quia ipse perficit omnia quæ facta sunt, et adjuvat omnia quæ adjuta sunt, et voluit nos filios suos fieri adoptivos per sanctificationem qua ipse sanctificavit nos. *Omnipotens*, qui omnia potest, ideo Omnipotens dicitur, et non est impossibile apud Deum omne verbum. *Æterne Deus*, hoc est, æternum, et perpetuum, et temporale. Æternum est quod initium non habuit, nec finem habebit, quod semper fuit, et est, et erit. Perpetuum est quod esse cœpit et finem non habebit. Temporale est quod initium habuit et finem habebit ; et ideo dicitur hic *æterne Deus* quia solus æternus est, nec cœpit esse, nec desinit esse, sed est semper Deus ; a *diligendo* dicitur Deus, quia omnia diligit et gubernat quæ creavit. Et aliter Deus a *divinando* dicitur, quia

Digitized by Google

divinus est et omnia sit, et omnia dividit, prout vult. *Per Christum Dominum nostrum.* Christus Græce, *unctus* dicitur Latine. Hic Christus ante omnia initia a tempore venerabiliter genitus est. Tempore quo placuit ei Spiritus sanctus venit in Mariam virginem, et unxit unctione divina uterum ejus, et conceptus est de Spiritu sancto **365** et natus est de Maria Virgine. Nam in Veteri Testamento sacerdotes et reges ungebantur, et ideo christi dicebantur, quia uncti erant unctione temporali. Iste Christus per quem Patri gratias agimus æternaliter Christus est, et cum Patre æternus est Deus; et per ipsum redempti sumus, et ipse Dominus noster est qui dominatur in nobis. *Per quem majestatem tuam laudant angeli.* Per ipsum Christum nos gratias agimus Patri, majestatem Patris laudant angeli, quia ipse æqualis est Patri in divinitate. Majestas quasi major potestas, quia major est potestas Dei quam hominum. Dei *majestatem* per Christum *laudant angeli*, quia Christus cum Patre creavit angelos: angelus enim Græce *nuntius* interpretatur; angelus nomen est officii non naturæ, quia annuntiat, sed naturaliter spiritus est. Adorant, lætantur angeli de præcone humani generis, et laudant Creatorem suum per duplum et simplum ter. Mors namque nostra dupla est, id est, animæ et corporis; sed angeli laudant quia simpla morte Christi dupla mors nostra liberata est. Resurrectio vero nostra similiter dupla est animæ et corporis; animæ, quando infidelitate ad fidelitatem surgit; corporis, quando de pulvere reparabitur in incorruptionem. *Laudant angeli.* **366** quia per simplam Christi resurrectionem donabitur nobis dupla resurrectio. Laudant tertio angeli, quia non solum Christi morte nos de morte liberati sumus, sed ejus resurrectione resurgemus in novissimo die. *Adorant dominationes*, majestatem Dei Patris per Filium laudant et adorant dominationes. Dominationes, ordo angelorum decimus cecidit (55*); et versus est per superbiam in infernum, vel diabolum. Novem autem permanserunt in sanctitate sua; hæc sunt nomina eorum: angeli, archangeli, virtutes, principatus, potestates, throni, dominationes, cherubim et seraphim. Istarum duarum virtutum nomina sunt Latina [*l.*, Hebræa]. Cherubim *plenitudo scientiæ* interpretatur; seraphim, *incendium*. Cætera nomina supradictorum ordinum sunt Latina [*add.* et Græca], ut angelorum et archangelorum; angeli *nuntii*, archangeli *excelsi nuntii* dicuntur. Gregorius autem papa Romanus in homilia sua super lectionem evangelicam (*homil.* 34) [*adde* ubi] ait: *Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores ut audirent illum* (*Luc.* xv, 1), plenissime de prædictis ordinibus exposuit. Nos vero ad propositum ordinem redeamus. *Tremunt potestates:* De supradictis ordinibus dicit; non ideo dicit quia supradicti ordines corporales sint, sed nostro more dicit, quia tremere ac timere **367** ante dominos nostros solemus [*ms.*, solebamus]; sed ideo dicit tremere ac timere, ut nos intelligamus omnia cœlestia, terrestria et infernalia ante conspectum divinæ majestatis tremere ac timere. *Cœli cœlorumque virtutes:* Ipsi cœli jussioni divinæ obediunt, quia se ostendere serenos vel nubilosos non habent potestatem. Cœli cœlorum virtutes sunt supradicti ordinis angelorum, sicut Gregorius in homilia sua super evangelicam lectionem (*homil.* 1) *Erunt signa in sole, et luna, et stellis* (*Luc.* xxi, 22), testatur. *Ac beata seraphim:* De seraphim namque supradictum est. *Socia exsultatione concelebrant.* Omnes prædicti ordines majestatem Patris per Christum cuncta exsultatione æqualiter concelebrant; *Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur:* Cum quibus est hæc supplicatio nostra, ut ipse cœlestis Pater per Christum Filium suum, per quem nos gratias agimus, dignetur admittere voces nostras et jungere vocibus prædictorum ordinum angelorum. *Supplici confessione dicentes*, hoc est, humili confessione. Quid humilius confiteri? quam nosmetipsos æterno Patri per Filium æternum commendare, et de nostra conscientia, sive bonitate nihil præsumere? et juxta voces angelicas cum semper incessanter credere et prædicare, dicentes: *Sanctus*, **368** *sanctus, sanctus.* Joannes evangelista in Apocalypsi scripsit se vidisse ante thronum Dei et agni viginti quatuor seniores, et quatuor animalia astantia, et incessanter dicentia: *Sanctus, sanctus, sanctus*, etc. (*cap.* iv). Ideo dicitur tribus vicibus *Sanctus*, ut significaretur Pater sanctus, Filius sanctus, Spiritus Patris et Filii sanctus. Sed quamvis tripliciter [*ms.*, dupliciter] dicatur *Sanctus*, non tamen dicitur plurali numero *Sanctus*. Sed quamvis una sanctitas in iis tribus personis, et una æternitas intelligatur. *Dominus Deus sabbaoth.* Sabbaoth a multis solet interpretari *omnipotens*, a multis vero *exercituum Dominus Deus*, ut ipse omnes exercitus angelorum atque hominum dis, oneret. *Pleni sunt cœli et terra gloria tua, Hosanna in excelsis.* Quomodo nunc dicitur corrupte Hosanna, cum ante dicebatur Hosyanna. Osy interjectio est laudantis [*ms.* laudis] sive magnificantis; anna *salvifica*; sed corrupte dicitur Hosanna, et intelligi potest *salvifica*, vel salvum fac; *in excelsis*, id est in altis *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* xxi, 9; *Marc.* xi, 9). Quando Christus venit Jerusalem descendens de monte Oliveti, tunc filii Israel clamaverunt, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Joan.* xii, 13); sed quid significavit ille adventus Christi Jerusalem, nisi futuram resurrectionem, **369** quando futurus erat judicare vivos et mortuos, et apparuerit nobis in eadem carne qua pro nobis passus est? Et tunc *in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* ii, 10), et cætera quæ dixit Apostolus.

Canon missæ.

Te igitur, clementissime Pater. Te clare, id est, clementissime Pater. Clemens dicitur, quasi clara mens, sive abundans, sive clarissimus est mente, et misericordissimus corde Pater. Non ideo eum dicimus clementem et misericordem quod membris corporeis, vel corde, aut mente sit compositus sicut homo, sed ideo clementem et misericordem clamamus, ut illam clamemus clementiam, et misericordiam super nos ab ipso sentiamus, et intelligamus, unde Salvatori gratias debeamus. *Per Jesum Christum Filium tuum.* Jesus Græce, Latine *salvator* sive *salutaris* dicitur. Salvator eo quod salvat populum suum a peccatis eorum; ideo salvat a peccatis, quia potestatem habet in terra dimittendi peccata. Salutaris ideo dicitur, quia salutem nobis dedit, ut si præcepta ejus servamus, vitam æternam capere valeamus. *Filium tuum Dominum nostrum:* Filium suum unigenitum, quia ipse est unigenitus ex substantia **370** Patris, nos autem adoptivi filii sumus per ipsum qui unigenitus est, a Patre procedens, Patri coæternus, et ideo per eum Patrem petere debemus, dicentes: *Supplices te rogamus et petimus. Supplices*, id est, humiles, *uti accepta habeas et benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Dona* sunt, quod voluntate dantur, *Munera* sunt, quæ in aliquo munere vel mercede offeruntur Deo ut peccata dimittantur. *Sacrificia* sunt, quæ cum orationibus consecrantur. *Illibata*, id est immaculata et ab omni livore malitiæ alienata. Tunc dona sunt et sacrificia illibata quanto absque scandalorum maculis sunt offerta, et justo sunt labore acquisita, non ut multi sunt qui dicunt illibata esse non dicata. Lege septem collationes Patrum, et in secunda collatione Theonæ, in nono capitulo invenies quæ sint illibata (Cassian.,

(55*) Quidam cum S. Joanne Damasc. angelos ex nullo tantum ordine cecidisse sentiunt, sed ordinem eorum decimum non agnoscunt. Vide S. Thom. 1 p. q. 63.

Digitized by Google

collat. 22). *In primis quæ tibi offerimus*, quia pro quibus offeruntur indicat, in primis offerre debent, hoc est, in una congregatione, *quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris, toto orbe terrarum.* Pro his offerimus in primis ut supradictam congregationem tuam per totum orbem terrarum pacificam, adunatam custodire digneris, *una cum famulo illo*, hoc est, cum illo qui sedem apostoli Petri tenet; **371** quia Ecclesia in qua Petrus princeps apostolorum sedet, caput est omnium Ecclesiarum catholicarum; ideoque Petro dixit Christus : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18); et propter hoc debemus pro eo orare, quod eidem præest Ecclesiæ. *Et antistite nostro*, hoc est, pro episcopo nostro in cujus parochia (*id est* diœcesi) sumus, pro ipso orare debemus quia ipse est pastor et prædicator noster.

Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, et omnium circumstantium. Sacerdos oravit ante pro apostolico et episcopo suo. Si episcopus missam celebraret, *pro antistite nostro* dicere non debet, quia antistes ipse est; si autem presbyter, dicere debet. Jam oratum est pro senioribus, postea orandum pro populo. Quando sacerdos dicit : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, deprecatur Deum Patrem, ut memorare dignetur omnium et officii missæ sive masculorum sive feminarum advenientium; et quod dicitur *circumstantium*, ipsi sunt masculi et feminæ qui circumstant. Jam sacerdos oravit pro omnibus qui ad audiendam missam venerunt; tunc demum orat pro his qui oblationes offerunt, *qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Dicit quod pro laude Dei in primis **372** offerunt, et postea *pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ, tibi reddunt vota sua æterno Deo, vivo et vero;* ideo offerunt quia vivo et vero Deo omnium fides circumstantium offerentium cognita est, et nota devotione omnes reddunt vota sua. Vota dicuntur quæ volenter promittuntur, quia libenter et volenter Deo vovere et reddere debemus.

Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosæ semperque virginis Mariæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum. Communicare, hoc est, memoriam honorabiliter tenere, quod Maria virgo per adventum Spiritus sancti genitrix facta est Filii Dei Jesu Christi Domini nostri qui Deus et homo est, per quem Patri supplicamus, et fidem communicare debemus, et credere quod Spiritu sancto annuntiante Filius Dei natus est ex ea, et virginitas ejus non est violata. *Sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum.* Apostolus in nostra lingua dicitur *missus*, martyr dicitur *testis.* Apostoli dicuntur quia a Christo missi sunt, martyres dicuntur quia testes sunt Christi qui passus est pro nobis, et ipsi pro Christo.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, **373** *sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias.* Sacerdos oblationem suam atque cunctorum qui Domino famulantur, id est, qui Domino serviunt, commendat ut Domino placeat, et ipse nobis propitius sit. *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripias* [al., *eripi*], *et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.* Pro eo quod sacerdos offert populus debet orare ut sacerdos exaudiatur, ut omnium dies in pace disponantur, et ab æterna damnatione eripiantur, de qua Dominus noster in fine mundi dicturus erit impiis : *Ite, maledicti, in ignem æternum*, etc. (*Matth.* XXV, 41), et ad illum gregem electorum suorum per angelos sanctos numerari mereamur, cui dicturus erit : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Ibid.*, 34).

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, hoc est, assignatam ut sibi placeat, *ratam*, id est judicatam, ut dignam illam judicet in conspectu suo offerri; *rationabilem*, id est, justa ratione plenam facere dignetur, quia tunc est acceptabilis, si recte credentes pro justa oratione offerimus; justum est postulare ut illam oratonem vel oblationem quam nos rationabiliter offerimus Pater omnipotens sanctificet. *Ut nobis corpus et sanguis* **374** *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* Patri dilectus est Filius, sicut ipse testatus est de cœlo, dicens : *Hic est Filius meus dilectus*, etc. (*Matth.* III, 17). Et nos cum diligere debemus quia *ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV, 10), et passus est pro nobis. *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum* (*Matth.* XXVI). *Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, dedit discipulis suis dicens : Accipite et bibite ex eo omnes, hic est calix sanguinis mei, Novi Testamenti et æterni, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis* (*Luc.* XXII). Quod intermisimus : *Qui pridie quam pateretur*, hoc est, pridie quam passus est ipse pro nobis, voluit tradere discipulis suis corporis et sanguinis sui mysterium, ut illi traderent nobis. Quis enim crederet quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem et vinum creavit, et omnia ex nihilo fecit? Facilius est aliquid ex aliquo **375** facere, quam omnia ex nihilo creare. Ipse Salvator voluit corpus humanum suscipere, et hominem Deo conjungere, ut *unus* fieret *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II, 5). Ipse voluit per nos panem et vinum offerri sibi, et ipsa divinitus consecrari; et fidelem populum credere unum esse mysterium, quod ipse tradidit discipulis suis, dicens : *Accipite et manducate ex hoc omnes* (*I Cor.* XI, 24). Et quando oculos ad cœlum levavit et Patri gratias egit, nos docuit quod nos Patri semper supplicare debemus, quod ille tam magnum sacramentum per manus nostras perficere dignetur. Et cum diceret : *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*, jussit nos illius passionis memores esse quanta pro nobis sustinuit. Omni tempore memores esse debemus quando hoc sacramentum celebramus, et ejus misericordiæ, non nostræ bonitati, fiduciam dare.

Unde et memores sumus, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta Christi Filii tui Domini nostri. Memores esse nos sacerdotes profitemur, atque plebem memorem esse testamur Christi Filii tui Domini nostri Jesu. Ideo sacerdotes fideliter memores esse debent, quia ipsi missam celebrant et sacrificium offerunt Christi exemplo instructi; et scire debent **376** quid celebrant, quia stulta postulatio est si postulans nescit quid postulat. *Plebs tua sancta* ideo memor est, quia Christus non solum pro sacerdotibus passus est, sed pro plebe sancta; ideo dicitur et sancta, quia fide ac baptismo Christi præcepto sanctificata est. Modo indicat unde memorare debent, id est, *tam beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis* Christi filii Dei. Passionis memores esse debemus, quia pati dignatus est pro nobis; resurrectionis ejus memores esse debemus, quia animæ justæ ab inferis per resurrectionem ejus liberatæ sunt; gloriosæ ascensionis ejus memores esse debemus, quia corpus humanum quod assumpserat junctum divinitati sine ullius adjutorio, propria majestate portavit in cœlum. Ideo dixit : sine ullius adjutorio, ut intelligatur quod non hominum, nec angelorum, nec ullius creaturæ ascendit in cœlum, sed Patris majestate elevatus est, de qua dixit in Evangelio : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). *Offerimus præclaræ*

Digitized by Google

majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum, vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. Domine, omnium memores supradictarum bonitatum tuarum *offerimus* **377** *tuæ majestati hostiam puram*, hoc est, corde puro, quia purum est corpus tuum quod de hoc pane fieri credimus. *Hostiam sanctam*, quia tu sanctificasti corpus tuum, quando hominem in Deum assumpsisti; et nunc sanctifica hunc panem ut corpus tuum fiat. *Hostiam immaculatam*, quia sine macula peccati passus es pro nobis. *Panem sanctum vitæ æternæ*, quia tu panis vivus es qui de cœlo descendisti, et corpus tuum in hoc pane a te sanctificato nos accipere voluisti, et per calicem passionis tuæ, nos per sanguinem tuum sumere voluisti, tu sanctifica hanc hostiam ut nobis corpus tuum et sanguis tuus fiat.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris. Hic deprecamur ut Pater sanctus super dona a nobis offerta pio et blando vultu, et claro dignetur respicere, id est videre. *Et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Accepta habuit Dominus munera Abel, quia quid optimum invenit obtulit Deo; et nos justa munera et munda Deo mundo corde offerre debemus. Abraham Filio suo non pepercit, sed obediens jussioni Domini offerre **378** eum voluit. Melchisedech primus sacerdos Domino panem et vinum obtulit, et ideo scriptum est in psalmo : *Tu es sacerdos in æternum secundum*, etc. (*Psal.* CIX, 5). Quia sicut ille panem et vinum obtulit, ita et Christus in passione sua corpus et sanguinem suum obtulit Deo Patri pro nobis, et in pane et vino passionis suæ mysterium nos imitari voluit, quando discipulis suis dans panem et vinum vel calicem, dixit : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26); et : *Hic est calix sanguinis mei* (*Luc.* XXII, 20). Et nos supplicare debemus, ut sicut supradictorum Patrum accepta Deo fuerunt munera, ita fiant et nostra.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ. Humiliter postulamus ut munera nostra super altare hoc quod videri potest offerta, jubeat cœlestis Pater per manus sancti angeli sui perferri in illud altare ante divinam majestatem suam, quam oculis nostris videre non possumus quia corporalis non est, sed spiritalis. Et sicut nos divinam majestatem Patris investigare non possumus, sed potius credere : *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur, per Christum* **379** *Dominum nostrum*; orare debemus Patrem cœlestem, ut omnes qui ex ipso altari super quod offerimus Deo Patri in commemorationem Filii sui Domini nostri Jesu Christi corpus et sanguinem prædicti Filii Dei sumpserimus, omnem benedictionem cœlestem accipere mereamur.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam, et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus, vel omnibus sanctis. Hæc omnia sacrificia ideo sunt offerta tam a sacerdote quam a populo, ut omnipotens Deus peccata nostra non reputet, sed cum sanctis suis nobis portionem tribuat. *Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte.* Hoc rogamus ut ipse qui dixit : *In quacunque hora peccator conversus fuerit, et pœnitentiam egerit, omnia peccata ejus in ablutione erunt coram me* (*Ezech.* XXXIII), non retributionem peccatorum æstimet, sed ipse sit veniæ largitor, et intra consortium sanctorum nos mittat : *Per Christum Dominum nostrum.* Per quem hæc omnia dona creavit, ipse sanctificet et benedicat, et præstet nobis per Christum per quem facta sunt omnia, et cum quo facta sunt omnia, quia cœternus est Patri, semper gratias referamus Patri. *Per omnia* **380** *sæcula sæculorum. Amen.*

Præceptis salutaribus moniti, Christi præceptis quæ salute sunt plena, quia ipse est æterne summus, admoniti et jussi. *Et divina institutione formati*, id est, formam et exemplum a Christo Domino nostro suscepimus, et ausi sumus orare, sicut ille docuit discipulos suos, et Patrem nostrum credimus in cœlo esse qui nos creavit, et dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis*, Christus dixit post resurrectionem suam : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Aliter dicit Patrem suum, et aliter Patrem nostrum; Patrem suum quia proprius est Filius Patris ante omnia tempora genitus, Patri coæqualis. *Pater noster*, ideo quia nos creavit in tempore coæternus, et nos filii sui sumus adoptivi, et hæreditatem cœlestem Patris nostri cœlestis possidere debemus, si operibus implemus quæ per susceptionem fidei spopondimus. Cœlum a *celando* dicitur ideo, quia celat divina secreta. Aliter cœlum a *celsitudine* dicitur, eo quod altius est rebus terrenis. Nos autem ideo dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis*, ut credere ostendamus nos in Patrem cœlestem; et sicut filii præcepta patris sui implere cupiunt, ita et nos ipsius præcepta implere, et ad cœlum tendere desideremus. *Sanctificetur* **381** *nomen tuum* (*Matth.* VI, 9), hoc est, ut nos simus digni nomen sanctum ejus tenere in cordibus nostris, ut sicut angeli sancti qui in cœlo sunt sciunt et intelligunt sanctitatem sui nominis, ita et nos qui in terra sumus ipso adjuvante sanctitatem ejus mereamur cognoscere, ut *Sicut in cœlo ita et in terra* (*Ibid.*, 10) sit nomen ejus sanctificatum. *Adveniat regnum tuum* (*Ibid.*), hoc est, ut nos regnum ejus et potentiam ejus mereamur cognoscere, et ut jam propter peccata nostra diabolus non regnet super nos, sed ipsius regnum adveniat, sicut in Evangelio scriptum est : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc* XVII, 21). *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10); hoc est, ut ejus voluntatem sicut illi qui in cœlo sunt faciunt, ita et nos qui in terra sumus faciamus; terra a *terendo* dicitur. *Panem nostrum quotidianum* [al., *supersubstantialem*] *da nobis hodie* (*Luc.* XI, 3). *Pan* apud Græcos, in nostra lingua *omne* interpretatur; et nos oramus ut omnipotens Pater omnem victum spiritualem ac carnalem largire dignetur omni tempore. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12); nihil enim injustum facit qui sibi debenti debitum requirit. Sed si omnipotens Deus nobis omnia debita nostra requirit, nullus sine debito invenietur; et ideo debemus nos debitoribus nostris debita dimittere, **382** ut nobis Omnipotens nostra dimittat, quia ipse dixit : *Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis remittet peccata vestra* (*Matth.* VI, 15); et alibi : *Auferuntur* [al., *colligent*] *de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41), et iterum sacrificium non recipitur si cum scandalo offertur; sed ante altare dimittere jubetur, usquedum reconcilietur fratri suo, et tunc offerri mundo corde (*Matth.* V, 23). *Et ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI, 13), hoc est, ne intremus in illam tentationem in qua diabolus nos tentat, et ei consentiamus; sed Dominus ipse nos defendat ne inducamur in tentationem diabolicam, quia si Deus nos dimittit, statim introducemur in laqueum diaboli.

Liberas nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris. Hic postulamus ut ipse nos ab omni malo liberet qui nos bonos et mundos creavit, a quo nullum est malum. Præterita sunt quæ jam ante peccantes commisimus, et ideo flagella sustinemus; præsentia sunt quæ quotidie committimus, futura sunt quæ adhuc diabolo suadente advenire possunt. Et ideo oramus ut ab omnibus liberemur, quia ante conspectum Domini nulla

Digitized by Google

sunt præterita, nec futura, sed omnia præsentia. *Intercedente pro nobis beata et gloriosa, semperque virgine Dei genitrice Maria, et beatis apostolis* **383** *tuis Petro, et Paulo atque Andræa cum omnibus sanctis.* Invocamus nobis in adjutorium Genitricem Dei, quæ virgo fuit ante partum, virgo post partum, et beatos apostolos qui nobis hæc mysteria celebranda tradiderunt, ut intercedant pro nobis, quia nos ipsi digni non sumus de præteritis et præsentibus veniam promereri, nec de futuris cautelam, nisi nobis eorum oratione donetur. Jam oravimus ut liberemur a malis, nunc oramus ut prædictis sanctis intervenientibus ipse donet pacem. *Da propitius pacem in diebus nostris,* qui potens es a malo liberare; da pacem in diaboli tentatione, ne inducamur in eam, da pacem a malis omnibus ne patiamur flagella eorum. *Ut ope misericordiæ tuæ adjuti,* hoc est, ut Dei adjutorio adjuti, *et a peccatis simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per Christum Dominum nostrum.*

Pax Domini sit semper vobiscum. Christus est pax æterna, qui nos reconciliavit Patri per passionem suam, ne propter peccatum primi hominis in inferno detineremur. Hæc orat sacerdos ut illa pax cum populo maneat, et omnes concordes faciat, ut pacifici cum Christo mereamur regnare in cœlo. Et ideo tunc facimus pacem antequam corpus et sanguinem sumamus Domini, ut concordiam **384** inter nos habere ostendamus, et cum concordia corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi in corpore nostro suscipiamus, quia, sine concordia digni non sumus sanctam communionem suscipere, quia munera nostra, si discordiam habemus cum proximis nostris antequam reconciliemur ad omnes, non recipiuntur. Tunc orat clerus cantando : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei,* propter innocentiam, quia nulli hominum nec bestiarum nocet, et dum ad victimam ducitur occidentem se non lædit, sed occisores suos occisione sua relicit; ita et Christus nullum lædit sicut Apostolus ait : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II, 22); sed post passionem suam conversus persecutores suos multos per sanctam communionem et sanguinis sui effusionem refecit, et credentes fecit. Ipse tulit peccata mundi quando remissionem peccatorum nobis dedit, quia ante passionem ejus justi et peccatores in infernum (54) descendebant, quia in Veteri Testamento remissionem peccatorum nusquam legimus. Christus vero per pœnitentiam non solum veniam peccatorum, sed et gaudium nobis promisit angelicum, dicens : *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV, 10). Ipsum Christum, **385** qui est Agnus Dei innocens, qui passus est pro salute mundi, petimus ut misereatur nostri dicentium : *Miserere nobis.*

(54) Non tamen in eamdem inferni partem.

EXPOSITIO DIVINORUM OFFICIORUM.

(*Ex codem ms. codice Biaotiano.*)

Quid significet officium missæ.

Spiritus sancti gratia inspirante dicendum est quid significet Officium missæ, cum satis esset, sine cantoribus [*ms.* cantatoribus], lectoribus, cæterisque quæ ibi aguntur, sola benedictione episcoporum vel sacerdotum ad conficiendum corpus et sanguinem Domini, sicut tempore apostolorum. Signorum usus a Veteri Testamento est sumptus, habebant enim filii Israel tubas argenteas quibus convocabant populum (*Num.* x, 2). Nos habemus signa ærea sonoriora et durabiliora, significantia ora prædicatorum; tunc enim *Notus in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV, 2) tantum, nunc in omni terra; tunc prædicabantur temporalia, nunc æterna. Plectrum signi, linguam doctoris; vinculum quo ligatur signum, est prædicationis moderatio; lignum a quo pendet signum, est crucis mysterium; instrumentum a quo ligatur significat oracula prophetarum; a ligno descendens, et opus prædicationis; exsecutio funis sursum, intellectus **386** doctoris, quantum proficiat in sublimitate virtutum; retractio funis seorsum, consideratio quantum jaceat in uno vitiorum; annulus in fune vitiorum reticenda divinæ Scripturæ significat.

De ecclesia.

Ecclesia dicitur fidelium conventus, in quam quare conveniamus duo sunt. Unum ut ibi audiamus judicia nostra, sive bona, sive mala; alterum ut ibi percipiamus Dominicum corpus. Masculi in australi parte stare debent ecclesiæ, feminæ in boreali, ut ostendantur firmiores stare debere contra majorum hujus sæculi æstus tentationum. Situs ecclesiæ in modum crucis, in modum humani corporis dicitur esse. Cancellum significat caput, crux ex utraque parte brachia et manus, reliqua pars corporis ab occidente, quidquid corporis videtur superesse; sacrificium altaris, votum cordis; fenestræ, sensus hominis vel corporis.

Officium missæ.

Officium ad missam Cœlestinus papa instituit; ante enim Epistola tantum et Evangelio recitatis, missa celebrabatur. Præferri debet thuribulum cum incenso, subsequi acolythi cum cereis, hos subdiaconi, hos episcopus inter duos presbyteros. Thuribulum **387** significat corpus Christi, carbones Spiritum sanctum, incensum odorem boni operis Christi, quia Christus venturus in mundum præmisit prophetas, sapientes et scribas. In loco scribarum acolythi qui portant divinas Scripturas, et præcedunt ad illuminandum corda fidelium; in loco sapientium subdiaconi, qui sapienter sciunt disponere vasa Domini; in loco prophetarum diaconi in evangelizando futuram annuntiant vitam; episcopus inter duos presbyteros significat Christum inter duo Testamenta; Officium autem Christi adventum et populi adunationem significat. Episcopus osculatur primum ministros (postea it ad altare), deinde Evangelium : Christus enim reconciliavit primum apostolos, postea reliquos Judæos, deinde gentiles. Remanet Evangelium in altari ab initio Officii donec legatur, quia remansit evangelica doctrina ab adventu Domini in Jerusalem loco passionis, quod significatur per altare, donec publice exiit ad gentiles. Interim tenent acolythi cereos in manibus, quia doctores debent exercere quod docent. In *Kyrie eleison* orat Ecclesia, ut sacerdotis oratio sit Deo placabilis. Cum incipitur *Kyrie eleison*, acolythi cereos ad terram ponunt, altrinsecus uno in medio posito, ut in bono **388** opere et prædicatione doctores se esse in terram cognoscant; medius autem cereus illum significat qui ait : *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII, 20). Transitus episcopi de medio altaris ad dexteram partem significat Christ transitum de passione post resurrectionem ad æter-

Digitized by Google

nam vitam, ubi Dominicis diebus et festivis diebus sanctorum *Gloria in excelsis Deo* canitur, quia sanctos per Dominicam resurrectionem gloriæ angelorum recolit. Retro in eadem parte ministrant, quia, quamvis in hac vita fideles adhuc positi sunt, Christi tamen æternitati semper intendunt, ut ipse dicit: *Qui mihi ministrat me sequatur* (*Joan.* XII, 26). Quando episcopus, dicendo *Dominus vobiscum*, salutat populum, ei faciem suam præsentat, excepto in uno loco, ubi demonstrat devotionem intentissimam quam habet in offerendo sacrificio. Hac quidem episcopi salutatione et responsione internus affectus utriusque debet esse. Prima salutatio episcopi significat salutationem Christi ad discipulos post resurrectionem. Oratio et benedictio episcopi ante sessionem Christi [*f. del.*], significat illud tempus quo Christus benedixit discipulis suis ascensurus in cœlum. Sessio episcopi significat sessionem Christi post ascensionem ad **389** dexteram Patris, sessio ministrorum, sessionem eorum quibus dicitur: *Sedebitis et vos super sedes duodecim* (*Matth.* XIX, 28). Per Epistolam prædicationem Veteris Testamenti quam humiliorem intelligimus. Responsorium ideo dictum, quod uno incipiente cæteri respondeant, prædicationem Novi Testamenti quæ excellentior est; lectores et cantores ad officium surgentes negotia Domini habeat, sicut illis dicitur: *Negotiamini, dum venio* (*Luc.* XIX, 13).

Quare responsoria altius lectione dicuntur.

Responsorium altius lectione auditur, ut si quis obduratis auribus cordis non excitatur depressa admonitione Veteris Testamenti, hic excitetur. In versum quem solus cantat, admonet ut solus retractet fragilitatem suam. Timore versus alte incipere responsum non est ausus. Finito autem versu, vocem exaltat fiducialius, ubi designat eos qui consideratione propriæ fragilitatis quidquid agunt, humilius agunt; hic illos qui confidentes præfidentes [*id est*, præsumentes] de misericordia Dei, fiducialius insistunt omni suæ actioni.

Quid significet graduale.

Graduale bonum opus significat, in quo seminamus illam spem contemplativæ vitæ in qua metimus; præcedunt vero tractus tristitiæ, sequitur autem lætitia, **390** quia præcedunt duo dies de sepulcro, sequitur tertius resurrectionis gloriæ; lector vel cantor officium suum acturi supra gradum ascendunt, quia doctor perfectione vitæ vulgus debet transcendere.

De significatione incensi.

Cum Evangelium debet legi ponit in thuribulo super prunas incensum ut suavem emittat odorem bonorum operum, hæc superius exposita sunt. Deinde diaconus accepta benedictione, et confirmata crucis impressione ut securus incedat, de altari Evangelium sumit, sinistro brachio superponit, quia in vita temporali necesse est Evangelium prædicari; depositio baculorum humilitatem significat fidelium, vel ne videantur similes Judæis arundinem tenentibus in conspectu crucifixi. Thuribulum portatur super tribunal ante Evangelium, quia Christi opera præcesserunt ejus doctrinam, ut est illud, quod *cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1). Excellentior [*id est*, Excelsior] locus Evangelii, eminentiam significat prædicationis, duo cerei qui præcedunt diaconum, legem et prophetiam quæ præcesserunt Evangelium; cereorum ad terram depositio, legem et prophetiam inferiorem esse Evangelio. Lecto Evangelio (54*) cerei exstinguuntur, quia, prædicatione Evangelii finita, lex et prophetia cessabunt.

(54*) Ita Joan. Abrincensis, pag. 19.

391 *De monitione episcopi.*

Post Evangelium quando episcopus dicit: *Dominus vobiscum*, incipit aliud Officium (55), *Oremus* dicendo, monet unumquemque ad se redire, conscientias suas discutere, seipsum holocaustum Deo offerre.

Quid significet corporale.

Sindone, id est, corporali imposito altari, admonentur ministri, vel populus, ut sint mundati ab omni cupiditate carnali, sicut illud mundatum est a naturali viriditate et humore. Illud splendet nitore, isti virtute. Postea cantante choro, susceptis oblationibus a populo, episcopus revertitur ad altare. Christus, susceptis fidelium votis, fidelium turbis cantantibus *Hosanna in excelsis*, uti erat necesse in proximo immolaturus, intravit in templum. Oblatio panis et vini significat pia desideria sive per immolationem, sive per vivam hostiam. Deinde levat episcopus manus ut sint mundæ a terreno pane, et orat ante altare ut sit dignus ad immolandum sacrificium, ne fiat illi sicut factum est in Bethsamitibus, in quibus qui non timuerunt videre arcam Domini occisi sunt de populo LXXV viri, de plebe L millia (*I Reg.* VI). Thuribulum quod superponitur orationi significat **392** Christum, per quem sibi propitietur Dominus.

De commistione vini et aquæ.

Commistio vini et aquæ, conjunctio Christi est et Ecclesiæ. Prima secreta significat illud tempus quando Christus venit ad diem festum non manifeste sed quasi in occulto, vel illud quod in Christo latebat, Agnus paschalis immolandus, quod erat secretum omnibus usque in diem cœnæ, quando discipulis aperuit. In hac secreta vocatur sacrificium oblatio. A *Dominus vobiscum* usque ad *Sanctus*, vocatur hymnus, quia laudibus sanctorum angelorum est plenus; vocatur præparatio, quia præparat mentes fidelium ad futuræ reverentiam consecrationis. Significat autem illud tempus quando Christus in cœna in cœnaculo hymnum retulit, *et hymno dicto exivit in montem Oliveti* (*Matth.* XXVI, 30). Et hic altare significat mensam Domini in qua convivabatur cum discipulis suis; corporale, linteum quo erat præcinctus; sudarium, laborem ex persecutoribus; *sursum corda*, ascensionem in cœnaculum.

Finito hymno *Sanctus, sanctus*, quem hic inseruit Xystus papa, cujus hymni prima pars laudem continet angelorum, ultima hominum, sacerdotes et diaconi retro stantes **393** inclinati perseverant usque in finem Dominicæ orationis. Isti significant apostolos qui in passione Domini magna tribulatione oppressi non audebant se erigere ut se Christi discipulos confiterentur esse, et stabant tamen in fide in faciem aperte. Sicut erant duo altaria in tabernaculo, unum thymiamatis, alterum holocausti, ita sunt duo sacramenta Ecclesiæ, unum in quo carnales motus sopiti sunt, quod est a *Te igitur*, usque *Quam oblationem;* alterum hinc usque *Nobis quoque peccatoribus*, in quo necesse est quotidie carnalia mactari. In hac oratione simdo subsistens significat Christi in passione humilitatem; sudarium, laborem. De crucibus vero quas solemus diverso modo facere super panem et vinum, non est quid dicam in tali loco, vel cur plures seu pauciores fiant. In loco ubi dicitur: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis;* hic simplex panis revertitur (56) in rationabilem naturam corporis et sanguinis Christi. *Unde et memores*, hic incipit passio. *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam;* hic incipit crucifixio. *Supplices te rogamus;* hæc oratio in cruce incœpta a psalmo XXI [XXX] usque *In manus tuas commendo spiritum meum*, episcopo inclinato, signi-

(55) Scilicet fidelium, catechumenis dimissis.

(56) *Revertitur*, id est, *conversum est*. Præsens pro præterito ponitur, simili modo loquitur auctor, lib. de eccles. Hier. c. 3.

Digitized by Google

ficat emissionem spiritus Christi, capite inclinato. *Nobis quoque* **394** *peccatoribus.* Hæc oratio tenuit usque *Per omnia sæcula sæculorum.* Hic elevata vox sacerdotis, significat exclamationem Centurionis dicentis : *Vere Filius Dei erat iste* (*Matth.* XXVII, 54). Iterum *stabant noti ejus omnes a longe, et mulieres quæ secutæ erant eum a Galilæa, hæc videntes* (*Luc.* XXIII, 49). Hos significant subdiaconi. Ad hanc vocem cæteri erecti, et intuentes in os episcopi; minoribus autem discipulis ita intuentibus, apostolis vero latentibus, venit Nicodemus et Joseph, et depositum corpus involverunt in sindone munda et posuerunt in monumento (*Matth.* XXVII, 59, 60; *Joan.* XIX, 42), quos significant episcopus et archidiaconus, qui subdiaconibus a longe aspicientibus, diaconibus retro stantibus elevant calicem de altari, et involvunt in sudario et reponunt. Duæ cruces factæ juxta calicem docent Christum pro duobus populis crucifixum. Oblata in calice significat corpus Domini. Vinum intra calicem, intra corpus et sanguinem. Subdiaconi recedentes a facie episcopi cum incipitur *Pater noster*, significant mulieres sepulto Domino a monumento recedentes. Patena significat feminarum corda in obsequio sepulturæ Christi latitudine charitatis patentia, in reconciliatione septimæ diei quando Christus in sepulcro requievit, inseritur Dominica oratio quæ continet septem **395** petitiones. Subdiaconus dat patenam diacono, quia resurrectionem mulieres nuntiaverunt apostolis. Pars oblatæ immissa calici ostendit corpus Christi quod resurrexit a mortuis. Pars a sacerdote comesta vel a populo significat corpus Christi adhuc in terra manens. Pars relicta in altari quam Ecclesia viaticum sibi sumit, significat corpus fidelium jacens in sepulcris : hæc pars remanet in altari usque ad finem missæ, quia usque ad finem sæculi corpora sanctorum quiescunt in sepulcris. Manditia corporalis significat munditiam populi fidelis. Dominus ascensurus in cœlum benedixit discipulis, et sacerdos omnibus rite peractis benedicit populo (57) atque salutat; deinde ad orientem conversus Christi ascensioni se commendat. Missa est tamen ab offerenda usque *Ite, missa est.* Catechumeni ab ecclesia non sunt expellendi ante Evangelium cum præcipiatur eis ad prælicandum, sed ante sacrificium, cui nonnisi renatis licet interesse. Diabolus in Quadragesima acrius humanum genus impugnat, ideo tunc sacerdos humiliter capitibus inclinatis in fine missæ confirmat eum addita benedictione.

Ab hora tertia usque ad nonam papa Telesphorus missam celebrari constituit, **396** quia hoc tempore Christus pro nobis hostiam se Patri obtulit, hora enim tertia crucifixus est Judæorum linguis; sexta crucem ascendit, nona spiritum emisit. In natali vero Domini media nocte idem papa constituit, quia ea hora ipso nato angeli cecinerunt *Gloria in excelsis Deo;* in exordio diei similiter celebratur quasi in exordio nativitatis ejus, quia ex utero matris Spiritu sancto repletus fuit. Eadem ratione in nativitate sancti Joannis Baptistæ celebratur primo mane.

In missa pro mortuis non cantatur *Gloria*, nec *Alleluia* suavitatem [*ms.*, sanitatem] et lætitiam significantia, quia tunc magis afficimur pro nostri chari tristitia, et quia celebratur ad imitationem mortis Christi; osculum non datur hic, quia ibi est purgatio mortui hominis per sacrificium sacerdotis.

De Horis diurnis.

Sicut oves quæ nocte custodiuntur in ovilibus, matutina hora exeuntes ad pascua necesse est ut habeant pastorem qui eas ducat, sic nos, primo diluculo surgentes, necesse est ut habeamus pastorem vel doctorem qui nos ad spiritualem pastum deducat, et ab ipsis insidiis diaboli defendat; unde idem pastor noster summum Pastorem deprecatur, dicens : *Deus, in adjutorium* **397** *meum intende.* Sequitur gloria sanctæ Trinitatis, quam in nostro deprecamur esse adjutorio. Deinde sequuntur psalmi, qui nos defendunt et sustentant usque ad plenam tertiam. Versus et *Kyrie, eleison* nos præparant ad orationem Dominicam. Quando *Kyrie, eleison* dicimus, majestatem Domini ante assumptam humilitatem [*Amal. legit :* humanitatem] recolimus, sic semel, unam deitatis substantiam recolimus. Quando vero *Christe, eleison* dicimus, nostram naturam ad Christum repræsentamus, sic semel, solum sine peccato inter homines conversatum; sic ter, a substantia Trinitatis non fuisse separatum. Quando iterum *Kyrie, eleison* dicimus, illam naturam quam Christus habet post resurrectionem cum Patre et Spiritu sancto recolimus; quomodo semel vel ter intelligamus, superius dicitur. Oratio Dominica et credulitas (*id est*, symbolum apostolorum), et preces quæ sequuntur pro minimis dicuntur peccatis, psalmi pœnitentiales pro maximis, in quibus psalmis sacerdos vicem tenet Christi in terra nobiscum manentis, et Patrem pro nobis interpellantis. Singulis vero horis in fine surgens, populum salutans et benedicens, Christum significat resurgentem, et in monte Oliveti per [*ms* post] ascensionem benedicentem. Populus Deo gratias agendo, ad propria reversos significat **398** discipulos, cum gratiarum actione post Ascensionem in Jerusalem revertente.

Hora tertia descendit Spiritus sanctus super apostolos, et eadem hora convenimus in Dei servitio, ut ibi tres psalmi dicti nos defendant usque ad sextam. Sexta hora pro nobis crucifixus est Christus, ideoque ad servien um Deo hac hora convenimus, ut tres psalmi similiter nos defendant usque ad nonam. In nona qua Christus emisit Spiritum iterum ad laudem Dei convenimus, a qua hora tres psalmi nos custodiant usque in finem diei. His tribus horis ad confitendum Deo in die convenimus exemplo prioris populi, et quatuor horis in nocte, quæ sunt : Vespertinum, Completorium, Nocturnum, Matutinum.

Ad Vesperas quinque psalmos antiphonatim canimus; antiphona vox reciproca [*add.* quæ] per psalmum conjungit duos choros, ut charitas per bonum opus sociat duos fratres. Sicut quotidie diluunt quinque psalmi quidquid delinquunt quinque sensus corporis, ita *Magnificat* in initio noctis castigat quidquid cogitationum in prosperitate se jactat. Quem enim superbia in die rapit extra se, nocte audiens *Dispersit superbos*, revertatur ad se. Si quem temporalium rerum appetitus delectat, *divites dimisit inanes* **399** ad se retrahat. Si quem temporalis afflictio conturbat, recogitet quia Dominus *exaltat humiles;* si enim subripit potentia hujus seculi, suprimat eum *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles* (*Luc.* I, 52). In quotidianis diebus ad Dominicam orationem et preces genuflectimus orantes, et ad psalmum pœnitentialem propter peccata graviora, recolentes nostram peregrinationem. In Dominicis autem diebus non genuflectimus, non preces nec psalmus dicuntur, quia in his recolitur libertas futuri regni, in quo cum sanctis Christus nullo peccato impeditis regnabit. In quatuor psalmis Completorii Domino commendamus elementa nostri corporis, in hymno Simeonis pacem quærimus ab omni tumultu hujus sæculi.

In Natali Domini et in festis Dominicisque diebus tres psalmi primi illis conveniunt qui ante legem sanctæ Trinitati crediderunt, tres secundi eis qui sub lege, tres tertii eis qui sub gratia; ideoque in his sæpius *Alleluia* recolitur, quia gaudium angelorum quod illi duo exspectaverunt, isti in hac vita soluti cito percipiunt. In natali Domini, resurre-

(57) Per hanc benedictionem intellige orationem, ut ex sequentibus infra patet, vel salutationem *Dominus vobiscum.*

Digitized by Google

ctione, ascensione, Pentecoste, Dominicis diebus stantes oramus, intendentes quod Christus in dextera Dei Patris sedet; qui pro nobis natus, 400 resurrexit, ascendit, Spiritum sanctum discipulis suis misit.

Similiter in festivis diebus sanctorum, recolentes quia in æterna beatitudine sunt renati. In natalitiis sanctorum novem lectiones, novem ordines angelorum quibus juncti sunt significant. In natali Domini, apparitione (*id est*, epiphania), resurrectione, ascensione primam diem celebramus, gratulantes illi qui pro nobis natus apparuit magis, resurrexit, ascendit in cœlum. Sex dies sex opera significant misericordiæ per quæ venimus ad nostram nativitatem, apparitionem, resurrectionem, ascensionem ab hac vita in cœlis; in qua commemorationem in his octavis celebramus. Per septem dies Pentecostes recolimus opus septiformis Spiritus, in octavis consummationem et plenitudinem ejusdem operis in æterna beatitudine semper venturi. Octavas Dominicæ passionis sufert gloria resurrectionis. Passionem Domini in tristitia celebramus propter apostolos de resurrectione incertos. Passiones sanctorum in lætitia propter nos de gloria eorum certos, propter passiones innocentum, propter tristitiam martyrum. In natalibus sanctorum recolimus requiem animarum, in octavis resurrectionem corporum, in sex diebus sex opera per quæ 401 ad Dominum venerunt. Versus in nocturnali officio excitat corda ad orationem Dominicam, quæ oratio nos facit intentos ad lectionem, et erigit a negligentia quam parit sessionis securitas. Ad *Magnificat* et *Benedictus* similiter, quibus, sicut lectioni, debemus esse intenti. Oratio, benedictio, gratiarum actio semper in fine cursuum dicuntur, ut tali protectione quisque rediens ad propria muniatur contra adversa; lectiones vero, et responsoria, quid significent in Officio tenebrarum dicemus.

Matutinale Officium significat tempus primitivæ Ecclesiæ usque ad judicium. Primo enim primitiva Ecclesia Christi prædicatione constructa est, ipso in ea regnante, unde psalmus in Laudibus: *Dominus regnavit.* Postea ipsa Ecclesia cum cæteris orationibus nuntiavit adventum Christi, dicens: *Jubilate Deo, omnis terra;* quia suam benevolentiam offerens vocationi gentium, dicit: *Deus, Deus meus;* et quia futurum est ante persecutionem Antichristi ut populus ex præputio et circumcisione unum sit in fide, sub una antiphona duo psalmi continentur. Postquam hi fuerint juncti, veniet tribulatio Antichristi, qui sicut Nabuchodonozor tres pueros; sic omnes sanctæ Triniati confitentes camino 402 exuret persecutionis, qui, sicut illi, benedicent Domino, ab omni malo liberati. Quapropter cum in cæteris psalmis cantamus *Alleluia*, nos in hoc psalmo utimur Latinis verbis ob memoriam tantæ tribulationis. *Gloria Patri* non dicimus in fine, ex ipso psalmo enim utimur sancta Trinitate. Post hoc erit pax fidelibus per tres annos et XLV dies, in qua pace celebrabitur laus Dei quæ continetur in tribus psalmis: *Laudate Dominum de cœlis, Cantate Domino, Laudate Dominum in sanctis.* Et quia sunt tria genera hominum, qui ex Evangelio sub nomine lecti, molendini agi dicuntur, de quibus in unitate fidei pars congregabitur, hi tres psalmi sub una antiphona cantantur.

Septuagesima Dominica die habet initium, Sabbato post Pascha finem. Significat autem captivitatem populi Dei in Babylonia, qui peccando recesserat a Domino, quasi Dominica die, et per misericordiam Dei revertitur ad requiem, quasi Sabbato. Tempus Septuagesimæ usque ad Pascha significat illud tempus in quo peccatores in afflictione et tristitia positi sunt pro peccatis suis ante dies et illud tempus, quo per pœnitentiam et consolationem tamen sublevati sunt, dicentes: *Facti sumus sicut consolati* (*Psal.* CXXV). Sabbatum illud tempus significat 403 quo jam in futura vita plenam recipiemus requiem.

Sexagesima Dominica die habet initium, quarta feria infra Pascha finem. Hæc quarta feria quartam ætatem significat, quando populus Dei sub David et Salomone gloriosus est triumphatus. Quapropter die illo processionem agimus vexillo sanctæ crucis elevato, ad quem triumphum non potest perveniri, nisi per Decalogum legis et sex opera misericordiæ.

Quinquagesima habet initium Dominica die, resurrectionis (*add.* in die) finem; significat autem quod si quis Decalogum legis per quinque sensus corporis expleverit, securus perveniet ad gaudium Dominicæ resurrectionis, vel suæ.

Quadragesima Dominica die habet initium, quinta feria finem super duos dies usque ad baptismum resurrectionis, quia qui ad Christum transeunt per baptismum, eodem numero ad eum perveniunt, quo ipse per genealogiam suam ad nos venire dignatus est. Exemplo autem Domini quadraginta diebus extendimus jejunii nostri tempus.

Duæ hebdomadæ passionis significant duo tempora ante legem, sub lege, Pascha tempus sub gratia. Sabbato ante 404 palmas Maria unxit pedes Jesu, ad cujus imitationem papa Gregorius eleemosynam faciebat, ideoque Officium vacat. Ante quinque dies Paschæ agnus immolandus in domum introducitur, Christus in civitate.

Feria quarta *consilium fecerunt Judæi ut Jesum occiderent* (*Matth.* XXVI, 4). Quinta et sexta campanæ cessant; *Domine, labia mea*, benedictio, capitula, oratio non dicuntur, quia Pastor noster, Christus, recessit, ideoque omnis prædicatio et admonitio apostolorum propter metum cessavit Judæorum; ideo minus suum faciunt Officium in psalmis, lectionibus, responsoriis, versibus, in exemplis eorum qui erant cogniti discipuli Christi. Invitatorium non cantatur propter malum conventum Judæorum. Salutatio et osculum non fit propter dolositatem eorum. Pro campanis fit sonitus lignorum, in quo duo sunt, malleus et tabula; per malleum, lignum prævaricationis; per tabulam, lignum fructiferum, id est, Christum. Propter trinam sepulturam nostrum officium fit humilius tribus diebus. In his tribus diebus de novem psalmis, et lectionibus, et responsoriis: per novem psalmos qui pertinent ad bonum opus; per novem lectiones quæ pertinent ad agnitionem Dei; per novem 405 responsoria quæ pertinent ad cantica angelorum, monstratur quod descendit ad inferos liberare tria genera electorum, qui fuerunt ante legem, sub lege, sub prophetis, et conjunxit novem ordinibus angelorum. Viginti quatuor luminaria exstinguuntur unaquaque die, monstratur quod apostoli uno quoque die, id est, viginti quatuor horis laturunt. In Parasceve non fit corpus Domini, quia Christus semetipsum Deo Patri pro nobis hostiam obtulit, sed reservatur a quinta feria sacrificium, ut habeant quibus est voluntas communicandi. Sanguis non reservetur ne effundatur, sanctificatur vinum per corpus. Altare Dominum significat; vestimenta, fideles; lavatio aquæ, lacrymas Mariæ; ramus, capillos; vinum, unguentum. Quinta feria fit absolutio, ignis novi benedictio, chrismatis et olei consecratio, pedum lavatio, quia sexta ætate venit Christus in mundum, qui retinet sacramenta supradictorum in se. Vestimenta quæ partiuntur, dum legitur passio, apostoli sunt.

Sabbato sancto quidquid agitur in Officio nihil pertinet ad præsentem diem sepulcri, sed ad supervenientem Resurrectionis noctem; ideoque sicut non agitur sacrificium sexta feria, sic nota, nec septima. 406 Columna ignis præcessit filios Israel ante mare, et post mare usque in Jerusalem, et cereus lucet ante baptisma, et post usque in octavas, Christus animum lucet usque in diem judicii. Sabbato incensum portatur ante Evangelium propter mulieres aromata portantes; *Alleluia* significat Ju-

Digitized by Google

dæos prius conversos. tractus gentiles postea credentes. Illam gloriam quam dedit Deus Adæ, nisi peccasset, dat baptizatis Sabbato Sancto; et ideo *Alleluia* canitur. Sed quia restat via vivendi, sequitur tractus patientiam significans, per quam debent exspectare gloriam sempiternam, quam præsignat sequens Sabbatum. Ideoque in illo Sabbato non canitur graduale, quia bonum opus non est ibi necessarium; non tractus, quia nec patientia; sed duo *Alleluia*, unum pro gloria animæ, alterum pro corporis. Graduale non dicitur in sex diebus, quod significat bona opera activæ vitæ. *Alleluia* spem contemplativæ vitæ significat. Quinquaginta dies post resurrectionem usque ad octavas Pentecostes contemplativam vitam significant, ubi erit tantum *Alleluia*, quam lætitiam quinquagenarius numerus significat, qui jubilæus, id est, jubilo plenus dicitur.

Tres psalmi in resurrectione Domini tria opera Domini post resurrectionem **407** suam in unoquoque fideli facta significant, separationem infidelitatis, conjunctionem fidei, ablutionem baptismatis. Tempus Quadragesimæ, passionis significat præsens tempus, quoniam per omnia tempora oportet nos laborare, ad ultimum mori. Resurrectio vitam quam accepturi sumus in die judicii. Propter mortem Christi, qui fuit hora nona mortuus, baptizantur qui in morte Christi baptizantur. Hora nona propter sepulturam Christi Sabbato baptizantur. Frequens mutatio cantus animas bonorum invitat ad Dominum. Post quinquaginta dies septem solemnitates agimus propter septiformem Spiritum, vel propter gaudium baptizatorum. Septem diebus celebret quisque adventum Spiritus sancti, qui eum accepit per impositionem manus episcopi. Spiritus sanctus tanquam ventus et ignis super apostolos descendit.

Sabbatis in Quatuor Temporibus apud Romanos legebantur sex lectiones, Græce propter Græcos, Latine propter Latinos ibi commorantes; ideoque dicuntur in duodecim lectionibus. Quatuor jejunia facimus, unoquoque tempore tres dies, quia unumquodque tempus habet tres menses. In his quarta feria jejunamus, quia in ea *consilium fecerunt Judæi, ut Jesum occiderent* (*Matth.* XXVI, 4); **408** sexta quia eum occiderunt; septima quia tristitia fuit populorum, qua Deus sanctificavit Sabbatum, et *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Quarta feria duæ lectiones leguntur, ut ordinandi habeant notitiam legis et prophetarum; quarta enim ætate lex et prophetiæ viguerunt. Sexta feria, una lectio legitur, quia sexta ætate lex et prophetiæ claudantur Evangelio.

Clerus, *sors*, id est, pars Dei. In clericis quod pars est Domini, vel Dominus pars ejus, caput nostrum mentem significat; capilli, cogitationes; superior pars capitis rasa mentem Dominum contemplantem significat; inferior non rasa, mentem multifluis cogitationibus de temporalibus cogitantem. Superiorem partem radimus, cum temporales cogitationes in animo resecamus, inferiorem in coronam æquamus, cum temporalia necessaria cogitantes concordi curatione disponimus. Capilli oculis vel auribus non supercrescant, ne cogitationes temporales auditum vel visum mentis impediant. Non multum est curandum auctores consuetudinum nos inquirere, si possimus consuetudines.

409 *De Ordinibus.*

Ostiarii in Veteri Testamento januas templi custodiebant, suscipientes sanos et rejicientes infirmos; modo in ecclesia recipiunt fideles et repellunt infideles.

Lectores in Veteri Testamento aperte et distincte docebant populum verba legis; modo spiritualiter lectores sunt qui a dæmonibus in ecclesiam intrantes defendunt.

A Exorcista, id est *adjurator*, in Veteri Testamento habebat potestatem per impositionem manus expellere dæmonem ab homine; modo per orationem cebet vitia effugare ab anima.

Acolythi, id est *ceroferarii*, in Veteri Testamento Domini lumen præparabant; modo in ecclesia lumen veritatis semper debent præparare mentibus fidelium.

(*De subdiaconis.*) Nathanæi, qui *hypodiaconi*, id est *subdiaconi*, sicut in Veteri Testamento, ita nunc a populis oblationes suscipiunt, in domo Domini ipsi vasa corporis et sanguinis tamen offerunt; diaconus super altare disponit, et non recipit.

(*De diaconis.*) Levitæ in Veteri Testamento excubabant custodientes universa quæ ad cultum Dei tabernaculi pertinebant, servientes in ministerio ejus; in Novo Testamento provideant universa quæ necessaria sunt multitudini **410** cor unum et animam unam habenti. Idcirco mos eorum est ut excu- B bantes in virtutibus, custodientes ministerium sibi commissum, quæcunque necessaria sunt ad cœleste convivium disponant super mensam Domini. Illi impositionem manus accipiunt; per manum et discretionem digitorum discreta opera Spiritus sancti significant.

Presbyteri a filiis Aaron in Veteri Testamento exordium sumpserunt: episcopi ab ipso Aaron; qui tunc sacerdotes vocabantur, nunc presbyteri nominantur; qui vero tunc principes sacerdotum, nunc episcopi nominantur. Presbyteri consortes sunt cum episcopis in pluribus, in paucis vero dissimiles.

Baculum habet episcopus ut subditos regat, infirmos sustineat; annulum ut sacramenta non omnibus aperiat. Per amictum collo circumdatum custodiam vocis significat; per albam, castigationem corporis. Sacerdotes inde manus et brachia stringunt, ne quid inutile faciant; pectus, ne quid inutile cogitent; C ventrem, ne delicias appetant; verenda, ne in luxuriam declinent; genua, ne ab oratione torpeant; tibias et pedes, ne ad malum currant. Per cingulum continentia significatur, et item: *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35). Per stolam cui **411** dicitur jugum Domini leve, Evangelium Christi. In hoc quod collo superponitur, sciat se ministrum esse Evangelii, non dominum; in hoc quod usque ad genua, quæ causa humilitatis solent curvari, descendit, humilitas significatur. Per casulam opera justitiæ significantur, ut est illud: *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI, 9). Quia dupla est post tergum inter humeros, et ante pectus; per humeros, pondus boni operis. Ibi est duplex vestimentum, quia sic debent opera foris proximis ostendi, ut intus corda integra sint. In pectore duplex, quia in eo utrumque debet esse, doctrina et veritas: doctrina ad omnes, veritas interius. Hæc duo duplicia conjuncta sunt: quia tunc bonum ministratur, cum bonum opus et D vera doctrina conveniunt. Per albam dalmaticam intelligitur *Religio sancta et immaculata, scilicet visitare infirmos et viduas in tribulationibus, et* visitatores *se custodire immaculatos ab hoc sæculo* (*Jac.* I, 27). Ipsa duas lineas habet retro et duas ante, quia Vetus et Novum Testamentum rutilant dilectionem Dei et proximi. Immaculatum esse ad Deum, infirmos visitare et proximum. Triginta fimbrias habet retro et quadraginta ante; singulæ lineæ altrinsecus quindecim, quia linea charitatis in Veteri Testamento et Novo, **412** in prosperis et in adversis, quindecim rivos ex se producit, qui sunt: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII, 4-6). Sinistra pars habet fimbrias, quia activa vita sollicita est et turbatur erga plurima (*Luc.* X, 41). Dextra non ha-

Digitized by Google

b. t, quia contemplativa vita quieta est (*Ibid.*, 39). Largitas manicarum, largum Evangelii doctorem significat. Casula circumdatus aliquando legit Evangelium diaconus, ut expedite valeat incedere ad Evangelium, vel mensam [*ms.* missam] Domini præparare. Casula aperta est unde emittatur brachium in sinistra parte, quia actor Evangelii quem debet diaconus imitari in dextro latere perforatus est lancea vel perfossus. Sudarium unde tergitur sudor et omnifluus humor corporis in sinistra manu portatur, significat autem studium divinæ cogitationis quo in hac vita delectationes, tædia, et alia mentis superflua extergimus. Est autem mundum; dehinc enim ait David : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 12); et Job : *Sicut Domino placuit, ita factum est* (*Job.* I, 21).

Per sandalia significatur profectus ad prædicandum **413**, quibus nec pes supertectus sit, nec nudus ad terram; qui Evangelium nec occultari debet, nec terrenis demonstrari; et quia prædicatoris est huc illucque discurrere, ne cadant sandalia de pedibus, ligata sunt, quod spiritualiter intelligendum est; lingua quæ inde surgit et separata est a corio sandaliorum, linguam eorum significat qui bonam prædicationem perhibent; sandalia extrinsecus nigra, intrinsecus alba, monstrant vitam prædicationis sæcularibus esse despectam, intentionem coram Domino intrinsecus esse mundam. Pars sandaliorum per quam pes intrat multis filis consuta est, ne dissolvantur duo coria, quia in initio prædicationis debet doctor studere multis virtutibus et sequentiis Scripturarum, ne opera exteriora ab interiori intentione disjungantur. Lingua super pedem linguam prædicatoris significat; lineæ procedentes ex utraque parte ad mediam lineam, lex, et prophetæ, et Evangelium; ligatura, incarnationem Christi. Sandalia dicuntur soleæ; est autem genus calceamenti quo induitur minister Ecclesiæ; subterius autem solea muniens pedes a terra, superius vero nihil operimenti habens, patet, quo jussi sunt apostoli a Domino indui; significat autem ministrum verbi Dei non debere terrenis **414** incumbere, sed potius cœlestibus inhiare, et prædicationem suam nulli occultare. Sequitur superhumerale quod fit ex lino [*ms.* linteo] purissimo. Per linum quod e terra sumitur, et per multos labores ad candorem perducitur, designatur corpus quod ex terra constat, quod corpus multis calamitatibus attritum, candidum et purum esse debet ab omni sorde. Postea sequitur pectorale quæ a vulgo alba dicitur.

Pectorale significat perseverantiam in bona actione. Hinc Joseph inter fratres suos talarem tunicam habuisse describitur. Tunica usque ad talum, est opus bonum usque ad consummationem, in talo enim finis est corporis; ille vero bene inchoat qui rectitudinem boni operis usque ad finem debite perducit actionis : *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Deinde sequitur zona, quæ cingulum dicitur, qua restringitur pectorale, ne late per pedes diffluat, per quam designatur discretio omnium virtutum; virtutes enim sine discretione, non virtutes sed vitia sunt, nam virtutes in quodam meditullio sunt constitutæ. Sequitur orarium, id est stola, quod oratoribus, id est prædicatoribus concedatur : admonet illum qui illo induitur ut memor sit se esse constitutum sub jugo Christi **415** quod leve est et suave (*Matth.* XI, 30). Dalmatica quæ sequitur ob hoc dicitur, eo quod in Dalmatia sit reperta. Usus autem dalmaticarum a beato Silvestro papa institutus est, nam antea colobiis utebantur. Colobium vero vestis est sine manicis; significat autem in eo quod est sine manicis, unumquemque fidelem exertum esse debere ad bona exercenda. Cum vero nuditas brachiorum culparetur a beato Silvestro, ut diximus, dalmaticarum repertus est usus; est autem vestimentum in modum crucis, monens in adjutorium suum crucifixum suum esse debere mundo juxta Apostolum : *Mihi mundus crucifixus est* (*Gal.* VI, 14); habet etiam in sinistra parte sui fimbrias; per sinistram præsens vita figuratur quæ diversis curis abundat; curæ significantur per fimbrias sinistræ partis; per dexteram quæ fimbriis caret, futura vita exprimitur, in qua nullæ curæ sollicitant animas sanctorum. Inconsutilis etiam est, quia in Ecclesia vel in corde uniuscujusque fidelis nulla debet esse scissura, sed indiscissa fidei integritas. Aliter sinistrum latus habet fimbrias, quia activa vita sollicita est et turbatur erga plurima; at dextera non habet, quia contemplativa vita nihil habet in sinistrum. Largitas brachiorum largitatem et hilaritatem doctoris significat. Mapula **416** quæ sinistra parte gestatur, qua pituita oculorum et narium detergitur, præsentem vitam designat in qua superfluos humores patimur. Casula quæ super omnia indumenta ponitur, significat charitatem quæ alias virtutes excellit; de qua Apostolus commemoratis quibusdam virtutibus ait : *Major autem horum est charitas* (*I Cor.* XIII).

Amictus igitur primum est vestimentum, quo ideo collum circumdamus ut vox quæ per collum egreditur ab omni prava locutione muniatur, juxta Prophetam : Os nostrum custodiamus, ne in lingua delinquamus (*Psal.* XXXVIII). Secundum camisia linea, quæ alba vel pectoralis, vel talaris nuncupatur, quod ad modum corporis acta totum corpus absque ruga operit. Per candorem ad quem nimio labore perducitur, mentis et corporis castitas atque munditia designatur, quæ multo jejunii et vigiliarum, et orationum, bonorumque operum exercitio acquiruntur. Per texturam vestimenti virtus, cor, cunctaque membra corporis ab omni operum pravitate coercenda; per talaris vero longitudinem, opus bonum usque ad consummationem; per rugarum devitationem, quibus exprimuntur circumflexiones hæreticæ pravitatis fidei catholicæ. Per cingulum, discretio quæ est mater **417** omnium virtutum. Per stolam, quæ dicitur orarium, *Jugum Domini suave est et onus ejus leve* (*Matth.* XI, 30), designatur Evangelium : per albedinem stolæ, puritas doctrinæ (58); per longitudinem usque ad pedes, virtus humilitatis et perseverantiæ. Per balteum quo lumbi restringuntur, mentis castitas designatur, juxta quod Dominus ait : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35). Deinde tunica, de qua dixit Dominus ad Aaron : *Facies tunicam hyacinthinam* (*Exod.* XXVIII, 31), hæc vero sub dalmatica induitur et subucula nominatur. Hyacinthus vero nec rarus est, nec densitate obtensus, nec rutilat æqualiter, sereno enim cœlo fit perspicuus, et nubilo pallidus est, unius et quasi ætherei coloris. Per æthereum et unum colorem designat vitam sacerdotalem quæ supernis solum incessanter intenta desideriis conversationem juxta Apostolum debet semper habere in cœlis (*Philip.* III, 20). Per coloris mutationem, fraternam compassionem, ut ait Apostolus : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15), quod proprie est pontificis, significat rationem sublimium non patere nisi perfectis; per hoc quod est vestis interior et non cingitur, virtutes animæ soli Deo cognitas sine intermissione semper habendas. Per dalmaticam quæ candida duabus lineis coccineis ante et retro decoratur a summo usque deorsum, **418** mentis munditia cum utriusque Testamenti prædicatione, et Dei proximique dilectione designatur, quibus fulgere debet sacerdos et diaconus; per duodecim fimbrias quas utræque lineæ in se continent, duodecim rami virtutum qui ex radice charitatis pendent, quos etiam Apostolus enumerat, dicens : *Charitas patiens est, benigna est* (*I Cor.* XIII, 4), etc. Tertia vero linea quæ inter duas lineas constituitur, et tribus fimbriis ante et retro connectitur, charitas quæ dilectionem Dei et pro-

(*) *Ex his corrigendus et supplendus liber Joan. Abrinc.*

Digitized by Google

ximi in se continet, Trinitatis fide insignita demonstratur. Per coccineum colorem opera misericordiæ et pupillis et viduis intelliguntur; per fimbrias quidem sinistri lateris sollicitudo figuratur vitæ activæ. Per dextrum quod fimbriis caret, quies contemplativæ; per amplitudinem brachiorum largitas eleemosynarum. Per casulam quæ super omnia ornamenta induitur, sanctitas et justitia, quibus sacerdotalis gloria per omnia fulgere debet, designatur; pro Loc quod duplex habetur inter humeros, proximorum cura et compassio, et in se pura mentis intentio, et per aliam duplicitatem in pectore, doctrina in populo, veritasque qua debet ornari in mente. Per calceamenta linea quæ candore nitent, et lineæ vocantur, ad currendum in malum prohibentur, **419** et in bonum festinare hortantur. Per sandalia quæ desuper patent, sed subtus soleis a terra pedes prohibent, prædicatores cœlestia non debere ascendere neque terrenis inhiare figuratur.

Pallium quo super omnia ornamenta archipræsul utitur significat torquem quem solebant legitime constantes accipere. Per circulum quo circa humeros constringitur, timor et disciplina Domini, quibus se totam suosque coepiscopos sibi quidem subditos regere debet, designatur. Per duas lineas a summo usque deorsum ex utraque parte, prædicatio utriusque Testamenti, et dilectio Dei et proximi sine intermissione. Corporale cui superponitur corpus Dominicum, non aliud quam lineum esse opartet, quoniam Joseph linteum mundum legitur emisse, dum corpus Dominicum involvit (*Matth.* XXVII); nam linum purum germen est terræ, et Dominus verum et purum corpus habuit, non simulatum; et sicut linum per multos labores vel sudores pervenit ad candorem, ita Jesus Christus multis affectatus passionibus migravit ab hoc sæculo, et ad candorem resurrectionis atque immortalitatis perductus est. Ita ergo qui corpus Domini in se recipere desiderat, per multos bonorum operum labores et per castitatem mentis **420** et corporis debet se reddere mundum atque candidum, quod ita placari debet, ut nec initium, nec finis, sic enim in sepulcro Domini sudarium inventum est. Sudarium est ligamen capitis, per caput divinitas designatur, quia caput Christi Deus est; volutio autem hæc significat quia Christus qui in humilitate habuit initium nascendo, et finem moriendo, in divinitate neutrum horum, sed semper esse habet. Triforme est corpus Christi, eorum scilicet qui gustaverunt mortem et morituri sunt? Primum scilicet sanctum et immaculatum, quod sumptum est ex Maria Virgine; alterum, quod ambulat in terris; tertium, quod jacet in sepulcris. Per particulam oblatæ missæ in calice ostenditur corpus Christi qui r surrexit a mortuis; per comestam a sacerdote vel a populo, ambulans adhuc super terram; per relictam in altari usque in finem missæ, jacens in sepulcris usque in finem sæculi.

De his qui ordinaverunt missam.

Consequentia missam celebrandi jam ad integrum composita ab apostolis et apostolicis ministris. Epistolas quippe et Evangelium recitabat Ecclesia ex antiquorum traditione, quæ indigesta sunt in libro qui appellatur *Comes*, quem ad Constantium **421** Hieronymus scripsisse dicitur. Alexander VII papa qui instituit aquam [*f. add.* usum] benedicendi et aspersionem, inseruit memoriam Dominicæ passionis ad consecrationem Eucharistiæ. Primus Xystus VIII papa hymnum *Sanctus, sanctus, sanctus.* Telesphorus papa IX qui Quadragesimæ jejunium sex hebdomadibus ante Pascha instituit, hymnum angelicum *Gloria in excelsis Deo* addidit. Damasius XXXV papa *Credo in unum Deum* solemnibus diebus cantari instituit ex decreto sanctæ universalis synodi a CL episcopis Constantinopoli celebratæ. Innocentius XXXVIII papa decrevit osculum pacis ad missam dari. Cœlestinus XLI papa introitus, gradualia, offertoria et communiones ex psalmis modulari antiphonatim instituit. Leo XLIII papa in canone missæ addidit *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Gelasius XLVI papa collectas et præfationes composuit. Gregorius LXI papa *Kyrie, eleison, Christe, eleison,* et *Allelwia* extra Quinquagesimam, et in canone *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari,* et orationem Dominicam, per quam apostoli solam consecrabant, post canonem consecrationis addidit. Ad hæc omnia Sergius LXXX **422** papa hoc ultimum addidit, ut inter communicandum *Agnus Dei* a clero cantetur.

FUNDATIO X CLERICORUM COLLEGII DE ALBANIA

In ecclesia Rotomagensi, anno 1245.

(*Ex chartulario archiepiscopali Rotomag.*)

Petrus miseratione divina Albanensis episcopus (59) universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

Beneficiorum quæ a nobili Rotomagensi Ecclesia multipliciter recepimus non immemores nec ingrati, dignum esse judicamus et animæ nostræ valde necessarium, ut, et si non possimus et pro tot beneficiis a nobis et ab ipsa perceptis respondere condigne, saltem et aliquid rependamus quo cultus augmentetur divinus, et per hoc decor et honor ipsius in posterum conservetur. Hinc est quod diligenti consideratione præhabita ad honorem Dei, et gloriosæ Virginis, et B. Romani, in quorum honore est dicta ecclesia fabricata, ad præsens duximus ordinandum, ut per archiepiscopum qui pro tempore fuerit in Rotomagensi ecclesia ponantur, seu instituantur **423** in ea decem clerici idonei et honesti qui continue in eadem ecclesia residebunt, quod quidem in receptione sua firmabunt proprio juramento, qui etiam in eadem ecclesia omnibus horis intererunt, nisi propter infirmitatem vel aliam causam sufficientem, honestam et necessariam, fuerint impediti. De his autem clericis erunt quatuor subdiaconi, tres diaconi, et tres sacerdotes, et nullus ponatur nisi vigesimum primum annum ætatis suæ compleverit, et qui bene sciat legere et cantare. Hi autem clerici ex causa necessaria qualibet die deesse poterunt una hora, dummodo omnibus aliis horis intersint; quod si non interfuerint omnibus aliis horis, stipendium quod debent illa die percipere subtrahatur eisdem. Nullus autem a Matutinis, Missa, Nona, et Vesperis impune se poterit absentare; quoniam si una de istis Horis defecerit, quamvis omnibus aliis Horis interfuerit debito sibi sti-

(59) Petrus de Collemedio, qui fuit Rotomagensis archiepiscopus.

Digitized by Google

pendio privetur illa die, nisi propter imminutionem de licentia cantoris vel hebdomadarii facta, vel ex alia causa honesta, sufficienti, idonea et necessaria se valeat super hoc excusare. Sane quilibet clericorum istorum singulorum percipiet duodecim libras Turonenses annuatim quæ pro rata per aliquem de ecclesia fide dignum et juratum **424** ad hoc faciendum, per cantorem de consilio majoris archidiaconi et thesaurarii, si præsentes fuerint, vel eorum alterius qui præsens exstiterit, deputatum, qualibet die distribuantur fideliter. Ita tamen quod ea quæ propter defectus subtrahentur clericis memoratis, per eumdem archidiaconum, qui nulli in hac parte gratiam faciet, conservabuntur fideliter, et per manum cantoris, majoris archidiaconi, et thesaurarii, aut duorum ex ipsis in pios usus, prout expedire viderint, expendantur. Ad hos autem redditus emendos et assignandos, deputamus mille et quingentas libras Turonenses, volentes ut per manus venerabilis Odonis Rotomagensis archiepiscopi amici nostri litteratissimi, necnon magistri Hugonis Pisani Rotomagensis, Petri de Papia, et Guillelmi de Rezeana, Rotomagensis ecclesiæ archidiaconorum, Joannis de Campis, Guillelmi Laudii, et Hugonis de Alumnia, canonicorum Rotomagensium, si præsentes fuerint, vel saltem per manus duorum aut trium ex ipsis qui præsentes exstiterint, una cum archiepiscopo qui pro tempore fuerit emantur, et assignentur ad faciendum prædicta. Quod si memoratum archiepiscopum amicum nostrum, vel aliquos, aut aliquem de jam dictis, antequam ista et **425** alia quæ continentur inferius compleantur, contingat decedere, futurus archiepiscopus succedat loco dicti archiepiscopi, et loco majoris archidiaconi ejus successor; loco vero prædictorum duorum aliorum archidiaconorum, succedant decanus et cantor memorati. Quod si aliqui ex eis antequam ista et alia quæ continentur inferius compleantur decesserint, in executione prædicta ipsorum successores loco eorum succedant, ita quod archiepiscopus cum ipsis omnibus, si præsentes fuerint, vel saltem duobus aut tribus ex eis, supradicta et alia quæ dicuntur inferius exsequantur.

Verum si de supradictis mille et quingentis libris Turonensibus ultra summam centum viginti librarum ejusdem monetæ quam dicti decem clerici pro suo victu percipient annuatim, aliqui redditus emi poterunt, volumus quod illud quod superfuerit emptis redditibus supradictarum centum viginti librarum convertatur in emptionem reddituum ad emendum cappas chorales annis singulis pro clericis memoratis. Nos enim intendimus quod quilibet eorum, si fieri poterit, habeat annuatim unum cappam chorialem, quæ viginti solidorum Turonensium pretium non excedat. Isti autem clerici simul in una domo jacebunt, ad cujus inceptionem **426** ducentas libras deputamus ad præsens; in eadem etiam domo similiter simul comedent, si commode fieri poterit, et archiepiscopus qui pro tempore fuerit ad hoc eos arctare poterit, si viderit expedire. Præterea si aliquis de supradictis clericis se habuerit inhoneste, vel circa divinum Officium negligens exstiterit aut remissus, vel ex culpa sua ad serviendum ecclesiæ inhabilis factus fuerit, ad denuntiationem decani, majoris archidiaconi, thesaurarii et cantoris qui pro tempore fuerint, aut duorum ex ipsis, eum sine magna discussione archiepiscopus amoveat, et alium substituat loco ejus. Non enim intendimus ut prædicti clerici sint perpetui, sed potius temporales, ut videlicet tandiu ipsi percipiant supradicta quandiu servient ecclesiæ et honeste se habuerint, sicut decet. Verumtamen si propter senectutem, vel propter infirmitatem supervenientem, vel alias sine culpa sua ad serviendum ecclesiæ minus utiles facti fuerint, nolumus quod propter hoc debeant amoveri, ne videatur afflictis afflictio superaddi. Videat autem archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, A ut in ponendis, seu instituendis in eadem ecclesia dictis clericis, habeat præ oculis solum Deum, et caveat ne in præjudicium divini **427** cultus, quem ad decorem domus Domini in ea cupimus ampliari, propter affectionem, vel preces, vel ut forsitan provideatur personæ potius quam ecclesiæ, gratia super hoc ulli fiat, cum nostræ intentionis sit ut sine acceptione personarum, idonei, honesti, et utiles ad serviendum ecclesiæ assumantur. Volumus insuper et ordinamus ut, si archiepiscopus qui pro tempore fuerit, prædictos clericos, vel aliquem ex eis cum loca vacare contigerit, a tempore scientiæ ultra mensem in dicta ecclesia ponere seu instituere distulerit, decanus et capitulum vices ejus suppleant; et si ipsi ultra alium mensem hoc facere distulerint, ad decanum, majorem archidiaconum, cantorem, thesaurarium, qui pro tempore fuerint, illa vice devolvatur potestas.

Cæterum si aliquis de prædictis clericis absens B esse voluerit ab ecclesia, et causa morandi ad locum alium se transferre, ante recessum suum per mensem tenebitur hoc publice denuntiare capitulo, et archiepiscopo, si præsens fuerit, vel illi qui fuerit loco ejus, ut sic eo recedente provideatur quod loco illius substituatur alius, ne propter repentinum ejus recessum contingat ecclesiam ad tempus unius servitoris officio defraudari. Insuper ordinamus et volumus ut de redditibus viginti **428** sex librarum Turonensium, quas apud Locum-Veris [Gallice, *Louviers*] emimus, quas exnunc Rotomagensi ecclesiæ damus, tribus vicibus in ecclesia prædicta fiat commemoratio nostri annuatim, videlicet in die nostri obitus, et in aliis duobus terminis per archiepiscopum, decanum, et capitulum assignandis, ita quod unoquoque termino canonicis qui interfuerint officio septem libræ Turonenses, et clericis de choro qui interfuerunt triginta solidi distribuantur, prout in eadem ecclesia fieri consuevit, residui vero decem C solidi in die nostri obitus in pane per manus hebdomadarii pauperibus erogentur. Porro volumus ut, quandiu Dominus per suam misericordiam dederit nobis vitam, in eadem prædicta ecclesia in octavis nativitatis B. Mariæ Virginis missa de eadem gloriosa Virgine celebretur, et canonicis qui intererunt illi missæ septem libræ de supradictis viginti sex libris, et clericis de choro qui intererunt triginta solidi distribuantur, prout est in eadem ecclesia consuetum; in crastino vero omnium sanctorum qua die dum vixerimus, volumus in dicta ecclesia pro animabus antecessorum nostrorum archiepiscoporum, et pro animabus parentum nostrorum qui ex hoc sæculo transierunt commemorationem fieri, distribuentur **429** canonicis qui interfuerint officio septem libræ, et clericis de choro qui intererunt triginta solidi de pecunia supradicta, in illa etiam die decem solidi de supradicta summa in pane pauperibus per manus hebdomadarii erogentur; residuæ vero octo libræ et dimidia Turonenses, distribuantur D canonicis et clericis de choro prædictæ ecclesiæ, qui intererunt missæ de sancto Spiritu, quam XII Kalendas Junii in dicta ecclesia volumus, dum vixerimus, solemniter celebrari, ita quod canonici septem libras percipient, et clerici de choro triginta solidos; ita quod nec canonici, nec clerici aliquid inde percipiant, nisi interfuerint dictæ missæ. Cæterum postquam vocante Domino transierimus ex hoc mundo, fiat de prædictis viginti sex libris quod superius est expressum.

Insuper volumus ut, de redditibus sexaginta et decem solidorum Turonensium quos dudum apud Locum Veris emimus et in dicta ecclesia ad usum deputavimus lampadarum, nisi dictæ lampades ardeant in ecclesia die ac nocte, illi redditus in die nostri obitus et aliis duabus commemorationibus quæ fient in ecclesia Rotomagensi pro nobis, per manus hebdomadarii erogentur in pane, ita quod tertia pars prædictorum quolibet termino **430** ex-

Digitized by Google

pendatur, supradictam autem summam mille et septingentarum librarum Turonensium, quam exnunc tam ad emendum redditus, ut prædictum est, quam etiam ad incœptionem domus deputamus, præcipimus per manus supradictorum in thesauro Rotomagensi deponi, consignari, et conservari diligenter et fideliter, donec completa sint ea quæ sunt de prædicta pecunia facienda. Et quilibet eorum bona fide promittat quod non permittet dictam pecuniam in alios usus converti, vel pro alio negotio unquam tangi. Sane volumus ut spatium, antequam aliquid de supradictis viginti sex libris percipiant, commendationis nostræ duo termini per archiepiscopum una cum decano et capitulo assignentur. Item sæpius ad memoriam reducentes defectum qui fiebat in missis quæ cantantur in majori altari beatæ Virginis, quem per constitutionem nostram volumus aliquando relevare, qui tamen ob negligentiam aliquorum nondum est, sicut dicitur, relevatus; attendentes quod nos, qui canonicos ad serviendum non compulimus, fuimus negligentes, ordinamus et disponimus ad prædictam nostram negligentiam expiandam, ut statim assignentur de bonis a Deo nobis collatis quingentæ libræ Turonenses ad emendos redditus, **431** qui deputentur presbytero diacono, et subdiacono canonicis qui in majori ad magnam missam ministrabunt altari; ita quod inter ipsos singulis diebus pro rata æqualiter dividantur, et hoc fiat per supradictorum manus, decano tamen Rotomagensi vocato, qui tenetur diligenter negotia capituli procurare. Prædicta omnia volumus in vita nostra executioni mandari; et nisi in vita nostra, vel saltem infra annum post mortem nostram prædicta executioni mandentur, ordinamus, disponimus, et sub interminatione divini judicii injungimus archiepiscopo qui pro tempore fuerit, ut prædictis personis et successoribus eorum, ut mora postposita pauperibus, piis locis, videlicet domibus leprosorum, pauperibus monasteriis monialium et religiosorum, necnon et aliquibus pauperibus virginibus maritandis, si inveniantur, in promptu prædicta nostra bona studeant erogare. Nobis tamen potestatem duximus retinendam disponendi et ordinandi aliter de dicta pecunia, nisi ea quæ pro ecclesia Rotomagensi mandamus fieri, ut supra dictum est, in vita nostra celeriter impleantur. Volumus insuper ut prædicta omnia exsequenda dilecti socii nostri M. Petri S. Audomari propter consensus (60) et præsentia requirantur.

432 Datum Lugduni, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, in festo S. Laurentii.

FUNDATIO XVI CLERICORUM

COLLEGII CLEMENTINORUM

In ecclesia Rotomagensi, anno 1350.

(*Ex archivis ejusdem collegii.*)

Clemens (61) *episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

Credita nobis a Domino plurima talenta pensantes, et considerantes attente quod ab eo cui plus committitur plus exigitur, utique deterremur, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, inde ab Auctore mundi gravius judicemur, quia cum adauctis donis donorum crescant etiam rationes, pressi pondere peccatorum digne famulari Domino non valemus. Ut igitur gratiæ divinæ præmium, quod merita nostra non exigunt, aliorum patrociniis consequi mereamur, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam et beatæ Mariæ Virginis Matris ejus, aliorumque sanctorum honorem, et pro nostra, ac prædecessorum ac progenitorum, nostrorumque fidelium animarum salute, in ecclesia Rotomagensi, quæ nos divina dispositione **433** dudum habuit in sponsum, et nunc in patrem ac dominum recognoscit, ut in ipsa quoque ecclesia per hoc circa divinum cultum decoris et honoris suscipiat incrementa, sexdecim perpetuorum clericorum, seu capellanorum numerum, sive collegium auctoritate apostolica instituimus ac etiam ordinamus, et eos capellanos seu clericos Clementinos, Clementis videlicet papæ VI, volumus nominari, auctoritate statuentes eadem quod dictorum sexdecim clericorum seu capellanorum duodecim in sacerdotio, et duo in diaconatus ac reliqui duo in subdiaconatus sint ordinibus constituti; quodque ipsorum singuli singulos denarios quatuordecim diebus singulis percipiant pro eorumdem stipendiis, et ultra quatuordecim prædictos denarios, alios duos denarios usualis monetæ perpetuo percipiant in qualibet processione solemni. Ordinamus insuper quod singuli dictorum clericorum seu capellanorum duodecim, in sacerdotio constitutorum, ut præfertur, sex singulis in capellis ipsius ecclesiæ secrete per seipsos, vel impedimento legitimo impediti, per alios idoneos sacerdotes, per integram unam hebdomadam perpetuo celebrent unam missam, et quod singuli aliorum sex unam similiter missam celebrent per aliam unam **434** hebdomadam successive; quodque ipsorum quilibet die illa qua, ut præmittitur, celebrabunt, ultra prædictos quatuordecim et duos denarios, percipiant alios denarios quatuor monetæ ejusmodi usualis. Statuimus etiam quod dicti sexdecim clerici seu capellani omnes invicem in capella Sancti Joannis, quæ in eadem ecclesia sita est, semel in septimana qualibet congregentur, et, quandiu in humanis egerimus, de Trinitate, vel de sancto Spiritu, aut de beata Virgine, sive de beatis apostolis Petro et Paulo, seu de sancto Martiali, et postquam hujus incertæ ac labilis consummaverimus vitæ cursum, de mortuis celebrent solemniter unam missam; quodque sacerdos hujusmodi missam solemniter, ut prædicitur, celebraus, viginti quatuor, diaconus vero et subdiaconus sacerdoti ministrantes eidem, quilibet eorum decem et octo, et reliqui dictorum clericorum seu capellanorum, videlicet qui fuerint in hujusmodi celebratione præsentes, singuli videlicet eorum singulos duodecim alios denarios qualibet videlicet die, qua in qualibet septimana solemniter missa hujusmodi celebrabitur, ut fertur ultra, quatuordecim et duos ac quatuor alios denarios supradictos monetæ percipiant antedictæ. In hujusmodi autem perceptione **435** denariorum quatuordecim eisdem clericis seu capellanis

(60) Hic aliquid deesse videtur.

(61) Qui fuit Petrus Rogerii Rotom. archiepiscopus.

Digitized by Google

pro eorum stipendiis, ut præmittitur, statutorum subscriptum modum volumus et statuimus perpetuo observandum, videlicet quod in Matutinis et majori ac pro defunctis Missis, necnon Vesperis, qualibet scilicet Missarum et Horarum prædictarum duos, ac in aliis, videlicet, Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio, Horis ac in agendis etiam mortuorum, videlicet *Placebo* et *Dirige*, in dicta ecclesia celebrandis, singulis scilicet Horis et agendis hujusmodi singulos denarios monetæ hujusmodi singuli clerici seu capellani præsentes duntaxat Matutinis, et Missis, necnon Vesperis, Horis et agendis percipiant antedictis.

Statuimus quoque quod dicti clerici seu capellani in missis et aliis canonicis Horis, diurnis pariter et nocturnis in eadem ecclesia pro tempore celebrandis, intersint continue, nisi de petita et obtenta licentia decani, vel cantoris seu hebdomadarii ejusdem ecclesiæ qui pro tempore fuerint, aut decani præfati, prout consuetum est in similibus fieri de aliis capellanis et clericis ipsius ecclesiæ qui ab eadem ecclesia fuerint tunc absentes. Cæterum, ut prædicti clerici seu capellani, sicut spe præmii, sic pœnæ formidine ad præmissorum observantiam inducantur, ordinantes, **436** adjicimus ut, si qui clericorum seu capellanorum prædictorum missis, Vesperis, Horis et agendis hujusmodi, vel earum aliquibus vel alicui non interfuerint perso aliter in ecclesia memorata, distributionibus, aut distributione missarum, Horarum, agendarum, aut missæ, vel Horæ, sive agendæ, quibus vel cui non interfuerint, et quas seu quam essent si præsentes existerent missis, Horis, agendis, vel missæ, seu Horæ, ac agendæ hujusmodi percepturi, priva i sint ipso facto. Item ordinamus quod, per dictum decanum et dilectos filios, capitulum ecclesiæ, unus alius clericus extra numerum clericorum seu capellanorum hujusmodi deputetur singulis septimanis qui absentias et alios defectus dictorum clericorum seu capellanorum sexdecim videat et fideliter redigat in scripturam, et de illis in fine septimanæ cujuslibet relationem faciat plenariam et fidelem ei quem dictus decanus et capitulum duxerint ad hoc eligendum, cui (sicut præmittitur) deputando per dictos decanum et capitulum certum quid ut commissum sibi officium fidelius et diligentius exerceat deputetur. Dictis quoque clericis seu capellanis hujusmodi quatuordecim ac aliorum denariorum stipendia prædictorum, juxta præscriptam ordinationem nostram **437** in fine septimanæ cujuslibet per dictos decanum et capitulum persolvantur, retentis prius atque deductis per decanum et capitulum supradictos iis quæ pro ipsorum clericorum et capellanorum pœnis absentiæ fuerint deducenda. Denique intuentes quam bona et quam sit jucunda, juxta Prophetæ testimonium, fratrum habitatio in unum (*Psal.* CXXXII, 1); auctoritate prædicta statuimus, volumus ac etiam ordinamus quod dicti capellani seu clerici in una eademque domo invicem habitent, ac etiam commorentur; quodque, per dictos, decanum et capitulum, ac dilectum filium Bertrandum Chariti archidiaconum, Angi in eadem Ecclesia apostolicæ sedis nuntium, una vel unum, domus sive manerium aut hospitium cum adjacentibus, seu contiguis eidem domui, sive manerio aut hospitio, viridariis sive hortis, domibus vel maneriis, sive hospitiis, quas seu quæ dicti decanus et capitulum habent in civitate Rotomagensi. Pro qua habitatione capellanorum seu clericorum, hujusmodi idonea seu idoneum et sufficiens eligatur, et habita de domo, sive manerio, aut hospitio cum adjacentibus, seu contiguis viridariis, seu hortis hujusmodi, æstimatione fideli, pretium quod illa vel illud fuerit valere comperta sive compertum, dictis decano **438** et capitulo, vel alio vel aliis eorum nomine, per eumdem nuntium de pecuniis Cameræ apostolicæ collectis per eum, et colligendis inantea, mandamus tenore præsentium cum integritate persolvi. Quam seu quod domum sive manerium, aut hospitium, ut præmittitur, eligenda seu etiam eligendum dictis capellanis seu clericis exnunc damus, concedimus, et donamus, et illam seu illud pro ipsorum cohabitatione communi, etiam deputamus eidem nuntio; eadem nihilominus auctoritate mandantes quod tam æstimationis domus sive manerii aut hospitii cum adjacentibus sive contiguis viridariis, sive hortis hujusmodi quam etiam aliam opportunam pecuniam pro reparatione domus seu manerii aut hospitii hujusmodi, ac pro disponendis et ordinandis in illa vel in illo necessariis officinis pro cohabitione clericorum seu cappellanorum ipsorum, de pecuniis dictæ cameræ collectis jam et colligendis inantea per eumdem hac vice cum integritate persolvat; dictisque decano et capitulo districtius inhibemus ne de pecunia quam pro pretio domus sive hospitii aut manerii hujusmodi ab eodem nuntio, vel alio nomine nostro solvente recipiant. Præterquam in emptione perpetuorum redditumm pro eadem ecclesia emendorum quidquam **439** expendere non præsumant, suspensione decanum, et capitulum, prædictos singularesque personas capituli prædicti excommunicationis sententiæ ipso facto subjacere volentes, si contrarium præsumpserint attentare. Pecunia vero, quæ de pœnis absentiæ clericorum seu capellanorum obveniet prædictorum, in reparationem et conservationem domus sive manerii aut hospitii hujusmodi per dictos decanum et capitulum deputetur fideliter, et integraliter convertatur, deputando, sicut præmittitur, per dictos decanum et capitulum super inspectione, scriptione ac relatione defectuum prædictorum, de salario per eos illi propterea constituto exinde primitus satisfacto, sicut satisfit custodi aliorum sexdecim clericorum seu capellanorum, vocatorum de Darnestallo, institutorum in eadem ecclesia ab antiquo.

Statuimus insuper ac etiam ordinamus quod nullus ad clericatus seu capellanias hujusmodi in clericum seu capellanum recipiatur aut etiam admittatur, nisi psalterium et antiphonarium per historias corde tenus recitaverit; vel si talis non posset forsitan reperiri, saltem qui ad psalterium et antiphonarium, hujusmodi præscripto modo recitandum, infra biennium a receptionis suæ tempore computandum habilis **440** sit et aptus. Sane de circumspectione ac probitate directi filii Joannis de Novancuria, archidiaconi Vulcassini Franciæ, in eadem ecclesia, plenam Domino fiduciam obtinentes, volumus, et auctoritate prædicta etiam ordinamus quod quandiu egerimus in humanis, ipse vel si contingeret eum interim ab hac luce substrahi, aut ad aliam dignitatem promoveri; sive si archidiaconus Vulcassini Franciæ in dicta ecclesia desineret, alius quem ad hoc duxerimus eligendum clericatus seu capellanias hujusmodi tam hac vice primaria quam deinde successive, quoties illos vel illas vacare contigerit, personis idoneis, scientibus vel habilibus, et aptis ad sciendum psalterium et antiphonarium, ut prædicitur, recitare, auctoritate nostra conferat et assignet. Quodque nobis ab hac luce subtractis ipsorum vel ipsarum libera dispositio ad dictos decanum et capitulum pertineat pleno jure. Quibus etiam decano et capitulo, illos ex eisdem clericis seu capellanis qui ultra duos menses absentes fuerint sine causa legitima ab ecclesia supradicta, vel pro aliis justis causis clericatibus seu capellaniis eorum hujusmodi (post tamen decessum nostrum) privandum, et clericatus seu capellanias hujusmodi per hujusmodi privationem vacantes, personis aliis idoneis **441** (ut præfertur), scientibus psalterium et antiphonarium recitare, vel aptis et habilibus ad recitandum eadem conferendi plena et libera sit facultas. De libris quoque, necnon calicibus et aliis ornamentis ad missas et alia divina officia, per clericos seu capellanos celebranda, in ipsa ecclesia opportuna decenter duximus provi-

Digitized by Google

videndum, et pro supportatione onerum præmissorum annuos redditus trecentarum et viginti librarum parvarum Turonensium, quos emi et amortizari fecimus, et alios redditus ducentarum et viginti librarum aliarum, quos præter domum sive manerium, vel hospitium hujusmodi emi volumus et mandamus, et pro quorum emptione per eumdem nuntium mille septuaginta scuta aurea dictis capitulo [*add.* et decano] jam assignata sunt, et residuum per eum solvi præcipimus tenore præsentium, et jubemus. Exnunc auctoritate deputamus eadem, dictisque decano et capitulo hujusmodi redditus tam emptos (sicut prædicitur) quam emendos exnunc etiam damus, concedimus et donamus, et volumus quod liceat dictis decano et capitulo possessionem ejusmodi reddituum, ut ubicunque et in quibuscunque consistant, auctoritate ipsorum propria capere et nancisci, eosque in usus hujusmodi convertere, juxta modum 442 et formam superius expressos; ita tamen quod dicti decanus et capitulum pro se suisque successoribus jurent et bona fide promittant, ac se efficaciter obligent quod, pro reparatione et conservatione hujusmodi domus, manerii seu hospitii, ultra pecuniam pœnarum et condemnationem hujusmodi expensas necessarias facient et subibunt, et quod hujusmodi redditus fideliter colligent, illosque necnon res, loca et bona, in quibus consistunt, defendent et conservabunt, pro viribus, sicut alia bona et jura eorum communia; et quod clericis seu capellanis eisdem stipendia eorum, ordine præscripto perpetuo de dictis redditibus emptis et emendis, cum integritate persolvent; quodque satisfacient aliis duobus capellanis perpetuis, in eadem ecclesia per nos cum præeramus eidem hactenus institutis, juxta ordinationem nostram super hæc dudum factam de stipendiis eorumdem; pro quibus etiam stipendiis certos redditus duximus alias deputandos, sicut apparet per instrumenta publica quæ exinde sunt confecta; et quod solemnitatem beati Martialis et anniversaria, per nos in dicta ecclesia facienda annis singulis hactenus ordinata, peragent, et duas missas quas ipsi decanus et capitulum nobis in promotione nostra ad apicem apostolicæ 443 dignitatis annuatim pro salute nostra, quandiu videlicet egerimus in humanis, ac postquam migraverimus ab hac luce pro remedio animæ nostræ perpetuo celebrandas [*f. add.* statuerint], unam videlicet nonas Maii, qua videlicet die assumpti fuimus ad officium apostolicæ servitutis, et aliam die illa qua voluerint decanus et capitulum antedicti, prædictis aliis duabus missis per nos in dicta ecclesia institutis, ut præmittitur, celebrandis in suis diebus et ordine, remanentibus consuetis.

Cæterum ne forsan ex decani absentia contingat voluntatem et affectionem nostram circa præmissas ordinationes, aut earum aliquas vel aliquam impediri, vel etiam retardari, adjicimus declarantes quod præmissa omnia et singula volumus per dictos decanum et capitulum, non vocato nec exspectato dicto decano, si forte fuerit absens, (servata tamen alias forma) ordinationem hujusmodi adimpleri. Volumus insuper quod præsentes litteræ ac singula et omnia instrumenta, tam de ipsius concessione domus sive manerii aut hospitii quam de emptione reddituum emptorum jam, et emendorum etiam, ut præfertur, ac de promissione obligationeque capituli prædicti, necnon inventarium de libris, paramentis et calicibus pro celebratione missarum et aliorum 444 divinorum officiorum deputatis, ac etiam deputandis, eorum copia dictis capellanis seu clericis per dictos decanum et capitulum, in publica forma data, in archivo publico ipsius ecclesiæ conserventur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum ordinationis, institutionis, statutorum, voluntatum, mandatorum, dationum, concessionum, ordinationum, deputationum, præceptorum, et jussionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avenioni, octavo Kalendas Junii, pontificatus nostri anno VIII. Sic signatum in plicatura: *De curia beati Stephani.*

INCERTI AUCTORIS
SERMONES SEX AD POPULUM.

Ex codice ms. Bigot.)

SERMO PRIMUS.

DE HONORANDIS PRESBYTERIS.

Dicit apostolus Paulus: *Non est potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII, 1-2). Audite, fratres charissimi, quid Apostolus Domini vobis clamat. Non sunt enim contemnendæ potestates sive mundi 445 sive Ecclesiæ, quia omnes ordinatæ sunt a Deo; et qui ordinatis a Deo contradicit et resistit, ordinanti contumeliam facit. Oportet igitur nos dominum papam nostrum, consiliatorem nostrum, visitare et venerari; visitare, quia consiliatorem; venerari, quia pastorem: sunt enim episcopi Ecclesiæ venerandi, sicut magistri, sicut vicarii Domini. Tanta reverentia voluit Dominus sacerdotes suos timeri et venerari, quod in Deuteronomio minatus est, dicens: *Et homo quicunque fecerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem aut judicem, morietur* (*Deut.* XVII, 12). Item ad Samuelem, cum a Judæis sperneretur, Dominus dicit: *Non te sprevérunt, sed me spreverunt;* et Dominus quoque in Evangelio: *Qui audit* (inquit) *vos, me audit et eum qui me misit, et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16); et cum leprosum emundasset, *Vade*, inquit, *et demonstra te sacerdoti* (*Matth.* VIII, 4); et postea tempore quam passionis alapam accepisset a servo sacerdotis, cuinone ei dixisset: *Sic respondes pontifici?* (*Joan.* XVIII, 22) adversus pontificem Dominus contumeliæ nihil dixit, nec quidquam de sacerdotis honore detraxit; sed innocentiam suam magis asserens et ostendens: *Si male locutus sum* (inquit), *perhibe testimonium de malo; si autem bene, quid me cædis?* (*Ibid.*, 23.) Item in Actibus apostolorum, B. Paulus apostolus cum ei dictum esset: Summum 446 sacerdotem Dei maledicis? (*Act.* XXIII, 4) quamvis eo tempore sacerdotium Judæorum destructum crucifixo Christo erat, quantum ad Christianos, tamen ipsum, quamvis inane nomen, venerans Paulus ait: *Nesciebam,*

Digitized by Google

fratres, quia pontifex esset; scriptum est enim : Principi plebis tuæ non maledices (*Ibid.*, 5; *Exod.* XXII, 28). Cum igitur antiquum sacerdotium legis veteris in tanta auctoritate haberetur, et resistentibus Dominus mortem minaretur, quales putatis eos qui contra sacerdotium novæ legis hostes et rebelles sunt contra Dei Ecclesiam? nec prænonentes (*id est*, prævaventes) Domini communionem, nec futuri judicii ultione terrentur. Chore, Datan et Abiron, qui contra Dominum Moysen, et Aaron sacerdotem, sibi sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus impenderunt, terra compagibus ruptis in profundum sinum aperuit, stantes atque viventes recedentis soli hiatus absorbuit; nec tantum eos qui actores fuerant Dei indignantis ira percussit, sed et cæteros ducentos quinquaginta principes ejusdem furoris a Deo ignis probata ultione consumpsit (*Num.* XXVI), admonens scilicet et ostendens contra Deum fieri quidquid fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic Ozias rex cum thuribulum ferens et contra legem **447** Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi sacerdote Zacharia [Azaria], obtemperare nollet et cedere, divina indignatione confusus et lepræ maculatus est varietate in fronte (*II Paral.* XXVI, 18), ea parte notatus offenso Domino, ubi signantur qui Dominum promerentur. Cavendum est igitur, fratres charissimi, ne contra sacerdotes Dei aliquis audeat insurgere, ne Dominus illos qui vice sua funguntur velit aspere vindicare. Hi autem positi sunt in Ecclesia ad utilitatem nostram ut nobis provideant, ut de salute nostra rationem reddant, et unitatem Ecclesiæ custodiant, de qua unitate nos Dominus voluit esse sollicitos, ne per devia incedentes et schismata facientes per diversos errores ab unitate fidei divisi essemus; sic enim unus Dominus est et unus pastor, sic voluit esse unam familiam et unum gregem; unde Dominus ait in Evangelio : *Et erunt unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16); et Israel in veteri lege ait : *Dominus Deus* tuus *unus est* (*Deut.* VI, 4). Quod unus Deus sit in Evangelio ostendit, dicens : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum est : *Et tres unum sunt* (*I Joan.* V, 7). Voluit igitur Dominus suos sibi similes existere, ut sicut unus erat, ita Ecclesia una esset. Unde Dominus in Canticis ad Ecclesiam ait : *Una est columba mea, una est perfecta mea* **448** (*Cant.* VI, 8). Hoc unitatis sacramentum tunica Domini inconsutilis significavit, de qua scriptum est in Evangelio quia *milites qui eum crucifixerunt, eo quod de superiori parte non consutilis, sed per totum texta fuerat, dixerunt ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cujus sit* (*Joan.* XIX, 23-24). Indumentum Christi de superiori parte integrum erat, quia Ecclesia Dei unitatem de cœlo, id est, a Patre et Filio venientem, et solidam firmitatem fidei inseparabiliter obtinebat. Noluit Dominus scindi vestem suam inconsutilem, quia non patitur violari Ecclesiæ unitatem. Præcepit ergo Paulus de hac unitate : *Obsecro* (inquit) *vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi ut ipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata* (*I Cor.* I, 10). et iterum : *Servate unitatem Spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). « Quomodo enim solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas, licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte præscinde rivum, præcisus arescit. Sic Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit; unum tamen lumen quod ubique diffunditur, nec **449** unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit; unum caput tamen est et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa. » (S. Cypr. *De unitate Ecclesiæ*).

Propter hanc unitatem conservandam, ut agnus veteris legis qui in figura Christi occiditur *in domo una ederetur, non ejicietis de domo carnem foras* (*Exod.* XII, 46). Caro Christi et sacramentum Domini ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus præter unam Ecclesiam domus est; hanc domum unitatis hospitium designat, et denuntiat Spiritus sanctus in psalmis dicens : *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII, 7). In domo Dei, in Ecclesia Dei unanimes habitant, qui concordes et simplices perseverant. Hujus igitur observatione, fratres charissimi, voluit Dominus per unum ædificare Ecclesiam suam super illum, cui dixit : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram*, etc. (*Matth.* XVI, 18, 19). *Et tu conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 32). Petrus est fundamentum cui innititur Ecclesia, fidei enim illius delent omnia alia membra adhærere, magister enim et princeps apostolorum ideo factus est, et pastor fidelium, quia in fide prævaluit; cum enim Dominus de fide suorum investigaret dicens : *Vos autem quem* **450** *me esse dicitis* (*Matth.* XVI, 15), respondit Petrus sicut robustior in fide : *Tu es Christus Filius Dei viri* (*Ibid.*, 16), et audita fidei ejus fortitudine, Dominus dedit ei ut esset fundamentum fidei Ecclesiæ dicens : *Et tu es Petrus*, etc. (*Ibid.*, 18). Et claves habet cœli, quia nullus nisi per doctrinam ejus et magisterium ad cœlum aspirare potest; oportet itaque aliquando ut conversus ad nos cum periclitabimur confirmet; pro eo enim rogavit Dominus ut non deficeret fides ejus (*Luc.* XXII, 32). Quia igitur magister noster est Petrus, dominus noster est vicarius ejus : ideo oportet nos adire limina apostolorum, et dominum nostrum papam visitare, et consilium quærere quomodo in tot et in tantis fluctibus hujus mundi Ecclesiam Domini possumus sine periculo gubernare; insurgunt enim quotidie tempestates (62) in Ecclesia Dei qui vellent unitatem ejus dissipare, et discordias seminando unionem pacis exstinguere. Aggrediuntur pastores Ecclesiæ, ut caput ferientes, membra commoveantur terrore; nec solum enim ab extraneis patitur Ecclesia, sed et a domesticis et a fratribus suis; et pejora sunt bella intestina a quibus non cavetur, quam forinseca quæ prævidentur. Initio mundi Abel justum frater occidit, Jacob fugientem persecutus est Esau frater ejus, Joseph venundatus est a **451** fratribus, a discipulo etiam est traditus Dominus; sed nobis non est ignominia pati a fratribus quod passus est Christus, nec gloria est facere quod fecit Judas. Convicia eorum quibus se et vitam suam quotidie lacerant non timemus : fustes, et lapides, et gladios quos verbis patricidalibus jactitant non perhorrescimus. Quid de illis est? homicidæ sunt apud Deum, nos necare non possunt nisi eis Dominus permiserit; et cum nobis semel moriendum sit, illi tamen odio, et verbis, et delictis suis nos quotidie perimunt; nec ideo nos a proposito justitiæ dimovebimur, quia propter timorem ecclesiastica disciplina non est relinquenda, nec sacerdotalis censura solvenda. Similes sunt diabolo patri suo, qui statim postquam creatus est, in Creatorem suum erectus ait : *Super astra Dei ponam sedem meam, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). Isti enim qui sacerdotes Dei inquietant, in cœlum ascendunt, super astra Dei volunt sedere, super montem testamenti sedem ponere, super nubes ascendere, quasi dicas : Super episcopos volunt regnare; episcopi enim sunt cœli, astra Dei, mons

(62) Subauditur *eorum*. Vide *manum qui*, pag. 154.

Digitized by Google

testamenti, nubes cœli, latera aquilonis. Cœli, quia continent arcana Dei, unde David : **452** *Cœli enarrant gloriam* (*Psal.* XVIII, 1), etc. Astra, quia de eis ait Dominus : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14). Nubes, quia rore prædicationis mentes fidelium compluunt, de quibus dicitur : *Qui sunt isti qui ut nubes volant* (*Isa.* LX, 8). Latera aquilonis, quia finitimi sunt peccatoribus qui frigidi in peccatis eos persequuntur, vel latera præbent ad patiendum aquiloni, id est diabolo, qui frigus infert hominibus peccati, de quo in Canticis : *Surge, aquilo, et flu hortum meum* (*Cant.* IV, 16), id est, tenta Ecclesiam meam, ut ex victoria de te habita accipiat gloriam. Mons testamenti sunt, quia in eis est altitudo scientiæ utriusque Testamenti, sed vos qui estis filii Ecclesiæ defendite Ecclesiam. *Nemo seducat vos inanibus verbis* (*Ephes.* V, 6); adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta, pudica est. Non pertinet ad præmia Christi qui reliquit sponsam Christi, habere jam non potest Deum Patrem qui non habet Ecclesiam matrem. Ecclesiam qui vult dividere, vestem Christi cupit discindere, nemo bonus Ecclesiam Dei deserit, nec a familia Dei discedit ; vere, ut ait Dominus, cognoscent eum oves ejus (*Joan.* X, 14), omnibus quoque clamat : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit* (*Luc.* XI, 23). Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes palææ tempestate jactantur, invalidæ arbores **453** turbinis incursione vertuntur. Apparent filii Dei ut eos stantes in fide cœlestis Pater remuneret, ut in cœlis unus Deus et una Ecclesia unum efficiant in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

AD PASTORES ECCLESIÆ.

De officio pastorali.

Væ pastoribus qui dispergunt gregem pascuæ meæ. Ideo hoc dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum suum : Vos dispersistis gregem meum, ejecistis eos, et non visitastis eos; ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum (*Jer.* XXIII, 1, 2). Audite, fratres charissimi, super vos sententiam comminantem, sed qui peccatoribus comminatur vult ut convertantur. Mandat Dominus vobis per Jeremiam prophetam quia gregem suum vobis pascendum, regendum, custodiendum commiserat, ut a lupis insidiantibus eum defenderetis, ut eos jejunos cibo cœlestis verbi reficeretis. Unde Dominus in Evangelio *convocatis discipulis suis ait : Misereor turbæ quia* [ms. *qui*] *non habent quod manducent, et* ideo *dimittere eos jejunos nolo ne deficiant in via* (*Matth.* XV, 32). Jejuni sunt in via quibus in hoc mundo non apponitur prædicationis mensa. Miseretur Dominus cum prædicatores mittit; vos estis discipuli Domini missi ad reficiendos jejunos. **454** Quid ergo, fratres? Ecce conqueritur de vobis Dominus; pastores lupi effecti sunt. Comminatur igitur Dominus : *Væ pastoribus qui dispergunt et dilacerant gregem populi mei.* Dilaceratis quos pascere debuistis, ecce ovis fit esca pastoris. Dilacerant quia, cum sint mali sibi eos incorporant, malos et sibi similes efficiendo dilacerant quia ad punitionem ducunt; dispergunt quia ab unitate Ecclesiæ dividunt. Sed audite quid vobis Dominus comminatur : *Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.* Dominus visitat mala alicujus cum ea punit, unde ait in psalmo : *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI, 2). Et quare puniet Dominus sacerdotes, subjungit : *Namque sacerdotes polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum* (*Jer.* XXIII, 11). Polluti sunt peccatis, quos mundos esse deceret, quia mundos alios facere debent; oportet enim manum (63) mundam esse qui maculas polluti vasis purgat et lavat, ne polluta deterius inquinet, cum sordida sordidum tractet; scriptum est namque : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII. 11). Domini etenim vasa ferunt qui proximorum animas ad interna sacraria perducendas in conversationis suæ exemplo suscipiunt.

Qualis autem debeat presbyter esse describit Apostolus, cum dicit : *Oportet episcopum sine crimine* **455** *esse, tanquam Dei dispensatorem, non protervum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri appetitorem* (*Tit.* I, 7). Episcopum vocat hic non solum episcopum, sed etiam presbyterum, id est, irreprehensibilem, ex eo scilicet tempore ex quo baptizatus est. « Quomodo (dicit enim Ambrosius) potest præesse Ecclesiæ, et auferre malum de malo eius, qui in delictum simile corruerit. » Sequitur : *Tanquam Dei dispensatorem.* Aliud est dispensator, aliud, dominus. Dispensator est servus præpositus conservis suis, et dispensator et familia ejusdem domini sunt servi; itaque dispensatoris non est percutere conservos suos, sed exspectare Dominum qui vindicet illa quæ male acta sunt, sed conservis dare debet in tempore cibare : sic presbyter populum Dei habet subjectum sibi, non servum. Non decet ergo eum esse perterritum familiæ Dei, sed humilem, quærentem ad modum villici boni quid prosit pluribus. *Non iracundum.* Iracundus est qui semper irascitur et ad levem repromissionis auram atque peccati, quasi a vento folium, commovetur, et revera nihil est fœdius præceptore furioso; qui cum debet esse mansuetus, et secundum illud scriptum est : *Servo autem Domini non oportet rixari, sed humilem esse ad omnes, doctorem, patientem, in* **456** *mansuetudine erudientem eos qui contra noverunt* [al., *qui estistunt*] (*II Tim.* II, 24). Ille e diverso torvo vultu, tremendibus labiis, ruga fronte, effrenatis conviciis, et errantes non tam ad bonum retrahit, quam ad malum sua severitate præcipitat; unde Apostolus : *Non reddentes malum pro malo* (*I Petr.* III, 9); et iterum : *Non occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26); et Dominus : *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 19), et Salomon : *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium* (*Prov.* XVI, 32); *Non vinolentum*, turpissimum enim presbyterum vino deditum esse. Ebrietas excæcat rationem, unde Salomon : *Vinum et mulieres apostatare faciunt hominem* [al., *sapientes*] (*Eccli.* XIX, 2). Præterea generat luxuriam; unde Apostolus : *Et nolite inebriari vino in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18). Vino inebriatus Loth jacuit cum filiabus, vino Samson inebriatus a meretrice traditus est inimicis. Et Isaias : *Ut quid consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam ut vino æstuetis.* (*Isa.* V, 11). In veteri quoque lege præceptum est sacerdotes cum ingrediuntur templum ministrare Deo, vinum omnino non bibere (*Levit.* X, 9.; *Num.* VI, 3). Si ergo abstinebatur a sacerdotibus aliquando templum secundum legem veterem ingredientibus, quid de vobis dicendum est qui quotidie ad altare Dei acceditis, cum quanta sobrietate vivere debetis? *Non percussorem.* **457** Post vinolentiam prohibet percussionem; solet enim ex vino jurgium procreari. Non debet servus illius ferire qui præcipit : *Si quis percusserit te in maxillam, præbe ei et alteram* (*Matth.* V, 39). *Non turpis lucri appetitorem.* Turpis lucri appetitus a presbytero debet esse alienus; sunt enim multi *docentes quæ non oportet turpis lucri gratia* (*Tit.* I, 11), *et putant quæstum esse pietatem* (*I Tim.* VI, 5). Forsitan enim plures inter vos sunt qui officium presbyteratus non propter Deum, sed propter terrenum commodum accipere præsumpserunt; sed hi qui terrena lucra magis quærunt quam Deum, *receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2).

Multa turpia lucra possunt notari in sacerdotibus, qui nec cantare missam, nec baptizare, vel mortuum

(63) Subauditur *ejus*. Vide *tempestates qui* pag. 450

Digitized by Google

sepelire, nisi accepto pretio, vel promisso, vel exacto, volunt; *Quærunt* enim *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* (*Philip.* II, 21); curam animarum gerunt, nec salutem animarum quærunt. Cum aliquis moritur subjectorum, non tam volunt ejus salutem quam mortem; mortem cupiunt parochiani, quia sibi ex morte credunt contingere aliquid commodi, hæc sunt ergo turpia lucra. Præterea fiunt quidam eorum feneratores, qui feneratores excommunicare solent. Si fenus crimen in laico judicatur, nonne plusquam scelus in sacerdote deputari **458** debet? Ideo in Psalmista dicitur : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit* [ms., *accipit*] (*Psal.* XIV, 6); qui si non accipiens laudari debet, tunc accipiens debet vituperari. Turpe etiam lucrum in canonibus censetur, si sacerdos vel clericus emat annonam vel vinum, ad hoc ut plus vendat. Negotiator enim est ex sacerdote, sed ait Apostolus : *Nemo militans Deo implicet se sæcularibus negotiis* (*II Tim.* II, 4), sed tantum victu contentus esse debet; et iterum ait Apostolus : *Qui altario serviunt de altario vivant* (*I Cor.* IX, 13); *dignus est enim operarius mercede sua* (*Luc.* X, 7). Dixit : *De altario vivant*, non dixit, divites fiant, victum tantum habeant, non colligant inde pecuniam; unde Dominus mittens discipulos ad prædicandum jussit ut neque sacculum, neque peram, neque zonam ferrent (*Luc.* X, 4), sed de rebus subjectorum viverent, dicens : *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt* (*Ibid.*, 7), despicientes divitias terrenas, debent alias quærendas annuntiare. Si causa harum divitiarum tantum prædicant et pastores fiunt, ab illis cœlestibus se privant. Unde Gregorius : « Si quis ideo prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat. » Duæ autem ex hoc officio merces [mercedes] debentur, una in via, altera in patria; [*add.* alia] quæ nos in labore sustentet; scilicet victus; alia **459** quæ nos in morte remuneret, scilicet gloria. Non ideo tamen prædicare debet ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere ut prædicare valeat. Sed quid nos, o pastores! agimus, qui mercedem consequimur, et tamen operarii nequaquam sumus; fructus percipimus, et tamen in prædicatione minime laboramus? Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium facimus? Merito dictum est de nobis per prophetam : *Peccata populi mei comedunt* (*Ose.* IV, 8). *Peccata populi comedunt*, qui peccata delinquentium tolerando fovent, ne temporalia bona amittant. *Peccata populi comedunt*, si ex oblationibus vivunt, et tamen pro offerentibus nihil faciunt. Itaque, fratres charissimi, de vobis conqueritur Dominus et comminatur; ita ex altera parte instruit vos Apostolus. Considerate ergo, pensate si merito fiat de vobis hæc querimonia, timete minas prævenientes ex justitia. Probate si tales estis quales describit Apostolus, ut qui nomen accepistis sacerdotis, rem nominis retinere studeatis.

SERMO III.

AD SACERDOTES.

Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Sacerdos qui habet maculam non offerat hostias Deo; nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, **460** *si claudus, si parvo, vel grandi, et torto naso, si fracto pede, si manu, si fuerit gibbosus, si lippus, si albuginem habet in oculo, si scabiem jugem. Omnis sacerdos qui habuerit maculam non accedat offerre hostias Domino* (*Lev.* XXI, 17, 21). *Homo qui fuerit leprosus non vescetur de his quæ sanctificata sunt Domino* (*Lev.* XXII, 3). Fratres charissimi, hæc omnia quæ in veteri lege de sacerdotio jubentur, ad nostrum sacerdotium spiritualiter intellecta pertinere videntur. Ibi vitiositas carnis in sacerdote damnatur, hic vitiositas mentis per corporis vitia significata indicatur. Videamus ergo per singula, quos vitiositas mentis a sacerdotio removeri præcipiente Domino cogit. In primis jubet quod sacerdos cæcus non offeret hostias Domino. Cæcus sacerdos est qui Scripturæ sententiam non intelligit, et quo gressus doctrinæ vel operis extendit per ignorantiam nescit. De talibus scriptum est per Isaiam : *Speculatores Jerusalem cæci omnes* (*Isa.* LVI, 10), scilicet qui debent providere Ecclesiæ Dei et eos ducere, cæci sunt, id est, ignorantes Domini præcepta. Quam digne isti a sacerdotio removentur qui populum Dei regere nesciunt, nec quid docere debeant cognoscunt; ait enim Dominus : *Si cæcus cæcum ducat, nonne ambo in foveam cadunt?* (*Matth.* XV, 14.) In præcipitium peccata amborum cadunt, quia ambo viam veritatis ignorant. **461** Hujusmodi pastoribus Dominus in Evangelio ait : *Vos estis cæci, duces cæcorum* (*Ibid.*, 15). Sacerdotes vero Dei debent esse prudentes in Scripturis, unde gregem Domini pascant, et unde contra lupum spiritualem se muniant; unde Salomon in Canticis laudando oculos Ecclesiæ dicit : *Oculi ejus columbæ super rivos aquarum* (*Cant.* V, 12). *Oculi* Ecclesiæ pastores sunt qui debent excubare circa gregem Domini. *Columbæ* esse dicuntur qui innocentes debent esse et simplices in consideratione Scripturarum, ne sanum intellectum aliquem hæretica sententia corrumpant. *Super rivulos aquarum* describuntur. Per rivulos, Scripturarum intelligitur sententia. Diversi rivuli diversæ sunt sententiæ. Natura columbæ est juxta fluenta habitare, et veniente accipitre se etiam undis mergendo insidias ejus evadere. Eodem modo pastores ad munitionem Scripturarum contra diaboli insidias debent recurrere. Sequitur : *Si claudus fuerit non offerat Deo hostias.* Claudus unum pedem habet rectum et alio claudicat; hinc claudo pastores illi comparantur qui partim recte intelligendo pergunt, sed in parte male prædicant; hunc autem claudicationem mentis Jacob claudus præfiguravit in corpore, quia populus Israel, veniente Christo, claudicavit mente; bene sentiebat de **462** Christo cum hominem putaret, sed male cum Deum non intelligeret. Qui autem claudicant in fide removendi sunt a sacerdotio, ne alios quos regere debent claudicare faciant in eodem vitio.

Sequitur : *Si parvo naso fuerit non offerat Deo hostias.* Nasus in divina pagina discretionem significat, naso enim bonus et malus odor discernitur, unde Salomon ait in Canticis describens Ecclesiam : *Nasus tuus sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum* (*Cant.* VII, 4). *Nasus* Ecclesiæ sunt doctores sancti, qui noverunt redolentem catholicæ fidei doctrinam discutere, ab hæreticæ pravitatis fetore. *Sicut turris Libani* sunt. Libanus mons est, et interpretatur *candidatio*. *Turris Libani* sunt doctores, quia defensio et refugium sunt fidelium. *Qui respicit contra Damascum.* Damascus interpretatur *potus sanguinis*, sanguis voluptates corporis designat; Damascus igitur mundum designat, quia sanguine, id est voluptatibus corporis, delectatur. Turris vero illa, id est, sancti doctores mundo contrarii sunt, et ideo contra Damascum dicitur respicere. Sed redeamus ad propositum : *Si aliquis parvo naso*, id est, parva discretione fuerit, scilicet ut bene discernat in ministerio quid sit faciendum, vel quid non sit faciendum, et bene discernat **463** quo spiritu unumquodque agatur, sive bono sive maligno, non est dignus sacerdotio. Putabit quidam bona esse quæ mala sunt, si vera discretione caruerit. De hac discretione dicit Apostolus : *Alii datur discretio spirituum* (*I Cor.* XII, 10). Sequitur : *Si grandi et torto naso fuerit, non offerat hostias Deo.* Grandem nasum habet qui in immoderatam discretionem evagatur, sicut quidam qui ultra modum singula persequuntur, quibus ait Apostolus : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3); dum enim aliquis ultra modum arcana divina insectatur, incidit in errorem dum non potest adipisci intellectu quod investigabat, sed ut ait Dominus : *Si quid residuum fuerit igne comburetur*

Digitized by Google

(*Exod.* XII, 10), scilicet illud quod sciri non poterit Spiritui sancto tradatur. *Si fracto pede vel manu fuerit, non offerat Deo hostias.* Duobus pedibus dicitur fidelis viam Domini ambulare, dum quod docet ore, studet opere complere; habet autem pedem fractum qui vel prædicat tantum, et opere non complet; vel opere complet, sed aliis non prædicat. Uterque autem a sacerdotio removendus est, qui vel tacet veritatem aliis, vel cujus vita dissentit a dictis. Qui bene prædicant et male vivunt notat Dominus in Evangelio, cum dicit : *Dicunt et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3). Sacerdoti **464** autem qui prædicare cessat ita Dominus per Ezechielem minatur : *Fili hominis, speculatorem dedi te domus* [al., *domu*] *Israel; audies de meo ore verba mea, et annuntiabis eis ex me : Si dicente me ad impium : Morte morieris, non annuntiaveris ei ut avertatur a via sua impia et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*, id est, *animam ejus. Si autem annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 17, 19). Idem significat manus quod pes, manus enim operari, pes ambulare designat; ambulare vero et operari in divina pagina idem est. Sequitur : *Si gibbosus fuerit, hostias Deo non offeret.* Gibbosus sacerdos est quem terrenæ cupiditatis pondus deprimit, et tardius ad superna intendit; dum enim ad infima inhiat, incurvus gravitatem sollicitudinis quasi pondus sustinet. Quod vere dives inhians terrenis gibbosus est, hoc designavit Dominus in Evangelio, dum camelo qui gibbosus est divitem avarum comparavit, dicens : *Sicut camelus non potest transire per foramen acus*, etc., (*Matth.* XIX, 24; *Marc.* X, 25; *Luc.* XVIII, 25). Quod *omnes* sacerdotes *studeat avaritiæ et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum* (*Jerem.* VI, 13). Sequitur : *Si lippus fuerit, non offeret hostias Deo.* Lippus est qui quidem ingenium ad cognitionem veritatis **465** emittit, sed hoc vivendo carnaliter obscurat; sunt enim quidam qui bene studere possunt divinæ paginæ, et bene intelligerent si vellent, sed intenti voluptatibus ingenium obscurant, et vivendo in sordibus lumen ingenii deturpant. *Albuginem habet in oculo*, qui cum sapiens sit, arrogantia sapientiæ vel justitiæ nebulam ante oculum ingenii ponit, et cum putat videre cæcus est et insipiens, ascribendo sibi non Deo quod novit; vel, iste habet maculam in oculo qui intentus terrenæ sapientiæ non divinæ, putat se sapientem esse cum sit insipiens, unde scriptum est : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III, 19). *Jugem scabiem habet*, qui aliis criminalibus nec pœnitet unde fœdatus est. Omnes istos, fratres charissimi, ab officio sacerdotali jubet Dominus removeri, vos autem qui sacerdotii nomen habetis, cavete ne pro omnibus istis dignitate officii inveniamini indigni.

SERMO IV.

AD SACERDOTES.

Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Mal.* II, 7). Audite, fratres charissimi, quantum thesaurum Dominus vobis commisit, et quanta dignitate nominis vos honoravit; thesaurum scientiæ vobis tradidit, **466** et hominem angelum vocavit; ait itaque Malachias [*ms.* Salomon] : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam;* sed quia propter eum solum non sibi commendatur, sed ut aliis diffundatur, sicut ipse ait : *Sapientia abscondita et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque ?* (*Eccli.* XX, 32.) Ideo adjunxit : *Et legem exquirunt homines ex ore ejus.* Et dignum est ex officio ejus impositum ut alii ab eo verba Domini percipiant, *quia angelus Domini exercituum est*, id est, nuntius et missus Domini Sabaoth, id est exercituum, A scilicet angelorum et aliorum ordinum. Vos estis tantæ dignitatis, quod in curia regis cœlestis familiares estis, consilia ejus cognoscitis, unde dicit in Evangelio : *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis* (*Joan.* XV, 14). Vobis injungit præcepta sua ut aliis dicatis, et tantæ etiam familiaritatis cum Deo estis, quod ex consortio ejus et participatione dii vocamini, unde per Psalmistam : *Ego dixi : Dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6.); et ad Moysen ait : *De eo quod ad juramentum deducendus est, applica cum ad eos*, id est ad sacerdotes : sed quid valet honor iste, ista sublimitas, si eam vertitis in superbiam ? Sciatis hoc omnes, fratres mei, quia si superbiatis, ipsa exaltatio erit vobis ruina, sicut scriptum est : *Dejecisti* **467** *eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII, 18). Non dixit : *Dejecisti* postquam allevati sunt, sed *dum allevarentur*, B et dum temporali honore suffulti foras videntur surgere, intus cadunt; hinc iterum dicit : *Deficientes ut fumus deficiant* (*Psal.* LXVII, 2). Fumus quippe, ascendendo deficit, et se dilatando evanescit, sicut est sublimatus dum superbit, quia unde ostenditur ut altus sit, inde agitur ut non sit; et iterum : *Deus meus, pone illos ut rotam* (*Psal.* LXXXII, 14). Rota quippe ex posteriori parte attollitur et in altioribus cadit. Posteriora nobis sunt bona præsentis loci quæ relinquimus; anteriora autem sunt æterna et permanentia ad quæ vocamur, Paulo attestante qui ait : *Quæ retro oblitus, in ea quæ sunt priora extendens me* (*Philip.* III, 13). Peccator vero in prosperitate præsentium gloriatur, ex posterioribus elevatur, in anterioribus, id est in cœlestibus, corruit. Etiam alia sublimitas vobis a Deo concessa; permittit a vobis corpus Domini tractari, sanctificari, et de pane corpus sum vestra benedictione fieri. Magna dignitas ! magna potentia ! sed videte ne hæc potestas vertatur vobis C in damnationem, qui si indigne tractatis, si indigne corpus Domini accipitis, rei corporis et sanguinis Domini eritis; sicut ait Apostolus : *Quicunque manducaverit* (*I Cor.* II, 27), etc. *Probet autem seipsum*, etc. (*Ibid.*, 28). Probatum jubet accipere : *Mundamini* **468** *qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII, 11). Itaque nulla luxuria, nulla immunditia sit in vobis. Leginus quod sacerdotes veteris legis quibus licitum erat habere uxores, in templo anno vicis suæ habitare præcepti sunt, et ab uxoribus abstinere, quia scriptum est : *Estote sancti, quia sanctus sum ego Dominus Deus vester* (*Levit.* XI, 44). Quanto magis igitur hi sacerdotes ex die Ascensionis suæ servare debent pudicitiam qui sacerdotium sine successione habent, et assidue serviunt; et cum Apostolus dicat laicis : *Abstinete vos ad tempus ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII, 5), multo magis sacerdotes, quibus orandi et sacrificandi juge officium est, debent a luxuria jugiter abstinere. Venit quadam die David esuriens ad D Achimelech sacerdotem, et ait : *Da mihi aliquid cibi;* at ille inquit : *Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum sanctum panem; dic mihi, Sunt mundi pueri tui a mulieribus ? Sunt ab heri et nudiustertius, et fuerunt vasa puerorum sancta. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem* (*I Reg.*, XXI 4 6). Si ergo sacerdos interrogavit utrum mundi erant a mulieribus in die ad panem propositionis accipiendum, quid sacerdotes debent facere assidue propter corpus Domini accipiendum ? Sed quia non vultis digne accipere, dicit Apostolus hæc incommoda contingere : *Ideo inter vos sunt multi infirmi et imbecilles* (*I Cor.* XI, 30), etc. Itaque **469** mundo vase, mundo linteo corpus Domini tractare, ne de vilitate hospitii irascatur Dominus juste. De reliquiis etiam, fratres charissimi, providere vobis debetis, ut in maxima reverentia pignora sanctorum habeatis. Audite quid ait Grægorius, de

Digitized by Google

præsumptione tractandi et videndi reliquias. « In Romanis (ait) partibus et totius Occidentis omnino intolerabile est, atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam voluerit. Quod si præsumpserit, certum est quod hæc temeritas impunita nullo modo remeabit [*al.*, remanebit]. Namque ergo cum quidam circa beatissimum B. Pauli corpus meliorari voluit, quia necesse erat ut juxta sepulcrum illius altius effodi debuisset, præpositus loci illius ossa aliqua non quidem eidem sepulcro conjuncta reperit, quæ quoniam levare præsumpsit atque in alio loco ponere, apparentibus quibusdam signis subita morte defunctus est. Præter hæc Pelagius præpositus dum similiter aliquid circa corpus B. Laurentii meliorare volebat, dum nescitur ubi sancti corpus esset, exquirunt, et subito sepulcrum illius ignorantibus [*al.*, ignoranter] apertum est; et hi qui præsentes erant monachi, atque laborabant, et mansionarii qui corpus martyris viderunt, omnes infra decem dies defuncti sunt. » (Gregorius, *lib.* III *Reg.*, ep. 30.) Itaque, fratres, non temere sunt reliquiæ sanctorum accipiendæ, nec tractandæ. De pœnitentibus similiter male agitis qui non peccata **470** hominum inquiritis, et inquisita non corrigitis, nec nobis ostenditis. Sed ego dico vobis in Spiritu Dei, ego liberabo animam meam, sed Deus de manu vestra requiret quia vos consentitis; dicit enim Ambrosius (64) : « Assentire est non reprehendere, cum possis; » ait autem Apostolus : *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I, 32). Præterea non audetis reprehendere quia eadem sæpius agitis, sicut ait Apostolus : *Qui alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris : qui dicis non mœchandum, mœcharis* (*Rom.* II, 21, 22).

Sed dicitis : Persecutionem patimur, bella toleramus, omnia perturbata videmus, non possumus gregem Domini custodire. Ecce mercenarii esse apparetis, qui veniente lupo fugitis. Audite quid admonet Dominus : *Nolite mirari si odit vos mundus* (*I Joan.* III, 13). *Si mundus vos odit, scitote quia priorem me odio habuit. Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt et vos persequentur. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret* (*Joan.* XV, 18-20). Quid ergo fratres exsequeremini [*f.* queremini]? Nonne estis membra Christi qui *non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam pro ovibus suis?* (*Matth.* XX, 28; *Joan.* X, 11.) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Gaudete et exsultate quia merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth* V, 10, 12). Nolite igitur de talibus omnino (ut ait Gregorius) **471** conturbari, quia qui post nos vixerint deteriora tempora videbunt, ita ut in comparatione sui temporis felices nos æstiment dies habuisse (65). Maxima corona est bonum esse inter malos. Audite quid Dominus ait ad Ezechielem : *Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas* (*Ezech.* II, 6). Et Job ait : *Frater fui draconum et socius struthionum* (*Job.* XXX, 29) ; et Paulus : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo* (*Philip* II, 15). Sed sunt quædam quæ oportet æquanimiter tolerare, quædam vero quæ oportet mansuete corrigere, sicut Ecclesia ait in psalmo : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII, 3), in dorso quippe onera portantur. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, quando eos quos corrigere non possumus patienter portamus. Ego Abel esse non suspicor qui Cain non habuerit. Boni, si sine malis fuerint, perfecti esse non possunt, quia minime purgantur; hoc est malus bono, quod fornax auro; hinc dicitur : *Et major serviet minori* (*Rom.* IX, 13). Esau nunquam servivit Jacob, nisi persequendo, sed dum persecutus est maxime servivit, quia majorem coronam donavit. Nolite itaque, fratres charissimi, persecutionibus terreri, sed laborate, sudate ab hoc tumultu mundi animas miserorum eripere, convertendo quosdam ad vitam contemplativam, **472** quosdam ad activam. Imitamini Jacob qui habuit duas uxores Rachel et Liam, sed prius Liam, deinde Rachel. Lia erat lippa, et Rachel formosa; de Lia multos, de Rachel paucos filios habuit. Iste servavit oves Laban, et concessit ei Laban pecora varia. Ille autem accipiebat virgas populeas, et decorticabat eas in parte, ita ut variæ essent, et ponebat eas in canalibus ubi effundebatur aqua in conspectu pecorum, ut, cum concuperent, fetus essent similes virgis; itaque plura erant varia quam alba, vel nigra, et sic major erat multitudo pecorum Jacob quam Laban (*Genes.* XXX). Hæc historia exspectat vos, et ostendit quid debeatis facere : Laban diabolus, Jacob doctor quilibet Ecclesiæ, qui pascit oves quas pascebat diabolus. Duæ filiæ, duæ vitæ : Rachel significat vitam contemplativam quæ pulchrior est, Lia, activam, quæ generat [*add.* plures] filios quam contemplativa. Jacob excorticabat virgas, id est, sententias divinas quibusdam subtrahendo..... [*f.* sensum] allegoriæ, aliis non. Qui semper laborat ut filios diaboli suos faciat. Sic, fratres charissimi, laborate in grege Domini, quosdam per vitam contemplativam generando, alios conjugatos per vitam actionis, ut, decepto Laban, id est diabolo, ad terram **473** promissionis cum ovium magna multitudine reeatis, ubi Dominus noster Jesus Christus regnat cum angelis et sanctis, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(64) Ambrosiaster, non Ambrosius in c. 1, ad Rom.

(65) Ita fere Bernardus in epist. 25 ad Hugonem Rotom. archiep.

SERMO V.

AD SACERDOTES.

Qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis; ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo. Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos et descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescit. Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est (*Psal.* CVI, 23-27). Conqueritur Dominus per David, fratres charissimi, de nobis sacerdotibus quibus gubernaculum Ecclesiæ suæ commisit, et opera et consilia sua revelavit, quoniam navem suam male gubernamus, nec in die serenitatis, nec in die procellæ discreti sumus. Ait enim : Sacerdotes *qui descendunt* ab altitudine contemplationis suæ *ad mare*, id est, ad pericula hujus mundi toleranda, positi *in navibus*, id est, in Ecclesiis regendis ordinati; qui enim curam regiminis assumit populis Dei condescendit, et mare ingreditur, quia Ecclesia Dei multis fluctibus tribulationum circumvallatur; et quare descendant subjungit, *facientes*, id est, ad hoc **474** ut faciant *operationem in aquis multis*, id est in populis multis; unde Joannes : *Aquæ multæ, populi multi* (*Apoc.* XVII, 15). Operari debent quia operarii vocantur, juxta illud : *Messis quidem multa, operarii vero pauci* (*Matth.* IX, 37; *Luc.* X, 2). Operari debent quia nomine increpationis vitia debent a mentibus hominum exstirpare, et grana virtutum seminare; operari debent in aquis multis, quia retibus præceptorum Domini homines de profundo hujus sæculi eripiendo piscari, unde Dominus Petro et Andreæ : *Faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19); et ut possint et sciant sapienter operari revelavit eis Dominus Scripturas, ait enim : *Ipsi viderunt opera Domini.* Ipsi viderunt in Scripturis opera Domini, quomodo omnia creavit, quomodo homines reformando recreavit, et cætera innumerabilia opera ejus, viderunt etiam mirabilia ejus, id est,

Digitized by Google

mysteria occulta Dei, sicut est sacramentum Dominici corporis et baptismatis, et cætera omnia sacramenta quæ doctoribus Ecclesiæ sunt revelata, cæteris de populo abscondita. Quæ mirabilia sunt in profundo, quia vix oculis cordis perceptibilia. Audistis, fratres charissimi, quomodo Deus gubernaculum navis suæ sacerdotibus commisit, et qua intentione, scilicet ut operentur in aquis multis; audistis etiam quomodo eos instruit, **475** dum eis sensum ad intelligendas Scripturas aperit. Intelligite ergo quomodo gubernant, quomodo in commisso officio se habeant. Permittit eos Dominus tentari procellis adversarii; et hoc est quod dicit, vel supponit: *Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus. Dixit* Dominus, id est, voluit, et statim *spiritus procellæ*, id est, malignus spiritus qui omnem procellam in Ecclesia Dei commovet, *stetit*, id est, inhorruit contra rectores Ecclesiæ: et *fluctus ejus*, id est, diabolicæ tentationes exaltatæ sunt, id est, multiplicantur; tentat enim rectores Ecclesiæ, tum per prosperitatem, tum per adversitatem, tum per suam, tum per subjectorum. Rectores autem quomodo obsistent: *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos, et anima eorum in malis contabescit;* per multam enim prosperitatem *ascendunt usque ad cœlos*, id est, in nimiam superbiam extolluntur, et per multam adversitatem *descendunt uque ad abyssos*, id est, usque ad desperationem deprimuntur; et *anima eorum in malis contabescit*, quia conturbata ab omni bono deficit. *Mercenarius enim et qui non est pastor, et cujus non sunt oves propriæ videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit* (*Joan.* x, 12), non pastor, sed mercenarius qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed propter **476** temporales mercedes pascit. » Mercenarius est qui locum pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet (S. Greg. *homil.* 14 *in Evang.*). » *Lupus rapit, et dispergit oves* (*Joan.* x, 12) cum alium ad luxuriam trahit, alium in avaritiam accendit [*ms.* ascendit], alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit. Stare in periculo non potest, quia non propter oves, sed propter lucrum ovibus præest, et ideo trepidant ne hoc quod diligitur amittant. *Lupus rapit* cum aliquis impotentes [*ms.* potentes], pauperes, viduas, pupillos opprimit. *Pastor fugit* non mutando locum, sed subtrahendo solatium; fugit quia injustitiam vidit et tacuit, et ideo inquit David: *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. Turbati sunt* quia ignorant quid faciendum sit, sicut qui in tempestate perturbatur et commovetur, erga subjectos pauperes, non divitibus obsistendo, sed pauperes increpando; et quia neque in prosperitate neque in adversitate rationabiliter se agunt, *omnis sapientia eorum devorata est*, et adnihilata quia cassa et infructuosa. Sic nos describit Dominus per Psalmistam, nos autem quid respondemus ad hæc? Sic enim ait Isaias: *Sicut populus, sic sacerdos; sicut servus, sic dominus; sicut ancilla, sic domina* (*Isa.* xxiv, 2); et Michæas ait: *Perit sanctus de terra, et rectus in* **477** *hominibus non est; omnes insanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur ad mortem* (*Mich.* vii, 2): miseriores sumus cæteris hominibus, quia et perimus, et alios perire facimus. Ait enim Moyses in Levitico: *Si sacerdos qui est unctus peccaverit, delinquere faciet populum*, quis enim facere pertimescit quod suum correctorem facere prospicit; propterea Dominus, cum appropinquasset Jerusalem, et videns civitatem super eam flesset (*Luc.* xix, 41), intravit postea in templum, et ejecit ementes et vendentes (*Ibid.*, 45), per hoc ostendens esse maximam causam destructionis civitatis; et quia sumus ruina populi, ait nobis Dominus per Zachariam: *Super pastores iratus est furor meus* (*Zach.* x, 3). Duobus modis est sacerdos ruina populi: male vivendo, et indiscrete regendo. Indiscrete regit, dum vel immoderatam pœnitentiam negligenda parit. De immoderata pœnitentia increpat eos Dominus dicens: *Alligant onera gravia et importabilia, et humeris hominum imponunt, digito autem nolunt ea movere* (*Matth.* xxiii, 4), id est, minimum etiam illorum quæ jubent nequeunt observare, propterea ait Apostolus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (*Gal.* vi, 1), etc. De minima autem pœnitentia ait Augustinus: « Si aliquis peccaverit in Deum, nos in Dei injuria benigni et misericordes sumus, et Dei offensam quasi injuriam sit potestate ejus velle et **478** ejus nolle impune absque congruenti pœnitentiæ vindicta donamus, cum tamen quod in nobis commissum est, nec saltem verbum contumeliosum sine vindicta possumus, juxta constitutionem sanctorum Patrum, secundum auctoritatem canonicam vindicemus. » Nolite ergo, fratres, esse indiscreti, ne vobis dicatur: *Vos estis cæci duces cæcorum*, et ideo *si cæcus cæcum ducat, nonne ambo in foveam cadunt?* (*Matth.* xv, 14.) Ut autem discretionem haberetis, in clavibus Petri vobis præfiguratum est et insinuatum, cum enim Dominus dedit claves regni cœlorum Petro, in Petro omnibus vobis dedit. Claves regni duæ sunt: potestas et discretio, ut ligemus et solvamus; sed dignus digne ligatur et excommunicatur, qui sæpius admonetur nec corrigitur, unde Dominus ait: *Si neque te neque Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* xviii, 17). Digne absolvitur qui digna satisfactione humiliatur. Nec solum subjectis indiscreti estis, sed et in alienis; accipitis enim alterius parochianos, super quos non est data vobis potestas, et de quibus non est vobis judicare, unde Apostolus: *Tu quis es qui judicas alienum servum? suo domino stat, aut cadit* (*Rom* xiv, 4). Si autem videris eum errantem, fac quod Moyses præcipit: *Si videris bovem fratris tui aut ovem errantem, non præteribis, sed reduces fratri tuo* (*Deut.* xxii, 1); debes enim **479** parochianum alienum pastorem suum devitantem dulciter admonere, et pastori suo reconciliare. Si potestatem usurpaveris timor est ne maledictionem, quam Moyses dixit, incurras: *Maledictus qui transfert terminos proximi sui* (*Deut.* xxvii, 17), et alibi: *Non assumes et transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in possessione tua* (*Deut.* xix, 14); hoc enim præcipit Dionysius papa (*Dionysius Epist.* ii, *Severo episc.*): « Ecclesias singulas singulis presbyteriis dedimus, et unicuique jus proprium statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis sit contentus. » Quare, fratres charissimi, tanta præsumptio est timenda, quoniam multa mala in [*f.* inde] oriuntur; suscipiuntur enim multoties excommunicati per ignorantiam; fiunt et per hoc illicitæ copulationes conjugales: cum enim raptam vel alterius sponsam, vel prohibitam non possint improbi ducere in parochia sua, fugiunt in aliam, et manu extranei sacerdotis illicite benedicuntur; vos autem pro terreno lucro libenter eos recipitis, et quæritis quæ vestra sunt, *non quæ Jesu Christi* (*Philip.* ii, 21). Multi etiam suspensi et degradati ab officio diabolica instigatione agere officium divinum præsumunt, et contra voluntatem Domini a vicariis ejus prohibiti ministrare volunt. Qui hoc faciunt Domino resistunt, et similes Chore, Dathan et Abiron, qui **480** steterant contra Moysen et Aaron, et volebant per invasionem præesse populo Dei, quos vivos terra transglutivit cum tabernaculis suis et substantia, descenderunt vivi in infernum (*Num.* xvi, 32). Graviter ulciscitur Deus in eos qui resistunt vicario suo; unde in veteri lege peccatum illud morte puniebatur, ait enim Moyses: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdoti qui eo tempore ministrat Domino, moriatur homo ille* (*Deut.* xvii, 12). In Toletano vero concilio excommunicari præcipiuntur, et si noluerint corrigi, exsilio damnari

Digitized by Google

(*Tol.* v, *c.* 5). De incuria vero et negligentia officii vestri multoties admonui vos ut lectioni vacaretis, et quid facitis [*f.* facere], quid prædicare debetis addisceretis. In Aureliano concilio de illis dicitur : « Sacerdotes qui non sapiunt adimplere ministerium suum, nec discere juxta præcepta suorum episcoporum pro viribus satagunt, vel contemptores canonum existunt, ab officio propr o submovendi sunt, quousque emendata hæc pleniter habeant ; » ignorantia enim Scripturarum errant et errare populum Dei faciunt, et maledictionem, quam dixit Moyses, incurrunt ; ait enim: *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere* (*Deut.* xxvii, 18). De diminutione etiam titulorum vestrorum sæpius præcepi ne aliquis minueret vel minui permitteret; super hujusmodi culpa talis invenitur in canonibus sententia : **481** « Quicunque presbyter de jure tituli sui quolibet modo aurum, argentum, gemmas, vestes, vel aliqua alia mobilia ad ornamenta divina data in perpetuum alienare tentaverit, alienator et venditor honoris sui amissione mulctetur. » Quid dicerem vobis per singula : in multis oportet vos vigilare, quia estis oculus Ecclesiæ : admonere populum Dei ut a vitiis abstineant, publice peccatores arguere, ad pœnitentiam invitare, pœnitentem in spiritu lenitatis tractare, omnes etiam qui, non confirmati, ut ad confirmationem veniant submonere, quia aliter non sunt perfecti adhuc; baptismus enim datus est ad remissionem peccatorum, in populos manus, ad dationem virtutum. Deus autem, cujus vicarii estis, qui dedit vobis judicium quod faceretis in mundo confirmari in cœlis, ipse vos regat et confirmet in officio commisso, ut gregem commissum vel subditum offerre possitis venienti Christo. Qui vivit et regnat per omnia, *etc.*

SERMO VI.

DE SACERDOTE.

Fecit Deus duo magna luminaria, luminare majus ut præesset diei, luminare minus ut præesset nocti, et stellas, et posuit eas in firmamento cœli ut lucerent super terram et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem et tenebras. Dixit etiam Dominus : Producant aquæ **482** *reptile animæ viventis et volatile super terram sub firmamento cœli* (*Gen.* i, 16-20). Sic voluit Deus, fratres charissimi, facere creaturas mundi, ut initio creatoris aliquid nobis significet mysterii. Videamus quid in luminaribus, quid in die et nocte, quid in firmamento, quid in terra nobis præfiguratum est, et imitemur si quid in eis nobis imitandum est; ad nos enim, fratres, pertinet hæc figura, quia nos sumus illa firmamenti luminaria. Quid firmamentum, nisi Scriptura super quam firmata est Ecclesia? Quid luminaria firmamenti, nisi pastores Ecclesiæ qui eam illuminant exponendo aliis? Cum Evangelium exponitis, quid aliud facitis, nisi firmamentum cœli, id est, Scripturam dilucidatis? Et duo sunt luminaria, id est, majus et minus, videlicet sapientiores et minus sapientes; dies iterum significant sapientes, et nox insipientes. Præest majus lumen diei, quia sapientiores doctores magis capaces instruunt. Quid Augustinus, nisi sol in Ecclesia? quibus loquitur, nisi sapientibus? Vos autem, sacerdotes minus scientes, minus lumen estis, vos præestis nocti, quia laicis præestis qui ignari sunt Scripturæ, et in tenebris ignorantiæ versantur, sed quodcunque lumen estis, lumen estis tamen. *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v, 14); *vos in medio nationis pravæ* **483** *et perversæ luceatis quasi luminaria* (*Philip.* ii, 15). Cæteri clerici qui prælationes super populum Dei non habent stellæ dicuntur, qui quamvis non possint doctrina, tamen et opere lucent super terram, id est, super Ecclesiam. *Luminaria dividunt lucem ac tenebras*, quia capacitatem singulorum prædicatores discernunt, ut carnalibus humilia, spiritualibus profunda prædicent. Sequitur : *Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis et volatile super terram sub firmamento cœli.* Cum pastores Ecclesiæ præfigurasset, sequenti die officiorum suorum demonstravit [*Hic. f. add.* debitum], creavit enim pisces et aves de aquis; per aquas baptismus intelligitur; pisces et aves, duo genera fidelium baptismate regeneratorum designantur; alii enim sunt amantes sæcularia, et lata hujus mundi itinera sectantes, qui pisces dicuntur, de quibus David : *Volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Psal.* viii, 8). Mare est mundus, semitæ maris sunt lata itinera hujus mundi; alii sunt volucres, id est, ad cœlestia volantes pennis virtutum. De utroque genere hominum inveniuntur in sacramentis baptismatis regenerati, unde pisces et aves sunt de aquis creati. Vobis, fratres, regenerationis officium commissum est, vos filios Deo generatis. In hac generatione Spiritus sanctus Pater est, et aqua mater; **484** unde ait Nicodemo Dominus : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* iii, 5). Prima generatio ex carnali patre carnales facit, secunda ex Spiritu spirituales reddit, unde ait Nicodemo : *Quod natum est ex carne caro est : quod natum est ex spiritu spiritus est* (*Ibid.* 6), id est, ex carne carnales, et ex spiritu fiunt spirituales. Sicut nascuntur carnaliter homines ut intrent in mundum, sic nascuntur spiritualiter ut intrent in cœlum ; unde ait : quia aliter *non potest introire in regnum Dei.* Vos autem estis ministri hujus introitus, vos facitis filios diaboli filios Dei. Ecce porta cœli vobis tradita est, dum aqua baptismatis vobis commissa est; sed cavete ne sitis similes aquæ baptismatis; aqua abluit peccata, et postea descendit in loca fetida. Pravus sacerdos similiter homines per officium salvat, per pravitatem meruit ut in infernum corruat.

Præterea vobis, fratres, claves regni cœlorum traditæ sunt; vobis enim dicitur, dum apostolis dicitur : *Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæ solveritis super terram erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* xviii, 18). Duæ sunt claves, altera claudendi, altera aperiendi; potestas enim ligandi est una clavis, et altera potestas solvendi. Una pœnitentibus aperit, altera obstinatis aditum tollit. Sed timendum est ne vos qui **485** janitores estis cœli, cum alios intromiseritis, vos ipsi intrare non possitis; non est officium ex merito, nec meritum ex officio. Multi intrant qui non habent claves, et multi habent claves qui non intrant. Proh dolor! oves intrant, et pastores ejiciuntur. Dominus autem cum vendentes et ementes ejecisset de templo, accesserunt ad eum cæci et claudi, et sanavit eos (*Matth.* xxi). Quia indignos sacerdotes de domo sua ejecit, cæcos vero in scientia et claudos in operatione, id est, peccatores plerosque Dei legis ignaros accedentes per pœnitentiam in templo recipit et sanat, dum plerumque laicos simplices interna inspiratione convertit, et sapientes liberatos excæcari permittit. Et cum deberent esse oculi columbarum, efficiuntur oculi corvorum. Dicit Christus Ecclesiæ in Canticis : *Oculi tui columbarum* (*Cant.* iv, 1). Qui sunt oculi Ecclesiæ, nisi pastores? Oculi sunt qui providere inferioribus debent, columbæ comparantur, quia simplices et innocentes debent esse. Hi sunt illi de quibus dictum est : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* lx, 8.) Vos enim nubes estis, qui alios compluere debetis; vos volare debetis ad cœlestia, ut viam ostendatis exemplo quam prædicatis verbo; et quamvis in alto sitis, quasi columbæ speculari, ne **486** accipiter veniat, debetis. Fenestræ vero sunt Scripturæ per quas Deum videtis, per quas ovibus providetis. Vos estis lux, et oculus, et sal. Lux, ut luceatis, unde : *Luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* v, 16). Oculus, ut provideatis, unde ad Ezechielem dictum est : *Speculatorem dedi te domui Israel* (*Ezech.* iii, 17). Sal, ut condiatis prædicationem

Digitized by Google

vestram, ut vermes peccatorum exstinguatis. Hæc tria vobis necessaria sunt, lux bonæ operationis, oculus bonæ discretionis, sal prædicationis et correptionis. De illis qui bene prædicant et male faciunt ait Dominus: *Quæ dicunt facite, sed tamen opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3), isti sunt etenim lux. Sunt alii qui oculo discretionis carent, qui non discernunt peccata et pœnitentias, qui ligatione, qui absolutione digni habeantur, de quibus Dominus per Ezechielem: *Sacerdotes mei contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea; inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam, et inter pollutum et mundum non intellexerunt* (*Ezech.* XXII, 26). Sunt iterum alii qui nesciunt prædicare, de quibus dictum est: *Canes muti non valentes*, vel nescientes *latrare*, (*Isa.* LVI, 10). Si oculum discretionis non habet, indigne solvit et ligat. Si non est sal, canis est circa gregem Domini, sed lupum latratu prædicationis non fugat. Si **487** non est lux, alios introducit, sed non intrat. Hæc ergo ita, fratres, vobis simul necessaria sunt; si unum eorum deest, gregem Domini periculose servatis, quia si non estis lux, cum periculo corpus Domini tractatis, et officio vestro indigni estis. Si oculo discretionis caretis, tunc *cæcus cæcum ducet, et ambo in foveam cadent* (*Matth.* XV, 14). Si salem prædicationis non habetis, tunc jejunus populus Domini erit et deficiet in via, quod valde vobis periculosum est, cum Dominus dicat: *Nolo eos dimittere jejunos ne deficiant in via* (*ibid.*, *v.* 32). Considerate ergo onus vestrum, clamat vobis propheta Osee: *Audite hoc, sacerdotes, et attendite, domus Israel, quia vobis judicium est* (*Ose.* V, 1); et unde judicium exspectent, supponit: *Quoniam laqueus facti estis Sion, et rete expansum* (*ibid.*); quasi diceret: Vos qui alios expedire debetis, malo exemplo vestro alios illaqueatis. Pensate igitur quid estis? videtis ad quod ministerium in domo Dei ordinati estis. Vobis tradidit Deus pecuniam suam dum redeat, dicens: *Negotiamini dum venio* (*Luc.* XIX, 13). Deus autem qui dixit: *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* X, 11), pastores suos et greges suos conservet, ut eos in cœlestem Jerusalem, ubi pax, et gaudium, et vita, perducat. Qui vivit et regnat, *etc.*

DE EXPOSITIONE BAPTISMATIS ET EUCHARISTIÆ.

Ex eodem ms. codice Bigotiano.) **488** Sciendum est denique quod Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Isidorus, Hilarius, Maximianus, Innocentius, Gelasius firmiter credunt et diffiniunt quod baptisma, et eucharistia, et chrisma nec per bonos sacerdotes augentur, nec per malos minuuntur. Beatus vero Hieronymus sacerdotes ad sanctam et mundam vitam provocans, eadem fide, licet aliis verbis, ut quibusdam videtur, in Expositione duodecim prophetarum dicit quod vita eucharistiam et non verba faciunt; quod cum maxima concordia cæterorum sanctorum Patrum accipiendum et pie resolvendum est. Deus enim omnipotens per fidem et solemnia verba sacerdotis, licet peccator sit, substantiam panis et vini vertit in veram substantiam carnis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Sed si sacerdos mundus, et castus et pius est, in hoc facit eucharistiam ut per vitam bonam et orationes suas prosit in salutem ipsam eucharistiam conficienti et accipienti, quæ per se plena et perfecta est, id est, ex Deo omnipotente; id est, et verbis, et fide sacerdotis, et fide astantium corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi est; sacramentum enim Dominicum per se sanctum et verum est solemnibus verbis et fide, sicut dictum est. Sed si sacerdos bonis operibus exsequitur quod credit et tractat, facit eucharistiam sibi et accipientibus prodesse in salutem. Accedit enim verbum divinum, et facit sacramentum (AUGUST., *tract* 80 *in Joan.*), facit (inquam) id est, obtinet apud Deum vita bona, vita conficientium ut eis accipientibus prosit.

APPENDIX AD ACTA VETERA.

SYNODALES CONSTITUTIONES

Per reverendum in Christo Patrem, et D. dominum Ludovicum de Canossa, Dei et sanctæ sedis apostolicæ gratia Bajocensem episcopum, editæ et publicatæ in ejus synodo æstivali Bajocis solemniter celebrata anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo, die 13 mensis Aprilis post Pascha.

Quæ anno Domini millesimo quingentesimo decimo quinto, mensis vero Aprilis die decima septima, per bonæ memoriæ prædecessorem nostrum immediatum in æstivali synodo promulgata fuerunt statuta tenoris sequentis.

I. Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo statuimus et ordinamus quatenus viri ecclesiastici nostræ Bajocensis diœcesis, sub pœna emendæ arbitrariæ, cum habitibus decentibus, nimia longitudine vel brevitudine minime notatis, sed honestis et suo statui congruis et decentibus, tam in ecclesiis quam extra, uti habeant, debita tonsura muniti, comam nullatenus nutrientes, sed auribus patentibus incedant.

II. Item quod sæcularibus negotiis contra statum ecclesiasticum nullo modo se immisceant; nec quovis **2** modo mercantias publice faciant causa lucri emendo vel vendendo, nec conductores seu locatores, arrendatores, seu affirmatores terrarum maxime laicis spectantium aut ipsorum in suis dominiis et curiis sæcularibus procuratores existant, seu receptores, et maxime beneficiati, et qui habent curam animarum. Quibus præcipimus residentiam facere in locis suorum beneficiorum, ut infra dicetur. Nec in dicis aut subsidiis regis rotulos dictando, scribendo, receptas faciendo, seu alias quovis modo se intromittere audeant.

III. Item, quod mulieres, de quibus aliqua possit oriri suspicio, cum scandalo in suis mansionibus non teneant, nec filios forsan ex illicito coitu procreatos in ecclesiis vel officiis divinis sibi ministrare permittant.

IV. Insuper caveant sub pœna arbitraria ne quovis modo insolentiam aut tumultum, seu scandalum facere audeant in servitiis defunctorum; nec ad illa se ingerant, aut compareant causa celebrandi missas

Digitized by Google

peculiares, nisi a parentibus, amicis, aut exsecutoribus dictorum defunctorum specialiter vocati fuerint et invitati.

V. Item, quod pileos in ecclesiis officiando nullatenus deportent, sed caputia honesta habeant, habitibus dissolutis in colore et factione penitus relictis, tabernasque, nisi causa necessitatis tanquam viatores, intrare non audeant ad comessationes et ebrietates sectandas; mittere tamen poterunt pro sua necessitate ad potum in eisdem tabernis quærendum.

VI. Inhibentes ulterius Ecclesiarum hujus diœcesis rectoribus et eorum vicariis ne in domibus presbyteralibus 3 tabernas teneant, seu teneri faciant, aut permittant quovis modo, nec viros ecclesiasticos sibi ignotos ad sacrum sacerdotale officium exsequendum in suis Ecclesiis admittant absque nostra et officiariorum nostrorum licentia speciali, etiamsi religiosi fuerint, nisi a suis prælatis litteras habuerint obedientiæ, et quomodo sunt missi a suis prælatis.

VII. Item, quod casus ad nos reservatos scire studeant, ne suos parochianos ab eisdem casibus absolvendo decipiant; manipulumque curatorum una cum nostris præsentibus statutis synodalibus propriis et non accommodatis secum habere curent infra festum Pentecostes Domini proxime venientis; et ad Kalendas nostras singulis annis celebrandas, necnon regesta excommunicatorum suarum parochiarum et testamentorum coram eis passatorum quæ facere tenentur, juxta statuta synodalia, tam a nobis quam a prædecessoribus nostris edita, promotori nostro exhibeant, ac in synodis et Kalendis nostris cum habitibus et superliciis honestis, cessante legitimo impedimento personaliter compareant.

VIII. Item, quod divina servitia et sacramenta ecclesiastica cum debitis honore, gravitate et reverentia, suis parochianis ministrent, clandestinisque sponsalibus non intersint. Et casu subito seu fortuito occisos et decedentes absque nostra seu prædictorum nostrorum officiariorum licentia inhumare non præsumant.

IX. Item, quod vasa et ornamenta ecclesiastica, cultui et servitio divino deservientia et deputata, munda et nitida conserventur, nullis maculis aut sordibus polluta.

4 X. Præterea quia vitium falsitatis his diebus multipliciter (unde proh dolor!) inolevit; nam quidem falsis nominibus nuncupantes obligatoria instrumenta, et quittatoria, memoralia et mandata contra alios impetrant, et passare faciunt fraudulenter ut alios sibi obligatos teneant, et eos quibus sunt obnoxii eludant, et absolutoria sua disquisitis mediis fallaciter extorqueri possint et valeant, quandoque alii falsis et adulterinis utuntur sigillis de facto excommunicando et propemodum absolvendo proximos suos, et seipsos decipiendo: alii vero diversos alios modos excogitant falsitatis, et, quantum in eis est, ad damnatum perducunt effectum: nos proinde huic pestilenti morbo, quantum possumus, obviare cupientes, statuimus ut nullius ecclesiasticus vel sæcularis, cujuscunque conditionis aut status, imposterum hujusmodi falsitatis vitia aut alia quæcunque committere fraudulenter aut dolose audeat vel præsumat, seu opem, consilium vel favorem scienter committentibus impartiri; quod si secus deinceps attentatum fuerit a quolibet vel præsumptum, decernimus malefactores constituto de præmissis gravi pœna puniri, injungentes decanis et presbyteris nobis subditis ut nobis vel officialibus seu promotoribus nostris, quam citius fieri poterit, notificent quidquid sciverint de præmissis; alias pœna simili et graviori eosdem puniemus.

XI. Præcipimus insuper omnibus et singulis curatis prædictis nostræ Bajocensis diœcesis ut supra locum dictorum suorum beneficiorum personaliter resideant, nisi causa legitima existente, cum eisdem per nos seu vicarios nostros duxerimus dispensandum, et maxime residentes in nostra diœcesi Bajocensi.

5 XII. Ulterius injungimus ad pœnam emendæ arbitrariæ omnibus et singulis presbyteris nostræ Bajocensis diœcesis ne ad altare pro missa celebranda accedere præsumant, nisi missam prævideant, et habeant omnia sibi necessaria pro missa peragenda; utpote panem, vinum, librum, calicem, ornamenta ecclesiastica, ignem et clericum ad respondendum eidem missam celebranti.

XIII. Demum et finaliter præcipimus, statuimus et injungimus omnibus et singulis decanis nostris ruralibus, ut cum omni diligentia ad relevamen subditorum nostrorum informationes super delictis et excessibus quoruncunque absque protelatione et excusatione quacunque faciant et referant, et mandata nostra absque mora exsequantur et exsequi procurent, atque officiariis nostris reportent exsecutata et relatata sub pœna pecuniaria et emenda arbitraria pro quolibet defectu (quod absit!) in præmissis per eos faciendo; quod si in præmissis negligentes et remissi comperti fuerint, volumus eos pœna graviori puniri et corrigi, aliis statutis et ordinationibus synodalibus, dudum a prædecessoribus nostris editis in suo robore duraturis, quæ præsentium per tenorem renovamus, et vires obtinere volumus.

Ipsa eadem statuta renovantes duximus declaranda, et nonnulla alia eisdem decrevimus superaddenda. Et primo:

XIV. Circa nimiam longitudinem vel brevitatem vestium virorum ecclesiasticorum, declaramus ut infra festum Omnium Sanctorum proxime venturum tunicæ longiores eorumdem ad talos usque et non ultra protrahantur, breviores vero ultra mediam 6 tibiam se extendant, quotidieque caputium seu *domino* panni nigri aut cornetam deferant. Et pileo atque corneta præcipue in ecclesia officiando depositis, utantur a cætero caputio vulgariter (*un domino*) et aliis insigniis clericalibus in et ad pœnam emendæ arbitrariæ.

XV. Statuentes insuper ut nullus clericus nostræ Bajocensis diœcesis futuris temporibus ad sacrum subdiaconatus et superiores ordines in vim tituli per parentes et amicos quoquomodo assignati recipiatur seu promoveri permittatur, nisi prius assignator tituli et clericus cui assignabitur personaliter coram nostris officialibus in judicio comparuerint et eorum juramentis mediantibus respective asseruerint, videlicet assignator tituli se annuatim solvere intendere realiter et de facto absque fraude eidem clerico et soluturum esse summam sufficientem, ad quam se obligabit. Dictus vero clericus hujusmodi summam sibi assignatam cum effectu exigere, et nullomodo alienare seu remittere nisi forsan contigerit eumdem clericum de beneficio sufficientis valoris provideri, quod sibi non liceat etiam casu advenienti, nisi de licentia et permissu nostris, et in absentia nostra judicialiter coram officialibus nostris, ut præmittitur. Titulans autem et titulandus se nullam pactionem Simoniacam, aut alias illicitam conventionem in præmissis fecisse aut facturos esse. Præcipientes nihilominus de et super assignatione dicti tituli et aliis inquiri solitis per decanos nostros debitam fieri informationem. Pro qua fideliter referenda reportabunt a titulandis summam tantum viginti quinque solidorum Turonensium omnibus inclusis. Aliter et alias hujusmodi titulum minus quam 7 debite assignatum viribus carere decernimus.

XVI. Et quia jure cavetur: *Ama scientias Scripturarum, et carnis vitia non amabis* (Hieron. *epist. ad Rusticum monach. de forma viv.*), ideo omnibus, in quantum in nobis est, provideri cupientes injungimus singulis clericis, præcipue curatis et vicariis in ecclesiis ministrantibus, ut sæpe vacent litteris, et sibi emant tractatum nuncupatum *Fillon, et Mu-*

Digitized by Google

nipulum curatorum, necnon præcepta synodalia a prædecessoribus nostris edita infra duos menses proxime futuros. Et in illis se instruant sub pœna excommunicationis.

XVII. Statuimus præterea ne clerici in sacris constituti publice ludant, vestesque deponant; nec ludis prohibitis intersint, imo, quantum poterunt, laicos ab omni scelere retrahant. Joculatoribus et histrionibus non intendant, omnino a choreis se reddant alienos. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, ab officio suspendetur, pœna vero alia arbitraria condemnabitur.

XVIII. Nostris etiam decanis ruralibus ad pœnam privationis sui officii inhibemus ne [*f.* conscii] facinorosum hominem cujuscunque gradus, status aut conditionis existat, maxime publicum et notorium in suo peccato fovere aut recelare audeant; sed facta prius inquisitione præparatoria tam cito revelare curent, ut secundum casuum exigentiam delinquentes coerceantur; alioquin, si in hoc remissi et culpabiles reperti fuerint, ultra sui officii privationem acriter punientur; quod bene advertant.

XIX. Ex decretis sanctorum Patrum nostrorum manifestatur quod placere Deo sine fide non possumus. Et quia ad nostrás devenit aures quamplurimos nostræ Bajocensis diœcesis parum in fide catholica **8** imbutos esse, cupientes salubriter providere, unde statuimus ut de cætero singuli curati seu eorum vicarii, diebus Dominicis in pronao missarum parochialium alta et intelligibili voce proferre habeant, et distincte dicere orationem Dominicam, *Pater noster*, et utrumque *Credo*, ut sic ignari, rudes, et imbecilles addiscere et retinere valeant, et explicite saltem credere non erubescant.

XX. Ex auctoritate et decreto reverendi in Christo Patris et domini domini Bajocensis episcopi, injungitur et districte præcipitur omnibus et singulis curatis diœcesis Bajocensis ut in eorum beneficiis personalem et continuam faciant residentiam infra tres menses proximos, computando tamen quoad dispensatos ad tempus super non residentiam a die termini eorum dispensationis, alioquin contra non residentes dicto tempore elapso procedetur via juris, tam per subtractionem eorum fructuum quam per privationem beneficiorum, si opus sit.

XXI. Item, inhibetur omnibus et singulis curatis dictæ diœcesis et eorum vicariis ne aliquos presbyteros in aliena diœcesi etiam in curia Romana promotos permittant in suis parochiis divina celebrare officia nisi super hoc permissionem celebrandi ab eodem domino episcopo aut ejus officiariis obtinuerint, et de ea litteratorie docuerint sub pœna emendæ arbitrariæ.

XXII. Item, injungitur omnibus et singulis decanis ruralibus dictæ diœcesis ut moneant omnes et singulos patronos beneficiorum curatorum, tam ecclesiasticos quam laicos, eorum decanatuum, quod de cætero, dum præsentabunt eidem domino episcopo aliquem seu aliquos ad beneficia ad eorum **9** præsentationem spectantem, mittant eorum præsentatum personaliter ad petendum litteram collationis seu institutionis, quia de cætero nullus per procuratorem obtinebit collationem beneficii curati.

XXIII. Item, injungitur eisdem curatis ut habeant diligenter observare statuta synodalia tam per eumdem dominum episcopum quam suos prædecessores pridem edita et promulgata; et ut quilibet eorum apud se habeat libellum nuncupatum *Fillon*, vel *Speculum curatorum*, et etiam alium librum nuper auctoritate ejusdem domini impressum, intitulatum : *L'Instruction des curés*, eosque libellos in Kalendis exhibeant promotori ejusdem domini episcopi sub pœna emendæ arbitrariæ.

STATUTA SYNODI ÆSTIVALIS DIŒCESIS EBROICENSIS

Pro anno Domini 1576, per R. P. Claudium de Saintes ejusdem episcopum.

Illustrissimo principi cardinali A. Borbonio *archiepiscopo Rotomagensi.*

Magna in exspectatione sumus, illustrissime princeps, vestræ provincialis synodi, quæ temporis iniquitate collapsam **10** *in nostris Ecclesiis pietatem ac disciplinam ecclesiasticam instauret, et contra effrenatam hæreticorum libertatem, nos saltem summa fidei atque animorum consensione muniat. Interea cum instaret dies synodi diœcesanæ, quam primam sumus habituri, nec nihil egisse videremur, statuta quædam contexuimus, quæ nostris Ecclesiis putavimus esse necessaria, vel saltem profutura, si tam libenter a nostris hominibus demandantur exsecutioni quam fuerunt a nobis scripta. Sed cum probe intelligeremus hoc postremum in vestra post Deum auctoritate positum, non in nostra, curavimus, antequam clero proponerentur, ad amplitudinem vestram deportari, ut tantum ea veniant in lucem quæ vestra archiepiscopalis censura et auctoritas confirmarint, ne ullus relinquatur calumniandi locus. Sunt sane paulo prolixiora, sed tanto sequentur postea breviora. Nec nos decuit initio sine documentis mandata et statuta edere, ne videremur nostros potius cogere quam docere et ducere; graviora et efficaciora provincialis synodus limabit, cui vocandæ ac feliciter perficiendæ, precor, salvatore nostro Jesu Christo, vestræ vietati incolumitatem, et a negotiis reipublicæ aliquam dimissionem concedi.*

Ex nostra diœcesi octava Kalendas Junii 1576.

De numero vestrorum suffraganeorum humillimus vestræ amplitudinis orator, Claudius episcopus Ebroicensis.

TITULI CAPITULORUM.

11 *De provisione beneficiatorum et maxime curatorum.*
De residentia curatorum.
De vita et honestate curatorum et aliorum ecclesiasticorum.
De officio curatorum et vicariorum.
De officio populi.
De sententia excommunicationis ferenda.
De scholis et earum magistris.
De concionatoribus.
De provisione et reformatione Breviariorum et aliorum librorum ecclesiasticorum pro diœcesi Ebroicensi.
De decanis ruralibus.
Privilegium Urbani papæ, quod episcopus Ebroicensis possit compellere subditos suos ad ordines et residentiam.
Litteræ Gregorii papæ X super eodem.

Claudius *de Saintes*, Dei et sanctæ sedis apostolicæ gratia Ebroicensis episcopus, omnibus et sin-

Digitized by Google

gulis ecclesiarum parochialium rectoribus et curatis, ac aliis viris ecclesiasticis nobis subditis, salutem in Domino.

Quamvis secundum diversitatem temporum statuta varientur humana, vobis tamen mandamus ut omnia et singula statuta, ac constitutiones synodales a prædecessoribus nostris factas et editas, præsertim ab eorum superioribus non revocatas, integre et inviolabiliter observetis et custodiatis sub pœnis in eisdem contentis.

De provisione beneficiatorum, et maxime curatorum.

12 I. De rectoribus Ecclesiarum prima et præcipua cura in religione esse debet, quoniam sine ipsis, teste Apostolo, populi errant, et circumferuntur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV, 14), ac luporum incursionibus exponuntur, sicut oves carentes idoneo pastore. Quantum tamen in ipsorum dispositione ab omnibus peccetur, it clamor cœlo. Non enim fere jam ulli providetur beneficio de homine capaci, sed cuivis homini temere providetur de quovis beneficio, atque frequentius illicito modo. In nostra quidem diœcesi multis modis peccari comperimus, sed maxime per Simoniam, vel per fructuum retentionem, titulo in custodiam alteri commisso. Quibus malis atque aliis ut incipiamus occurrere, monemus omnes qui per Simoniam, aut expressam vel tacitam emptionem et venditionem, aut fundi vel alterius rei temporalis permutationem beneficium ecclesiasticum fuerint adepti, in perpetuo mortali peccato et in continua excommunicatione vivere; nec a quoquam præterquam a summo pontifice absolvi posse, nisi in mortis articulo; nec absolutionem consequi, nisi relicto ita obtento beneficio, vel nova ejusdem impetrata post absolutionem provisione. Interea quoties vel celebrant, vel sacrosanctam eucharistiam suscipiunt, judicium sibi manducant et bibunt (*I Cor.* XI, 29), ac thesaurizant sibi iram et pœnas in die justi judicii Dei (*Rom.* II, 5) : quod ipse frequentius contra illos etiam in hoc mundo manifestum facit, dum aut repentinis calamitatibus domos et familias vendentium **13** atque ementium solet eradicare; aut præmatura morte vel subitanea taliter promotos de medio tollere, sicut per experientiam licet observare. Dantes vero beneficium in custodiam et accipientes monemus illis pœnis subjacere quæ continentur in bulla Pii IV pontificis maximi, et confirmata a sanctissimis successoribus ejus Pio V et Gregorio XIII. Tales vero sunt ut beneficia in confidentiam seu in custodiam expresse sive occulte tradita, vacent ipso jure in curia Romana, et percipientes fructus non faciant suos, sed teneantur in utroque foro etiam ipsorum hæredes ad restitutionem, recipientes vero titulum beneficiorum cum illo pacto, majoris excommunicationis latæ sententiæ pœnam ipso facto incurrere, a qua nisi a Romano pontifice (excepto mortis articulo) non possint absolvi.

II. Ne vero gravitas utriusque peccati de Simonia, et beneficii custodia, præsertim a nostris curatis ignoretur, aut non cogitetur, statuimus a nobis sive a nostris vicariis generalibus, ne ulli præsentato et nominato ad parochialem ecclesiam collatio decernatur, nisi prius in persona coram nobis vel ipsis compareat, ut interrogetur de modo et conditione qua beneficium obtinuerit, et eidem hoc nostrum statutum legatur, atque, si opus fuerit, explanetur; exigaturque sub interminatione divini judicii tam in hoc sæculo quam in futuro, ab eodem juramentum, an ulla Simoniæ labes, vel aliqua pactio de fructuum reservatione, titulo parochialis ecclesiæ in custodiam recepto, in ejus provisione intervenerit.

III. Statuimus insuper antequam collationem impetret, **14** informationem legitimam per decanum vel curatum, seu vicarium parochiæ in qua habitat ab eodem afferri de religione, vita, moribus et doctrina, et ubi a decennio, atque in qua existimatione vixerit, de iisdemque a nobis seu a vicariis nostris examinari; postremo fidei catholicæ seu Romanæ confessionem edi, juxta formulam in nostra diœcesi jam usitatam.

IV. Præterea volumus, ad repurgationem illius utriusque peccati, quod totam Ecclesiam offendit, ac lædit, a confessariis quibuscunque in ipso absolutionis sacramento adultos, tam ecclesiasticos, quam sæculares, interrogari, potissimum si qua appareat suspicio an ipsimet utriusque illius peccati sint sibi conscii, vel aliquos alios reos esse cognoverint, et declarari pœnas a sanctissimis canonibus et pontificibus impositas; prohibemusque non sibi concessam absolutionem usurpare erga eos qui talibus fuerint infecti; erga illos vero qui tantum noverunt alios utroque illo peccato infectos sic absolutione utantur ut injungant post fraternam correctionem, ab ipsis factam, nobis vel decano loci extra confessionem revelare, retinentes ita parta inique beneficia ut remedium adhibeamus.

De residentia curatorum.

I. Ecclesiarum rectores debent quidem semper officio fungi atque ovium suarum curam habere, quasi pro animabus singularum Deo rationem reddituri. Eosdem vero oportet longe circumspectiores et in omnibus vigilantiores esse hoc tempore quo Satanas in Gallia videtur non solas Ecclesias, sed particulares quosque expetivisse ut **15** cribraret sicut triticum (*Luc.* XXII, 31), et omnem potestatem accepisse seminandi passim zizania. Propterea primum obtestamur et præcipimus in Domino omnibus Ecclesiarum parochialium in nostra diœcesi rectoribus, ut a die hujus synodi intra duos menses magis quam antea cum suo grege resideant, et sint assidui, ne si nunc fugerint vel abfuerint quando vident lupum venientem, se potius mercenarios ostendant quam pastores qui animas ponunt pro ovibus suis.

II. Ne quis autem statutum hoc tanquam a sola humilitate nostra aut ab aliqua humana inventione profectum spernat vel negligat, sciat post longi temporis disputationem inter totius orbis Christiani clarissimos episcopos et doctores, in concilio Tridentino conventum et declaratum in episcopatibus et minoribus parochiis pastorum residentiam esse de jure divino, cujus transgressores peccarent mortaliter, nec fructus illorum beneficiorum suos faceret, sed teneri ad eorum fructuum restitutionem, quos superiores ecclesiastici debent fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare; contumaces vero per censuras ecclesiasticas, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere. De quibus a confessariis non residentes curatos decet moneri, nec sine satisfactionis obligatione absolutionem in foro conscientiæ eisdem conferri.

III. Arbitramur vero olim maxime in nostra diœcesi Ebroicensi diu multumque quæsitum et litigatum quosnam episcopus pro dispensatis de residentia judicare posset, ita ut non semel fuerit necessarium a nostris antecessoribus ea de re apostolicam **16** sedem Romanam consuli, quæ per felicis recordationis papas Urbanum et Gregorium X respondit solos ab illa residentia eximendos esse qui ipso facto universali Ecclesiæ in curia Romana servirent, ut continetur in ipsorum bullis ad episcopos Ebroicenses missis; quæ in nostro chartophylacio servantur, et quorum exemplar in fine istorum statutorum curavimus transcribi. Nostra ætate post concilium Tridentinum ne quidem sanctissimis Romanis pontificibus Pio IV, Pio V, et Gregorio XIII placuit illos excipi, sed episcopos etiam cardinales et curatos vel ad residentiam de curia et Ecclesia Romana expulerunt, vel coegerunt beneficiis cedere, ac gravissimas pœnas non residentibus constituerunt,

Digitized by Google

non obstante quocunque privilegio vel consuetudine. Quæ omnia ad nostram conscientiam exonerandam singulis nostræ diœcesis curatis in præsenti synodo significanda duximus; ne quærant excusationes in peccatis, aut existiment in nostra vel alterius potestate situm esse, illos a debito residentiæ non solum coram Deo et in conscientia, sed vel in Ecclesiæ foro quocunque prætextu liberare, maxime hoc infelici tempore et periculoso, quo lupi non parcunt gregi.

IV. Scimus in residentia curatorum potius requiri personæ industriam et diligentiam quam corporis in eodem loco desidentiam et inertiam, atque interresidentes numerandos potius qui, absentes corpore, spiritu et assidua speculat one gregi invigilant, quam qui præsentes corporaliter seipsos pascunt potius quam gregem, cui scandalo sunt. Attamen in Moyse, fideli Dei servo, atque aliis vigilantissimis pastoribus fuit semper compertum diuturnam **17** ipsorum corporalem absentiam aliquod magnum malum ovibus attulisse. Ideiroo statuimus si extra tempus absentiæ a concilio Tridentino curatis concessum (sess. 23. *De ref.* c. 1), in una trium Dominicarum consequentium curatus in sua parochia divinum officium non fecerit, vel ipsi saltem non interfuerit, ut computetur pro non residente. Nam si laicus pro desertore ecclesiæ suæ notatur et excommunicationi subjicitur, qui in aliqua de tribus Dominicis solemniori missæ non adfuerit, quanto æquius est curatum censeri pro non residente, qui tanto tempore suam ecclesiam deseruerit?

V. Quod si vel infirmitate, vel evidenti periculo, vel nova aliqua necessitate curatus non potuerit illo temporis spatio se præsentem ecclesiæ suæ præbere, tenebitur causam illam in pronao majoris missæ vicarius publicare, et parochianos monere, ut si i lam falsam vel fictam cognoverint, publice coram Ecclesia enuntient, vel privatim decano indicent, vel suis ædituis, ut scripto mandetur quoties curatus Ecclesiæ voluerit imponere quandiu ab eadem vel quoties in die Dominica defuerit. Volumus autem catalogum non residentium aut tempore debito deficientium curatorum per decanos describi, et ad nos fideliter referri, sub pœna perjurii contra juramentum quod nobis præstabunt.

VI. Quoniam sunt qui per litigia et devoluta fraudem faciunt sanctionibus de residentia et pluralitate beneficiorum, æquum videtur ut qui parochianæ ecclesiæ fructus percipit, et gaudet possessione, pendente litigio ad residentiæ munus obligetur.

VII. Non ignoramus pœnas et multas contra non residentes in nostra diœcesi constitutas et assuetas **18** oneribus nostri episcopatus sublevandis applicari, ob idque multitudinem non residentium ad nostrum commodum optabiliorem esse. Rogamus tamen et obtestamur iterum in Domino curatos omnes, ut nos potius debita multa fraudent quam gregem suum præsentia et suam salutem nostris utilitatibus anteponant, cogitentque potius de gravioribus illis pœnis quæ juris divini et naturalis transgressoribus imminent; cogitent (inquam) se vivere in perpetuo mortali peccato quandiu præceptum divinum de pastorum residentia violant; cogitent utroque jure non sibi deberi beneficium nisi propter officium, ideoque fructus suos non facere si suum non obierint ministerium, quemadmodum a concilio Tridentino fuit declaratum (Sess. 6, *De ref.*, c. 1).

VIII. Quibusdam non sufficit beneficium sine ullo officio injuste detinere, sed ne quid de fure et latrone omittant, non veniunt ad suas parochias nisi in messe aut solutione fructuum, quibus quodam repentino latrocinio direptis et ablatis, fugiunt et absunt toto reliquo anno, etiam nullo relicto vicario. Alii vero circumforaneos et pudendos presbyteros conducunt ad ministeria ecclesiastica in sua absentia, vel præsentia peragenda, vel eisdem locant indignis modis sua sacerdotia. Unde infinita et exsecranda oriuntur scandala, quibus ut medeamur, statuimus post antecessores nostros ut nullus a parochianis pro vicario recipiatur et agnoscatur, nisi saltem semel in anno a nobis litteras adjunctionis habuerit, quibus nihil indignum egisse toto illo anno comprobetur quo a ministerio repellatur. Decanis autem mandamus ut a die hujus synodi locationes parochialium Ecclesiarum vicariis vel aliis factas **19** videant, ne forte turpes vel illicitas conditiones habeant, earumque exemplar ad nos transmitti curent. Si alicubi vero nullam locationem beneficii factam, sed tantum presbyterum conductum ad functionem vicarii cognoverint, jubemus ab eisdem vicarium idoneum constitui, juxta concilium Tridentinum (Sess. VI, *De ref*, c. 2), cui fructus beneficii fideliter committant, de quibus portionem aliquam ipsi assignent, ut animarum cura nullatenus negligatur, et beneficia ipsa minime debitis officiis defraudentur, nonobstante quacunque oppositione sive appellatione.

IX. Audimus, atque etiam in visitatione nostra jam perspeximus, quod in nostra diœcesi plures non modo duo, sed tria et quatuor, ac promiscue et indifferenter sæculares et regulares, beneficia sæcularia et regularia obtineant. Cui malo, sicut a concilio Tridentino (Sessione VII, cap. 5) nobis injungitur, ut medeamur, mandamus singulis beneficiatis suas provisiones et dispensationes nobis infra proximam synodum exhibere visitandas et approbandas. Alias procedemus juxta constitutionem Gregorii X, in concilio Lugdunensi contra hunc abusum editam et a concilio Tridentino renovatam.

De vita et honestate curatorum et aliorum ecclesiasticorum.

I. Quamvis fides et veritas non ex moribus expendi debeant, sed contra ex fide mores, attamen eorum religio et doctrina facile contemnuntur quorum vita despicitur. Ex quo adversarii alienarunt plures ab Ecclesia catholica et abduxerunt post se ex depravata ecclesiasticorum vita, quam pietatis et veritatis ulla specie. Quocirca *ut qui ex adverso* **20** *sunt, confundantur, nihil mali habentes dicere de nobis* (*Tit.* II, 2), oramus in Domino non solos curatos, sed omnes ecclesiasticos, ut *luceat* eorum integritas ac puritas *coram hominibus, ac videant* eorumdem *opera bona et glorificent Patrem, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16), nec pudeat errantes in viam redire et in gremium Ecclesiæ. Imprimis caveant omnes ecclesiastici ab illis vitiis propter quæ præcipue irritatur Deus, et nomen ejus blasphematur inter gentes (*Rom.* II, 24), atque Ecclesia Dei affligitur. Sunt autem incontinentia, et violenta avaritia, cum pietas seu religio, nihil aliud quam quæstus existimari videtur. Propter hæc venit ira Dei in filios summi sacerdotis Heli, et in ipsam arcam Domini (*I Reg.* IV). Omnes itaque præsertim curati ita domi vivant ut careant non solo incontinentiæ crimine, sed criminis suspicione; nec mulieres ullas apud se retineant, de quibus mala suspicio efferri possit. Sint mores eorum sine avaritia, pro quocumque officio contenti his quæ sibi vel jus ipsum, vel laudabilis consuetudo constituit, ac ne quidem avidius sive inhumanius quod sibi debetur exigant, atque in omnibus pauperiorum rationem habeant. Scimus contra iis vitiis dementatos et excæcatos nullum momentum habere verba et monitiones, nec a Deo electum sacerdotem Heli liberasse animam suam per quotidianam filiorum de his vitiis increpationem: sed cum ipsis misere periisse, quoniam solo verbo et non facto correxerat. Quocirca ut liberemus hac in parte animam nostram, denuntiamus omnibus diœcesis nostræ ecclesiasticis viris, nisi a die hujus synodi (si aliquas habent mulieres suspectas) a se

Digitized by Google

expulerint, et ab incontinentia desiterint, atque a sacrarum rerum negotiatione et nundinatione 21 cessarint, nos adversus deprehensos progressuros usque ad privationem beneficiorum, et alias pœnas pro eorum scandalo, obstinatione et contumacia condignas. Decanis autem mandamus ut in his exquirendis omnem diligentiam adhibeant, nec cuiquam indulgeant, nec de his criminibus cum quoquam per conniventiam transigant, alioqui contra eosdem agemus ut contra ministros et fautores aliarum libidinum et rapinarum.

II. Sæcularibus hominibus nec Joannis Baptistæ austeritas, nec Christi in victu popularitas probari potuit. Proinde satius est ecclesiasticos viros fugere promiscua contubernia sæcularium, ac potius hospitalitatem inter se exercere. Quapropter prohibemus decanis et aliis ne Kalendas, vel alias conventiones, cleri in publicis diversoriis vel sæcularibus domibus habeant, sed ab ipsis omnia fieri præcipimus cum ordine in Ecclesia, sicut ab archidiaconis, et a nobis ipsis in procuratione visitationum, ne cuiquam simus vel scandalo vel oneri. Desideramus etiam, si fieri possit, ecclesiasticos viros in nostra diœcesi ad publicas tabernas, ne quidem iter agendo, divertere, sed sobrie atque ex charitate a suis compresbyteris excipi, sine tamen ullo gravamine; et ubique ebrietatem vitare, quæ indigna est omni homine, ac multo magis Christiano sacerdote, quem de ipsa convictum volumus carceri ad pœnitentiam in pane et aqua aliquandiu mancipari.

III. Denique quia secundum Scripturas sermo, vestitus, incessus et vultus annuntiant de homine (*Eccli.* XIX, 27); sicut omnis sacerdos ab hominibus segregatur et assumitur in his quæ sunt ad Deum, ita debet eximi et separari ab hominibus, sæculo et mundo servientibus 22 sive in sermone sive in exteriori quocunque habitu, et gestu, ut internoscatur servire Deo et non mundo. Itaque ex præscripto concilii Tridentini (sess. 14, *De ref.*, c. 6) et prædecessorum nostrorum, statuta etiam ad verbum repetendo maxime de synodo hiemali anni millesimi quingentesimi septuagesimi tertii cautum sit ne quispiam virorum ecclesiasticorum deferat vestes seu indumenta statui ecclesiastico discrepantia, nec pileos, præsertim pendente divino officio; nec femoralia circa genua abscissa et rugata, nec etiam inlusia laciniosa, et sinuosa, seu camisias quas dicimus frouciatas, quæ viris sæcularibus et laicis tantum congruunt et non ecclesiasticis, sub gravissimis pœnis contra ferentes infligendis; injungendo ob id decanis nostris ut ad hoc advertant, et quidquid super hujusmodi statuti transgressione viderint et cognoverint, ex debito juramenti per eos solemniter præstiti nobis diligenter et fideliter referant, ut contra transgressores via juris procedatur, ac ut unius pœna exemplaris sit metus multorum. Volumus insuper omnes sacerdotes, Levitas, et hypodiaconos, detonso superius capite toto, solam circuli coronam relinquere, ac barbam prolixam nullatenus deferre.

IV. Quoniam comminationem nostrorum prædecessorum nihil profuisse apparet, sed potius malum in dies ingravatum jam in multorum contumaciam et conspirationem evasisse, ex præscripto concilii Tridentini (*ibid.*) pœnas augendo contra contumaces, in præsenti synodo decernimus et declaramus excommunicationem ipso facto incurrere, sanctorum Patrum ac prædecessorum nostrorum pluries iterato, ac nostro statuto inobedientes et rebelles; nec prius 23 fraterna correctione et admonitione indigere puolice et contra publica statuta scienter et pertinaciter peccantes, sed publicam mereri coercitionem. Ideoque jubemus ecclesiasticos omnes, præsertim curatos, ita sæculariter vestitos pro excommunicatis ab omnibus vitari, a suis vero parochianis atque ab aliis ingressu ecclesiæ prohiberi, nec missam eorum, nec aliud sacrum officium audiri. Quod si non obA stante tali excommunicatione perstiterint vel sacras functiones facere, vel sæcularem illum habitum gestare, atque ecclesiasticum negligere, sicut contra ecclesiasticarum censurarum contemptores ad privationem beneficiorum quæ possederint, atque ad alias pœnas canonicas procedemus, sæculo reddituri quos sæculo malle servire quam Deo vita et vestitus ipse annuntiant, nonobstante quacunque oppositione vel appellatione, sicut procedere ab eodem sacro concilio Tridentino (sess. 22, *De ref.*, cap. 1) jubemur. Atque idem decernimus de ecclesiasticis quorum in ore turpiloquium et juramenta quotidiana pias aures offendunt, et ecclesiæ prob o sunt ac scandalo. Alios vero monemus qui sordidius induuntur quam deceat ordinem sacerdotalem, ut animi nitorem et munditiem relucere faciant etiam in exteriori vita et habitu, ne vituperetur ac spernatur eorum ministerium et in contumeliam Ecclesiæ recidat.

B *De officio curatorum et vicariorum.*

I. Perinde est curatos non residere et in residentia otiosos esse. Scriptura desiderat pastores omnes esse potentes exhortari populum in doctrina sana, et contradicentes revincere (*Tit.* I, 9); quod multo magis desiderat nostri temporis necessitas, in 24 qua *messis quidem multa, operarii vero pauci* (*Matth.* IX, 37; *Luc.* X, 2); nec solum dormientibus, sed pervigilantibus rectoribus inimici homines angeli Satanæ palam per Ecclesias superseminant zizania. Fere fit etiam ut oves libentius vocem proprii pastoris audiant quam mercenarii, sicut pastori major solet et debet esse cura de pascendis et docendis ovibus quam mercenario. Considerent itaque curati omnes, ut officii sui, ita temporis necessitatem, ac sæpe memoria repetant dictum Pauli : *Væ mihi si non evangelizavero; necessitas enim mihi incumbit* (*I Cor.* IX, 16). Si desperant de sua ignorantia, vel C dicendi exercitatione, sperent in Domino qui *linguas mutorum facit disertas* (*Sap.* X, 21), et *evangelizantibus dat verbum virtute multa* (*Psal.* LXVII, 12). Cum illa spe ac Dei invocatione attendant lectioni; homilias saltem, et sermones habeant, tam Latine quam Gallice, a doctis viris et catholicis in subsidium curatorum editos; æstu fidei ac salutis populi sui ardeant; ita usu veniet ut qui loqui non audebant, vel non poterant, magistri in Israel repente fiant. Nolumus tamen concionandi gratiam nactos aspernari, vel repellere a suis prorsus Ecclesiis alios concionatores a nobis missos, de quibus postea sermo habebitur; sed illos potius excipere sicut angelos Dei, ac dextras fraternitatis dare, populoque commendare, et cum illis de doctrina atque occurrentibus difficultatibus conferre. Cui vero per imperitiam, vel per sermonis impotentiam docendi populum negatur facultas, vicarium sibi asciscat qui hoc munus suppleat, aut vicinum aliquem curatum seu presbyterum, non omnino concionandi ignarum, quandoque invitet; aut curet aliquem de religiosis concionatoribus, quam sæpissime poterit, in suam parœciam 25 ventitare, ne populus, per imperitiam vel negligentiam curati, nesciat veram fidem, et ejus loco hæresim alicunde imbibat.

II. Ante omnia sint solliciti curati ne ullus a maximo usque ad minimum ignoret saltem necessaria ad salutem, veluti contenta in Symbolo apostolico et Decalogo; quæ ut parvuli, ac rustici atque alii admodum rudes ex usu et frequentia audiendi addiscant et memoria teneant, præcipimus in quacunque parœcia diebus festis ad primam missam, servis et ancillis designatam, sive alta sive submissa voce celebretur, sicut ad magnam et solemniorem missam, statim in utraque post *Agnus Dei*, diebus vero Dominicis post pronaon, ut puer alta, distincta et ab omnibus intelligibili voce Gallica pronuntiet, primum utrumque Symbolum apostolicum, Decalogum ipsum, et mandata seniorum, seu præcepta Ecclesiæ, sicut

Digitized by Google

habentur Gallice in Horis ad usum Ebroicensis diœcesis; unde in tabella describi poterunt, ex qua manibus prehensa puer illa recitabit. Scimus in quibusdam diœcesibus hæc eadem pronuntiari in pronao per presbyterum celebrantem; sed, sicut in aliis quibusdam fit, maluimus per puerum proclamari, quoniam ejus vox omnes et præcipue pueros magis afficit atque attentiores facit. Non sufficit autem fidei articulos et Dei mandata populo proponere atque inculcare, nisi provideatur ut opere compleantur, et de transgressione pœnitentia agatur, vel pœna sumatur.

III. Primum itaque curati sint diligentes in agnoscendo vultu pecoris sui, sciantque vocare nominatim, præsertim hoc infelici tempore, atque ante ipsum in occursum luporum vadant, orent, obsecrent, **26** increpent singulos parochianos, ut sani sint in fide et caveant ab hæresi atque infidelitate. Adhortentur eosdem ad sanctius vivendum, instantius orandum, ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ in jejuniis, lacrymis, eleemosynis, atque ad frequentius de sacramentis communicandum, potissimum de altaris sacrificio diebus solemnioribus, ne in pœnam præcedentium peccatorum ipsi inducantur in tentationem et labentur in hæresim; ut Deus auxilietur, atque anima de præsentia corporis Christi et gratiarum copia in veritate confirmetur. In his autem omnibus clerus populo præeat et præluceat; ut vitam emendet in melius, preces publicas et supplicationes adaugeat, altarisque sacrificium quotidie devotius offerat pro lege, grege, principum ac populi afflictionibus, et periculosis temporibus in quæ devenimus.

IV. Mandamus igitur toto hoc anno quotidie, vel saltem ter in hebdomada cum diebus festis, mane seu vespere, per omnes ecclesias nostræ diœcesis fieri extraordinarias preces et processiones, intra vel extra easdem ecclesias, in quibus præcipue litania decantetur cum collectis et orationibus, quibus implo- C retur Dei et sanctorum misericordia pro conservatione fidei et Ecclesiæ catholicæ, pro principum ac populi tranquillitate, cum illa collecta quæ in die Veneris sanctæ dicitur pro hæreticis et schismaticis, vel alia dicatur pro eisdem, *ut* aliquando *quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et integritate* (*I Tim.* II, 2). Ad privatas illas processiones præcipimus curatis residentibus et absentium vicariis venire, necnon singulis presbyteris in parochia habituatis, atque aliis clericis in pœnam peccati rebellionis et **27** contumaciæ, nisi in conscientia justum haberint impedimentum quod in aliud tempus non potuerunt differre. Mandamus etiam singulis presbyteris nostræ diœcesis cujuscunque conditionis et professionis ut, in omni missa sive publica sive privata, tales collectas adhibeant sub prædicta pœna, nisi fiat missa quæ nullam admittat memoriam. Singulis insuper mensibus, aliquo die festo, in omni parochia atque alia ecclesia collegiata seu conventuali, mandamus solemnem processionem fieri, D quam in urbibus et oppidis volumus esse generalem, ita ut ante vel post illam cantetur missa de sancto Spiritu, aut de altaris Sacramento cum superioribus collectis, in qua teneantur sub eadem pœna adesse supra nominati in habitu decenti cum populo.

V. Cum multa sint nobis instituta a Christo contra tentationes diaboli, tum maxime commendatur sacramentum, quod ob id confirmationis nominatur, in quo caro ungitur ut anima ad luctam confortetur, et caro signatur ut de Spiritu sancto anima muniatur, quod tanti fecerunt primi Christiani ut sine eo imperfectum ad pugnandum et resistendum diabolo existimarint Christianum. Satanæ vero astutia, sicut alia Christianorum arma quibus expugnatur et retunditur, ita et hæc contemptui ut essent curavit, adeo ut jam non solum a paucis petatur confirmatio, sed a plurimis non putetur esse sacramentum, vel aliquid contra vitia et tentamenta valere. Cæterum quoniam *totus mundus in maligno positus* (*I Joan.* v, 19), et diabolus solutus est, habens iram magnam, doceant concionatores, et curati nusquam fortasse populo magis hoc sacramentum exstitisse necessarium quam nunc sit, et adhortentur ut episcopo **28** per parochias obambulanti et visitanti, sicut olim moris erat, pueri et puellæ præsententur ad confirmationem recipiendam, adultos quoque laicos et adultas ut non pudeat recipere quod decuit ab infantia recepisse. Verum moneant neminem prius ad signandum episcopo offerendum quam articulos fidei noverit profiteri, et sacramento confessionis animam repurgarit, quæ Spiritu sancto ad fidei constantiam sit munienda et corroboranda.

VI. In administratione sacramentorum curati vel vicarii eam saltem exhibeant tam internam quam externam sanctitatem et reverentiam quam in ipso- B rum susceptione debet a laicis requirere, ne judicium et condemnationem sibi advocent ex indigna exhibitione, sicut suscipientes ex indigna participatione. Sive cum baptizant, sive cum absolvunt, sive cum aliud sacramentum conferunt, justum quidem esset ac pium ab ipsis aliqua præfatione in lingua vulgari explicari vim et virtutem sacramenti quod ipsis a concilio Tridentino mandatur. Si tamen, donec aliter provisum fuerit, ad id præstandum minus sunt idonei, saltem signorum exteriorum honestate ac dignitate ostendant res divinas ac sacras ibi contineri, et vocis ac gestus honore et gravitate, easdem a se tractari et donari. Vasa igitur, linteamina atque omnia exteriora signa sacramentorum munda sint et divinitatem quamdam præ se ferentia; ministrantes vero sacramentum cum magna veneratione, attentione ac distinctione pronuntient verba et cæremonias operentur. Cæterum quoniam in his jam summam negligentiam multorum atque etiam contemptum sumus experti, statuimus delinquentes non in solo ære, sed in corpore debitas **29** pœnas suæ negligentiæ et contemptus luere per inunctas pœnitentias.

VII. Quandoquidem omnia cum ordine fieri oportet in Ecclesia, sicut curati et vicarii subsunt episcopo, archidiacono, et decano, ita par est omnes alios presbyteros habituatos in parochia, sive aliunde advenientes subesse curato, vel ejus vicario, ac nisi de eorum assensu quidquam audere in Ecclesia in pœnam ipso facto suspensionis a divinis, ut caveatur schismatis in eadem ecclesia occasio. Videant tamen illi ne potestate in suos auxiliarios abutantur sub eadem pœna, quibus etiam mandamus alterius diœcesis presbyteros non recipere vel admittere ad ullum officium divinum peragendum, nisi litteras sui presbyteratus a nobis visas et approbatas cum professione fidei catholicæ attulerint.

VIII. Ne idem ordo ecclesiæ intervertatur, nolumus quidquam novi in ecclesias nobis inconsultis introduci, sive in ceremoniis, sive in cantu, sive in imaginibus, sive in officio divino, sive in fraternitatibus, aut aliis quibuscunque modis. Nolumus autem, nisi maxima inciderit causa et necessitas, plures altas missas in eadem ecclesia simul celebrari, vel plures chororum cantus permisceri, aut diebus Dominicis atque aliis festis, pendente majori missa, alias privatas fieri nisi post *Agnus Dei*, ne præter ordinem ecclesiæ perturbatum, detur quibusdam moræ impatientibus abeundi, ante publicum sacrum peractum, occasio. Qui contra fecerit, pro rebelle, contumaci atque etiam schismatico ab omnibus habeatur.

IX. Quoniam ut qui probati sunt manifesti fiant, cogimur zizania cum tritico perferre, et meretricem hæresim **30** cum legitima Christi sponsa Ecclesia catholica in eodem populo et iisdem ædibus tolerare, curati ac vicarii primum moneant parochianos a Scriptura omnes hæreses tanquam mulieres forni-

Digitized by Google

carias et adulteras veritatis appellari; nec propterea sibi putent esse licitum hæresim, vel minime periculosum hæretica conventicula adire et audire, si per principum edicta permittuntur. Nec enim si ad evitandum majus malum lupanaria jubentur esse libera in populis et civitatibus, ob id fuerit honestum vel licitum patrifamilias uxorem aut liberos sinere lupanaria visere et frequentare.

X. Præterea declarent ipso facto excommunicatos a conciliis et apostolicæ sedis Romanæ pontificibus, qui hæreticorum conciones audierint, conventiculis interfuerint, libros legerint et apud se retinuerint, vel fraternitatis et amicitiæ causa, et non necessitatis, cum eisdem fuerint conversati, ita ut non liceat cum ipsis matrimoniis jungere, mercimonia exercere, eorum artificio vel arte uti, cum eisdem colloqui, vel habitare, nisi quantum humana necessitas cogit, vel certa spes ostenditur eos lucrandi Christo, vel ex officio incumbit.

XI. Ne tamen coarguantur catholici, tanquam B reipublicæ et societatis humanæ perturbatores ac principum legibus inobedientes, moneant curati suos parochianos ut hæreticos nec verbo nec facto offendant, patiantur eos libertate legum frui quæ principibus placuerunt, tametsi non possint approbari; orent assidue pro ipsis, demonstrent se de eorum perditione ex animo dolere, pro eorum conversione omnia paratos esse agere, ut agnoscantur *filii Patris* sui, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* v, 45).

31 XII. Si quis de parochianis ab hæresi præventus fuerit, eum curatus vel vicarius in spiritu lenitatis admoneat, et omnes intercessores adhibeat quos existimarit quidquam posse ad lapsum revocandum; saltem doceat ipsam unam esse catholicam Ecclesiam quam tenemus, extra quam non sit salus; quæ vel hoc solo signo cognoscitur esse vera Ecclesia, ac Christi legitima sponsa, quod ab omnibus hæreticis semper oppressa fuerit et afflicta; semper tamen C tandem obtinuerit, et omnes hæreses, tanquam ancillas, de domo Dei et hæreditate proscripserit, in qua ipsa sola, tanquam legitima uxor, manserit; tam certo sperandum ita fore hæreticis nostri temporis quam superioribus omnibus aliis ita accidit, quantumcunque valerent armis, potentia, multitudine errantium, pietatis specie, doctrina et Scripturarum auctoritate; nihil dici contra Ecclesiam a recentioribus quod ab antiquis illis non dictum, nec fieri quod non factum fuerit prius. Ponat ob oculos indigna facinora quibus introducta est et firmatur nova religio, nec Antichristum plura nec magis exsecranda designaturum, cum venerit Christum aperte negare et oppugnare.

XIII. Si parochianus admonitiones non audierit, sed exierit ab ecclesia retro post Satanam, curatus vel vicarius jubeat ab aliis, tanquam hominem hæreticum, vitari et ipso facto excommunicatum. Non tamen desinat ovem perditam quærere omnibus D quibus poterit modis. Quod si vexatio aliqua vel morbus ipsi dederit intellectum, non exspectet curatus donec ab ipso vocetur, sed ultro se offerat, atque etiam cum lacrymis invitet ad pœnitentiam et a reconciliationem cum Christo et Ecclesia; nec de **32** quoquam desperet quandiu spirarit. Si sine pœnitentiæ sacramento decesserit, vel saltem quæsierit, cum potuerit, non sepeliatur Christiana sepultura, nec pro ipso oretur.

XIV. *Sin aliquando dederit illi Deus pœnitentiam* (*II Tim.* II, 25): quoties ingemuerit et ad Ecclesiam redierit, volumus a curato et tota Ecclesia cum gaudio excipi, et ad nostrum pœnitentiarium pro fidei professione, cognoscenda conversione et accipienda pœnitentia transmitti. Quamvis autem cor contritum et humiliatum non gravetur de peccato etiam publice satisfacere et gravissima quæque subire, si tamen aliquam justam causam allegarit rediens ab hæresi quominus pœnitentiarium nostrum A adeat, illam nobis significari statuimus a curato vel vicario, ut ipsi vel alteri pœnitentiarii operam demandemus. Prohibemus autem ne redeunti hæresis improperetur, sed omnes meminerint conditionis suæ, ne et ipsi tententur.

XV. Sicut renatorum in baptismate, et morientium regestum a curatis vel vicariis confici debet, ita mandamus describi nomina deficientium ab Ecclesia, nec in ea communicantium, quasi mortuorum, et diem quo cœperint deficere, ac vicissim nomina redeuntium ad eamdem Ecclesiam quasi redivivorum; et statim ut utrumque contigerit, a curatis vel vicariis nobis significari per litteras nostro secretario in civitate Ebroicensi dirigendas.

XVI. Si in hæreticorum conventiculo redeuntes ad Ecclesiam vir et uxor matrimonium contraxerint et celebrarint, statuimus, cessante omni alio canonico impedimento, ipsis in facie Ecclesiæ benedictionem sacerdotalem in nuptiali missa a curato vel vicario conferri, ne saltem dubitari possit an eorum matrimonium **33** careat sacramenti ratione et gratia. Nolumus tamen aliam nuptiarum solemnitatem repeti.

XVII. Antea inter doctos ac pios viros dubitatum fuit an baptisma a Calvinistis administratum pro vero credi deberet, quoniam non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum; aut si baptizati parvuli ab ipsis cum repræsentantur Ecclesiæ, iterum essent aqua perfundendi, saltem sub conditione assueta: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo.* Ante decisionem apostolicæ sedis Romanæ, licuit fortasse cuique in suo sensu abundare, verum quoniam posthabitam de hac difficultate disputationem et inquisitionem, felicis recordationis Pius V definivit verum esse baptisma quo uterentur Calvinistæ, adhibentes formam et materiam institutam a Christo cum intentione generali faciendi quod Christus instituit, licet errarent in particulari illa interpretatione et singulari intentione ut alii fere omnes hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptismalis, vel circa aliquem ejus effectum, ob id baptizatos ab ipsis Calvinistis non iterum tingendos sub conditione: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo*, quoniam ista clausula esset introducta quando juste dubitatur de facto baptismi, quod nec publice fieret nec sufficientes testes haberet, ut quando obstetrix, vel alius in necessitate clam baptizat et affirmat se baptizasse, cui soli in Lucie Ecclesiæ credi non debet. Ideirco quia tum deficit facti probatio, merito præcipitur illa cautio: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo.* Quoniam vero Calvinistæ baptizarent in publico cœtu, de ipsorum facto non posse ambigi idem pontifex statuit, ac male applicari illam clausulam baptismati, quod in debita **34** materia et forma cum intentione generali publice fieri constaret, quod nihil aliud esset quam verum baptisma iterare, vel in dubium adducere. Quam definitionem idem Pius pontifex ante quinque vel sex annos per breve ac per internuntium apostolicum dignatus fuit nobis atque aliis qui tum Lutetiæ Parisiorum fungebamur concionatorum officio significare, atque inhibere ne aliter doceremus. Ne igitur permittamus, post declarationem sedis apostolicæ, jam manifestum errorem in nostra diœcesi inolescere, interdicimus omnibus curatis et presbyteris sub pœna suspensionis ipso facto a divinis, et suspicionis de schismate atque hæresi, ne allatos ad se pueros, jam baptizatos a Calvinistis audeant iterum tingere sub illa conditione; sed sine ulla lotione perficiant in ipsis omnes alios ritus baptismatis ab illis omissos, quod idem in adultis redeuntibus ab hæresi agi jubemus, qui baptismum non in Ecclesia catholica, sed in Calvinistarum vel alia simili secta susceperunt.

XVIII. Prædictum ac compertum semper fuit hæreses in atheismum et regnum diaboli desinere, qui operatur in filios dissidentiæ et infidelitatis illicitas artes et maleficas divinationis, sortilegii et magiæ,

Digitized by Google

quibus infelix nostra ætas post infinitas hæreses passim inficitur. Circumspiciant itaque curati, si qui vivant in suo grege illusores, ventri suo et nulli religioni servientes, nec ad ecclesiam venientes, nec hæreticæ pravitatis exercitium facientes. Aut si sint de sortilegio ac maleficio suspecti et notati, quorum nomina ac statum volumus nobis denuntiari, ut quid facto opus sit deliberemus, mandantes confessariis omnibus ut injungant singulis confitentibus post fraternam correctionem revelare extra confessionem curato **35** vel nobis ipsis si quos noverint in occulto illorum criminum contumaces reos, sicut etiam adulterii, veneficii, usuræ, et aliorum quibus ira Dei contra totam Ecclesiam provocatur.

XIX. Postremo curati vel vicarii sui officii esse intelligant videre an quisque recte suum faciat officium, sive ecclesiasticus sive sæcularis sit, et errantes monere atque increpare, obstinatos vero ad nos deferre ; inspiciant si qua sint matrimonia illicita, nec extra tempora, nec sine requisitis proclamationibus, nisi de expresso mandato nostro et licentia, audeant nuptialem benedictionem dare vel matrimonia jungere sub pœnis, arbitrio nostro imponendis. Quoniam vero in causa matrimoniali atque aliis materiis dispensationes apostolicæ ordinariis locorum committi solent, atque inde gravia scandala oriuntur, quod obtinentium preces suppressa plerumque, aut non satis comperta probataque veritate nitantur, nihilominus suum sortiri effectum sinuntur, statuimus in futurum ne curati vel vicarii demandent exs cutioni tales dispensationes, nisi prius causa per nostrum promototem examinata a nobis ipsis cum nostro officiali fuerit comprobata et dispensatio subsignata, ne quid per obreptionem committatur. Studeant insuper curati divortia et litigia inter suos parochianos componere, præsertim levibus causis contracta, et contumaces a communione sacramentorum arceant, nec notos excommunicatos ecclesiam ingredi sinant, sicut nec ægrotos sine confessione et viatico, si fieri potest, decedere. Quod ne accidat, ut audierint aliquem infirmari, ipsum pro officio sacerdotii visitent, et ad providendum animæ saluti adhortentur, nec de parochia abeant nisi **36** relicto qui vices eorum suppleat. Sicut inobedientes parochiani non merentur sepeliri Christiana sepultura, ita curati vel vicarii, si suo hac in re defuerint officio, reddant rationem in die justi judicii pro suæ ovis perditione, et ad publicam pœnitentiam cum his qui liberos per negligentiam suffocant sunt redigendi. Interdicimus autem ne fiat consecratio eucharistiæ in privatis ac profanis cubiculis, etiam ad usum ægrotorum, quoniam maluerunt primi Christiani in honorem tanti sacramenti ab ecclesia ad ægrotum etiam tempore persecutionum deferri, vel domi ad repentinos usus servari quam in locis non sacris consecrari. Plerique simplices presbyteri, officii sui ac gradus immemores, audent ipsis diebus festis atque aliis cum galero et sine superlicio sacris interesse, ac dedignantur operam suam curato vel vicario in officiis divinis præstare, maluntque se laicis admiscere atque etiam sua privata missa confecta a toto reliquo officio abscedere. Ne hoc scandalum serpat latius, declaramus omnes presbyteros *constitui pro hominibus in his quæ sunt ad Deum* (*Hebr.* v, 1), ut pro populo sacras omnes functiones obeant ; ideoque quemlibet addictum esse parochiæ quam incolit, ut ei inserviat pro populo in omnibus officiis quæ sunt ad Deum, et in eo distingui a populo. Qua de causa quisquis de presbyteris venerit in ecclesiam, et in habitu detrectarit cum curato et aliis de presbyterio divina officia facere, tanquam non presbyterum, suspensum esse jubemus a divinis ipso facto, et ad laicam communionem cum sæcularibus redigi, nec non per decanum citari coram Officiali nostro ad neglecti officii reddendam rationem.

De officio populi

37 I. Populus de suis calamitatibus libenter conqueritur et lamentatur. Grave vero ipsi est et odiosum de earum causis, suisque peccatis, ac de remediis cogitare per vitæ emendationem, et pœnitentiam, per divini cultus et cœlestium mandatorum accurationem observationem, quibus ira Dei mitigetur, et misericordia imploretur. Omnes enim fere quasi desperantes seipsos suis miseriis fiunt deteriores, et optimi sibi videntur qui *confitentur* verbis fidem catholicam, *factis autem negant* (*Tit.* I, 16).

II. Ante omnia singuli in ea moriantur religione et Ecclesia, quæ consensu, et successione Christianorum populorum ad nos usque pervenit. Ipsam vero improbantibus ac suadentibus mutationem respondeant sine contentione quod respondendum in talibus controversiis David, Elias et apostolus Paulus docuerunt. Cum priori dicant Deo : Si mutationem sequor, *ecce nationem filiorum tuorum reprobavi* (*Psal.* LXXII, 15) ; cum altero in summa rerum desperatione ad consolationem concludant : *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam ; neque enim melior sum quam patres mei* (*III Reg.* XIX, 4). Cum Paulo vero exclament : Si veritas in Ecclesia catholica non est, *ergo qui dormierunt in Christo perierunt ?* (*I Cor.* XV, 18.) Considerent, quandiu antiqua religio apud omnes valuit, quam sanctius et felicius viveretur, et quam fides ac charitas, quæ perfectio et finis legis est, inter homines sincerius coleretur. Si quando vero audierint blasphemias, novitates, et contentiones de religione, obturantes aures suas longo longius fugiant, quemadmodum Irenæus loquitur de primis Christianis, si quando inciderent in hæreticos.

38 III. Nec vero solam Patrum suorum fidem æmulentur, sed pietatem et integritatem, si finem publicæ afflictionis sperant a Deo, præsertim cum adhuc manus ejus ad percutiendum sit extenta et furor magis ac magis per libertatem hæreseon et blasphemiarum irritetur.

IV. Idcirco præter illa quæ per curatos mandavimus proponi et suaderi populo, singuli effundant corda sua coram Domino in confessione veræ fidei, emendatione vitæ, fructibus pœnitentiæ, mandatorum observatione, et veniæ pro publicis ac privatis offensionibus diurna et nocturna supplicatione.

V. Optandum quidem esset populum sine intermissione orare, et omni hora cultui ac sacris officiis vacare, sed quoniam creatur ut operetur terram, et peccato compellitur ut in sudore vultus sui victum quærat (*Gen.* III), ac labores manuum suarum comedat (*Psal.* CXXVII), non potest nec debet assidue orationi ac cœlestibus actionibus operam dare. Quoniam tamen *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus* (*I Cor.* III, 7) : omni die antequam homo exeat ad opus suum, veniat (si fieri potest) in ecclesiam sacrum auditurus. In quo de præteritis Deo gratias agat, et suas ac totius familiæ operas ejus benedictioni commendet, eumdemque invocet ad evitanda peccata et pericula, nec obliviscatur preces facere pro publica tranquillitate fidei catholicæ et reipublicæ. Sin loci distantia vel alio justo impedimento homini sæculari non licuerit ad ecclesiam venire, saltem non omittat quod sui est officii erga Deum præstare, et liberos, servos atque ancillas, ac denique totam familiam doceat et assuefaciat petere a Deo panem suum quotidianum, profiteri Symbolum apostolicum, **39** et gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, cum peccatorum recognitione et confessione, quibus admisceantur precatiunculæ pro necessitate temporis et Ecclesiæ pace. Præterea cum Gallorum annales recitent difficilioribus temporibus instituisse majores nostros, ut ad sonitum campanæ in ortu solis, meridie et occasu admoneretur populus, quocumque in opere esset, singulariter orare ad opem Dei implorandam, volumus illum morem per hæreses et

Digitized by Google

pietatis incuriam multis locis intermissum renovari et retineri, præsertim publica calamitate nos ad id impellente. Nec istis insisteremus, nisi spectaremus plerosque cum familiis a somno ad pastum tanquam bruta animantia ferri, nec ullo sensu pietatis tangi vel affici, sed quo magis affligimur, eo magis obmutescere et stupere. De his præcipimus moneri ac durius increpari populum a curatis, concionatoribus, scholarum magistris ac confessariis.

VI. Dies festos secundum Scripturas instituit Deus in monimentum ac memoriam suorum beneficiorum, ut ea homo agnosceret et de ipsis gratias ageret (*Judith* XVI; *Esther* XVI, etc.), atque ut ad Dei imitationem quando creavit cœlum et terram et postea quievit, ipse homo, post dies laboribus assignatos, aliquem sciret quieti et contemplationi divinæ bonitatis et gratiarum actioni impendere. Ita Sabbatum Judæis fuerat impositum, ut septimo die quiescerent ad exemplum Dei et speculandis creationis operibus, et gratiis de ipsa agendis incumberent. Nec unicum illud festum ipse Deus præscripserat, sed alia multa in recordationem et considerationem multorum particularium beneficiorum quæ ipsis contulerat, pro quibus gratias agerent. Pro Sabbato Judaico dies Dominicus successit Christianis **40** in signum et monumentum redemptionis nostræ, quasi secundæ creationis et reparationis quam Christus in cruce operatus est, et requievit ab opere suæ passionis, quod tum consummavit. Verum quemadmodum non solum unicum Sabbati festum Judæis imperabatur, sed quoties aliqua eximia beneficia Deus per Moysen et alios sanctos viros illis elargiebatur, toties festa ad perpetuam illorum colendam memoriam et contemplationem decernebantur; ita populo Christiano non unicum festum diei Dominici fuit relinquendum, sed plura constituenda pro singularibus donis per Christum, Virginem ejus Matrem, apostolos, atque alios sanctos et sanctas receptis, ne simus immemores eorum et ingrati. Cessare vero oportet Christianum, sicut Judæum, in die festo maxime a vitiis et peccatis, quoniam servire debet Deo, cui displicet omne peccatum et vitium; sed ultra decet ipsum cessare ab omni opere sæculari corporeo, servili atque aliis diebus licito et consueto, quoniam festa a creatione mundi fuerunt introducta ut animus cum corpore cessaret a sæculo, et avocaretur a sollicitudinibus et laboribus hujus mundi, occuparetur vero in Dei obsequio, recognoscendis ejus beneficiis et gratiis referendis. Arbitramur nullo sæculo gravius nec frequentius peccari contra festorum sanctam et legitimam observationem quam in nostro, quandoquidem plures ipsa insumunt voluptatibus hujus sæculi sectandis, in tabernis, ganeis, lusibus illicitis, et aliis vanis atque etiam vitiosis actionibus, præsertim dum celebrantur sacra officia; ex quo non miramur, si nos apprehenderunt mala quæ per prophetas Deus festorum violatoribus comminatur (*Num.* XV; *Ezech.* XX, etc.). Nundinæ passim, etiam quævis dissolutiones illis diebus, **41** negotiationes, mercaturæ, aurigationes et vecturæ exercentur, et ab aliis diebus, quibus licent, in festa differuntur, ut duplex malum et peccatum committatur. Curati igitur sive vicarii, concionatores, et confessarii sint diligentes in redarguendo populo de ingratitudine erga Deum, et mortali peccato quod contra Dei ordinationem in violatione festorum incurrunt, ac de vindicta et ultione. Statuimus autem diebus festis nec emptiones, nec venditiones, nec locationes, nec auctiones, nec ullas dissolutiones, nec quascunque negotiationes, nec carnium et aliarum rerum expositiones, præsertim in atriis et cæmeteriis templorum fieri; nundinas vero ipsis festis assignatas in præcedentem vel sequentem diem rejici, et per vicinas parochias id prius significari. Aurigationes etiam et vecturas, atque omne opus manuum et jumentorum exerceri prohibemus, nisi quando in messe et vindemia secundum jura aeris intemperies, vel alio tempore summa et notoria necessitas excusaverint. Cæterum vectationes quæ non affectata malitia, sed per extraneos transeuntes in nostra diœcesi in festa incidunt, saltem inhiberi mandamus, ne in publicum, nisi post solemnioris missæ absolutionem, prodeant, sicut cauponas atque alia loca publicæ corruptelæ saltem tempore divini Officii occludi. Porro omnes festorum sine evidente necessitate transgressores et potissimum contumaces aut deprehensos in cauponis, in ganeis aut actionibus illicitis, jubemus coram nostro Officiali citari, et præter multam, ipsis pœnitentiam injungi pro peccato et scandalo: ac relapsos vel excommunicari, vel in carcerem retrudi. Obtestamur autem dominos sæculares ac judices, ut in hac re obsequium præstent Deo ac nobis **42** porrigant manus adjutrices, ne, si tot sacrilegia impunita evaserint, iram Dei in omnes accersant.

VII. Fratrias et fraternitates præcipue quæ charitati in nostra diœcesi deputantur approbamus, et omnia fere charitatis opera quæ per ipsas exercentur laudamus, ut sunt omnia divina Officia et ornamenta Ecclesiarum, quorumcunque etiam peste mortuorum sepulturas, et exsequias, necnon in pauperes eleemosynas. Verum quoniam audivimus comessationes et ebrietates, et alias si non omnino malas, ineptas tamen confœderationes et actiones charitatis nomine velari, monemus et adhortamur fratres ne quidquam deinceps in suis cœtibus indignum hominibus Christianis committant, nec tam sæpe, nec tantis sumptibus conviventur; sed pauperiorum fratrum et publicæ calamitatis rationem habeant, ac potius multiplicandis operibus veræ charitatis studeant. Si quid in his atque aliis fraternitatibus nostræ diœcesis correctione dignum occurrerit, de hoc volumus nos a curatis seu vicariis certiores fieri. Hoc unum vero omnibus fraternitatibus interdicimus, ne in privatis suis sacris aquam vel panem benedici diebus Dominicis faciant, ipso facto suspendendo a divinis presbyterum cujuscunque status et professionis, qui se illis per nostram diœcesim in hoc ministrum præbuerit: ne prætextu privatorum sacrorum populus avocetur a missa et Officio parochiali, sicut fere fit: cum tamen minime liceat omittere vel negligere id quod est præcepti per illud quod tantum est devotionis et supererogationis.

VIII. Quoniam ecclesia domus Dei et orationis esse debet, quam deceat sanctitudo, non possumus non moveri de populi irreverentia, qui non aliter se gerit **43** in ea quam in aliquo negotiationis foro. Verum cum sciamus adhortationes et monitiones parum proficere erga populum, nisi sit qui in præsentia increpet et assiduitate duritiem ejus frangat, statuimus per curatum seu vicarium cum presbyteris, nobilibus viris, judicibus, si qui exstiterint, ædituis ecclesiæ, eligi tres: unum de presbyteris, alterum de fraternitate charitatis, si ibi sit, vel de populo, sicut et tertium, viros boni testimonii et majores natu, ut eorum canitiem cæteri revereantur, qui electionem de se factam tenebuntur acceptare in virtute sanctæ obedientiæ Deo, episcopo, et proprio curato debitæ; et ecclesiæ ostiarii nominabuntur, propter officium quod illis imponimus, ut diebus festis observent et notent qui de presbyteris et parochianis abfuerint ab ecclesiæ Officiis, et inquirant qua de causa defecerint, an interea in cauponis, vel lusibus, vel aliis sæcularibus negotiis tempus insumant. Intra ecclesiam vero videant quem quisque locum et ordinem tenere debeat, ne sicut pravi moris et ambitionis est quibusdam, aliqui de populo primas cathedras occupent propius altare ante presbyteros, post quos decet omnes convenienter sedere, pro sua qualitate et conditione, atque in hoc standum erit judicio et arbitrio ostiariorum, ut cessent per Ecclesias ea de re solitæ contentiones et dissidia. Circumspiciant ipsi postea quid quisque agat in ecclesia, et quomodo se gerat a minimo usque ad maximum; si caput aperiat, genua cum opus est flectat, Officio divino animum ut

Digitized by Google

aures adhibeat, si orationi incumbat. Agentes contraria cum aliqua reverentia et modestia objurgent, et ad Officium cogant; non sinant sine cognita causa ullos de ecclesia, egredi nisi sacris confectis et absolutis. 44 Quæ omnia ut commodius præstare valeant, decernimus alternatim unum de tribus stare in choro, alterum extra chorum, tertium in fundo et extremitate ecclesiæ, ut intueri queant et contemplari omnes assistentes. Si quis correctione fraterna propter inobedientiam indiguerit, illum tres simul conveniant accersito secum curato seu vicario. Si illos non audierit, jubemus contumacem citari a curato coram nobis vel Officiali nostro, et de mulcta quæ fuerit indicta, volumus tertiam partem vel medietatem ipsis ostiariis applicari, alteram fabricæ. Volumus etiam, ne ipsi ostiarii graventur, tale obsequium præstare Deo et Ecclesiæ ut diebus festis in pronao oretur pro ipsis. Quod si in tali munere obierint, in pietatis recognitionem et gratitudinem, mandamus in ipsorum funere vigilias mortuorum cum missa publica celebrari fabricæ sumptibus et curati, ipsisque quod a jure dierum indulgentias erogamus. Confidimus autem eorum senectuti et factæ de ipsis electioni, nihil contra aliquem, nisi mature et ordine charitatis acturos, magis tamen Deo quam hominibus placituros. Tandiu vero manere in illo officio volumus quandiu electis et electoribus gratum fuerit.

IX. Oves vocem pastoris audire debent et ipsum sequi. Contra, nescio qua Satanæ astutia, fit ut populus non solum alienos audiat et sequatur libentius quam proprios curatos seu vicarios, sed ut ipsis mercenarios opponat, sive quos appellant parochianorum vicarios, sive capellanos, sive quoscunque ascititios, ita ut unusquisque proprium sibi constituat ministrum. Nos attendentes præcipi omnibus ab Apostolo ut obediant præpositis suis, quibus incumbit reddere 45 rationem pro animabus singulorum (*Hebr.* XIII); attendentes insuper quotidianam corum sollicitudinem, ut divinis officiis et incertis necessitatibus omnium satisfaciant; considerantes denique *foris pugnas, intus timores* (*II Cor.* VII, 5), assiduasque molestias quibus angantur pro populo, ita ut merito plerosque non solius residentiæ in propria parochia, sed et vitæ tædeat ac pœniteat, obtestamur dominos sæculares, nobiles et quoscunque ne committant ut illis exprobretur a Scriptura, quod sint sicut populus non obediens sacerdoti (*Deut.* XVII, 12) : sed potius per observantiæ, obsequii, beneficentiæ et gratificationis alacritatem, ut invitent, atque etiam quodammodo cogant proprium pastorem ad manendum cum ipsis, atque peragendum ministerium suum ex animo. Quod si curati seu vicarii aliqua in re reprehensibiles putantur, quamvis ab Apostolo moneamur, *non* facile *adversus presbyterum accusationem recipere* (*I Tim.* V, XIX), nihilominus clamores populi patienter audiemus, nec peccata curatorum impunita sinemus. Verum nemo eos deferat ex improborum opinione sive relatione, nec ex aliqua offensione et indignatione, sed potius ex comperta et probata criminis veritate. Studeant autem ipsi curati potius a suis amari et deiderari quam timeri, et sicut officio, ita meritis ac bonis operibus præesse.

X. Hospitalia, administrationes, et leprosariæ ex edicto regio laicorum regimini in nostra diœcesi committuntur, ut in pietatis opera expendantur. Comperimus autem multis in locis nihil de his aut admodum pauca in hujusmodi opera recidere, sed potius ad sublevanda publica habitatorum onera atque etiam tributa, aut in quorumdam particularium commoda venire, qui se alternatim illarum regimini præferunt, 46 ne fideles de acceptis rationes reddant, in quibus solent omnia referre expensa in lites, reparationes, atque alias cavillationes, cum interea cognoscantur in suas utilitates vertisse. Quamvis autem episcopi sit videre et cavere de omnibus bonis quæ pietati intra diœcesim deputantur, tamen ne quid ab ipsis rectoribus repetere possimus, affirmant per edictum regium nihil ad nos pertinere: Nos vero saltem ut illorum conscientiis consulamus et ne quæ pietatis sunt et nostri officii obliviscamur, mandamus curatis seu vicariis in pronao, inter excommunicatos ipso facto a jure, nominare et publicare omnes rectores hospitiorum, administrationum, leprosariarum, et fabricarum, tanquam pauperum et ecclesiarum fraudatores et sacrilegos raptores, a quibus de bonis illarum quidquam alienatur sine auctoritate publica atque ecclesiastica, vel in proprium commodum quacunque ratione transfertur, vel collocatur in profanos usus atque alios quam in pietatis opera, quibus ex fundatione destinantur, atque declarare quod eidem excommunicationi subjaceant omnes eorum participes et conscios, teneriique atque eorum hæredes ad restitutionem. Quod ipsis injungere mandamus eorum confessariis, nec nisi cum illa obligatione absolutionem dare.

De sententia excommunicationis ferenda.

I. Populus celerrime ac levissime solet ad excommunicationis mucronem contra proximum decurrere, sed eamdem latam vicissim consuevit pro nihilo habere, nec inflictam ab ea plagam sentire, vel cogitare. Verum cum omnes pœnæ, quæ ab hominibus inferuntur, tantum corpus occidant, nec mundi 47 limites excedant, sed in hoc sæculo finiantur : excommunicatio plerumque in hoc mundo corpus atque omnia quæ possidet homo male perdit, semper vero animæ vitam ferit, non solum in hoc sæculo, sed in futuro, nec tantum coram hominibus, sed etiam coram Deo. Idcirco longe omnium pœnarum gravissima est, nec nisi pro summis delictis atque omnibus remediis tentatis exerenda, ac supra quodcunque tormentum vitæ hujus pertimescenda. Gravissimum vero delictum non tam spectari et æstimari debet ex gravitate et magnitudine rei quam ex perversitate malitiæ atque contumaciæ. Qua de causa, sicut Adam primus homo per excommunicationem extra paradisum ejectus est propter maximam in unius pomi esu, re tenuissima, inobedientiam et rebellionem, ita non tam attendi debet factum ipsum in excommunicatione justa ferenda quam pravitas facientis et contumacia. Attamen si factum leve fuerit, nec scandalum publicum, nec aliud magnum malum, nec facientis manifestam contumaciam et induratam secum traxerit, indignum judicamus excommunicatione. Antequam autem ulli a nostris officiariis concedatur, si nominatim adversus aliquem petitur, volumus prius de monitionibus et charitatis correctione constare. Sin de occultis quæ probari nequeant postulatur, statuimus a petentibus inquiri si aliquos suspectos habeant, et nomina excipi, deque ad curatum seu vicarium scribi, ut antequam excommunicationem publicet, illos accersat, ac privatim moneat charitatis correctione. Nisi præfata omnia fuerint observata, interdicimus curatis seu vicariis ad publicationem procedere. Nolumus autem postea excommunicationes perfunctorie et quasi plebeium 48 aliquod mandatum ab illis cursim legi, et publicari; sed semper cum horrore et interminatione divini judicii, ac publicæ in totam parochiam afflictionis si excommunicatus in illa tolleratur; ob idque differri jubemus, quam diutissime poterit, excommunicationis fulminationem, exspectando reos et conscios ad pœnitentiam, confessionem, et cum ipsis offensis reconciliationem. Cum vero fulminationis dies advenerit, mandamus ad terrorem conscientiis incutiendum et ad ponendum ob oculos excommunicationis effectum, ante locum pronai statui feretrum opertum palla mortuorum cum ardentibus cereis atque aqua benedicta, et in fine fulminationis cereos exstingui, atque aquam benedictam effundi; necnon denuntiari omnibus ut excommunicatum quicunque sit lugeant verius mortuum quam

Digitized by Google

sola corporea morte defunctum, nec magis cum illo conversandum quam cum mortuo, quandocunque agnitus fuerit. Eo fere ritu primos Christianos usos in promulganda excommunicatione ex antiquitatibus Christianis apparet, et adhuc in quibusdam Ecclesiis observantur quædam vestigia. Porro quisquis convictus fuerit contempsisse excommunicationem quam scivit se incurrisse, pro hæretico notari debet et vitari, atque ab omnibus in jus trahi, ne, quemadmodum loquitur Apostolus cum de excommunicato agit, *modicum fermentum totam massam* et parochiam *corrumpat* (*I Cor.* v, 6), non solum omnes excommunicatos efficiendo, sed iram Dei et publicam calamitatem in omnes provocando. Propterea mandamus confessariis omnibus ut examinent non solum an confitentes sint sibi conscii alicujus excommunicationis, sed etiam conversationis cum cognitis excommunicatis, et injungere **49** ut eos extra confessionem revelent.

De scholis et earum magistris.

Spes et seminarium religionis et Ecclesiæ catholicæ ac reipublicæ in scholis versatur, in quibus juventus efformetur ad fidem veram, pietatem et doctrinam, ut inde sancti et idonei sacerdotes, judices et populi gubernatores propagentur. Quoniam quæ prima cura parentibus, et civitatibus atque episcopis esse solebat, postrema facta est, aut potius nulla, pessum ierunt omnia, et periit lex a sacerdote, jurisprudentia a judice, et consilium ac providentia a populi gubernatore. Pietas vero et religionis atque hominum consensio in factiones abiit et studia contraria. Idcirco ad omnia ista instauranda et restituenda una via compendiaria videtur, si a teneris assuescamus homines vivere et institui in eisdem scholis, quasi in eodem ovili, eodemque lacte religionis et doctrinæ imbui, atque idem prorsus sentire et velle. Miramur in nostra diœcesi majorum nostrorum diligentiam, cum vix ulla frequentior parochia occurrat, cui non adhæreret olim domus et fundatio scholis deputata; sed vicissim detestamur nostræ ætatis non solam negligentiam sed sacrilegium; in qua nobiles atque etiam ecclesiastici viri, vel ipsi parochiani, scholarum domos et fundationes usurparunt, vel alienarunt, ita ut jam vix non solum in pagis, sed ipsis oppidis et amplissimis civitatibus schola ulla habeatur, vel magister inveniatur. Ubi vero adhuc aliquod exstat scholarum vestigium et stipendium, sine residentia et docendi officio permittitur magister fructibus illis frui, seu potius abuti, et quidvis aliud agere, spectantibus populis ac gementibus suos liberos sine **50** disciplina et doctrina corrumpi. Quin etiam eo ventum est amentiæ ut plerique malint domi præceptorem magna mercede conducere, aut suos liberos necdum abecedarios in famosam universitatem ablegare quam assem unicam ad publicæ scholæ instaurationem conferre, imo quam consentire ut de publico ærario vel hospitali salarium aliquod constituatur homini docendæ juventutis capaci. Quæ omnia nobis cognita et perspecta dolentes recitamus, ut intelligant omnes quam justum sit his abusibus providere. Quocirca primum mandamus omnibus ludi magistris, seu possidentibus officia, beneficia, pensiones, agros, et quoscunque fructus scholarum rectoribus et doctoribus deputatos, ut intra duos menses ab hac synodo actu resideant in locis et ædibus eorum muneri assignatis, atque actu doceant, nec aliis negotiis se immisceant, nec alia beneficia retineant, cum residentia in scholis, et assiduo dirigendæ et erudiendæ juventutis studio et officio incompatibilia. Quod si fuerint ad suam functionem inepti, vel maluerint cedere quam tali oneri astringi, interdicimus ne resignantes opus, conentur opes vel pensionem ullam reservare, quoniam fructus illi exercitio officii, et non titulo sunt annexi. Qui vero post dictum tempus in contumacia et rebellione perstiterint, declaramus excommunicatos et pro talibus ab omnibus vitandos, ac cum retentione futurorum fructuum cogendos ad præteritorum restitutionem, quos suos facere non potuerunt quandiu destituerunt ab officio, providendumque alteri de officio, non obstante quacunque oppositione vel appellatione, cum de correctione publicæ corruptelæ agatur. Deinde mandamus omnibus ad quos **51** pertinet, præceptores in urbibus, oppidis et pagis nostræ diœcesis constituere, ut intra idem tempus de personis idoneis et de justo salario cum ipsis habitatoribus provideant, nisi fundatio sufficiat, quæ si quoquomodo alienata exstiterit procurent suis et habitatorum sumptibus in integrum restitui. Si negligentes ad id se præbuerint, volumus vel per retentionem fructuum vel per excommunicationem atque alia canonica remedia in illos agi, vel per sui juris in scholas privationem. Ut autem occupata bona scholarum recuperari queant, indicimus omnibus curatis et vicariis ut a die hujus synodi singulis Dominicis in pronao per spatium duorum mensium moneant omnes qui scienter possident aliqua pertinentia ad scholas sub pœna excommunicationis post illos duos menses incurrendæ, ut reddant bona fideliter, vel saltem de his paciscantur auctoritate nostra. Moneant etiam omnes qui noverunt ab ullo detineri quod scholæ sit proprium, ut intra præfixum tempus revelent curato vel vicario, sicut et illos moneant qui sine auctoritate ecclesiastica vendiderunt, aut aliter alienarunt quod pro scholis dicatum erat Deo, ut curent illud redhiberi, vel compensationem substitui. Ne autem desint scholæ, ubi nulla habetur eorum fundatio, vel ubi ipsa non sufficit, rogamus in Domino patronos parochiarum, et prioratuum atque capellaniarum, tam ecclesiasticos quam sæculares, ut in earum præsentatione præferant aptos ad docendum, seu qui jam huic operi insudarint, aut saltem ut ipsis reservent aliquam pensionem, quam justam esse de quocunque beneficio pro seminariis instituendæ juventutis declaravit concilium Tridentinum (sess. 23, *De ref.*, c. 18), sicut annexiones quorumcunque **52** beneficiorum. Insuper quoniam administrationem hospitiorum, et leprosariarum lex regia sæcularibus attribuit, ut impendantur redditus ad pietatis opera quæ ad nostram directionem pertinent, nec ulla potiora esse possint quam quibus pietas ipsa cordibus hominum ab ineunte ætate imprimitur, Ecclesia ipsa totaque respublica ædificatur, significamus illorum locorum administratoribus ut titulos illorum beneficiorum committant scholarum præceptoribus cum aliqua pensione, vel in scholarum usum de talibus portionem aliquam ne vereantur collocare. Mandamus præterea fraternitatibus, et parochiarum fabricis ut inter illos quibus stipendia distribuunt, semper habeant scholarum rectorem commendatum. Denique volumus a curatis seu vicariis ægrotantes moneri ne in testamento eumdem magistrum, tanquam totius reipublicæ parentem, prætereant. Pudendum est enim hæreticos pro scholis impetrandis bella gerere, atque omnia profundere, ut impietas ab eorum liberis imbibatur; et a catholicis pietatis scholas nec publico nec privato subsidio juvari, sed potius diripi et everti.

II. Cæterum ne scholæ ipsæ serviant religioni et reipublicæ potius dividendæ quam conciliandæ, inprimis statuimus pro quacunque parochia unicam fieri ad tollenda dissidia et schismata, ac sub pœna excommunicationis vetamus ne quisque clericus vel alius audeat injussu ejus qui scholas habet particularium liberos privatim suscipere erudiendos, sicut sub eadem pœna parentibus prohibemus domi magistrum tenere, nisi cum approbatione et assensu publici scholarum rectoris. Sin fuerint plures parochiæ in eadem civitate vel oppido, ubi scholæ tamen **53** publicæ existunt, volumus sub eadem pœna omnium parochiarum liberos eo convenire saltem jam in litteris provectiores, ut qui sciunt legere et

Digitized by Google

cantare; liberum vero esse inferiores ad scholam publicam vel ad parochialem mittere. Verum ne hæretici in catholicorum scholas irrepant; antequam quis erectur ludimagister, sanctimus fidei suæ, religionis, atque etiam vitæ et integritatis testimonium saltem a curato seu vicario, atque ædituis parochiæ de qua venit afferre, et se nobis sive pœnitentiario nostro ostendere ad professionem fidei catholicæ et examen doctrinæ.

III. Injungendum illi præcipimus ante omnia ut exemplo et verbo juventutem omni pietate et fide catholica imbuat, et assuescat Deum timere, colere, præcepta Decalogi tenere et facere; missam quotidie audire, ecclesiasticis officiis cum reverentia deservire, libenter orare, cum septem psalmis preces horarias, si fieri potest, memoriter scire, atque alia pietatis exercitamenta. Non sinat in pueris vitia adolescere, eos nutriat in disciplina et correptione Domini, ad omnem egressum et ingressum scholæ tam matutinum quam vespertinum oratio publica ab omnibus fiat, sive canendo (*Veni, Creator*), sive aliud quo Deus, Virgo mater, et sancti invocentur pro pace, religione, et Ecclesia catholica. In vigilia festorum discant Officium et cantum Ecclesiæ a minimo usque ad maximum. Diebus festis aliqua hora sive in Ecclesia sive in schola interrogentur, præsentibus aliis, duo vel tres per ordinem de Symbolo apostolorum, Decalogo, et aliis contentis in catholicorum catechismo Latine et Gallicæ. Fiat etiam ibi a præceptore facilis et familiaris ad pietatem exhortatio et instructio **54** de festo occurrente. Diebus quoque solennioribus, et, quam sæpissime fieri poterit, consuefaciat et doceat pueros peccata confiteri, eosque qui annos discretionis attigerunt altaris sacramentum, probata conscientia, sumere. Alliciat et adhortetur parvulos ipsos ad pietatem et studium potius quam compellat, ne prius utrumque oderint quam noverint. Quoniam tamen secundum Scripturas, *qui parcit virgæ, odit animam pueri* (*Prov.* XIII, 24), non nisi coactus ad verbera veniat; sicut autem præceptorum moderatam sævitiam desideramus, ita parentum puniendam censemus dissolutam indulgentiam, qui liberis volunt quidvis licere sine disciplina, propter quam si vel liberos a schola avocarint, vel ludimagistros aliquam contumeliam fecerint, damus ipsi per hoc nostrum statutum potestatem illos citandi coram nobis vel nostro officiali, ut discant non irasci, cui debuerunt gratias agere. Postremo curatis et decanis injungimus ut ista omnia curent exsecutioni tradi, de omissione nobis rationem reddituri.

De concionatoribus.

Duplici honore dignos vere presbyteros scribit Apostolus, maxime qui laborent in verbo et doctrina (*I Tim.* v, 17); quod præcipue infelici nostro tempore faciendum est quo, circumstrepentibus ubique falsis prophetis, rari admodum comperiuntur qui possint aut velint evangelizare virtute multa; sed nec, eodem teste Apostolo, audiendi sunt omnes ad evangelizandum idonei, *nisi* legitime *mittantur* (*Rom.* x, 15), ne mali se intermisceant bonis, sub ovina pelle lupos tegant, aut ne quod verbo aut facto asseruerunt, facto et vita negent, quod maxime etiam nostro corruptissimo **55** sæculo cavendum est; quo etiam in errorem et depravationem inducuntur, si fieri potest, ipsi electi. Proinde sancta synodus Tridentina recte constituit (sess. 5, *De ref.*, c. 2), ne regulares concionatores cujuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint, cum qua licentia personaliter coram episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant. Quin etiam eadem sancta synodus (sessione 2, cap. 2) vetat ne ipsi regulares in ecclesiis suorum ordinum contradicente episcopo prædicare præsumant. In ecclesiis vero quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam licentiam episcopi habere præcipit, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint, quam gratis ab episcopis jubet concedi. Quoniam hujus synodi decretis generales regularium, præsertim mendicantium, ordines jurarunt obedientiam, prohibemus quibuscunque concionatoribus etiam regularibus, ne deinceps præsumant conciones habere per parochias nostræ diœcesis, nisi de expressa nostra licentia, nec eos recipiant curati seu vicarii, vel permittant loqui ad populum, nisi visa aut saltem cognita nostra licentia, nec iidem regulares in suis domibus intra nostram diœcesim existentibus collocent concionatorem nisi per nos approbatum, sub pœna excommunicationis, contumaciæ et perjurii contra sanctum concilium Tridentinum. Eisdem vero præcipimus ne sine nostra licentia audeant sibi locos ullos aut terminos, tanquam quodam jure debitos, vindicare, ac si in **56** episcopi potestate non sit alios quos noverit magis idoneos eo mittere, nec ipsis liceat stationem assignatam deserere, vel permutare sine eadem nostra licentia, aliqui pro desertione puniendi. Obtestamur autem illos in Domino atque alios concionatores ut ita sua studia et vitam componant quod diœcesi nostræ adjumento sint, ædificationi, et ornamento, nec nos pudeat eos mittere, ac tanquam domesticos aliis quibuscunque anteponere. In urbibus et oppidis nostræ diœcesis, in quibus conventus habent regulares, graviter conqueruntur curati et vicarii nullas diebus Dominicis et festivis conciones fieri, ac potius impedimenta, dissidia, et scandala ab ipsis exhiberi, quam humilima pro modestia regularitatis subsidia. Expostulant quoque nobiscum rustici populi et curati se totos annos transigere sine ulla concione, nisi forte tumultuaria in messe et fructuum collectione. Propterea iterum obtestamur regulares in Domino, ne sinant ullos dies festos, præsertim in suis domibus, sine peculiari sibi concionandi munere elabi, ut pacem colant cum curatis per tot pontificum decreta firmatam, atque intelligant ne quidem confessiones audiendi in conventu sine episcopi licentia a concilio Tridentino (sess. 33, *De ref.*, c. 15) sibi potestatem permitti, et omnia indulta ac privilegia a quibuscunque obtenta, per Gregorium XIII, dominum nostrum papam, novissime intra concessa a concilio Tridentino et antiquis canonibus redigi, quibus sine scelere non possunt reclamare. Hortamur ut lectioni, orationi et exhortationi potius incumbant quam discordiis inter clerum et populum serendis, ac Patrum suorum magis æmulentur religiosam simplicitatem quam **57** inordinate ambulent. Quibus stationem dederimus, volumus in ea ipsos concionari saltem semel in mense toto anno, aut alium qui in ipsorum absentia vices suppleat nobis præsentari, ut ad minus semel in mense verbo Dei pascantur omnes nostræ parochiæ. Si defecerint, jubemus a curatis nobis significari, ut de aliis provideamus, et eleemosynarum collationem impediri. Ne autem seminantes spiritalia temporalibus egeant, mandamus a curatis seu vicariis ad hospitandum invitari, et cum gaudio ac veneratione excipi, nisi apud nobiles aut alios ditiores parochos malnerint hospitari; tantum prohibemus tabernas publicas ingredi. In Adventu vero et Quadragesima civitas tota, vel parochia, si unica sit, provideat ipsis de victu et hospitio, præsertim si fieri potest apud aliquem de ecclesiasticis, qui a prædicatorum alimentis non debent esse immunes ne cum aliis contribuant, sed potius suo exemplo alios incitare. Statuimus præterea quemque conventum in suis terminis omnibus Dominicis anni in pronao commendari. Declaramus etiam de hospitiorum et leprosariarum fructibus atque aliarum administrationum quæ operibus pietatis attribuuntur, juste ac merito portionem impartiri mendicantium conven-

Digitized by Google

tibus, ac monendos a curatis decedentes ne ipsorum in testamentis obliviscantur. Sicut autem in partem nostræ sollicitudinis atque omnium ecclesiasticorum subsidium vocantur, ita æquum est ab omnibus eos participes effici beneficiorum, quibus propter officium gaudemus. Porro quoniam dies mali sunt, rogamus ipsos ut in concionibus sint prudentes, studeantque potius nostros exhortari **58** in doctrina sana quam contradictiones et hæreses revincere, præsertim ubi populus nulla laborat hæreticorum frequentia. Insectentur potius vitia ac depravationes morum popularium, et ad pœnitentiam atque emendationem magis lacrymas excutiant quam accendant furorem vel iracundiam ad seditionem. Denique de his omnibus ad populum sermonem habeant quæ proposuimus in curatorum atque ipsius populi officio.

De provisione et reformatione breviariorum et aliorum librorum ecclesiasticorum pro diœcesi Ebroicensi.

Multorum de clero precibus, et querimoniis inducti, proposuimus Deo, nobis propitio, preces horarias pro laicis, breviaria et missalia pro presbyteris, et manualia pro nostræ diœcesis curatis diligentius visitare, ac de consilio piorum virorum reformare, atque iterum emendatiori et elegantiori impressioni mandare, præsertim cum eorum omnium jam fere ubique in nostra diœcesi laboretur penuria. Verum quia non ea est impressorum copia vel potentia quæ olim fuit, et in una impressione numerum librorum excudi debet, qui ad multos annos sufficiat, tantum negotium expediri nequit sine maximis sumptibus, quos impendere nec ipsi impressores volunt nec possunt, nec nos ipsi sumus satis potentes. Idcirco de prudentum hominum consilio, rationem inivimus qua huic oneri aliqua in parte satisfiat, ut singuli abbates, priores, curati, ac presbyteri cujuscunque professionis, et ecclesiarum æditui conferant nobiscum, singuli pro modo suarum facultatum et necessitate **59** librorum illorum, vel plura vel unicum aureum, vel minus aureo, et deponant apud deputatos ab hac synodo ad nobiscum urgendum istud negotium; quo peracto, de pretio librorum quos quisque pro sua necessitate accipiet, tantum diminuetur quantum antea contulerit. Quocirca a decanis de hoc nostro statuto moneri jubemus omnes prædictos, et scripto mandare quantum quisque obtulerit, ut a deputatis judicetur an summa pecuniæ quanta opus est convenire possit. Ne autem collata pecunia depereat, uni vel pluribus fidelibus qui sint solvendo de consensu omnium deputatorum committetur custodienda.

De decanis ruralibus.

Ne autem frustra lex et statutum detur, si nemo sit qui observet, vel observari in nostra absentia procuret, præcipimus decanis ut, tanquam ex alta specula, prospiciant in omnes, ac fideliter deferant delinquentes et contumaces; in quem finem damus ipsis potestatem citandi quoscunque sine alio mandato speciali, et prohibemus ne conniveant, vel cum ullo pretio interposito transigant sub pœna erga nos perfidiæ, et perjurii in Deum contra juramentum. Quod omnibus synodis volumus ab illis in nostris manibus fieri et renovari, cujus hæc est forma ex sanctis canonibus sumpta.

A *Ego N. decanus de N. juro per Deum vivum et hæc sancta Evangelia quod amodo in antea quidquid novi, aut audivi, aut postmodum inquisiturus sum quod contra voluntatem Dei, aut rectam Christianitatem in decanatu mihi commisso factum sit aut factum erit, si in diebus meis evenerit, et ad cognitionem* **60** *meam pervenerit, aut indicatum mihi fuerit, synodalem causam esse et ad ministerium domini mei episcopi pertinere; quod nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam, ullatenus celabo prædicto domino meo episcopo aut ejus misso, cui hoc inquirere jusserit, aut ejus officiariis. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.*

PRIVILEGIUM URBANI PAPÆ, QUOD EPISCOPUS EBROICENSIS POSSIT COMPELLERE SUBDITOS SUOS AD ORDINES ET RESIDENTIAM.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venera-
B bili fratri episcopo Ebroicensi salutem et apostolicam benedictionem.

Significasti nobis quod nonnulli decani rurales et ecclesiarum rectores tuæ diœcesis sacros ordines suscipere, et in decanatibus et ecclesiis suis, prout eorum cura requirit, personalem residentiam facere et prætextu quarumdam indulgentiarum per quas eis a sede apostolica dicitur esse concessum, ut non teneantur nec compelli valeant ad prædicta, necnon exercere officia ad quæ tenentur decanatuum et ecclesiarum earumdem ratione ad mandatum tuum recusant, propter quod prædicti decanatus et ecclesiæ debitis obsequiis defraudantur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati compellendi eosdem decanos et rectores monitione præmissa per subtractionem proventuum dictorum decanatuum et ecclesiarum, ad suscipiendum sacros ordines statutis temporibus, et ad residendum in eisdem decanatibus et Ecclesiis personaliter et ad exercenda prædicta
C officia ut tenentur; indulgentiis **61** hujusmodi, et quibuslibet litteris apostolicis veritati et justitiæ præjudicantibus nequaquam obstantibus; ac demum si protervitas eorum exegerit ipsis in hujusmodi contumacia manentibus per terminum, privandi eos dictis decanatibus et ecclesiis, et conferendi eos, prout ad te spectat, personis idoneis, quæ in eisdem decanatibus et ecclesiis, in ordinibus quos eorum cura requirit, velint et valeant deservire. Necnon contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, illis duntaxat exceptis qui nostris aut fratrum nostrorum immorantur obsequiis, fraternitati tuæ plenam et liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem.

Datum apud Urbem Veterem, v Idus Octobris, pontificatus no. tri anno III.

LITTERÆ GREGORII PAPÆ X SUPER EODEM.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, vene-
D rabili fratri episcopo Ebroicensi salutem et apostolicam benedictionem.

Insinuasti nobis quod nonnulli decani, etc. (*ut supra.*)

Datum apud Urbem Veterem, II Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno I.

Cérémonies qui s'observent en l'église cathédrale de Rouen en présence de Mgr l'Archevêque.

(Ex registro capitali Rotomagensis.)

Du mardi 6 jour d'avril 1632, le chapitre étant assemblé *per juramentum et aomos.*

Les articles dressez en la chambre des comptes pour les ceremonies qui sont à observer présence de Mr l'archevêque officiant, ou present à l'office, ont été placitez ce jourd'hui **62** en chapitre, et ordonné qu'ils seront observez et gardez de point en point, et enregistrez comme il s'ensuit.

Digitized by Google

S'il est dimanche, et que ledit seigneur soit present à l'aspersion de l'eau bénite, en la place où il se sied lorsqu'il n'est pas triple, aprés que celui de Mrs qui fera l'office aura fait l'aspersion en la croix, et en passant donné de l'eau bénite aux diacre et soûdiacre suivant la coûtume, il descendra : étant devant ledit seigneur, aprés lui avoir fait une profonde reverence, et baisé le vipillon ou aspersoir, lui presentera afin de prendre lui-même l'eau benite et en asperger l'officiant, lequel par aprés poursuit l'aspersion suivant la coûtume. Mais si ledit seigneur était en la chaire ou proche de l'autel, il semble que l'officiant lui doit presenter l'eau benite avant que d'en distribuer aux diacre et soûdiacre, parce que en ce cas il n'y a aucune messeance, comme il y auroit si du bas du chœur on retournoit vers l'autel ausdits diacre, et soûdiacre, pour puis aprés recommencer l'aspersion à ceux de Mrs qui seront proche dudit seigneur.

Dés que les ministres et officians, ou autres personnes de l'eglise passeront pardevant ledit seigneur, ils le salueront avec l'honneur et la bienseance requise en sa qualité à leur ordre, observant toûjours une difference entre cette salutation et l'adoration, ou reverence dûë au saint sacrement.

Lorsque les ministres, et l'officiant sera entré au chœur, ledit seigneur montera à l'autel pour la confession, aprés laquelle il fera la benediction de l'encens qui lui sera presenté par le diacre dedans la navette, l'enfant tenant devant lui l'encensoir ouvert, et ladite benediction faite il retournera en sa place.

Le soûdiacre montant au jubé ou pulpître pour dire l'Epître, et d'icelui retournant à l'autel, se contentera **63** *de faire la reverence audit seigneur en passant et repassant par devant lui, suivant l'ancien usage de cette eglise, sans lui poser ni le livre des epîtres devant lui, ni lui baiser la main ni l'anneau.*

Lorsque les ministres seront arrivez devant ledit seigneur, allans au pulpître ou jubé pour l'évangile, le soûdiacre prendra l'encens de l'enfant qu'il presentera audit seigneur pour en faire la benediction en le mettant en l'encensoir, qui lui sera presenté par son aumônier, qui à cette fin l'aura pris des mains de l'enfant, et en aprés le diacre lui demandera la benediction par une profonde inclination pour annoncer l'evangile, laquelle reçûë, presentera à baiser audit seigneur le crucifix qui est au livre des évangiles, disant : Adoramus te, Christe, etc.

L'Evangile annoncé lesdits ministres retourneront à l'autel, où étant le diacre encensera le prêtre, et le soûdiacre lui presentera à baiser le texte de l'evangile, puis retournans vers led. seigneur il sera encensé par le diacre, et le soûdiacre lui presentera le livre ou texte de l'evangile pour le baiser. En toutes lesquelles actions lesdits ministres ne doivent baiser ni la main, ni l'anneau dud. seigneur, pour être chose non usitée en cette eglise, et que ledit seigneur n'est en office.

La benediction de l'eau pour le calice et de l'encens pour l'oblation sera faite par le prêtre qui fait le sacrifice.

Après l'Ite missa est *ledit seigneur donnera la benediction pontificale à l'ordinaire.*

Lorsque ledit seigneur fera l'office aux vêpres, il sortira de la sacristie revêtu de ses habits pontificaux, accompagné d'un de messieurs les dignitez pour lui servir de prêtre assistant, ayant à ses côtez deux chapelains pour soûlever les deux côtez de sa chappe : ses croix et crosse seront portées devant lui par deux autres chapelains, et un autre sera reservé pour tenir son mitre en tems, lesquels tous seront revêtus de chappes.

Etant entré en sa chaire il fera les prières accoûtumées, **64** *puis il commencera les vêpres chantant :* Deus, in adjutorium, *et continuera à dire le chapitre, et l'antienne de* Magnificat *lui sera annoncée par le chapier usant du mot de monsieur en lui baillant ladite antienne.*

Durant que l'antienne sera poursuivie par le chœur, le prêtre assistant lui presentera la navette avec l'encens, et lui baisera la main ou l'anneau, et cette benediction faite il partira de sa chaire pour se trouver à l'autel lorsque l'on commencera le Magnificat, *pour donner le tems aux deux chanoines officians de porter l'encens en la chapelle Notre-Dame.*

Etant arrivé à l'autel le prêtre assistant lui presentera l'encensoir en lui baisant la main ou son anneau, ce qu'il reïterera aussi en reprenant l'encensoir.

L'encensement de l'autel achevé, il retournera en sa chaire, et cependant lesdits deux susdits chanoines encenseront les tombes ou sepultures des rois et l'autel de la chapelle de Notre-Dame, étant retournez au chœur ils encenseront ledit seigneur, et monsieur le doyen si faire se doit, le surplus étant continué suivant l'usage de cette église.

Aprés que le Magnificat *et l'antienne seront finies avec la neume, il chantera* Dominus vobiscum *et l'oraison avec sa clause finale, et repetera à la fin* Dominus vobiscum. *Si il y a plusieurs oraisons à cause des memoires ou de la station de l'Inviolata, il repetera derechef* Dominus vobiscum *à la fin de la derniere oraison, et le* Deo gratias *étant chanté il donnera la benediction pontificale au peuple, soit en sa chaire s'il n'y a point de station, ou en la nef s'il y a station. Fait les jours et an que dessus.*

Signé, L. Patry.

JOANNIS CHARTA

Qua prioratus S. Victoris in Caletis evehitur ad abbatias.

(Anno 1074.)

(*Gall. Christ.*, *Instrum.* tom, XI, pag. 15, ex Pommerario, *Concil. Rotomag.*, p. 97.)

Joannes, Dei gratia Rotomagensis episcopus, universis Christi fidelibus salutem, gratiam et benedictionem.

Notum sit omnibus, modernis et futuris, quod petitio Rogerii de Mortuo mari et uxoris ejus Advitæ ad nos venit, ad dominum Guillelmum regem Anglorum et ad me, sedentes et tractantes de negotiis ecclesiasticis et sæcularibus cum episcopis in quodam concilio congregato in urbe Rotomagensi ut dominum Nicolaum abbatem S. Audoeni Rotomagensis, cognatum nostrum, obnoxie conveniremus, quatenus pro amore Dei et nostri abbatiam fieri dimitteret de quodam prioratu de ecclesia S. Victoris in *Caux*, in qua habitabant monachi S. Audoeni, quæ dicitur ad S. Victorem, et quam ecclesiam quidam presbyter nomine *Tormor*, de cujus

Digitized by Google

jure erat, ecclesiæ S. Audoeni assensu Guillelmi tunc ducis Normannorum, et Malgerii archiepiscopi Rotomagensis, et Rogerii de Mortuo Mari, in cujus feodo erat, pro salute animæ suæ dederat in eleemosynam; et in ecclesia S. Audoeni monachus effectus fuerat cum quodam nutritio suo nomine Gilberto. Et præfatus Rogerius concessit ut tantum reditum augeret ecclesiæ S. Victoris et ecclesiæ S. Audoeni, ut honorifice ibi Deo monachi servire possent, et eis digne sufficeret, et quale dominium habuerat antea ecclesia S. Audoeni in prioratu, tale postea in abbatia æternaliter possideret. Cum vero prædictus abbas Nicolaus assensu capituli sui, et rogatu nostro, et amore Rogerii et uxoris suæ, hæc concessisset, Radulphum quemdam monachum suum ibi abbatem præficiens ad supra dictum locum constituendum misit, et cum eo de monachis suis S. Audoeni, Fulbertum, Gislebertum *Fauvetel*, Hubertum *Treton* et Guillelmum, tali tamen conditione quod dominium suum S. Audoeno in domo S. Victoris nullo modo minueretur, sed ibi poneret abbatem alio defuncto, sicut priorem ponere solebat, salva dignitate S. Audoeni. Hoc enim constitutum est inter nos ratum et firmum esse in perpetuum, cujus rei testes sumus ex utraque parte. Si enim in disponendo abbate monachi vel laici rebelles ecclesiæ S. Audoeni fuerint, statuimus et firmiter præcipimus Guillelmus rex, et ego Rotomagensis archiepiscopus et Rotgerus de Mortuo Mari, in quorum præsentia hoc factum fuit, auctoritate domini papæ Gregorii et regia potestate, omnibus hæredibus et successoribus nostris, ut abbas S. Audoeni accipiat ecclesiam prioratus sui S. Victoris cum omnibus appenditiis suis tunc ibi inventis, in ecclesiis, in decimis, et aliis substantiis, et ponat priorem in ecclesia illa sicut antea solebat, ne ecclesia S. Audoeni pro liberalitate sua detrimentum patiatur fraude et dolo, quam antecessores nostri pro salute animarum suarum fundaverunt. Hanc conventionem auctoritate nostra ab abbate Nicolao et Rogero de Mortuo Mari concessam coram rege, ratam esse statuimus, et præsentis scripti privilegio, et sigilli nostri auctoritate confirmavimus, et prohibuimus ego Joannes Rotomagensis archiepiscopus sub anathemate, ne quis ulterius clericus vel laicus audeat hoc infringere præsentibus istis episcopis, et mecum excommunicantibus. Gisleberto Ebroicensi episcopo, Odone Bajocensi, Hugone Lexoviensi, Roberto Sagiensi, quorum anathemate omnes fractores hujus operis confodiantur. Præfatus autem rex Anglorum Guillelmus prohibuit sub foris factura XX unciarum auri reddendarum duci Normanniæ, et XX librarum Rotomagensi archiepiscopo, ne ab aliquo infringatur testibus prædictis episcopis, et Fulberto archidiacono et Rogero de Mortuo Mari, in quorum præsentia hoc factum fuit anno ab Incarnatione Domini 1074.

CHARTA

De jure institutionis, destitutionis, procurationis, correctionis, etc., *quod episcopus Abrincarum plene retinuit in monasterium S. Michaelis, abbatem et* XII *canonicos.*

(Anno 1061.)

(PETIT, *Theodori Pœnitentiale*, II, 664, ex Libro Pontificali Ecclesiæ Abrincarum.)

Anno ab Incarnatione Domini 1061, Ranulfus, abbas Montis S. Michaelis, vir cautus in regimine tam cleri et populi, quam monachalis ordinis, conveni Joannem venerabilem Abrincarum pontificem super quibusdam gravaminibus, quæ fiebant a minis episcopalibus frequentissime super clerum et populum Montis. Cogebantur venire Abrincas, ad respondendum de quacunque accusatione contra Christianitatem, nec excusare poterat eos mare insurgens, nec Britonum insidiæ, quia præveniri poterant, et ita sæpe in forifacta et emendationes episcopales incidebant, et sæpe juramentis fatigabantur. Propter prædicta sibi habenda in Monte obtulit abbas episcopo de suo competenter per singulos annos unam vestem, quæ tam nobilem et tam sublimem personam deceret cum gratia recipere, et abbatem Montis honorifice dare; et tres libras incensi, et tres libras piperis, et sex tabulas ceræ de IX ponderibus, et tres cereos in Purificatione sanctæ Mariæ, unum scilicet albæ ceræ unius ponderis, ad manus episcopi, duos alterius ceræ unius ponderis ad decani et thesaurarii manus. Episcopus vero præfatus, ut erat animo et genere nobilis, petitioni abbatis annuit, et archidiaconum suum in Monte cum fecit: ita tamen ut quod bene non faceret, vel non posset, episcopus corrigeret Abrincis, et ecclesiastico judicio terminaret: de conjugiis autem illicitis, si qui legales testes procederent, apud episcopum audirentur, et per sacramentum ipsorum lege dissolveretur, quod contra legem præsumptum erat; de criminalibus culpis venirent ad judicium et sententiam episcopi pœnitentes, confessi, vel convicti coram suo archidiacono: excommunicati ab episcopo ad ejus satisfactionem et absolutionem venirent: judicium ferri igniti et aquæ ferventis Abrincis portaretur, si clerici lapsi in culpam degradationis forte invenirentur,

Digitized by Google

quia ad episcopum pertinet ordinatio, et ad ejus judicium pertineret degradatio; suspensio vero officii pro levioribus culpis in abbatis judicium esset ad correptionem. Talis inter episcopum et abbatem de villa Montis facta est conventio. In monasterio vero S. Michaelis in abbatem, et monachos, et XII canonicos totum jus episcopale retinuit episcopus. In monasterio habet officium facere dedicationis, et quidquid interim offerretur ad altare, episcopi est, et quod offertur ad manus capellanorum suorum, et ipse et omnes qui cum eo venerint, abundanter et honorifice debent procurari; et equi, aqua dulcis, et cætera necessaria debent in monasterio inveniri. Eo die debet esse præsto vestis præfata episcopi, et cera, et piper, et incensum, cerei tres ad purificationem S. Mariæ, etiamsi episcopus defuerit, abbas cum duobus de canonicis bis in anno debet esse ad synodum, nisi de licentia episcopi remanserit, et sacerdotes Montis. Quoties etiam graviores causæ emerserint, episcopus mandabit abbati, et vocabit eum, et venire debet, nisi inevitabilem et legalem excusationem prætenderit. Non communicabit abbas excommunicato episcopi scienter, nec excommunicabit nominatum aliquem parochianum episcopi extra Montem consistentem, inconsulto episcopo. Monachi quinta feria Pentecostes venient Abrincas cum capite S. Auberti ad ecclesiam Sancti Andreæ, in qua ipse episcopus sedit, cum processione magna tam clericorum quam laicorum omnium qui domos tenent: et denariatas ceræ matricis ecclesiæ debent, ut sedi episcopali, de qua recipiunt consilium animarum, et abbas per se, vel per decanum suum, oleum et chrisma, ad erogandum et presbyteris ad Christianitatem faciendam. Canonici omnes sub episcopi priore sunt, et canonicas, id est præbendas, cum fuerint vacuæ, distribuere debet, sicut dignum decreverit. Beatus vero Aubertus, cui divo munere Mons ille collatus est, eos constituit; et de suo episcopio, ecclesiæ quam construxit, duas villas, Ilium scilicet et Genecium, ad usum suum et illorum contulit.

CONCILIUM ROTOMAGENSE

In basilica S. Mariæ Rotomagi ab Joanne archiepiscopo, cum suis suffraganeis Willelmo Anglorum rege Normanniam gubernante, celebratum, anno Christi 1072, Alexandri II papæ anno XI, Philippi I Francorum regis anno XIII.

(LABBE, *Concilia*, IX, 1225.)

TITULI CANONUM.

I. *Ut episcopus chrisma et oleum hora competenti, et cum duodecim sacerdotibus consecret.*
II. *Quod totum chrisma et oleum ab archidiaconis renovandum sit.*
III. *Qua cura distribui a decanis chrisma et oleum debeant.*
IV. *Ut qui missam celebrat omnino communicet.*
V. *Ut sacerdos jejunus et cum alba ac stola baptizet.*
VI. *Ut viaticum et aqua benedicta ultra octo dies non serventur, et consecratæ hostiæ iterum non consecrentur.*
VII. *Confirmatio jejunis a jejunis et cum igne conferenda.*
VIII. *Ut ordines sacri, post diem Sabbati, vel die Dominica mane, jejunis a jejunantibus conferantur.*
IX. *Ut Quatuor Temporum exacta sit observatio.*
X. *Quod depositione digni sint qui furtim aut indebite ad sacros ordines provehuntur.*
XI. *De iis qui coronas relinquunt. Et ut ordinandi ad episcopum feria quinta veniant.*
XII. *Ut monachi vagi vel expulsi, itemque sanctimoniales, ad sua monasteria redire compellantur.*
XIII. *Ne curæ pastorales vendantur et emantur.*
XIV. *De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant aut inter consanguineos.*
XV. *De clericis uxoratis, ut ecclesiis non ministrent, nec fructus percipiant, et quales esse debeant archidiaconi ac decani.*
XVI. *Ut nullus mortua uxore illam accipiat de qua ante fuerat infamatus.*
XVII. *Nullus uxore velata superstite aliam ducat.*
XVIII. *Ne absentis viri uxor alteri nubat priusquam de viri morte compertum habeat.*
XIX. *Ne clerici, in publicum crimen lapsi, sacris ordinibus facile restituantur.*
XX. *Ut episcopus qui ad lapsi depositionem venire non potest vicarium mittat.*
XXI. *Ut ante horam vespertinam in Quadragesima non edatur.*
XXII. *Ut Sabbati Paschæ officium ante horam nonam non inchoetur.*
XXIII. *De sanctorum festivitatibus transferendis.*
XXIV. *Ut generale baptisma nisi Sabbato Paschæ et Pentecostes non fiat. Parvuli quocunque tempore petierint, baptizentur; nullus in Epiphania sine infirmitatis necessitate.*

PRÆFATIO.

Anno ab incarnatione Domini 1072, congregatum est concilium in metropolitana Rotomagensis urbis sede, in basilica beatæ et gloriosæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, cui Joannes ejusdem urbis archiepiscopus præerat, et vestigia Patrum secutus utilitati ecclesiasticæ omnimodis consulebat, cum suffraganeis suis, Odone Bajocensi, Hugone Luxoviensi, Rodberto Sagiensi, Michaele Abrincatensi, et Gisleberto Ebroicensi. In primis disputatum est de fide sanctæ et individuæ Trinitatis, quam secundum statuta sanctorum conciliorum, scilicet Nicæni, Constantinopolitani, primi Ephesini, Chalcedonensis concilii, corroboraverunt, sanxerunt, se toto corde credere professi sunt. Post hanc catholicæ fidei professionem, annexa sunt hæc subscripta catholicæ fidei doctrinæ capitula.

Digitized by Google

CANONES.

I. *Ut episcopus chrisma et oleum hora competenti et cum duodecim sacerdotibus consecret.*

In primis statutum est a nobis ut, secundum statuta Patrum, chrismatis et olei, baptismatis et unctionis consecratio, competenti hora, id est post nonam, secundum statuta sanctorum Patrum, fiat. Hoc etiam debet episcopus prævidere ut in ipsa consecratione duodecim sacerdotes, sacerdotalibus vestibus indutos, vel quamplures, secum habeat.

II. *Quod totum chrisma et oleum ab archidiaconis renovandum sit.*

Item in quibusdam provinciis mos detestabilis inolevit quod quidam archidiaconi, pastore carentes, ab aliquo episcopo particulas olei et chrismatis accipiunt, et ita oleo suo commiscent; quod et damnatum est. Sed unusquisque archidiaconus chrisma et oleum suum totum episcopo a quo consecrabitur, ut proprio episcopo, præsentet.

III. *Qua cura distribui a decanis chrisma et oleum debeant.*

Item chrismatis et olei distributio a decanis summa diligentia et honestate fiat ita ut interim, dum distribuerint, albis sint induti; et talibus vasculis distribuatur ut nihil inde aliqua negligentia pereat.

IV. *Ut qui missam celebrat omnino communicet.*

Item statutum est ut nullus missam celebret qui non communicet.

V. *Ut sacerdos jejunus, et cum alba ac stola baptizet.*

Item nullus sacerdos baptizet infantem, nisi jejunus et indutus alba et stola, nisi necessitate.

VI. *Ut viaticum et aqua benedicta ultra octo dies non serventur, et consecratæ hostiæ iterum non consecrentur.*

Item sunt quidam qui viaticum et aquam benedictam ultra octavum diem reservant; quod et damnatum est. Alii vero, non habentes hostias, consecratas iterum consecrant; quod terribiliter interdictum est.

VII. *Confirmatio jejunis a jejunis et cum igne conferenda.*

Item, donum sancti Spiritus, ut non detur nisi jejunis, et a jejunis; neque ipsa confirmatio absque igne fiat statutum est.

VIII. *Ut ordines sacri post diem Sabbati, vel die Dominica mane, jejunis a jejunantibus conferantur.*

Hoc etiam statutum est ne in dandis sacris ordinibus apostolicæ auctoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis papæ quod non passim diebus omnibus sacri ordines celebrentur; sed post diem Sabbati, in ejus noctis exordio quæ in prima Sabbati lucescit, his qui consecrandi sunt, jejunis a jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur. A quo tempore præcedentis noctis initium non recedit quo diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur pertinere non dubium est.

IX. *Ut Quatuor Temporum exacta sit observatio.*

Item, Quatuor Temporum observatio competenti tempore secundum divinam institutionem communi observantia a nobis servetur, id est, prima hebdomada Martii, secunda Junii, tertia Septembris, eadem Decembris ob reverentiam Dominicæ nativitatis. Indignum enim valde est ut sanctorum institutio aliquibus occupationibus vel mundiali sollicitudine destituatur.

X. *Quod depositione digni sunt, qui furtim aut indebite ad sacros ordines provehuntur.*

Item, clerici, qui non electi, nec vocati, aut nesciente episcopo, sacris ordinibus se intromittunt, aliquibus vero episcopus, ut diaconibus, manum imponit; alii cæteros ordines non habentes, diacones aut presbyteri consecrantur; hi digni sunt depositione.

XI. *De his qui coronas relinquunt; et ut ordinandi ad episcopum feria quinta veniant.*

Item, qui coronas benedictas habuerunt et reliquerunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur. Clerici, qui ordinandi sunt, in quinta feria veniant ad episcopum.

XII. *Ut monachi vagi vel expulsi, itemque sanctimoniales, ad monasteria sua redire compellantur.*

Item, monachi et sanctimoniales, qui relictis suis ecclesiis per orbem vagantur, alii pro nequitiis suis a monasteriis expulsi; quos pastorali auctoritate oportet compellere ut ad monasteria sua redeant. Et si expulsos abbates recipere noluerint, victum elecmosynæ eis tribuant, quas manuum labore acquirant, quousque si vitam suam emandaverint videantur.

XIII. *Ne curæ pastorales vendantur et emantur.*

Item, emuntur et venduntur curæ pastorales, scilicet ecclesiæ parochianæ, tam a laicis quam a clericis, insuper etiam a monachis; quod ne amplius fiat interdictum est.

XIV. *De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant, vel inter consanguineos.*

Item, nuptiæ non in occulto fiant neque post prandium; sed sponsus et sponsa jejuni a sacerdote jejuno in monasterio benedicantur; et antequam copulentur, progenies utrorumque diligenter inquiratur. Et si infra septimam generationem aliqua consanguinitas inventa fuerit, et si aliquis eorum dimissus fuerit, non conjungantur. Sacerdos qui contra hoc fecerit deponatur.

XV. *De clericis uxoratis, ut ecclesiis non ministrent, nec fructus percipiant; et quales esse debeant archidiaconi et decani.*

De sacerdotibus, et Levitis et subdiaconibus qui feminas sibi usurpaverunt, concilium Luxoviense observetur, ne ecclesias per se atque per suffraganeos regant, nec aliquid de beneficiis habeant. Archidiaconi, qui eos regere debent, non permittantur aliquam habere nec concubinam, nec subintroductam mulierem, nec pellicem; sed caste et juste vivant, et exemplum castitatis et sanctimoniæ subditis præbeant. Oportet etiam ut tales decani eligantur qui sciant subditos redarguere et emendare,

Digitized by Google

quorum vita non sit infamis, sed merito præferatur subditis.

XVI. *Ut nullus mortua uxore illam accipiat de qua ante fuerat infamatus.*

Item, interdictum est ne aliquis, qui vivente sua uxore de adulterio calumniatus fuerat, post mortem illius unquam de qua calumniatus fuit accipiat. Multa enim mala inde evenerunt. Nam plurimi hac de causa suas interfecerunt.

XVII. *Nullus uxore velata superstite aliam ducat.*

Item, nullus, cujus uxor velata fuerit, ipsa vivente unquam aliam accipiat.

XVIII. *Ne absentis viri uxor alteri nubat, priusquam de viri morte compertum habeat.*

Item, si uxor viri qui peregre aut alias profectus fuerit alii viro nupserit, quousque prioris mortis certitudinem habeat, excommunicetur usque ad dignam satisfactionem.

XIX. *Ne clerici in publicum crimen lapsi sacris ordinibus facile restituantur.*

Item, statutum est ne hi qui publice lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur citissime in sacris ordinibus restituantur. Si enim lapsis, ut ait beatus Gregorius, ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum per reversionis spem pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Unde hoc ratum manere oportet ut in crimine publico lapsus, ante peractam pœnitentiam in pristino gradu nullatenus restituatur, nisi summa necessitate, post dignam quidem longæ pœnitentiæ satisfactionem.

XX. *Ut episcopus, qui ad lapsi depositionem venire non potest, vicarium mittat.*

Item, si aliquis lapsus dignus depositione repertus fuerit, et ad eum deponendum tot coepiscopos quot auctoritas postulat, scilicet in sacerdotis sex, in diaconi depositione tres; unusquisque qui adesse non poterit, vicarium suum cum sua auctoritate transmittat.

XXI. *Ut ante horam vespertinam in Quadragesima non edatur.*

Item, statutum est ut nullus in Quadragesima prandeat, antequam, hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat qui ante manducat.

XXII. *Ut Sabbati Paschæ officium ante horam nonam non inchoetur.*

Item, statutum est ut in Sabbato Paschæ officium ante nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ resurrectionis respicit, ob cujus reverentiam *Gloria in excelsis Deo* et *Alleluia* cantatur. Quod etiam in Officii initio, cerei scilicet benedictione, monstratur. Narrat Liber Officialis quod in hoc biduo non fit sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sextam feriam et Sabbatum, in quo recolitur luctus et mœstitia apostolorum.

XXIII. *De sanctorum festivitatibus transferendis.*

Item, si alicujus sancti festivitas in ipsa die evenerit, in qua celebrari non possit, non ante, sed infra octavum diem celebretur.

XXIV. *Ut generale baptisma, nisi Sabbato Paschæ et Pentecostes, non fiat. Parvuli, quocunque tempore petierint, baptizentur; nullus in Epiphania, sine infirmitatis necessitate.*

Item, juxta sanctorum Patrum decreta, scilicet Innocentii papæ et Leonis, statuimus ne generale baptisma nisi Sabbato Paschæ et Pentecostes fiat. Hoc quidem servato, quod parvulis, quocunque tempore, quocunque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur. Vigilia vel die Epiphaniæ ut nullus, nisi infirmitatis necessitate, baptizetur omnino interdicimus.

Huic concilio consenserunt Joannes archiepiscopus, Rotomagensis, Odo Bajocensium episcopus, Michael Abrincatensis episcopus, Gislebertus Ebroicensis episcopus, et quamplures etiam venerabiles abbates, quibus, eo tempore cœnobia Normanniæ nobilitor pollebant, et monachicum rigorem servabant.

APPENDIX.

MONITUM IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

(Apud Mabill. *Analect.* vet. edit., pag. 222.)

Pontificum Rotomagensium acta litteris mandavit anonymus cœnobii Sancti Audoeni ejusdem urbis monachus, ad cujus autographum hæc editio exacta est. Vixit is Gregorio VII pontifice, Joanne archiepiscopo Rotomagensi, abbate monasterii Sancti Audoeni Nicolao; non alius forsan quam Fulbertus ejusdem loci cœnobita, qui librum De miraculis sancti Audoeni, hactenus ineditum, eidem Nicolao abbati nuncupavit; aut Theodericus, a quo sancti Audoeni Vita metrica Nicolao itidem inscripta est. His actis uberiores notas subjicere supersedeo, cum satis illustrata sit Rotomagensium præsulum historia, quam noster Franciscus Pomeraius Gallico idiomate ante paucos annos erudite et accurate composuit, usus superiorum Actorum lectione, quæ ipsius historiæ probationis loco esse poterunt. Hic duo tantum observo. Unum, inter Rotomagenses episcopos nullum in his Actis locum tribui Hugoni, Caroli Magni filio, cujus Vitam Baldricus episcopus edidit, eumdem perperam numerans inter archiepiscopos Rotomagenses, ut fusius alias ostendi in Sæculi III Benedictini tomo I. Alterum est, synodum comprovincialium episcoporum a Maurilio archiepiscopo celebratam fuisse, in qua sententia adversus Berengarium ejusque hæresim dicta est, *anno* scilicet *Dominicæ Incarnationis* 1063, quo instauratæ Rotomagensis ecclesiæ dedicationem peregit *astante Willelmo Normannorum duce cum omnibus suffraganeis suis* quibuscum *concilium de castitate conservanda et cæteris sanctorum Patrum institutionibus pastorum incuria negligenter postpositis, viriliter restituendis religiose celebravit*, inquit Anonymus noster.

Digitized by Google

ACTA ARCHIEPISCOPORUM ROTOMAGENSIUM.

Galliæ provinciæ sunt decem et octo : quarum A una existit Lugdunensis, quæ vocatur secunda, in qua est nobilis et ampla civitas, quæ vocatur Rodomus vel Rotomagus, super fluvium Sequanæ sita. Hujus civitatis ecclesia in honore beatæ et gloriosæ Dei Genitricis semper virginis Mariæ est consecrata. Hæc vero est metropolis : sex enim sub se civitates episcopales continet, scilicet primam civitatem Bajocatarum, secundam civitatem Abrincatarum, tertiam civitatem Evatinorum, quæ dicitur Ebroicas; quartam civitatem Salanum quæ vocatur Sagium; quintam civitatem Lexoviorum, sextam civitatem Constantinorum.

In præfata civitate Rotomagensi exstitit egregius Mallonus in ordine primus. Nonnullos horum posi io verborum pertubat, non satis idonee speculantes, quoniam eorum velle, scilicet beatissimum Nigasium prænominatæ civitatis primum antistitem exstitisse, nullatenus hac re pugnatur, si expositione quantulumcunque subtili fulciatur. Attendant igitur tam clerici quam monachi ne errent, qualiter scripturas perspicacius indagantes, utrumque posse haud inconvenienter stare dijudicent. Decenter, inquam, inquiunt, qui Mallonum in sede Rotomagensi fuisse primum asserunt. Nullus enim eum præivit, quantum ad archiepiscopatus usumfructum : nec tamen male prædicant, qui beatum Nigasium ejusdem sedis archiepiscopum fuisse primum comprobant. Quippe jam non paucis reor manifestatum esse, hunc Romæ a beato papa Clemente Rotomagensium urbis antistitem ordinatum fuisse C nondum jugo pastorali cujuspiam obnoxiæ. Nec est frivolum, sed firmum et ratum, prout sua testatur passio, cum beato sociatum Dionysio, permissione Clementis papæ hunc eumdem ad oras Gallicas condescendisse; et priusquam ad suam, quam Romæ, sicut diximus, acceperat, sedem posset pervenire; martyrium truncato capite, tamen vicinius circa fines Northmannicos cum Quirino et Scuvieulo pertulisse. Quo fit ut de utroque, sed alio et alio modo, vera prædicatione prædicetur primus, de Nigasio quidem secundum ordinationem ; de Mallono secundum loci inhabitationem. Ut sic dicatur, Nigasius fuit Rotomagensis urbis antistes primus ordinatus : at Mallonus fuit primus in sede locatus.

Sic is non versus poterit consistere versus.

Exstitit egregius Mallonus in ordine primus,
Moribus ornatus, clara quoque stirpe creatus.
Enituit verbis, præfulsit et actibus almis :
Dapsilis in cunctis, clemens et largus egenis.
Mentibus infirmos curabat dogmate sacro,
Dæmones vexatos purgabat numine sacro.
Pervigil in populo pastor pius ac speculator,
Pro sibi commissis murum se contulit hosti.
Compatiens ægris, collisos consolidavit.
Mactabat Domino se semper sacra litando,
Perpetuam pacem deposcens atque salutem.
Ut charos fratres, servabat dulciter hostes.
Hic humilis, sobrius, necnon et corde pudicus.
Sordibus immunis, virtutum lampade fulsit.

Obiit in Christo x Kalendas Novembris.

Beato vero Mallono Avidiamus successit, qui sub beato papa Silvestro et Constantino imperatore præfatam rexit Ecclesiam. Is vero prudens et strenuus pastor fuit in populo, qui Arelatensi concilio primo, quod eodem tempore quo Nicæna synodus habita est, congregatum in canonibus invenitur, cum Materno Colonensi episcopo interfuit. Fuit namque hic beatus pontifex ingenio probus, moribus, insignis, subditorum sibi saluti providus. Huic successit B Severus, Severo Eusebius, Eusebio Marcellinus, Marcellino Petrus, Petro Victricius.

Fuit vero hic in regali curia nutritus cum beato Innocentio papa, ut in ejusdem papæ epistola de castitate conservanda et aliis institutis Christianæ religionis, eidem Victricio missa, invenitur. Ait enim inter cætera : Præterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt : quibus postea major tristitia cum de revocandis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quam gratia nascitur. Sit certe in exemplum sollicitudo et tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus imperatore præsente, cum pro ipsis prius rogaremus, quod ipse nobiscum positus cognovisti. Quibus non solum C inferiores clerici ex curialibus, verum etiam in sacerdotium constituti, ingenti molestia ut redderentur instabat. Erat enim pastor gloriosissimus in persequendis populi criminibus rigidus, viduarum et orphanorum pater mitissimus, misericors pauperibus, cunctis compatiens infirmis et dolentibus.

Cui successit Innocentius, Innocentio sanctus Evodus, Evodo Silvester, Silvestro Malsonus, Malsono Germanus, Germano Crescentius, Crescentio vero beatus Gildardus, frater beati Medardi, quorum vitam magnifico stylo beatus Fortunatus scripsit Una enim die nati fuerunt, una etiam die ordinati, una quoque die migraverunt ad Christum.

Gildardo successit beatus Flavius, cujus pontificatus tempore constructa est ecclesia in honore beati D Petri apostoli in suburbio urbis Rotomagensis, anno primo Clotharii regis Francorum, nobiliter ædificata, in qua corpus beati Audoeni successoris sui sepulturæ traditum est. Hic vero beatus Flavius anno quingentesimo... Dominicæ Incarnationis multis virtutibus præditus, divini amoris flagrantia accensus, dapsilis pauperibus, Rotomagensem rexit Eccleciam.

Huic successit Prætextatus, vir magnæ sanctitatis et omnibus iniquis odiosus. Hic vero fuit tempore Chilperici regis, filii Clotharii, qui vir nimiæ cru-

Digitized by Google

delitatis cum Fredegunde impia uxore sua ingenti contra pontificem odio exarsit. Causa vero odii nihil aliud fuit nisi quia fratrem suum Sigibertum regem, qui fraude Chilperici occisus fuit, multum dilexerat, et eamdem dilectionem Childeberto filio ejus et matri Brunichildi servabat. Hac de causa iratus Chilperious sibi calumniam imposuit, scilicet quod magnam partem thesauri fratris sui Sigiberti apud se reconditam habuerat, quam postquam Childebertus nepos ejus litem contra eum inierat, ei reddiderat. Ideo in tantum persecutus est eum, quod eum ab episcopatu destitutum expulit, et in quamdam insulam in Constantinensi pago in mari sitam exsulavit, et in loco ejus Melantium archidiaconum episcopum ordinari fecit. Modus expulsionis suæ talis fuit. Rex concilium episcopos suos convocare fecit, cui vir magnæ auctoritatis et probitatis Gregorius archiepiscopus Turonensis interfuit. Hic vero nec callidæ machinationi, qua episcopus deceptus est, nec injustæ destitutioni assensum præbuit. Rex vero impia calliditate quibusdam episcopis... mandavit ei, quod si quæ sibi objecerat in concilio, recognosceret, et inde coram rege prostratus se reum proclamaret, omnino ei dimitteret. Qui hortatu impiorum episcoporum deceptus, fraudulentis regis mandatis acquievit. Tunc rex clamare cœpit : « Audistis eum crimine convictum, nunc super hoc certam sententiam definite. » Et ita deposuerunt eum, et in præfatum exsilium rex retrudere jussit. Mortuo vero rege, omnium primatum et coepiscoporum consilio et judicio, nolente Fredegunde regina, ad propriam ecclesiam est revocatus, et deposito Melantio in propriam sedem inthronizatus. Melantius vero in familiaritate Fredegundis impiissimæ reginæ permansit, quæ beato Prætextato semper inimicata et insidiata est in tantum, ut pretio quorumdam mentes cum præfato Melantio corrumperet : ita ut, sicut beatus Gregorius Turonensis in scriptis suis narrat, nocte sancta Paschæ, in loco pontificali, ubi stare consueverat, gladiis eum percuterent, et ita interficerent. Qui mox ut vulnera sensit, ad altare cucurrit, et illud amplexatus, viatico Dominici corporis et sanguinis se muniens, animam Deo reddidit. Corpus vero ejus omnes principes patriæ cum magno ejulatu et lamentatione de tanti pastoris patrocinii desolatione condolentes, sepulturæ honorificæ tradiderunt. Postea vero Melantius, qui tempore sui exsulatus episcopatum usurpaverat, consilio et ingenio præfatæ reginæ in eadem sede est restitutus.

Huic successit præsul Hildulfus, vir prudens et honestus. Hildulfo beatus Romanus, nobilis ortu et virtute præclarus. Beato Romano sanctus Audoenus, claris natalibus ortus, et virtutum magnitudine excelsus. Beato Audoeno successit inclytus Ansbertus venerabilis præsul, et sanctis operibus gloriosus. Horum vero trium ac beati Gildardi memoriam tantum tetigimus, quia eorum gesta a probatissimis viris luculenter apud nos conscripta habentur.

Ansberto successit venerabilis Grippo. Gripponi Ranilandus, vir venerabilis et honestus. Ranilando sanctus Hugo, qui venerabilis vitæ et magnæ honestatis fuit, ut vita ejus testatur. Hugoni Ratbertus, vir prudens et strenuus. Ratberto Grimo. Hic namque vir magnæ nobilitatis et probitatis exstitit, populumque sibi creditum tam bonorum exemplis, quam prædicationibus optime gubernavit, ecclesiamque sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus sedi præsederat, propriis prædiis ac pluribus beneficiis augmentavit. Fontanas enim super fluvium Itonam sitas cum omnibus suis appendiciis dedit. Grimoni successit Rainfredus, vir nobili progenie ortus, et litterarum studiis imbutus, qui ecclesiam propriis beneficiis augmentavit. Dedit enim ei in territorio Vilcassino villam quæ dicitur Cramisiacum, et quamplurima beneficia ex nobilibus viris ad opus suæ ecclesiæ acquisivit.

Rainfredo successit beatæ memoriæ Remigius. Hic fuit filius Caroli, qui major domus regiæ appellatus est, frater Carlomanni, qui relicta parte regni quam possidebat, in monte Soracte monachus effectus est, ubi ecclesiam in honore S. Silvestri construxit, et inde ad monasterium S. Benedicti in monte Casino transiit. Fuit etiam idem Remigius frater Pippini, quem Stephanus papa regem consecravit. Hic vero Pippinus precibus Carlomanni monachi, fratris sui, mandavit Remigio præfato archiepiscopo, ut ad locum qui dicitur Floriacus pergeret, et corpus Benedicti, qui ibi requiescebat, legatis Carlomanni redderet. Cumque ad locum veniret, et abbatem qui tunc temporis monasterium regebat, et Medo dicebatur, vocaret, regis edicta edisserens, cum legatis, Carlomanni ecclesiam ingressus est. Cumque sepulcrum beati viri appropinquassent, repentina cæcitate multati sunt. Proinde terrore valido concussi, ante præfatum abbatem fratresque loci illius solotenus prosternuntur, misericordiam deprecantes, quatenus pro eis Dominum exorarent ut eis indulgeret : promittitque beatus Remigius quod nunquam sancti corpus inde amplius transferret. Quid plura? Illico sunt exauditi, et beatus Remigius cum suis sodalibus pristinam sanitatem recipit. Precatus est autem præfatum abbatem ut corporis beati viri reliquias illis exhiberet, ne locus in quo Deo devote servierat, tanto patrocinio cassaretur : qui libenter acquievit. Sicque legatis remeantibus ad propria, beatus Remigius rediit ad sua. Ipse vero quamplura Ecclesiæ suæ acquisivit beneficia, et de suis propriis largitus est multa. Super gregem sibi commissum vir nobilissimus pervigil, necnon moribus et opere clarus exstitit, et beato fine quievit.

Beato Remigio Mainardus venerabilis pontifex successit; Mainardo Guillebertus, qui tempore Caroli Magni imperatoris pontificatum decenter et honorifice rexit. Guilleberto Rainowardus, pontificali ordine dignus. Rainowardo Gunbaldus, nobilis prosapia et bonorum operum clarus instantia. Gunbaldo successit Paulus, præsul mitis et prudentissimus. Paulo successit Wanilo, antistes Deo devotus, et in cun-

Digitized by Google

ctis reverentissimus. Wamiloni successit Adalardus, epos Gunbaldi archiepiscopi, qui religiosus in cunctis operibus fuit. Adalardo Riculfus, vir nobilis, et multis dives prædiis, quibus ecclesiam sibi commissam hæreditavit. Fuit autem tempore Caroli regis patris Ludovici regis, cujus fuit filius rex Lotharius, in quo progenies Caroli Magni a regno funditus exstirpatur. Hugo enim dux, qui cognominatus est Magnus, regnum sibi usurpavit et rex consecratus est. Cui successit Rotbertus in regimine, filius ejus, rex Deo devotus. Præfatus vero Riculfus chartas ecclesiæ supradictum regem fecit regali sanctione corroborare. Riculfo successit Joannes, devotus et religiosus antistes Joanni Witto, vir honorabilis, et reverentissimus pastor.

Wittoni Franco, prudens pontifex et bonus populi auxiliator. Hujus enim tempore Rollo dux Danorum patriam invasit, quæ vocatur Francia, nunc vero Normannia eorum nomine insignita. Cujus mentis feritatem tam divinis eloquiis quam devotis servitiis ita dilinivit, ut terram sibi acquisitam cum pace et justitia regeret. Postea prædicatione præfati pontificis legem Christianam suscipiens, ab eodem baptizatus est, et in fide catholica perseverans bono fine migravit ad Christum. Franconi successit Gunbardus, vir sapiens et in cunctis providus. Gunbardo successit Hugo. Hic vero fuit prosapia clarus, sed ignobilis cunctis operibus. Monachus enim apud Sanctum Dionysium erat, quando Willelmus filius Rollonis, dux Normannorum, ei episcopatum tradidit; sed postpositis sanctæ regulæ institutis, carnis petulantiæ se omnino contulit. Filios enim quamplures procreavit, ecclesiam et res ecclesiæ destruxit. Todiniacum enim qui in dominicatu archiepiscopi erat, cum omnibus appendiciis suis fratri suo Radulfo, potentissimo viro, filio Hugonis de Calvacamp, dedit, et ita a dominicatu archiepiscopatus usque in præsens alienavit.

Huic successit Rotbertus, vir nobilissimus et potentissimus, Richardi primi filius. Hic vir magnæ pietatis et honestatis fuit, et in mundialibus divitiis adeo laudatus a sæcularibus viris; sed carnis fragilitate superatus, quamplures filios procreavit. Plura etiam ecclesiæ bona fecit. Ecclesiam enim præsentem miro opere et magnitudine ædificare cœpit. Ante obitum suum, gratia Dei præveniente, vitam suam correxit. Feminam enim reliquit, et de hoc cæterisque pravis actibus suis pœnitentiam egit; et sic bono fine, in quantum humana fragilitas capere potest, quievit.

Rotberto successit Malgerius nepos ejus : filius enim Richardi fratris sui fuit. Qui quia non electione meriti, sed carnali parentum amore et adulatorum suffragio in pueritia sedem adeptus est pontificalem omni destitutus tutela, potius acquievit carni et sanguini quam divinis mandatis. Voluptatem enim per omnia sequens, ornamenta ecclesiæ cæteraque beneficia pueriliter erogavit. Et ideo auctore papa Leone Villelmus dux Normannorum, postea effectus rex Anglorum, assistente præfati papæ legato, scilicet Hermenfrido Sedunensi episcopo, cæterisque comprovincialibus episcopis, in Lexoviensi ecclesia ab episcopatu eum destituit, deditque postea illi quamdam insulam in Constantiniensi pago in mari sitam, in qua pluribus annis, non quidem ut decuit, vixit; postea vero, quo autem divino judicio, ignoratur, in mari submersus est.

Malgerio destituto elegit dux Willelmus quemdam monachum, nomine Maurilium, qui nobili prosapia ex Remensi pago exortus, et in ejusdem civitatis ecclesia educatus, inde in Leodicensi Ecclesia omni liberalium artium peritia imbutus, Halverstatensis ecclesiæ scholasticus effectus est; qui locus in Saxonia ditissimus habetur, in quo pluribus annis honorifice vixit. Postea vero succensus amore cœlestis patriæ, cuncta quæ mundi sunt fastidiens, monasticam vitam appetiit : sicque Fiscamnense cœnobium adiens, monachus ibi effectus est, in quo sancte multo tempore vixit, cæterisque exemplum sanctitatis exhibuit. Denique igne divini amoris exæstuans, acriorem vitam eligens, licentia ab abbate qui ecclesiæ præerat accepta, Italiam petiit; eremique cultor solitariam vitam ducens, opere manuum vixit. Defuncto itaque abbate Florentinensis ecclesiæ, quæ in honore beatæ Mariæ semper virginis constructa est, elegit eum marchio Bonifacius, vir nobilis et potentissimus; et ita licet invitus, bonorum tamen virorum admonitionibus superatus, abbas ejusdem loci ordinatus est : ubi multo tempore subditos pro posse suo sancte et regulariter rexit. Sed quia vita justorum est detrimentum pessimorum, monachi, qui tempore prædecessoris sui indisciplinate vixerant, constantiam regulæ Patris Benedicti, qua eos regulariter constrinxerat, ferre nolentes, sed in omnibus bonis operibus sibi resistentes, detrimentum vitæ ei machinati sunt. Et quia pluribus annis in hoc laborans, nullo modo se in eis vidit proficere, saluti propriæ prospiciens, abbatiam deseruit, et ad proprium locum, scilicet Fiscamnum, rediit, in quo sancte usquequo in episcopatu inthronizatus est, vixit. Hic ecclesiam a Rotberto archiepiscopo incœptam complevit, et astante Willelmo Normannorum duce, postea Anglorum rege, cum omnibus suffraganeis suis, concilium in Rotomagensi ecclesia de castitate conservanda et cæteris sanctorum Patrum institutionibus pastorum incuria negligenter postpositis, viriliter restituendis religiose celebravit. Postea perfecta ecclesia, dedicavit eam, astante Willelmo Normannorum duce, anno 1063 Dominicæ Incarnationis, regnante Henrico nobilissimo rege Francorum, astantibus etiam comprovincialibus episcopis, scilicet Odone Bajocensi, Joanne Abrincensi, Hugone Lexoviensi, Guillelmo Ebroacensi, Ivone Sagiensi, Gaufrido Constantiniensi, cæterisque venerabilibus abbatibus; præsidente etiam sedi apostolicæ papa Victore II. Multa etiam bona de Christianæ legis et ecclesiasticæ religionis restitutione fecit. Jejuniis et orationibus et eleemosynis usque ad ultimum diem

Digitized by Google

insistens, v Idus Augusti animam Deo reddidit. A

Defuncto venerabili antistite Maurilio, præfatus Willelmus rex Anglorum Lanfrancum reverentissimum abbatem Cadomensis Ecclesiæ, omnibus liberalibus artibus imbutum, sanctis moribus et operibus ornatum, quem postea Cantuariensi Ecclesiæ metropolitanumi nstituit episcopum et primatem Anglorum, Alexandro summo pontifici et venerabili papæ misit, postulans ejus clementia ut ei assensum præberet quatenus ejus auctoritate Joannem Abrincatinæ Ecclesiæ episcopum metropolitanæ Ecclesiæ præficeret, eique ne aliqua occasione in hoc resisteret, litteris apostolicis mandaret. Ipse vero ejus petitioni, quia devotam vidit, acquievit. Litteras in e pontifici misit. Verba quæ litteræ continent, hæc sunt:

« Alexander Episcopus servus servorum Dei, Joanni Abrincensium venerabili episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

« Destituta Rotomagensi Ecclesia pastore, etc. » *Vide in Alexandro II papa ad annum* 1073 *Patrologiæ, tom. CXLVI.*

Joannes vero episcopus apostolica legatione recepta, et omnium comprovincialium episcoporum, cunctorumque etiam ejusdem ecclesiæ canonicorum electione communi consensu facta, metropolitanam adeptus est sedem. Hic vero fuit progenie nobilis, liberalibus imbutus disciplinis. Is alias satis strenuus, etc. *Hanc de Joanne notitiam integram ex Gallia Christiana dedimus in proœmio ad Joannem, usque ad verba quibus clauditur : « Et honorifice in ipsa ecclesia tumulatur* v *Idus Septembris. » Pergunt Acta :*

Successit huic imo præcessit (nam duobus ante obitum ejus mensibus intronizatus est) Domnus Guillermus, cœnobii Cadomensis abbas, cum apostolica auctoritate, tum regio munere, tum denique communi electione, vir sane et generis nobilitate cluens, B et morum prærogativa præpollens.

ANNO DOMINI MLXXIX.

ARNULFUS

CLERICUS MEDIOLANENSIS.

NOTITIA IN ARNULFUM.

[Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. VIII, pag. 1, proœm. ad Arnulfi *Gesta archiepiscoporum Mediolanensium*, edente W. Wattenbach.]

Arnulfus Mediolanensis rerum quæ sæculo XI ad a. C ex quo inter Italiæ (5) principes primum locum obtinuerunt, ex genere capitaneis inferiore sumptos esse, et per se verisimile est, et Widonis monstrat electio, cui id ipsum quod de vassorum ordine esset (6), maximas excitavit molestias. Accedit quod ipse Arnulfus nobilitatem generis non uno loco manifesto prodit cum et causæ nobilium aperte faveat (7), et humiliter natos appellet quos alii tanquam nobiles prædicant (8), milites scil. minores, de capitaneis autem cum moderatione loquatur (9), quorum sublimitatem ex imo loco mirabundus suspicit Andreas monachus, qui Arialdi Vitam scripsit. Quod si observaveris, multæ evanescent difficultates, cum pugnare inter se videantur æqualium scriptorum assertiones, qui tamen, verbis usi diversis, in rebus consentiant. — Clericusne an laicus fuerit Arnulfus, certo testimonio non constat (10), sed totum scribendi genus, scientia rerum ecclesiasticarum et animus in causis

usque 1077 Mediolani acciderunt, scripsit historiam, oculatus ipse testis, præmissa brevi rerum post a. 925 gestarum narratione. De ipso nihil præter ea quæ ex hoc opere concludere licet, habemus compertum. Nomen et genus I, 8, indicavit, ubi de Arnulfo I archiepiscopo (970-974) locutus, hæc addit: *cujus æquivocus existo gestorum scriptor ego præsentium, fratris vero illius pronepos verus.* Itaque cum Mediolanensium ordines ita inter se essent distincti ut capitaneorum æstimatio duplo major esset quam vassorum, vassos pari intervallo sequerentur negotiatores, deinde reliqua multitudo (1), Arnulfum primo ordini accenseri par est. Nam cum decumanorum primicerius de populo natus esset (2), inter ordinarios regum principum et capitaneorum D fuerant (3); archiepiscopos vero qui de ordinariorum numero legendi essent (4), nunquam per hæc sæcula,

(1) Vide pacem anni 1067, III, 20, commemoratam.

(2) Land. II, 35.

(3) Arn. I, 3. Land. II, 35.

(4) Arn. I, 3.

(5) Id est regni Langobardorum, quod ejus ævi scriptores Italiæ et regni nominibus appellare consueverunt. Tusciam finibus ejus inclusam fuisse, Provana monstravit, Stud. critici, p. 258.

(6) Ut videtur; nam incertum esse non nego; vide Arn. III, 2; Land. III, 3.

(7) Quod jam comes Giulini animadvertit, Memorie di Milano, III, 363.

(8) III, 2, 10.

(9) Ut de Landulfo et Herlembaldo III, 10, 16.

(10) Nisi forte verba I, 1, *fidei, tamen servus catholicæ*, ita interpretari velis ut clericum ibi se profiteatur. *Arnulphus subdiaconus* subscripsit sponsioni Widonis archiepiscopi a Petro Damiani servatæ (v. infra III, 14) ap. Baronium ad a. 1059, § 55. Aliæ editiones hoc nomen, quod fortasse ab historico nostro subscriptum est, omittunt.

Digitized by Google

clericorum semper occupatus, a laicis tanquam ab extrancis aversus, vetant ne pro laico ipsum habeamus. A. 1077 legationi a populo Mediolanensium ad papam directæ, quo Ecclesiæ Romanæ reconciliarentur, sese interfuisse narrat v, 9. Neque enim ipse a causa cæterorum immunis fuerat, clericis favens conjugatis, sed tunc de præteritis, inquit, satisfaciens, in futuro castigari promisit. Nimirum homo verecundus et suo ipse judicio diffisus, res autem novas et Herlembaldi furorem aversatus, antea cum plurimis sui ordinis viris senserat, quamvis non omnia eorum gesta sibi probari fateretur (11); postremo autem arctiorem Ecclesiæ disciplinam ipse probavit. Sed cum magni momenti et quam maxime memorabiles ei turbæ illæ viderentur, quibus totus Ecclesiæ Mediolanensis status immutatus est, post Attonis electionem a. 1072 factam ad eas litteris consignandas se convertit, non cupiditate famæ, sed ne rerum memoria intercideret, quæ civibus suis postea foret pretiosa. Ad præsens enim sub modio recondi opus voluit, suo postea tempore promendum, sed fines urbis nunquam excessurum (12). Tamen hoc statim tempore vulgatum fuisse videtur, cum tres priores libri, quos solos tunc absolverat, per se descripti sint, quanquam Landulfum nullam ejus notitiam habuisse appareat. Arnulfus autem postea et quartum librum addidit et quintum, licet non uno tempore scriptos, cum a priore sententia sensim recederet, donec tandem, ut diximus, Romanæ reconciliaretur Ecclesiæ. Simul initio operis præmisit præfatiunculam — si modo ab ipso venit — cum nominibus regum et archiepiscoporum, et in prioribus aliqua mutavit, quæ non magni sunt momenti, ejusmodi tamen ut auctoris manum prodant (13). Substitit ipso illo a. 1077, cum longo schismati finis esset impositus: grandævus ipse cum res post a. 1018 gestas videndo se cognovisse dicat.

Fides Arnulfi editoribus Palatinis satis mala visa est, cum hominem hæreticum pro mendaci haberent, neglecta accuratiore inquisitione; sed jam in Muratorii præfatione satis accurate scripsisse dicitur, quod quam verum esset, singula perscrutatus Giulini expertus est. Neque vero minus judicium ejus laudandum videtur, cum simplici modo quæ audivit primo, deinde visa retulerit (14), spretis vulgi fabellis, quas cupide Landulfus conquisivit. Exordium sumpsit a regno Hugonis Italiæ regis, et quæ post hæc ad sua usque tempora in regno acciderunt, Mediolanensia tamen potissimum respiciens, libro I breviter perstrinxit, libris nullis adjutus, sed audita tantum, ut ipse ait, utcunque exsufflans (15). Veniam igitur libenter tribuemus, si in his quandoque erravit, cum res scitu dignas solus servaverit et scienter a vero declinavisse nusquam argui possit. Auctorum autem idoneorum copia viro tam nobili genere orto deesse non poterat. Cum ita viam sibi munivisset, post a. 1018 ea quæ ipse videndo cognovit, ex abundanti, ut ait, eructare studuit. Adhibuit autem ad scribendum acta synodi Romanæ a. 1027 (16), constitutiones a legatis Romanis Mediolani factas (17), et epistolas pontificum (18); litteras vero parti adversæ Roma directas commemorat quidem III, 17; IV, 2, sed inspexisse non videtur. Omnia vero quæ ex his servata sunt fidem ejus confirmant, et cum a Landulfo, ejusdem partis scriptore, sæpissime recedat, ubique fere in rerum gestarum narratione consentit cum Andrea abbate postea Vallis Umbrosæ, Arialdi discipulo et fautore fervidissimo, et cum Bonizone (19) parti pontificiæ prorsus addicto. Quod profecto summum est bonæ ejus fidei documentum, cum nusquam dissimulaverit sibi Arialdi et reliquorum motus vehementer displicere; ita tamen cautus et moderatus, ut vel de Landulfo judicium ferre recusaret (20) et clericos ex parte in culpa fuisse concederet (21). Neque enim meliori cleri disciplinæ repugnabat, ne Romano quidem pontifici se volebat opponere, sed res tumultuarie gestas, laicorum de clericis judicia, et subjugationem Ecclesiæ Mediolanensis abominatur (22). Pacem autem per legatos Romanos a. 1067. compositam laudat III, 21. Hæc igitur scripsit cum adhuc turbæ illæ durarent (23), vivente Herlembaldo (24) et Alexandro II (25), nondum consecrato Gotofredo (26), id est ante ver anni 1073. Deinceps silentium servare sibi proposuerat, sed cum turbæ modum viderentur excedere, tamen calamum resumpsit, ne memoria rerum periret. Addidit igitur librum IV, quo narrationem ad Herlembaldi mortem (1075) deduxit, finem schismatis ut tunc putabat. Finito autem opere ingenue protestatur se solo veritatis studio ductum scripsisse, neque a doctrina eorum qui venalitatem ordinum sacrorum et incontinentiam sacerdotum impugnarent dissentire, sed modum quo omnia gesta essent improbare. Et cum hoc jam pugnet cum nonnullis quæ antea protulit, sequenti capite 13 diserte addit se aliter nunc quam prius sentire, atque erubescere cum scriptis scribenda conferat: *nec barbarismos in verbis egisse, sed aliorum dicta vel*

(11) III, 14.
(12) I, 1.
(13) I, 3, 6, 9, 11, 16, 20; II, 8, 12, 16; III, 2, 8, 14, 22.
(14) Ipse I, 1, pollicetur *verbis prolatam communibus simplicem gestorum narrationem, quæ nostri reges nostrique gessere pontifices, nostri quoque concives in urbe Mediolano vel extra, compatriotæ vero nostri in regno Italico, quæ ipse vidi vel quemadmodum a videntibus vel paulo ulterius audivi.*
(15) II, 1, Sempis, 3, privilegia Ecclesiæ citat.
(16) II, 5.
(17) III, 14, 21.
(18) III, 12, 20, 22.
(19) Libro ad amicum, quem Effele edidit inter SS. Rerum Boicarum, t. II.
(20) III, 16.
(21) III, 14.
(22) III, 12, 13, 16, 17.
(23) III, 8.
(24) C. 16, 17.
(25) C. 17.
(26) III, fin.

Digitized by Google

facta temere judicasse, cum soli Deo cordium revelentur occulta. Ubi animadvertas, quæso, eum non factorum perverse narratorum, sed judicii tantum incaute prolati reum se confiteri. Mendacii vero notam primo libri v capite iterum respuit. — Post hæc pauca addit de Thedaldi electione et de Heinrici IV cum Gregorio dissensione, jam aperte professus Romanam nunquam erravisse Ecclesiam (27), donec peracta Mediolanensium cum papa reconciliatione opus clauditur.

Scribendi genere usus est simplici et satis puro, etsi curules quadrivii rotas nunquam se conscendisse fatetur. Sallustium tamen legisse videtur (28). Orosium III, 2, citat, IV, 11, tomum Etymologiarum. Æquales verborum sonos in fine sententiarum repetitos, quod temporis illius hominibus pulchrum esse videbatur, sæpe apud eum invenimus. In temporum descriptione parum curæ posuit. Brevitati ita studuit, ut plurima quæ scire velimus reticuerit, cum prolixiores Landulfi narrationes et obscuræ sint et fide parum dignæ. Itaque factum est ut ii qui postea de rebus Mediolanensium scripserunt, dum penuriam rerum nobis traditarum supplere cuperent, a Landulfo et Gualvaneo de la Flamma, homine omnium mendacissimo, in errores abduci se paterentur, quod vel comiti Giulini nonnunquam accidit, qui plurima egregie illustravit. Post hunc vir doctissimus Fumagalli aliqua accuratius tractavit; de iis vero quæ ad reipublicæ Mediolanensis statum pertinent, novissime multa disputata sunt a viris cll. H. Leo (29) qui non raro et Flammæ commentis et suis ipsius opinionibus nimium tribuisse videtur, et A. de Bethmann-Hollweg (30) qui Arnulfum præcipue secutus cautius egit.

De codicibus manuscriptis hæc nobis transmisit C. L. Bethmann, qui in itinere Italico eos in usum editionis novæ convertit.

1) *Schonbornianus*, Pommersfeldæ servatus, n. 2802, mbr. qu., sæc. XIII in Italia scriptus, continet Arnulfum manu continua exaratum, tum alia manu Ottonem Morenam. Neque libri neque capita distinguuntur, neque capitum indices leguntur; at ubi in reliquis capita incipiunt, hic codex plerumque majori littera posita novam lineam incipit. Textus egregius, quem ubivis fere secuti sumus.

2) *Estensis*, a cl. Muratorio in usum vocatus, sæculo XIII, certe non antiquior, cujus specimen dedit Mur. SS. IV, p. 5. Inscriptiones capitum quas ex hoc codice Mur. recepit, cum in reliquis codicibus desint et a librario additæ esse videantur, quales etiam in cod. 1 passim in margine ascriptæ reperiuntur, initio quidem inter varias lectiones adnotavimus, postea prorsus abjecimus. Codicem quo Muratorius in editione sua adornanda potissimum usus est, iterum conferre superfluum videbatur.

[3] *Sitonianus*, cujus apographum beneficio Joannis de Sitonis Leibnitius nactus est; aliud exemplar ex eodem codice Muratorius a. 1699 apud Camillum Sitonum, Joannis patrem, transcripsit, quod postea ope cod. Estensis emendavit. Tertius et quartus liber ibi in unum contracti sunt; capitum inscriptiones nullæ. Nos quæ apud Leibnitium pariter ac Muratorium leguntur 3 signavimus, quæ L. solus habet, 3ª.

[4] *Archinteus* ex quo duos ultimos libros descripserunt 5*. B2*. cf. ad III fin. Eodem, deficiente Papiensi, J. P. Puricellus usus est (31). Quatuor libris distinctus fuisse videtur, ita ut III et IV unum efficiant, V quartus vocetur. Proxime accedit ad textum Muratorianum, itaque ad 2. 3. Capitum distinctio nulla.

[5] *Metropolitanæ eccl. Mediolanensis*, Landulfum, Arnulfum, catalogum archiepiscoporum, a Murat. IV, 141, editum, continens (32), habuit tantum tres priores libros, sed propter verborum cum prioribus similitudinem his est adnumerandus, et initio habet prologum et catalogos. Hic a Sociis Palatinis adhibitus est, sed nunc frustra a Bethmanno quæsitus.

5*) *Cod. sereniss. ducis Littæ Mediolanensis*, a. 1703 exaratus, chart. folio, manu continua, continet Arnulfum, Landulfum seniorem et juniorem, tum alia quædam manu alia alligata. Arnulphi tres priores libros ex 5 descripsit, IV et V ex 4.

Hi igitur codices, excepto 5, totum opus complectuntur, et initio præmittunt prologum cum nominibus regum et archiepiscoporum; quæ desunt codicibus quos B. vocamus, tres tantum libros priores continentibus, verbisque ita nonnunquam a cæteris recedentibus, ut priorem operis editionem facile agnoscas.

B1) *Cod. Francisci Castelli s. Mediol. ecclesiæ ordinarii* 1574, deinde *A. D. archipresbytero Mediol. Octaviano Forrerio*, post capituli Mediolanensis, denique a. 1822. relatus inter *Ambrosianos* n. 89, mbr. qu., s. XIV manu continua exaratus, (33) columnis binis. Continet Landulfum et post hunc Arnulfum; assuti sunt quaterniones 4 manus plane alius, Landulfum juniorem et passionem S. Arialdi continentes. Hic est ille quem Socii Palatini M vocant, sed parum accurate contulerunt. Membrana ex parte rescripta est; quæ deleta sunt, characterem diplomatum s. XIII exhibent omnia; ex quibus legendum est: *Datum ut supra.* Libros habet tres, rubro præscriptos; capitum distinctio nulla, sed signa eorum rubra sæpissime textui continuo interposuit scriba, prout ipsi placuit. Codex quem descripsit, hic illic

(27) V, 7.
(28) V, 9.
(29) Entwicklung der Verfassung der Lomb. Städte. Hamb. 1824, 8.
(30) Ursprung der Lombardischen Städtefreiheit. Bonn, 1846, 8.
(31) Mon. Basil. Amer., p. 461.

(32) Eodem omnia charactere scripta, itaque a. 1176 posterior; v. Murat. Anecdota 1, 237. Scripturam et characterum formam hujus cod. et cod. B 1. unam pene et eamdem esse, p. 238. dicit. Quæ repetit SS. IV, p. 51.
(33) Cf. Murat. SS. IV,

Digitized by Google

correctus erat, ita ut melior vox esset superposita cum verbo *vel*, quod non intelligens scriba vocem utramque in textum recepit. Textus multo minus bonus quam reliquorum. Ad marginem manus s. XVI sæpius quædam adnotavit, chronologica maxime.

B 1*) *Ambros.* n. 128, chart. qu., s. XVII ex., Landulfum continet et post hunc Arnulfum, quem exscripsit ex *B* 1; nullius ergo momenti.

[B 2.] *Papiensis*, ex quo J. P. Puricellus aliqua protulit in Mon. Basil. Ambrosianæ (34), plura in libro de SS. Arialdo et Herlembaldo. Ex hoc fluxit.

B 2*) *Ambrosianus* 157, ch. fol., antea. 1675 Petri Pauli Boschæ manu exscriptus ex ms. quodam « quod accepi a d. Matheo Valerio Carthusiæ Papiensis priore. Sed illud tantum tres priores libros continebat . . . quartum librum nactus sum in alio exemplari quod . . . suppeditavit comes Octavius Archintus. » Ad litteram fere cum *B* 1 convenit, sed aliquoties habet quæ illi desunt, ita ut ex ipso *B* 1 nequeat esse descriptus. Capita in Papiensi non distincta fuisse Boscha dicit.

Arnulfi opus diu in bibliothecis delituit, Mediolanensibus tantum scriptoribus notum, ut Gualvaneo de la Flamma qui s. XIV ex Arnulfo « apud S. Nazarium » in Manipulum Florum — nam alia ejus opera inedita servantur — nonnulla transcripsit, sed tanta usus licentia, ut ad verba Arnulfi cognoscenda nullius sit utilitatis; s. XV ex. Tristanus Calchas eum inter auctores suos commemoravit, sed tamen cum reliquis Flammam sequi maluit. Innotuit etiam auctoribus Vitæ Mathildis qui (in Leibnitii *SS. RR. Brunsv.* I, 694) c. 5, 4, exscripsit ex libro « qui dicitur *Copia Landulphi de S. Paulo*, » cum quo Arnulfi Historia sæpius descripta esse videtur. Postea J. P. Puricellus s. XVII. Arnulfo multum usus est (35), sed integra ejus Historia primum prodiit a. 1711 inter Leibnitii Scriptores Rerum Brunsvicensium, tomo III, ex apographo Sitoniano (36). Ejusdem cod. exemplar emendatum ex Estensi Muratorius transmisit sociis Palatinis, qui, additis lectionibus quibusdam codicum metropolit. 5 et *B* 1, et commentario non spernendo, etsi nunc non multa inde repetere potuerimus, illud ediderunt in coll. Scriptorum RR. Ital. tomo IV, a. 1723.

Tertia jam nostra prodit editio, ad fidem cod. 1 correcta (37) per V. D. Bethmannum, qui cod. *B* 1 varias lectiones addidit omnes, sola scribendi diversitate prætermissa, cod. 5* eas quæ alicujus viderentur esse momenti. Librorum tamen distinctione quam auctor ipse indicat, retenta, capita quæ in 1 majoribus litteris distincta sunt, numeris insignivit, qui a priorum editorum divisionibus non ita recedunt, ut diversi numeri addendi fuerint. Quæ explicatione egebant, consultis doctorum virorum libris breviter enodare conatus sum, præcipue vero Bonizonis et Andreæ Vallumbrosani locos ad nostri narrationem illustrandam et fidem ejus confirmandam idoneos indicavi, et quæ illi aliter narrant notavi. Andreæ autem Vita Arialdi cum ita in rebus Ecclesiæ Mediolanensis et ipsius Arialdi gestis versetur, ut in hanc collectionem recipi non debeat, inde quæcunque ad rerum cognitionem utilia videbantur, exscripsi ex libro J. P. Puricelli de SS. martyribus Arialdo Alciato et Herlembaldo Cotta Mediolanensibus. Med. 1657, fol. Vita Arialdi inde desumpta iterum edita est in Actis SS. Junii V, p. 281-303. Ea quam Puricellus addidit passio B. Arialdi martyris, per anonymum (38) conscripta, ex Andrea et Landulfo tota est desumpta, et tempore multum posteriore scripta esse videtur.

Datum Berolini VI Id. Jun. 1846.

W. WATTENBACH.

(34) V. p. 303.

(35) Codd. 4, B 1 (V. Mon. Ambr. p. 417. De SS. martyribus p. 10) et B 2.

(36) Repetita in t. IV Thes. Burmanniani 1772.

(37) Cujus scribendi rationem per omnia sequimur, etsi Italorum s. XIII morem sequitur: nam Arnulfus quomodo verba scripserit nescimus. Diphthongum tamen pro simplice vocali *e* restituimus.

(38) Quem pro Landulfo a S. Paulo habuit Puricellus, nullis idoneis argumentis nisus, ut jam Giulini animadvertit IV, 18. Recentiorum tamen nonnulli incaute illum sunt secuti.

ARNULFI
GESTA ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM

EDIDERUNT L. C. BETHMANN ET W. WATTENBACH.

INCIPIT
LIBER GESTORUM RECENTIUM AB ARNULFO[1] COMPOSITUS.

In hoc libro continentur gesta quorumdam Ytaliæ regum ac Mediolanensium antistitum, a tempore Ugonis regis et Arderici præsulis usque ad tempus scriptoris, et si qua sunt præter hæc aliis illis inserta

VARIÆ LECTIONES.

[1] Arnulpho 1. Incipit liber istoriarum Arnulfi de gestis urbis Medjolani incipiens anno Cristi DCCCCXXIII° B 1. Incipit liber qui dicitur copia historiarum Arnulphi. Incipit de gestis urbis Mediolanensis et Papiensis anno Christi DCCCCXXIII. B 1*. *Sequentia usque ad* Multorum varios, *et cæt. desunt* B

Digitized by Google

temporibus, prout occurrerunt memoriæ scriptoris ejusdem. Quæ qui scire desiderat, legat per singula; procul dubio [2] inveniet, unde pascat animum, non cibis lautioribus et copiosis, sed sanis ac digestibilibus. Regum vero ac pontificum nomina scripta sunt ante oculos subjacenti in pagina [3].

Ugo rex Burgundio.
Lotarius filius ejus.
Berengarius Longobardus.
Otto primus Teutonicus.
Otto secundus primi filius.
Otto tertius secundi filius.
Ardoinus Langobardus.
Henricus Teutonicus.
Humon [4] similiter.
Heinricus filius ut pater.
Heinricus ejus filius.
Adericus sedit annos 22, menses 2.
Manasses et Adelmannus simul 5 fuerunt annos [5], non in cathedra, sed in arcu et faretra.
Walpertus sedit annos 18.
Anulfus sedit annos 3, menses 4.
Gothofredus sedit annos 5, mensem 1, dies 24.
Landulfus sedit annos 18, menses 3.
Arnulfus sedit annos 19, menses 9, dies 6.
Aeribertus sedit annos 26, menses, 8, dies 19.
Vido sedit annos 27 [6].

1. Multorum varios affectus, multaque varia [7] delectant studia, nec omnibus omnia, nec singulis semper singula satisfaciunt. Nimirum dispares mores, ac non idem omnium [8] animus ad non eadem sæpe distrahitur [9], naturæ unius multiplici conditione, de quibus in commune disserere, vel singillatim [10] discernere, non est præsentis negotii, sed nec humanæ potentiæ. Valet ille solus, qui diversa largitur carismata bonus. Unde sic ait Apostolus: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 6). Item alibi: *Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (*Ibid.* VII, 7). Verbi gratia litteralis scientiæ munus multis modis datur Deo distribuente mortalibus [11]. Spiritales misteria interpretantur, spiritalibus spiritalia comparantes. Et ad hæc quis ydoneus? Utique non ego, qui non aliter quam venerando credere iota unum, aut unum ex hiis apicem præsumo discutere. Animales vero forensia [12] multifarie perscrutantur, carnalibus carnalia conferentes. Inter quos velut densas ac frondosas tenebrosi nemoris arbores verecundissime latitans, fidei tamen servus catholicæ, videri erubesco; scientia utpote nudus, paucis admodum litteris [13], velut tenuissimis araneæ filis leviter superindutus. Præterea cum jam in [14] dicto præsentis ævi nemore tam diversa novarum cotidie rerum erumpant folia, miror tot ac tam disertos vel uni eorum non insufflare scriptores. Nullis enim retro temporibus [15] talis ac tanta scribendi fuit occasio doctis pariter et [16] indoctis. Hæc animo revolvens, non michimetipse confido, quem exilis ingenii adeo paupertas angustat, ut difficilis michi videatur Aristotelici laberinthi ingressus, laboriosus valde Tuliani palacii accessus. Fateor me numquam conscendisse curules quadrivii rotas. Nichil a me igitur, carissime quisquis es, præter quod polliceor exigas, videlicet verbis prolatam communibus simplicem gestorum narrationem, quæ nostri reges nostrique gessere pontifices, nostri quoque concives in urbe Mediolano vel extra, compatriotæ vero nostri in regno Italico, quæ ipse vidi vel quemadmodum a videntibus aut paulo ulterius audivi, prout etiam de thesauris prodeunt memoriæ, cum nichil sit, quod a me ultra sperare debeas. Si forte recitantis culpa claudicat animus in auditis, saliet profecto confidencius in visis, nullius indigens testimonio. Quod si in præsentiarum scientes tædet lectionis hujusce [17], non invideant saltem posteris ac scire fortasse volentibus, præsertim cum solis illis ista [18] providerim. Nisi enim prisca veterum gesta stilus commendaret utcumque, nulla prorsus præteritorum nobis [19] superesset memoria. Recondatur [20] ergo interim sub modio nostrum hoc qualecumque negotium, tempore proferendum suo. Cujus privatum ac singulare volumen suæ limina civitatis rogo nullatenus excedat; quod si videtur hoc parum, extendatur ad arcum usque Romanum [21] (39).

2. Legitimus narrationis ordo a superioribus ad inferiora descendit; set quia ex præteritis pendent præsentia, ab illis ad ea quæ sunt in manibus, gestorum decurrat oratio; ita tamen, ut relicta vetustate ex recenti memoria sumatur exordium.

3. [22] Anno a nativitate Christi 925 regnavit in Italia ex Burgundionibus Ugo, qui ut tucius [23] ageret in regno, eggregiam inter cæteras urbem Mediolanum sibi vendicare prævidit. Priscam namque noverat loci consuetudinem, ut decedente metropolitano quilibet unus ex majoris ecclesiæ præcipuis cardinali-

VARIÆ LECTIONES.

[2] et p. 3. 5. [3] nomina sunt hec videlicet 5ª. [4] *ita codd. pronuncia:* Chuonon. [5] annis 3ª *hic et infra.* Manasse et Aldelmanui s. q. f. anni 1. M. e. A. s. an. V. in arcu non cath. 5ª. [6] Gothofredus a rege, Atto a papa, Thebaldus a rege *addit* 5ª. [7] multa variaque B. [8] omnium idem B. [9] detrahitur B. [10] sigillatim B 1. [11] *deest* B. [12] forensie B 1. [13] l. a. B 1. [14] in jam B. [15] scriptoribus *Mur.* [16] ac *Mur.* [17] hujuscemodi B 1. hujuscemodi B 2ª. [18] *deest* B. [19] *ita* 3. 5ª. vobis 1. B 1. [20] sup. materia vel memoria. Recordantur B. [21] *posthæc* B 1. *rubro scriptum habet:* Narratio: Incipe nunc primum lector cognoscere librum. *Idem dedit Muratorius ex* 2. [22] *Muratorio primum, ex* 2. *ubi hic titulus præfigitur:* In primis regnat Hugo ex Burgundionibus. [23] Regnavit condam in Ytalia cum Lothario filio natione Burgundio Ugo. q. ut tocius B.

NOTÆ.

(59) De hoc arcu, quem Radevicus accurate descripsit, disseruit Fumagalli, Antich. Long. Milan. I, 290 sq.

Digitized by Google

bus, quos vocant ordinarios [24], succedere debeat; quod a Romanis præsulibus, ab ipsis quoque imperatoribus concessum, sub auctoritate quidem canonum, testantur cedulæ in secretario reconditæ (40). Hujus [25] rei gratia juniorem filium (41) in eadem ecclesia tonsurari decrevit (*an.* 936). Set quia in puerili ætate ad episcopandum minime videbatur ydoneus, Ardericum [26] grandævum senem interim subrogavit antistitem [27], sperans cum subito casurum. Quoniam vero sæpenumero cogitantem fallit opinio, prolixius vixit sacerdos annis 22 (42) et mensibus 2 [28] in sæculo. Quod ubi persensit, necem ilico meditatur occultam. Statuto autem generali Papiæ colloquio cunctorum regni principum, palatini lixæ jubente ex industria cæsare cum Mediolanensibus litigabant, ut accepta occasione trucidaretur senex ille. Quibus rixantibus gravis pugna committitur, qua feruntur interfecti Mediolanenses nonaginta viri prudentes. Sed propicia divinitate liberatus evasit antistes. Cumque diutius non posset latere dolus [29], vehementer erubuit criminis tanti reus, veritus etiam beatum Ambrosium, cujus fuerat ille vicarius.

4. [30] Factum est autem, ut convencione dignæ satisfactionis concederet ecclesiæ pro nonaginta interfectis abbatiam [31] Nonantulæ (43), quæ propter nonaginta sui juris curtes sic vocata perhibetur (44). Insuper et capellam auream cum cruce, quæ super altare in hyemalis ecclesiæ (45) sunt collocata [32] tugurio (46). De reliquo cum nimis insolenter ageret, ignorans sibi dictum : *Principem te fecerunt; noli extolli, set esto in illis quasi unus ex ipsis* (*Eccli.* xxxii, 1), intolerabilis factus est universis. Præelecto itaque filio ejus ab omnibus Lothario admodum leniore, communi [33] consensu regni totius [34] compulsus est ipse remeare Burgundiam (*an.* 946), de cætero minime regnaturus.

5. [35] Per idem tempus (*an.* 948) oborta est Mediolani perniciosa seditio. Arderico autem archiepiscopo ad superna vocato, eruperunt duo adversarii, Ambrosianæ dignitatis ambitione succensi, Manasses videlicet Arelatensis episcopus, et Adelmannus [36] presbiter Mediolanensis [37], revera immemores apostolici oraculi : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes* (*Gal.* v, 26). Cumque diu contenderent, ille ex datione regis, scilicet Burgundiæ, hic ex factione plebis et de Mediolanio [38], quinquennio contra se invicem pertinaciter altercati sunt, factis partibus ex alterutro. Quorum execrabili jurgio jacturam prægrandem sustinuit ecclesia, præcipue in thesauris et cymiliis omnibus, quibus incomparabiliter affluebat. Inter hos fluctus natabat caute Walpertus, contrahens suo lateri quasi undas consilii, usque adeo ut utrisque sponte vel invito [39] cedentibus, sedem teneret ipse solus (47). Deinde [40] mortuo Lotario (*an.* 950, *Nov.* 22) regnavit Berengarius Langobardus ipse, quem Walpertus tunc archiepiscopus suspectum habebat, conscius ipse sibi. Cujus iram præcavens, ne regiis præveniretur insidiis — legerat enim : *Indignatio regis nuncius mortis* (*Prov.* xvi, 14) — fugam paravit. Ottonem Teutonicorum [41] adit regem (*an.* 960), suffragium (48) postulans, moxque illi regnum se instante pollicetur Italicum. Qua erectus rex Otto fiducia, adscita sibi conjuge Adeleida Italiæ quondam regina, uxore videlicet Lotharii, illico meditatur regnum subripere Berengario.

6. Præmissis igitur pro Walperto legatis pacem implorat. Quam cum non impetraret, direxit Litulfum cum exercitu (49), suum ex conjuge altera [42] filium. Oderant autem compatriotæ regem Berengarium propter nimiam uxoris tenaciam, quæ Willa dicebatur, et suam ex parte sæviciam. Ideoque destitutus a suis, properanti hosti minime valuit congredi; sed ingressus quod dicitur Insula sancti Julii municipium [43], resedit invalidus. Cum vero exploraret universa Litulfus, quidam familiares Berengarii

VARIÆ LECTIONES.

[24] cardinarios B 1. [25] cujus B. *Hic secundum caput incip. Mur. ex* 2. *ubi titulus :* Hic tonsuravit filium, et occidere tentavit archiepiscopum. [26] Adderum 1. 5*. [27] antistem vel antistitem B 1. 2*. [28] a. XXII et m. II *desunt* B. [29] dolis B 1. *at non* B 2*. [30] *Caput tertium Mur. et* 2. *cum titulo :* Satisfactio ejus, et privatio regni electo Lothario. [31] *deest* B 1. *sed non* B 2*. [32] collocati B 1. collocatæ B 2*. [33] *deest* B. [34] tociens B 1. *at non* B 2*. [35] *caput quartum Mur.* 2, *titulo :* Contentio Manasse et Adelmanni, ac præsulatus Walperti. [36] Aldemanus B. [37] e. e. A. p. M. *in margine* 1. *supplevit, manu ut videtur alia.* [38] Mediolano 5a. B. [39] invite B. [40] *novum caput incipiunt Mur.* 2, *cui titulus :* Berengarius regnat, et Walpertus fugit ad Ottonem regem. [41] tetonicorum 1. [42] a. c. 3. [43] sed ingressus quodam inexpugnabile m. B. *ubi desunt* q. d. i. s. I.

NOTÆ.

(40) Schedulæ istæ in præsens desiderantur. Pal. Sed. cf. Joannis VIII ep. 221.

(41) Tedbaldum, V. Liudpr. IV, 13.

(42) Imo 12; sed eumdem errorem jam supra admisit.

(43) Hanc si accepit, non diu tenuit, nam mox ep. Mutinensi data est. V. Liudpr. V, 17; Tiraboschi Nonant. I, p. 92.

(44) Videsis in Manip. Florum c. 130, quo pacto Gualv. de la Flamma tractaverit quæ Arnulfo ipse accepta refert.

(45) S. Mariæ, ubi post primam Octobris Dominicam ordinarii officiis fungebantur, Dominica paschali in S. Teclæ ecclesiam migrantes; v. Giulini Mem. di Milano III, 423.

(46) Fornice supra altari erecto, v. Giulini II, 210.

(47) Rosmini in Hist. Mediol. I, 87, documentum attulit quo probare sibi videtur, Manassen a. 959, m. Martio, adhuc pro archiepiscopo se gessisse. Sed ex verbis quæ dedit id tantum apparet, Erebertum presbyterum ante a. 959 aliquando Manasses missum fuisse. Cf. Liudpr. Hist. Ott. I. Giulini II, 292.

(48) Id est *auxilium*. Hoc autem accidit ante alteram Ottonis expeditionem; prior facta est antequam Walpertus archiepiscopus fuit.

(49) Varias expeditiones noster etiam hic confundit, neque in sequentibus fidem mereri videtur

Digitized by Google

milites, fidem debitam simulantes, promissa securitate foras eductum hostium manibus tradiderunt. Revera inimici hominis domestici ejus (*Matth.* x, 36). Intuitus autem eum Litulfus ait : *Consule tibi rex, et humiliare magno Ottoni augusto. Si non feceris, ipsum te lædis.* Cumque humiliter responderet, rursus infit : *Absit a fide mea, ut vincam perfidia, qui viribus superare contendo. Cave rex amodo ab hujusmodi pseudomilitibus.* Sic fatus absolvit eum, deinceps strenue cuncta ministrans. O pia hostilitas et hostilis pietas! Postea vero pius ille [44] perfidia Longobardorum fertur veneno necatus (*an.* 957, *Sept.* 6).

7. Otto autem licet privatus filio, conjugis tamen augustæ Adeleidæ fretus consilio, Walperti quoque aliorumque regni principum, in manu forti et brachio extento venit Italiam [45] (*an.* 961), primus ex Teutonibus imperator dictus Italicus; cumque illi [46] subjecta fierent omnia, Berengarium ipsum arce quadam robusta (50) munitum diuturna vallans obsidione subegit (*an.* 964), filiis circumquaque dispersis Widone Adelberto et Conone. Illum vero cum filiabus et conjuge captum secum devexit in Sueviam (51), ubi non multo post in amaritudine [47] animæ diem clausit extremum (*an.* 966).

8. Eodem tempore obeunte Walperto, cathedram suscepit Arnulfus (*an.* 970, *Nov.* 6), vere declinans a malo et faciens bonum; cujus æquivocus existo gestorum scriptor ego præsentium, fratris vero illius pronepos verus [48]. Hujus in episcopatu vita fuit triennis, facta [49] nunc pro certo meliori dignitate perhennis (*an.* 974, *Apr.* 16). Cui successit Gotefredus, primo quidem a clero reprobatus et populo, eo quod sacerdotalem vel leviticum nondum ascenderat gradum, subdiaconus tantum; extrema vero pace receptus regiæ fidelitatis gratia, contra filios Berengarii dimicavit. Quorum Widone interfecto (52), Conone pactione quieto (53), Adelbertus cæteris animosior diebus vitæ omnibus [50] factus est in diversa profugus.

9. Deinde Ottone mortuo (*an.* 973), regnavit pro eo ejus [51] ejusdem nominis filius, acer in armis, sagax ingenio; qui Græcæ mulieris adeptus contubernium, industria sapientis Adeleidæ matris Romanum feliciter solidavit imperium. Exiens vero a Germania [52], Romæ præsedit, Apuliam Calabriamque [53] possedit, multaque gessit insignia, imperatoria majestate consigna. Hujus tempore transfretantes Saraceni mare conati sunt Calabres fines invadere; quibus ex adverso congressus est imperator et ipse (*an.* 982), parvo licet [54] suorum suffultus collegio. Quoniam vero paucorum ad plures impar solet esse congressio, cum pugnasset multum deficit [55] ad ultimum. Quid plura? pugnando captus [56] ad classes usque protrahitur; occupaverant enim hostes vicina maris littora. Sentiens vero se vellet nollet [57] transvehendum [58], simulatis precibus postulabat, ut saltem unicam sibi conjugem cum exiguo famularum obsequio simul cum eo exulare [59] permitterent, delaturam secum immensa auri et argenti pondera promittens. Cumque foret permissum [60] viros adolescentes muliebriter superindutos, subtus autem accinctos mucronibus, cautissime venire mandavit. Ubi vero ingressi sunt navem, illico irruentes in hostes, evaginatis ensibus indifferenter quosque trucidant. Interim saltu perceito prosiliens imperator in pelagus, natando evasit ad littus liber et lætus. Unde terrefacti transierunt hostes ad propria [61]. De cætero disponens æquoreas undas potestative cum omni transmeare [62] Italia, per universum regnum dilatat militandi præceptum. Sed Deo aliter providente, rebus excessit humanis (*an.* 983, *Dec.* 7), juxta illud : *Cor hominis disponit viam suam ; Domini autem est dirigere gressus ejus* (*Prov.* xvi, 9). Cui in Alemaniæ partibus superfuit puer sui nominis filius, rex mortuo (54) patre creatus.

10. Jam enim successerat Gotefredo Landulphus archiepiscopus, qui propter nimiam patris ac fratrum insolentiam, gravem populi perpessus est invidentiam. Instabant enim [63] præ solito, civitatis abuti dominio. Unde cives indignati, una sese conjurati [64] strinxerunt. Inde civilis seditio ac partium est facta divisio. Quibus assidue rixantibus, grande commissum est in urbe certamen. Videns autem se prægravari undique præsul, nec posse sufficere, discessit aburbe cum fratribus, relicto patre (55), qui fuerat jam senes et viribus imbecillis [65]. Quamobrem ecclesiæ facultates et multa clericorum distribuit militibus beneficia. Iterum autem collecto ex diversis partibus agmine, conflixit eisdem cum civibus in

VARIÆ LECTIONES.

[44] Litulfus *addunt* B. *Mur.* [45] p. forti m. et b. extenso Ytaliam v. B. [46] cui cum B. [47] amaritudinem B 1. *at non* B 2ª. [48] *in margine* B 1. *rubricator scripsit :* Nota quod iste autor vocatus est Arnulfus pronepos fratris illius archiepiscopi Arnulfi. [49] factus 3. B. [50] Hoibus B. *at non* B 2ª. [51] suus B. *Mur.* [52] E. v. a G, *desunt* B. [53] Calabriam 3. [54] l. p. s. fultus B. [55] defecit 3, [56] congressio, non illi prosper belli successit eventus. Q. p. victus et c. B. [57] v. si n. v. B 1. [58] transvendum 1. [59] exulari 1. [60] Quo concesso B 1. [61] U. t. t. h a. p. *desunt* B. [62] transire B. *puncta ejus loco posuit* B. 2ª. [63] *deest* B. *ubi* : p, solito. [64] conjuratione B. *Mur.* [65] imbellis.

NOTÆ.

(50) Monte S. Leonis.
(51) Imo Babenbergam.
(52) Jam a. 965. Ann. Einsidl.
(53) Hic marchiam Epored. retinuisse videtur ibique d. 30 Sept. 987 infirmatus, prædia quædam contulit S. Eusebio Vercell. cum Ychilda conjuge filia Ardoini marchionis. Provana, Studi critici, p. 331.
(54) Vivente, m. Junio.
(55) Quem Landulfus II, 17. Bonizonem appellat, archiep. ipse in testamento Ambrosium Scil. hoc ei nomen fuit, illud cognonem, quod exemplis probavit Giulini Mem. di Mil. II, 384. Cf. p. 443, et III, 76. *Dominicus, qui et Bonizo*, p. 77. *Nazaro detto Bonizone*, p. 166. *Andrea o Bonizone.*

Digitized by Google

campo Carbonaria (56); ubi facta est plurima cædes utrinque; a quo bello ægre divertit hac etiam vice. In civitate autem quidam [66] vernula audita domini sui nece accurrens, patrem præsulis lecto jacentem cultro transfixit. Post hæc et alia multa, inspirante Deo et interveniente consultu sapientum partis utriusque, nova pax vetera dissolvit odia. Archiepiscopus enim memor pastoralis diligentiæ, populus vero recordatus ovilis [67] obedientiæ, donantes præterita, fœderati sunt pace perpetua. Præterea sentiens se præsul dispersis facultatibus offendisse ecclesiam, ut clerum leniret ac [68] populum, sancti martyris Celsi fundavit monasterium, multisque ditavit opibus. Ubi completo dierum numero, moriens suo quievit in tumulo (*an.* 998, *Mart.* 23). Cui alter successit Arnulfus; de quo dicetur posterius.

11. Interim regnante Ottone III, cum matre Græca, quidam Græcus (57), Græcæ dominæ capellanus, factus est Placentinus episcopus. De quo dictum est quod Romani decus imperii astute in Græcos transferre temptasset. Siquidem consultu et ope quorumdam civium Romanorum, præcipue Crescentii cujusdam prædivitis, apostolicam sedem jam violenter invaserat, dejecto eo qui tunc insederat venerabili papa [69] (58). Quo audito palam, relicta Suevia venit Otto festinus Italiam (*an.* 997).

12. Nec mora, consilio habito cum optimatibus regni, Romanum arripuit iter cum legionibus Latinorum ac Teutonicorum, terrefaciens cuncta in circuitu loca. Ad cujus introitum (*an.* 998) Roma concutitur universa. Græcus ipse misericordiam clamat; Crescentius vero rebellionem parat, Tiberina sancti Angeli munitus in arce [70]. Hunc imperator undique obsidione circumdat, omnibus belli machinis cottidie oppugnans, donec pacto utcumque composito, illius se tradidit potestati. Qui statim in prato Neroniano jussus est decolari. Stephania autem uxor ejus traditur adulteranda Teutonibus. Pseudopapa vero Græcus effossis oculis, abscisis naso et auribus, dorso asinæ retroversus manu tenens caudam, totam distrahitur per urbem. Sic Roma ante mobilis [71] regis quievit in oculis.

13. Tempore præterito [72] decreverat imperator maternæ gentis sociari conjugio. Hujus causa consilii præfatus Arnulfus venerabilis archiepiscopus, regia jussione præmonitus, mare transiens Constantinopolim proficiscitur. Qui ab ipso admirabili monarcha magna susceptus honorificentia, satis episcopaliter conversatus est in urbe regia, ita carus ut quicquid poposcerat [73] facile impetraret. Composito tamdem propter quod venerat negotio, ab eodem Basileo decenter absolutus reversionem accelerat.

14. Interea imperator primo juventutis in flore defungitur Otto (*an.* 1002, *Jan.* 23), in quo omnis [74] est Ottonum [75] consumpta propago. Tunc Ardoinus [76] quidam nobilis Ypporegiæ marchio a Langobardis Papiæ eligitur (*Feb.*) et vocatus cæsar ab omnibus regnum perambulat universum, regio jure cuncta pertractans. Cognito autem jam dicti præsulis reditu, occurit ei in itinere obvius, securitate quanta valuit sibi illum applicare procurans.

15. Eodem tempore Heinricus [77] creatus est rex Alamanniæ (*Jun.* 29). inter hos de sceptro Italico ingens oritur contentio. In medio principes regni fraudolenter incedentes, Ardoino palam militabant, Heinrico latenter favebant, avariciæ lucra sectantes, sicut [78] dictum est ad Jerusalem per prophetam: *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, secuntur retributiones* (*Isa.* 1, 23). Quorum consilio Heinricus direxit in Italiam suum cum exercitu ducem (59). Cui occurrens viriliter Ardoinus, facta congressione in campo Fabricæ (60), quamplures stravit, ceteros extra fines regni fugavit.

16. Tempore non longo post (*an.* 1004) cum valida Teutonicorum militia proveravit Heinricus a Germania, ipso Italiæ castrametatus in limine (*Apr.*). Ex adverso Ardoinus fidens viribus nec minus armis instructus, non tantum defendere quantum super eum paratus insurgere, occurrit illi Veronæ [79]. Sed deceptus perfidia principum, majori militum parte destituitur. Cumque cessisset invitus, regnum Heinricus ingreditur, rex statim electus (*Mai.* 15), suoque post tempore (61) Romanus imperator effectus. Veniens vero Papiam, cum non ad votum sibi obtemperasset, unc totam concremavit incendio. Unde omnis inhorruit Italia, simile pertimescens. Ab hinc illius exinanita confidentia, hujus prævaluit ubique potentia. Verumtamen resumptis [80] interim [81] viribus Ardoinus juxta posse ultionem exercet in perfidos. Siquidem postea Vercellensium urbem cepit, Novariam obsedit, Cumas invasit, multaque alia demolitus est loca sibi contraria. Ad ultimum (*an.* 1015) labore confectus et morbo, privatus regno, solo

VARIÆ LECTIONES.

[66] quædam *Mur.* [67] civilis B. [68] *ita* 3. 5'. B. ad 1. [69] papa Benedicto, qui captus a dicto Crescentio in castro sancti Angeli strangullatus est nocte natalis Domini *addit* B. [70] p. m. in T. s. A. a. B. [71] nobilis, B. [72] T. autem p. B. [73] posceret B 2. *ap. Puricell. Mon. Ambr. p.* 305. [74] omnium B. [75] O. e. 3 [76] arduinus B. *const.* [77] henricus B. *const.* [78] Sic 3. [79] o. i. V. *desunt* B. *ubi sequentia ita*: Sed instante p. p. magna suorum parte destitutus, et sic cedente eo, r. H. i. [80] reassumptis 3. [81] interdum 1.

NOTÆ.

(56) Carbonate prope Seprium, sec. Puricellum; v. Giulini II, 393.

(57) Joannes Philagathus.

(58) Gregorio V, quem primo cum Bened. VI, per Crescentium majorem interfecto, confudit.

(59) Ottonem d. Carentanorum.

(60) *Esiste sui Colli Euganei non lungi dalla Brenta una villa, attualmente chiamata Fabbrica, posseduta dalla famiglia de' conti Durini di Milano.* Provana, Studi critici p. 211; cf. Thietm. v, 16. Adalboldi V. Henr. 15-17, et de monte Ungarico Provana p. 208.

(61) 1014, Feb. 14.

Digitized by Google

contentus est [82] monasterio nomine Fructeria (62); ibique depositis regalibus super altare, sumptoque habitu paupere [83], suo dormivit in tempore (63).

17. Illis in diebus primus in Apuliam Normannorum fuit eventus [84], principum terræ consultu vocatus, cum Græci eam innumeris gravarent oppressionibus. Quibus subactis et æquore sulcato fugatis, considerantes Normanni Apulorum inertiam, regionis quoque in omnibus opulentiam, etsi pauci, invadunt ex parte provinciam. Remissis igitur legatis in patriam ad hoc ortantibus cæteros [85], crescente paulatim numero, totam repleverunt Apuliam, jure quasi proprio deinde possidentes, atrociores facti Græcis, Saracenis, ferociores; imo dejectis prioribus, surrexerunt principes ipsi.

18. (*An.* 1022.) Heinricus vero quid de reliquo gesserit, quomodo Trojam nobilem Apuliæ civitatem obsederit, qualiter marchiones Italiæ quatuor, Ugonem, Azonem, Adelbertum et Obizonem, captione una constrinxerit (64), recitare non expedit, dum in fortitudine ejus omnis terra contremuit, usque adeo ut si qui repperti fuerint Ardoini favisse partibus, aut fugerent aut deditionem facerent. E quibus Astensis episcopus (65) propria relicta sede Mediolani usque ad obitum latuit. Dederat enim imperator, vivente ipso et abjecto, episcopatum cuidam Oldérico (66) fratri Mainfredi marchionis eximii. Quod factum archipræsul Arnulfus vehementer exorrens, consecrationem quæ sibi competebat, omnimodo vetuit. Oldericus [86] autem ille sua fretus ac fratris potentia, Romam proficiscens, subreptione quadam consecrari se [87] fecit a Romano pontifice (67) [*an.* 1008]. Quod ubi innotuit Arnulfo, justa satis accenditur iracundia, non tantum regia institutione, quantum Romana, quod deterius videbatur, indignatus consecratione.

19. Veniens igitur [88] in conventu Mediolanensis ecclesiæ, anathematis jaculo consecrati transfixit audaciam. Deinde collecto undique exercitu copioso, cum suffraganeis simul episcopis civitatem aggressus Astensem, clausis in urbe marchione cum episcopo, densissima obsidione valavit. Nec a populatione belloque destitit, donec pace, composita illius satisfactum est voluntati. Hæc autem fuit pacis conditio, quod venientes Mediolanum, tertio ab urbe miliario nudis incedendo vestigiis, episcopus codicem, marchio canem bajulans, ante fores eclesiæ beati Ambrosii reatus proprios devotissime sunt confessi. Prætera episcopus virgam et anulum suscepti pontificatus supra sancti confessoris altare deposuit, quæ postea largiente episcopo [89] pie resumpsit. Frater vero illius Mainfredus marchio donavit ecclesiæ auri talenta quamplurima; unde producta est crux illa pulcherrima, quæ usque hodie præcipuis tantum geritur in diebus. Deinde nudis sicut venerant pedibus per medium civitatis ad ecclesiam majorem sanctæ Theotocos usque deveniunt, ab archiepiscopo et clero cunctoque recepti in pace populo.

20. De reliquo Arnulfus sacerdotaliter [90] suam regebat ecclesiam, clerum fovens ac populum, suisque plane vacans negotiis. Hujus beatitudinem plura ecclesiis tradita commendant beneficia. Illius tempore [91] sancti confessoris Monæ revelatæ sunt reliquiæ, in ecclesia sancti Vitalis justa Sanctum Naborem [92]. Hic etiam fundavit cœnobium sancti Victoris martyris in magno honore et copia frugum, in quo requiescit in pace sepultus. In cujus laude reddenda quoniam dies non sufficit hodierna, præsens claudatur pagina, cum sit altera deinceps aperienda.

INCIPIT LIBER SECUNDUS [93].

1. Superiori volumine audita tantum utcumque exsufflare temptavimus: nunc autem ea quæ ipsi videndo cognovimus, ex habundanti eructare studeamus. Cœlitus igitur vocato divæ memoriæ Arnulfo (*an.* 1018, *Febr.* 25), consultu majorum civitatis ac dono imperatoriæ potestatis intronizatur Heribertus (68) Qui ex quo præfatus est, suis et aliorum vacavit negotiis, pluribus intentus, grandia expertus, quæ quidem narranda, non judicanda suscepimus. Cujus in diebus Heinrici consummatur imperium

VARIÆ LECTIONES.

[82] *deest* B. [83] pauper B. [84] adventus 5'. *Mur.* [85] ad h. o. c. *desunt* B. [86] Odelricus 1. Odelricus B. [87] se c. 3. [88] ergo 3. 5'. [89] archiepiscopo B. [90] sacerdocialiter B 1. [91] i. in t. B. [92] in c. s. V. i. s. N. *desunt* B. [93] *huic libro* 2. B 1. *superscribunt:* Incipit liber secundus istoriarum Arnulfi. Alter sermo venit, quum jam prior ille recedit.

NOTÆ.

(62) S. Benigno di Fruttuaria.

63) 14 Dec. secundum Necrol. Divionense, V. Provana, p. 505.

(64) Temporum ordinem A. in his non servavit, siquidem eos non diversos esse volunt ab illis quos Thietm. VII, 1, VIII, 1, commemorat, filios Oberti II, march. Mediolanensis, Astensium progenitoris; v. Terraneum, Contessa Adelaide II, 62; Murat. Ant. Est. I, p. 137. Scheidii Orig. Guelf. I, p. 179.

(65) Petrus; cf. Terraneo l. l., cap 5.

(66) rectius *Adelrico*.

(67) Quod a. 1008 factum esse probavit Giulini Mem. di Mil. III, 62.

(68) *Aribertus... fil. b. m. Gariardi, qui fuit de loco Antimiano et vixit lege Langobardorum:* ita tabulæ ejus nomine confectæ incipiunt. Matris nomen erat Berlinda; v. Puricelli Mon. Ambr., p. 371. De Antimiano, jam Intimiano, v. Giul. III, 385. Ipse a. 1007 subdiaconus eccl. Mediol. erat; ib., p. 56.

Digitized by Google

(*an.* 1024), prole nulla superstite. Tunc Papienses in ultionem incensæ urbis regium quod apud ipsos erat destruxere palatium. Factum est autem, ut simul convenientes in commune, tractarent de constituendo rege primates. Diversis itaque in diversa trahentibus, non omnium idem fuerat animus.

2. Interque talia fluctuante Italia, suorum comparum [95] declinans Heribertus consortium, invitis illis ac repugnantibus adiit Germaniam solus ipse regem electurus Theutonicum. Cumque Teutones sibi Chuonradum [96] eligerent, eumdem ipsum laudavit (69), omniumque in occulis coronavit (*an.* 1025), accipiens ab eo præter dona quamplurima Laudense.n episcopatum, ut sicut consecraverat, similiter investiret episcopum. Rediens vero securus in omnibus, totam suis legationibus evertit Italiam, alios re alios spe benivolos faciens, donec suum electum fere omnes laudavere suscipiendum. Tali fultus remigio veniens Chuonradus Italiam (*an.* 1026), ab eo ut moris est coronatur in regno; deinde Romam duce commigrat eodem. In cujus adventu (*an.* 1027) factus est [98] ingens Romæ conventus diversarum undique gentium, episcoporum quoque ac sæcularium principum, præsidente domno papa Johanne.

3. Imminente itaque paschali solempnitate (*Mart.* 26), cum rex Chuonradus in basilica apostolorum ad culmen imperii apostolica foret consecratione sublimandus, Heribertus Ravennas archiepiscopus temerarie dexteram regis invasit ac tenuit, faciens quod Mediolanensi jure competebat antistiti [97]. Quod cum omnium displiceret in occulis, commonebant eum præsules ceteri, quatenus a non suo desisteret. Nichilominus ille pertinaciter tenebat. Heribertus [98] vero Mediolanensis antistes, ne in die festo tumultus fieret in populo, sapienter multum popularem declinavit tumultum, cunctos suos adversari volentes ab omni contradictione cohercens.

4. Rex igitur tumultuantium strepitu attonitus, cognita tandem rei veritate, gradum figens taliter est conlionatus: « Certum est quidem, reverendi patres, quia sicut privilegium est apostolicæ sedis consecratio imperialis, ita Ambrosianæ sedis privilegium est electio et consecratio regalis. Unde ratum videtur, ut manus quæ benedicit et prius coronam imponit regni, si præsens affuerit, repræsentet regem ad imperium promovendum sancto Petro et ejus vicario; quatenus Ambrosiano testimonio jure possit imperare, qui Ambrosiana consecratione dicit et cœpit regnare. » Cumque hæc regis omnibus placeret sententia, dexteram Ravennati auferens, Ambrosianum jubet accersiri pontificem. Qui prædicta vitandi tumultus causa, venire distulit.

5. Igitur consulente domno apostolico et universis episcopis, dexteram dedit Arderico Vercellensi episcopo illius suffraganeo, ut pater in filio, magister videretur in discipulo. Qui in [99] imperiali consecratione vicem Mediolanensis archiepiscopi pleniter tenuit [100]. Post dies aliquot indicta est synodus Romæ auctoritate apostolica (*Apr.* 6), in qua constitutum est, ut in omnibus negotiis pontificalibus Ravennas nullo modo in æternum se Mediolanensi præferat antistiti; et si forte præsumpserit, canonicæ legi [101] subjaceat. Insuper placuit omnibus, super [102] hac re conscribi thomum in sempiternum testimonium; de quo pauca de pluribus ista decerpsimus (70).

6. Dum hæc agerentur, Mediolanenses cum Ra-

VARIÆ LECTIONES.

[95] comparium 3. 5°. B. [96] conradum 3ª. 5°, B. [97] *deest* B. [98] antisti 1. [99] henricus B 1. *at non* B 2°. [99] *deest* B. [100] tenuit plene B. [101] l. s. i. p. o. s. h. re *desunt* 1. [102] in 3. 5°. B 2°.

NOTÆ.

(69) Constantiæ ei in Pentecoste occurrit; Wippo, Vita Conradi.

(70) Hic *tomus* conservatus videtur in iis quæ hic subjicimus ex « Novo Beroldo » rev. capituli metropolitani Mediolanensis, intra a. 1263-1269. exarato; ubi ita leguntur: « Commemoratio superbie Ravennatis archiepiscopi, quomodo se Mediolanensi archiepiscopo Rome superbe preferre presumpsit, et qualiter inde victus subcubuit et confusus abiit, ad gloriam et laudem Dei, superbos humiliantis et humiles exaltantis, » Anno 1027 post divinitus assumptam mortalitatem, in tertio anno domni Johannis pape universalis, factus est ingens conventus Rome diversarum gentium plurimorum episcoporum ac secularium principum, clericorum quoque et laicorum, Italie, Gallie et Germanie, 7. Kal. Martii (*l.* Apr.), in sancto die pasce, indictione 10ª. Cum rex Chunradus anno regni ejus 3° ad culmen imperii in basilica apostolorum apostolica consecratione esset sublimandus, humani generis inimicus, zizaniorum sator, tanti conventus gaudiis et jocunditatibus invidens fraudolenter et nimis cum discrimine, sicut suum est, menti Heriberti Ravennatis archiepiscopi sese ingressit et venenum sui livoris super eum sparsit; quo cum fastus superbie coegit, ut zelo humilitatis et justicie spreto, preferre se presumeret Mediolanensi archiepiscopo. Et quia insolenter superior videri voluit, turpiter inferior apparuit. Omnibus s. ecclesie fidelibus notissimum est, quod Ambroisiana sedes post apostolicam primatum tenuit, tenet et tenebit, et s. Ambrosii vicarius in omnibus negotiis ab apostolico est secundus. Et vere quia sicut Petrus primo Romam docuit, ita Barnabas ejus coapostolus Mediolanii primo catholicam instituit fidem, et multo tempore ibi prefuit, et successorem suum unum et priorem ex discipulis Domini Anatelonem ordinavit. Hoc apostolico jure, sicut Romana sedes est prima, ita et Mediolanensis censenda est secunda. Set ut ad antiqui hostis sationem redeamus, supradictus Ravennas ab eodem impulsus, cum rex Chunradus ad imperialem consecrationem esset ducendus, domno apostolico et populo in medio ecclesie expectante, ut moris est, nefario et temerario ausu regis dextram invasit ac inconsulte, immo et violenter tenuit; quod Mediolanensi archiepiscopo regibus ad imperium promovendis semper facere pertinuit. Cumque ejus temeritas omnibus coepiscopis super modum displiceret, eundem increpantibus et commonentibus, ut ab hoc cessaret, spreta omnium sententia, precipiti effrenatione inva-

Digitized by Google

vennatibus altercabantur ad invicem. Igitur crescente jurgio, congressi sunt adversum sese [103] mutuo. Set prævalente impetu et fortitudine Mediolanensium, Ravennates terga dederunt, magna ex parte vulnerati; quos persecuti sunt adversarii usque ad hospicia, sarcinas et omnem diripientes suppellectilem. Ipse etiam Ravennas Heribertus vix aufugit [104], de manibus insequentium ereptus. Etenim postea illa omnis quievit controversia. Imperator vero [105] a Romanis rediens partibus, commoratus est in Italia, donec subegit si quos habuit adversarios, patrocinante in omnibus Heriberto; *et siluit terra in conspectu ejus* (*I Mach.* I, 3).

7. Contigit autem tunc temporis, Laudensem mori pontificem, cumque [106] archiepiscopus sua investitura, quemadmodum ab imperatore susceperat, alium subrogare decerneret, indignati Laudenses insolitam sui episcopatus constitutionem audacter despiciunt. Quorum parvipendens Heribertus audaciam, elegit Ambrosium de suorum numero cardinalium sacerdotem satis ydoneum. Cui primo tradens virgam et anulum, deinde ut moris fuerat consecravit episcopum. Quo peracto, cuncta Laudensium violenter aggreditur opida. Quibus subactis potestative, tandem pervenit ad urbem, suum secum deducens pontificem. Quam undique obsidione circumdans, perseveranter opugnat. Cumque cives viderent se frustra [107] resistere, proposita pacis [108] conventione, demum in commune deliberant suscipiendum episcopum. Ante portam namque civitatis facta sunt palam juramenta promissæ fidelitatis; et sic jam dictus receptus est episcopus, omnibus postea carus, doctrina scilicet et operatione præclarus. Ab illo etenim tempore inter Mediolanenses atque Laudenses implacabile viguit odium, unde postea per multa annorum curricula prædas et incendia cædesque alternant innumeras. Mediolanenses quidem, multitudine divitiis ac brachii virtute confisi, frequenter illos bello aggrediuntur, obsidione circumsepiunt, agros et vineas ac suburbana cuncta demolientes. Laudenses vero exigui numero, sed truces animo, opibus angusti, viribus honusti, nunc suo nunc alieno se damnpno defendunt. Quæ si scriberentur per singula, plura fierent inde volumina.

8. Hiis denique diebus mortuo Burgundionum rege (71) [*An.* 1032, *Sept.* 6], proponit Chuonradus Burgundiam invadere (72). Ad quam invadendam

VARIÆ LECTIONES.

[103] *deest* B2°. c. a. sunt m. B1. [104] efugit B. *ubi deest* ereptus. [105] Conradus *addit* B. [106] Cum B. [107] viderunt se fustra B1. [108] *deest* B.

NOTÆ.

suit ejus dementia. Domnus vero Heribertus s. Mediolanensis ecclesie venerabilis (*ita conjicio*; venit *codex*) archiepiscopus vir strenuus et modestus, immo et pacientissimus, ne forte in populo fieret tumultus, adversus ejus diram insaniam opposuit sanctam temperantiam, a tante seditionis turbine humiliter declinavit, et coepiscopos et omnes suos, hanc temeritatem condempnantes et illi temerario in faciem resistere volentes, blanda persuasione admonuit, ut scandalum ejus humiliando vitarent, ne in tanta plebe impetuosa sedicio cresceret, ne diabolus tocius erroris auctor bonum pacis raperet de proposito episcoporum, quod moribus decet inesse laicorum. Rex igitur nimia populorum circumdatus compressione, ac tumultuantibus et circumstrepentibus diversis rationibus non pleniter aput se totus, jam in templo (jam into *cod.*) apostolico invitus et tanquam nescius ductus gressum fixit, et mentis et corporis viribus resumptis, ita coram omnibus dixit: « Certum quidem et manifestum est, reverendi patres, quia sicut privilegium est apostolice sedis consecratio imperialis, ita et Ambrosiane sedis privilegium est electio et consecratio regalis. Unde ratum videtur, ut manus ejus qui benedicit, unguit et prius coronam regni imponit, si presens adfuérit, ut regem representet sancto Petro et ejus vicario sublimandum ad culmen imperii, et ut tante consecrationi verus testis non desit, Ambrosiano testimonio jure possit imperare, qui Ambrosiana consecratione prius didicit et cepit regnare. » Cumque hec regis sententia omnibus placeret, dexteram Ravennati tulit, et suis venerabilibus nuntiis, archiepiscopo videlicet et episcopis, domnum Heribertum archiepiscopum Mediolanensem accersivit, et ad fores ecclesie redeundo ei occurrere paratus fuit, ut pleniter ibi fieret quod deberet, et s. Ambrosius per suum vicarium sui honoris primatum teneret. Set innumera populorum compressione impediente, idem domnus Mediol. archiep. ire nequivit, et sapienter, immo patienter, quod factum fuerat.... Cujus admirabilem pacientiam et s. toleranciam omnes unanimiter laudaverunt, et pari voto et communi consensu consulentes regi persuaserunt, ut ad efficacem observationem honoris s Ambrosii et stabile fundamentum sui imperii, quod ibi jure debuit facere Heribertus Mediol. archiepiscopus, hoc faceret Hardericus Vercellensis episcopus et ejus suffraganeus. Et satis justum et competens visum est, ut vicarius s. Eusebii ibi vicem teneret vicarii s. Ambrosii, ut in discipulo magister audiretur et in filio pater honoraretur. Quorum conscilium regi Chunrado placuit et adquievit, Arderico Vercellensi dexteram dedit, qui imperiali consecratione vicem Mediolanensis archiepiscopi pleniter tenuit, et quod Ravennas temere invadere voluit, turpiter perdidit. Unde Mediolanensis ostensa patientia laudatur, Ravennas vero effrenata insollentia infamis censetur. Facta imperiali consecratione in unum omnes convenere; cumque super hac re in longum protraherent sermonem, auctoritate apostolica synodo indicta 8. Id. Apr. in qua constitutum et confirmatum est primo a domno apostolico, deinde consentientibus omnibus venerabilibus patribus ad eandem synodum congregatis, ut in omnibus negotiis pontificalibus Ravennas nullomodo in eternum se Mediolanensi archiepiscopo preferat; et si forte presumpserit, canonice legi subjaceat, sicut merito debet, qui pacem ecclesie scindere non formidat. Ab omnibus dictum est *fiat!* Et ne ulterius in s. ecclesia hujusmodi appareat divortium, placuit omnibus hoc scriptum fieri in testimonium. Acta et promulgata sunt hec apud urbem Romam, presidente ibi d. Johanne pon ifi e summo universali papa, domno vero Chuonrado imperante, anno imperii ejus 1° feliciter. Bethm.

(71) Rodulfo III.

(72) Sc. altera vice. Sed Arnulfus utramque expeditionem confudit, quod jam Socii Palatini animadverterunt.

Digitized by Google

Longobardorum jubet properare militiam. Ipse vero ex contigua sibi parte obstrusos [109] irrumpens aditus, municipia quæque præoccupat (*An.* 1034) E vicino autem Italiæ cum optimatibus ceteris electi [110] duces incedunt scilicet præsul Heribertus (73) et egregius marchio Bonifatius, duo lumina regni, explorantes accessus illos, quos reddunt meabiles præcisa saxa inexpugnabilis opidi Bardi (74). Per hos ducentes Langobardorum exercitum, Jovii [111] montis (75) ardua juga transcendunt; sicque vehementi irruptione terram ingredientes, ad cæsarem usque perveniunt [112]. Cumque nequirent Burgundiones resistere, dedicionem accelerant, perpetua subjectionis condictione Chuonrado substrati. Et factum est, ut in magna gloria reverterentur omnes ad propria.

9. Per idem tempus mense Junio in die sanctorum Petri et Pauli (*An.* 1033, *Jun.* 29) fervente meridie eclypsis solis apparuit, tribus horis mundo inducens tenebras. Tempore post alio visa est noctu [113] luna colore fuscata sanguineo.

10. Multis igitur prosperatis [114] successibus præsul Heribertus immoderate paululum dominabatur omnium, suum considerans, non aliorum animum (76). Unde factum est, ut quidam urbis milites, vulgo valvassores nominati, clanculo [115] illius insidiarentur operibus, adversus ipsum assidue conspirantes. Comperta autem occasione cujusdam potentis beneficio privati, subito proruunt in apertam rebellandi [116] audaciam, plures jam facti. Quod ubi innotuit præsuli, parat multis [117] consciliis obsistere illorum [118] insidiis. Ubi vero nil proficit, virtute superare contendit. Ac primo quidem bello victi atque pugnando vehementer attriti, exeuntes ab urbe discedunt mœrentes. Quibus mox subveniunt Marciani ac Seprienses (77), pluresque regni commilitones, simul mori simulque parati vivere, præcipue Laudenses, recentis injuriæ memores.

11. (*An.* 1035) Archiepiscopus autem collecto undecumque potuit agmine, non tamen absque suis fidelibus, nititur insequi et universos opprimere. Cumque reniti præsumerent, conveniunt in campo qui dicebatur Malus (78), ab ævo; rectoque [119] malus, quoniam humano fuerat cruore rigandus. Ibi commisso campestri certamine, facta est strages magna interfectorum partis utriusque. Inter quos dum incederet medius, jam dictus Astensis confligitur episcopus (79), pars denique maxima belli. Cujus interitus certaminis factus est terminus [120]. Hic amisso tanto fratre confusus, illi autem occiso tanto hoste securi, recedentes [121] a pugna diverterunt ad propria.

12. (*An.* 1036.) Igitur imminente tanto discrimine, providit archiepiscopus vocare suum a Germania cæsarem, sperans illum futurum auxiliatorem. Veniens autem Veronam imperator (*Dec.* 1037), indeque Mediolanum, honorabiliter die primo suscipitur; in crastinum tumultuante ac vociferante in eum populo, graviter offenditur. Audierant enim, regem Laudensi jure defraudasse Heribertum. Quod augustus [122] dissimulans, Papiam adiit. Ubi cum generale statuisset colloquium, concinnato dolo cepit ac tenuit archiepiscopum, Aquilegensi tradens patriarchæ (80) custodiendum. Ecce Mediolanensis attonita inhorruit civitas, proprio viduata pastore dolens ac gemens a puero usque ad senem. O quæ Domino preces, quantæ funduntur et lacrimæ: Cumque proclamarent assidue clerus populus [123] atque miles, facta est de absolutione conventio, datis obsidibus augusto. Quibus receptis, nichilominus tenuit, tractans perpetuæ dampnare illum exilio. Quin etiam tres alios una die (81) comprendit episcopos, Vercellensem (82), Placentinum (83) et Cremonensem (84). Archiepiscopus vero post menses duos fugam arripuit (85), cui venienti tota occurrit civitas ita ylaris, ut servus domino, mulier non cederet [124] viro præ gaudio cursitantes. Ecce vespertinus urbis fletus subito conversus est in matutinam lætitiam (*Psal.* XXIX, 6).

13. Videns autem se Chuonradus delusum, suum

VARIÆ LECTIONES.

[109] contingua s. p. obtrusos B. [110] c. velut d. i presul enim H. B. [111] Jovi B1. Jovis B2. [112] Conradum *addit* B. [113] nocte B 1. [114] prosperatus 3. [115] latenter B. [116] prorumpunt in a. rebelli B 1. 2. (*hic* rebelles) 1.) [117] prius B. [118] eorum o. i. *Mur.* [119] et recte *Mur.* [120] Inter quos jam d. Oldericus A. episcopus tello confossus occubuit cujus i. belli mox f. e. t. B. [121] discedentes B. *ubi deest* a pugna. [122] conradus B. [123] c. ac p. B. [124] *ita Mur.* crederet 1. 3a. 5. *Loco* Archiepiscopus vero — cursitantes *hæc habet* B. Preterea beatus Ambrosius ecclesiæ suæ precibus exoratus, promeruit a Domino suum liberare vicarium, ignorantibus cunctis et ipso cesare.

NOTÆ.

(73) Postquam domi testamentum condidit, m. Martio 1034; v. Giulini III, 246.

(74) Bard castellum ad Doriam Balteam, viam defendens regiam ab Aosta Eporediam ducentem. Bethm.

(75) Mons major S. Bernardi. Pal.

(76) *Qui omne regnum Italicum ad suum disponebat nutum.* Heinr. III in carta a. 1047, ap. Murat. Ant. VI, 218.

(77) Milites scil. comitatuum Mediolanensi a septentrione vicinorum, Sepriensis et Martisamnensis.

(78) Prope Mottam, qui est inter Mediolanum et Laudem locus. Sigon.

(79) 1035 Herim. Aug.

(80) Popponi.

(81) Sed aliquanto postea, cum Heriberto conjuncti legatos ad Odonem direxissent, teste Ann. Sax. a. 1307.

(82) Ardericum.

(83) Petrum, ut videtur.

(84) Hubaldum.

(85) V. quæ de ea ipse narrat in docum. a. 1040, cui Ardericus ep. Vercell. subscripsit. Campi Piac. I, p. 507; Ugh IV, 105.

Digitized by Google

et rei publicæ palam Heribertum denunciat inimicum. Igitur exiit edictum a cæsare augusto, ut cuncta suæ potestatis regna ad [125] Mediolanum concurrerent impugnandum. Factum est autem ut omnis Italia, universa Germania, convenirent simul ab angulo usque ad angulum. Ac primo quidem impetu quoddam firmum aggreditur municipium nomine [126] Landrianum (86). Quod oppugnans [127] in modico demolitur. Inde [128] applicuit Mediolanum (*Mai.*), tertio ab urbe miliario fixis tentoriis castra metatus. Mediolanenses autem prompti resistere, quæque proxima civitatis muniunt loca. E quibus electi juvenes armis compti, bellis edocti, volantes equis, proludunt telis, cæsarianis [129] insultando militibus, et gyrantes castra clipeo minantur, et asta proximos quosque cædentes. Cumque per dies aliquot hæc exercerent proludia [130], factum est in die sancto dominicæ ascensionis (*Mai.* 19), cæsariani omnes suo cum cæsare castris erumpunt, Teutones in dextro, Itali in sinistro bella cientes. Civibus vero occurrentibus ex adverso, ingravatum est undique bellum, diversis in diversa pugnantibus. In prima fronte nobilis quidam Theutonicus statura procerus, et Wido Italicus marchio signifer regius, inter media tela confixi sunt. Quibus cadentibus multisque aliis in proprio cruore jacentibus, paulatim belli tepescit amor. Demum cæsariani collecto agmine ad castra commigrant. Urbani quoque relictis campis propria tecta requirunt.

14. Igitur recedens ab urbe cæsar, jubet cuncta in circuitu prope longeque vastari loca. Cumque flammis universa consumeret, crebris fulminum ictibus [131] et grandinea tempestate correptus, a cœpto desistens recessit mœrens. Quin etiam Bertaldus, regius a secretis, cujus cuncta fiebant consilio, insanæ mox mentis efficitur. (*Cap.* 14.) De quo cum rex leniri debuerat, magis intumuit, in tantum ut Heribertum adjudicaret propria dignitate privandum. Stabilita igitur deliberatione, præsulatum tradidit Ambrosio Mediolanensis ecclesiæ cardinali presbitero suoque capellano, etsi videntibus, non tamen volentibus episcopis. Quo Heribertus audito, de rege similiter tractat [132] honore privando. Secreta igitur legatione suggerit Oddoni potenti Franchorum comiti (87), ut se favente arripiat regnum Italiæ. Qui [133] nil moratus, utpote regnandi avidus, primo quidem aliquas Alamanniæ partes violenter invadit. Hunc impugnans viriliter dux Gotefredus, vehementi facta congressione in momento prostravit (*Nov.* 15), ejusque [134] caput avulsum humeris fertur augusto in Italiam direxisse. De cetero imperator annuam Mediolani vastationem universos regni primates jurare præcipiens, obstinato animo repatriavit in Sueviam, æger pedibus et cunctis debilis artubus.

15. Interea Pseudoambrosius palam gerens virgam et anulum, ut lupus in abdito clam insidiabatur omnibus modis Heriberto, multis multa cottidie jurando pollicitus clericis atque laicis, in urbe et extra factione concepta. Ubi autem fidelium dignitas perfidorum sensit insidias, deprehensos in crimine puniunt in personis et propriis facultatibus; et sic prævalente Heriberti potentia, evanuit omnis illa fraudolenta præsumptio.

16. Per idem tempus (*an.* 1039) factum est, ut cuncti principes regni simul undique convenirent ad devastandos, sicut regi promiserant, Mediolanensium fines. Prævidens [135] autem archiepiscopus futuram oppressionem, jubet illico convenire ad urbem omnes Ambrosianæ parochiæ incolas armis instructos, a rustico usque ad militem, ab inope usque ad divitem, ut in tanta cohorte patriam tueretur ab hoste. Signum autem quod dimicaturos debebat suos [136] præcedere, tale constituit. Procera trabs instar mali navis robusto confixa plaustro erigitur in sublime, aureum gestans in cacumine pomum cum pendentibus duobus veli candidissimi [137] limbis [138]; ad medium veneranda crux depicta Salvatoris ymagine extensis late brachiis superspectabat circumfusa agmina, ut qualiscumque foret belli eventus, hoc signo confortarentur inspecto (88). Essetque gravis [139] inter urbem regnumque conflictus, nisi novus de morte cæsaris rumor concuteret animos hostium, adeo ut solutis [140] castris certatim resurgerent ita cumfuse, ut collide-rentur ad invicem. Inter quos Parmensis corruens signifer turpiter occubuit.

17. Defuncto autem Chuonrado (*an.* 1039. *Jun.* 4) Heinricus adolescens ejus filius, rex vivente patre creatus, augustus ab omnibus appellatur; vir rei publicæ gerendæ satis ydoneus, qui paterni animi non imitatus affectum, suorum consultu fidelium cum archiepiscopo pacis fœdera stabilivit (*an.* 1040), ab illo deinde fideliter honoratus (89).

VARIÆ LECTIONES.

[125] *deest* B 1. [126] nomen B 1. *ad non* B. 2*. [127] impugnans B. [128] unde vel inde B. [129] cesarinis 1. [130] preludia 3. [131] jactibus B. [132] tractavit B. [133] quo B. 1. *at non* B. 2*. [134] cujusque 1. [135] providens B 1. *at non* B 2*. [136] s. d. 3. [137] c. v. 3. [138] lintheis B. [139] *deest* B. [140] ita 3. 5*. solutus 1. *Horum omnium loco* B *hæc habet:* animos audientium. Percepta quippe rei veritate intenta bello acies libenter quievit utraque, redeuntibus in sua cunctis. Defuncto a. C. *etc.*

NOTÆ.

(86) A Laude non multum abest ad occidentem.

(87) Campanensi.

(88) Bello aptavit Heribertus, quod jam diu exstiterat alias, ut in monasterio Novaliciensi. Cf. Chron. Novalic. II, 10. Cæterum carroccium semper peditum tantum insigne fuisse, non equitum, Ricottus probavit in libro egregio Storia delle compagnie d'Aventura. Bethm.

(89) V. Ann. Sax. a. 1040.

Digitized by Google

18. Pacatis igitur rebus omnibus, intestinum A jurgium bellumque civile succedit, adeo execrandum et lacrimabile, ut præter [141] innumeras bellorum clades immutatus sit status urbis et ecclesiæ. Verissime enim otio civiles nutriuntur discordiæ, et sæpe velut ex adipe prodit iniquitas (*Psal.* LXXII, 7). Nullis itaque exterius adversantibus, in semetipsos exercent odia cives. Factum est autem, ut privato inter se jurgio plebeius quidam graviter cæderetur a milite. Unde plebs dedignanter commota, repente adversum milites in arma consurgit, ipsi autem velut incauti juxta posse resistunt. Inde fomes pulutat odiorum, et partium fiunt juramenta quamplurima. Lanzo quidam [142] ingenuus civitatis miles (90) plebeiæ turbæ favebat instantius, cujus fota juvamine plurimum convalescebat. Hoc indignata B cetera nobilitas, partim tamen suorum amore fidelium, militibus sese consociat. Eodemque [143] tempore multa somnia multaque narrantur in urbe prodigia. Cumque civitas tali penderet in dubio, repentinus auditur in ea clamor modica occasione conceptus. Fit ingens concursus omnium; atrox [144] pugna committitur per plateas et angulos; diu certatur utrimque tectis et culminibus. Demum militum paucitas multitudine circumventa plebeia, undique flammis urgetur et ferro. Unde factum est, ut cum natis et uxoribus propria tecta irati desererent. Quorum ut consuleret rebus archiepiscopus, paucis interjectis diebus ab urbe discessit et ipse (91). Quibus etiam statim fiunt auxilio Marciani cum Sepriensibus.

19. Tali igitur confortati suffragio, consulte providunt sex propinqua urbi munire præsidia, in quibus cum omni cohabitantes familia, firmissimam circumquaque obsidionem constituunt, die noctuque cæde crassantes. Sex enim exeuntes ab opidis, totidem oppugnant urbem assidue partibus. Nec minus civilis turba sæpe portis (92) erumpens, nunc se pugnando defendit, nunc illos ultro aggredi furibunda contendit. Rara namque transit absque sanguine dies. Cumque triennio partes sic bacharentur, utræque vicissitudine quadam quid contra se invicem possent frequenter expertæ, veniunt ab augusto legati, treguam inviolabilem indicentes (93); quam totius regni virtute et conscilio jurejurando confirmant.

20. Eodem tempore archiepiscopus Modœtiæ degens, graviter infirmatur; cumque ægrotaret ad mortem, disposita domo ac bonis omnibus (94) defferri se jubet ad urbem. Ubi cum aliquantis langueret diebus, vitæ præsenti subtrahitur (*an.* 1045, *Jan.* 16.) Sepultus est autem ad Sanctum Dionisium (95), ubi elegans fundaverat ipse monasterium. Providit etiam vivens universis ecclesiæ ordinibus, plures conferens facultates ad præsentium futurorumque subsidia.

21. Hujus in diebus cuidam Genuensis urbis incolæ revelatæ sunt Joannis archiepiscopi sacrosanctæ reliquiæ. De eo quum sufficienter sit dictum, cesset amodo noster ab illo stilus, cote jam tertia subtiliter acuendus.

INCIPIT LIBER TERTIUS[145].

1. Memini dixisse me nuper [146] propter civile jurgium mutatum urbis et ecclesiæ statum. Utrum vero C in melius an deterius [147], dicere non opportuit, cum facta collatione præteritorum ad præsentia,

VARIÆ LECTIONES.

[141] propter B 1. *ex corr.* [142] quidem B 1. *at non* B 2ª. [143] Eo deinde B. [144] mox B. [145] ystoriarum Arnulfi. Illud quod restat, jam lectio tertia prestat. *addunt* 2. B 1.. *at non* B 2ª. [146] men. d. B. [147] in d. 3.

NOTÆ.

(90) *Waldo, qui et Lanzo, notarius et judex sacri palatii*, commemoratur in charta a. 1029. Giulini III, 516; 1034 scripsit testamentum Ariberti, ubi Giul. III, 267, causas affert cur hunc a Lanzone ab Arnulfo commemorato non diversum existimet; 1035 cum misso imperatoris sententiam profert, Giul. III, 517; Apr. 1042 tabulis Ariberti subscripsit, sed a. 1044 desideratur. Sed. m. Nov. 1045 judicio Azonis marchionis interfuit (Murat. *Ant.* IV, 9.); Oct. 1046 cum Arioaldo misso sententiam tulit, Giul. III, 527; Feb. 1057 conventionem Widonis archiep. cum Odone ep. Novar. confecit, Mon. Hist. Pat. Chart. p. 586. Notarii munere etiam Landulfus, non minore loco natus, fungebatur, ut mox videbimus.

(91) Postquam Apr. 1042 Mediolani tabulas dedit, quibus Lanzo subscripsit, ap. Giulini III, 525.

(92) Sc. Sex portæ majores erant, a quibus et civitatis et militiæ divisiones *portæ* dictæ sunt: Romana, Ticinensis, Vercellina, Comacina, Nova, et Orientalis S. Renza. Giul. III, 372.

(93) A. 1043, m. Apr. et Jun., Adalgerius cancellarius et missus regis Comi et Astæ placita habuit, C et Ariberto præsente Papiæ, V. Giul. III, 373-376. Mon. Hist. Pat. Chart., p. 552. Postea rex Augustæ primis anni 1045 mensibus *Langobardorum conventum habuit, et cum iisdem illius regni ordinationem disposuit.* Ann. Altah. 1045. Ibi tunc VIII Kal. Mart. monachis S. Dionysii præceptum confirmationis concessit. Puricell. SS. Mart. p. 489.

(94) Tabulas edidit Puricellus Mon. Ambr. p. 414. Giulini IX, 36. D. Dec. 1044. *Actum suprascr. loco Modœcia.*

(95) Ubi epitaphium ejus adhuc vidit Giulini ediditque III, 391. his verbis :

Hic jaceo pulvis cui quondam claruit orbis.
Tunc Heribertus eram nimioque decore vigebam.
Officio placidi fungebar præsulis archi,
Nunc tumulor servus servorum Christe tuorum.
Pro meritis horum tibi digne complacitorum
Sanguine quæso tuo mihi tu miserere redempto.
Huc veniens lector sibi dic ignosce Redemptor
Et vivens vita requiescat semper in ista.

Obiit anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo quinto, decima sexta die mensis Januarii, indictione decima tertia.

Digitized by Google

facilis fiet inde cognitio. Atque utinam nescirem. Quæ tamen omnia melius scribendo patebunt.

2. Defuncto autem Heriberto (*an.* 1045, *Jul.* 18.) varie tractatur a multis de restituendo pontifice. Heinricus vero [148] augustus jamdictum habens præ oculis Mediolanense discidium, neglecto nobili ac sapienti primi ordinis clero, idiotam et a rure venientem (96) elegit antistitem, cui nomen fuerat Wido [149]. Revera *sustulit eum de gregibus ovium, et depost fœtantes accepit eum* (*Psal.* LXXVII, 70). Huic facto repugnant parum Mediolanenses, sive timore regio seu inter se odio, partim avaritia, quæ, ut sapiens ait quidam agiografus, omne malum primo invexit Italiæ. Et exinde omnia verruntur in pejus. Factum est autem postea, ut in sese conversi unusquisque alter alterum [150] conveniret, suum conferendo obprobrium, necnon civitatis incommodum. Demum post multa consilia mediis sacrosanctis evangeliis conjungunt fœdera pacis, facientes quidem amnestiam, id est abolitionem malorum, quam Athenienses primi fecisse, et sic vocasse leguntur Horosio teste [151] (II, 17).

3. Tempore illo cæsar Heinricus Italiam veniens, celebrato Papiæ synodali concilio (*an.* 1046, *Oct.* 25), Romam tendit, cui papa (97) obviavit Placentiæ, vivente altero ac concedente (98) intronizatus. Facto autem Romæ (99) generali conventu præsulum, visum est regi et episcopis omnibus, papam ipsum injuste tenere cathedram. Quo statim abjecto, unum ex Teutonibus præsulem illius loco substituit, quem mutato nomine Clementem vocavit; a quo etiam coronam suscepit imperii.

4. Tertius ab eo sanctus claruit Leo (*an.* 1048), cujus industria Romanæ status reparatur Ecclesiæ. Qui geminam in Italia synodum devotissime celebravit, Papiæ scilicet (100) atque Mantuæ (101), absente cæsare. Cui cum misericorditer cispliceret oppressio illa vehementis, qua impiissimi Normanni miseram affligunt Apuliam, prædicatione mixta precibus temptat illos a tantis revocare flagitiis (*an.* 1053). Cumque nichil proficeret, armis aggreditur ipsam compescere feritatem (*Jun.* 18), licet illi adversus belli fuerit exitus. Judicia enim Dei abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7).

5. His diebus marchio Bonifacius [152], dum nemus transiret opacum, insidiis ex obliquo latentibus venenato figitur jaculo. Heu senex ac plenus dierum maturam mortem exiguo præoccupavit.

6. Illo autem tempore placitatur imperator in pratis Roncaliæ (102). Discussis vero querelis pluribus, legaliter multa examinat. Ubi marchionem Adelbertum, de quo nimia fuerat proclamatio, cum aliis flagitiosis captum ferreis jubet vinciri nexibus; equidem digne satis. Deinde diebus multis modo cum Ungris, modo cum Leuticiis pro tempore confligebat. De quibus omnibus nobiliter triumphavit, victos tributo coartans. Cujus unum insigne tropheum aurata indicat lancea, Ungrorum regi violenter extorta (103) et Romæ in apostolorum templo suspensa (104). Qui cum insigni floreret imperio, carus omnibus migravit a sæculo (*an.* 1056, *Oct.* 5), relinquens sui nominis puerum, augustæ Agnetis materno gremio confovendum.

7. Hujus regnante infantia, Papienses ab eo ut moris est datum aspernantur audacter episcopum (105); nec regiæ institutioni nec apostolicæ deferentes factæ consecrationi, usque ad obitum spreti perseverando pontificis.

8. His itaque diebus (*an.* 1059), inter ipsos et Mediolanenses de causis civilibus emergit discensio (106.) Fuerat enim civitas utraque populosa, et super regni ceteras inclita. Verumtamen in notitia [153] omnium præstabat Mediolanum. Cumque essent contiguæ, pudebat alteram alteri cedere. Inde erat, quod sibi repeadebant ad inviecm cædes prædas et incendia nec non et latrocinia. Factum est autem ut Papienses, dum inferiores essent, conductis aliunde pretio legionibus ad devastandos Mediolanensium fines accederent, Mediolanenses vero confœderatis sibi Laudensibus in illos insurgerent, licet pars eorum non minima archiepiscopo duce aliis dimicaret in partibus [154]. Conveniunt utræque in campis acies ordinatis agminibus, vexilla in sublime ferentes (*an.* 1061 *Mai.* 23). Fit vehemens partium in se [155] concursus, bachantur certando diutius, divertunt tandem Papienses a bello, adversariis insequentibus illos a tergo. Quibus mox viriliter succurrit conducta extranæorum legio, licet

VARIÆ LECTIONES.

[148] H. v. filius Conradi a. i. h. p. o. desidium M. B 1. B. 2°. *qui* dissidium *habet.* [149] Guido B *const.* [150] a. ad a. B. [151] H. t. *desunt* B. [152] Montisferrati *addunt* 5. 5°. *et in margine manu alia* 1. *In* B. 1. *illud legi, error est sociorum Palatinorum; nec in* B 2°. *habetur.* [153] innocentia B. [154] i. p. *desunt* B. [155] sese B. *Mur.*

NOTÆ.

(96) Id est nec litteris sacris eruditum, nec clero urbano ascriptum. Valvassorum de Velate auctores eum posteriores appellant, quod verum esse potest, nam Arnulfo milites minores non sunt nobiles; v. infra c. 10 et præf. p. 1. Widonis *consanguinitatis affines* commemorantur c. 21, *progenies* c. 20.

(97) Gregorius VI.

(98) Benedicto IX.

(99) Imo Sutrii; sed Suidger Romæ electus est.

(100) 1049, m. Maio.

(101) 1053, Febr.

(102) 1055, Mai. 5, teste charta in Mur. Ant. III, 645. Sed incertum manet num alius placiti ibi habiti Arnulfus meminerit. De Adelberto illo nihil constat.

(103) Cf. Ann. Leod. 1043, Altah. 1045.

(104) Ante confessionem b. Petri, Bonizo p. 801, postea super portam Guidoneam, teste Ciampino, De sacris ædif. c. 4, sect. 10.

(105) Adalricum, cui Henricum Papienses opposuerunt, sec. Robolini, Storia di Pavia II, 54.

(106) Bertholdi Ann. 1059.

Digitized by Google

paulo post cesserit relicto Mediolanensibus campo [186]. Fit strages immensa nobilium equitum, et quarum urbium lacrimabile detrimentum. Implevit denique dies illa veteris idioma vocabuli; dicebatur enim antiquitus campus in quo conflixerant Mortuus [187] (107).

9. Per idem tempus ad instar Papiensium Asteuses quoque datum sibi reprobaverunt episcopum; sed prudentia comitissæ Adeleidæ, militaris admodum dominæ [188], post longi temporis conflictus incensa tandem urbe, contempto altero quem elegerant, priorem suscipiunt.

10. Hac eadem tempestate horror nimius Ambrosianum invasit clerum, insurgente populo noviter in eum, ingruentibus utrimque peccatis. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23) Verum talis hic horror mutata cum aspiratione littera multorum concepit errorem. Cujus initium et seriem, cum res nostris adhuc versetur in oculis, prout possumus enarremus. Finem ipse providerat, qui cum sit alpha et omega, mirabiliter cuncta dispensat. Quidam igitur ex decumanis [189] diaconus nomine Arialdus, penes Widonem antistitem multis fotus deliciis multisque cumulatus honoribus, dum litterarum vacaret studio, severissimus est divinæ legis [190] factus interpres, dura exercens in clericos solos judicia. Qui cum modicæ foret auctoritatis, humiliter utpote natus (108), prævidit aplicare sibi Landulfum, quasi generosiorem et ad hoc ydoneum, familiaris ejus factus assecla. Landulfus vero cum esset expeditioris linguæ ac vocis, nimiusque favoris amator, repente dux verbi efficitur, usurpato sibi contra morem ecclesiæ prædicationis officio. Hic cum nullis esset ecclesiasticis gradibus alteratus (109), grave jugum sacratorum imponebat cervicibus, cum Christi jugum suave et ejus leve sit honus.

11. Igitur inter alia quæ cottidie plebis auribus inculcabat, die una taliter concionatur in populo: « Carissimi seniores, conceptum in corde sermonem ultra retinere non valeo. Nolite, domini mei, nolite adolescentis et imperiti verba contempnere; revelat enim sæpe Deus minori, quod denegat majori. Dicite mihi, creditis in Deum trinum et unum? Respondent omnes: Credimus. Et adjecit: Munite frontes signo crucis. Et factum est. Post hæc ait: Condelector vestræ devotioni, compatior tamen imminenti magnæ perditioni. Multis enim retro temporibus non est agnitus hac in urbe Salvator. Diu est quod erratis, cum nulla sint vobis vestigia veritatis. Pro luce palpatis tenebras, cæci omnes efficti, quoniam cæci sunt duces vestri. Sed numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Abundant enim supra multimoda, hæresis quoque illa symoniaca (110) in sacerdotibus et levitis, ac reliquis sacrorum ministris, qui cum nicholaytæ sint et symoniaci, merito debent alici. A quibus, si salutem a Salvatore speratis, deinceps omnino cavete, nulla eorum venerantes officia, quorum sacrificia idem est ac si canina sint stercora, eorumque basilicæ jumentorum præsepia. Quamobrem ipsis amodo reprobatis, bona eorum omnia publicentur; sit facultas omnibus universa diripiendi, ubi fuerint in urbe vel extra. Nam et ego plectenda plura commisi; sed quod pejus omnium fuit, indignis usque modo communicando Regem cœlorum offendi. Nunc autem propicia divinitate ago pœnitentiam, talia provisurus in posterum. Igitur imitatores mei estote, carissimi, et ita ambulate, sicut habetis formam nostram. »

12. His ita decursis, et pluribus aliis quæ humana non capit memoria, populus semper avidus novorum in nimium zelum excitatur adversus clerum, aliis se

VARIÆ LECTIONES.

[186] l. p. p. c. r. M. c. *desunt* B. [187] mortui B. [188] duc. 1. ducis 3a. 5'. [189] decumanis B. [190] d. honoribus 1. B. 1. *neque vero* B. 2.

NOTÆ.

(107) Nomen vico mansit, inter Mediol. et Papiam sito. Diem indicat Kalend. in Mur. SS. I[b], p. 235; cf. Giul. IV, 48-58.

(108) Andreas biographus ejus Bezonem et Bezam parentes ejus satis nobiles fuisse tradit c. 1, 6. Landulfo tamen humiliores c. 9. Scil. « ex equestri prosapia » erant, teste Bonizone De persec. eccles., p. 805. Postea gens Alciatorum eos sibi vindicavit. Cf. Land. III, 5. Giul. IV, 10. In relatione Petri Damiani commemoratur « Arialdus dictus diaconus de capella Mediolanensis archiepiscopi. » Prædicare cœpit, Andrea c. 33 teste, decimo ante mortem anno, Varisii primo, deinde Mediolani. Ep. Syri ad Andream, c. 36. Vitæ Arialdi.

(109) Nam Landulfo III, 5, teste de notariis erat, itaque nondum subdiaconus, qui ordinum eccl. ultimus est. Ita Wido loquitur in statuto a. 1067: « Perniciosa negotiatio hujusmodi quæ in hac sancta Ecclesia consuetudinaliter obtinebat, ut quisquis ad clericales ordines provehendus accederet, de subdiaconatu quidem 12 nummos, de diaconatu vero 18, postremo de presbyterato suscipiendo 24 quasi per præfixam conditionis regulam daret. » Cf. Alex. II ap. Mansi Conc. XIX, 977. Clericum fuisse ex ipsis Arnulfi verbis c. 13, 16, apparet, sed prædicationis officium notario non competebat. Cæterum Landulfus Cotta a posterioribus appellatus, erat « clericus de urbanis excellentibus tam ordine quam natione, » Andr. Valtumbr. c. 5. « senatorii generis » Petro Dam. opusc. III, 12, frater Herlembaldi, de quo v. infra c. 16. Anastasius, qui et Amizo, f. Herlembaldi, miles sancti Ambrosii, c. a. 1015 ab Henrico imp. missus constitutus est, cum filio Herlembaldo. Hunc fratrum illorum avum fuisse, non sine causa existimat Giulini III, 75, 118.

(110) De hac teste Andrea c. 11, post iter Romanum demum Arialdus verba fecit, « quam eatenus reticuerant. » Quo facto Guido « et pars maxima clericorum et militum, necnon et multi de populo minore nequam viri se cernentes dixere ad invicem: Hæc namque doctrina si ad profectum venerit, nobis nostrisque filiis profecto nullo modo vivere expedit. Quæ enim est nostra vita, nisi ecclesiarum beneficia quæ assidue a nobis venduntur et emuntur? »

Digitized by Google

deferre Deo putantibus, aliis avaritiæ lucris inhiantibus. Ad hæc [161] Landulfus idem simul cum complice Arialdo per dies multos multorum incitat animos, gratia favoralis auræ nova semper et inaudita concionando proponens, prout noverat vulgi morem. Ad cujus compescendam temeritatem majores ecclesiæ sæpe conveniunt, sacras illi scripturas et sanctiones opponentes canonicas [162]. Quæ despiciens omnia, nichilominus instat. Imo die una solempni ad ecclesiam veniens cum turbis a foro psallentes omnes violenter projecit a choro (111), insequens per angulos et diversoria. Deinde providit [163] callide scribi phytacium [164] de castitate servanda neglecto canone mundanis extortum [165] a legibus, in quo omnes sacri ordines Ambrosianæ dyocesis inviti subscribunt, angariante ipso cum layeis [166]. Interim prædones civitatis præter ædes aliquas in urbe dirutas lustrabant parochiam [167] domo clericorum scrutantes, eorumque diripientes substantiam (112). Clerus igitur multipliciter afflictus, legatione humili conquestus est primo comprovincialibus episcopis, deinde Romano pontifici. Præerat tunc Romæ Stephanus (113); qui audita perpendens populum quiescere et archiepiscopum super hac re synodum congregare apostolicis jubet apicibus. Qua fretus auctoritate Wido præsul diligenter studet cœtum convocare pontificum, mandans Landulfo et Arialdo, rationabiliter interesse tractandis.

13. Factus est autem synodalis præsulum multorum conventus, in loco qui dicebatur Fontanetum (114). Ubi cum triduo spiritalibus vacarent [168] negociis, illorum præstolantes adventum, visum est omnibus, temeritatem tantam anathemate justo fore mulctandam. Factumque est ita. Quæ omnia floccipendens Landulfus, cum vereri debuerat, magis extollitur. Ex hinc conviciatur episcopis, præcipue metropolitano, furens solos sævit in clericos, arguens illos suæ suorumque perditionis; laicos vero fovebat [169] ut fratres. Cumque foret simulandi et dissimulandi gnarus per omnia, pluribus dilectus, cuncta suum retorquebat ad libitum, factus ipse mirabile mundo spectaculum. Unde potestate accepta, commune indicit omnibus laicis juramentum, quasi impugnanda proponens sacrorum ordinum stupra et venales consecrationes. Quod non multo post clericos etiam jurare compellit. Ab illo etenim tempore innumerabis virorum ac mulierum caterva illum comitantur euntem, stantemque die noctuque custodiunt. Qui unanimes facti, ecclesias contempnunt et divina spernunt cum ministris officia, asserentes omnia symoniaca. Hos tales cætera vulgaritas hyronice Patarinos [170] appellat (115). Præterea Romam proficiscitur Arialdus, apologeticas ferens litteras (116). Ubi cum Ambrosianum accusaret clerum, affirmans omnes nicolaitas et symoniacos ac prorsus inobedientes Romanæ ecclesiæ, se autem cum Landulfo devotum et pro sola veritate certantem, Romanorum celeriter adeptus est gratiam. Qui cum principari appetant jure apostolico, videntur velle dominari omnium [171], et cuncta suæ subdere ditioni, cum [172] doctor evangelicus suos doceat humilitatem apostolos dicens: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut minister (*Luc.* XXII, 25).

14. Turbinis igitur causa præfati, sæpenumero veniunt Mediolanum a Roma legati, videlicet Hildeprandus ex monacho cardinalis archidiaconus, Petrus Hostiensis, Anselmus [173] Lucensis episcopi, et reliqui plures vice quisque sua (117). Qui si in conveniendo populum diligenter attenderent dicentem apostolum:

VARIÆ LECTIONES.

[161] hoc B. [162] o. ac canones B. [163] providet 3. 5*. B. [164] pytatium B. [165] exortum B. 1. exorto B 2*. [166] lanceis B. [167] parochias B. [168] vacaret 1. 5*. vacassent *Puric. de sanctis p.* 183. [169] favebat B 1. *at non* B 2*. [170] paterinos B. [171] omnibus 3a. B. [172] *pro* cum — dicens B. 1. *habet*: longe aliter jubente evangelio apostolis eorumque sequacibus. Reges *etc. At* B. 2 Cum — minister *omittit, testibus* B 2*. *et Puricello p.* 189. [173] alselmus 1. H. episcopus et Anselmus de Badagio civis Mediolanensis, olim cardinalis ecclesiæ Ambrosiane, tunc vero Lucensis episcopus, et r. p. cum predictis Mediolanum missi sunt. B.

NOTÆ.

(111) Cf. Boniz. p. 805.

(112) Cf. verba statuti a. 1067: « Illos autem omnes clericos et laicos, qui contra simoniacos et incontinentes clericos, ut per rectam fidem ne hæc mala fierent operam darent, juraverunt; et per hoc incendia, deprædationes, sanguinum effusiones, multasque injustas violentias fecerunt; omnimodo prohibemus ne hæc ulterius faciant. » Et Petri Dam. relationem: « Idipsum jusjurandum contra simoniacos et nicolaitas permaxima pars populi non modo civilis sed et suburbani jam dederat, quorum videlicet multitudo millenarium ut fertur numerum jam excedebat.

(113) 2. Aug. 1057 — 29. Mart. 1058.

(114) oppidum in agro Novariensi ejusdem nominis adhuc subsistens. Pal.

(115) « La Contrada de' Rivenduglioli di pnani vecchi, detti da Noi Patari. » Giul. IV, 98, paterinos t. e. pannosos, Bonizo p. 805.

(116) Andreas ubi connubia clericorum vi populi deleta fuisse retulit, c. 8 ita pergit: « Per idem tempus decrevere fideles Romam ad synodum Landulfum mittere, quoniam ut eos mendaciter eorum æmuli accusarent, illo pergebant. » Quo Placentiæ vulnerato Arialdus Romam pervenit. Papa autem « post multam honorificentiam quam ipsi impendit, jussit a quibus sacerdotibus divina mysteria deinde sumeret, et sub inevitabili jussu ei præcepit ad opus cœptum regredi, et tam diu in eo vehementer insistere, donec nefanda opera... aut penitus deleret aut sanguinem... præberet. De synodo nihil habet. Sub Stephano XI hæc acta esse, Landulfus refert III, 11, et Bonizo p. 805.

(117) Hildeprandum et Anselmum cum Arialdo Med. venisse refert Land. III, 13; episcopos a latere cum Hildeprando, qui inde in Galliam perrexerit, Bonizo p. 805.

Digitized by Google

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I, 10), profecto sibi et clero opportune consulerent. Verumtamen Hostiensis ille Petrus (118), congregata tunc Mediolani Ambrosiana synodo (*an.* 1059), ut vidit clericorum nobilium ordinem, personarum statum cultumque vestium, perpendit etiam morum probitates ac dispertita singulis competenter officia, testatus est ad verum, nusquam [174] se talem vidisse clerum. Tamen in præsenti cœtu, quia Romanus erat, archiepiscopo præsidere contendit. Unde subito factus est popularis in urbe tumultus (119), ut nisi cessisset illius humilitas, quod suum erat, fecisset impetum [175], non quidem gratia Widonis, sed Ambrosiani causa honoris. Præterea cum perciperet quorumdam ex clero reatus, servata sibi super omnibus potestate, prout sibi complacuit B culpas dijudicavit. Ut enim caveatur mendatium, non ex toto fuerant omnes ab objectis immunes. Deinde rude constitutum, abolito veteri, Mediolanensi ecclesiæ a se factis indidit litteris; cui archiepiscopus cum ordinariis, cogente ac vociferante populo, subscripsit invitus.

15. O insensati Mediolanenses, quis vos fascinavit? Heri clamastis unius sellæ primatum, hodie confunditis totius ecclesiæ statum, vere culicem liquantes et camelum glutientes (*Matth.* XXIII, 24). Nonne satius vester hoc procuraret episcopus [176]? Forte dicetis: *Veneranda est Roma in apostolo.* Est utique; sed nec spernendum Mediolanum in Ambrosio. Certe certe non absque re scripta sunt hæc in C Romanis annalibus. Dicetur enim in posterum subjectum Romæ Mediolanum. Ecce metropolitanus vester præsolito Romanam vocatur ad sinodum (120). Abiit [177], sed contra vestros affectus prosper fit illi ad cuncta successus. Decibiliter equidem tractatur A ab apostolico tunc Nicolao, cujus dextro potitus [178] est in præsenti synodo latere. Ad quem accusandum cum Arialdus ille delator assurgeret, protinus ex adverso stantes Astensis (121), Novariensis (122) et Tauriniensis (123) ac reliqui suffraganei præsules, coram omni cœtu falsidicum illum scripturarum auctoritate refellunt. Sicque confutatus ab omnibus, resedit in terra confusus. Proinde archiepiscopus cum promitteret domno papæ deinceps obedientiam, accepto ab eo anulo apostolicæ gratiæ ac totius potestatis ecclesiasticæ, rediit gloriosus in omnibus [179]. Interim dum hæc fierent (124), Landulfus Romam adire proponens [180], a Placentinis graviter cæsus et vulneratus revertitur, ultra properare non valens. Post hæc non cessat persequi gravius solito cum clero pontificem.

16. Cum vero placuit Altissimo, qui renes scrutatur et corda, ille qui alienam diu meditatus fuerat lassitudinem, inopinam subito doluit suam ipsius ægritudinem. Cumque langueret biennio pulmonis vicio, vocis privatur officio (125), ut in quo multos affecerat, in eo quoque deficeret, dicente Scriptura: *Per quæ quisque peccat, per hæc et torquetur* (*Sap.* XI, 17). Sed ne mortuos accusare videamur, de illo penitus taceamus, cujus vitæ mortisque ratio divino est relinquenda judicio. Arialdus itaque tali destitutus collega, instigat Arlembaldum [181] assidue, defuncti fratris suscipere (126). Qui cum esset laycus, quasi [182] fraternæ gratia pietatis opus sibi præsumpsit indebitum, Arialdi verbis adeo credulus, ut quos frater flagellis ceciderat [183], ipse percutiat scorpionibus (*III Reg.* XII, 11), *et residuum locustæ comedat bruchus* (*Joel.* I, 4), ad placitum, si quæ [184] sunt clericorum peccata dijudicans. Dum ergo laicus judicat, clericus tantum [185] vapulat.

VARIÆ LECTIONES.

[174] nunquam B. *omisso* se. [175] impetus 3ª B. [176] epo 1 nonne sanctius v. h. procuravit c. B. [177] R. vocatus ad synodum abiit B. [178] positus 3 *Puric. p.* 205. [179] redit in o. g. B. [180] L. ad R. p. B. [181] Herlembaldum B. *const.* [182] *deest* B. [183] occiderat B 1. [184] qua B. [185] clerus tamen B.

NOTÆ.

(118) Nicolai II cum Anselmo functus legatione, de qua amplam relationem postea scripsit ad Hildebrandum, editam ad h. l. a Sociis Palatinis, inter opera ejus vol. III, opusc. 5, in Mansi Coll. Conc. XIX, p. 887. Cf. Boniz. p. 806. Apud Andream nulla horum mentio fit.

(119) De eo v. Petrum l. l. Landulfus tunc in extremo discrimine positus vovit ut monachus fieret. Quod votum persolvere postea detrectantem Petrus Dam. reprehendit ep. quæ inter opuscula ejus legitur 42.

(120) *Sed non longo post tempore congregavit Nicolaus synodum, in qua Guido Mediolanensis episcopus volens nolens sedisse cogentibus Paterinis cognoscitur, ducens secum cervicosos tauros, Longobardos episcopos.* Bonizo p. 806.

(121) Giselinus teste Bonizone.

(122) Otto.

(123) Cunibertus.

(124) Id est, Andrea teste, antequam prima vice Arialdus Romam venit; v. supra cap. 13.

(125) Land. III, 29. Tempus certo definiri vix poterit; cf. Bonizonem p. 807. Alexandri II epistolæ ad Landulfum et Arialdum fragmentum servavit Ivo Decr. p. XII, cap. 24. Mansi Conc. XIX, p. 980.

(126) Etiam Andreas c. 16 auctor est, Herlembaldum mortuo fratre ab Arialdo esse in societatem vocatum. Qui cum multis eremitis et monachis consiliatus, Romam denique perrexit: *ubi sub inevitabili imperio ab Alexandro papa* (ergo post medium a. 1061) *et a cardinalibus ei præceptum est redire, et Christi adversariis in defensione justitiæ usque ad proprii sanguinis effusionem viriliter cum beato Arialdo resistere. Cui etiam ex B. Petri parte mirificum vexillum dedere, ut quotiens hæreticorum vesania ultra modum insaniret, illud in manu tenens eos reprimeret. Quod quam constanter per decem et octo fere annos* (at a. 1075. occisus est) *impleverit, nec lingua plene promere nec stylus meus exprimere est profecto idoneus. Erat enim nobilis Herlembaldus coram sæculo quasi dux in vestibus pretiosis et in equitibus ac armis, sed in abscondito coram Deo sicut eremita agrestis indutus erat laneis*, etc.

Digitized by Google

17. Interea Arialdus inter plures alias quas induxerat in ecclesiam novitates, letanias illas quas Ambrosiani post ascensionem dominicam antiquitus devotissime celebrant[186], suis prædicabat auditoribus exe.r nlas (127). Unde ipso instante triduo dicidentibus inter se turbis, factus est in urbe conflictus. In quo Deo est operante fugatus et victus, cæsis suis et interfectis aliquibus (128). Cujus tamen consultu Arlembaldus præter innumeras quas irrogaverat[187] clero injurias, cum archiepiscopus defuncto abbate sancti Celsi alterum ex more provideret ordinandum, penitus interdicit[188] spreto illo, alterum jam consecratum (129) omnino contempnit, armans contra illum monachorum cum famulis conspirationem. Alium vero a cœnobio sancti Vincentii modo repellit eodem (130), symoniacæ ordinationis arguens illos. Quid plura? cuncta simul usurpat ecclesiastica jura, expulso ab urbe pontifice, cujus fuerat a progenitoribus miles ipse. Mirabile prodigium, nec auditum neque visum a sæculo! Set mirabilius, quod Romanus[189] favet ascensus. Quod quidem multis probatur indiciis, cum sæpenumero mittantur ei legationes et litteræ apostolicis prænotatæ sigillis (131), quibus fatetur, se in suis gestis Romanis[190] obtemperare præceptis. Qua velut auctoritate suffulta ipsa vulgalitas[191] symoniaca occasione divina execratur officia, cum quid sit inter dextram et sinistram, prorsus ignoret. Præterea gloriatur[192] Arlembaldus idem, ab ipsa Roma[193] bellicum sancti Petri se accepisse vexillum contra omnes sibi adversantes. Quod appensum lanceæ, homicidiorum videtur indicium; cum profecto nefas sit tale[194] aliquid suspicari de Petro, aut[195] aliud habuisse vexillum præter quod datum est in evangelio : *Qui vult post me venire*[196], *abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me*, dicit Dominus (*Matth.* xvi, 24). Fideliter, et ideo confidenter loquimur : cavenda est doctoribus absolute prolata Pauli sententia : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* i, 9). Hæc enim dicentes non adversamur vobis, o seniores Romani, cum magister noster dicat Ambrosius : *Cupio in omnibus sequi Romanam*[197] *ecclesiam.* Vobiscum enim credimus, vobiscum cunctas hæreses abdicamus; sed videtur nobis ratum, ut jus ecclesiasticum doctor exhibeat ecclesiasticus, non ydiota laycus.

18. His diebus, declinante jam vere (*an.* 1066, *Apr. Mai*), mensis unius spatio dirum sparsere jubar ardentes[198] in cœlo cometæ; frequentes quoque terræmotus mundo fuere, adeo ut die ipso resurrectionis dominicæ bis fieret, mane scilicet et vespere (152) (*an.* 1065, *Mart.* 27).

19. Præerat tunc temporis Romæ Alexander apostolicus, ex Mediolanensi clero ecclesiæ Lucensis primo factus episcopus; cumque satis foret ydoneus, apostolicam deinde promeruit dignitatem, Alexander de Anselmo vocatus (*an.* 1061, *Oct.* 1). Huic statim surrexit adversarius Cadalous[199] Parmensis episcopus institutione regis ac matris augustæ papa nuncupatus (*Oct.* 28). Qui hostiliter Romam adiit, post multam interfectorum stragem usque ad muros Urbis Alexandri prosecutus exercitum (*an.* 1062, *Apr.*). Tempore post alio (*an.* 1063), quorundam ex Urbe ope et conscilio, Romam quam Novam perhibent ingressus, conscendit arcem Crescentii. Factis igitur in Urbe partibus, cottidie bellis bella succedunt. Ad ultimum post diuturnos variosque conflictus recessit mœrens, confusus et victus, concessa Alexandro victoria. Ad quem de præsenti negotio consulendum Romam profectus est Arlembaldus (133), Arialdo interim furente in præsulem, concitando turbam civilem et agrestem.

20. Definito tandem conscilio rediens (*an.* 1066), excommunicationis litteras detulit archiepiscopo. Quod pluribus[200] grande visum est civitatis obprobrium. Unde factum est, ut in die sancto pentecosten procedens antistes ad publicum conscenderet

VARIÆ LECTIONES.

[186] celebrabant B. *Mur.* [187] erogaverat B 1. [188] a. more predecessorum p. o. p. interdixit B. [189] Quod Anselmi, qui jam Alexander secundus (dicebatur *addit* B 2° *et Puric.*) favet ascensus B. [190] papalibus temperare B. obtemperare *Puric.* [191] *ita* 1 vulgaritas *rell.* [192] gloriabatur 3. [193] ab apostolico Alexandro B. [194] *alia manus supplevit* 1. [195] haud B. [196] ven. p. me 3. [197] R. s. 3 B 2. [198] ardente *Mur.* [199] candolus B. [200] quod a pl. B.

NOTÆ.

(127) De his fuse egit Fumagalli, Ant. Long. Mil. III 229 sq. Jejunia tantum ab Arialdo improbata esse, Andreas refert c. 21, et Bonizo p. 808, qui eum paucis diebus post expulsum esse narrat; cf. Land. III, 30.

(128) Canonicam scil. ab Arialdo institutam diripuerunt. *Hæc ut nobilis Herlembaldus ceterique fideles audiere, sumptis armis in audacem plebem et temerariam irruere; quos protinus sic exterminavere omnes quasi essent vilissimæ pecudes. Im cum virtute magnna et potestate ad ecclesiam majoreo venientes, violenter ab impiis abstulere quicquid de domo Domini rapuerant.* Andr. l. l.

(129) Lanfrancum; v. . lAndr. c. 17.

(130) Hujus Andreas non meminit, sed Ariprandi qui ante a. 1064 mem. S. Ambrosii usurpavit.

(131) Epistolarum clero et populo Med. missarum post syn. Rom. a. 1063 fragmenta v. ap. Mansi Conc. XIX, p. 978, 979. Arialdo et Arlembaldo Petrus Dam. direxit epistolas V, 14, 15.

(132) V. Ann. August. 1067. Cometæ plurimi annalium scriptores meminerunt. V. Ann. Benev., S. Germani minores, Lamberti, Bernoldi, et Bertholdi qui plurali numero utitur.

(133) Teste Andrea c. 23. Arialdus cum neophytos pretio dato a Widone ordinari videret, *litteras per manus Herlembaldi ad apostolicum direxit, quatenus ipse decerneret quid de Guidone adultero et simoniaco atque perjuro fieri oporteret.* Sequentia idem et qui eum exscripsit Anonymus — nam apud Andream hic lacuna hiat — simili modo sed fusius referunt.

Digitized by Google

ecclesiæ pulpitum, questurus quod acciderat incommodum (*Jun.* 4). Cumque staret ex adverso Arlembaldus cum Arialdo, responsurus auditis, fit vehemens in plebe tumultus, diversis diversa clamantibus. Ad ultimum factis [201] in medio ecclesiæ partibus [202], clamoso impetu vicissim in sese consurgunt, cumque per diversa confligerent, remansit pæne solus antistes. Quem pars aggrediens inimica, fustibus crudeliter cæsum et quasi semivivum reliquit; deinde ipsam invadens episcopii aulam pretiosa quæque decerpit. In crastinum (*Jun.* 5) visa tanta crudelitate cives horrescunt mente confusi. Communiter igitur statuunt, aut tantum punire facinus, aut vivere nolle amplius (134). Unde factum est, ut fugiens Arialdus ab urbe diebus lateret aliquot. Cumque diversas erraret per latebras, solis gradiens noctibus, proditus a comeantibus incidit in manus quærentium [203] animam ejus. Quem tenentes et nocte tota illa secum ducentes, facto mane, præcisis auribus et in gutture lingua cum naribus geminoque suffosso lumine, penitus interficiunt (*Jun.* 27). Quo peremplo, dissimulat Arlembaldus modicum, reservans iram in posterum. Favebat enim tunc pontifici pæne civitas universa. Sed more suo populus non diu statu permansit eodem. Mox enim ut præsul ab urbe discedit, ad insequendum illum resumptis viribus impatienter Arlembaldus accedit, fautorem asserens perpetrati flagitii. Iterum ergo ad juramenta convertitur, invitis tamen civibus; et si quos habebat suspectos, acrius jurare compellit. Agrestes turbas et civiles cogit assidue turmas, ad Widonem persequendum antistitem omnemque suam delendam progeniem. Et fecisset utique, nisi generosa suorum fidelium (135) restitisset audatia. Sæpe etenim convenerunt parati subire pro seniore certamen. Nulla interim requies erat prædonum in diripiendis substantiis clericorum.

21. Ad quod sedandum litigium contigit [204] tunc temporis (*An.* 1067), Maginardum [205] episcopum Silvæ candidæ et Minutum cardinalem presbyterum (136) Romanos legatos venisse Mediolanum. Qui dum apostolico præcepto pacem evangelizarent omnibus, consulte satis provident de nece Arialdi fœdus componere. Deinde inter clerum judicantes et populum, eleganti scripto constituunt quid fieri debeat in posterum (137) (*Aug.* 1). Nec tamen his contentus Arlembaldus Romam pergens, iterum novum iniit cum Romanis conscilium. Vetus quippe fuit Italici regni condictio perseverans usque in hodiernum, ut defunctis ecclesiarum præsulibus, rex provideat successores Italicus [206], a clero et populo decibiliter invitatus. Hoc Romani canonicum esse negant, sed instantius archidiaconus ille Hildeprandus, qui cum abolito veteri novum temptaret inducere constitutum, palam fatebatur, haud secus sedari [207] posse Mediolanense discidium quam canonicum habendo pastorem, ad quem eligendum necessarium dicebat Romanum fore consensum. His instructus assertionibus Arlembaldus Mediolanum rediens, quod audierat festinanter exequitur. Prius ergo secreto paucos convenit ex amicis. A quibus cum exigeret sponsionem celandi credita, caute subintulit juramento causam futuri eligendi pastoris post discessum præsentis. Deinde die noctuque laborans, laicos quosque et clericos eidem juramento reddit obnoxios. Interim tamen a persequendo præsulem non desistebat Widonem, omnisque suæ consanguinitatis affines.

22. Archiepiscopus autem cum tot nequiret imminentes tollerare pressuras, ævo jam maturus et diuturno languore membris omnibus dissolutus, arbitratus est fore conveniens, ut quod ille faciendum præviderat, ipse quoque destruendo præveniret; scilicet ut dignitatem propriam alteri se vivente concederet (138). Per idem tempus fuerat quidam ex ordinariis ecclesiæ subdiaconus nomine Gotefredus [208] (139), illius a secretis præ omnibus unicus, qui ex quo domini sui penetraverat mentem, in se transferendum omnimodis satagebat honorem. Secreta igitur facta conventione cum eo præsul, datis communis pacti ex alterutro sacramentis, dignitatem deponit ad præsens, virga cum anulo cæsari per legatos directa. Gotefredus autem cum jam pridem labore multo sibi regis conciliasset affectum, recenti tamen pacto ab eodem augusto gaudens adeptus est præsulatum. Verumtamen juxta scripturæ veritatem mixtus est dolore risus, et extrema gaudii occupavit luctus (*Prov.* XIV, 13). Reprobatus enim a civibus, nullis in locis episcopii vel ad hospitandum recipitur, ipsis etiam factus invisus agrico-

VARIÆ LECTIONES.

[201] facto 3. 5'. B 2'. *et Puric. p.* 242. [202] *ita* B 1. 2'. *Puric. deest* 1. 3ª 5'. *Mur.* [203] querectu 1. [204] contingit B 1. *at non* B 2'. *nec Puric. p.* 248. [205] Marnarelum B 1. Mainardum B 2. [206] ytalicis B. [207] sedare 1. [208] cotefredus 1. gothofredus B. *const.*

NOTÆ.

(134) Pecunia distributa partem Widonis superiorem factam esse, Andreas asserit. Deinde interdicto pronuntiato, donec Arialdus in urbe maneret, hunc ad fugam compulit. De cujus nece v. Land. III, 30.

(135) Capitaneis igitur Wido accensendus erit, nisi hæc de familia S. Ambrosii dicta esse statuemus.

(136) Joannes, qui et Minutus, card. S. Mariæ trans Tiberim, subscripsit bullæ in Tostii Hist. Casin. I, 426.

(137) Ibi judicia laicorum de clericis et deprædationes non minus acriter quam cleri vitia reprehenduntur et in posterum vetantur. Editum est a Sociis Pal. ad h. l. et in concil. collectionibus inter Alex. II epistolas 6.

(138) Cf. Boniz. p. 809.

(139) *Gotofredus subd. de ordine S. Med. eccl. et missus ipsius d. Widonis archiep.* Dec. 1061 negotium pro hoc peregit. Giul. IV, 550.

Digitized by Google

lis. Hunc Romani domno eum apostolico jure statim condempnant canonico, judicii sui litteras Mediolanensibus super illo [209] mittentes. Qua elatus Arlembaldus fiducia, acrius insurgit non solum in illum, verum etiam fautores in omnes, universa flammis ac ferro demoliens; contra quem etiam per vicos et castella multorum exaggerat sacramenta. Unde fit ut, si quando de facultatibus ecclesiæ aliquid præsumere nititur, ab omnibus penitus interdicatur. Ubi vero sanctæ Mariæ conscendit montem (140), circumveniente ab urbe exercitu, nocte vix fuga lapsus evasit [210]. Interea Wido fatebatur se Gotefredi delusum insidiis, communis pacti transgressorem illum appellans. Qui cum amissum resumere [211] valet honorem, cum Arlembaldo pacis fœdera sociavit. O mens cæca mortalium! Veniens enim illo duce Mediolanum, non ad urbem ut voluit, sed ad sancti Celsi ducitur monasterium, de privato factus privatior [212]. Ibi commendatus custodibus, diebus multis resedit inglorius, hac etiam vice delusus [213].

23. (*An.* 1071.) Gotofredus autem pluribus jam coarctatus obstaculis, cum parte suorum aliqua suo se collegit [214] in opido, quod vulgo Castilio dicebatur (141), inexpugnabile revera præsidium, mœnibus ac loci natura munitum. Ex eo sæpius erumpentes, cum supra modum prædis inhiarent ac cædibus, indignati Mediolanenses proponunt arcem illam protinus expugnare turritam [215]. Nec mora, instructo exercitu et his quæ ad usum militiæ fuerant necessaria paratis, procedunt omnes, castrametati ad radicem montis; aberat enim ab urbe vigessimo paulo plus miliario. Mox undique circumvallantes [216], incessanter oppugnant. Ad hoc etiam [217] cunctos regionis illius instant aggregare ruricolas, diuturnam jurantes obsidionem. Construunt [218] ergo petrarias et omnis generis bellici machinas, fundas quoque et [219] ballistas, milleque mortis parant insidias. Obsessis vero ad posse repugnantibus, multa cottidie fiebat cruoris effusio, adeo ut in ipsa quadragesimæ venerabilis observantia nulla fuerit humanæ cædis abstinentia.

24. Hac itaque tempestate cum rarus in urbe populus sua frueretur securitate, repentina calamitas improvidam invasit urbem. Horesco referens; primo namque quadragesimæ sabbato, magno civitas conflagravit incendio (142) (*Mart.* 19). Cumque tunc vehemens flaret turbo ventorum, arreptis ignium globis longe lateque multas combussit ædes, eo usque ut ligna et lapides vorax [220] flama consumeret; aurum quoque et [221] argentum ac metalla cetera calore nimio liquefacta sunt universa. O quæ et qualia domorum hædificia, quamque decora combusta sunt mœnia, de quibus omnibus vix superfuit præter parietinas quaslibet vel titio minimus! Sed quod [222] est omni dampno deterius, plures sanctorum sunt crematæ basilicæ in urbe et extra. Sanctus ipse Laurentius, vivæ carnis olim cruciatus incendio, iterum se flammis permisit exuri; cujus speciosissima omnium adeo fuit ecclesia, ut relatu difficile videatur, quæ fuerint lignorum lapidumque sculpturæ eorumque altrinsecus [223] compaginatæ juncturæ, quæ suis columpnæ cum basibus, tribunalia quoque per gyrum, ac desuper tegens universa musyum. O templum, cui nullum in [224] mundo simile! et o civitas cujus comparatione vilæ fuerant reliquæ! Hebeu! Trenes illæ propheticæ in te fere translatæ videntur. Ubi autem rumor tam dirus castris insonuit, quamplures illico relicta obsidione eunt tenues ab igne reliquias et miseram visitare familiam. Arlembaldus vero cum aliis retenta parte castrorum perseverat obnixius, cottidie belligerare non desinens. Gotofredus autem tribus jam obsessus mensibus, ut vidit tenuem castrorum exercitum, clam vocare suos et caute satis procurat amicos [225]. Cumque paschales instarent feriæ (143), convenientes in unum, instructa acie protinus in castra consurgunt impetu et clamore non modico. Nec minus obsessi ruptis claustris ex omni [226] parte prosiliunt. Arlembaldus autem tanto positus in discrimine, arreptis [227] armis audet cum suis paucis juxta vires obsistere, signifer ipse factus. Et nisi sua suorumque pugnasset audatia, dies illa sibi fuisset extrema. Videntes autem multi paucorum constantiam, ultro recedunt, educentes secum ab oppido Gotefredum. Hos longe persecuti sunt Mediolanenses, conglobati repente simul et qui in castris fuerunt et qui in urbe remanserant; nec a persequendo diebus aliquot cessarunt ac noctibus, donec in summa constrictos necessitate coegerunt [228] illos iterum Castilionem intrare.

VARIÆ LECTIONES.

[209] illos B. illo *Puric. p.* 259. [210] Ubi — evasit *desunt* B. *qui eorum loco habet:* quemadmodum factum est in aliquibus, de quibus narrare per singula longum est, ymo superfluum est judicare (indicare *Puric.*). Interea *etc.* [211] presumere B. *at non Puric. p.* 261. [212] f. est p. B, [213] Hac e. v. d. *ad sequens caput trahit* l. etiam *deest* B. [214] colligit B. [215] currit B l. *deest* B 2°. *et Puricello.* [216] circulantes B. [217] *deest* B. [218] constituunt B. [219] *deest* B. [220] voras l. [221] *deest* B. [222] quoque B. quod *Puric. Mon. Ambr. p.* 461. [223] alteri secus l. intrinsecus B. extrinsecus 3ª. [224] *deest* B. *at non Puric.* l. l. [225] et c. s. caute p. a. B. *at non Puric. de sanctis* p. 263. [226] o. ex 3. [227] ereptis B. *at non* B 2°. *nec Puric.* [228] constructos n. cogerunt B. *at non* B 2°. constitutos *Puric.*

NOTÆ.

(140) Prope Varisium.

(141) Castiglione d'Olona, ut videtur, quod a Varisio 5 m. p. ad austrum distat.

(142) III *Non. Mart.* 1070. *Eccl. S. Laurentii combusta est.* Kal. Ambr. in. Mur. SS. I[b], p. 235; v *Non. Mart. a. D.* 1071 *combustum est Mediolanum ab igne de Castelliono.* Kal. Siton. ib. II[b], p. 1035 De anno v. infra IV, 8.

(143) Post pascha teste Bonizone p. 809.

Digitized by Google

9*. Post [229] hæc redeuntes ad urbem, jurejurando A pastore commemorans, adstante quodam Bernardo delibuunt, Gotefredum numquam recipiendum, imo alterum de catalogo majoris ecclesiæ communiter eligendum. Jam enim migraverat a sæculo archiepiscopus ille Wido (*an.* 1071, *Aug.* 23), sepultus in loco qui nominatur vulgo Berguli [230] (144), ubi post urbis incendium in amaritudine animæ diem clausit extremum. Ab illo etenim die Arlembaldus omni instat conamine, modo cum clero modo cum populo de eligendo agens episcopo, nova a Romanis accepta licentia, spreta vero regum veteri providentia (145), Verumtamen major civitatis portio ex clero ac sapienti populo priscæ consuetudini et regio intendebat honori. Ipse autem neglectis omnibus et juramento communi, solum Romani illius Ildeprandi auscultabat consultum [231]. Jamque dies illa propinquabat, quam ad hoc agendum ipse providerat, sancta scilicet theophaniæ sollempnitas (*an.* 1072. *Jan.* 6). Studet ergo sollicitare præsentes, vocare absentes, clericos et [232] laicos, abbates et monachos, amicam sibi non [233] omittens turbam agrestium. Cumque dies instaret festus, factus est [234] multorum in ecclesia vemali conventus, illis tamen absentibus, cum quibus istam se facturum juraverat electionem. Celebratis itaque missarum solempniis, primo concionatus ad libitum, ac multa de justo [235] legato Romano, eligit [236] Attonem, adhuc tantummodo clericum ac tenera ætate juvenculum, invito clero et multis ex populo, adeo ut stomachati recederent ab ecclesia. Proh dolor! [237] altare sacrosanctum ecclesiæ visum est concuti tunc, ac suo moveri de loco, dum nimia plebis undique comprimeretur instantia. Cumque cum suis Atto ad convivandum pontificalem [238] conscenderet aulam — fucrant enim jam in mensis ampla parata convivia — inflammati cives invadunt repente domum, interiora et exteriora scrutantes. Ipse autem electus noviter cum cameræ unius lateret in angulo, inventus capitur et [239] misere laniatuo; demum per suras et brachia a summis ad ima protrahitur. Qui cum B staret in ecclesia metu mortis altario prostratus, clamante populo ascendit in pulpitum, ibique facto sacramento in auribus omnium, abrenunciavit sedi Ambrosianæ in præsens et in perpetuum. Interea fautores quique [240] sui diversas fugere per latebras; ipse etiam Romanus legatus vix discerptis vestibus laceratus [241] evasit. Ceterum Gotefredus et Atto dielus postea multis [242] remanserunt privati pariter ambo, propriis tantum contenti laribus atque substantiis [243].

INCIPIT LIBER QUARTUS [244].

1. Fixum manebat in corde propositum, in gestis C præsentibus amodo servare scilentium, quoniam nullis hæc audita [245] retro temporibus multorum offendunt graviter animum, sed et dilata diutius modum videntur excedere, cum Dei sapientia Patris juxta scripturæ veritatem in numero, pondere, et mensura universa disponat (*Sap.* xi, 21). Verumtamen in me conversus, denuo ad liquidum cœpta describere commodius judicavi, ut factorum agnita, qualitate certius fieret inde judicium. Omnis enim laus atque blasphemia termino cujusque deputatur negotii, cum tamen incertum sit, utrum dies nostros qui omnipotens est finem dilatet ad illum. Sed fiat voluntas tua sicuti in cœlo [246], et in terra, Pater altissime.

2. (*An.* 1072.) Igitur auditis his quæ Attoni conti- D gerant, præfatus ille archidiaconus Hildeprandus sua, cum cardinalis esset, auctoritate illico juramentum illud violentiæ omnimodis judicavit habendum invalidum. Hunc Romanus adeo verebatur antistes, ut eo inconsulto nichil omnino præsumeret, cum patenter sanctum prædicet evangelium (*Matt.* x, 24; *Luc.* vi, 40), super magistrum non esso discipulum. Unde factum est, ut collecto Romæ cœtu pontificum (146), instante ipso, Attonem juste prædicaret electum, prostrato anathemate Gotefredo. Quæ omnia Hildeprandus suis litteris sæpe jam dicto retulit Arlembaldo. Cui etiam ex suo, quod oppulentissimum habebat, ærario copiosam auri atque argenti fertur misisse pecuniam, ut distributo quibuscumque indifferenter pretio, fautores aggregaret quamplurimos. Non enim latebat illum prophetice dicta sententia : *A majore usque ad minorem omnes avaritiæ studen* (*Jerem.* vi, 13).

3. Interea suffraganei sedis Ambrosianæ pontifices, accepto a rege mandato (147), apud urbem convenientes Novariam, Gotefredo manum consecrationis imponunt, illum prout quiverant roboran-

VARIÆ LECTIONES.

[229] per 5*. [230] Burguli 3. B. [231] *ita* 3. B. consultiri 1. [232] ac B 2. cleros ac B 1. [233] *deest* B. *at* non *Puric.* [234] *deest* B. [235] isto B. [236] elegit B. [237] ecclesia pro dolore. B. [238] pontificatum B. [239] c. discerpitur et B. c. d. ac *Puric.* p. 271. [240] quiaque f. B. [241] et l. B 1. [242] d. p. m. *desunt* B. [243] *Hic desinunt* 5. B 1. (*qui addit :* Deo gratias amen. explicit liber copiarum Arnulfi.) B 1*. B 2. *Sequentia habentur in* 1. 2. 3. 4. 5*. (*qui in margine habet :* Hactenus e cod. rev. capituli Mediol. qui heic finem facit Arnulphi historiæ. Sequentia ex Archintæo codice mss. petita.) B 2*. (*ex eodem cod. Archinteo*). [244] *ita* 2. *ubi adjungitur :* Quartus describit, quod tertius ordo reliquit. *In* 1. *libri omnino non distinguuntur; in* 3. 4. 5*. *hæc ad tertium adhuc librum pertinent.* B 2*. *ex hoc et sequenti quartum librum fecit.* [245] a. b. 3. [246] regio (*pro* in c.) 1.

NOTÆ.

(144) Ubi postea Alexandria ædificata est; cf. Land. III. 18, et catal. archiepiscoporum.

(145) Cf. Boniz. p. 810.

(146) Quem Gregorius VII commemorat in ep. I, 15, scripta Kal. Jul. 1075; cf. II, 30. Attonem juste electum esse dicit ep. III, 8.

(147) Per Rapotum V. Boniz. p. 814.

Digitized by Google

tes, licet præceptio regia multis dicatur impetrata muneribus (148). Constat tamèn regem postea pœnituisse, atque interventorem penitus odisse legatum. Exinde Gotefredus aliqua ecclesiæ studet occupare castella, uni eorum præsidens, quod nominatur Brebia (149). Qui cum paulo ante Leucum (150) invaderet, irruentibus ab urbe militibus violenter edicitur, amisso marchione illo strenuissimo milite, quem loci incolæ rupe præcipitantes ab alta, crudeliter trucidant (*an.* 1073, *Apr.* 21). Dum hæc taliter agerentur, defungitur apostolicus.

4. Cui parvo dierum intervallo (*Apr.* 22) succedit Hildeprandus, mutato nomine dictus Gregorius, in quo revixit Attonis illico spiritus, adeo ut Romam pergens illius sese subderet contubernio. Ipse autem cum priori radicitus inhæreret proposito, indicta Romæ generaliter synodo (*an.* 1074, Mart), cum suis clamavit [247] sacratoribus Gotefredum (151). Cumque ad libitum consuevisset multa disponere, coram omni cœtu præsentem laudavit Attonem absque nutu regio, absente quoque Ambrosiano clero ac populo. Unde inter ipsum et cæsarem videtur ortum hac lite [248] manente dissidium, non illius quidem dampnatione, sed nova hujus et absque dato regis concepta electione.

5. Præterea dum Gotefredus Brebiæ solius immoraretur præsidio, Atto propria neglecta domo ac patria Romæ degebat (152) tantummodo, assiduis papæ mancipatus obsequiis. Cui Arlembaldus apud Mediolanum totis favebat viribus, die noctuque laborans, datis etiam ac promissis muneribus. Insuper omne Gotefredi collegium flammis ac ferro persequebatur interdum, nichil intemptatum juxta posse relinquens; præsertim cum nec regiæ potestati, nec suorum parium aliorumque multorum cederet ullo modo voluntati, Romana tantum fretus atque contentus fiducia (153); ad hoc etiam prorumpens ut Ambrosianæ consecrationis episcopos blasfemaret, asserens apostolice excommunicatos, quorum omne reprobabat officium. Unde fuit, quod sancto pentecostes [249] sabbato fieri prohibuit in urbe baptisma.

6. Postea vero crisma sacrum, quod unus illorum dominicæ cœnæ misterio metropolitanæ direxit ecclesiæ, sicut mos est deficiente pontifice, profusum humi coram omni populo calcibus proculcavit, suum producens in medium, a quo confectum vel unde venerit incognitum. Ac sic [250] postposita sabbati illius autentici a patribus tradita prærogativa, sexta in albis feria (*Apr.* 25) suum fecit celebrari baptisma, quum scriptura prohibeat transgrediendos quos posuerunt patres terminos (*Prov.* xxii, 28). Unde contigit ut paschale gaudium suum nesciret lavacrum, ac multo post tempore plures catecumini baptismi carerent gratia. Quo errore plurima involvitur populi multitudo, partim simplici oculo, partim seducta pretio, partim impunitate quæ patraverat scelerum. Ab ipso enim exordio quicumque scelestus illius adhærebat consortio, carus et insons habebatur ab illo. Quamobrem Patarinorum in tantum excrevit numerus atque virtus in pagis et opidis ac quibusdam duce ipso in urbibus, ut suorum omnium videretur dominari concivium [251] (154).

7. Præterea cæsar Heinricus adolescens jam factus, ut vidit suæ florem potentiæ hoc modo paulatim arescere, inito cum suis consilio, studet hujus ac Romani præsidis [252] obstare conatibus. Dominabatur tunc temporis Apuliæ princeps magnus Robertus ille Normannus. Inter hunc et regem dum super hac re discurrerent nuncii, præfatus papa habita Romæ synodo (*an.* 1075. *Feb.*) paiam interdicit regi jus deinde habere aliquod in dandis episcopatibus, omnesque laicas ab investituris ecclesiarum summovet personas. Insuper facto anathemate cunctos regis clamat consiliarios, id ipsum regi comminatus, nisi in proximo huic obediat constituto. His diebus quam lugubre escidium civitas sit passa Mediolanum, mœrens dico, dicens ingemisco, factus michimetipsi gravis, adeo ut recedat ab animo sensus.

8. Anno humanitatis dominicæ 1075, indictione 13 (*Mart.* 30), transactis quatuor a memorato superius incendio annis, propinquante sanctissimo paschæ festo, secunda videlicet ebdomadis autenticæ feria, miseranda iterum civitas divinam persensit iracundiam, experta quam si horrendum incidere in manus Dei viventis. Celebratis itaque missarum solempniis, urgente [253] jam sole, in urbis apparuit medio densæ fumus caliginis, flante ventorum violentia nimia per aerem volitans, quem sequebatur vapor flammivomus, inter cœlum et terram universa consumens. Siquidem plures velut fulmine [254] faces ab illo maximo et inextingubili erumpentes igneo

VARIÆ LECTIONES.

[247] *ita* (*i. e.* damnavit, *v. cap.* 7.) 1. damnavit 2. 3. cum suis secretaribus anathematizavit. Cumque B 2ª. c. s. sacratoribus G. a. Cumque. *Puric. p.* 290. *qui ablinc cod.* 4. *usus est.* [248] litte 1. [249] paschatis *corr. Leibn.* [250] si 1. [251] convivium 1. [252] *ita* 1. 4. præsulis 3. [253] vergente 3ª. [254] fulmina 3ª. 4. fulminæ *Mur.*

NOTÆ.

(148) Bonizo p. 810.

(149) Brebbia, in com. Angeræ.

(150) Lecco, ad lacum Larium.

(151) Ideo Greg. 7 Dec. 1074 scribit Heinrico regi, *decretum bis synodali judicio firmatum esse;* epist. II, 30.

(152) Bonizo pag. 810.

(153) Exstant Greg. VII epistolæ ad eum I, 25. 26, datæ 7 Sept. et 9 Oct. 1073. Ibi ita eum adhortatur: *Tu confidens in Domino et in matre tua Romana ecclesia viriliter age.* Cf. ep. 27, 28.

(154) Fidem faciunt verba in Gregorii ep. I, 77, ad Beatricem et Matth. directa 15 Apr. 1074: *Guarnerio Argentin. ep.... totum usque ad d. Erlembaldum Mediolanensem ducatum præbeatis, scientes eum per epistolam nostram esse commonitum, ut nullatenus super hac re contra vos aut vestros aliquid moliatur adversi.*

Digitized by Google

globo, totam subito micuerunt per urbem, ut quod civitatis residuum jam dictum illud evaserat incendium, totum pæne flammis adureretur præsentibus, solo tenus conquassatum. Nec tamen ex toto illius ardor iste pepercit ædibus, quæ prius incensæ multis jam fuerant reparatæ sudoribus. Quid enim dici valet ulterius, quam quod ignis hic instar fuit per omnia suprataxati alterius? hoc tamen crudelior, quod multo plures ac majores combussit ecclesias; illam scilicet æstivam ac mirabilem sanctæ virginis Teglæ, beati quoque Nazarii, necnon protomartyris Stephani (155), ceterasque plures, quarum parietinæ annis apparebunt ut reor plus mille. Inter quas aliarum mater sanctæ Dei genitricis hyemalis basilica, o dolor iterumque color [255]! exuri permittitur collapsis funditus parietibus. Cujus sacrosanctum altare non apparet quantum fuerit aut quale, laminæ vero aureæ liquefactæ sunt nimio præ caumate. Set mille talenti auri librorum [256] dampno nequeunt comparari. Hanc quidem peccata nostra merentur ærumpnam, quoniam sancti Spiritus offendimus in nostro felle columbam; contra divinum namque mandatum sanctum est canibus in nostro tempore datum, et spiritalis margarita porcorum jacet pedibus indecenter attrita. Reliquorum non est numerus delictorum.

9. Igitur inter tot angustias tantosque dolores cum tota foret in urbe luctus omnis ordinis et [257] ætatis utriusque sexus, solius Arlembaldi intrepidus perseveralat et infl xibilis animus. Siquidem instantibus paschalibus albis (*an.* 1075, *Apr.* 4), baptismi satagebat sicut præterito fecerat anno, ignoto chrismate inchoare mysterium. Cumque card nales ecclesiæ, quorum intererat sacrare fontes, nollent contra solitum agere, adstat illico Liutprandus quidam presbyter nuncupatus (156), a progenitoribus ecclesiæ vernula, qui jussu ac virtute illius ordinariorum usurpavit officium, venientes inconsulte baptizans. Et hæc quidem violentia recenti juncta civitatis incensæ memoriæ, quamplurimos offendit graviter cives [258], præcipue milites, præ oculis habentes quod quidam Romanus (157) ait tyronibus: *Servi empti ære dura ferre non possunt dominorum imperia, nedum vos, Quirites.*

10. Unde factum est, ut simul diebus aliquot extra urbem exeuntes suam sibi jurarent magna plebis cum parte justitiam et sancti Ambrosii honorem (158), ac dono regis accepturos sese pastorem. Cumque ingrederentur communiter urbem, Arlembaldus ut semper consortis impaciens, astantibus sibi concionabatur more suo. Ut vero cohibere furorem ultrà non valuit, facto cum suis impetu et clamore, festinanter arripit arma, vexillum quod sancti Petri dicebat dextra gerens. Econtra [259] cives dum parte surgunt ab omni, armatus prorupit in medium. Quem in momento ac prima fronte belli tanta adversariorum oppressit incursio, ut nihil memorabile posset ab illo fieri. Ubi vero circumventus est undique, illico crebris configitur ictibus, dictoque citius moriens corruit, comitatu ejus exiguo circumquaque disperso (159). Cujus cadaver exanime prostratum humi discerptis prorsus exultur indumentis, nudatumque fustibus undique tunditur atque petris, ut qui vivens multis terrori fuerat, multorum subjaceret lusibus moriens. Et cum gestaretur humandus, nulla illum exequiarum est prosecuta devotio. Post hæc Liutprandus ille jam dictus presbyter dum fugeret inventus, auribus truncatur et naso, ut qui alienum præsumpsit officium, quod habere videbatur amitteret (160). Apparet igitur [260] liquido vera fore dicentis assertio: *Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Eadem hora post hoc insigne tropheum cives omnes triumphales personant hymnos Deo ac patrono suo Ambrosio, armati adeuntes ipsius ecclesiam. In crastinum simul cum clero laici in letaniis et laudibus ad sanctum denuo procedentes Ambrosium, reatus præteritos confitentur alterutrum; absolutione vero a sacerdotibus qui præsto aderant celebrata, reversus est in pace populus universus ad propria.

11. Hic jam apparet scismatis hujusce terminus, decem novemque per annos semper ab ipsa radice pullulando protensi. Unde Patarinum processit primo vocabulum, non quidem industria, set casu prolatum. Cujus idioma nominis, dum in quodam etymologiarum tomo nuper plura revolverem, ita scriptum reperio: *Pathos Græce Latine dicitur perturbatio.* Unde juxta meæ parvitatis ingeniolum statim conjitio, quod Patarini possunt perturbatores rite nuncupari; quod plane rerum probat effectus. Verumtamen si quando quis probatiori fuerit interpretatus sententia, concedo equidem tota mentis tranquillæ convenientia, dummodo nomen concor-

VARIÆ LECTIONES.

[255] *deest* B 2°. *at non Puricello.* [256] librarum *Mur.* [257] atque 3. [258] civos 1. [259] *Ita* 1. *Puric.* 326 Et contra 3. g. contra B 2°. [260] ergo 3.

NOTÆ.

(155) Ibi in limine novæ basilicæ versus inscripti sunt, a Puricello in libro de sanctis martyribus p. 308 servati:

Flamma vorax prisci consumpsit culmina templi,
Quod specie formæ nulli cedebat in orbe.
Temporibus multis fuerat decus istius urbis.
Omne manufactum recipit post tempora casum.
Corruit omnino, collapsum surgit ab imo,
Sed primi cultum nequit æquiparare secundum.
Plebs spectando time peccatum causa ruinæ:
Te prius ædifices, tunc materiale reformes.
Sis templum Domini, placet illi fabrica templi.

Anno Dominicæ Incarnationis 1075, *indictio* 2 xiii m, *Kal. Aprilis, feria secunda* Incendii etiam Beniz meminit p. 813.

(156) Ecclesiæ Sancti Pauli in Compito. Plurima de eo invenies in Historia Landulfi de S. Paulo, nepotis ejus.

(157) C. Memmius ap. Sallust. Jug. 31.

(158) *Dicentes se integritatem B. Ambrosii velle jurare.* Bonizo, p. 813.

(159) Interfectum per Arnaldum de Rau le dicit Land. de S. Paulo c. 44. Cf. Bertholdum a 1077.

(160) V. Land. de S. P., c. 1, 6, 15, 44.

Digitized by Google

det operi, opus vero respondeat nomini. Quoniam a primo hujus sono vocabuli error populorum impetusque bellorum, turbo quoque ventorum ac vehementius solito turbavit mundum frequentia combustionum. Quod multarum calamitatum experimento, omniumque malorum probatur omnimodis incremento.

12. Præterea quoquo modo se habeat ethimologia vocabuli, quæcumque tamen sunt a nobis re super hac in præteritis recitata, nemo sanæ mentis arbitretur, impugnando veritatem aut repugnando justitiæ fore prolata, cum neutrum liceat. Si qua [261] enim sunt aliorum bene dicta vel acta, non improbamus, nec ullo modo dissentimus ab illis omnibus, qui venales reprobant consecrationes, et sacrorum incontinentiam ordinum, ea tamen ratione ut a Paulo non discrepemus auctore; ait enim : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV, 40). Cui etiam consonat lex illa Mosayca : *Juste quod justum est* prosequeris (*Deut.* XVI, 20). Quod nequit aliter omnino compleri, nisi sua singulis quibusque serventur jura ordinibus ac personis. Dispertita enim sunt clericorum et laicorum, eorumque inter semetipsos officia. Quemadmodum in uno corpore multa quidem sunt membra, non autem eumdem actum possident omnia (*Rom.* XII, 4); quæ si impediantur alterutro, corrumpitur omne corpus. In sancta igitur ecclesia, hoc est in Christi corpore, necesse est ut justo pensentur omnia moderamine. Clerus atque pupulus suo quisque fungatur officio, præfixo sibi contentus limite, dicente Domino : *Circumdedi mare terminis, et dixi : Hucusque venies, et* ultra *non procedes* (*Job* XXXVIII, 10, 11). Cor humanum est mare. Ipsi vero episcopi suis plane vaccent negotiis, *providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (*Rom.* XII, 17), ne dicatur de illis : *Ruina populi sacerdotes mali.* Quod si negligentes extiterint, scandalizabitur [262] populus. *Væ autem illi, per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7). Certissime enim væ erit illis, væ omni crudelius, si eorum culpa plebs in clerum zelans insurget ultorius.

13. Hæc talia persequendo paulatim velut quasdam per rimulas, aliter quam usque modo viderim, a longe prospicio; cumque præteritis præsentia, scriptis scribenda confero, rubore perfusus fideliter erubesco, nec barbarismos in verbis egisse, set aliorum quælibet dicta vel facta temere judicasse confundor, cum soli Deo cordium revelentur occulta. Beatus tamen trepidanti michi Paulus occurrit, qui primo blasphemus ac persecutor fidelium, plus ceteris postea laboravit apostolis, cæcatus ut videret. Petrus vero negavit ut crederet; Thomas dubitavit ut certior fieret; Victorinus quoque Romanus rethor et ætatis provectæ, Simpliciano est conversus auctore. Augustinus autem philosophus Ambrosio doctore salvatur; pluresque alios de malo in bonum, de bono in melius, nunc cito nunc sero novimus esse mutatos. *Hæc* est enim *mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). *Spiritus* Domini *ubi vult spirat* (*Joan.* III, 8), et cui *vult miseretur, et quem vult indurat Altissimus* (*Rom.* IX, 18). Quoniam *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Ib.*, 16). *Tibi* igitur, Christe, *delictum meum cognitum feci, et* injustitias meas *non abscondi. Dixi :* Eloquar *adversum me* injustitias meas *Domino et tu remisisti impietatem* cordis mei (*Psal.* XXXI, 5). De cetero cogitationes, locutiones, actiones nostras quæsumus, Domine, et aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio et a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Cui sit honor et gloria nunc et semper et per omnia sæculorum sæcula.

INCIPIT LIBER QUINTUS [263].

1. Quoniam in prima fronte præsentis opusculi nostri temporis gesta sum narrare pollicitus, absque mendacii nota silere non valeo, præsertim cum sciam lege cautum esse Mosayca : *Si nolueris polliceri, absque peccato eris* (*Deut.* XXIII, 22). Ut autem recto narrationis incedam tramite, necesse est res gestas prout sunt, ordinate describere.

2. Prædictis igitur rebus non plane compositis, sed involutis utcumque, sæpe jam dicti Mediolanenses pro petendo episcopo ultra montes Heinrico regi legationem dirigunt, mandantes Arlembaldicæ interfectionis triumphum. Quo cognito lætatus est rex ille supra modum, quemcumque vellent se daturum episcopum promittens (161).

3. Erat tunc temporis inter regem et Saxones lis acerrima valde, cujus ratio non est nostro discutienda juditio. Verumtamen gens illa admodum ferocissima in rebellionem prorumpit apertam sub Ottone duce, adeo ut facta congressione partis utriusque, plus quam viginti milia hominum referantur occisa. Arrisit tamen Heinrico victoria.

4. Post dies hos ad secessum residens dux Gotefredus Gotefredi filius, gladio confossus interiit, conjuge relicta Matilda, Bonifacii ac Beatricis ad modum clarissima filia.

5. Interea legatis Mediolanensium ex clero et populo re præfata regem adeuntibus, Tetaldus quidam Mediolanensis ecclesiæ subdiaconus capella

VARIÆ LECTIONES.

[261] quæ 3. 4. [262] scandalizabatur 1. [263] *ita* 2 *addens :* Quod autem promissum est a te observabis et facies. *At.* 3. 4. 5ª. *hunc librum quartum dicunt;* B 2ª. *cum præcedente conjungit.*

NOTÆ.

(161) Teste Bonizone rex com. Everardum consiliarium suum misit, qui Roncaliæ curiam congregavit et Mediolanenses ut electo episcopo regem adirent invitavit.

Digitized by Google

militabat in regia (162). Cui rex multa volvens et revolvens consilia, proprio tandem indulgens arbitrio, Ambrosianum tradidit præsulatum, posthabita Gotefredi illius adhuc viventis investitura et unctione, Attonis quoque Romæ tunc [265] degentis electione. Quid plura? Susceptus est præsul ille a clero et populo, utpote novarum rerum usualiter avido. Cui etiam suffraganei idem ipsi qui Gotefredum consecraverant, manum benedictionis imponunt (163). Res quidem mira et cunctis retro temporibus inaudita, ut urbis unius uno electo antistite, sacrato altero, uno eodemque tempore tertius erumpat.

6. Erat tunc temporis Romæ vir quidam nomine Cencius, qui propter injuste possessas ecclesiæ facultates papæ Gregorio fuerat semper infestus. Hic autem pravo usus consilio, nocte ipsa nativitatis Dominicæ (*an.* 1075, *Dec.* 24), cum in basilica sanctæ Theotocos pater ille sanctus, matutino juxta morem peracto, nocturnæ missæ celebraret officium, cum gladiis et fustibus et conjuratione magna suorum, ense nudo ad capiendum papam violenter irrupit ecclesiam, instar Judæ Dominum nocte tradentis. Cumque per diversa quæsisset, invenit juxta altare Domini sacerdotem mysteriis salutaribus intentum. In quem violenter irruens distraxit ac dilaniavit quamplurimum, impositumque equo suam usque perduxit ad turrim, clausum custodiens. Facto autem diluculo, cum tam detestabile displiceret omnibus facinus, consurgunt omnes in arma Romani girantes turrim, nec a bello desistunt donec agnum lupi faucibus eripiunt, turre dirupta et omni facultate direpta. Verumtamen humanæ divina successit ultio. Siquidem anno illo mortuus est Centius faucium ulcere suffocatus, quemadmodum Judas proditor nexu laquei strangulatus.

7. Per idem tempus quorumdam suorum hortatu contra papam rex erexit sese [265] Gregorium, adeo ut nullam sibi defferet [266] obedientiam. Præsul vero Romanus sæpenumero paratus ignoscere, clementer universa tractabat, regiam diu præstolando ac multis monitis invitando conversionem. Cumque nichil omnino proficeret, illum cum suis fautoribus a sanctæ matris Ecclesiæ segregavit (*an.* 1076, *Feb.*) communicando [267] luminibus, tenore tamen futuræ dignæque conversionis proposito. O infelicia tempora, in quibus nostris exigentibus culpis contra se ipsam pugnare sancta videtur Ecclesia, quam Veritas sic ipsam laudando commendat: *Una est columba mea, amica mea* (*Can.* VI, 8). Quæ si una est et amica, quomodo scindi ac [268] sibimet debeat inimicari, non invenio. Jesus Christus duo sunt unius personæ vocabula, unde liquido comprobatur reges ac sacerdotes, christos scilicet Christi unius debere consensu. Quid ergo? Numquid errat uterque? Absit. Romana certe numquam errasse perhibetur Ecclesia, ex quo divina voce dictum est Petro: *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret* [269] *sicut triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 31). A Romana ergo ecclesia quicumque dissentit, non est revera catholicus, quemadmodum beatus ait Ambrosius (164). Nonne ipsi hæc ista legerunt episcopi? et si legerunt [270] cur contra Romanum præsulem adunati Placentiæ, de ore proprio conjuraverunt? Cur postea Papiæ convenientes injustum anathema, imo invalidum sibi conclamaverunt, justa prophetiam (*Is.* V, 7), non justitiam, sed clamores facientes? unde justissime apostolico sunt mucrone perfossi. Respondeant, ut solent, regio se obedisse mandato. Sed quid dicit Scriptura? *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Item: *Reddite quæ Cæsaris sunt Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII, 21). Et alibi: *Deum timete* [271], *regem honorificate* (*I Petr.* II, 17). Non ergo debetur honor regi, nisi præcedente justo timore Dei.

8. Eodem tempore gens Teutonum illa barbarica, præcipue duces Bertaldus, Rodulfus, et Welfo [272] cum comitibus et episcopis, cognita excommunicatione Romana, a regio prorsus se subtraxere consortio, in nullo communicantes. Insuper in multis accusantes eum criminibus infamia denotabant. Interim consilio sanctissimi Cluniacensis abbatis (165), Agnetis quoque regiæ matris, nec non sapientissimæ jam dictæ Matildæ, statuitur generale colloquium inter ipsos regem et apostolicum, pacis ac justitiæ causa. Cumque exiret ab Urbe papa profecturus Alamaniam (*an.* 1077, *Jan.*), Matildæ fretus juvamine, venit Italiam. Cumque moraretur ibidem, multis ab ea cumulatur honoribus ac hominibus. Cui festinanter occurrit Henricus, declinans statutum in patria sua colloquium. Fuerat comitissæ opidum Canossa nomine, multis mœnibus ac loci natura circumquaque munitum inexpugnabile revera præsidium. Ubi præsidente [273] apostolico (*an.* 1077, *Jan.* 25), rex nudis incedens pedibus, humi prostratus, post multas lacrymas promeruit veniam suorum juramenta [274] fidelium pacta confirmans, sub conditione justitiæ faciendæ. Sic Matildæ magna prudentia consolidata sunt pacis eorum fœdera invitis episcopis ac in lite manentibus.

VARIÆ LECTIONES.

[265] *deest* 3. [266] se 3. [267] *ita pro* deferret 1. excommunicando *Puric. p.* 323. [268] q. scindica s. 1. q. scissa s. 3ª B 2ª. *et Puric. l. l. p.* 324 *ex* 4. [269] cribaret 1. [270] legeret 1. [271] timere [272] Welfe 1. [273] prævidente *Mur.* [274] juramento *Puric. p.* 336.

NOTÆ.

162) Hæc aliter narrat Bonizo p. 813, Tetaldum cum legatis ad regem missum esse affirmans. Sed Landulfus IV, 1, eum prælio ad Unstrodam interfuisse indicat.

(163) Negiecta ep. Gregorii d. VI Id. Oct. [*al.*, Dec.] 1075, qua ne id fieret vetuit; Tedaldum ipse ad synodum Romam vocaverat; v. ep. III, 8, 9.

(164) Cf. de excessu Satyri I, 47.

(165) Hugonis, Cf. Lamb. an. 1077.

Digitized by Google

9. Recessit [276] a compositis, cum se sentiret Mediolanensium populus Tedaldi præsulis societate cuppabilem, divina prohibente lege communicari excommunicato. Missis [276] domno papæ legatis solutionem implorant. Cui legationi ipse ego interfui, de præteritis satisfaciens, in futuro castigari promittens. Papa vero sapienti usus consilio venerabiles viros Lucensem (166) et Ostiensem (167) episcopos direxit Mediolanum, daturos veniam quibuscumque poscentibus. Ubi vero ingressi sunt urbem, lætata est civitas universa. Qui toto illo triduo confluentibus ad eos civibus divina prædicantes eloquia, cunctos absolventes [277], benedicunt universos. Quod Tedaldus indigne satis ac moleste tulit, adeo ut seditionem in populo bellumque conaretur inferre; sed minime A valuit. Interea præfati duces Teutonici, comites et episcopi illis in partibus de sua inter se ipsos concordia ac statu regni, novi quoque regis electione cottidie tractare non cessant, asserentes Heinricum multis ex causis diademate indignum.

10. Ad ultimum vero convenientes Maguntiæ (*Mart.*), omnium consensu Rodulfo duci regni jura committunt, jurejurando cuncta corroborantes. Quo audito rex [278] vehementer in semetipsum turbatur; degebat enim Papiæ, et congregans omnes quos habere poterat Langobardos, Veronam proficiscitur, ibique [279] valefaciens omnibus, reversus est patriam, pro tuendo regno usque ad mortem pugnaturus. Papa vero diebus aliquot moratus in Italia, Romam rediit, ingenti Romanorum susceptus lætitia [280].

VARIÆ LECTIONES.

[276] reprsit 1. repressit 5*. repressit se B 2*. manentibus. Cum autem se s. 3a. *quod rectius esse, et verba* r. a. c. *sententiæ cujus pars periit apodosin esse arbitror. Puricellus Mon. Ambr. p.* 464 *hæc ita dat ex cod.* 4. Repressit (*De sanctis p.* 336. R. se) a. c. c. sentiret M. populum — missis d. p. l. s. implorasse. W. [276] m. igitur *Mur.* [277] absolventibus 1. absolvunt *Mur.* [278] r. Heinricus 3. [279] ubique 1. 5*. [280] *hic in codd.* 1. (*manu eadem, calamo continuo*), 2. (*teste Muratorio manu alia, recentiore*) 3. 4. 5*. B 2*. *sequuntur verba quæ infra ante catal. archiep. dubimus, nam hic loco alieno posita sunt, nec ut videtur ab Arnulfo scripta.*

NOTÆ.

(166) Anselmum.
(167) Giraldum. Cf. Bernoldum et Bertholdum an. 1077. V. Anselmi c. 3.

ANNO DOMINI MLXXIX.

THEODORICUS

PADERBRUNNENSIS CANONICUS

NOTITIA IN THEODORICUM.

R. P. Pez, *Dissertatio isagogica* in partem I tomi II *Thesauri Anecdot.*, pag. IV.)

Ætatem et dignitatem hujus auctoris, qui hactenus omnibus incognitus fuit, ostendit nobis sola perelegantis et gravis opusculi ab eo editi inscriptio: *Scriptum Theodorici, Paterbrunnensis canonici, de Oratione Dominica, quod ob memoriam Immabi venerabilis episcopi, instinctu reverendi sacerdotis Reinboldi, per gratiam S. Spiritus edidit.* Successit Immabus in episcopatu Paderbrunnensi Rudolpho seu Ruthardo circa annum Domini 1052. obiitque post instauratum ab incendio monasterium Abdinckhosense anno 1077, si probus est calculus Gabr. Bucellini Germaniæ Sac. parte I, pag. 20, ubi non *Immabum*, sed *Imadum* vocat. Cum itaque Theodoricus *in* ejus *memoriam* hoc scriptum ediderit, verosimile est id circa annum 1079 compositum fuisse. Nec plura de Theodorico aliunde nosse licuit. Ipsum vero ejus scriptum coæva fere manu exaratum reperimus in codice membraneo majoris formæ in bibliotheca Claustroneoburgensi, unde hujus dignissimus præfectus A. R. D. Eugenius Pyrckbauer id erutum, nostro Thesauro inserendum dedit. Libellus hic quidem perbrevis est, sed, nostro judicio, pluribus de hoc argumento recentiorum voluminibus præstat. Notatu digniora videntur quæ capite 5 et 6 de fide ac pœnitentia Christiana tradit, ubi etiam adversariis, si quos nova quorumdam sacræ Scripturæ locorum interpretatio sibi excitatura esset, non illepide respondet, eosque cavere jubet, *ne de gratia Spiritus sententiam præcipitent. Confido enim*, inquit, *eumdem Spiritum, qui divisit aliis pro sua voluntate, et mihi quoque, prout voluit, divisisse. Non est omnibus nobis idem intellectus, sicut non omnibus membris idem actus*, etc. Quæ iis inculcanda sunt, quibus omnia, a recentioribus excogitata et inventa præ veteribus sordent, quasi divinus ille Spiritus, qui adolescentem Ecclesiam docuit, senescentem deseruisset. Prudentum virorum est non quam vetus, sed quam verum quodpiam dictum vel scriptum sit, quærere. Sed de his alibi

Digitized by Google

THEODORICI

COMMENTARIO

IN ORATIONEM DOMINICAM.

Prodit nunc primum in lucem ex cod. ms. inclytæ canoniæ Claustro-Neoburgensis in Austria, ord. Can. Reg. S. Aug. opera adm. R. D. Eugenii Pyrcklbauer, ejusdem loci canonici et bibliothecarii.

(Pez, *Thesaur. Anecd.* II, II, 57.)

Scriptum Theodorici, Paterbrunnensis canonici de Oratione Domimica, quod ob memoriàm Immabi venerabilis episcopi, instinctu reverendi sacerdotis Reinboldi, per gratiam S. Spiritus edidit.

CAPUT PRIMUM.

De petitione prima : « Pater noster, qui es in cœlis. »

Patrem misericordiæ nostrum esse patrem cum rationibus, tum auctoritatibus, utrisque sancte ac reverenter suscipiendis, evidentissime comprobatur. Ait enim Vas electionis, contemplator arcanæ in cœlo veritatis : *Deo et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Et alibi : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro.* Quis enim adeo exhausti pudoris, quis adeo impudens irrisor veritatis, quis adeo pertinax assertor falsitatis, qui non acquiescat, si nos filii sumus ejus, eum esse Patrem, nos autem filios? Scriptum est enim : *Filii Excelsi omnes.* Et rursum : *Venite, filii, audite me.* Nonne enim hæc nobis carnali Israel obtectis et obsignatis usque ad reve'ationem capitis nostri Jesu Christi, eodem velamine obvoluti, sunt annuntiata? Ergo ipse est Pater, ipse quoque possidet nos per charitatem suam, fecit ex nihilo per potentiam suam, creavit nos in bonis operibus per gratiam suam. Hinc Apostolus ait : *Ipsius,* id est *Dei, factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Nunquid ergo non ipse est Pater, qui possidet, et fecit, et creavit nos? Christus quoque Dei sapientia, Dei Filius, Dei conscius : *Estote,* inquit, *perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Ipse ergo Jesus Christus percontantibus discipulis suis de orationis modo : *Sic,* inquit, *orate : Pater noster,* et reliqua. Igitur instructione Christi fundati, clarorum virorum testimonio ædificati, nullam rapinam arbitrantes in oratione nostra, animamur clamare in Spiritu sancto : *Pater noster.* Paulus enim ait : *In quo,* id est in Spiritu sancto, *clamamus : Abba, Pater.* Quis enim Omnipotentem tam familiari nomine *Patris* appellare in suo spiritu præsumeret? *Qui es,* id est qui perfecte et singulariter subsistis. Dictum est Moysi : *Qui est, misit me.* Quis misit Moysen? Nonne Deus? Ergo *qui est* Deus est, et alibi : *Ego sum qui sum.* Quis hæc loquitur, nisi Deus qui est? ergo Deus est. Quod autem *esse* tam creaturæ quam Creatori secundum vocis formam communem specialiter Creatori assignatur, eo modo locutionis fit, quo multa communia uni soli participanti pro A reverentia excellentiori attribuuntur. *Deus* enim tam veri, et in omnes divitis et omnipotentis, quam falsi et egeni, et impotentis simulacri nomen est. Sed *Deus* cum dicitur, verus intelligitur. *Dominus* quoque, tam Creatori quam cuidam creaturæ commune, cum effertur, intellectus noster pro reverentia ad Creatorem trahitur. *Justus* quoque et *sanctus* cum dicitur, ipse intelligitur. Hinc psalmus ait : *Mirificavit Dominus sanctum suum.* Et alibi : *Justus autem quid fecit? Filius* quoque est commune, sed cum per se dicitur, Filius Dei intelligitur. Unde ipse ait : *Si vos Filius liberaverit.* Hoc quoque locutionis modo cum *Apostolus* simpliciter effertur, Paulus intelligitur. Igitur cum Divinitatis *esse* sit ante omne esse, excellens omne esse, condens omne esse, gubernans B omne esse, prærogatione assignationis sublimitatem Dei glorificamus, Deum intelligentes cum dicitur, *qui es.* Et hæc ratio in hac re satis sit pro brevitate, quamvis aliæ quoque possint accedere. Ipsius enim esse singulare est, non conventu partium junctum, sed quidquid in eo est Deus est, et Deus est ineffabiliter quidquid in eo est. In creaturis vero non se sic habet. Hominis enim essentia, ex anima et corpore juncta, in easdem rursus resolvitur, nec quidquid in hac essentia est homo est, nec homo est quidquid in hac essentia est. Non est enim homo anima, nec anima homo; idem in reliquis. Hinc Boetius ait : *Nulla res est id quod est,* id est, nov omnia esse convertibiliter quæ in sua essentia sunt. Congrue vero in ipsius orationis primordio esse eum C confitemur, id quidem edocente Jesu, ne velut insipiens diceremus in corde nostro : *Non est Deus.* Hinc Paulus ait : *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* Est enim primum fidei fundamentum suæ existentiæ confessio. Frustra enim de eo quidquam crederemus, nisi de suo esse certi essemus, qui condidit omnia, quem glorificant omnia. Unde subjungitur :

CAPUT II.

De petitione secunda : « Sanctificetur nomen tuum. »

In cœlis sanctificetur nomen tuum. Id est ab his qui in cœlis sunt glorificetur adoretur potentia tua

Digitized by Google

Beatos spiritus angelorum, quos diversis nominibus appellamus, conspectui Dei credimus assistere, et eos gloriam Divinitatis contemplantes et in eo semper exsultantes, eum laudare et incessanter sanctificare. Animas quoque beatorum hominum, nexibus corporis, absolutas, angelorum consortio interesse, et laudem et gloriam Creatoris, Redemptoris, Propitiatoris, concelebrare. Quæ enim in carcere corporeo alligatæ, ad eum tamen suspiraverunt, et obtutum suum utcunque per ænigma videntes, in claritatem ejus direxerunt, et potentiam, et virtutem, et gratiam ejus glorificaverunt : quanto magis nunc resolutæ, et eo fruentes, et facie ad faciem contemplantes, nomen suum credentur magnificare? Igitur nostram devotionem Deum glorificandi ostendentes, optamus et petimus ut hi qui assistunt ei, qui eum ut est contemplantur, qui eo feliciter perfruuntur, conlaudent eum et conglorificent. Ac si aperte dicamus : Quia nos, in hac fragilitate et corruptione detenti, te, Pater æterne, perfecte laudare non possumus, ab his spiritibus laus tua perficiatur, quos tibi adhærere indissolubiliter voluisti, et quas animas de hac cænolenta inhabitatione puras et ad serviendum tibi liberas exemisti. Unde cum magno desiderio per nos etiam hanc laudem perficiendi subjungimus :

CAPUT III.

De petitione tertia : « Adveniat regnum tuum. »

Adveniat regnum tuum. Sancta Ecclesia regnum Christi est, cujus ipse princeps erit, quousque inimicos suos partim per gratiæ electionem, partim per reprobationem pedibus suis subjecerit. Hinc Paulus ait : *Oportet illum;* id est Christum, *regnare, donec ponat omnes suos inimicos sub pedibus suis.* Qua subjectione consummata, et a sapientissimo rege regno sapientissime ordinato, tradet, illud Deo Patri in tempore novissimo, ut Paulus ait : *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri.* In quo regno a Deo Patre suscepto nos comprehendemus, ut nos modo comprehensi sumus; cognoscemus, ut modo cogniti sumus, cujus modo perfectionem non habemus. Hinc Paulus ait : *Et si quid aliter sapitis, et hoc quoque vobis Deus revelabit.* Id est : si perfecte Deum Christumque suum non intelligitis, qui dedit id quod tenetis, ipse in regno illo revelabit residua perfectionis. In hoc quoque persecutiones hominum non pertimescimus, fame, siti non arescimus, frigore non torpescimus, nec erimus servituti carnis obnoxii, sed in laude Dei liberi; nec antiquus hostis insultabit, cum Christus, ut Paulus ait, *omnem principatum et potestatem et virtutem evacuaverit.* Cum ergo, adveniente Dei Patris regno, de omni necessitate eximamur, et omnis gratiæ perfectio nobis conferatur, ut et in nobis qui, corruptione carnis impediti, voluntati suæ per omnia subservire non possumus, sicut illi quos jam in arce cœli constituit, voluntas sua fiat, quid potuit petere, quid amplius desiderare oportet quam hujus regni adventum? Propter quod subinfertur :

CAPUT IV.

De petitione quarta : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. »

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Ac si dicamus : Propterea, sempiterne Pater, regnum tuum optamus advenire, ut et nos, qui in terra sumus, tales efficiamur qui a tua voluntate non excedamus, sicut nec illi excedunt qui sunt in cœlo, id est, Christus ipse Filius tuus, Dominus noster, et qui cum eo sunt omnes sancti. Et potest hujus litteraturæ talis esse continuatio : *Adveniat regnum tuum,* subaudis, ut *fiat voluntas tua,* et reliqua. Verumtamen non incongrue membrum unum per se accipitur. *Fiat voluntas tua.* Prius enim optavimus sæculum istud consummari, regnum Ecclesiæ Deo Patri a Filio tradi. Quæ cum fiunt, sanctis gloriæ sempiterna exaltatio, et contaminatis criminaliter pœnæ indeficiens humiliatio. Igitur Joannes, fidelis apostolus et eruditor, sciens nobis adventum illius regni offuturum nisi in diebus carnis nostræ in nobis voluntas Dei fieret, subjungit statim illud esse petendum. Fit autem in nobis voluntas Dei, cum et sancti et immaculati sumus in conspectu ejus. Hinc Paulus ait : *Est enim voluntas Dei sanctificatio vestra,* quæ tum perfecta erit cum per mundæ cogitationis armaturam contrarias pestes e spiritu nostro proturbaverimus, et inquinamenta superbæ carnis per continentiam delimaverimus; et contumaciam illius sub pede tandem perfectæ castitatis proculcaverimus. Hinc idem ait : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritu perficientes sanctificationem.* Hæc jam in his perfecta est, qui per fidei armaturam incursanti hosti se opposuere, et eo victo, imo conculcato, ad palatia summi Regis sui ducis rediere, et coronas præmiorum, virgam perpetuæ libertatis cum exsultatione suscepere; magno tamen consilio Dispensatoris summa adhuc subtracta præmiorum sine murmure et impatientia emeritorum. Qui enim hinc ad cœlos commigraverunt, partem beatitudinis perceperunt, in cætero nos exspectantes, ut simul omnibus consummatis, et simul exsultantibus, talis lætitiæ concentus in domo æterni Regis et sponsi oriatur, qualis decet incomprehensibilem majestatem, familiam omni decore fulgentem, sponsum in omni castitate procedentem, virginem immaculatam in amplexus ejus occurrentem. Hinc Paulus ait : *Hi non acceperunt repromissionem melius aliquid providente Domino pro nobis, ne sine nobis consummarentur.* Melius enim erit omnibus nobis, cum et pro nostra et pro aliorum beatitudine simul invicem communiter exsultabimus. Igitur cum dicimus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra,* id obsecramus uti nos, qui adhuc in castris militiæ fidelis impetimur, sancti et immaculati conservemur, sicut illi spiritus qui claritati vultus ejus assistunt, prout hæc terrena cœlestibus comparari valent. Nihil enim hic consummationis comprehenditur, sed per arrhabonem gratiæ spiritualis hic perceptæ ad perfectionem persequimur. Hinc Paulus ait : *Fratres, non arbitror*

Digitized by Google

me adhuc comprehendisse : sequar autem, si quomodo comprehendam. Porro ad sanctitatis consummationem fides, quæ bonorum omnium est initium, summe est necessaria, per quam et patribus præcedentibus, et fratribus præsentibus, et filiis successuris conferetur justitia. Hinc scriptum est : *Justus ex fide vivit*, id est, justus est. Quapropter Dominus Jesus fidelis eruditor, et omnium in salutem nostram operator, quomodo eam peteremus edocuit dicens :

CAPUT V.

De petitione quinta : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. »

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panis enim, id est sustentatio, quem hic petimus, fides intelligitur. Per hanc vero in sæculi ætate prima Abel justus, et Enoch Deo placens salvi facti sunt. Noe quoque caput ætatis secundæ, suaque domus, per fidem hæredes justitiæ sunt instituti. Eadem quoque patriarchas tertia ætate insignes in promissionis gratiam subvexit. Quartæ ætatis Moysen, quintæ David principes ipsa coronavit. In sexta vero, quam ipse auctor omnium initiavit, et præsentia sui condecoravit, apostoli et eorum imitatores per fidem participes Christi sunt effecti. Atque in omni ætate sæculi, quotquot justi, per fidem justi, quotquot salvi, per fidem salvi : *Sine fide enim impossibile est, quemquam placere Deo.* Porro sex discretiones istæ sæculi et septima interminata, vacans omni operatione laboris, hebdomadæ per dies sex ad opus, septimam ad requiem destinatam, distinctioni similes sunt. Cum ergo *panis* iste, id est fides, quæ est sustentatio et firmamentum ad salutem in omni die, id est ætate sæculi præcedente, fuerit necessarius, jure eum quotidianum appellantes, a Deo Patre erogari *hodie*, id est hoc gratiæ tempore flagitamus; ac si aperte dicamus : O Deus Pater, fidem nobis da in hoc gratiæ tempore existentibus, qua Patres nostros omnes refecisti, quos ad gloriam tuam in æterno regno tuo præordinasti. Si quis autem forte ista legerit, et in aliquo tractatore sacri eloquii eadem aliter exposita meminerit, non tamen ista præjudicet, de gratia Spiritus sententiam non præcipitet. Confido enim eumdem Spiritum, qui divisit aliis pro sua voluntate, et mihi quoque prout voluit, divisisse. Non est omnibus nobis idem intellectus, sicut non omnibus membris idem actus. Hinc Paulus ait : *Alius sic, alius autem sic.* Et quid mirum Dei sapientiam multas divitias in verbis sacris recondidisse, qui in uno grano multa de se procreandi naturam et virtutem reposuit, etsi diversa grana ab uno progenita unam generis sui speciem repræsentant? Quid mirum si diversæ sententiæ sermonis Dominici in unam quasi formam veritatis concordant? Et qui omne seminarium fecundat benedictione sua, cur semen verbi sui in unius intellectus stringeret penuria? Nec incongrue *panis* nomine fides per similitudinem designatur. Sicut enim panis robur est in cibis corporalibus, sic fides est initium et fundamentum in spiritualibus. Hinc Paulus ait : *Participes Christi effecti sumus, si initium*, id est idem, *substantiæ retinuerimus.* Et rursum : *Ædificati super fundamentum*, id est fidem, *apostolorum.* Sed cum fidem Christi profitemur, et in baptismate peccatis crucifigimur, et in sepulturæ Dominicæ signum ibi sepeliemur, inde resurgentes, nobiscum resuscitatis virtutibus in similitudinem resurrectionis mortuorum cum Christo, universæ religionis Christianæ debitores effecti sumus. Sicut enim carnalem Judæum circumcisio in carne legis, datæ per Moysen, debitorem constituit, quomodo spiritualem confitentem sanctificatio in spiritu debito gratiæ, per Christum evangelizatæ, non obligavit? Hinc Paulus ait : *Testificor omni homini circumcidenti se quia debitor est universæ legis faciendæ.* Sed cum persolvere pergimus, persecutor invadit, oppugnat, frequenter vincit, violenter quæ vehimus rapit, ut quæ debuimus in horrea Domini nostri opportuno tempore non perferamus. Quid igitur Domino nostro dicemus? Illud certe quod sequitur :

CAPUT VI.

De petitione sexta : « Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. »

Dimitte nobis debita nostra, quæ non reddidimus, sicut tibi promisimus. Dimitte nobis, Domine, quia donamus *nostris debitoribus* in tuo nomine. Sed cum hostis fructum nostrum depopulatur, jugo suæ iniquitatis conatur nos onerare, et, ne ad Dominum nostrum pro venia imploranda festinemus, cursum nostrum impedire. Cujus astutiæ ut sunt perniciosissimæ, ita sunt et variæ. Primum enim nos in passiones desiderii tradit, deinde in patrationem sceleris usque succendit; exin mentes nostras tenebris obvolvit; ut cum mortale flagitium perpetremus, vel parvum, et non pœnitentia dignum æstimemus, vel etiam quidquam commisisse ignoremus. Sunt enim qui avaritiæ laqueo intricantur, vel qui illicito amore delectantur, qui nec peccasse, nec se a regno Dei ob hæc patrata rejiciendos arbitrantur. At in Paulo Spiritus sanctus erat; ait enim : *Puto quia Spiritum Dei habeo.* Et in ipso Christus loquebatur : *Non enim*, inquit, *audeo quidquam loqui quod per me non effecerit Christus.* Et alibi : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Igitur quid de avaro, et illicito amore polluto, et his similibus, præsidentes beato Paulo per eum testificentur, videamus. Ait enim scribens ad Ephesios, ab his qui seducunt corda innocentium, et qui se commendant mala opera laudando aliorum, deceptos : *Nemo vos seducat inanibus verbis : fornicator aut avarus regnum Dei non possidebunt.* Est vero fornicatio quidquid in hoc patratur genere sine legitima connubii contractione. In quem laqueum diaboli cum incidimus, scilicet ut ignoremus nostri sceleris patrationem, procul dubio in extremam sensus traditi sumus reprobationem. Enumeratis enim multis flagitiis in quæ gentiles devolvebantur, exaggerantes iniquitatem super iniquitatem, Paulus eum gravi conquestione subintulit : *Qui cum Deum cognovissent, non*

Digitized by Google

cognoverunt; qui talia agunt, digni sunt morte, illud æstimans malum perniciosissimum, dum in ignorantiam incidimus nostrorum peccatorum. Qui enim in voragine vitiorum ignoranter absorptus jacet, quomodo ad pœnitentiam suspiret? Quis enim de ignorato crimine pœniteat? Quod si Satanas subtrahere non potuerit agnitionem flagitii, plerumque persuadet peccatori ut confessus peccatum, æstimet, dum pro reatu hostias offert pœnitentiæ, licenter posse in ejusdem flagitii volutari consuetudine. Sunt enim qui in amore illicito et in genere simili delinquunt, et tamen ad confessionem et emendationem confugiunt. Sed dum per hostias suas in culpæ purgatione currunt, non segnius eodem cœno voluntarie sese rursus inficiunt, falso putantes ut per hostias reatus abluatur, cum mens, et voluntas, et operatio in eadem sorde pervolvitur. Hinc Paulus ait : *Voluntarie enim peccantibus jam non relinquitur hostia pro peccato.* Plerumque etiam persecutor peccatorem inducit, ut verba Dei, quibus a malo prohibetur, audire nolit, ut quasi licentius peccare possit. Quod Paulus valde terribile ostendit, qui ad Corinthios scribens ait : *Si quis ignorat, ignorabitur.*

CAPUT VII.

De petitione septima : « Et ne nos inducas in tentationem : sed libera nos a malo. Amen. »

Ergo cum tot insidiis ab antiquo hoste circumveniamur, in quibus si deprehensi erimus, morte moriemur, necesse est adjutorium ducis et Salvatoris nostri Christi Jesu invocare. Igitur oramus dicentes, *Et ne nos inducas*, id est permittas induci, *in tentationem*, scilicet ut in hoc quo tentamur a diabolo, mente delectemur. *Sed libera nos a malo*, id est a peccati delectamento, tam nostri quam alieni. *Amen.* Ac si dicamus : Per te, qui es veritas, quidquid hic petimus, efficiatur veritas.

CIRCA ANNUM DOMINI MLXXX.

BERTHOLDUS

CONSTANTIENSIS PRESBYTER.

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(Apud D. PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. V, pag. 264.)

Herimanni Augiensis discipulus et amicus, Bertholdus (1), Anonymo Mellicensi (2) teste, Vitam magistri et Chronicam scripsit, cujus nonnisi fragmenta operibus Herimanni et Bernoldi commista in libris nonnullis hodie exstant. Nam qui sæculo XII medio cœnobii Murensis in usum codicem conscripsit, in quo historiam (3) ab orbe condito usque ad annum Christi 1091 ex operibus Bedæ, Reginonis, Pauli de gestis episcoporum Mettensium, genealogia S. Arnulfi, Historia regum Francorum (4), tum ex libris Herimanni, Bertholdi et Bernoldi concinnavit, non magis quam scriptor codicis olim Gottwicensis hodie deperditi et Sangallensis integrum Bertholdi textum exhibuit, sed inde ab anno 1054, quo Herimanni Chronicon desinit, usque ad annum 1091 ex Bertholdo et Bernoldo consarcinatum. Cujus rei omnis adhibito Bernoldi codice autographo tollitur dubitatio, et narratio anni 1065 in uno Bernoldo integra atque justa, in reliquis omnibus eadem fere ratione depravata, quæcunque codicibus Gottwicensi, Murensi et Sangallensi cum Bernoldo communia sunt, ea ad Bernoldum, qui eorum seipsum auctorem prædicat (5) et anno 1073 scribendi initium fecit, referenda esse monstrat (6). Reliqua

NOTÆ.

(1) Nomen prodidit cod. Murensis an. 741 et 1054, v. infra not. 3.

(2) In libro de SS. ecclesiasticis, cap. 92.

(3) Ad an. 741 hæc scribit : « Hucusque Beda venerabilis presbyter chronicam suam in majori de temporibus libro produxit, continentem ab initio mundi secundum hebraicam veritatem annos IV. DC.LXXX., set multa intermista sunt de chronicis cujusdam Reginnonis Bremensis (*lege* Prumiensis) abbatis, qui descripsit ab incarnatione Domini incipiens ac pertingens usque ad D.CCCC.VI. Abhinc autem quæ secuntur, sumpta sunt ex apicibus quatuor auctorum, videlicet prænominati Bremonis abbatis, domni Hermanni Contracti, et discipuli ejus Bertholdi, atque domni Bernoldi presbyteri sancti Blasii. Isti vero percurrunt suis scriptis usque in annum Dominicæ incarnationis M.VI. » Sed intelligendum esse videtur 1091.

(4) v. SS. t. II, p. 324, 325.

(5) Bernold. an. 1086.

(6) His ita propositis varias priorum scriptorum de Bertholdo sententias repetere et refellere haud amplius necessarium videbitur. V. Ussermanni præfationes t. I, II ; Prodromi Germ. Sacræ, Docen. in Archiv. III, I, sqq. ; Dumge et Mone, ibid. III, 209 sqq. ; Stenzel. Gesch. d. Frank. Kaiser, 2, 100, 101.

Digitized by Google

codicum pars, quæ sermone diffuso involuto et subobscuro a brevitate et perspicuitate Bernoldi recedit, Bertholdo tribuenda erat. Cujus quantum fieri poterat restituendæ periculum facturus, textum ab Ussermanno auxilio præcipue codicis Murensis propositum, omniam quorum copia mihi facta est subsidiorum ope emendavi. Sunt autem hæc :

1.) Cod. olim Gottwicensis, ab Ussermanno laudatus quidem, sed non integer evolutus, hodie latet; nisi eumdem fuisse opineris qui

1*.) in bibliotheca Palatina Vindobonensis Catal. Schwandtneri t. II, p. 451 inscriptus asservatur (7) et, referente Chmelio nostro, sæculo XVIII incunte in charta exaratus est. Orditur a. 1053, his verbis : *Imperator cum domno papa Nativitatem Domini Wormatiæ* egit, et an. 1080 in media sententia *Dei judicio præcipitatus est, thesaurus autem propter quem* desinit. Æque ac codex Murensis excerpta Bernoldi et Bertholdi commista exhibet, annis 1068 et 1076 paucis verbis ditior, anno 1080 fragmentum Bertholdi unus omnium servavit, et an. 1727 ab Hansizio (8) laudatus, Ussermanno innotuit. Liber ab homine imperito quidem vel negligente conscriptus, integer tamen in rem nostram convertendus erat; qua de re cum ad Chmelium nostrum scripsissem, voti mei compos factus sum, et præterea

1a.) codicem bibliothecæ ejusdem inter historicos profanos n. 672 (recens n. 540) signatum, qui Vitam Herimanni continet, cum editione Muratorii (9) inde proflua sed valde mendosa conferri obtinui. Occurrit ibi in Chronico Ottonis Frisingensis inter libri VI capita 15 et 16 inserta, et sæculo XIII conscripta esse legitur in Chmelii recensione codicum mss. bibliothecæ Vindobonensis (10).

2.) Cod. monasterii Murensis in Helvetia, quem anno 1837 in loco tunc celeberrimo præsens evolvi, membranaceus in folio, sæculo XII medio a scriptore diligenti, quique nonnisi paucis erroribus commissis (11) et vocibus aliquot suo modo scriptis (12) erraverit, exaratus est (13). Constat quaternionibus viginti, quorum tamen secundus excidit, addito in fine duernione; primus quaternio inserta pagina tabulas chronologicas inde a Christo nato ad an. 1175 usque subjectis numeris annorum 1176-1218 exhibet; quaternio secundus deperditus initium chronicæ inde ab orbe condito exhibuisse videtur, reliqui textum inde ab an. Christi 144 sistunt ex Chronicis Reginonis (14), Herimanni prout in codice Sangallensi continetur, Bertholdi et Bernoldi compositum. Et ea quidem parte cum Gottwicensi usque ad finem anni 1079 consentit, tum vero fragmento anni 1080 omisso, unum Bernoldum exscribit, et in verbis anni 1091 *sub communione excommunicatorum deperirent* subsistit. Folia duo ultima sententias ex Pauli Historia Langobardorum decerptas exhibent. Manu sæculi XIV haud pauca passim in margine adnotata, et carmina complura locis vacuis inserta sunt. Scripturæ specimen subjicimus.

Ex Murensi, pagina tamen una omissa descriptus est :

2*.) Cod. Engelbergensis, quem æque an. 1837 in monasterio summos inter Alpes constituto evolvi; mbr. sæc. XII in folio magno, sed cujus lectiones afferre operæ pretium non fuerit. Desinit iisdem verbis ac Murensis.

3.) Cod. olim Sangallensis, a Joanne Sichardo in collectione Chronicorum Basileensi an. 1529 expressus, cujus æque ac reliquorum supra pag. 74 mentionem feci, jam an. 1066 in media sententia ex Bernoldo desumpta *alii duo manus suas lacerantes* (15) deficit, magno certe rei nostræ incommodo, cum in eo textus passim paulo amplior, et quem ad ipsum Bertholdum proxime accedere (16) facile intelligas, servatus sit, Vita tamen Herimanni excepta, cujus nonnisi paucis verbis mentionem injicit.

Quibus subsidiis adjutus, in textu restituendo ita progressus sum, ut annis 1054-1066 et 1080 lectionem præcipue Sangallensem exprimerem, ex Bernoldo derivata cursivo charactere excudi curarem, in Vita autem Herimanni et in parte Operis reliqua annis scilicet 1067-1079, textum ope codicis Murensis emendarem; quod non sine fructu effectum lectores facile animadvertent.

Bertholdus ex ipsiusmet verbis Alamannus (17) et diœceseos Constantiensis incola (18) agnoscitur; ætate Herimanni fere æqualis (19), ab eo Augiæ edoctus, post obitum amici locum ejus (20) in docendis scholasticis ornasse videtur, doctor scilicet

NOTÆ.

(7) Archiv., II, p. 461.

(8) In Germania Sacra, t. I, p. 264-266, excerpta annorum 1076-1079 dedit.

(9) Antiq. Italiæ, t. III, p. 933.

(10) T. I, pag. 550, 551.

(11) Auditu errante, e. g. *cælo* loco *zelo*.

(12) Litteram *c* et *p* loco *t* et *b* nonnunquam in vocibus justicia, vicium, precium, inimicicia, milicia, blandiciosus, nuncius, Wormaciensis, pigricia, tum optinere, optenebrare usurpat; Simoniacus et Symoniacus scribit.

(13) Compendia *quo* (= quoniam) et *qñcũque* (= quandocumque) Ussermann non bene explicuit.

(14) Ad an. 741 inscriptio supra descripta habetur an. 906 : « Hucusque chronica Reginonis abbatis, et secuntur chronicæ Hermanni; an. 1054 : Hucusque chronica Hermmanni. abhinc Berctoldus. » Continuationem Reginonis usque ad an. 939 exscriptam, in vocibus Caprimontem obsidione relinquit scriba, et spatio novem linearum relicto annum 940 ex Herimanno dat.

(15) Ita editio princeps an. 1529, in posterioribus verba ex Bernoldo *ad claustra inferni descenderunt* addita leguntur.

(16) e. g. anno 1056, *tenetur* habet, ubi codd. 1 et 2 *tenebatur* legunt.

(17) Alamannos an. 1075 *nostrates* vocat.

(18) An. 1069, *nostræ cathedræ*, Constantiensis scilicet.

(19) Dum an. 1088 in senectute bona plenus dierum obiisse dicitur a Bernoldo.

(20) Sententia an. 1076 de partibus Heinrici et Rudolfi *citra Rhenum* apud Oppinheim, et *cis Rhenum* huic rei conficiendæ non inservit; v. infra.

Digitized by Google

egregius, et in sacris litteris (21) apprime eruditus (22). Historiæ scribendæ Gregorio VII pontifice (23) sed anno demum 1076 accessisse (24) videtur, viris præcipuis non ignotus (25), rerum quas enarrat bene gnarus et subsidiis amplis instructus. In parte libri priore (26) usque ad an. 1075 Chronica Bernoldi, anno 1073 composita et abinde passim continuata (27), excripta offendimus, et anno 1076 Bernoldus reliquitur. Cumque Bertholdus a parte Gregorii VII et Rudolfi contra Heinricum IV staret (28), acta publica a summo pontifice et conciliis ejus (29) emissa diligenter in usum suum convertit, tantamque eis fidem habuit, ut sæpissime res a Gregorio in epistolis ad Heinricum regem, ad Germanos et episcopos Germaniæ Italiæve (30) relatas, eisdem verbis in narratione sua reciperet. Heinrici etiam epistolas Gregorio scriptas legit, et documentis quoque quæ hodie non amplius supersunt usus est. In rebus juris publici et canonici dijudicandis scripta partis pontificiæ adhibuit. Annis 1076-1080 alius plane a Bernoldo (31), easdem res aliter narrat (32), et in universum secundum ordinem temporis procedit (33).

Sermonem Bertholdi non multum laudaveris. Ipse sententiam interdum non absolvit, sed in media hæret (34); accusativos absolutos (35) loco ablativorum, deponens vi passiva (36), *tacere* cum duplici accusativo (37), et voces *theutonizare* (38) loco *Theutonice sonare*, *returnare* (39) pro *reverti*, *quamvix* (40) pro *cito* usurpat.

Adnotationes ab Ussermanno textui subjectas, ubicunque lectoribus nostris utilitatem aliquam afferre posse videbantur, servavi, haud paucas in compendium redegi, plurimas, utpote in volumine quo Lambertum, Brunonem et Bernoldum una exhibemus minus necessarias, resecui.

BERTHOLDI ANNALES.

Herimannus (41), qui et heros magnus, etc. *Vitam hanc seu elogium dedimus in Proœmiis ad Hermannum Contractum*, *Patrologiæ tom. CXLIII*, *col.* 25.

Conventus (42) ab imperatore Mogontiæ factus est, in quo Gebehardus Aureatensis [1] episcopus, electus ab episcopis Romamque missus, ibique honorifice susceptus, in sequente [2] quadragesima in cœna Domini 154ua papa ordinatus, Victoris secundi nomen accepit.

MLV.

Imperator natalem Domini Goslare celebravit, ac deinde expeditionem in Italiam paravit, et [3] diem sanctæ [4] Paschæ Mantuæ egit; diem autem Pentecostes Florentiæ [5], ibique coram eo a domno papa generali synodo habita, multa correcta sunt (43). Imperator Adalbertum, capitali sententiæ adjudicatum, per interventum episcoporum dimisit. Eodem tempore 50 aut eo amplius armati milites a Normannia latenter per mare transeuntes, Nordmannis contra imperatorem auxilium præbere cupientes, a Pisentibus [7] civibus capti, atque ad imperatorem delati.

VARIÆ LECTIONES.

[1] Eiestetensium 3. [2] sequenti 3. [3] et pascha 1. 2. [4] sanctæ 3. [5] florenciis 1. [6] Eodem — delati *desunt* 1. 2. [7] *ita* 3. Picentibus *correxerunt Urstisius et Ussermann*, *sed vel de Pisanis sermo esse posset.*

NOTÆ.

(21) Etymologiæ etiam indulsit; an. 1077, vocem *gravio* a gravitate morum derivans.

(22) Bernoldi Chron. an. 1088, et Necrol. Idus Martii.

(23) An. 1077, scribit : *Domnus apostolicus* (Gregorius) *ut est non minimæ compassionis*, etc.

(24) Nam anno 1056 scribit : *Heinricus IV*, *filius Heinrici*, *regnat annos* XX.

(25) Heinricum IV Augiæ an. 1074 viderit : legatos quoque papæ et principes partis Rudolfi, Constantiensem, Aquileiensem et alios noverit.

(26) Sive librum ab an. 1054 incepisse, sive eam quoque Chronicam, quæ ex Herimanno et Bernoldo excerpta supra, pag. 265, Sangallensis codicis titulo ornatur, a Bertholdo profectam esse statuas, quod pro certo affirmari nequit.

(27) V. locos minori littera expressos. Bernoldi textum qualem in autographo legimus, consuluit; imo vel ad litteram retinuit; e. g. an. 1075 Argentoracum, et cum constanter cum Bernoldo Symoniacus scriberet, loco uno item cum Bernoldo Simoniacus recepit.

(28) Post depositionem Heinrici sub vocabulo *regis* Rudolfum intelligit; Fridericum, ab Heinrico Sueviæ *ducem* constitutum, an. 1079, *comitem* vocat.

(29) e. g. concilium Romanum II, an. 1075, 107.

(30) e. g. Moguntinum, Constantiensem, Babenbergensem, Aquileiensem.

(31) e. g. quæ Bernoldus de Kadalao refert, apud nostrum desunt.

(32) e. g. an. 1076 cædem Godefridi ducis, cujus culpam Bernoldus coquo, Bertholdus militi cuidam tribuit, verbis apud Bernoldum rudioribus; an. 1077, pugnæ apud Strowi diversum eventum referunt.

(33) An. 1078 exeunte, nexu rerum ductus, Eigilberti in cathedram Trevirensem elevationem refert, quæ nonnisi mense Januarii sequentis contigit.

(34) An. 1076, p. 33, lin. 3, edit. Usserm.

(35) An. 1077 et 1078.

(36) An. 1077, *præstolatos*.

(37) An. 1079.

(38) An. 1079.

(39) Ibid.

(40) Ibid.

(41) In margine codicis membranacei regii Berolinensis inter mss. Latina in folio n. 307 signati, qui Herimanni Contracti librum de indagationibus cordis et rebus occultis astronomiæ manu sæculi XIII exaratum exhibet, hæc fabula legitur : « De isto Hermanno legitur in historia quia sit filius regis [regis *codex*] et regine scilicet Tratie; a cujus matre pregnante quesitum divinitus, utrum magis vellet habere filium contractum et turpissimum aut insipientem et speciosum forma pre filiis hominum; que fertur respondisse se malle turpem et sapientem habere quam pulcherrimum et insipientissimum. Natus est enim iste Hermannus secundum sue matris optatum; scilicet gibosus ante et retro et contractus, claudus. Qui rogatu cujusdam suam ei in hoc opusculo compositionem ascolabii edocet; premittit autem proœmium suum. »

(42) Hæc ex Bernoldo fluxisse videntur, cujus hæc loco textus post annum 091 m est.

(43) Labb. Concil., t. X, p. 1079.

Digitized by Google

Imperator Ottonem Novariensem [8] episcopum Constantinopolim misit. Ubi pro Michahele nuper defuncto quandam feminam [9], totius regni monarchiam tenentem invenit; quæ illum sequenti anno, suis etiam legatis adjunctis, amicitiam pactumque confirmandum imperatori remisit.

[XVII, (44)] Beatrix imperatori ad deditionem veniens, causa mariti sui, quanquam data fide, captiva ducta [10] tenetur, filiusque ejus puer Bonefacius hac causa venire veretur. Set non multis interpositis diebus, cum imperator ibidem moraretur, idem puer moritur.

Gebehardus Ratisponensis episcopus, et Welf [11] dux licentiam repatriandi ab imperatore [12] impetraverant, militesque eorum [13], eis [14] ut aiunt ignorantibus, contra imperatorem conjuraverunt. Quo [15] tempore Welf dux, suis et omni populo flebili admodum morte præventus, et [16] voto sanctæ monachiæ vitæ Deo revera se initiando dedicatus, apud Altorfense cœnobium sepultus est. Arnoldus [17] episcopus Nemetensis [18] moritur [19].

MLVI.

Imperator de Italia per Bajoariam [20] rediens, natalem Domini apud castrum Turegum [21] celebravit, ibique Ottonis marchionis filiam æquivoco suo filio desponsavit.

Gebehardus Ratisponensis episcopus [22], ab imperatore de conjuratione contra se facta victus, primum [23] in castro Ulflingino (45), dein in Stofola (46) per aliquod tempus sub [24] custodia tenetur [25]. Gotifridus dux imperatori ad deditionem venit [26].

Conradus [27] ab imperatore Nemeti pro Arnolto episcopo substituitur.

Herimannus Agrippinæ urbis [28] archiepiscopus obiit; pro quo [29] Anno [30], Goslare prius [31] [XVIII [32]] præpositus, in archipræsulatum successit. Imperator diem sanctum Paschæ [33]..... celebravit.

Eodem [34] anno Sclavi [35] qui Liutici dicuntur, terminos Saxonum insectantes [36], quam plurimos eorum principes cum Wilhelmo marchione peremerunt. Heinricus [37] imperator domno apostolico ad se [38] tempore autumnali invitato, cum in Saxonia in [39] Bothfeldino commoraretur, morbo ingravescente infirmatus [40] et bona conversione pœnitentia et confessione purissima præmunitus, omnibus debitoribus suis ex corde dimisit; et totum quod non bene acquisivit, et his qui præsentes aderant reddidit; qui autem non aderant, his per imperatricem et filium ut redderetur nominatim solertissime disposuit; et sic totam spem in Deo ponens, o utinam feliciter! 3. Non. Octobris obiit, anno ætatis suæ 39, regni vero 18, imperii autem [41] 10 [42], indictione 10. Qui inde asportatus Nemetumque [43] translatus, in ecclesia sanctæ Mariæ, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta, juxta patrem et matrem [44] sepultus est [45] a domno papa. Filius autem ejus Heinricus quartus [46] septimum ætatis annum habens, pro eo regni jura suscipiens, a primoribus matri imperatrici ad [47] educandum est commendatus. Fames [48] multas provincias afflixit.

Heinricus [49] *quartus, filius Heinrici, regnavit annos* 20, *ab Augusto nonagesimus.*

MLVII.

Heinricus rex natalem Domini Ratisponæ celebravit. Septimo [50] Kalend. Maias immensitas nivis et pruinæ magnam partem vinearum perdidit.

Romæ [51] Victor II decessit; in cujus locum Fridericus, frater Gotefridi ducis, dudum beati Leonis papæ archidiaconus, tunc autem temporis monasterii sancti Benedicti abbas, 155us papa ordinatus, Stephanus nonus [52] est nominatus.

Otho dux Alemannorum obiit; cujus ducatum Roudolfus [53] accepit.

VARIÆ LECTIONES.

[8] neovariensem 1*. neofariensem 2. [9] *Hic Uss. adnotat :* Non Zoe erat, ut habet Gottwicensis, jam anno priore defuncta, sed ejus soror Theodora, quæ anno sequente mortua Michaelem Stratioticum non antecessorem, sed successorem habuit. *Sed in apographo codicis Gottwicensis Vindobonensi ejusmodi notitiæ vestigium nullum.* [10] c. d. *desunt* 3. [11] Welffus 3. *bis* [12] *ita* 1. 1*. 2. 2b. italia 3. [13] illorum 2. [14] eis 3. [15] Eo 1* 2. [16] et — dedicatus *desunt* 3. [17] Arnortus 3. Arnold 2. [18] Metensis 3. [19] et Chounradus ei successit *perperam addunt* 1. 2. *ex mox sequentibus* [20] p. b. *desunt* 1* 2. [21] D. Turegi 1*. 2. [22] e. ab i. *desunt* 1*. 2. [23] p. i. c. U. d. i. S. *desunt* 1*. 2. [24] in 1*. 2. [25] tenebatur 1*. 2. [26] G. d. i. a. d. v. *desunt* 3. [27] C. — substituitur *desunt* 1*. 2. [28] Coloniensis 1*. 2. [29] o. Cui 1*. 2. [30] hanno 3. *bis.* [31] goslarensis præpositus successit 1. 2. [32] *numerus in* 1*. *paulo inferius e latere confessionis Heinrici scribitur* [33] *Scriptores quandoque locorum, ubi reges festa celebrabant, ignari, spatium vacuum reliquerunt. Hic ex Lamberto* Padelbrunna *supplenda est. USS.* [34] Eodem — peremerunt. Heinricus *desunt* 1*. 2. [35] Sclafi 3. [36] *an* infestantes? [37] *deest* 1*. 2. [38] se in germaniam i. 1*. 2. [39] apud bothfeldin moraretur 1*. (botfeldin) 2. [40] et bona *usque* 3. Non. Octobris *desunt* 3. *perperam omissa, dum certe dies obitus a Bertholdo adnotatus est.* [41] *deest* 3. [42] 15. 3. [43] nemetim in 1*. 2. [44] p. matremque 3. [45] sepultus, et filius ejus 3. [46] quartus jam a patre rex factus (*ex Bernoldo*) tunc septennis, a primoribus regni matri imperatrici ad e. c. cum matre cœpit regnare (*ex Bernoldo*) 1*. 2. [47] *deest* 1*. [48] F. m. p. a. *desunt* 3. [49] H. q. f. H. r. a. XX. ab A. n. *desunt* 3. ab A. n. *desunt* 2. [50] Septimo — perdidit *desunt* 1*. 2. [51] *Horum loco* 1* et 2. *quædam ex Bernoldo transcripserunt* : Romæ Victor II (154us *addit* 1*.) decessit. Post hunc Fridericus frater Gotifridi ducis dudum beatæ memoriæ Leonis papæ archicapellanus, ex clerico monachus factus, postea abbas in Monte Cassino promotus, Stephanus IX, nomen adeptus, papa 155us præfuit novem mensibus. [52] VIII. 3. [53] Rodolphus 1*.

NOTÆ.

(44) Annus hic Heinrici regnantis die 4 Junii inchoatur. Numerus in apographo Vindobonensi ad *sequenti anno* referri videtur; in Murensi loco hic indicato habetur.

(45) Wulflingen in Thurgovia infra Vitodurum. Uss.

(46) Duplex hujus nominis arx in Hegovia in confiniis montis Duellii, Stofelen dicta. Uss.

Digitized by Google

Hoc anno lapides miræ magnitudinis, mixti grandine, de cœlo ceciderunt, et [84] nonnulli hominum fulmine perierunt. A

MLVIII [85].

[III.] Romæ Stephanus papa obiit. Romani autem accepta pecunia quendam Johannem (47) contra canones elegerunt, qui sine consecratione per aliquot dies sedens, a Gotefrido duce expellitur, atque Florentinæ civitatis episcopus 156[us] papa constitutus, Nicolaus secundus est vocatus.

Eodem [86] tempore Heinricus Augustensis episcopus apud imperatricem summum consilii locum habuit; quod nonnullis regni principibus, ejus insolentiam non ferentibus, multum displicuit.

MLIX.

[IV.] Hoc anno magna mortalias hominum et [87] B pestis pecorum facta est. Orto [88] inter Mediolanenses et Ticinenses bello, multi ex utraque parte ceciderunt. Roudolfus Alemannorum [89] dux, Mahthildam [90], Heinrici [91] regis sororem, duxit uxorem.

Fuldis Eberhardus abbas decessit, cui [92] Sigefridus successit.

Andreas Pannoniæ rex, cum prius pacem pactumque per legatos cum Heinrico rege confirmasset, etiam sororem ejus minorem Juditham [93] filio suo Salomoni [94] adhuc puero sponsam obtinuit. *Friderici et fratres ejus de Glicheberga Heinrico regi rebellant*, et post ea illi ad deditionem veniunt.

MLX.

Heinricus Galliarum rex obiit, et filius ejus Philippus [95] adhuc puer (48) regnum cum matre gu- C bernandum suscepit.

Liudpaldus [96] Mogontinus archiepiscopus decessit [97] (49); cui Sigefridus Fuldensis abbas successit.

Chounradus Nemetensis episcopus moritur [98], in cujus locum Einhardus Augustensis [99] præpositus promovetur [70]. Mahthilt [71] soror regis (50) obiit [V].

Heinricus Palatinus comes in amentiam versus, cum sub specie religionis quasi seculum derelinquens, in monasterium Epftirnacha [72] se contulisset, inde abstractus, conjugem suam occidit.

Et [73] hoc anno, sicut in priori, mortalitas multos extinxit. Hyems satis dura et nivosa, et plus solito prolixa, frumenti vinique maximum attulit damnum.

Codices 1, 2.

In Ungaria quidam Belo fratrem suum Andream regem jam grandævum regno expulit, et usque ad mortem perduxit. Hic Andreas a fratre nimis injuriatus, tandem febre pulsatus omnes thesauros suos in castrum Medelekka [74], nec non et filium suum Heinrico regi per Tietpaldum comitem transmisit.

Codex 3.

Andreas rex Pannoniarum, cum a fratre suo regnum sibi circunquaque vastante multas injurias perpessus fuisset, tandem febre pulsatus omnes thesauros suos in castrum Medilhecka (51), nec non et filium suum Heinrico regi per Tiedbaldum comitem transmisit.

MLXI [75].

[VI.] Magna fames multos consumpsit [76]. Gebehardus (52) Ratisponensis episcopus obiit, cui [77] Otto successit.

Chounradus, qui Carantanis [78] solo nomine ducis [79] præfuit, moriens locum dedit [80]; cujus ducatum Berhtoldus [81] comes [82] Suevigena accepit [83].

Romæ [84] Nicolao papa defuncto, Romani coronam et alia munera Heinrico regi transmiserunt, eum-

VARIÆ LECTIONES.

[84] et n. h. f. p. *desunt* 1. 2. [85] *numerus deest* 3. *quæ sequuntur in* 1. *et* 2. *omissa sunt, eorumque loco quædam ex Bernoldo descripta habentur*: Romæ post Stephanum quidam Benedictus contra canones privata quorumdam gratia electus, sine consecratione mensibus septem præfuit æcclesiæ. Qui a Gotifrido duce expulsus, atque Gerardus Florentiæ episcopus [Burgundus nacione *glossa sæc XIV.*], secundus Nicolaus vocatus, papa 156[us] præfuit annis fere tribus. Qui constituit, ut qui tunc a symoniacis essent promoti, ministerio suo permitterentur uti. Deinceps autem quicumque ab eis ordinarentur, nichil tali promotione lucrarentur. Hunc etiam papam Petrus Damiani, piæ memoriæ Ostiensis episcopus, ad corrigendam juxta canones clericorum incontinentiam provocavit [86] Eodem — displicuit *desunt* 1. 2. [87] et p. p. *desunt* 1, 2. [88] Seditio inter M. et T. facta est, et ibi plures bello ceciderunt 1, 2. [89] *deest* 1. 2. [90] mahthildam *Ann. Engelberg.* [91] *deest* 1, 2. [92] et 1, 2. [93] *deest* 3. [94] *deest* 3. [95] *deest* 3. [96] luppoldus 1, lupaldus 2. [97] obiit 1, 2. [98] obiit 1, 2. [99] A. p. *desunt* 3. [70] substituitur 1, 2. [71] Mathildas 3, Mahthilt uxor ducis Roudolfi obiit 1, 2. [72] ephtirnacha 3. [73] Et — extinxit *in* 1, 2. *post Mahthildis obitum leguntur*. Hyems — damnum *desunt* 1, 2. [74] medeleka 1, medelekka 2. [75] *numerus deest* 1. [76] occidit 1, 2. [77] et O. ei s. 1, 2. [78] carentanis 1, 2. [79] *deest* 1. [80] moritur 1, 2. [81] bertholdus 1, 2. [82] *deest* 3. [83] suscepit 1, 2. [84] *Hæc in* 1, 2. *ad Bernoldi textum exprimuntur*: Romæ Nicolao papa defuncto 6. Kal. Aug. Romani regi Heinrico coronam et alia munera mittentes, eumque de summi pontificis electione interpellaverunt. Qui generali concilio Basileæ habito, imposita corona a Romanis transmissa, patricius Romanorum est appellatus. Deinde communi omnium consilio Remanorumque legatis eligentibus, Chadalous Parmensis episcopus 7 Kal. Nov. papa multis præmiis quibusdam ut aiunt datis, symoniace eligitur et Honorius appellatur, papatum numquam possessurus; sed 27[a] die ante istius promotionem Lucensis episcopus nomine Anshelmus, a Nortmannis et quibusdam Romanis papa 157[us] ordinatus et Alexander vocatus, sedit annos 12.

NOTÆ.

(47) Joannes Velitrensis episcopus sub nomine Benedicti X, de quo B. Petrus Damiani, t. I Opp., l. III, epist. 4, et Leo Ostiens. l. III, c. 13. Uss.

(48) Philippus I tunc octo annorum. Uss.

(49) VIII Id. Dec. teste Necrologio Fuldensi.

(50) Uxor Rudolfi ducis. Uss.

(51) Melk in Austria.

(52) Hic Conradi II imp. frater anno priore decessit. Uss

Digitized by Google

que pro eligendo summo pontifice interpellaverunt. Qui ad se convocatis omnibus Italiæ episcopis, generalique conventu Basileæ habito, eadem imposita corona patritius Romanorum appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium Parmensem episcopum, multis [85] præmiis quibusdam, ut aiunt, datis, Symoniace summum Romanæ Ecclesiæ elegit pontificem. Interim dum hæc aguntur, Anshelmus episcopus de Luca, quibusdam Romanis faventibus, apostolicam sedem sibi usurpavit [86].

Burchardus [87] et Wezil de Zolorin occiduntur. Ecclesia Nemetensis dedicatur.

MLXII.

His temporibus [88] Agna imperatrix, depositis regalibus vestimentis sacro velamine circundata [89], sese [90] Christo dedicavit, in oppidum Fructuariam [91] (53) se contulit. 6. [92] Idus Februarii terræmotus, fulgura et tonitrua facta sunt. Pestilentia et mortalitas subsecuta, multos extinxit [93]. Heinricus rex apud Trajectum, Frisiæ urbem [94], diem Paschæ cum matre imperatrice egit.

Hiis diebus Anno [95] Agrippinæ Coloniæ [96] archiepiscopus, annitentibus quibusdam regni principibus, Heinricum regem cum lancea et aliis imperii [97] insignibus a matre imperatrice vi arripuit, secumque Coloniam adduxit [98].

Parmensis episcopus, dudum electus, Romam consecrandus adiit; cui cum Romani armati occurrerent ingressumque prohiberent, multitudo illorum a militibus ejus et occiduntur et in Tiberi submerguntur, cæteri fugantur.

(*Codd.* 1. 2. [*anno* 1061.] Parmensis vero collecta undecumque grandi militia, vi destinavit kathedram invadere, et ad urbem Romam sic perveniens, non permissus est a Romanis intrare; unde magna cædes ibidem peracta est. Et sic non sine victoria cruenta multis Romanis interfectis ad Parmam suam tristis regressus est, solo nomine apostolico sibi usurpato, ad finem vitæ infeliciter perdurans.)

MLXIII [99].

Tempore veris, medio mense Aprilis, per quatuor dies hyems sæva, ventosa et nivosa, aves et pecora frigore extinxit, arborum [100] et vinearum maximam quoque partem perdidit.

Engilhardus [101] episcopus de Magdiburg obiit, cui frater Coloniensis archiepiscopi Werinharius [102] successit. *Heinricus Augustensis episcopus obiit*, cui *Imbrico* [103] Mogontiensis canonicus successit [104].

Eodem anno quædam mulier juxta Constantiam infantem duo capita nec non et cætera membra ad usque clunes duplicia habentem peperit.

MLXIV.

Heinricus rex natalem Domini Coloniæ celebravit, diem Paschæ [105] autem Leodii [106]. Synodus Mantuæ.

MLXV.

Heinricus rex natalem Domini Goslare [107], diem autem Paschæ Wormatiæ celebravit. *Domus* [108] *regalis Goslari concremata est* [109]; *quod et factum est in* [110] 6. *Kal. Aprilis, indictione* 3. *Et ibidem accinctus est gladio, anno regni sui* 9 [111] *ætatis autem suæ* 14, et dux Gotifridus scutarius ejus eligebatur.

Pataviensis episcopus obiit, cui Altmannus imperatricis capellanus successit. Hoc tempore Sigifridus Mogontiensis archiepiscopus, Wilhelmus [112] *Trajectensis episcopus, et Guntharius Babinbergensis episcopus, Otto Ratisponensis episcopus, cum magno* C apparatu et comitatu *Jerusalem proficiscentes, in eo itinere a paganis multa sunt perpessi. Nam et bellum cum eis inire sunt coacti. In eadem via Guntharius obiit, cui Ricimannus Symoniace successit.*

MLXVI.

Multi [113] nobiles civili bello perierunt. Heinricus rex natalem Domini . . . . . [114], Pascha autem apud Trajectum egit.

VARIÆ LECTIONES.

[85] m. p. q. u. a. d. s. *desunt* 3. [86] *hic* 1* *et* 2 *inserunt quædam de Parmensi episcopo infra sistenda:* Parmensis — perdurans. *Tum ex Bernoldo addunt:* Hic Alexander doctor katholicus, satis strenue symoniacam heresim destruxit, et ministris altaris cum conjugibus coire juxta canonum statuta cum excommunicatione interdixit, ipsosque laicos clericorum aperte incontinentium officia audire per pannum (bannum 2.) prohibuit, et sic illorum incontinentiam satis prudenter refrenavit. Hujus autem constitutionis maxime auctor fuit Hildebrandus, tunc Romanæ ecclesiæ archidiaconus, hereticis maxime infestus. [87] Burchardus — dedicatur *desunt* 1*, 2. [88] d. et Agnes 3. [89] *deest* 1*, 2. [90] sese — contulit *desunt* 2, 3. [91] fructerciam 1*? [92] 1062. 6. Idus 1*. [93] et fames magna facta est 1*, 2, *ex Bernoldo*. [94] u. pascha simul c. 1*, 2. [95] hanno 3. [96] Anno Coloniensis 1*, 2. [97] imperialibus 1*, 2. [98] a. Dissensio magna facta est inter imperatricem et Guntharium Babinbergensem episcopum 1*, 2, *ex Bernoldo*. [99] 1*, 2, *ex Bernoldo:* Heinricus rex exercitum in Pannoniam (pannonias 2) movens, Salomonem filium Andreæ regis in regnum patris sui restituit. Hiemps nimis dura aves et. .·. [100] frugum et vini magnam penuriam effecit 1*, 2. [101] E. Parthenopolitanus archiep. 1*, 2. [102] *deest* 3. [103] imbricko 2, imbricus successit 3. [104] 1*. 2, *addunt ex Bernoldo:* Cædes magna Goslare accidit in æcclesia rege presente. [105] c. pascha 1*, 2. [106] *Hic* 1*, 2, *ex Bernoldo inserunt:* Magna seditio facta est inter Adalbertum Haminburgensem archiepiscopum et principes regni. [107] G. pascha autem W. egit 1*, 2. [108] *Hæc æque in* 1*, *et* 3, *scripta ex Bernoldo nulle intellecto fluxerunt.* [109] Eodem anno ab incarnatione Domini 1065, quando pascha celebratum est 6. Kal. April. in qua die Christus resurrexit, in tercia die paschalis ebdomadæ 4. Kal. Aprilis indictione 3, rex Heinricus anno regni sui 9, ætatis suæ 14, accinctus gladio in nomine Domini et dux G. s. e. e. 2. [110] *deest* 1*, 2. [111] VI. 1*, 2. [112] W. T. e. *Ratisponensi postponuntur* 1*, 2, Vilhelmus 1* [113] M. n. c. b. p. *anno* 1065, *perperam addit* 3. [114] goslare *Ussermann*.

NOTÆ.

(53) In Alpibus infra diœcesim Eporediensem.

Digitized by Google

Eberhardus Treverensis archiepiscopus 17 *Kal. Maii sabbato sancto* [115] *Paschæ, completis a se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requievit in pace. Cui Chounradus Coloniensis præpositus, electus a rege, succedere debuit; set a clero et civibus Trevirensibus refutatus est. Unde quidam comes de militia Trevirensi, nomine Theodericus, eundem Chounradum Trevirim tendentem comprehendit, et diu sub custodia maceratum quatuor militibus enecandum commisit. Qui dum eum ter per quoddam præcipitum dejecissent, et nichil sibi nisi brachium collidere possent, unus ex illis pœnitentia ductus, ab eo veniam impetravit. Alius autem volens eum decollare, maxillam ejus tantum abscidit. Et sic ipse Deo dignus martyr ad Dominum migravit. Passus est Kalendis Jun. anno* [116] *ab incarnatione Domini* 1066, *regni vero Henrici regis* 10, *sepultus apud* [117] *abbatiam nomine* [118] *Dolejam. Tres autem milites, mortis illius auctores digna ultio postmodum subsecuta est. Nam unus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alii duo manus suas lacerantes* [119] *sic exspiraverunt, ad claustra inferni descenderunt.* Præter hæc plura miracula ad sepulchrum facta sunt, per quæ [120] martyrium illius venerandum probatur. Uto canonicus Trevirensis post interfectionem illius archiepiscopus electus a clero constituitur.

Cometæ sunt visæ in octavis Paschæ, id est 9 *Kal. Maii, et per dies* 30 *duraverunt. Nuptiæ Heinrici regis* apud Triburiam. *Item cometa visa est. His temporibus venerabilis Petrus Damiani ex heremita cardinalis episcopus multa conscripsit, et incontinentiam sacerdotum satis rationabiliter in scriptis suis confutavit, ordinatos autem a Symoniacis, ut aiunt, nimium clementer tractavit.*

Hugo Bizantiensis archiepiscopus, vir religiosus fidelis et prudens Domini servus, gaudium Domini sui super multa constituendus feliciter intravit. *Cui* successit *a fratribus canonice electus ejusdem æcclesiæ canonicus.*

MLXVII.

Heinricus rex natalem Domini Spiræ celebravit, Pascha autem..... [121].

Saxonia civili laborat discordia, Burchardus Halberstetensis episcopus gentem Leuticorum viriliter devastavit.

Einhardus Spirensis episcopus in itinere Romano obiit et Sienæ sepultus est, *cui* quidam *Heinricus successit.*

His temporibus (54) quidam monachi de valle quæ vocatur Umbrosa, in Florentino episcopatu, episcopum suum ob Symoniacam heresim recipere noluerunt, et clerum populumque in tantum ab eo averterunt, ut nullo modo officium illius recipere dignarentur. Qui et sacramenta, quæ ab eo et ab omnibus Symoniacis et uxoratis presbiteris conficerentur, nulla omnino esse et sperni debere, scriptis quibusdam publice protestati sunt; et inde maxima dissensio et scismata exorta sunt, non solum in hoc set et in aliis circa contiguis locis.

Alexander autem papa, hac audita causa et questione, et episcopum et monachos Romam ad se vocavit, ut in Romana synodo sententia super his tenenda catholice diffiniretur. Ergo ea illic sententia episcopis [122] expostulantibus diffinita est, ut judice flamma ignis, veritas sanctæ æcclesiæ patefacta innotuerit. Quod ab utraque parte fiendum dum laudaretur, unus quidam de monachis sese idem judicium Deo teste et discretore suæ justitiæ subiturum professus est. Et eo statuto a papa promulgato, Florentiam, ut illic in præsentia cleri et populi perficeretur, regressi sunt.

Denique non modico ibidem facto concilio, ignis flammigerus plus quam ad staturam hominis altus et duodecim pedum longitudine protractus, duorumque pedum interstitio a se distans, ex aridissimis lignis in atrio æcclesiæ studiosissime succendebatur. Quem cum episcopus Petrus Florentinus, ut se suosque compares de præposita culpa et intentione innoxium esse expurgaret, ingredi medium non auderet, monachus ille prædictus (55) communicata Christi eucharistia, ita paratus sicuti ibidem missas fecit, nudis pedibus acceptaque cruce in manibus sub sacramentali hac Dei justitiæ et veritatis ratione [123] comprobandæ, in audientia totius æcclesiæ in Christo sic protestatus est, quod videlicet Petrus ille, qui Florentinus episcopus dictus sit, Symoniace episcopatum obtineret (56), et quæ ab ipso et ceteris Symoniacis et uxoratis presbiteris conficerentur sacramenta, nullo modo a catholicis recipienda essent. Et eo pacto medium flammæ pedetemptim ingrediens, absque omni læsione ardoris et incendii in nomine Domini feliciter [124] perambulavit. Set omnis plebs, ut vidit judicium hoc, Deo gratias et laudes superno justo Judici unanimiter referebat.

Petrus vero tandem Romam a domno papa advo-

VARIÆ LECTIONES.

[115] sanctæ 1*. [116] anno — regis 10. *desunt* 3. [117] ad 3. [118] quandam 3. [119] *hic in media sententia desinit* 3. [120] quam 2. [121] Ratisponæ *supplendum videtur. Uss.* [122] ipsis 2. [123] romane 1*. [124] *ita* 1*. fideliter 2.

NOTÆ.

(54) Baronius cæteriique passim hæc ad annum 1063 referunt. In alia tamen abit Mabillonius (Annal. Bened. t. V, p. 1 sqq.) ubi ex msc. codice bibliothecæ Sancti Remigii Rhemensis id factum probat *anno* 1067, *mense Februario, feria quarta prioris hebdomadæ in Quadragesima*, seu die 28 ejusdem mensis. Mansius vero (Suppl. concil. t. I, p. 1360) ex alio msc. Florentino id contigisse scribit *anno* 1068, *Idibus Februarii, feria quarta primæ hebdomadæ in Quadragesima in monasterio de Septimo*, seu die 13 Februarii. Uss.

(55) Petrus, Igneus propterea cognominatus, ac postea episcopus Albanensis et cardinalis factus. Uss.

(56) Idem refert Bernoldus opusc. IX, 5, p. 376. Cf. quoque opusc. XII, 3, b, p. 392, 395.

Digitized by Google

catus, et pro heresis prædictæ reatu hujus judicii argumento convictus, virgam et anulum episcopalem apostolico confusus reddidit, sicque dignitate, qua injuste est sublimatus, recessit juste privatus. Aliquamdiu tamen res ecclesiæ illius ope ducis Gotifridi invasit, sperans se quomodolibet in cathedram suam possé restitui. Demum vero cum hac spe frustraretur, renuncians omnibus quæ possidere videbatur, ad conversionem venit, et in monasterio Pomposa jam se monachum fecit (57). *Nortmanni Romam invadere voluerunt hostiliter*; set a duce Gotifrido eis interminante cessaverunt.

MLXVIII.

Heinricus rex natalem Domini Coloniæ celebravit, Pascha autem... *Hic adolescentiæ suæ errore seductus, legitimæ conjugis adeo oblivîscitur, et tam nefandis criminibus involutus esse diffamatur, ut etiam principes ejus eum regno privare molirentur. Totus ille annus pluvialis* [125].

MLXIX.

Pax et reconciliatio in populo in natali Domini apud Goslare regali edicto sub sacramento sunt confirmatæ.

Heinricus rex gentem Leuticorum devastat.

Dedo marchio Saxonicus regi rebellat, set postmodum coactus ad deditionem venit.

Oudalricus abbas Augiensis obiit, pro quo quidam *Meginwardus* de Hiltinisheim abbas Symoniace, fratribus rebellantibus, a rege vix substituitur.

Rumaldus Constantiensis [126] episcopus, pius admodum et humanus, qui et domus episcopalis, quæ suo tempore corruit, recuperator solertissimus, et æcclesiastici thesauri ampliator et provisor attentissimus, hujus mundi umbraticas deserens vanitates, ultimum diem 2. Non. Novembris feliciter clauserat, et in eadem domo quam construere jam inceperat, officiose sepultus est. Ea tempestate Symoniaca heresis non ut olim clandestina, quin potius publica et inreverenti majestate undique nostratibus et absque personarum acceptione efferata principabatur, et columbinam sanctæ matris æcclesiæ pulchritudinem purulentiæ suæ contagiis quam miserabiliter confœdaverat, quæ denique quendam Karlomannum (58), Parthenopolitanum canonicum Harcispurgensem autem præpositum, non per ostium set aliunde, per maceriam scilicet, caulas Constantiensis cathedræ, ipsi regi ejusque [127] consiliariis data et promissa non modica sacrilega pecunia nec non beneficiis æcclesiasticis, intrare coegerat [128]. Ita emptor ille miserrimus gehennalis miseriæ, contra fas, nostræ cathedræ inthronizari percupientissime industrius satis nitebatur, et totius cleri et populi canonicam Sigifridi (59) fratris illorum, regii quoque capellani, quem sibi episcopari expetiverant, electionem frustrari omnifariam [129] moliebatur.

Gotifridus *dux* (60) *inter seculares præstantissimus et in recordatione peccatorum suorum ad compunctionem lacrimarum facillimus, in erogatione elemosinarum largissimus*, tam ex toto rebus et thesauris suis in pauperes et æcclesias dispensatis ut ferme nudus nudæ crucis bajulus resideret, et tam perfecta et lacrimosissima pœnitentia alter [130] ex altero effectus, ut hinc ad supercœlestis municipatum curiæ feliciter illum emigrasse fas non sit [131] dubitare, in illius manus spiritu suo commendato, cujus gratiæ devotissimus suspiravit, cœlestibus ex toto suspensus gratulanter exspiravit. Hic demum apud Viridunum, ubi etiam defunctus est, 9 Kalend. Januar. idoneis omnino exequiis tumulatus, *in pace requiescat.*

MLXX.

Rex natalem Domini Frisingiæ egit, indeque partibus illis pertransitis in purificatione sanctæ Mariæ Augustam pervenit [132]. Illuc ergo fratres Constantienses pro suo electo per regis suffragium acceptando cum venirent, prædicto Symmoniaco [133] illo vellent nollent urgente, regis comminatoria satis jussione pro eo illis superinposita tristes domum remeabant. Sic ille anathematicus episcopalem cathedram pervicax invasor sibi infeliciter usurpavit. Nec mora, mox ad quod venit opus studiosissime administravit, scilicet ut deterius venderet quod male comparavit, et ut furaretur, et mactaret oves alienas et perderet. Vasa sacra, vestimenta missalia, tabulas altaris argento coopertas furtive dilaminavit; aurum, gemmas, et omnem *æcclesiasticum thesaurum in suos suorumque usus utpote fur* sacrilegus præsumptuose *disperserat* (Bern. a. 1071). Hoc a fratribus Alexandro papæ per litteras ex toto querelose intimato, apostolica auctoritate interdixit eis, ne omnino communicarent ei; simulque archiepiscopo Mogontino litteris missis præcepit, nisi se heresi prædicta expurgaret canonice, quod nequaquam episcopum eum consecraret. Set ipse regis et commercialium suorum sese promissis et auctoritate qualitercumque defendendo, causam suam ad usque secundum annum protelavit.

Francia civili laborat discordia. — Otto *dux*

VARIÆ LECTIONES.

[125] Wernherus secundus abbas S. Blasii obiit *addunt* 1. 1ª. [126] XXXVI. *addit* 1ª. [127] ejusdem 2. [128] cogerat 2. [129] omnifaria 2. [130] altera 2. [131] fit 2. [132] Dietmarus Curie episcopus obiit, cui Henricus monachus Augiensis successit *addit* 1ª. [133]. prædicta symoniana 2.

NOTÆ.

(57) Ughelli Ital. sacr. tom. III, pag. 73. Uss.

(58) Vulgo Carolus appellatur. Uss.

(59) Sigefridus regis capellanus notatur inter legatos Heinrici regis ad rebelles Saxones, an. 1073, apud Brunonem. Uss.

(60) Lotharingiæ inferioris Barbatus dictus, Beatricis Tusciæ marchionissæ maritus, ad quem exstat beati Petri Damiani opusculum LVII (Opp. t. III), in quo ejusdem lenitatem in puniendis criminibus reprehendit, ac in subsequenti quoque dissertatione id ipsum urget, proponens ei Hugonis magni itidem Tusciæ marchionis exemplum. Uss.

Digitized by Google

Bajoariæ proditionis in regem reus a quibusdam A accusabatur, et ut se duello expurgaret locus ei a rege dabatur. Quod dum facere nollet, hinc occasionem rebellandi suscepit, *et* cum eo simul *Magnus filius Ottonis ducis Saxoniæ aquilonialis. Set rex prædictum Ottonem cum legitime ad satisfactionem vocatus nollet venire, ducatu et* cæteris beneficiis *privavit.* — Dietmarus Curiæ episcopus obiit, cui Heinricus monachus Augiensis successit. — *Meginwardus* regis exacturam et præcepta et servitia pati nolens, *sponte Augiensem abbatiam dimisit. — Hiemps ventosa et pluvialis.*

MLXXI.

Rex natalem Domini . . . . [134] egit. — *Welf dux Bajoariæ efficitur. — Heinricus rex multas insidias* a Saxonibus *passus, viriliter omnes transivit. — Otto* B *jam dudum dux Bajoariæ, cum sociis suis in pentecoste regi ad deditionem venit. —Karlomannus*, Constantiensis ille appositus, *ex præcepto Alexandri papæ habito Mogontiaci concilio* (61) a canonicis Constantiensibus constanter ob prædictam heresim et tot sacriiegio perpetrata, per accusatorias litteras objecta illi, synodaliter convictus, utpote qui contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam egisse negare non potuit, ecclesiam scilicet per precium adeptus, de sede, quam symoniace invasit, confusus abjiciebatur; non tamen publica, ut oporteret, depositione. Rex quippe quantum maxime poterat, ipsi favebat; cui etiam virgam episcopalem non in concilio synodali, set in camera sua, adhuc corde indurato rebellis et invitus reddiderat. Et si hujusmodi sententia nondum consecratum exspectat et damnatum [135], quid erit de consecratis? et si hoc de episcopis, quid fiet de presbiteris? Ecce argumentum depositionis a majori ad minus. Et cum juxta præcepta sanctorum Patrum nulli clericorum fas sit ignorare statuta canonum, de multis unum hoc breve ex decretis sancti Nicolai papæ capitulum memoriæ non pigeat commendare : « Quicumque presbiter per precium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur, quoniam contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam dinoscitur egisse. Qui autem alium presbiterum legitime ad ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vendicaverit, quod vitium male diffusum summo studio emendandum est. » Otto Goslarensis canonicus Karlomanno a rege substituitur.

Quidam Roupertus, abbas Babinbergensis, Augiensem abbatiam dato regi multo auro Symoniace intravit; qui postmodum anathematizatus expellitur (62).

MLXXII.

Rex natale Domini . . . . . [136] et *pene sine difficultate bellorum sibi rebellantes superavit. Petrus Damiani piæ memoriæ cardinalis episcopus, jam dudum mundo crucifixus*, 7 *Kal. Mart.* (63) *migravit ad Dominum. Cui domnus Geraldus* Cluniacensis *monachus, scientia scripturarum insignis et moribus prædecessori suo non impar, in episcopatum successit. Adalbertus Bremensis archiepiscopus obiit. Cui* Liemarus *successit.*

Rex multa sibi munitissima castella construxit in partibus Saxoniæ et Thoringiæ, et plures *sibi munitiones injuste usurpavit, unde multorum animos contra se excitavit.*

His etiam diebus Mediolanensis ecclesia episcopo decedente aliquamdiu vacat. Cui quidam maxima data peccunia regi et suis consiliariis, successit. Quem a papa excommunicatum rex consecrare præcepit. Clerus autem alium sibi idoneum elegerat, qui [137] ab illo coactura jurisjurandi expulsus dicitur (64).

MLXXIII.

Rex natale Domini . . . . .* . . [138] *Roudolfus dux Alemanniæ, et Bertholdus dux Carantaniæ, et Welf dux Bajoariæ a rege discesserunt, quia aliis subintroeuntibus consiliariis, suum consilium apud regem non valere perspexerunt.*

Theodericus comes pœnitentia ductus pro facinore quod in beatum Chounradum Trevirensibus præsulem C *deputatum commisit, licet multa pericula obstarent, ardenti tamen fide cum multis aliis Jerusalem cœpit ire. Qui cum* Laodiciæ *mare navigio cœpissent intrare, subita tempestate circumventi, statimque obtenebrata* [139] *die quo irent incerti*, post quatriduum [140] procella semper eodem motu navim conquassante, nocte *cœlesti lumine* ad se descendente *sæpius exhilarantur. Deinde non jam mortem in periculis timentes, set vitam æternam præmeditantes, marinis fluctibus a peccatorum emundati sordibus*, 13 *Kal. Martii naufragantes* [141] *migraverunt ad Dominum, Theodericus comes, Wilderold, Marchward, et cum* illis numero 113.

Herimannus marchio, filius ducis Bertholdi, adolescens adhuc ad *evangelicam* jam tendens *perfectio*- D nem, cum (65) *uxore et filio unico, omnibus quæ possederat relictis*, Christi secutor verus, et nudus nudæ crucis bajulus, *Cluniaci* revera *monachus* efficitur. Ibi solo hoc uno parum plus anno regulariter omnino conversatus, 7 *Kalend. Maii* feliciter *migravit ad Dominum*; crebris revelationum oraculis [142] pro

VARIÆ LECTIONES.

[134] Goslariæ *inserit Uss., quod tamen in* 1° *æque ac in* 2. *deest.* [135] damnat° 2. [136] Wormatiæ celebravit *inserit Uss. ex conjectura, quum in* 1°. *et* 2. *desit.* [137] e. — quæ 2. [138] Babenberg celebravit *addit Uss. deest tu* 1°. 2. [139] opt. 2. [140] quadriduum 2. [141] *Necrol. Bernoldi*, [142] miraculis 2.

NOTÆ.

(61) xv.o Kal. Sept. Mansi concil collect. t. XX, p. 10.

(62) Gregorii VII Regist. I, 82, ad univers. christ. Mansi t. XX, p. 122.

(63) VIII Kalend. Mart. Bernoldus, e VIII Kal. Mart. idem in Necrologio.

(64) Ughellus, Ital. Sacr. t. IV, p. 114, intrusum Gothofredum, alterum Othonem nominat. Uss.

(65) Minime ita Bernoldus, quem scriptor Sanblasianus haud intellexisse videtur

Digitized by Google

occultis et neglegentiis suis monitor adhuc fratrum exsistens.

Romæ Alexander papa decessit. Pro quo venerabilis Hiltebrandus Romanæ æcclesiæ archidiaconus, vir prudens, sobrius et castus, *communi omnium consilio expetitur papa constituendus. Quo audito, sese imparem tanto honori immo oneri reputans, inducias respondendi* vix imploravit [143]; *et sic fuga elapsus aliquot dies ad Vincula sancti Petri occultatus latuit. Tandem vix inventus et ad apostolicam sedem vi perductus, papa* 158us [144] *ordinatur, et Gregorius VII appellatur. Cujus prudentia non solum in Italia, set etiam in Theutonicis partibus refrenata est sacerdotum incontinentia; scilicet quod prædecessores ejus in Itqlia prohibu*erunt, *hoc ipse in* aliis *Ecclesiæ catholicæ* partibus *prohibere studiosus* attemptavit.

Tota Thoringia et Saxonia regi Heinrico rebellant propter prædictas munitiones et alia multa, quæ contra voluntatem ejusdem populi rex in eorum regione insolenter fecerat et *inconsulte*, et quæ ipsi diutius æquanimiter pati et sustinere non poterant. Et facta conjuratione cum magna multitudine ex inopinato eum constringere, ad quos illis erat animus, deliberabant. Ipse autem comperto illorum consilio, assumpto festinanter thesauro suo, prout temporis articulus concesserat, vix ab eis cum paucis Wormatiam evasit, et eo locorum aliquamdiu tunc infirmabatur. Dehinc disposita rex expeditione in Saxoniam, prævenientes eum Saxones, satisfactionem illi, si justitias majorum suorum illis concederet, unanimiter promittebant. Et facto pro hac pactione Herbipoli colloquio, nichil illic aliud post multas illorum et intolerabiles injustitiæ quam sustinuissent quærelas actum est, nisi quod dedignanter regi falsam denuo satisfactionem in natali Domini se facturos juxta quorundam episcoporum et ducum prædictorum consilium condixerant. Iis ita peractis, unus quidam de consiliariis regis discedens ab eo, publicavit et accusavit eum apud duces prædictos, quod cum eo scilicet et cum aliis suis intimis consilium jam factum haberet, quod omnes quomodocunique interficeret; et se ipsum destinatum et maximis præmiis coactum esse in id ipsum facinus, palam protestatus est. Unde maxima discordia inter regem et principes effecta est, in tantum ut ipse vix evaderet insidias eorum, Wormatiam civium ope ingressus. Ibi undecumque collectis auxiliantium copiis, exspectabat diem in quo se duello de incusatione prædicti facinoris expurgaret. Statuto demum die adveniente, in quo se coram regni principibus aut expurgaret aut regno pelleretur, ipse proditor illius, qui perduellis in eum exstiterat, subita morte obierat; et sic intentionis prædictæ causa, dum jurandum regis quo se expurgare voluit refutarent, dilata, ipse recollectis undique quoscumque potuit militum et fidelium suorum cuneis, cœpit in dies parvipendere inimicitias adversariorum suorum.

Ruotperto jam et a papa anathematizato, et a rege pariter propulsato, quippe ut juste sacrilego Symonis discipulo, *tandem Eggehardus*, unus ex Augiensibus fratribus et ab illis electus, *abbas Augiensis efficitur, et* juxta privilegiorum suorum statuta *a prædicto papa* post Pascha *Romæ consecratur* (66). Ruotpertus autem apud Genginbach abbas effectus (67), ob beneficium quoddam quod æcclesiæ ministro cuidam auferre voluit ab eodem interfectus est (68).

MLXXIV.

Heinricus rex natalem Domini, quamvis in maximis periculis et angustiis, Wormatiæ celebravit. Dehinc collecto undique quorumcumque poterat auxilio, in purificatione sanctæ Mariæ Saxones adiit de repente. Qui vim belli metuentes, ad deditionem eo pacto venerunt, *ut munitiones prædictæ destruerentur, propter quas seditio orta est; quod deinceps peractum est.* Sic absentibus ducibus prædictis et cæteris regni primatibus, reconciliatus est rex Saxonibus simulatorie, et cum eis ad usque Goslariam pervenit, non multum tamen confidens in illis. *Roudolfus dux et cæteri* rebelles *reconciliantur regi.*

In hac quadragesima imperatrix [145] et duo episcopi *sedis apostolicæ legati* cum ea de Roma ad Phorzheim *in Alemanniam ad regem venere pro ipsius regis moribus corrigendis.* Rex Pascha apud Babinberg egit. Inde ad Nuorinberg ad matrem et ad cæteros apostolicæ sedis legatos perveniens, reum *in eorum manus se*, præsentibus episcopis Mogontino et Bremensi cum aliis multis, *sub correctionis sponsione commisit, suumque auxilium domno apostolico ad deponendos Symoniacos firmissime promisit. Ipsi etiam regis consiliarii omnes res æcclesiarum injuste acquisitas se reddituros coram eisdem legatis sub sacramento promisere, quippe qui eas a Symoniacis emerunt, consilio suo indignos eosdem ad æcclesiasticum honorem adjuvando. His ita dispositis,* imperatrix et *legati apostolicæ sedis redierunt.*

Ea æstate rex expeditionem in Ungariam movit pro adjuvando rege Salomone, qui etiam ob flagitorum suorum insolentiam et turpitudinem a patruo suo et cæteris regni melioribus depulsus est dignitate sua, parvipendens et ipse consilia illorum. Sed rex ibi nichil ad votum suum efficax, scilicet ad restituendum Salomonem, efficere prævalens, recepta demum sorore sua regina Juditha, uxore Salomonis, non bono omine [146], quo egressus est, domum Wormatiam revertitur. Regi filius (69)

VARIÆ LECTIONES.

[143] *al.* impetravit *Uss.* [144] 159. *Ann. Engelberg. et corrector Bernoldi.* [145] mater hujus H, imperatoris *glossa sæc. XIV.* 2. [146] homine 2.

NOTÆ.

(66) Gregorii VII Regist. I, 82
(67) Nonnisi post Accilini obitum anno 1074.
(68) Anno 1075, II Idus Decembris.
(69) Conradus d. 12 Febr. natus.

Digitized by Google

nascitur. Autumnali tempore denuo repetens Bajoariam, et in illis partibus aliquamdiu moratus, inde per Augustam et Augiam Aryentinam devenit civitatem.

MLXXV.

Rex natalem Domini apud *Argenturcum* non parvis optimatum suorum gloriosus copiis officiose celebravit, et ibidem sub nomine propalato Pannonicæ quasi post Pascha mox reiterandæ *expeditionis Saxoniam* cum exercitu ex improviso adeundi artificiosa jamjamque industrius intentione cum suis fidelibus moliebatur; sic undecumque prudenter conducto non modico militaris apparatus collegio, tanto suas facilius ultum ire posse sperans injurias, quanto adversariis suis inopinatius jam totus ex toto animum intenderat.

Synodus Romæ quadragesimæ diebus a papa Gregorio summo conatu colligitur, ob sedandas quomodolibet tot sine numero sanctæ matris æcclesiæ scandalorum præsumptuosas inmanitates, et aliquantulum, quas modernitas nostra omnino ferme dedicerat et annulaverat, rememorandas observabiles canonicasque sanctorum Patrum constitutiones. Quippe qui contra spem in summe fortis agricolæ auxiliatoris spem non parum confisus, agrum Dominicum, quamvis multo jam ex tempore incuriosa prædecessorum suorum pigritia dumosis nimium usurpationum abusionibus asperrime satis fruticantem, nec non veternosa fructus æcclesiastici ejulabili obsolentia luxurianter prorsus silvescentem [167], ipse tamen authenticis catholicæ et apostolicæ animadversionis securibus rite attemptavit expurgare; cujus spinas tribulos et zizania prædecessoribus illius facillimum jam tum suo tempore fuerat cum false disciplinali sensim demetere, tum sarculo doctrinali radicitus exsarire. Ergo regulas sanctorum Patrum authenticas per singula nunc usque concilia rite constitutas proprium robur obtinere, toto sancto concilio judicante et concordante, apostolica auctoritate firmissime decrevit; et si quis his contumax refragari præsumpserit, a membris æcclesiæ omnino alienus sit. Dehinc præter cætera iuxta (70) auctoritatem sanctorum Patrum in eadem ynodo sententiam dedit, ut hi qui per Symoniacam eresim, hoc est interventu precii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium promoti sunt, nullum in sancta æcclesia ulterius ministrandi locum habeant; illi quoque, qui æcclesias datione pecuniæ obtinent vel obtinuerint, omnino eas amittant. Nec deinceps alicui vendere eas aut emere liceat nec decimis uti, nisi canonicæ constitutionis norma, aliquis præsumat. Nec illi qui in crimine fornicationis jacent, missas celebrare, aut secundum inferiores ordines ministrare altari debeant. Statuit etiam, ut si prænotati contemptores fuerint ipsius immo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officium, utpote a membris æcclesiæ abalienatorum, recipiat; ut qui pro timore Dei et officii dignitate corrigi noluerint, verecundia sæculi et objurgatione populi resipiscant. Obœdientibus autem et pro errore suo revera pœnitentibus apostolica mansuetudine et auctoritate a peccato suo solutis misericorditer indulserat; sic induratorum justus judex et ligator, ut vere pœnitentium remissor pius et solutor catholica fide indubitanter credendus. Ibi etiam regis consiliarios ob heresim Symoniacam, parvipendentes quod legatis ipsius per sacramentum promiserant, iterum anathematizavit (71). Quos ob id rex indignatus minime devitavit. In eadem synodo justa canonum statuta sententia depositionis simul et excommunicationis [168] in Heinricum Nemetensem episcopum data est (72). Qui pro Symoniaca heresi jam diu apud Romanam sedem canonice delatus, et ab causam suam examinandam illud vocatus, venire contumax dedignatus est. Nunc autem mirum in modum eadem die et hora qua Romæ judicialiter depositus gradu et episcopatu et excommunis factus est, tunc ipse Spiræ more suo deliciose procuratus dum a mensa resurgit, mox tam acutissimo doloris spiculo guttur ejus letaliter præfocatur, ne dehinc nisi perraro verbum saltem, et hoc ad usque mane diei sequentis vix proferre sufficeret, post meridiem morte amarissima ab episcopatu simul et vita periculose satis deponendus (73); ut in hoc miraculo ea virtus verborum Dei ut et veritas comprobaretur : *Quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlo.* — Ecce jam evaginatus Petri gladius judex fraudium scientissimus et in adversarios zelotes efficacissimus, quo ipse Ananiam et Saphiram de precio agri fraudantes et Spiritui sancto mentientes mortaliter attigerat, quo Symonem quoque heresiarcham de illo suo cælesti ascensu ad usque terras in quatuor frustra [169] discerpendum, et dehinc ad usque inferos perpetuo damnandum dejecerat, nunc et semper ab omnibus Symoniacis tanto sollicitius timeatur, quanto non est defensionis clypeus præter pœnitentiam perfectam, quo tam longus penetrabilis et inevitabilis vindex usquam præcaveatur.

Prædictis autem et omnibus ferme apostolicæ

VARIÆ LECTIONES.

[167] inveneral *inserit Uss.* silvescente 2. [168] excommunicatio 2. *Uss.* [169] frustra 2.

NOTÆ.

70) *Juxta auctoritatem — populi resipiscant*, paucis mutatis et Gregorii papæ epist. ad Ottonem Constantiensem episcopum sumpta sunt. Mansi, t. XX p 404. Apud Bernoldum opusc. IV, 1, p. 272, eadem epistola legitur.

(71) Conc. Rom. II. Mans. t. XX, p. 443.

(72) Conc. Rom. II, l. l.

(73) Hæc eadem refert Bernoldus opusc. III, ep. 5 ad Alboinum, n. 22.

Digitized by Google

sedis statutis in diversas ecclesias aut per litteras aut per mandata promulgatis, pene omnibus resistitur; et inde maximum odium in domnum apostolicum et in perpaucos eos qui consentiunt ei, et maxima scismata circumquaque, set maxime a clericis, excitata sunt. Et quia causæ communes sunt, præcepit domnus papa ob eas canonice diffiniendas Mogonciaci universale fieri concilium (74) Quod jam archiepiscopus suis suffraganeis 16 Kal. Sept. observandum innotuit. Qui [150] jam tunc inobœdientiam præmeditantes, contempto apostolico præcepto, infectum dimiserant [151].

Heinrico miserabiliter decedenti Outzmannus, Spirensis ecclesiæ canonicus, successit. Heinricus *rex pascha* apud *Wormatiam celebravit. Et post pentecosten exercitum* numero non modicum in Pannonias palam antea præparatum, tunc *in Saxoniam* de repente *promovit*. Saxones autem et Thoringi comperto jam dudum hoc invasionis tam dolosæ consilio, et ipsi quantum pro temporis articulo poterant, facta conspiratione occurrere regi deliberabant; ea tamen intenti pactione, ut si quolibet molimine cum corporali sua salute et integritate concessa, et paternarum legum et justitiarum jure retento, regi possent satisfacere, ad deditionem ipsi se humiliarent; sin autem, potius pro vita, pro patria, proque suis omnibus inordinata hac regis coactione pugnando innocenter occumberent, quam se ipsos absque culpa intolerabiliter discruciandos, cumque suis omnibus, ut antea solebant, regi suisque militibus diripiendos et mancipandos imprudenter contraderent.

Rex autem alia animosus intentione venerat, ea scilicet, nisi absque omni conditione hujusmodi sese reos in illius manus dedissent, qui honor suus esset, omnino satisfactionem illorum recipere nollet; sin autem, bello cum eis potius decertaret, quo usque ad libitum suum reos in se perduellionis victos subigeret. Quod ipsi, jugum subactionis grave nimis, immo potius omnino durissimum fore pensantes, illud jam utpote inpar et inportabile cervicibus suis, non posse prorsus libero suo collo longius trahere, querula satis proclamatione detrectabant.

Rex denique hoc cum suis et regni optimatibus consilio minus salubriter communicato, acies castrorum armis officiose instructas, prior in eos ex improviso appetendos artificiosus ordinaverat. Et ducibus Alamannorum [152] et Bajoariorum cum cohortibus suis bellicosis ad primam coitionem, ut et se lex habet Alemannica [153], ante se caute nimirum præmissis, ipse se retro cum suis electissimis illis fore præsidio et adjutorio prudenter satis destinaverat. Saxones autem viso de repente hostium incursu bellacium, quamvis stupidis et non injuste perterritis, se ex consilio armare et acies suas in pugnam juxta solitum ordinare; neque locus neque tempus restaret, tamen inordinate, et prout articulus temporis momentaneus dederat, tumultuose omnifariam arreptis armis pugnaces eos præstolabantur. Et sic bellum a nostratibus audenter inceptum, durissime ab utrisque in alterutrum permixtis aliquamdiu duraverat. Tandem vero Saxones vim et impetum bellantium, utpote ad pugnam omnimode instructorum, diutius ferre non sufficientes, fugam adierunt. Et ferme ad duo miliaria crudeliter eos fugientes insecuti sunt, dehinc auxiliantibus eis ab utroque latere duce Gotifrido et duce Boemiorum (75). Et ceciderunt ex eis ad octo ferme milia. Plures autem vulnerati, vix fuga dilapsi sunt. Nostrates tandem victoria quamvis cruenta potiti, quippe ex eis plus quam mille quingenti [154] interfecti sunt, pervasa illa patria et incendiis prædisque ex magna parte devastata, infecta causa et rege aliquantulum offenso, repatriabant. Otto autem quondam dux (75 *), et Magnus dux, et cæteri majores Saxonum adhuc in perduellione eadem et ratione qua prius demum post fugam rebelles et pugnaces pertinaciter duraverunt.

Dehinc igitur autumnali tempore rex item passim recollecto et undecumque præmiis conducto militiæ non parvæ apparatu, Saxonum reliquias perdomandas sibique ab libitum suum mancipandas, commi-natorio simul et promissorio sermocinio artificiosus satis et importunus aggreditur. Pium et pro certo mitem, reconciliatorium, munificum, et in paternas eorum leges et justitias cunctis sibi obtemperantibus judicem rectoremque justissimum sese extunc in posterum fore profitebatur, et sub jurejurando, ut aiunt, blanditiosus multum illud protestabatur; si autem e contrario perduelles hujusmodi sermonibus non acquiescerent, se illis, quoad viveret, durum, calumniosum, omnifariam inquietum, et ad ipsam usque perniciem illorum inimicum, et direptorem infestissimum experiendum et sustinendum fore, minax satis et terrificus pertinaciter intentabat. His et hujusmodi in utramque partem per suaviloquos, illices, et corruptores internuntios minis et promissis astutissime viritim disseminatis, tandem regi etiam ob tot injurias illis illatas quasi dolorem simulanti pœnitentialem, nimium creduli et confidentes effecti sunt, præsertim cum præter hæc, ut aiunt, ipsis ex parte illius sanctissime clam jurata sunt, inprimis exoptata vitæ securitas, pacis fideique non fictæ fœdus inviolabile, justitiarum legum-

VARIÆ LECTIONES.

[150] Quo 2. *Uss.* [151] *hic non distinguitur in* 2. [152] *ita* 2. [153] Nota legem alamannicam id est sucuorum quod in prima acie semper debeant pugnare. *glossa sæc. XVI. in* 2.. [154] mille D. 2.

NOTÆ.

(74) Gregorii VII Regist. III, 4, ad Sigefridum Moguntinum archiep.

(75) Wratislao.

(75 *) Bajoariæ, et Magnus Saxoniæ.

Digitized by Google

que paternarum suarum plenaria libertas, si ei dumtaxat absque omni palam conditione, in hoc eum honorificantes, ad deditionem pervenire non dubitarent. Denique post hujusmodi plures tam fidei veritatique simillimas promissorias assertiones nichil minus quam dolos aut perfidiam sperantes, suasu præsumptibili episcoporum Mogontini maxime et Augustensis, nec non ducis Gotifridi et cæterorum, qui prorsus nisi summa necessitate coartati illis bello detrectarent congredi, sese complices regi juxta condictum promissorum ac deditionem pariter contulerant. Qui mox malesuadis auricullariorum suorum heu! perfidiose conspirans susurriis, in diversa præsidia et in custodiaria illos disportari eosque fide promissorum ex integro postposita pariter captivari, utpote durius illorum perduellionis injurias ultum iri percupientissimus, mente pertinaci præceperat. Et ipse dehinc jure quodam majestativo possessiones quorundam illorum invaserat, et castella omnia, quæ etiam antea sibi rapinatim per totam Saxoniam usurpaverat, denuo econtra nullo saltem vel musitante, præsidiis suis inpositis [155] imperiosus [155] regnator occupaverat.

Herimannus Babenbergensis dictus *episcopus ob Symoniacam heresim a papa* Gregorio ordine et episcopatu *depositus* et excommunicatus est. Qui conversione simulata, ab apostolico mox reconciliatus, monasterium Suarzaa petiit, illic se monachum fieri professus. *Cui* mox a rege *Roupertus* quidam, Goslariensis præposituræ et aliarum plurimarum prælatus, ipsius consecretalis intimus, pene omni clero et populo ingratus, *sub*ponebatur, et mox in natalitio sancti Andreæ a Mogontino episcopo jussu regis ordinatur (76). Per idem tempus Anno, fidelis et prudens Christi Jesu minister, Coloniensis archiepiscopus, qui hilaris multumque liberalis rerum sibi commissarum in pauperes Christi dispensator, et æcclesiarum quinque novellarum industrius et sumptuosus institutor et provisor, postquam omnia quæ habere videbatur temporaliter, in cœleste gazophilatium congesta thesaurizavit, felicis efficacia consummationis et ipse illuc prosecutus, gaudium Domini sui super multa constituendus, et indeficientibus numquam præmiis remunerandus, beatissimus o utinam! intravit. Qui apud Sigibergense monasterium sepultus, multis revera miraculis inibi sanctissimus claruerat. Cui quidam Hildulfus Goslariensis canonicus, servus ipse regi, majestate regia, clero et populo reclamante, vix appositus, et Simoniace ordinatus, set in proxima sequente Romana synodo ob id et inobœdientiam deponendus, substitutus est.

Eodem tempore æstivali domnus papa regi post tot contempta illius promissa et mandata, adhuc apostolica mansuetudine (77) attemptando commonitorias direxit litteras (78), quatinus quid et cu promiserit, recogitando meminerit, neque se falsarius aut contumeliosus in Dei et apostolicæ dignitatis contemptum et injuriam pertinaciter erigeret, neque Deum, qui se præ cæteris tam honoratum sublimaret, contumax et incorrigibilis annullaret, set mente plurimum sollertissima id semper attenderet, quia superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Ipse autem pro victoria, qua tam magnifice potitus est, non quidem maximas Deo, qui ipsum vincere et triumphare dedit, grates, ut oporteret, referebat, verum potius, qualiter se secundum se delectatum et jocundatum haberet, totus semper attendebat. Monita (79) vero apostolicæ lenitatis, quibus eum multotiens antea arguendo, obsecrando, increpando, ad emendatiorem vitam adhortatus est, quasi gratissima sibi simulatorie acceptavit, cæterum re et erroris exaggeratione omnino conculcavit. Aliquoties etiam devotas econtra ipsi salutationes et litteras direxit excusatorias (80), satis confitendo conquerens, tum ætate quod fluxa esset et fragilis, tum quod ab his in quorum manibus curia esset, multotiens sibi male suasum et consultum sit. Aliquoties etiam supplices (81) et omni humilitate plenas ipsi direxit litteras, in quibus se Deo et beato Petro valde culpabilem et criminosum professus est, insuper preces offerens, ut quod ex sua culpa in æcclesiasticis causis contra canonicam justitiam et decretalia sanctorum Patrum statuta depravatum fuisset, apostolica ejus providentia et auctoritate corrigeretur, et in hoc suam obœdientiam, consilium et adjutorium sibi non defutura efficaciter experiretur. Nunc autem hujusmodi sui ipsius et æcclesiarum tam perplures correctionis sponsiones, quas tantotiens per legatos et litteras domno papæ tam multifariam fecit, omnino contumax parvipendit, et excommunicatis in proxima Romana synodo consiliariis et familiaribus suis præsumptuosus communicavit, et ecclesias Dei, ut ab olim assolebat, confundere et diripere non cessavit (82).

His compertis domnus papa, cum se tam palam

VARIÆ LECTIONES.

[155] *ita* 2.

NOTÆ.

(76) Cf. Bernoldi opusc. I, 2, p. 207; x, 2, p. 379; xii, 6, p. 395. Vid. Gregorii VII Regist. III, 1, ad Bambergenses; III, 2, ad Sigifridum Mog. arch.; III, 3, ad Heinricum regem.

(77) « Apostolica mansuetudine — dat gratiam. » Gregorii VII ep. ad Germanos. Mansi t. XX, p. 375.

(78) Libri III epist. 7, 10, et libri IV epist. I, et jam anno priore libri II epp. 30 et 31. Uss.

(79) « Monita vero — consultum sit. » Gregor. epist. ad Germ. Mansi t. XX, p. 378.

(80) Vid. Heinrici epistola inter Gregorianas pos epist. I, 29. Uss.

(81) « Supplices et omni — adjutorium. » Gregorii ep. ad Germ., l. l.

(82) Gregorii ep. ad Germ., l. l.

Digitized by Google

contemptui haberi cerneret, adhuc induratum suum vel semel attemptare proposuit, et tres viros religiosos (83) ipsius utique fideles, quorumque duos ad se Romam, utpote cæteris familiariores, jam misit, ad eum quoque familiarius adloquendum et juxta evangelicam doctrinam lucrificendum festinanter legatos remisit; quique eum, ut est amicorum, suasoriis et secretis suggestionum incitamentis, nec non amicæ et puræ libertatis blandiloquiis ad dignam scelerum suorum pœnitentiam instigatum revocarent, et ea, quamvis dictu horrenda, passim tamen vulgatissima, ipsi partim enarrando proponerent, et sic in ore horum trium testium staret omne verbum. Per hos etiam ipsi indubitanter intimari fecit, si eos seorsim sibi loquentes non audiret, quod ejus flagitia æcclesiæ per ordinem propalata innotesceret; si autem æcclesiam non audiret, ipse eum quasi ethnicum et publicanum a membris ejus omnino separaret.

Qui Goslariam ad regem circa nativitatem Domini pervenientes, juxta quod illis per obœdientiam impositum erat, caute nimis, set non absque maximo vitæ suæ periculo, peregerant. Quos ille non bona patientia suscipiens, totum quod ipsi secreto in aurem elocuti fuerant, mox ira et indignatione non mediocri succensus, convocatis suis consiliariis palam fecit enarrari querelosus, ea, ut fertur, intentione, ut non solum ipsius, set et suas proprias tanto magis defendere conarentur causas. Et mox, quod præter cætera domnus apostolicus ei specialiter interdixit, excommunicatis ex studio tunc pervicaciter communicavit, non attendens caritatis et longanimitatis illius paternæ tolerantiam, qua salutem et honorem ipsius in gremio sanctæ Ecclesiæ se amplexurum fore per hos viros sibi fidelissime demandavit, si resipuerit; nec metuens econtra severitatis illius comminatorium gladium, quem ipsi pariter, si in errore consueto pertinax et inobœdiens perduraret, inrefragabiliter nimis intentaverat.

Eodem tempore autumnali Hirsaugiense cœnobium, ab Erlefredo quodam nobili et religioso senatore jam olim, ut fertur, sub Pippino rege (84) regulariter satis institutum, set posterorum illius invasione ex multo jam tempore destructum et direptum, a comite Adalberto, uxore ejus Wieldruda et filiis eorum in id ipsum consentaneis, jam aliquamdiu restauratum, nunc sub testamentario regiæ majestatis jure et scriptione plenariæ libertatis [186] omnifariam domino Deo, sancto Petro, sancto Aurelio et sancto Benedicto contradebatur. Et sic ex toto proprietatis illorum absolutum dominio, solita legis Alemannicæ abrenuntiatoria testificatione coram multis testibus apud eundem locum, et in ipso sancti Aurelii die festo, liberrimum peractum a se prorsus emancipabant (85), et in servitium Dei abbati Willihelmo ejusque sucessoribus in liberam potestatem et curam, et fratribus inibi sub regula monastica victuris in necessariam sustentationem destinatum, satis legittime confirmabant. Pro cujus institutionis liberrimæ decretis, apostolicæ auctoritatis privilegio roborandis, dum mox ejusdem loci abbas Willihelmus Romam perveniret, et ad votum suum apud papam Gregorium id efficaciter, pro quo exierat, perageret, dum repatriare jam moliebatur, acerrima illa passione ilico invasus afficiebatur, quam Greci atrofiam, id est cessationem nutrimenti, dicunt, quæ quidem a diminutione et tenuitate carnis ex causis quibusdam naturæ latentibus et paulatim reconvalescentibus accidit. Insuper febribus planetis, disinteria, æmorroida, id est sanguinis fluore, tabefactus, nec non inguinario quodam tumore non minimum ad hæc una distentus, circiter quinque menses, ab ipsis etiam medicis omnino desperatus, set non solus suorum, miserabiliter cruciabatur. Demum vero, postquam Deo omnipotenti medico miserante, tempus miserandi advenit, oleo sacro a fratribus unctum, et a peccatis dimissum, oratio fidei salvavit infirmum. Sic ad cellam suam, mox reconvalescens, cum acquisitis apostolicæ liberalitatis privilegiis et benedictionibus vix repatriavit (86).

Dietwinus Leodiensis episcopus decessit, cui Heinricus Viridunensis præpositus *successit.*

MLXXVI.

Heinricus rex natalem Domini Goslariæ egit, Saxonibus quamquam illi non parum infensis et non omnino fidelibus, utpote tam sæva et injuriosa animositate ipsius majestative suppressis.

Gregorius papa, ut bonum pastorem oportet, ovile

VARIÆ LECTIONES.

[186] libertati 2.

NOTÆ.

(83) Hos ipse Gregorius nominat l. III, ep. 10, Radbodum, Adalbertum et Uodescalcum. Data est hæc epist. ad regem VI Id. Jan., indict. 14, quod a. 1076 indicat, quo hæc sunt referenda. Uss. — Sed litteras papæ anno 1075 scriptas fuisse, ex unanimi Lamberti et Bertholdi narratione constat, qui regem legatos Goslariæ circa nativitatem Domini recepisse et tum generalem principum conventum, Wormatiæ d. 24 Januarii celebrandum indixisse referunt. Bernoldus regem litteras papæ Kalendis Januarii accepisse scribit. Quæ alias jam in contrariam partem disputata sunt, inde concidunt, quod si rex litteras d. 8 Januarii scriptas exeunte mense Goslariæ recepisset, principum in d. 24 ejusdem mensis Wormatiam convocandorum facultas non fuisset.

(84) Imo sub Ludovico Pio imp. anno 830, jactis ab Erlafrido comite de Calwa primis cœnobii fundamentis. Vid. Hist. Nigræ Silvæ tom. I, p. 267. Uss.

(85) Traditio hæc facta est Hirsaugiæ a. 1075, indict. 13, fer. 2, XVIII, Kal. Oct; confirmatio vero Heinrici IV, eod. a. VII. Id. Oct. Chartam exhibet Belsoldus Docum. monast. Wirtemberg. tom. I, pag. 318. Bullam vero Gregorii VII, pag. 333. Uss.

(86) Similia fere habet Heymo in ejus Vita, n. 4, apud Mabill., sæc. VI, p. II, p. 727. Uss.

Digitized by Google

Christi a lupina rabie undique oculatus sollertissime muniendo, non modo alibi, verum in ipsa Romana urbe nonnullos adversarios et insidiatores antichristianos propter justitiam sustinebat. E quibus quidam nomine Quintius [187], raptor sacrilegus et prædo facinorosus, post multas insidias vesanus et sacrilegus contemptor omnium sacrorum Dei, consurgens in illum in nocte sacratissima nativitatis Domini, cum ad Sanctam Mariam majorem missas faceret, cum manu armatorum vesana ecclesiam irrumpere [188] furiosus, et antequam postcommunialem orationem eucharistiatus finiret, ab altari rapuit, vulneratum cepit, et in turrim suam tanquam latronem sacrilegum cum maximo ludibrio tractum, et miserabiliter coartatum incarceravit. Ibi diu gladio super collum illius furialiter stricto, torvus, minax, et omnifariam terrificus, thesaurum et firmissima sancti Petri castella in beneficia sibi extorquere non cessavit ab eo; set omnino non potuit. Nec mora, hoc summopere lamentabili per totam ecclesiam sacrilegio tota civitas ejulabiliter nimis commota est; turrim ipsam cum maximo zeli Dei fervore inpugnant, et eam, domno papa quem jam interfectum putabant inde erepto, destruunt, et totum quod ad Crescentium [189] pertinebat, in brevi dissipant, ipso vix interventu papæ, cui se reum dederat, inde vivo propulsato, uno autem solo, qui papam in caput sacrilegus vulneravit, ibidem interfecto; sic apostolicus gratanter ad altare rediens, missas consummavit.

Quincius vero solita papam deluserat vecordia; quippe in turri sua dum civium suorum tumultum zelumque Dei in se ardentissimum videret, metuens vitæ suæ et suorum, confessus est ipsi peccatum suum, et obœdientiam dignamque pœnitentiam et satisfactionem ei devotione quamvis simulata promisit. Quod ex toto parvipendens, noctu Urbe fuga lapsus evasit. Dehinc papa datis indutiis eum ad pœnitentiam, quam inposuit, revocavit; ipse autem non modo apostata in hujusmodi factus est, quin etiam quoddam castellum firmissimum ibi contiguum occupavit, ubi latrocinando rapinis et sanguine victitabat. Unde papa per Prænestinum episcopum fecit eum excommunicatum damnari. Ipse autem regi per omnia morigerus, sic per biennium grassabatur, Dei contemptor induratus.

Tandem vero rex, non modico furore post discessum virorum prædictorum permotus, et indignum (87) ducens se a quoquam reprehendi debere aut corripi, non solum non resipuit, quin potius ampliori tergiversatione contra fas temerarius satis periculose desipuit. Namque infausto consilio cum suis inito, plures regni episcopos et principes, eos maxime quos suæ voluntati consentaneos noverat, apud Wormatiam (88) convocavit. Quos pene omnes debitam (89) beato Petro et apostolicæ sedis præsuli Gregorio obœdientiam abnegare, eique palam unumquemque ex nomine suo specialiter scripto, imprimis autem sui ipsius prænotato, inita in id ipsum conspiratione abrenuntiare coegerat. Indeque litteras abrenuntiatorias per episcopos duos, Spirensem (90) et Basiliensem (91), primum in Italiam principibus et episcopis illius patriæ, huic conspirationi associandis, direxit, deinde Romam. Qui mox habito non minimo conventu juxta Placentiam, non solum verbis et litteris set testificatione jurisjurandi *domno papæ obœdientiam debitam non exhibendam*, utpote qui se ab eo pro Symoniaca heresi damnandos non parum timebant, communi voto simul omnes deliberabant. Denique litteras hujusmodi inobœdientiam continentes per legatos, quendam Parmensem canonicum, et servum quendam regis, properanter ad Romanam synodum dirigebant. Ubi litteris et mandatis publice in audientia totius conventus recitatis, domno papæ inobedientia deliberata pronuntiabatur, et ut cathedra descenderet, cui indignus præsideret, ex parte regis ipsi comminatorie satis imperabatur. Quid ibi tumultus et conclamationis et in legatos illos non ordinatæ incursionis excreverit, noverint illi qui præsto fuerint. Hoc unum sit nostrum inde dixisse, domnum (92) apostolicum non sine sui ipsius corporis magno satis periculo quam [190] vix eos Romanorum manibus semivivos eripuisse.

Tandem facto silentio, domnus papa fecit synodalia statuta super his inquiri et recitari, qui quasi in medio totius ecclesiæ contumaciter summo post Deum pontifici et suo rectori temere abjurato, inobœdientiam suam non erubuerant scriptis ex nomine profiteri, non intelligentes neque timentes quod ad illum et cæteros ecclesiæ magistros pertinuerit, quod Paulus ait: « Parati semper ulcisci omnem inobœdientiam. » Ipsos namque oportuerat diligentius attendisse quod sanctus Silvester (93) papa in Romana synodo jam inrefragabiliter decrevit (94): « Nemo primam sedem judicabit, quia omnes sedes a primæ sedis justitia desiderant temperari, neque ab omni clero, nec ab omni populo

VARIÆ LECTIONES.

[187] *ita* 2. [188] irrupit 1. *Uss.* [189] *ita* 2. [190] quamquam *Uss.*

NOTÆ.

(87) *Indignum — corripi.* Gregorii VII, ep. ad Germ., l. 1., p. 379.

(88) Vid. Bernoldi opusc. 1, epist. 3, p. 217.

(89) *Debitam — abnegare.* Ibid., p. 380.

(90) Huzmannum.

(91) Burchardum.

(92) *Sed Romanus pontifex (legatos) — de manibus Romanorum — vix demum eripuit — factoque silentio* — etc. Bernoldi opusc. 1, p. 220.

(93) *S. Silvester — judicabitur.* Bern. opusc. 1, 3, p. 218.

(94) Fictitiam esse hanc synodum, adeoque et allatum Silvestri papæ decretum, dudum consentiunt eruditi. Vide Bernoldi opusculum 1, epist. 3, n. 9, ubi hæc plenius habentur. Uss.

Digitized by Google

judex judicabitur ; » et illud decretum beati papæ Gregorii (95) : « Decernimus reges a suis dignitatibus cadere, et participatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi carere, si præsumant apostolicæ sedis jussa contemnere ; » et id genus multa. Quapropter (96) illic synodalis sententia data est, divinarum et humanarum legum auctoritate testificata, regem Heinricum non solum excommunicari, set absque spe recuperationis honore regni debere destitui, ut in excommunicatorum consortio foret, cum quibus ipse potius quam cum Christo habere partem eligeret. Primum (97), quod pertinax ab eorum communione, qui pro sacrilegio et reatu Symoniacæ heresis excommunicati sunt, abstinere noluit ; deinde quod, contemptor Dei publicus, pro criminosis actibus suis pœnitentiam non solum suscipere set nec promittere quidem voluit, nequaquam servans ea quæ legatis apostolicis jam promiserat ; nec non quod publica pervicax inobœdientia, apostolicæ sedi contumaciter resistere, et sic corpus Christi, id est unitatem sanctæ ecclesiæ, scindere et scandalizare induratus non expavit. Pro his denique culpis synodali judicio illum domnus apostolicus nec non omnes qui studio et voluntate in illa inobœdientia rei pervicaciter exsisterent et omnes majores et minores in hujusmodi re ex industria ipsi consentientes excommunicavit, et usque ad dignam satisfactionem a membris æcclesiæ in perpetuum separavit, ut quos mitis non potuit, vel severus ad viam salutis Deo miserante revocaret. His omnibus Agnes imperatrix, mater regis, intererat, cujus animam ipsius gladius damnationis non parum sauciaverat.

His diebus synodalibus dux Gotifridus demum [161] ab illa Wormatiensi conspiratione, non minimus suffragator et incentor illius, dum rediret, a milite quodam ad requisita naturæ in secessu sedens de deorsum vulneratus, infeliciter exspiravit excommunicatus. Cujus marcham (98) sororis suæ filius æquivocus illius, 40 libris auri vix emptam a rege possedit, ducatu, quem sibi jam avunculus præstitum ab eo acquisivit, injuste privatus. Cui filium suum vix biennem (99) rex præsidere fecit.

Dehinc rex et sui comperto apostolico anathemati fere omnes contradixere (100), et omnino injuste et non canonico ordine actum, quicquid tunc in synodo Romana a tam sacrilego errore actum sit, affirmantes, pro nichilo id prorsus habuere. Et hoc regis solummodo complices et fautores; cæterum quibus mens sanior erat, non ita. Ex quibus quidam episcopi, patriarcha Aquilegiensis, episcopus Salzburgensis, Pataviensis, Wormatiensis, qui et ipse cathedra sua pulsus est a rege, nec non Wirziburgensis, et pene omnes Saxonici, nec non duces Roudolfus, Berhtoldus, Welf, et cæterorum regni primatum pars non modica cum apostolico indubitanter sentiebant, quique prædictæ conspirationi interesse noluerant. Unde et dehinc a rege vocati, ipsum devitabant, cum [162] propter anathema, tum etiam quod maxime in illo [163] confidebant.

Episcopus Paderbrunnensis [164] obiit, cui Poppo præpositus Babinbergensis non omnino canonice successit, quippe a rege jam anathematizato, communicans ipsi [165], episcopatum suscepit. Quem tamen antea Trajectensis episcopus cuidam suo consanguineo a rege dandum pro munere conditionaliter accepit, ut scilicet Coloniensis episcopi, qui Symoniace et non [166] per ostium ascendit, ordinationi non resisteret, set ipse eum consecraret. Qui adeo delusus, non astitit regi toto animo, ut prius.

Apud Trajectum rex pascha egit, collectis [167] undecumque illuc non parvis suæ rebellionis et inobœdientiæ complicibus. Ibi tunc æcclesia, quam episcopus jam diu maximis impensis et studiis construxerat, a Deo et sancto Petro despecta, igne ultore mirabiliter conflagravit. Indeque per Lotharingiam revertitur Wormatiam, illic in penteceste colloquium cum suis comparibus habiturus.

Willihelmus Trajectensis episcopus regi subiratus declinavit [168] ab eo, et domum veniens, maximo sibi epularum apparatu fecit studiosissimus ministrari; et sic a mensa, in qua uno die tertio convivatus est, inpudenter nimis incrapulatus retrahitur, morteque repentina prævenius et inopinata, miserrime satis defunctus est, anathematis spiculo et ipse indubitanter condemnatus (101). Cui Chounradus Mogontiensis camerarius, regis communicator sedulus, et episcopatus datione ab eo non canonice complacatus, successit.

Colloquium quod apud Wormatiam fieri a rege constitutum est, ea condictum est [169] intentione ut aiunt, ut papa illic quasi canonice a tribus episcopis qui præ cæteris seniores viderentur præjudicatus, et ob scelera accusatorie ipsi objecta damnatus, sede apostolica qualitercumque dejiceretur, et sic pro eo alius, quem juxta cor suum sibi morigerum et ob-

VARIÆ LECTIONES

[161] Domum 1. [162] cum *corr.* tum 2. [163] *scilicet* apostolico; *Ussermann* non *ante* maxime *inserendum censuit; fortasse* minime *legendum est.* [164] baderbr. 2. [165] ipsi *corr.* ipse 2. [166] *deest* 2. [167] collegit 2. [168] declamavit 2. [169] *deest* 2. Uss.

NOTÆ.

(95) Idem legitur in Bernoldi opusc. VI, 9, p. 361. Decretum hoc desumptum est ex S. Gregorii M. epist. 8 (libri XIII nov. edit. Opp. t. II, p. 1223), ad Senatorem abbatem, ad quam etiam provocat Gregorius VII, in hac causa ad Hermannum Metensem scribens. Uss.

(96) *Quapropter, — eligeret.* Gregor. VII, ep. ad Germ., l. I., p. 379.

(97) *Primum — revocaret.* Ib., 380.

(98) Antwerpiensem. Hujus Godefridus erat occisi consobrinus, qui sub Bullionii nomine celebris postea evasit. Uss.

(99) Conradum, cui tamen a. 1089 ob rebellionem ducatum ademit, et Godefrido concessit. Uss.

(100) De hoc legendus ipse Gregorius epist. 2 et 3 lib. IV. Item Otto Frising. Chron. l. VI, c. 35, et De gestis Friderici I imp. lib. I, c. 1.

(101) Cf. Gregor. Regist. IV, 6, ad Heinricum Leod. episc.

Digitized by Google

sequialem invenirent, ibidem mox supponeretur. Qui tres jam in ipsa conspiratione prænominati, in Dei autem prædestinatione, ne illuc pervenirent, retardati sunt. Quorum Trajectensis, ut prædictum est, subito moritur; Brixiensis in itinere ipso captus a comite Hartmanno (102), in custodiam et ipse jam ab apostolico excommunicatus mittitur; tertius Neapolitanus solus pervenit. Set nemo juxta legis præceptum damnatur, uno contra se testimonium dicente. Dux etiam Gotifridus, qui papam illic constituendum ad sedem Romanam se perducturum jam regi audacter promiserat, et ipse, ut notum est omnibus, excommunicatus interierat. Deo namque illud colloquium sic dissolvente, Mogontiæ in festivitate apostolorum Petri et Pauli iterum conveniunt, et ut se ulciscerentur inordinatius et sese ipsis judicibus damnatos plenius damnarent, sacrilego motus sui ausu domnum apostolicum, falsis testimoniis quasi judicatum, temere satis excommunicabant, et quod synodali judicio in regem et in cæteros suæ confœderationis participes ab apostolico actum est anathema, utpote temerarium, injustum et nullius ponderis, prorsus conculcandum et floccipendendum, quasi sententialiter confirmabant. Non enim attenderant cautissime quod apostolicæ majestatis reatum incurrerint, juxta quod decretalia sanctorum Patrum statuta inrefragabiliter sanctiunt, quicumque sedis apostolicæ judicium quasi reprobabile inmutare seu retractare præsumpserint, et quod nulli unquam permissum est, aliquid inde hoc reprobato judicaverint. Unde sanctus[170] Silvester in Romana synodo, cui 284 episcopi cum 40 presbiteris, et diaconibus plurimis, præsente Constantino augusto et matre ejus sancta Helena, subscripserunt, ita decrevit[171] : *Nemo primam sedem judicabit*, et cætera, ut præscriptum est. Et beatus (103) papa Gelasius in decretis suis kapitulo 2 (104) : *Cuncta*, inquit, *per mundum novit æcclesia, quod sacrosancta æcclesia Romana de omni æcclesia fas habeat judicare, neque cuiquam liceat de ejus judicio judicare; siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus.* Set nec illa prætermimus, quod apostolica sedes absque ulla synodo præcedente absolvendi quos iniqua synodus damnaverat, et nulla exsistente synodo damnandi quos oporteat, habeat facultatem, quod[172] sanctissimi pontifices Calistus, Fabianus, Xistus, Julius, et reliqui sine numero omnino astipulantur, qui adeo amplexati sunt veritatem, ut potius mori quam mentiri deliberarent. Et hoc nimirum pro suo principatu egerant, quem beatus Petrus apostolus verbo Domini et tenuit semperque tenebit. Hos sequitur beatissimus papa Adrianus (105) kapitulo 18[173] in decretis suis, *Generali*, inquiens, *decreto statuimus, ut execrandum anathema fiat, et velut prævaricator catholicæ fidei semper apud Dominum reus exsistat, quicumque regum seu potentum sive episcoporum deinceps statuta Romanorum pontificum* (106) *in quocumque violanda crediderit, vel perviolari permiserit.* Nec minus hoc metuendum est, quod sanctus Leo in decretis suis terrificus nimis decrevit (107) : *Omnis*, inquit, *qui diffinitiones nostras per inobœdientiam evacuare contendit, anathemate percellatur, et qui contumax nostris saluberrimis statutis contradixerit, a membris æcclesiæ omni tempore separetur.* Et ideo cuicumque judicium sedis apostolicæ in dubium venerat, cum ipso apostolico potius quam cum aliis ventilare debuerat, sine quo id, quod judicatum est ab eo, nullatenus retractari vel mutari poterat. Nostrum est enim, apostolicis institutis absque omni hesitatione obœdire, stultas autem et sine disciplina quæstiones devitare, quæ generant lites et multum proficiunt ad subversionem audientium. Domni autem apostolici est suas sententias ratione firmare, si cuiquam in eis quid dubium videatur occursare.

Diversus siquidem sermo inter synodiacos de hoc eodem anathemate regis per totum regnum sine intermissione terebatur, justene actum sit an injuste? Verumtamen hoc apud contentiosos maxime, qui non veritati set contentionibus conati sunt deservire; aut enim ignorabant, aut ex industria dissimulabant, quia duo judiciarii ordines in sacris Scripturis colliguntur (108), unus in dubiis rebus, ubi induciæ, pro quibus nunc, ut ipsi aiunt et testantur, minime datis maxime controversati sunt, pro acquirendis testibus et defensoribus necessariæ sunt. Alter vero in publicis criminibus, in quo nullæ induciæ concedendæ leguntur, cum sine accusatore et teste in contumaces et inobœdientes sine mora sit sententialis proferenda vindicta. In (109) dubiis namque causis, licet veris, nondum autem publicatis vel sponte confessis seu aperte convictis, necessario eas ad inquirendum vel comprobandum induciæ concedendæ

VARIÆ LECTIONES.

[170] papa *addit* 1*. [171] decretum *corr.* decrevit 2. [172] quos 2. [173] XIII 1*.

NOTÆ.

(102) Dilingensi, infestissimo Heinrici hoste; cf. Casus S. Galli Mon. SS. II, 157.

(103) *Beatus papa Gelasius — semperque tenebit*, apud Bernoldum bis legitur, opusc. I, 4, 5, p. 216, et opusc. IV, 23, p. 308. Verba *Callistus — deliberarent* secundo tantum loco inveniuntur.

(104) Epistola 13, ad episcopos Dardaniæ, Labb. Conc. t. IV, 1203. Uss.

(105) Cap. 80 in capitulis Adriani I ad Carolum M. (Labb. Conc. t. VI, col. 1853) Bern. opusc. I, 6, p. 361. Uss.

(106) Ed., *deinceps canonum censuram, in quocumque*, etc. Uss.

(107) Videtur respicere ad cap. 5 epistolæ 1, ad episcopos Campaniæ (Labb. Conc. t. III, col. 1294). Uss.

(108) Eadem, paucis mutatis, exstant Bern. opusc. I, 1, p. 187.

(109) *In dubiis — multa proveniunt*, leguntur in Bernoldi opusc. IV, 22, p. 306, exceptis verbis, *vel sponte — comprobandum*. Eadem fere recurrunt opusc. I, 1, p. 187.

Digitized by Google

sunt, ut juxta sanctiones apostolicorum virorum Felicis papæ et Julii et reliquorum ipse accusatus posset se contra accusatores pleniter præparare ad abluenda crimina objecta. Unde et beatus Eleutherius a beato Petro papa duodecimus in decretis suis kapitulo 1 testatur (110). « Inducіæ, inquit, non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliquid præpropere agi a quacumque parte videatur, quia per surreptionem multa proveniunt. » Unde et sanctus Ambrosius in expositione Epistolæ ad Corinthios testatur (111) : « Judicis inquit, non est, sine accusatore damnare; quia et Dominus Judam, cum fur esset, cum non accusatus sit, minime abjecit; » sicut et in omnibus dubiis agendum est causis. Quapropter et Dominus ipse exemplum dedit nobis, ne passim audita, non probata et indiscussa, facile credamus, dum in figura angelorum Sodomam pergens dixit ad Abraham : « Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit coram me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam. » Postquam autem clamore eum quem quasi audivit, verum probavit, mox sine tarditate super eam ignis et sulphuris imbres vindex præsentissimus de cœlo pluit a Domino. — Justissime autem absque induciis damnantur, qui culpam suam jam dudum a sanctis Patribus diffinite damnatam non negare, set publice contemptores obstinati contra apostolica statuta se conantur qualitercumque defensare. Ergo de manifesta et plurimis nota causa non sunt quærendi testes. Unde (112) apostolus fornicatorem illum apud Corinthios præcepit, cognito ab omnibus quod fecit opere, de cœtu fraternitatis expelli : « Vos, inquiens, inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit? » Omnes quippe crimen ejus sciebant, et non arguebant. Publice namque novercam suam loco uxoris habebat; in qua re neque testibus vel inquisitione opus erat, nec tergiversatione aliqua tegi crimen poterat. Quapropter apostolus judicium non differens in eum, « absens, inquit, corpore, præsens autem spiritu, » cujus videlicet nusquam deest auctoritas, « jam judicavi ut præsens, eum, qui hoc opus fecit. »

Totum itaque corpus Scripturarum sententiis domni apostolici suffragatur. Unde contradictores et perversores earum facillime possunt convinci. Ipse namque a vestigiis sanctorum Patrum nullatenus deviavit. Incassum ergo quidam contentiosi mussitabant [175] pro induciis regi ejusque complicibus non datis, et quod eos statim excommunicavit, postquam eorum crimina tam contumaciter publicata, et tam pro nichilo habita, nec non tam pertinaciter defensa, æcclesiam sanctam miserabiliter nimis confœdaverant, et super tot vulgatissima sua contumaciter inobœdientiam suam non alibi nisi in synodo Romana, et hæc scriptis et nomine publicata nimia [175] temeritate professi sunt.

In ipso anathemate (113) domnus apostolicus ex parte et nomine Patris omnipotentis et Filii et Spiritus sancti, et per auctoritatem sancti Petri omnibus Christianis præcepit, ne quis regi excommunicato ut regi deinceps aliquomodo obœdiat, aut serviat, aut jusjurandum servet, quod fecerat aut facturus sit. Quod principum regni pars non minima attendens, sæpius a rege vocati ad cum venire detrectabant, elaborantes diligentissime ut zelum Dei secundum scientiam haberent. Quem licet injuste et non canonice excommunicatum nossent, tamen ei juxta Sardicensis concilii statutum (114) nullatenus communicare deberent, nisi eum reconciliatum esse præscirent. Unde regi adhuc indurato metuentes communicare, quia illum neque arguere, neque punire, neque corrigere poterant, ipsi quia consentire abhorruerant, studebant ut oportuit devitare. Quapropter autumnali tempore cum eo optimates regni colloquium ob hujusmodi se habituros Parthenopolim [176] fore condixere, ubi quid agendum super tam grandi negotio foret, communi consilio possent diffinire, et ubi ipsis regi et domino suo commonito, et ad pœnitentiam converso et reconciliato liceret servire. Postquam illuc non parvis militaribus copiis convenere, rex cum suis assentatoribus citra [177] Renum apud Oppinheim villam cum non mediocri suæ confœderationis cœtu, adhortatu et suasu minax et animosus, consedit; regni autem primates cis Renum commanentes, inter se quæritabant, et Deo datore attentius unusquisque pro se ad invicem conferebant, quid super tam inmani causa ipsis diffiniendum fuerit. Illuc sedis apostolicæ legati litteris huic causæ congruis allatis advenerant, in quibus etiam nunc Pataviensi episcopo vice sua apostolica papa jam dudum concessa inposuit, ut omnes præter regem solum ad satisfactionem dignamque pœnitentiam digne venientes canonice reconciliaret, illos videlicet qui deinceps in parte sancti Petri stare voluissent. Ex quibus Mogontinus archiepiscopus cum sua militia, Treverensis, Argentinus, Viridunensis, Leodiensis, Monasteriensis, Trajectensis electus, Spirensis, Basiliensis, Constantien-

VARIÆ LECTIONES.

[175] *ita* 2. [176] nimis 2. [176] *vox deest* 2; Parthenopolim Megoeourg fore 1. 1*. [177] *ita* 2. — ultra *legendum videtur;* circa *edidit Uss.*

NOTÆ.

(110) Labb. Conc. t. I, col. 589. Uss.

(111) Vide in appendice ad Opera S. Ambrosii, t. II, p. 127, cui hæc expositio perperam tribuitur. Uss.

(112) *Unde apostolus — opus fecit*, ordine mutato lege in Bernoldi opusc. i, 2, p. 193. *cognito — expelli, omnes — poterat* sunt verba Ambrosii.

(113) Verba ex ipsa excommunicationis formula mutuatus est auctor; v. Mansi XX, 469.

(114) Can. 17, Dionysii (Labb. Conc. t. II, p. 649). Uss.

Digitized by Google

sis autem Ulmæ [178], episcopi scilicet hi [179], et abbates plures, nec non majorum et minorum non modica turba ob reatum communionis regis, seu quod ipsi ob inobœdientiam excommunicati sunt, sive quod receperunt missas et officia sacerdotum ob incontinentiam vel heresim symoniacam damnatorum, ibidem reconciliati in communionem recepti sunt.

Postremo diebus decem in hujusmodi studiis transactis, cum rex videret et audiret tot et tantos apostolicæ dignitati humiliter cessisse, eosque regem alium pro se constituendum deliberasse, et ipse quamquam nolens et invitus, et præ dolore hoc fere [180] ultra spiritum non habens, cessisse se quam vix [181] simulavit, non modo papæ, verum quoque regni principibus in cunctis quæcumque ipsi inponere et observare eum voluissent. Tunc visum est eis præter cætera, ut inprimis Wormatiensi episcopo sedes et civitas sua libera redderetur, regina inde cum suis omnibus egrederetur, Saxonibus obsides illorum redderentur, et ut ab excommunicatis suis se rex omnino separaret, nec non litteras papæ Gregorio, debitam obœdientiam, satisfactionem et dignam pœnitentiam se servaturum firmiter intimantes, absque mora dirigeret, ipse autem juxta consilium eorum interim manendo responsum apostolicum et reconciliationem illius exspectaret. Hæc et cætera omnia rex, quamquam non ex tota simplicitate, ilico peregit. Abhinc litteras, juxta quod condixerant inter se compositas, et in præsentia eorum sigillatas, quas tamen deinceps ipse clam alteravit et ad libitum suum mutavit, per Trevirensem episcopum Romam papæ præsentandas transmisit. Primates vero regni, dolos solitamque vecordiam consiliariorum regis, quam tantotiens experti sunt, metuentes, et ipsi legatos boni testimonii, qui his omnibus quæ ibidem acta sunt præsto fuerant, Romam pariter, ne papa dolis illorum deciperetur, properanter dirigunt, ipsumque per misericordiam Dei suppliciter obsecratum implorant, ut in has partes dissensionem hujusmodi compositurus venire dignaretur. Insuper ut regem ad apostolicæ sedis obœdientiam perfectius constringerent, antequam ab invicem discederent, conjurabant, ut si culpa sua ultra annum excommunicatus perduraret, ipse eum ulterius regem non haberent. Indeque ob metum futuræ in eos regis ultionis et injuriæ, quem per plures eorum non visum et insalutatum sibique nimis subiratum reliquerant, data sibi in invicem, si quid eis ob hujusmodi causam adversaretur, fide adjutoria, unusquisque glorianter [182] in sua remearunt.

A Hoc colloquio circa Kalendas Novembris finito, ilico præter solitum prægrandis nix terras undique opprimere incœpit. Hæc siquidem præsagium et signum futurorum malorum non solum Cisalpinas partes, verum, quod potius mirabile visum est, totam Longobardiam nimietate inaudita non parum stupefecit. Nimio quippe frigoris congelamento Renus pariter et Eridanus, ut de fluviis cæteris taceatur, in tantum consolidati sunt, ut per longum tempus quasi per terram viam in se glacialem exhiberent cunctis itinerantibus. Sic hiemps aspera et nivosa algoris vi continuata usque in Idus Martii, scilicet a colloquio prædicto usque ad colloquium quod apud Forihcheim a regni optimatibus actum est, perduravit. Ipso denique die cœpit nix per omnes terra-
B rum nostrarum partes, diversis pro qualitate locorum liquefienda lapsibus, paulatim descrecere.

Rex autem transacto circa Oppinheim præscripto colloquio, Spiræ cum tutoribus et actoribus, qui a primatibus regni ipsi deputati sunt, aliquamdiu more pœnitentium victitans stetit. Dehinc ob conjurationem principum prædictam suspicans in se contorquendas perfidiam et versutias illorum supplantatorias, recollectis undique consiliariis suis, placitum optimatum suorum temerarius postposuit, et sic ne regno privaretur, toto industrius et attentissimus ingenio, omnifaria suorum scrutinia et consilia conferendo diligentissime se præmunivit.

Tullensis autem episcopus, nec non pariter Ne-
C metensis mox cum multis aliis, quibus hoc per obœdientiam a Pataviensi episcopo inpositum est, Romam pervenientes, papæ se reos cum satisfactione et obœdientia debita dederant. Quos ille canonice reconciliatos, eorum obœdientiam aliquamdiu probando in monasterialia quædam custodiaria solos eos fecit incarcerari, donec imperatricis interventu vix inde reducti, absque ordine non [183] concesso, solius licentia communionis repatriare permissi sunt.

Hos e vestigio Trevirensis archiepiscopus cum regiæ legationis litteris festinus nimis consequitur, papam salutavit, litteras adulteratas ipsi præsentavit. Quas ille nisi coram legatis optimatum regni recitari sibi noluit, ut ipsi testes recitationis adesD sent, qui et earum compositionis et emissionis scioli asstiterant. Postquam igitur recitatæ sunt, legati materiam longe aliam quam quæ in presentia primatum regni composita et sigillata fuit, recognoscentes, non eandem set alteratam et per loca mutatam fuisse, per dominum Deum liberrime protestati sunt. Sic Trevirensis archiepiscopus, quamquam in primis litteras defendere incepisset, postremo

VARIÆ LECTIONES.

[178] *Hansizius l. c.* ultimo *legit.* Ulmæ *tamen juxta codices legendum esse patet ex Bernoldi apologetico pro Gebehardo Constantiensi episcopo (Opusc. X, 4. p. 380.) : ubi Ottoni apud Ulmam communio reddita dicitur. USS.* [179] 1ª *voces* et abb. p. n. n. m. et minorum *scripta iterum delevit, et tunc ita pergit :* « Tridentinensis vel Trient, Coloniensis et Agripinensis vel Köllu, item Metensis vel Metz, Tullensis vel Tol, Veinensis vel Veins, Lausannensis vel Losen, Frisiensis vel Frisingen, et abbates plures nec non majorum et minorum non modica turba, *etc.* [180] *ita codd.* [181] quamvis licte *Uss.* [182] gloriantur 2. [183] non *deest ed.*

Digitized by Google

tamen convictus ab eis et rememoratus, fraudulentiam non suam set cujus nesciret alicujus alterius, in litteris publice confessus est. Ita omnia regis obœdientiæ, quam littera mendax, non cordis veritas protulit, commenta simulatoria et deceptionum plenissima, cum imperatrice pariter domnus apostolicus vigilanter deprehenderat. Quapropter, quod rex obnixe satis rogaverat, ut scilicet Romam ei ad papam reconciliando pervenire liceret, nequaquam consentire papa voluit, set ut in præsentia regni primatum apud Augustam Vindelicam a se audiendus et reconciliandus sibi occurreret, apostolica auctoritate præceperat, et illo se venturum ad eos circa festivitatem Ypapanti (115), si Dominus voluerit, firmissime satis per utriusque partis legatos ipsis remandavit. Qui litteris apostolicæ benedictionis perceptis, in (116) quibus plurimum pro ducatu suo, pro cæteris necessariis, et pro pace ipsos, ut oportuit, diligenter prænonuerat, lætanter patriam suam tanti hospitis adventum præconando revisserant.

Mox igitur omnes regni optimates, his quæ litteræ innotuerant congratulanter acceptis, toto mentis conatu ad hæc omnifariam observanda sese percupientissime præparantes, spe non modica æcclesiasticæ religionis et observantiæ restaurandæ non parum exhilarati sunt. Rex autem longe alia intentione cordatus, dum papæ propositum comperisset, occurrere ipsi antequam nostras partes intraret, summa consultationum sollertissimus industria moliebatur. Proposuit namque ut aut collecta peccunia qualitercumque conducta maxima suorum militari copia territum eum in fugam coegisset, sive per Romanos et cæteros consiliarios illius, tantis muneribus corruptos, et sic individuos sibi astitores effectos, ad votum suum illum constringeret. Sin autem, una secum ipsi tam perduelles et efferati repugnarent, ut ilico eum injuriatum cathedra depellerent, et alium juxta cor regis pro eo substituerent; et sic in imperium ab illo electus et ordinatus, una cum uxore sua in patria[184] gloriosus remearet. Si autem papam, metu, minis et blanditiis Romanorum convictum, morigerum sibi rex per omnia efficeret, pium sibi, adversariis autem suis severissimum deinceps fore, stultissime satis præmeditabatur.

Iis et aliis non perpaucis, ut fama fuit, consiliariorum suorum vecordiis commonitus et animatus, contra dispositam jam optimatum regni correctionem et christianæ religionis recuperationem sese pertinaciter erigens, non cessavit magistratus illorum qualitercumque opprimere, et se suum ad libitum ab eis omnino liberare. Ad hoc quidam marchio, nomine Opertus, de Longobardia tunc temporis adveniens, summopere illum præ cæteris confortavit. Qui magnifice ob id ipsum ab eo donatus et honorificatus, in repatriando juxta Augustam Vindelicam repentina morte præoccupatus, equo decidit, et sic apostolicum anathema jam pro nichilo habens, tunc autem quanti ponderis sit re experiens, quam miser ille damnabiliter interiit.

MLXXVII.

Rex natalem Domini apud Bizantium in Burgundia, uno ibidem vix die commoratus, quomodocumque celebravit. Inde assumpta uxore et filio, nec non toto suorum comitatu et apparatu, ut antea jam deliberatum est, Genovæ Rodano transito, Alpes asperrimo vix scandens reptansque itinere, festinus Longobardiam per Taurinensem[185] episcopatum intravit. Indeque collectis undecumque quos potuit, Ticinum perveniens, excommunicatorum quoque turbam episcoporum ad se undique contraxit, et quasi causam illorum defensoria quomodocumque præmuniturus majestate, papam alloquendum non modo ob sui ipsius, set potius ob illorum ab eo perscrutandam tam injuriosi anathematis sententiam, nimis artificiosus ipsis prædixit. Ipsi autem econtra non minimum regi dissuadebant, ne ipsum saltem apostolicum nominaret, quem illi jussu ejus tam sancte abjuratum omnino projecerint, et quem una rite damnatum sub anathematis censura a corpore æcclesiæ perpetuo dimembrarent. Attamen ne optimatum regni Teutonicorum placitum et ipse pseudorex ex toto temerarius annullaret, et ob id illorum offensam justissime incurreret, quoniam quidem[186] illum tam inevitabilis necessitatis constringeret articulus, ipsi ad tempus cedere et morigerari dignum æstimabant; deinceps vero, post hanc scilicet dispensatoriam et tam sibi necessariam illius allocutionem toto nisu simul cum ipsis industrius intentissime elaboraret, quomodo se et totum regnum a tam sacrilego homine funditus liberaret; sin autem, tam versutissima apostolicæ almæ nominationis et hereticæ usurpationis illius vecordia et majestate sese procul dubio regno, honore, partimque vita ipsa, privandum non ignoraret, nec non omnes, qui invictissimi cum ipso in mortem et in perniciem ire semper parati fuerint, similiter perituros et damnandos minime dubitaret.

Postquam (117) autem legati regis pariterque regni optimatum a papa dimissi repatriare cœperunt, ipse confestim animam suam pro ovibus suis dare promptissimus, ad locum et tempus quæ con-

VARIÆ LECTIONES.

[184] patriam *ed.* [185] tauriensem 2. [186] quoquidem *c.*

NOTÆ.

(115) Scil. purificationis S. Mariæ. Uss.

(116) Auctor Gregorii epist. ad Germanos ante oculos videtur habuisse, quam ex cod. Udalr. protulit Mansi XX, 379.

(117) Cf. Gregorii VII epistolam ad Germanos, Reg. IV, 12.

Digitized by Google

dixerant ad invicem, properanter pervenit, et illic, juxta quod disposuerant, itineris sui ductores desiderantissimus expectavit. Set frustra. Nam postquam Theutonici principes fugam regis tam inopinatam et furtivam ultra Alpes compererant, insidiarum et impugnationum illius non parum metuentes molimina et incursiones, occurrere neque ducatum condictum exhibere papæ, quamvis inviti et nolentes, omnino desiverant. Ita papa apud Canusinum castellum ipsos aliquamdiu exspectavit. Set dum illi tot obstantibus periculis se ad eum nequaquam venire posse ipsi vix remandarent, tunc ipse, quia frustra venerit illuc, moleste nimis ferens, set tamen postea ad Theutonices partes se qualitercumque pro necessitate sanctæ æcclesiæ pervenire posse non desperans, istic hujusmodi occasione aliquanto tempore morari disposuit. Tunc et ipse regis iter et consiliariorum ejus sibi nec non sanctæ æcclesiæ non multum prodesse considerans, quippe qui Longobardos, quos rebelles Deo sibique reperit, non parum rebelliores reddiderit, quique Theutonum gentes omnino inter se scismate non modico discordes, quid de tam vecordi homine agerent, mirabiliter irritatas sollicitaverit, et totum undique regnum non mediocriter perturbaverit : totam curam suam, ut virum vere apostolicum oportuit, super Dominum jactavit, die ac nocte precibus lacrimosis institit, quatinus ipse sibi divinitus inspiraret quid de tam grandi negotio ratione synodica rite diffiniendum ordinaret.

Tandem rex accepto suorum salubri satis consilio, prorsusque deposito priori, quem in papam jam malitioso vecors et odiosus excogitavit studio, interventu et auxilio præcipue domnæ Mathildis marchionissæ, socrus suæ Adelheidæ itidem marchionissæ, et abbatis Cluniacensis (118), qui et ipse cum papa nuper ob regis communicationem Romæ reconciliatus advenerat, nec non omnium quoscunque suæ parti attrahere poterat, papam convenire, eique per omnia subdi, cedere, obedire et consentire proposuit. Eaque intentione, quamquam inter Longobardos qualitercunque dissimulata, præmissis ante se ob adducendos ad se prænominatos interventores nuntiis, ipse ad castellum prædictum paulatim eos subsecutus est. Qui properanter ad condictum locum regi occurrentes, eam causam pro qua convenerant, diu inter se multifario sermone ventilabant, et sollerti consultatione omnimodis secum pensabant; set nescio quos in ea dolosos, simulatorios pollicitationum amfractus suspicioso plurimum exploratu diligenter notaverant, quos papæ, hujusmodi causarum ex multo jam tempore et usu cottidiano revera experientissimo, pro simplicibus et satis superque veracibus apportare metuerant. Attamen mox, quia sic necessitas expostulabat, remeantes, quidquid illud fuerit quod fucatum et perfidum æstimabant, totum papæ seriatim plenaria veritate enarrabant.

Hos confestim e vestigio rex subsecutus, ad usque portam castelli præceps et adhuc inopinatus, et absque responso apostolico ejusque verbo invitatorio, præcipitanter cum suis excommunicatis luctuosus accessit, et pulsando satis, ut ingredi permitteretur obnixe rogitat. Illic laneis indutus, nudis pedibus (119), frigorosus, usque in diem tertium foris extra castellum cum suis hospitabatur; et ita multis probationum et temptationum scrutiniis districtissime examinatus, et obediens quantum ad humanum spectat judicium inventus, christianæ communionis et apostolicæ reconciliationis gratiam, ut est consuetudo pœnitentium, lacrymosus præstolabatur.

Domnus autem apostolicus, qui tam falli quam fallere cautissimus noluerit, quique regis tot pollicitationibus tanto totiens delusus, verbis illius non facillime crediderit, post multas consultationum sententiosas collationes vix ad hoc pertractus est, ut si jurejurando has, quas sibi nunc pro utilitate et statu sanctæ ecclesiæ impositurus esset, obedientiæ et satisfactionis conditiones aut ipse per se, aut per eos quos sibi nominaret testes, confirmare promptissimus adveniret, et insuper fidem hujus sacramenti in posterum firmisssime observandi in manus interventorum illorum qui præsto fuerant, nec non imperatricis quæ necdum aderat, dare et hoc pactum sic fœderare consentiret, in christianam tantum communionem eum recipere non recusaret. Rex autem hujusmodi responso a papa recepto, durissimum hoc quod propositum est, et ipse omnesque sui judicabant; verumtamen, cum aliter reconciliari nullatenus posset, vellet nollet, satis mœstissimus consensit.

Tandem vero ne ipse juraret, vix apud papam interventum est; duo autem episcopi, Neapolitanus et Vercellensis, præter alios familiares ejus (120) qui deinceps jurarent, ad sacramentum pro eo faciendum electi sunt. Qui, ut summam sacramenti memoremus, in hunc modum jurabant : ut videlicet dominus illorum Heinricus, quandocumque ipsi infra annum papa Gregorius constitueret, in concordiam et pacem cum principibus regni aut secundum judicium aut misericordiam illius veniret, et nullam læsionem ipse sive suorum quisquam domno papæ aut legatis illius inferrent, in quascunque partes regni ob regimen æcclesiæ venirent, nec in captione nec in membrorum suorum truncatione; et, si ab aliquo alio læderentur, ipse, quando primum posset, bona fide illos adjuvaret; et si aliquod impedimentum ipsi obstaret, ut tempus et inducias,

NOTÆ.

(118) Hugonis, qui Heinricum parvulum de sacro fonte levaverat, prout ipse rex indicat in epistola ad eum data, Dacherii Spicileg., t. III, p. 441 novæ edit. Uss.

(119) Discalceatus, et laneis indutus. Ep. ad Germ., l. I.

(120) Hos enumerat Lambertus h. a. Uss.

Digitized by Google

quos ipsi domnus papa constitueret, observare nullatenus posset, deinceps cum primum posset, absque mora indilate observare festinaret. Hoc ut prædictum est pacto, introitus et accessus ad papam regi, magno lacrimarum fluore ploranti, cæterisque excommunicatis non parum similiter plorantibus patefiebat. Quid ibi lacrimarum ab utraque parte effunderetur, non facile quis enarraret; ubi domnus papa non minimum pro ovibus quæ perierant, Deo requirendis fletu miserabili conquassatus, ipsis ut oportuit humiliter prostratis, et præsumptionis suæ pertinaciam confessis, canonicæ reconciliationis et apostolicæ consolationis idoneos protulit adhortatus, et sic apostolica indulgentia et benedictione reconciliatos et christianæ communioni redditos, in ecclesiam introduxit. Dehinc facta pro eis consueta oratione, et in osculo sancto regi et episcopis quinque, Argentino, Bremensi, Lausannensi, Basiliensi, Neapolitano, et cæteris majoribus dignanter salutatis, ipse papa missas fecit, et in loco communionis regi ad se vocato eucharistiam porrexit (121), quam antea ipsi interdixit. Cujus participatione rex se indignum fore contestans, incommunicatus digreditur. Unde mox apostolicus quasi quoddam indicium impuritatis et quasi testimonium latentis in eo cujuslibet ypocrisis, Spiritu revelante, non imprudenter capiebat, et nequaquam se verborum ejus fidei deinceps totum ex toto credere præsumebat. Demum vero cibo satis decenter præparato, simul ad eamdem mensam consedebant, sobrio se victu honeste procurabant; et inde cum gratiarum actione surgentes, et non multa præter maxime necessaria obedientiæ promissæ, fidei datæ, sacramenti non violandi, perfectæ pœnitentiæ, nec non cavendi Longobardorum anathematis commonitoriola, ad invicem sibi colloquentes, rex accepta apostolica licentia et benedictione cum suis inde discessit, præter episcopos, quos papa jussit illic incarcerari, prout sibi bene complacuit. Insuper pactum sacramenti cujusdam, quod a familiaribus regis papæ adhuc persolvendum restiterat, ab eis fiendum exigebatur. Quod ipsi contentiosa quadam discordia longe aliter quam conderetur, pervertere conantes, sese reatu perjurii cito a papa capiendos dum metuerant, ne omnino ipsi jurarent, modis omnibus cavillosi diffugerant. Ex quibus Augustensis episcopus absque licentia noctu inde clandestina fuga non reconciliatus evaserat. Sic in primo pacto, quod ad invicem statuerant, papam artificiose delusum et deceptum (122), mendaces abiciant.

Ad hæc dum apostolicus duos episcopos, Ostiensem et Prænestinum, pro necessitate et regimine sanctæ ecclesiæ Mediolanum, Ticinum, et in cæteras illarum partium civitates dirigeret, et sic non sine fructu Placentiam proficiscerentur, a Placentino antiepiscopo (123) perjuro et anathematizato capti sunt. Ex quibus Prænestinus paullo post dimittitur, Ostiensis in quoddam castellum incarceratus transmittitur (124). Ubi cum aliquandiu in vinculis teneretur, et rex cum suis avaritiæ lucris quolibet artificiosus ingenio insistere niteretur, cui solummodo papa in itinere Longobardico servitium necessarium abeis, canonice autem illorum omnino devitanda communione sumendum vix licentiam dedit, sacramenti quod fecerat pro legatis apostolicis adjuvandis prorsus oblitus, nullam vel in verbi unius saltem auxiliaria inpensiuncula ipsi compassionem exhibuit. Set cum Papiæ vellet juxta ritum legis [187] Longobardorum coronari, missis ad papam pro hujusmodi danda licentia interventoribus, responsum datum est eis, ut quandiu Petrus esset in vinculis, non haberet in hac re licentiam apostolicæ auctoritatis. Set neque sic ipsius auxilium extorquere ab eo poterat. Tandem vero imperatrice et domna Mathilda adjuvantibus, de carcere nonnullo tempore probatus relaxabatur.

Per idem tempus Quintius ille Romanus, qui ad cumulum damnationis suæ episcopum quoque Cumanum [188] (125) juxta ecclesiam sancti Petri Romæ jam captum tenuerat, cum ipso regem Papiæ visitare et non parum sibi munificum efficere studuerat; quippe qui non modicas munerum grates non solum pro episcopi, verum quoque pro tam sacrilega domni apostolici captione, ab ipso sibi referendas promeruisse nullatenus dubitabat. Qui postquam ad curiam pervenerat, eumque rex ob anathema caute devitatum osculari et, ut solet amicos, salutare non ausus fuerat, quasi ob quasdam maximas suas occupationes nondum ut dignus fuerit, et prout plurimum promeruerit, ipsum acceptare non posse simulavit; et ita in dies acceptabilem suum dilatum procrastinavit. Ipse autem aliquantulum subiratus, se dedignationi et delusioni habitum proclamavit, donec tandem certissimas [189] dignæ salutationis inducias et grates a rege sibi deferendas pertinax extorsit. Set in ipsa nocte statuti dici gutturæ ejus lethali quodam tumore repente præfocato, morte damnandus æterna, rege non viso et insalutato, in puncto celerrimus descendit ad inferna.

Ita rex partibus illis quæcumque et undecumque

VARIÆ LECTIONES.

[187] regis 1° [188] Cumadum 2. [189] dilationis *hic inserit Uss.*

NOTÆ.

(121) Factum, ut videtur; inconsultum, potuit enim rex alio occulto peccato esse obstrictus, in hoc certe laudandus, quod publice se indignum declararit, quidquid dein judicaverit pontifex. Uss.

(122) Accusativi absoluti loco ablativorum.

(123) Dionysio scilicet, anno 1075, per papam in synodo Romana deposito. Legati autem fuere Anselmus Lucensis et Geraldus Ostiensis episcopi. Vid. Arnulphus, lib. IV, c. 13. Uss.

(124) Cf. Gregorii ep. ad Udonem Trev. arch. Reg. V, 7. Mansi XX, p. 242.

(125) Reginaldus Comensis episcopus. Uss.

Digitized by Google

poterat, auri, argenti et palliorum copiosa pondera percupientissime corradendo, per totam quadragesimam peragratis, nullam deinceps ab apostolico regni jam interdicti, ut oporteret, licentiam petens, Veronæ diem palmarum animosus plurimum et perturbatus celebravit. Inde etiam intimus suorum Vercellensis antiepiscopus digressus, in via, qua lætanter pergebat, subitanea morte et ipse præoccupatus, equo, cui præsidebat, ilico lapsus, in momento satis infeliciter exspiravit,

Postquam vero regni primates perfidiam regis [190], et pacti quod ad Oppinheim actum est infractionem, fugam illius et reconciliationem simulatoriam, et cuncta per Longobardiam ejus molimina artificiosa compererant, Ulmæ post natalem Domini aliquid super tam grandi negotio consiliaturi convenerunt. Et quia pauci præ hiemis nivosæ et frigoris nimietate asperrima impediti illic convenerunt, missis litteris et legatis suis principibus et episcopis Lotharingorum et Saxonum, nec non Bajoariorum, item eos per fidem, quam inter se ad invicem pepigerant, et imprimis per misericordiam Dei obsecratos sollerter admonuerant, et plurimum sollicitantes rogitaverant, ut vel saltem in 3 Idus Martii apud Forichheim convenirent, ibique habito colloquio et prudenti consilio diffinite terminarent quicquid eis optimum videretur de statu regni et æcclesiæ, et vitæ illorum necessaria contuitione. Abhinc etiam, utpote qui plurimum anxiati undecumque se præmuniri quæritant, domno apostolico, qui adhuc apud Canusium moratus est, litteras supplices et sollicitudinum instantium plenas dirigebant, et colloquium condictum et suæ voluntatis propositum ipsi intimantes, ejus super hæc, ut in omnibus illorum causis oportuerit, consilium, auctoritatem, auxilium, nec non litteras hujusmodi indices [191] cum legatis ipsius, ad se quantotius ab eo dirigi humillime rogitabant.

Domnus autem apostolicus, ut est non minimæ compassionis et benignitatis, juxta quod ipsi tam desiderabant, toto sollertissimus conatu dignanter peregerat, et ad idem colloquium sanctæ Romanæ æcclesiæ diaconum cardinalem, nec non Massiliensem abbatem legatos (126) cum litteris suis commonitoriis transmiserat. Ipse autem in castello eodem, quamquam pro tot et tantis hereticorum et scismaticorum scandalis et repugnantiis non parum mœstificatus, usque in Augustum mensem perstitit (127) et inde Romam suam, dum via sibi in partes Theutonicas ad tot discordias componendas non patuerit, cum maxima acceptus dignatione civium Romanorum sibi occurrentium et venerabiliter eum salutantium, satis gloriose revisitavit.

Dux etiam Roudolfus cum consilio cæterorum regni principum, postquam regem vere reconciliatum audierat, nuntium direxit ad eum, nimis obnixe et dignanter obsecrans, ne ipse omnino in Theutonicas partes veniret prius quam aut papam sive imperatricem illuc præmitteret, qui ipsi dignam susceptionem et pacificam studiose præpararent. Ad hoc sane papa, ab eodem legato conventus et invitatus, sese paratissimum exhibuerat, set non nisi accepta ab ipso rege pacis et fidei securitate jurejurando sibi contestata. Rex vero legationem pervicaciter dedignatus, nec papæ securitatem, neque oportunæ præmissionis dignatus est peragere postulationem.

Denique in Idibus prædictis, ut deliberatum est, ex magna parte optimates regni convenerunt. Ibique habito colloquio, perquam multis [192] injustitiarum et injuriarum calamitosissimis [193] proclamationibus et querimoniis, quas sibi et totius regni primatibus et æcclesiis inlatas haberet, regem accusabant; et quia papa, ne ut regi obœdirent aut servirent, ipsis tam interdixerit, regni dignitate privabant, neque regis saltem nomine dignum ob inaudita ipsius millefaria flagitia adjudicabant; set alium sibi pro illo eligere et constituere unanimiter destinabant. Legati autem sedis apostolicæ audito illic tam sacrilego homine, non parum quidem mirati sunt, quod tamdiu illum super se sustinuerunt. Verumtamen id quod injunctum erat eis, non reticebant, quin potius in audientia cunctorum propalabant suæ legationis commonitorium, ut si quolibet suæ cautionis artificio posset fieri, isto adhuc aliquamdiu qualitercumque sustentato, alium sibi regem nequaquam constituerent; alioquin ipsi, quia multo melius suæ necessitatis expertum non ignorarent periculum, quodcumque sibi optimum præ cæteris indicarent, apostolico non contradicente peragerent. Ad hæc etiam litteræ apostolicæ in præsentiarum recitatæ sunt (128), in quibus præter seriem et notitiam datæ regi christianæ communionis commemoratam et illud continebatur, quia non multum de pœnitentiæ illius spe et provectu [194] lætandum suis subditis foret, quoniam quidem Longobardos, quos inobœdientes satis invenerat, inobœdientissimos et ex malis pessimos reddiderit, et idcirco cunctis, qui sub manus illius sceptro antea fuerint, apostolica vigilantia sollerter multum exhortatum et consultum est, quatinus ob hujusmodi necessitates feliciter superandas domino Deo se unice commendatos, in via et amore justitiæ in dies semper attentiores et provectiores cucurrerint, et sic currendo in ea perseveranter, divinitus coronari commeruerint.

Proinde nimis in Dei gratia confisi et corroborati,

VARIÆ LECTIONES.

[190] regni 2. [191] indices 2. [192] multas 2. [193] calamitosissimas *corr.* calamitosissimis 2. [194] provectu 2. profectu *ed.*

NOTÆ.

(126) Utrumque Bernardum nomine Reg. IV, 23. 24.

(127) Carpinetæ Gregorius plurimum eo tempore commoratus est. Reg. IV, 23-28.

(128) Desunt in Registro Gregorii.

Digitized by Google

episcopi seorsum, et senatorius ordo seorsum, pro constituendo rege diu multumque consiliati sunt. Tandem sane totum senatorum nec non populi novarum rerum cupidi collegium, episcoporum primum, utpote spiritalium virorum, divinum et spiritale nominandi et eligendi regis dum exspectaret attentissime suffragium, dux Alemanniæ Ruodolfus primum a Mogontino episcopo, deinde a cæteris in regem ab eis nominatus et electus est. Hos sequitur sine mora totus senatus et populus, solita jurisjurandi fidelitate sese illi omnes in id ipsum legittime subjicientes.

Hac electione vere non heretica, utpote communi totius populi suffragio et laudamento, in non desiderante, nolente et coacto homine legittime sic peracta, confestim inde per Babinberch et Wurciburch peragratis, in media quadragesima Mogontiacum perveniens, ab eisdem episcopis et totius populi conventu sibi illic in justum regem rectorem et defensorem totius regni Francorum laudatus unctus et ordinatus est.

Eodem die mox cives Mogontini bellum ex industria movebant in eum, ex quibus plus quam centum ceciderunt, et duo tantum ex parte regis; cæteros fuga et noctis imminentia vix a morte defensitant. Sic regis milites victoria mirabiliter potiti sunt, et tantum civibus pavorem intulerant, ut summo confestim mane episcopo et domno [195] suo sese reos dedissent, et ejus adepta gratia, gratiam quoque regis, ipso cum quibus poterat omnibus interveniente, vix acquisissent. Cives etiam Wormatienses, assumptis undecumque non modicis militaribus præsidiis, contra regem et episcopum suum rebellantes conjurabant. Unde præterita eadem civitate rex Triburia divertit, et sic per Laurisham et Ezzilinga proficiscens, diemque palmarum Ulmæ subsistens, ad usque Vindelicam Augustam ibidem pascha acturus pertenderat. In paschali enim ebdomada perplura quæ regno et ecclesiæ sanctæ necessaria fuerant, illic tractare et disponere cum principibus suis proposuerat; set ipsi statim se ab eo retrahere, quo nescio id infortunio actitante, viritim inceperunt. Non solum vero novitii milites, set etiam antiqui, qui ipsi jurejurando jam olim fidem suam confirmaverant, et ipsi perjurium parvipendentes apostataverant. Qui etiam ab Herbipolitana jam civitate litteris ad papam invitatoriis præmissis, quatinus in nostras partes pro regimine æcclesiastico venire dignaretur, ductores ipsi dirigere destinaverat : set id tunc omnino peragere præ militari penuria non poterat. Tres solummodo secum vix collegit episcopos, Herbipolitanum, Wormatiensem, et Pataviensem. Quartus ille Augustensis, toto quo poterat versutissimus ingenio, corde durissimus adamantino, sedis apostolicæ legatis et canonicis eorum sententiis tam pertinax toto biduo restiterat, quod nequaquam ad obœdiendum papæ sive regi constringi poterat. Ad extremum, quamvis simulatorie, vix convictus ab omnibus, in communicatione domini regis sui Heinrici confessus est se peccasse, et ob id sacerdotio suo a legatis apostolicis privatus et dignæ pœnitentiæ subactus est. Set tamen antequam abirent, rege id suppliciter ab eis vix omnifariam inplorante, ad tempus solummodo ipsi officium suum concessum est.

Ibi profecto in die sancto paschæ, cum rex et omnis clerus et populus in processione non modica ad æcclesiam sancti Johannis sollemniter astarent, a legatis apostolicis (129) præceptum non sine ratione et canonica datum et confirmatum est, ne ultra omnino usurpatio hæc in æcclesia fieret, quæ a nonnullis simplicioribus fratribus temere et præsumptuose contra decreta Clementis papæ actitatur. Solent namque in sabbatho sancto paschæ ante infusum chrisma in aquam baptismi, omnes circumstantes ex ipsa aspergere, et ea in vasis suis accepta, sic per totam quinquagesimam (130) hujusmodi tantum abutuntur usurpativa et inordinata aspersione; non attendentes sancti papæ Alexandri rationabile et inrefragabile statutum (131), qui præcipit ut in omnibus Dominicis diebus exorcismus salis et aquæ a sacerdotibus agatur, et inde populus, officinæ et loca eorum aspergantur. Ubi cellæ sancti Galli a fratribus regulariter electus abbas præficitur Lutoldus, ejusdem cœnobii frater reverendus (132).

Rex ibidem pascha festive satis peracto, per Ulmam revertendo Augiam intravit, et inde Constantiam pervenit. Unde episcopus civitatis, apostolicæ sedis legatorum audientiam nec non regiæ majestatis præsentiam cautissime devitando, in quoddam castellum comitis Ottonis (133) secessit, et ibi per totum illum annum perstitit, officio sibi jam priori anno ab apostolico prorsus interdicto, et tamen ob id ab eo nequaquam devitato. Ipse namque Wormatiæ cum a conspiratione inobœdientiæ conscriptæ [196] resurgeret, extunc, quod nos pro miraculo debitæ ultionis divinæ notamus, claudicare cœpit, et sic deinceps debilitatus claudicavit [197], set tamen communionem, non officium, ab episcopo Pataviensi ante Oppeineimense [198] colloquium jam recepit. Et qui toto biennio antea ad hoc cogi ne-

VARIÆ LECTIONES.

[195] dono 1, [196] prædictæ *ed.* [197] claudicat 1*. [198] oppinense 2. v. *infra* col. 390.

NOTÆ.

(129) Nescio quid mali deprehenderint legati in hoc usu, quem certe antiquissimum esse constat ex Gregorio Turonensi, lib. 1, De gloria martyrum, c. 24, et ex Ordine Romano, quique hodiedum obtinet. Uss.

(130) Scilicet usque ad Pentecostem. Uss.

(131) Habetur can. *Aqua Sale*, de consecrat., dist. 3, ex decretali prima ejus epistola, cap. 5, quam spuriam esse norunt omnes. Uss.

(132) cf. Burchardi casus S. Galli, c. 7. Mon. SS. II, p. 156.

(133) de Brigantio et Bucchorn, v. Stälin Wirttemberg. Geschichte I, 559.

Digitized by Google

quaquam poterat, extunc ordinare clericos, æcclesias consecrare, et cætera episcopalia jura perduellis et contra fas pertinax frequentare nequaquam quieverat. Apostolici vero legati, convocato illic fratrum collegio, capitulum pro fuga et inobœdientia episcopi illorum, nec non pro cæteris ipsius temeritatibus, neglegentiis et præsumptionibus cum eis fecerunt (134). Ibi datis induciis episcopum ad se vocaverunt, et ne quis officium illius reciperet, ex apostolica auctoritate firmissime præceperunt. Symoniacam heresim et Nicolaicam [199] (135), quæ in episcopatu illo, cui valde infinitus subest populus, ultra modum regnat, juxta sententiam in Romana synodo datam omnino damnaverant. Et speciale præceptum præ cæteris ibi replicaverant, ne quis christianus clericorum ob incontinentiam damnatorum officia omnino reciperet. Ibi quoque dum quorumdam sacerdotum judicia et septem confratrum suorum super hæc testimonium pro recipiendis æcclesiis suis, quas Symoniace acquisisse testimonio multorum laicorum evidentissimo convinceretur, ab episcopo illo recipi solere comperissent, canonica ratione hæc judicia et testimonia prorsus recipi non licere inrefragabiliter comprobabant. Si autem exceptis heresibus pro crimine quolibet accusarentur, hujusmodi judicia et testimonia non reprobabant. Pro heresibus vero si quis accusaretur clericorum, super hunc omnium christianorum catholicam fidem habentium, clericorum, laicorum, virorum ac mulierum testimonium recipi debere rationabiliter affirmabant. Proinde hoc, quod canonica scripturarum auctoritate fiendum contestati sunt, pro hujusmodi causis omnino observandum apostolica sanctione et coercione præceperunt.

Rex denique inde Turegum perveniens, illic aliquantisper morabatur. Ea tempestate maxima pars incontinentium clericorum et Symoniacorum, contempta apostolica sententia, pertinaciter jam reversa est ad vomitum suum, animata regis Heinrici necnon antiepiscoporum illius spe adjutoria et defensione. Et quia corrigi per Roudolfum regem non parum formidabant, ipsum damnando, anathematizando, et modis omnibus detestando, omnifariam ei adversari et calumniari non cessabant. Heinricum autem, quem ab olim jam ferme totum regnum, utpote flagitiis et facinoribus vulgatissimis infamem, ab æcclesia longe profanandum calumniose proculcaverat, laudibus nunc e contrario inmanissimis super cœlos exaltatum et quasi injustissime damnatum satis ejulabiliter proclamaverat. Set istud summopere hujus adulatorium laudamentum, illius autem hostile vituperium, quod tamen salva illorum pace dixerim, hereticæ et incorrigibiles personæ antichristianorum episcoporum, nec non supparium illorum clericorum, canonicorum, monasterialium, villanorum sacerdotum, et hujusmodi chorus synagogarum, dogmatizare et undique disseminare, et mendaciis inauditis attestari non quiescebat. Turba autem plebeiorum ab hujusmodi personis seducta, nichil aliud credidit, nil aliud egit seu scivit, nisi quod illorum sermociniis et pseudotestimoniis semper audivit. Unde liquido non minima scismatum diversiclinia per totum regnum exorta sunt. Nulla propinquitatum natura, non amicitiarum fiducia, non debitæ subjectionis obœdientia, nullus divini timoris sive amoris respectus, non fidei pactum, non justitiæ debitum, nullius honor vel reverentia personæ, nec fere quicquid fas et jus divinum semper in suis statutis continuit, sua lege et ordine dispensatoriæ saltem consuetudinis observantia vel imaginatum constiterat; set a minimo ad usque maximum cuncti avaritiæ sollertissime et indifferenter, non divina nec humana attendentes, studuerant. Disciplina nusquam, pudor revera pretiosus, veritas rarissima erat, mendaciorum myriades ubicumque regnabant. Sic fraudium inmanitas, scandalorum asperitas, nec non malorum omnifarius omnium numerus, sese ultra modum propalare nequaquam cessavere.

Rex vero Heinricus pascha in Aquileiensi episcopatu commoratus, postquam sibi Longobardos omnibus modis allectos, et in solitam subjectionis fidelitatem [200] adjuratos, suæ voluntati consentaneos auxiliarios et prorsus individuos satis artificiose conduxerat, et filium suum Symonianis [201] antiepiscopis, Mediolanensi, Placentino, et cæteris per Italiam excommunicatis procurandum commendaverat, ipse uxore assumta et, quam eo locorum qualitercumque corraserat, non parva peccunia, per Carantaniæ abruptas angustias Bajoariam cum paucis clandestina et inopinata surreptione vix intraverat. Mox Ratisponæ cum Pagoariorum Boemiorum quoque, nec non Carantanorum principibus et, quem secum inde huc adduxerat, non multum viro probabili patriarcha Aquileiensi, habito colloquio de his omnibus quæ acciderant, ipsis ut et nuper Longobardis non minimas suæ depositionis querimoniarum proclamationes lacrimosus proposuit, et ut se ope illorum astitrice de his ad votum suum ultum iri posset, quos ipse ex quibusdam pauperibus in tam magnos dominos sublimatos extulerat, dignitatibus et beneficiis ipsorum eos a se gratanter et munerandos, dignificandos, ut fidelis simis suis promiserat. Ad hæc magnificis muneri-

VARIÆ LECTIONES.

[199] nicolaica 2. [200] fidelitate 2. [201] symonianis *et infra pag.* 302. *legitur;* symoniacis *ed.*

NOTÆ.

(134) Cf. Bernoldi opusc. x, 4. p. 379, ubi de actione Const. episc. eodem fere ordine agitur.

(135) cf. Bernoldi altercationem cum Alboino, ut videtur, Constantiensi canonico, n. III. Uss. Cf. Gregorii epp. ad Ottonem episc. et ad Constantienses. Mansi XX, p. 626, 627.

Digitized by Google

bus mox ipsi [202] indifferenter corrupti sunt, et qualicumque ingenio excogitare potuit, sibi in auxilium undecunque satis obnixe contracti sunt [203], non modicam auxiliariorum militiam, scilicet ad duodecim ferme milia, in brevi colligit; quibus regi novo congredi attemptans, sese in occursum illius manu bellatoria promovebat. Præter hos tota fere Burgundionum virtus, Basiliensis et Argentinus (136) antiepiscopi, qui nuper ab apostolico reconciliati et in parte justitiæ se deinceps permansuros professi sunt, non modica quoque pars Francorum, Herimannus comes Palatinus (137), qui gener regis Roudolfi futurus erat, et maxima pars militum regis, quos jam diu adjuratos sibi fidelissimos fore non dubitaverat, nec non omnes fere consanguinei et proximi illius, quibus ipse semper fidelissimus exstitit, in omnibus Heinrico regi una adhæserant; ab isto autem viritim, fidem et jusjurandum parvipendendo, se subtraxerant [204]. Et hoc, quas maxime præ cæteris notavimus, tribus actum est ex causis. Quia per illum ad justitiæ regulam corrigi, ut et prædictum est, non minimum formidaverunt. Et quia propemodum naturale est, semper cives vitiosos virtuosis civibus invidere. Et quod proprie idolis servire est. Omnes quippe quæritabant et exigebant ab eo insatiabilem suæ cupiditatis voraginem prodigiosa effusionis inauditæ ingurgitari abusione; scilicet ut regnum, quod ut colligeret miserabiliter [205] dissipatum coactus suscepit, miserabilius [206] inter eos dispertiendum omnino dissiparet. Et quia prudens eis in hoc non consenserat, ad antiquum dissipatorem suum præter sanæ mentis pauculas nimis personas, omnes mirabiliter velut in sentinam coinquinandi confluxerant.

Unde Heinricus rex, tanta auxiliatorum copia roboratus, Alemanniam prædis rapinis et incendiis devastaturus invaserat. Nulla vero inter sanctum et profanum differentia erat. Boemii quippe mulieres in æcclesiis palam constupraverant, captivas more suo abduxerant, æcclesiam et stabulum ejusdem reverentiæ computaverant; et sic fas nefasque simul omnes confundentes, ethnicorum insania partem non modicam illius patriæ hostiliter nimis perlustrabant; scilicet a patribus Austri-Franciæ et Moinonis fluvii per Nechoram fluvium et Ezzilinga oppidum ad usque Ulman et Danubium, quamquam non sine maximo metu, qualitercumque pertingebant. Sciebant quippe, regem Roudolfum in obsidione cujusdam castelli juxta Danubium non cum parva militia consedisse, et illic militum suorum, quos undecumque colligere in tantillo temporis articulo potuerit, conventum exspectasse.

Rex autem Heinricus habito Ulmæ, cum quibus poterat, colloquio, regem Roudolfum cum ducibus suis Berhtoldo et Welfo et cæteris Alemannorum ipsi consentaneorum majoribus, secundum legem Alemannicam, quasi dignos jugulari, fecit sententialiter adjudicatos damnari, et pariter dignitatibus et beneficiis suis privari; quibus confestim nonnullos suorum beneficiatos ditavit; et sic in auxilium sibi hos, et omnes quos potuit, more suo adjuratos obnixe conduxit. Ibi patriarcha prædictus cum litteris pseudographis, quasi a domno apostolico in has partes per illum transmissis, coram populo recitatis, regem suum omnimodis [207] defensitando, et quasi authentica hac majestate eum cunctis commendando, ipsum in regni fasces dignissimum assentatorie satis idoneavit. Qui tandem post hujusmodi mendacem assentationem se domum festinanter properipiens, et sumptuoso multum apparatu se in regis qualecumque suffragium studiosissime militaturum repondens, maniaco furore derepente factus est arrepticius. Et hactamentiæ metuenda cunctis passione [208] aliquantisper ad exemplum mendacibus et apostatis dæmoniace satis discruciatus, damnabili consummatione insanissimus exspiravit. Et sic cum nonnullis suorum subitanea itidem morte direptorum ad sedem suam tumulandus reportatus est (138). O quam timendus Deus ultionum dominus! et quam terribilis in consiliis super filios hominum! Iste homo jam pridem zelo Dei succensus, et cum honestissimis Dei viris, archiepiscopo Juvavensi et episcopo Pataviensi et cum cæteris Christi militibus, ad Oppineimense [209] colloquium præterito anno perveniens, non parum quidem præ cæteris regni primatibus æcclesiasticæ correctioni et christianæ religionis disciplinæ et meliorationi necessariæ sollertissimus studuit, et quasi angelus Domini exercituum, et secundum suum nomen (139) princeps patrum, regi Heinrico nec non cunctis Deo et sancto Petro inobœdientibus et repugnantibus gladio spiritus anciptiti minax multum et horrendus viriliter undique obstiterat. Nunc autem non modicis mammonæ corruptus illecebris, a zelo [210] et justitia Dei levissimus apostata et princeps erroris infeliciter declinavit. Unde Deo judice, æquitatis servantissimo, et hic in exemplo cunctis intueri volentibus partem calicis sui parumper prægustavit, et prægustatum in æternum et ultra non exhauriendum epotare siticulosus semper minime cessabit.

Quem Augustensis episcopus non minus infeliciter

VARIÆ LECTIONES.

[202] ipsis 2. [203] sunt. Sic non *ed.* [204] suptr. 2. [205] mirabiliter *codd. et Uss., qui tamen emendationem indicat.* [206] mirabilius *codd. et Uss.* [207] omnimod 2. [208] passionē 2. [209] opineimense 2. [210] cœlo 2

NOTÆ.

(136) Burchardus et Wernherus, Canusii papæ reconciliati. Uss.

(137) Rheni.

(138) Cf. Gregorii VII epp. ad Aquileienses de eligendo successore datas xv Kal. Oct., ind. *I*, Reg. v, 5, 6. Mansi XX, p. 239.

(139) Scilicet *patriarcha.*

Digitized by Google

est consecutus. Hic regi Roudolfo in proximo pascha quamquam vix hominatione et fidei non fictæ pactione firmissime confœderatus, ilico dum reversus est rex Heinricus, ipsi gratulanter occurrens, omnifariam [211] quoque adulatus est, et in comitatu prædicto usque ad Ulmam ipsi studiose obsequialis et favoralis non deerat. Illic etiam missarum sollemniis usque ad locum communionis ab eo peractis, ad regem et cæteros auditores se convertit, et parum quid sermone assentatorio de instantibus causis præcontionatus, coram omnibus sua sponte professus est se sanctam eucharistiam in probationem et hujusmodi judicium accepturum fore, quod causa domini sui Heinrici regis justa fuerit, Roudolfi autem prorsus injusta. Et sic, ut in judiciis solitum est, hac sacramentali conditione præmissa, scilicet ut id Dominici corporis et sanguinis sacramentum ita sibi ad salutem corporis et animæ profecerit, uti causa obtinendi regni Heinrico regi domino suo justa et rata fuerit, ipse præsumptuosus justitiæ quasi populis commendandæ examinator, in hæc verba communicavit. Extunc profecto passione arreptus letali, in dies semper se dolentior contabuit, donec miserabiliter justo Dei judicio discruciatus, et præsumptionis prædictæ in se vindictam cecidisse confessus, non post multos dies et ipse morte præventus amarissima, diem clauserat extremum. Quod itaque judicium domno papæ dux Welf mox fecit deligenter intimari. Cui ipse mox, non mendax propheta, indubitanter remandavit, quod ipse revera de hoc præscius esset quia idem episcopus de novis illius anni frugibus numquam gustaturus fuisset; quod paulo post, ut divinavit vir apostolicus, rei comprobavit eventus. Quamquam non idcirco populis his et hujusmodi signorum ostensionibus satis superque commonitis, necessitatis æcclesiasticæ et correctionis suæ causa, hoc regis Roudolfi justissimum omnino et desiderabile suffragium fuisse peractum nemo ferme sufficeret persuadere, set potius regi Heinrico, omnium bonorum suorum incensori et devastatori, et tot heresium et scismatum auctori et defensori, toto nisu percuperent individui semper adhærere.

Tunc vero, quæ heresis et seminarium erat clericorum, pertinaces nonnulli passim concionati sunt, in reges quamquam hereticos et cunctis flagitiorum facinorumque reatibus exoletos, sanguinarios nefandissimos, nec non omnifariam profanos et sacrilegos, nec ipsius papæ nec alicujus magistratuum judicium et sententiam cadere non debere. Non enim attenderant, Constantinum imperatorem, Pauli [212] Constantinopolitani episcopi et heretici sectatorem, in Romana synodo a sancto Martino papa 650 dominicæ incarnationis anno excommunicatum fuisse (140). Notandus [213] etiam eis Constantius est, a Felice papa ob Arrianam heresim excommunicatus (141). Haribertum regem Francorum a sancto Germano Parisiorum episcopo ob libidinis flagitium non ignorent excommunicatum, et ita ad inferos descendisse damnatum (142). Noverint quoque Hiltericum regem Francorum auctoritate Stephani papæ regno depositum, tonsuratum et in monasterium missum, et ita Pippinum in regem electum Francorum (143), et a sancto Bonefacio episcopo Mogontino ad regnum consecratum. Nicolaus papa Lotharium regem Francorum excommunicavit, eo quod, repudiata legittima uxore sua, Waldradam [214] concubinam habere præsumpserit (144), qui cum Romæ se de illatis criminibus excusare vellet, sibique hoc judicium injungeretur, ut si innocens esset, fiducialiter ad communionem accederet, accessit temerarius, et de manu domni apostolici judicium sibi sumpsit. Nam non multo post ipse et omnes fautores ejus subita morte perierunt (145). Theodosius imperator a sancto Ambrosio ab introitu [215] æcclesiæ propellitur, et ob scelera sua ad agendam pœnitentiam octo mensibus in custodiam mittitur (146). Ludowicus imperator, armis depositis, ad agendam pœnitentiam episcoporum judicio includitur.

Quid namque hoc et quæ perplura hujusmodi sunt, necesse fuerit sanum sapientibus commemorasse, nisi ob responsiones inportunissimæ et mendosæ quorundam morionum garrulitatis? Plurima quippe, regibus inaudita hactenus, in synagogis suis fabulosis ineptiarum et nugarum ludibriosa proferebant privilegia jus publicum ignorantes, set neque scita sua plebeia, quamvis a sciendo vocentur, plenarie satis scientes. Namque pro motu sui libitus [216] quælibet in utramque partem indifferenter et laudabant et vituperabant. Et ut jam pridem res sua vocabula ammiserant, ita apud eos adhuc usque non res set nomina tantum laudi et honori sunt, quæ absque proprietate [217] et officiis suis prorsus inaniter sonant. Sicut enim lex a legendo, sacerdos a sacro, dux a ducatu, consul a consulendo, graviones a morum gravitate, sive quod tanto plus

VARIÆ LECTIONES.

[211] omnifaria 2. omnifarie *Uss.* [212] paulo 2. *sec. XIV. corr.* pauli. [213] Notandū 2. [214] waldrada 2. [215] intro 2. *corr. sæc. XIV.* introitu. [216] libitis 2. [217] propietate 2.

NOTÆ.

(140) Non ipsum Constantinum seu Constantem, sed ejus duntaxat typum damnavit Martinus. Vid. Pagi Brev. Rom. Pontif., t. I, p. 423. Uss.

(141) Vid. Bernoldus in Hermanno ad ann. 358.

(142) Hermann. Aug. ad ann. 563. Idem legitur ap. Bern. Opusc. VI, 9, p. 360.

(143) Eadem iisdem verbis extant in Bern. Opusc. XII, 4, p. 393.

(144) Idem exemplum similibus verbis bis protulit Bernoldus locis supra laudatis.

(145) Hermannus ad ann. 869.

(146) Pœnitentia Theodosii certa est, sed custodia fabulosa. Uss. Idem fere Bernold. Opusc. VI, 9, p. 360.

Digitized by Google

quispiam illorum laborum pondere gravatur quanto cæteris præponitur; ita rex a regendo proprie dici vel denominari comprobatur. Regulam vero, vel quod recte ducat nec aliorsum aliquando trahat, vel quod regat, sive quod recte vivendi normam præbeat, seu quod distortum pravumque quid corrigat, nominari non ignotum est. Recte igitur faciendo nomen regis tenetur, alioquin amittitur; unde est hoc vetus elogium : *Rex eris, si recte facis; si non facis, non eris.* Regiæ igitur virtutes præcipue duæ sunt, justicia et pietas; plus autem in regibus pietas laudatur, nam justicia persevera [818] est. Si autem nec juste judicent [819], nec pie condescendant, neque regulam officii sui vel sola saltem nominationis imagine minimum quid attingant, set potius ultra modum et insanias ethnicorum superlativas, vitæ facinorosæ et luxuriosæ libertatem nefandissimi omnifariam et portentuosi exerceant, crudelissima dominandi majestate populum supprimant, et miserrime supressum devorent, et ad interneciem [820] usque consumant, cur non magis proprie tyranni in hujusmodi fortissimi, quam abusive et absque rei veritate reges sint nuncupandi? Tyrannus quippe grece, latine fortis interpretatur; apud veteres enim fortes reges tyranni vocati sunt. Apud Grecos autem, quod tamquam bases populum sustineant, basilei vocantur, unde et bases coronas in se congiratas ostentant. Notandum præter hæc christianis regibus est, qui dominari in populum potius quam secundum nomen suum ipsum regere percupientissimi sunt, quod de Octaviano in Romana historia scriptum est. Postquam idem pro eo, quod rem publicam augeret, Augustus, jam Cæsar et imperator appellatus est, dum ludis et spectaculo Romanorum interesset, et ipsi a populo pronuntiatum foret, ut vocaretur deus et dominus, statim manu vultuque averso indecoris adulationibus restitit, et appellationem domini ut homo declinavit, ac die sequenti omnem populum dicu gravissimo corripuit, dominumque se post appellari ne a liberis quidem suis permisit. Et si tunc tanti vitrum, rex scilicet idolatra, at nunc quanti christianæ dignitatis nobile margaritum? Set hæc contra nugigerulos dixisse sufficiat.

His postpaschalibus diebus apostolicæ auctoritatis litteræ (147) omnibus citra Rhenum per Alsatiam et Lotharingiam et Teutonicam Franciam commanentibus, set ex nomine episcopis directæ sunt, per quas eis omnes conjurationes et pacis perturbationes et discordiæ, et ne Heinrico regi, ut solet regi, obœdirent aut servirent, interdictum est. Quas præ cæteris Basiliensis et Argentinus antiepiscopi omnino contemptui habentes, flocci pendebant; alii vero, qualibet arte et occasione poterant, quasi numquam directas sibi dissimulantes non propalabant, et tantum, prout posse eis suberat, eis diligenter obaudiebant.

Eadem tempestate abbas Massiliensis (148), et cum eo Christianus (149) sapientissimus monachus, dum reverti ad domnum apostolicum niterentur, a quo ob sedandas nostrorum discordias in Theutonicas partes missi sunt, a comite quodam Oudalrico capti, deprædati, et in castellum Leneiburg [821] (150) incarcerati sunt. Quos rex Heinricus captos comperiens, non, ut domno apostolico jurejurando pactum jam fecit, dimitti præcepit. Cluniacensis autem abbas paulo post litteras ad eum commonitorias transmisit, in quibus satis superque illum pro perjurio coarguit; quippe nota ipsi totæ reconciliationis et confœderationis causa inter papam et regem fuerat, utpote qui præcipuus mediator his præsto intererat. Insuper ipsi facie revelata liberrimus demandavit, quod id certissimum perditionis illius indicium foret, quod tam magnos et sanctissimos Dei viros incarceratos propter justitiam sedis apostolicæ contemptor inhumanus non liberaret, set potius intrudi præciperet. Qua ille commonitione satis liberrime coarguitus et vix confractus, etsi non pro Deo, tamen pro tanti monitoris importunitate, vinctos Dei, solutos et liberos, suis autem omnibus deprædatos, abire consensit. Qui rerum sibi direptarum rependium juxta regis præceptum aliquantisper præstolantes, tandem diu frustrati ac delusi, vacui et ferme nuduli ad sancti Aurelii cœnobium [822] divertebant. Illic toto humanitatis studio ab abbate Willihelmo et suscepti et multum caritative per totum fere annum tractati, pacis tranquillitatem suæque reversionis possibilitatem cum non mediocri suavitate præstolati sunt.

Rex vero Roudolfus collectis undique militum suorum copiis, regi Heinrico occurrere, et virtute bellica ipsi congredi attemptare, Deo judice magnanimus proposuit. Accepta denique ducum comitumque suorum nec non totius militiæ suæ, quæ vix ad

VARIÆ LECTIONES.

[818] *ita* 2. per se vera *ed.* [819] judicant 2. [820] internecionem *ed* [821] Lenzburg propre Ararim fluvium in pago Ergaugia *glossa sæc. XIV. in* 2. [822] Hirsaug. *glossa sæc. XIV in* 2.

NOTÆ.

(147) Desunt hæ litteræ apud Mansium.

(148) Vid. Gregorii epistola V. 7.

(149) Paulus Bernriedensis refert, Bernardum abbatem Massiliensem secum duxisse egregium doctorem quemdam, nomine Christianum, postmodum Aversanæ civitatis episcopum, cujus opus exstat eximium contra Turonensem Berengarium. Hic sub alio nomine Guitmundi celebris est. Uss.

(150) Cujus comes erat.

Digitized by Google

quinque millium pugnatorum pertingebat numerum, unanimi satis consultatione, non visum est eis sanum hujusmodi congressionis consilium, set prudenti cautione differendum ad tempus deliberabant, quousque deinceps tot militantium myriades industrius undecumque contraheret, quibus absque detrimento suorum adversarios suos oportunitate adoptata subdere, et omnifariam sibi ad servitium constringere majestate regia victoriosus sufficeret. Ipse autem quamvis nolens et invitus, consiliis illorum acquievit, et dimissa a se dignanter contracta multitudine, intimisque suis ad tuitionem regni et ad inminentium bellorum inmanitates cavendas diligentissime præmonitis, quia a primatibus Saxonum obnixe satis invitabatur, assumptis secum tribus episcopis, Pataviensi, Wormatiensi, Herbipolitano, nec non cardinali apostolicæ sedis, cum nonnullis necessariorum suorum a secretis, in Saxoniam iter suum acceleravit. Quem totis [223] regiæ honorificientiæ insignibus et laudamentis gloriosissime satis salutatum et glorificatum, ut et regem et dominum suum oportuit, omni subjectionis et reverentiæ dignatione et conamine acceptissimun eum congratulanter magnificabant et venerati sunt. Ubi æquitatis et paternarum illius gentis legum arbiter justissimus, absque personarum acceptione omnium proclamationes querimoniarumque incusationes sollertissimo justitiæ scrutinio judicialiter coram se diffinire conatus est. Unde non inmerito, cum ille prior pro motu sui libitus, in illos semper efferatus, prædis, rapinis et omnibus pressurarum modis grassabatur, iste juste judicans, cum rigore justitiæ prava quæque in directa reformans, ab omnibus pariter amabatur. Uxor (151) autem regis in partes Burgundiæ a Turego divertens, in quodam castello suo, plurimas Burgundionum illic passura injurias, plus quam annum dimidium morabatur. Quippe Basiliensis, Lausannensis et Argentinus antiepiscopi, cum omnibus quos ad se attraxerant, mox prædis incendiis et omnimodis persuasionum et inpugnationum pressuris cuncta quæ ad regem pertinebant studiosissime devastabant, quousque totam ferme illam patriam sibi regique suo subjiciebant. Set non absque malo et detrimento suo. Bis quippe a militibus regis Roudolfi victi, cæsi et fugati sunt Burgundionum turmæ, quæ partes Alemannicas prædaturæ inpetu hostili superbissime [224] invaserant.

Rex autem Heinricus ab Ulma se in Pagoariam proripuit, et divisis inter suos et ducis Welfi et cæterorum sibi rebellantium beneficiis et æcclesiarum bonis, set maxime Pataviensis, omnes quoscumque et quomodocumque poterat, ad se more suo, scilicet jurejurando, undecumque contraxerat; et sic expeditionem in Saxoniam contra regem Roudolfum, et in Alemanniam contra duces Berhtoldum et Welfum et cæteros illorum suffraganeos, sollertissime disponebat. Et ferme nullus de Pagoariis erat, præter archiepiscopum Juvavensem et comitem quendam Eggebertum (152), quin juxta voluntatem illius ipsi assisteret et consentiret. Eadem tempestate quidam comites de Alemannis, jam pridem regis Roudolfi electissimi adjurati milites, turpis lucri causa ab eo apostatabant, et occupatis quibusdam castellorum præsidiis, prædis, incendiis et totis rapinarum et pervasionum direptionibus in dominum suum, in ducem Welfonem, in bona æclesiarum, nec non in omnes a se discordantes, totis viribus et artibus inhumanissimi per totam provinciam, prout poterant, grassati sunt. Undique igitur hujusmodi motus per provincias omnes ab utriusque partis sectatoribus promiscue, ut in bellis solet, per totum annum illum agebantur. Unde fames non minima, et quia terra fructum suum non dederat, et quia prædictis violentiis raptores et latrones omnia consumpserant, per partes nostras effecta, multos contabescere et miserabiliter interire coegerat. Divinæ pariter ut et seculares legum constitutiones nec nominabantur saltem his diebus, set unusquisque, prout poterat, ita se judice et correctore victitabat. Inaudita hactenus discordiarum scismata, fraudium turpisque quæstus ignominia, et in ipsis etiam æcclesiis, quo ob spem pacis et defensionis res suas conservandas omnes congesserant, a contemptoribus Dei innumera clam et palam sacrilegia plorabili majestate imperiose passim conregnabant.

His denique domnus apostolicus auditis, litteras (153) specialiter legatis suis nec non omnibus qui in Theotonicis partibus sunt, majoribus et minoribus, transmittebat, toto nisu revera percupientissimus, ut quolibet ingenio posset, nostris ei suffragantibus, componendæ pacis causa in hanc patriam perveniret. In his, inquam, litteris legatis suis præcepit, ut utrumque regem firmissime præmonerent, quatinus sibi viam cum pace et securitate in has partes et hos, in quibus confidere posset, ductores concederent, ut Deo fautore tam præcipuas discordias sedaret. Et illum qui sibi in hac causa et cæteris regni sapientioribus et melioribus consentire et obœdire nollet, publica excommunicatione ab æcclesiæ membris damnatum omnino separarent; ei autem qui obœdiret, regni monarchiam apostolica

VARIÆ LECTIONES.

[223] totius *ed.* [224] superbisse 2.

NOTÆ.

(151) Adelheida, soror Berthæ reginæ uxoris Heinrici IV, altera Rudolfi conjux. Vid. ad ann. 1079. Uss.

(152) Vide infra col. 401, 402.

(153) Ex Gregorii VII Regest. IV, 23, ad Bernardum diaconum et Bernardum abbatem.

Digitized by Google

auctoritate imponerent; et omnibus qui in regno essent, ipsi, ut oporteret, regi obœdirent, subessent, servirent, et omnifariam eum ad statum et ædificationem ecclesiæ sublimatum dignificarent.

Ad hoc Roudolfus rex cum suis omnibus promptissimus obœdiebat; sed quia vias per Alpes undique obclusas et insidiarum plenas Heinricus rex sub sua manu obtinuerat, id frustra voluerat, quod nequaquam ad effectum perducere poterat. Heinricus autem rex timens apostolicæ auctoritatis judicium, suis omnibus unice præcepit, ne quis ad se accessum inveniret, qui legationem apostolicam haberet; quasi se hac arte defendere ex ratione a reatu vulgatissimo sufficeret. Jam enim aliud quiddam intenderat potius quam obœdientiam. Expeditionem scilicet, quam omnes sui jam juraverant, in Saxoniam. Unde se de Pagoaria cum quibus poterat omnibus in Julio mense retraxerat in suam Franciam, illic undecumque collectitans militiæ non parvissimæ qualescumque copias.

Rex denique Rondolfus postquam comperit, in se et in suos tot cohortium militarium contracto ipsum tantopere institisse collegio, ipse non diu moratus, occurrere et bello ei congredi industrius multum attemptare non cessavit. Et sic ad usque Herbipolim perveniens, illic eadem obsessa civitate aliquantisper tardavit, ea scilicet occasione; ne si ad Renum tam copioso exercitus sui impetu festinanter pertenderet, ipse timidus et exterritus ad eum transmeare non auderet. Illic etiam duces Berhtoldum et Welfum et cæteros militum suorum Alemannorum cuneos præstolatus auxiliarios, quibusdam machinis et instrumentis bellicis urbis [225] muros destruere sollertissimus moliebatur. Ipsi autem numero quasi quinque milium occurrere ei gratulanter accelerabant.

Rex vero Heinricus explorato illorum comitatu, per triduum illorum itineris quendam articulum occupavit, bellum eis non cum parvis suis cohortibus inferre temptaturus. Illi autem congressionis illius percupientissimi, iter ad eum festinanter promovebant. Et cum tam proximi convenissent, ut non plus quam duo miliaria a se distarent, et omnes in id ipsum armati bellum cum rege audenter destinarent conserere, ipse se eadem nocte fuga ab eis proripiens cum suis, ante solis ortum præ cæteris Wormatiam suam cum ludibrio et probris ipsorum etiam villanorum ingreditur. Ipsi vero comperta fuga ejus, usque ad castrorum locum illum persecuturi [226], cum non mediocri impetus terribilis festinantia pertenderunt. Et cum tam longinquatum jam a se et tam vehementer exterritum eum ab explorantibus comperissent, ab insectatione proposita satis mœstissimi cessaverunt; iter autem proposi tum ad dominum suum glorianter peregerunt.

His itaque diebus cardinalis Romanus (154) litteras, ut jussum est ipsi, commonitorias ad Heinricum regem pro prædicta apostolici adventus ad nos causa per quendam monachum Herbipolitanum dignanter transmiserat. Hunc autem, ante quam ad ipsum pervenire posset, quidam ex secretalibus ejus, causa itineris illius diligenter explorata, captum et male tractatum, nec non servientem illius miserabiliter verberatum, incarcerabant; litteras vero ablatas non ut apostolicas, set quasi diabolicas, omnifariam profanabant. Mox ad eum denuo litteras idem cardinalis Romanus per quendam militem familiarem ipsius pro eadem re artificiosus dirigebat; quas sub alterius quidem persona ipse apportatas susceptit et recitari fecit, set aure statim obdurata, litteras auditas efferatus nimis floccipendit, latorem illarum itidem captum in custodiam mitti præcepit; qui post paullulum fuga dilapsus ab eo, vix comite vita se e custodia proripiebat.

Interea toto quoad poterat nisu exercitum undecumque non modicum industrius contraxerat, et Reno cum quibus collegerat omnibus retransito, occursurum se regi Roudolfo simulabat. Illic inter Renum et Nechoram fluvium, ejus undique vadis qualitercumque obstructis, castra metati sunt, Pagoariorum exspectantes auxilium. Rex denique Roudolfus comperto illorum metatu, relicta urbis (155) obsidione et machinis suis desolatoriis, festinato multum impetu ad ipsos, pugnæ illis inferendæ avidissimus, audacter pertenderat. Confestim ergo ad ipsam usque ripam fluvii prædicti animo audaci pro regni sibi inpositi et christianæ religionis defensione bellaturus perveniens, hostibus e contrario ulteriorem ripam ad tria ferme miliaria cum suis copiis in longum occupantibus, transvadandi locum nequaquam inveniebat; quippe ripa ex adverso tam altissima eminebat, quod nemo, ne dicam eques, pedes saltim illic ascensum præter vada artissima duo sola invenire potuisset.

Tunc Roudolfus rex ipse inclamitavit et rogitavit multotiens regem Heinricum et una cæteros primicerios exercitus, ut si regnum [227] sibi tam pertinaciter tantoque jure obtinere decerneret, unum e duobus eligeret; aut ille sibi ad se transvadandi locum daret; sin autem, ipse ad duo miliaria ripam et locum quæ occupaverat relinquens, retrogradus abiret, donec cum tota sua militia ad se itidem transiret; et si in illo minime aliter confideret, hoc jurejurando pactum inviolabiliter confirmaret: demum vero justissimi judicis censuræ uterque causam suam decernendam devotissime commendarent, et sic aut duello ipsi soli, aut si potius prudentioribus et melioribus regni consilium videretur [228], publico

VARIÆ LECTIONES.

[225] urbes 2. [226] persecutori 2. [227] r. optinere. s. 2. [228] videret 2.

NOTÆ.

(154) Bernardus.

(155) Wirceburgensis.

Digitized by Google

bello pro justitia sua comprobanda domino Deo moderatore indilate concertarent. Rex autem Heinricus aure surditiosa obmutescens, nullum ei responsum dedit. Hic vero, ut id tota simplicitate dictum ostenderet, quod tantopere ab eo exegerat, et ut ad hujusmodi judicium eum quolibet ingenio irritatum provocaret, loco suo et castris se cum suis ad duo miliaria quasi fugam simulans dimovebat. Sequenti denique die cum non in hoc etiam profecisse se persentisceret, iterato impetus bellici accursu metatum pridianum audacissime occupavit, ut si arte seu [229] virtute qualibet attemptare posset, ipsi bellicose [230] qualitercumque congredi conaretur.

Tunc quidam de primatibus regis Heinrici bellum omnino detrectantes, et dedecus suæ timiditatis et manifestæ injustitiæ conscientiam quantalibet honoris, quamquam falsarii, occasione defendere percupientes, pacis compendium fideique pactum a ducibus Berhtoldo et Welfo obnixe quæritabant, quatinus sibi ad alterutrum pro instanti necessitatis tantæ articulo colloqui quid familiarius licuisset. Quo, prout rogaverant [231], pacifice colloquio illis concesso, ad illud ilico hi qui ex utraque parte idonei visi sunt convenerunt. Illic sermociniis diversis ab utraque parte diutius consertis, hæc collocutionis summa postremo diffinita est: ut videlicet in primis inter se pacem firmiter condixissent, bello imminenti prorsus tunc ea conditione diremptо et consopito, quatinus majores totius regni omnes post paululum præter ambos reges ad colloquium juxta Renum convenirent, et ibidem cum legatis simul apostolicis justissimo [232] rationis judiciariæ examine, quid optimum, quidve justissimum super tam grandi causa foret, dijudicandum deliberarent; et alterutri regum qui diffinitionibus illorum non consentiret despecto, communi voto contrairent; alteri tandem consentaneo tota fidelitate et subjectione, ut regi oportet, obœdientissimi servirent. Cardinalem autem Romanum Trevirensis et Metensis episcopi in prædicto hoc colloquio cum quibusdam regis Heinrici consecretalibus primum audire prorsus recusabant, quia a rege non nisi fide data sibi, ne omnino reciperent et audirent papam et legatum illius, licentiam acquirere ad conlocutionem et pacem prædictam agendam poterant. Postremo tamen, licet coactissimi, eundem legatum et litteras sanctionesque apostolicas et audierant, et ut par fuit tota veneratione susceperant. Sic pro colloquio condicto peragendo, ne quis regum seu principum qualibet arte vel factione id impediret, fide ad alterutrum data et accepta, et pace pariter donec omnes in sua redirent condicta, Roudolfus rex cum suis in Saxoniam [233] glorianter redit.

Rex autem Heinricus in eodem loco Pagoarios suos aliquot diebus præstolatos [234] (156) et de manu regis Roudolfi, cui fere obviaverant, pacis prædictæ interventu liberatos mox assumebat, et inito cum eis consilio, Alemanniam prædis et incendiis denuo inhumanissimus devastabat, principibus Alemannorum nuper de bello prædicto reversis, et tam ex improviso fraudulenter invasis. Quippe tunc maxime pacem putabant, et idcirco milites suos ex itinere fatigatos domum abire jam securi permittebant. Set tamen non sine maximo suorum detrimento patriam illam pervaserat.

In eodem itinere in loco campestri, cum circa se undique incendiis ardere et fumare regionem depopulatam contemplaretur [235], ubi præter alias plures una æcclesia cum plus quam centum hominibus combusta et desolata est, Imbricconi Augustensi episcopo, ut et prædictum est infeliciter defuncto, Sigifridum capellanum suum, reprobato eo quem fratres canonice electum jam habuerant, qualitercumque supposuit, non ut æcclesiam regeret, set ut sibi ad ingruentia bella ope individua præsidio assisteret. Quod deinceps ita res probavit. Eodem die et loco cellæ sancti Galli quendam consanguineum suum (157), ejusdem loci non monachum, eadem intentione constituit super abbatiam [236], eo itidem reprobato, qui regulariter a fratribus electus, a rege Roudolfo illuc abbas ordinatus est. Qui pariter ut Augustensis suppositus, dehinc contra regem Roudolfum non regulariter, semper loricatus, bella non monachica sollertissimus astruxit. Aquileiæ quoque Heinricum [237], Augustensem canonicum et capellanum suum, patriarcham, reprobato eo qui canonice a clero et populo electus est, qualitercumque apposuit. Deinde in Pagoariam itinere quo cœpit profectus est. Inde collectis undecumque militum suorum auxiliariis cohortibus, iterum [238] in Franciam reversus est, set tamen prius Juvavensi archiepiscopo, simulata quidem fide ad se vocato, et arte omnimoda, si eum sibi adjungere posset, satis superque licet frustra pertemptato. Ipse vero, ut revera sanctæ æcclesiæ immobilis columna, basi veritatis pondere superni amoris fundatissime superposita, cum se tot vecordiarum versutiis tantopere capi perspicaciter persensisset, toto quo poterat se inde proripiens studio, relictis suis omnibus, vix ferme solus in Alemanniam ad suæ partis et communionis viros noctu latenter fugiebat (158).

Tandem igitur, cum tempore condicto undique ad colloquium destinatum qui ad hoc vocati nominatique sunt majores melioresque regni convenire jam cœpissent, rex Heinricus non mediocri iterum collecta militia, fidem per principes ejus jam condictam perfidus infringens, pacis pactum efferatus omnino parvipendens, toto quoad poterat ingenio, ne con-

VARIÆ LECTIONES.

[229] se 2. [230] bellicos 2. [231] rogaverat 2. [232] justissim' 2. [233] saxonia 2. [234] p̄stolatos 2. præstolatus ed. [235] contemplaret 2. [236] abb'. 2. [237] h. 2. [238] itē 2.

NOTÆ.

(156) i. e. quos præstolatus erat.

(157) Udalricum scilicet, Marquardi Carentani duceis filium. Uss.

(158) Cf. vitam S. Gebehardi.

Digitized by Google

venirent, illis undique sollertissimus obstiterat. Illi autem hujusmodi explorata ejus vecordiæ solita tergiversatione, causa suæ collocutionis et propositæ tot discordiarum et scismatum totius regni futuræ confœderationis prorsus infecta, quamvis non absque prægrandi murmuratione permoti, unusquisque in sua remeabat. Ipse autem, uti jam deliberavit, solitis incendiis prædisque insistens, rebelles suos ubicumque manu majestativa pertinaciter pervaserat. Illic Argentinus episcopus (159), præ cæteris in hujus modi negotiis incentor et auxiliator illius tunc præcipuus, quadam die more militari bellicose loricatus, et tot malorum et facinorum armiductor et primicerius, cum ad castra remearet regi suo nimis crudeliter morigerus, morte repentina, cum se lecto collocaret, in momento præventus est. Unde sui satis superque exterriti, non parum obstupuerunt, qui vita illius flagitiosa tantotiens scandalizati sunt. Ipse namque contra præceptum canonicum concubina quadam vidua, publica pertinacia impudoratus abusus est, quam militi suo nuptam, non modica ab eo pecunia et beneficiis emptam abstulerat; dehinc apud papam pro hujusmodi accusatus (160) ipsam abjuratam non devitaverat; præterque hæc nefandissimi cujusdam incestus ipsam infamem suspicionem, numquam ob id sua abalienavit fornicaria coitione. Sic Dei contemptor industrius, ut Paulus Samosatenus episcopus ille Antiochenus (161), qui feminarum consortio delectatus, clericis suis idem concessit, ne sibi hoc ab eis crimen imputari posset, cunctis suis canonicis et clericis subparrochianis, nec non toti æcclesiæ scandalum non minimum effectus, iram Dei promeruit, æternæ damnationis rigore feriendus : væ quippe homini per quem hujusmodi scandalum venit. Væ namque in divinis litteris pro æterno luctu scribitur. Paulus hereticus ille cum damnatus ab æcclesia nollet discedere, ad sui dedecoris cumulum publica inde manu expellitur : hic itidem ab apostolica sanctione pro heresibus suis et flagitiis canonice jam damnatus, superni judicis sententia ad exemplum cunctis evidentissimum est derepente ut a vita, sic a regno Dei eliminatus. Quem sui acceptum, mox ad sedem suam infausto itinere tumulandum reportarunt.

Rex vero Heinricus, dum tertio tunc Aleman niam [339] devastaturus suo ritu pervadere destinasset, et duces Bertholdum et Welfum cum cæteris Alemannorum cohortibus sibi bello congressuros non dubitaret, prudenti quidem consilio occursum illorum declinans, recta in Pagoariam cum suis itione, bello cedens, commigravit. Dehinc assumptis secum ducis Boemiorum, illorum provincialium, militaribus copiis, Eggibertum, non parvæ valentiæ et virtutis comitem, qui sibi rebellaverat, prædis, incendiis et castellorum illius obsidionibus pertinax ejus devastator hostiliter inpetebat. In cujus devastatione nivosas algoris nimietates sic cum suis quamquam vix perpetiens, tribus castellis illius aliquamdiu obsessis, et ad ultimum bellicis instrumentis captis et destructis, pervasor durissimus hiemabat. Ipsum denique sibi resistere minime sufficientem ad regem Ungariorum cum uxore (162) suisque omnibus fugatum exulare coegit.

Eadem tempestate Rondolfus rex, postquam prædicta expeditione finita in Saxoniam cum suis rediit, et colloquium condictum, regis Heinrici factione et perfidia impeditum recognovit, quid tandem potius ageret non habuit, quam ut judex æquissimus regnum Saxonicum pacificaret, et secundum leges illorum prava quæque justissime examinata corrigeret. Præterhæc quosdam [340] Westfalorum et Thoringorum sibi rebellantes regia majestate coercuit. Domno etiam apostolico totam rerum gestarum seriem, directo jam Romam legato, intimari fecit, ejus super his consilium et auxilium sollertissime quæritans. Ipse autem ei nichil aliud remandavit, nisi quod litterarum, quas proxime et legatis suis et una omnibus Theutonicarum partium principibus transmiserat, se non ignoraret non modica aviditate effectum exspectasse. Unde cardinalis ille Romanus non parum quidem animatus, juxta quod in litteris continebatur, contracto Saxonicæ provinciæ episcoporum cæterorumque principum apud Goslariam collegio, regem Heinricum apostolicæ auctoritatis sententia in 2 Idus Novembris (163) a communione corporis et sanguinis Domini, nec non a liminibus sanctæ æcclesiæ catholicæ juridicialiter damnatum omnino excommunicavit, eique omnino regni gubernacula interdixit, eo quod summo primæ sedis apostolicæ pontifici [341] prorsus inobœdiens factus,

VARIÆ LECTIONES.

[339] alemannam 2. [340] quosdam *usque* Mediolani (*pag.* 305. *lin.* 26.) *folio exciso desunt* 1. [341] *deest* 2.

NOTÆ.

(159) Werinherus.

(160 cf. Gregorii VII. Registr. III, 4, die 3 Non. Sept. a. 1075 data.

(161) Similia profert Bernold. Opusc. III, 7, p. 252 et Chronicon anno Claudii I.

(162) cf. Vitam beati Adalberonis episcopi Herbipolensis cap. 1, ubi Arnoldus ejus pater filiam habuisse dicitur, quæ (Mechtilda aliis dicta) « nupsit Ekkeberto comiti, cujus castrum, Niwenburc dictum, in ora Œni fluminis est situm. Huic post felicem fratrum excessum in sortem dotis urbs Putina cum omnibus ad se pertinentibus cecidit. » Paulo vero antea Putina urbs inclyta et famosa vocatur, « quæ quasi metropolis et mater civitatum versus Pannoniam ad australem plagam ad arcendos hostiles Pannoniorum incursus et devastationes antiquitus constituta fuit, » et nunc Pitten appellatur. Patet hinc ratio tam persecutionis, quam fugæ Eggeberti ; cum enim hic partes Adalberonis episcopi Herbipolensis, soceri sui ab Heinrico sede sua pulsi, tueretur, ipse quoque eversis castris suis, quorum præcipuum erat Neuburg Scherdingam inter et Patavium, in tutiora sese recipere coactus est, ad Putinensem scilicet urbem suam in Hungariæ finibus sitam. Uss.

(163) *a communione — regnum* ordine mutato ex ep. Gregorii IV, 23, supra laudata petita sunt.

Digitized by Google

regnum, quo in Romana synodo eum justa damnatum sententia privavit, et sic privatum anathematizavit, non ab eo permissus temeritate tanta invaderet; et insuper viam et ductum ad tot discordias scismata et totius regni facinorosas et calamitosas simultates componendas contemptor Dei et apostolicæ sedis, ipsi pertinax omnino vel nunc saltem concedere detrectaret. Roudolfum vero auctoritate apostolica in regnum confirmavit, et omnibus regni optimatibus, ut ipsi ut oportet regi faverent, firmissime præcepit. Per Alemanniam quoque utriusque partis bellicosæ nimis in alterutrum phalanges diversis undique motibus, set circa Danubium præcipue, pace prorsus conturbata, prædis itidem rapinis et incendiis insistendo, et res alienas, set æcclesiasticas præcipue, sibi publica invasione usurpando, pro posse suo debachantur.

Eodem tempore Agnes imperatrix (164) hujusmodi seditiones jam diu sedare summopere contendens, exitu felici 19 Kal. Januar. diem ultimum clausit. Quæ duodeviginti (165) ex quo sacro velamine consecrata est annis, regia gloria et una vitæ mundanæ voluptuosis deliciis pro regno Dei spretis, vitæ religiosæ stadium certatim aggressa est. Psalmodiæ et orationibus die ac nocte indefessa semper institit; carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, utpote quæ Christi revera secutrix fuerit, semetipsa verissime abnegata, sedula nimis crucifixit. Ipsi quippe cum desiderabili cordis compunctione lacrimæ sibi divinitus datæ panes fuerunt sine intermissione; sic cum Ezechia semper recogitans omnes annos vitæ in tanta amaritudine animæ suæ. Quanto enim magna fuit in sæculi magnalibus, tanto se humiliavit in omnibus. Unde respexit ad humilem et spiritu pauperculam Spiritus sanctus. Regiis insignibus depositis, et in pauperes Christi et æcclesias disperditis vilibus usa est vestimentis, illud maxime non in hoc solummodo, set in omnibus attendens, ut ne quid nimis sit. Cottidianis confessionibus non solum operum, verum quoque cogitationum inordinatarum nec non insomniorum, sese sui in principio accusatrix expurgare solita est. Ipsa quippe magistros obœdientiarios, quos præ cæteris religiosiores et prudentiores noverat, semper individuos secum sollertissima habebat, quorum cottidiana lectione, collatione, disciplina et contuitione salutari discretissime se undique præmuniri cupiebat. Quicquid [212] enim illi oneris per obœdientiam imponebant, sine mora Deo subdita voluntativa satis supportabat. Jejunia illius simplicia et non superstitiosa, victus modestus et satis sobrius et mirabiliter temperatus erat, et ad mensulam ejus semper ex divinis recitabatur lectio, quæ fuerit etiam cibus et delectabilis animæ refectio. Illic conviva Christus semper in pauperibus officiose procurabatur. Fecit namque sibi amicos de mammona iniquitatis, ut cum deficeret, in æterna eam tabernacula reciperent. Quicquid enim de suis habere poterat patrimoniis, quæ amplissima tantæ personæ responderant, præter manifestas necessitates, cottidie in hujusmodi studiose disperserat. Balnearum fomenta et plumarum mollitiem omnino devitabat. Stratum ejus frequentius terra fuit, seu quid aliud de durioribus, psiathio (166), tapetio sive paleis rarissimis præparata [213]; et cum paullisper fragile corpusculum dormitiuncula rapta reficeret, ilico ad vigilias orationesque solitas nimis inpigerrima fervebat. Cui Christus in corde, psalmus verbumque illius semper in ore sonuit. Quid tunc sibi laboris insumpserit, ipse solus testis et conscius est, cum quo tam intime [214] conversata est. Omnes suos tam ultra modum diu noctuque laborando convicerat, in vestimentis pauperum manibus suis consuendis, ipsisque pauperibus sordidulis, set præ cæteris scabiosis, leprosis, ulcerosis, sanie profluendi tabidis, sive qualibet passione fœtidis, accuratissime balneandis, confovendis, vestiendis visitandisque operosa Christo ministraverit, et omnibus servis Dei se tota humilitate humanissimam exhibuerit et liberalem omnimodis, chorus hujusmodi et turba per terras in id ipsum conclamitans, prædicare non quiescit. Quippe omnibus ubicunque per æcclesias aut monasteria vitæ religiosæ personis, qualitercumque largitatis suæ inpendiis communicare conabatur, et sic privatim et communiter fraternitatis eorum et orationum memorias sedulissima participabat. Hereticis autem et ypocritis, ut absque personarum acceptione magnæ in omnes libertatis et invectionis erat, nimis aspera, auctoritate et coargutione magisteriali satis infesta resistebat, et maxime nicolaitis et symonianis. Primum namque cum a nonnullis regni primatibus obnixe rogaretur, ob filii sui puerilia dehinc vero juvenilia errata coercenda seu temperanda, ut in Theutonicis partibus monitrix illius et correctrix materna disciplina et libertate cæteris sollertior et familiarior moraretur, aliquantisper consensit. Demum vero cum filio suo ejusque a secretis [215] tantotiens commonitis, et omni arte et ingenio coargutis, objurgatis, obsecratis oportune pariter et inportune, et nec minimum quid propterea correctis, immo potius deteriora molientibus, omnino abhominabilis nec non etiam gravis ad videndum fieret, tot insolentias, rapinas, invidias, repugnantiam, vecordias et multifarias eorum insanias diutius pati recusans, se Romam ad sanctum Petrum et tot san-

VARIÆ LECTIONES.

[212] quiquid 2. [213] præparatum *ed.* [214] intimo 2. [215] assecretis 2.

NOTÆ.

(164) Virtutes ejus prædicat etiam Petrus Damiani, tam in epistolis ad eam datis (Opp. t. I, p. 112 et seqq.) quam in Opusculo 56 (t. III p. 372) conf. Mabill. Annal. Bened., t. IV, p. 617, seq. et t. V, p. 115. Uss.

(165) A. 1061 exeunte vel 1062 ineunte monialis facta est; v. supra.

(166) Parva storea monachorum.

Digitized by Google

etorum contubernia cum omnibus suis ex toto contulerat. Illic quicquid de bonis suis habere poterat, in usus pauperum cottidie expenderat, et sic vitæ sanctæ et religiosæ provectu in dies se semper in anteriora extendens, et posteriora obliviscens, supernæ vocationis bravium legittime certando cursumque consummando, ibidem triumphaliter et gloriantер persecuta est. Cum autem pro tot magnificis vitæ tam beatissimæ remunerandæ pietatibus tempus instaret, febrium languore lætanter ultra solitum arrepta, quarum intemperantiam ipsa medicinalis artis non imperita ante multotiens mitigare consueverat, per dies quatuordecim semper in horas viribus corporis diminutis, mentis autem in Christo gratiosius amplificatis et corroboratis, ægerrime multum defecit et contabuit. Postremo cum ad usque finem perventum est, bonis illius jam ab ea in usus pauperum et æcclesiarum discretissime dispositis, convocatis ad se in primis domno apostolico, cunctis fidelium suorum et amicorum personis carissimis, quibus ultimum vale faciens animam suam commendaverat [246], et omnibus suis prout desideravit ordinatis, communicata dehinc devotissime eucharistia, cum cæteris orantibus et psallentibus et ipsa una psallens et gratias agens, in manus Dei et sanctorum Petri et Pauli spiritum suum exultanter commendavit. Tandem domnus apostolicus exequialibus officiis, missarum sollemniis, elemosinis, vigiliis quoque per aliquot dies sollemniter pro anima illius celebratis, in æcclesia sanctæ Petronellæ, quæ Vaticanum Apollinis appellatur antiquitus, juxta altare Dominicum, ad latus scilicet sanctæ Petronellæ, sacrum Agnetis imperatricis apostolica sua indulgentia et absolutione tantotiens a peccatis remissæ corpusculum, in sarcophago consignatum, cum ymnis et laudibus totius sanctæ Romanæ æcclesiæ in id ipsum consonantibus dignanter sepelivit.

Æstivo tempore ejusdem anni Romanæ urbis præfectus (167) a quibusdam Quintii proximis per insidias interfectus est. Qui jam dudum domno apostolico peccata sua perfecte confessus et ad Deum conversus, mundum cum suis delectamentis illecebrosis omnibus omnino relinquere et ad monasticæ vitæ perfectionem tendere percupientissimus voluit; set ab apostolico per obœdientiam omnino prohibitus est, et in præfectura sua permanere jussus est, ut zelo Dei armatus et judex æquitatis et justitiæ servantissimus tot malefactoribus obsisteret, et in hac obœdientia Christo gratanter militaret. Quod et non minimo obœdiens conatu pro posse suo omnimodis exsecutus est. Unde et Quintio, malefactorum omnium primicerio, sollertissimus ob tot rapinas et latrocinia illius et quia domnum papam sacrilegus in æcclesia inter missarum sollemnia altari assistentem in contemptum Dei captum in turrim suam abstraxit, perfecto odio et digna persecutione adversatus est. In quo obœdientiæ certamine hic vir Dei zelotes perfectus, hereticis infestus, judex justus, elemosinarum dispensator largus, magnæ compunctionis et lacrimarum gratia in orationum suarum sedulitate donatus, castitatis et continentiæ dilector præcipuus, utpote a puero legitime conjugatus et paulo post viduus effectus juvenilem in se ardorem deinceps juxta consilium apostoli sic permanens viriliter continuit, caritativus, humilis, hospitalis, suavis, affabilis, constans, modestus, patienter longanimis, pacis et veritatis sectator, et miræ religionis miles industrius et administrator: qui beatæ vitæ et christianæ militiæ tyrocinio prudens in carne ambulavit set non secundum carnem militavit, pro justitia et fide fausto triumphans martyrio vitam finivit temporalem, mox pro eo feliciter adeptus ineffabilem vitæ perennis inmortalitatem et semper virentis paradysi desiderandam præ omnibus amœnitatem. Hic quidem a civibus Romanis, set præcipue ab Urbis optimatibus, magno planctu et ejulatu ut oportuit, lamentatus, post magnificas exequiales agendas officiose satis et honeste juxta ritum Romanum apud sanctum Petrum celebratas, in medio ipsius paradysi debita laudum et ymnorum inpensione gratiosa, devotissime est tumbæ marmoreæ inpositus, et ita decentissima sibi tumulatione Deo et sancto Petro est ab omnibus intentissime commendatus. Tandem vero, cujus in vita sua tyro municipatui inpensius militaverit, et quod mundo revera usus sit tamquam non uteretur, palam omnibus apparuit, cum tot miraculis et virtutibus non modo Romanis, verum quoque omnibus illuc undique concurrentibus jam jamque evidentissime exclaruit, quam magnus sit apud Deum. Enim vero tot et tanta meritis ipsius ibidem Deus operatur magnalia, ut vix quibusdam probari possint, scilicet æmulis illius, in veritate fuisse facta. Unde nunc, ut illorum invidiosa palam confutaretur incredulitas, in proxima Romana synodo (168) quædam miracula sub testimonio tot et tantorum virorum tantæ auctoritatis tamque probabilium, illic procul dubio facta litterisque commendata publice recitabantur; de quorum veraci relatione omnino fas non sit quempiam dubitare. Quiddam vero, quod non minimæ apud Romanos admirationi haberetur, adhuc viventi eodem interfectionis ejus anno revera actum in eo refertur. Quadam namque die cum quoddam oratorium causa orationis est ingressus, ante fini-

VARIÆ LECTIONES

[246] commendaverit 2.

NOTÆ.

(167) Cinthium appellat S. Petrus Damiani, cujus ipse virtutes epist. 1 et 2 lib. VIII, ad eum datis deprædicat, nec non Paulus Bernriedensis, qui eum Cincium vocat, a quo alter Cincius seu Quintius, de quo anno prior: actum, in carcerem conjectus est, cujus propterea odium incurrit, nonnisi suo sanguine exstinguendum. Ipsum ab apparitoribus Heinricianæ persecutionis occisum scribit. Uss.

(168) Mense Martio a. 1078.

Digitized by Google

tam orationem duo pili ad mensuram digiti unius longi in pollice manus illius excreverant; quo ipse viso [147] non parum cum omnibus, quibus mox monstravit, stupidus effectus, tunc et in posterum secum satis mirari solebat. In eadem quoque synodo quædam item miracula, quæ Mediolani ad sepulchrum domni Erlebaldi (169), qui et ipse propter justitiam ante triennium passus est, facta sunt, probabilibus personis tota veritate illic attestantibus et litteris ea commendata demonstrantibus, recitata sunt. Qui et ipse orator facundissimus, et sub seculari habitu athleta Dei sollertissimus, canonicæ restaurator disciplinæ et observantiæ, nicolaitis et symonianis hereticis zelo Dei in tantum restitit, ut ferme in toto Mediolanensi episcopatu nullus eorum non correctus sive non conversus remanserit. Si quis autem canonicæ districtioni perduellis et inobœdiens repertus est, mox ipse assumptis secum turmis suis militaribus, ad canonicam illum censuram aut cœgit, sive fugavit, aut captum incarceravit, et omnia quæ possidebat diripuit et dissipavit. In cujus factionis ultionem quidam Mediolanenses, qui episcopi sui symoniaci (170), cui et ipse tota qua poterat virtute adversatus est, nec non regis Heinrici, qui eundem illis hereticum apposuit, morigeri et assentatores fuerant, Dei tyronem egregium pro justitia et fide nec non obœdientia quam ipsi domnus papa Alexander pro hujusmodi imposuit, per insidias dolose quinque simul lanceis perfossum interfecerunt. Dehinc interfectum in platea civitatis cadaver ejus exanime per triduum ne sepulturæ traderetur, gladiatoria manu inhumanissime prohibuerunt. Tertia vero nocte in ipsa ejus intempesta lux cœlitus emissa tam clarissima, ut quidam qui ab urbe plus quam decem miliaria aberant, certissimum urbis ipsius incendium non dubitarent, super corpus ad trium horarum spatium resplenduit; et inter plures qui pro hujusmodi signo concurrerant, quidam fratres qui visionibus ad hoc in somnis præmoniti fuerant, audacter accedentes, tulerunt corpus ejus, et debito orationum et exequiarum officio, Deo prout oportuit gratias agentes, in monasterio sancti Celsi martyris sepelierunt. Demum vero multis virtutum et miraculorum testimoniis hic vir Dei, zelotes pravitatis hereticæ tam industrius, revera Dei amicus esse et fuisse indubitanter satis divinitus probatum est. Cujus industriæ et intentioni quemlibet summi regis militem et sanctæ fidei defensorem fortiter et exultanter in Christo insistere non pigeat, si peræ eto certamine legittimo tam insigni gloriæ cœlestis triumpho perenniter coronari delectat. Eodem anno quædam matrona in Alemannia puerum non multum vivacem, et cum eo pariter caput quasi hominis absque omnibus humanis membris solitarium, set vivens et ex toto cunctis suis sensibus humanitus bene formatum, generavit. Quod, dum infantulus ille mox moriturus baptizaretur, obstetrices acceptum, secreto tamen propter quandam erubescentiam, et ipsum, pro toto homine nomen inponentes ei, in nomine sanctæ Trinitatis baptizabant; set non multo post moriebatur.

MLXXVIII.

Roudulfus rex in Saxonia apud Goslarium nativitatem Domini cum maximis Saxonicæ gentis copiis gloriosissime celebravit. Rex autem Heinricus Ratisponæ biduo tantum qualitercumque non multum festive vix commorans, iterum ad obsidionem cujusdam castelli, unde venit [148] illuc, properanter redibat, in illis Norici sinus orientalis partibus usque in mediam quadragesimam quomodocumque per loca incertus vagans, et illam patriam quoque non modicis itionibus hujusmodi hostiliter devastans. Inde etiam legatos suos episcopos Osniburgensem et Viridunensem (171) Romam ad domnum apostolicum et ad Romanam synodum pro causa sua inibi agenda direxit. Legationem autem apostolicam et commonitariarum Romani cardinalis litterarum ad eum contemptum et conculcationem et inobœdientiam, quam toto nisu palam omnibus professus est, astutissima quadam occasione, ac si nichil umquam vel parum quid in le audiret, omnino dissimulavit. Hos etiam de synodo reversuros Ratisponam non cum minima sollicitudine præstolatus est; quippe uti sua teste conscientia promeruit, quiddam novi quod maxime noluerit ab apostolica sede sibi reportari non dubitavit. — Rex quoque Roudolfus et ipse pariter nec non omnes consentanei illius legatos suos, non quos voluerant, set qualescumque poterant, et hos artificiosa qualibet occasione et dissimulatoria, ad eandem synodum transmiserant, domno apostolico veram per omnia obœdientiam demandantes, et ut tyrannicam tamque flebilem sanctæ æcclesiæ desolationem paterna sollicitudine respicere dignaretur, unanimi rogatu ipsi sollertissime commendantes. Legati autem regis Heinrici, quia palam ire et omnia quæ voluerunt pacifico libitu efficere et in Longobardia et in ipsa Romana urbe poterant, mu-

VARIÆ LECTIONES.

[147] uisa 2. [148] venerat *ea*.

NOTÆ.

(169) De S. Erlebaldo seu Arlembardo vid. Arnulphi His. Mediolan. lib. III, cap. 14, sqq. Pluribus agunt Bollandiani t. V Junii ad diem 27, p. 279, sqq., ubi cædes ejus ad a. 1075, refertur, ad annum vero 1076 consignat Pagius in critica Baronii, qui etiam annis 1057, 1061, 1066, 1067, 1071, 1072, 1074 et 176 de eo agit. Necem Arlembaldi, ut vocat, pariter describit Arnulphus in Hist. Mediol. lib. IV, cap. 10 (Murat. script. Rer. Ital., t. IV, p. 39, et Leibnit. Script. Brunsv., t. III, p. 727), ubi etiam nimius ejus zelus reprehensione non caret. Conferatur Gregorii VII, lib. I, epist. 25, 26, 27, 28. Uss.

(170) Gothefredi.

(171) Bennonem et Theodericum.

Digitized by Google

neribus, mendaciis, promissis, assentationibus, querimoniis flebilibus, nec non omni arte et ingenio, uti in hujusmodi experientissimi erant, a minimis adusque maximos, corruptos, delusos, deductos omnino omnes in favorem sui regis attrahere semper non cessabant, et e diverso in odium et calumnias Rodolfi regis permaximas.

Synodus dehinc statuto tempore (172), id est 3. Non. Martii, ordine canonico initiata est, quæ fuit fere 70 episcoporum (173), in quibus erat Albanus episcopus (174), qui unus de fratribus, qui in episcopatu Florentino, in loco qui vocatur Vallis Umbrosa commorantur, per ignem et flammam 12 pedum longam pertransiit, et Petrum, qui Florentinæ ecclesiæ episcopus dictus est, vere symoniacum hereticum fuisse, et ob hoc ipsum non recipiendum, nec officia illius heretica, intactus a flamma et illæsus evidenti judicio probavit. Illic quoque de Galliarum partibus aderat episcopus Divensis, qui non humana set divina electione episcopus factus est (175). Quippe causa orationis dum se domo sua Romam moveret, ad Divensem civitatem illic pernoctaturus devenit. Legatus autem apostolicæ sedis Geraldus Ostiensis episcopus, qui et ipso tempore eo loci concilium pro utilitate et necessitate ecclesiæ collegit, videns eum, non parum de adventu illius gavisus est; namque ipsi notus et amicissimus fuerat. Et osculato eo statim intulit : « Bene venisti, quia Deo auctorante hujus ecclesiæ, episcopo suo orbatæ et destitutæ, te pro illo episcopum et provisorem habituri sumus. » Et ille modestius subridens, putabat, eum hoc jocando sibi dixisse. Deinde, cum non joco set serio hoc dictum sibi veraciter persensisset, inducias pro hoc respondendi in crastinum usque vix ab eo acquisivit. In ipsa nocte pondus curæ pastoralis quomodocumque subterfugere toto conatu præmeditatus, sociis suis id nescientibus, ipse solus ab eis furtive se subtrahebat, cujusdam illic ecclesiæ latibulum se occultaturus ibidem irrepserat. Mane facto dum diu ubique multum quæsitus non posset inveniri, legatus apostolicus assumptis secum cleri totiusque populi non modicis processionibus, cum letaniis et obsecrationibus per ecclesias illas devotissime cum a Domino quæritando circuibat. Cum vero ad ecclesiam ubi fugitivus latuit perventum est, lux cœlitus emisse super eum resplendens, electum Dei prodidit. Sic itaque proditus, regiminis culmen, quod ex corde humiliter fugerat, dispositioni divinæ subditus, quamquam invitus subire coactus est. Tales semper tantæque auctoritatis et reverentiæ viros secum semper habere solebat, in quorum consilio effectum suæ sollicitudinis, et diffinitionis fidelis et prudens misteriorum Dei dispensator, sollertissime ponebat.

In eadem synodo legati regis Heinrici multum in iot, quos sibi qualitercumque asseiverant, fautoribus animati et confisi, in primis omnifariam domno apostolico obœdientiam, et eam quomodocumque probandam, ex parte domini sui publice promiserant. Tandem causæ illius injurias ipsi magnopere in primis, dehinc totius audientiæ consessus, modis omnibus et commentis ad hoc instructissimi, et oratoria satis proclamatione linguosi, non inceptissime conquesti sunt. Quam quasi justissimam [a19] cuncti favorales illius concordi tenore et ipsi commurmurantes, judicio apostolico et synodali decernendam obnixe multum commendabant. Cujus quidem causæ status hujusmodi erat : quod Rodolfus, dux et miles regis Heinrici, quique ipsi ut fidelis et in auxilio per omnia quæ ad regni sui tutamenta pertinerent individuus assisteret, sacramentorum firmamentis adjuratus fuerit, cum cæteris suis consentaneis regno suo perjurus et perfidus injuste expulerit, et sic ipse regnum temerarius invaserit. Set non ea necessitate hanc quærimoniam fecisse dominum suum professi sunt, quin facillime suos adversarios comprimere possit; verum idcirco maxime, quia justum et dignum sibi visum sit, apostolicæ sedis diffinitionem super hoc in primis interpellare. Nonnullis igitur judicibus, qui illorum intentioni benivoli favebant, indifferenter complacuit, quod ob tam manifestam et sacrilegam tanti reatus factionem apostolici anathematis sententia Rodolfus rex indilate damnari dignus fuerit; et hoc plurimum rogitabant, ut id juridicialiter decretum, canonice perageretur.

Domnus autem apostolicus, cui ex toto nota erat causæ instantis interturbatio, et quem non facile seductilem in personarum acceptionem adulatoria quorumlibet protrahere posset argumentatio, ante utriusque partis cautam examinationem, et cui adhuc prorsus in dubio pendebat veritas excommunicationis jam per cardinalem suum factæ, sese nichil inde posse decernere, palam protestatus est. Utriusque regis obœdientiam, legatos, proclamationes, quos ambos quidem non modica pars regni primatum, episcoporum, virorum sapientium et religiosorum diverso tramite consentanea sequeretur, se multotiens audisse profitebatur. Unde oportunum pro hujusmodi cum sanctæ Romanæ sedis optimatibus et magistratibus, nec non cum quibus posset, cunctisque sanum sapientibus se necessario consilium et ad hoc tempus congruum habiturum fore prædicebat, ne quid injuste in alterutrum illorum ab apo-

VARIÆ LECTIONES.

[a19] justissima 2

NOTÆ.

(172) Quadragesima hoc anno d. 21 Febr. incœpit

(173) In Actis conc. Mansi XX, p. 503 legitur numerus 100 et v. Non. Mart.

(174) Petrus, v. supra col. 332.

(175) Sermo hic est de Hugone Diensi episcopo, antea Lugdunensi camerario, qui d. 19 Oct. anni 1073 in Lancelini Simoniaci locum substitutus est, uti scribit Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi. Oss.

Digitized by Google

stolica sede decerneretur. Ad hæc omnes sollerter rogitabat et commonebat, ut in commune Deo pro hoc devotissime supplicarent, quatinus sibi divini sui spiritum consilii inspirare dignaretur, quo auctorante sancta mater ecclesia per tot hereses scismata et discordias miserabiliter dissipata, in Christo uniri et pacificari mereretur.

Sic dilata hujusmodi usque in sabbatum sententia, alia quædam quæ ecclesiæ utilitati et necessitati proficua fuerant, canonica diligentia ibidem cautissime pertractata et diffinita sunt. Inventum autem et diffinitum est ab apostolico et cunctis in Christo secum consulentibus hujusmodi pro regis Heinrici querimonia prudens et discretum satis consilium : quod ipse domnus apostolicus, sive pro eo legati sui idonei, in Theutonicas partes venirent, et illic in loco qui aptissimus ad hoc fuerit, regni totius primates, sapientes, et quique optimates præter utrosque reges ipsis occurrerent, et ibidem habito colloquio, tota utriusque illorum causa justissime et absque personarum acceptione discussa et ventilata ab omnibus aut justificaretur aut improbaretur ; et sic communi prudenti justissimoque omnium judicio et consilio inrefragabiliter decerneretur, quomodo regnum in se ipsum tam miserabiliter scismaticum factum et perjurum, vel nunc saltem non omnino desolaretur, quin potius in Christi pace coadunatum et recuperatum rationabiliter consolidaretur (176).

In die vero sabbati domnus apostolicus legitime et ordinate ad hoc paratus, et cum suis suffraganeis synodum ingressus, consilium prædictum palam omnibus enarravit. Et cum placuisset omnibus, mox apostolica auctoritate fiducialiter linguatus et armatus, a nathematis vinculo sempiterni metuendi multum, universaliter omnes condemnavit, sive reges seu duces, episcopos, clericos, nec non ex toto, quicumque fuerint majores et minores, qui versutiis, artibus, machinationibus, factionibus seu ingeniis quibuslibet, colloquium illud condictum ne fieret, qualitercumque ex studio et voluntate detrectarent et inpedirent, et qui legatis apostolicæ sedis quolibet modo, ne ad idem colloquium pervenire possent, adversarentur, et qui diffinitiones, quæ ibidem pro hujusmodi causa et discordia et seditionibus tam maximis a legatis apostolicis et cæteris regni primatibus optimatibus et sapientibus ad hoc laudamentum nominatis et electis, communiter in id ipsum concordantibus statuerentur, tenere et inrefragabiliter observare refutarent. Sic cum, candelis ardentibus ab apostolico et cæteris suis suffraganeis in anathematis prædicti complementum canonice in terram missis et extinctis, hujus damnationis sententia diffiniretur, satis obnixe obœdientiam regis Heinrici primum in hoc probaturus, per dominum Deum, et si se amaret, rogavit eum et obsecravit, et paternitate apostolica per legatos illius admonuit, ut pacem cunctis adversariis suis usque ad illius colloquii perfectionem haberet. Deinde ut ipsum per omnia honorando ad consensum concordiæ industrius contraheret, nuntios suos cum legatis illius se ad illum directurum prudenter destinavit, ut, juxta suum beneplacitum, tempus et loeum futuri colloquii ipse deliberaret, et hoc regni primatibus et cunctis illuc convocandis indubitanter notificato et prænuntiato, nuntius apostolicus Romam rediret, quatinus sedis apostolicæ legati in hoc destinati et electi, in tempore oportuno rectoque itinere et ipsi ad hoc instantis causæ conventiculum consultores mediatores et correctores idonei pervenirent. Ita legatis regiis a se domnus apostolicus, set tamen absque apostolica benedictione quam regi reportaverint, dimissis, idcirco quia fama passim eum a legatis apostolicis excommunicatum jam fuisse (177), quamquam dubia æstimatione prædicaverat, ad cætera quæ adhuc synodaliter exsequenda restiterant, efficaciter se conferebat.

In eadem synodo sententia anathematis data est in episcopos Ravennatem, Mediolanensem, Cremonensem [180], Tarvisiensem, nec non in omnes Symoniacos hereticos, et Nicolaitas, pertinaciter et inobœdienter in sui erroris insania voluntate et industria perseverantes ; et specialiter in eos, qui infra biennium temerarii, pervicaces, et incontinentes, ecclesiasticas ordinationes datione peccuniæ sibi acquisitas, relictas, et concubinas sibi interdictas apostatica præsumptione receperant. Qui quidem numero non pauci in nostris partibus publica tyrannide in authenticas sacrorum canonum sanctiones perduelles insanissime consurgebant. Illis quoque absque spe restitutionis inrevocabiliter omnino per datam judicialem sententiam quicumque ordines et consecrationes, excepto solo baptismo, adempti sunt, qui per episcopos officio et sacerdotali dignitate, apostolica sanctione privatos, et nondum sive per se seu per certum ipsius legatum ordini restitutos, ubicumque officio præsumptuose usurpato se ordinari, immo potius deordinari præsumpserunt. Ecclesias etiam quascumque consecratas ab eis, utpote Deo numquam canonice initiatas, a primis reconsecrari oportere, illic judicatum et statutum est.

In laicos quoque cujuscumque dignitatis data est sententia anathematis, sive clericos, nec non in omnes personas, quicumque contra sacro-

VARIÆ LECTIONES.

[180] Cremensem *ed*

NOTÆ.

(176) De his et sequentibus conferenda sunt Acta conc. Roman. IV Mansi XX, p 505. Ante oculos quoque habuit auctor Gregorii ep. ad Germanos Reg. V, 15, p. 248 et 16.

(177) Vide an. 1077, col. 401, 402.

Digitized by Google

rum canonum decreta episcopatus, abbatias, præposituras, qualescumque ecclesias, decimas, vel quascumque ecclesiasticas dignitates, cuilibet clerico seu cuicumque personæ juxta usurpationem suam antiquam in beneficium dare, et quod domino Deo prius canonica et legitima traditione in proprietatem et servitium legaliter delegatum est, hoc quasi proprium quiddam et hereditarium laica et non consecrata Deo manu, consecratis Deo altaris et ecclesiasticæ dispensationis ministris procurandum et ordinandum contradere seu præstare omnino præsumpserint.

Illic quoque sententia data est, ut anathema sint, quicunque prædas, rapinas, seu quaslibet artificiosas temerarias invasiones in ecclesiis Deo consecratis, sive in ecclesiarum atriis et cimiteriis, et claustris pariter consecratis, seu in his ecclesiasticis rebus possessionibus et pertinentiis quibuslibet earum facere præsumpserint. Quæ specialia præ cæteris ad præbendas cottidianas et omnimodas victualium et sumptuum necessariorum dispensationes canonicorum, clericorum, presbiterorum, monachorum, virginum sanctimonialium, nec non sub regula cunctorum Christo servientium separatim et quasi proprie nominata ac decreta attinere dinoscuntur.

Domnus vero apostolicus id maxime in hujusmodi decretis intenderat, ut pace per ecclesias facta, quamvis undique bella et seditiones in secularibus regnarent, in spiritalibus tamen personis canonicæ Dei laudes et orationes ob[251] exteriorum detrimenta subsidiorum minime cessarent. Quia vero subjectorum offendicula aliquotiens prudenter dissimulanda, aliquotiens autem aperte cognita[252] mature toleranda sunt, ut oportuniori tempore corrigantur, et quia nonnisi cum tempore medicamina conveniunt; domnus apostolicus prudens dissimulator et tolerator, multorum episcoporum et presbiterorum in Theutonicis et Italicis partibus hereticas pravitates inobœdientias et tot præsumptuosa scandalorum milia in tempus oportunum dijudicanda multum sollicitus distulerat, ut scilicet post, prius maxima illa discordantium inter se et bellantium regni principum et optimatum tam seditiosæ ac plus quam civilis controversiæ scismata, Deo auctore qualitercumque sedata, et Christi pace legittime confœderata, tandem ipsis quoque corrigendis coarguendis et puniendis cura sollertissima insistere non tardaret.

Legatis autem regis Roudolfi a se dissimulatoria et satis cautissima licentia clam et furtive dimissis, quia per omnia ipsum obœdientissimum et consentaneum sibi et apostolicæ sedi minime dubitaverat, paternam dilectionem pietatem et gratiam ipsi cum apostolica indulgentia et benedictione vigilanter demandare studuit, nec non omnibus majoribus et minoribus, qui sedis apostolicæ præceptis et decretis obœdienter subesse et favere studio et voluntate in pace Christi unanimes non cessarent.

Rex denique Heinricus apud Ratisponam ex legatis suis, qui præ cæteris festinantiores ad eum præcucurrerant, quosdam præstolatos et illic conventos, mox aliquantulum subtristis inde se Mogontiacum properanter, diem inibi palmarum acturus, promovebat; indeque Coloniam contractis secum quas potuit militum suorum copiis pertendebat. Ibi quoque non multum gloriose pascha egit. Postquam vero, legatis suis cum apostolicæ sedis nuntiis et cum apostolica pariter legatione jam ad eum reversis, omnia quæ in Romana synodo acta sunt et decreta, relatione veraci diligentissimus comperat, mox ad solitæ versutias vecordiæ cum suis auricularii secum assumptis totus sollertissime intenderat, id summopere in id ipsum consiliantes et toto nisu astutissime per omnia machinantes, ut se absque apostolici observantia et obœdientia præcepti et decreti quasi ab illa excommunicatione apostolica liberasse viderentur, et totum, quod ipsis ex culpæ reatu manifestissimo inminebat, regi Roudolfo et cunctis partis sibi adversariæ consortibus quasi ex ratione justissima onus Romani anathematis inposuissent.

Rex autem Roudolfus non minima principum et militum suorum Saxonicorum multitudine collecta, apud Goslariam pascha sollemniter satis celebravit. Illic, qui revera primum canonice a clero et a populo et a meliori et majori parte ecclesiasticæ militiæ electus est, in episcopum Augustensis ecclesiæ quidam canonicus, qui et ipse ad sancti Mauritii ecclesiam præpositus jam constitutus probatus est, venerabilis multum et bene litteratus clericus, nomine Wigoldus, electione et suffragio cardinalis Romani, metropolitani et archiepiscopi sui Mogontini, nec non aliorum qui ibi[253] convenerant novem episcoporum, in paschali die canonice in episcopum consecratus et ordinatus est. Cui rex post peracta legittime omnia quæ ad ordinationem ipsius pertinebant, videlicet anulo, virga pastorali et cathedra episcopali ab archiepiscopo Mongontino susceptis, ex sua parte quidquid regii juris fuerit in procurandis bonis ecclesiasticis diligenter commendavit. Cavebat namque, ut obœdientissimus erat in omnibus, quod in Romana synodo nuper canonice diffinitum est, et post datam judicialiter sententiam sub anathemate interdictum et prohibitum est, ne quis laicorum ecclesias et ecclesiasticas decimas et[254] dignitates personis aliquibus quasi proprium suum præstiterit, sive contra canones sibi usurpare præsumpserit. Insuper archiepiscopus Mogontinus Sigifrido, qui a rege Heinrico Augustensi episcopio non canonice appositus sit, post datas indicias præcepit ne ultra parrochiam suam temerarius invaderet, alioquin ipsum et omnes consentientes sibi justo anathemate a membris ecclesiæ omnino sepa-

VARIÆ LECTIONES.

[251] ab 2. [252] cognite; *sec. XIV. corr.* cognita 2. [253] ibi non c. 1. [254] ec. et dec. 2.

Digitized by Google

ravit. Id ipsum quoque canonicis Augustensibus et populo intentavit, si [255] electum suum, ut dignum et justum fuerit, non reciperent. Sic episcopus Augustensis accepta a rege licentia repatriavit, et in quoddam castellum juxta fauces Alpium (178) sese cum suis, quia firmissimum et munitissimum erat, prudenter contulit, pacem æcclesiæ inibi præstolaturus. Ubi confestim per plurimas injuriarum illationes ab Augustensibus inpetitus et molestatus est; set illud qualicumque longanimitate et patientia aliquamdiu tolerans, Deo judici et defensori se cum suis devotissime commendavit.

Rex vero Heinricus post pascha mox Moguntiacum rediens, omnes quoscumque et quomodocumque attemptare potuit, suæ parti contraxit. Unde Saxonum optimatibus terrificis sive blanditiosis ad se pelliciendis sermociniis et inductionibus sub nomine et occasione apostolicæ illius legationis et sententiæ intimari fecit, ut causa pacis componendæ et totius regni tot scismatum et discordiarum sedandarum, quibusdam primatibus et optimatibus regni apud Friteslariam occurrerent. Quod cum animo libenti perceptum, Saxonum principes suasu regis Roudolfi ad hoc sollerter incitati, condicto tempore venientes attemptare conarentur, Heinricus rex præter suos quosdam auricularios ne vel unum saltem de regni primatibus illuc dirigebat. Ita dum se delusos viderent, et inde subirati redire destinarent, tamen quia obnixe ab aulicis illis mysteriarchis rogabantur, ipsis secum colloquendi seque temptandi locum dare consenserant. Illic ab eis nichil aliud nisi mendacia et quasi comminationes quasdam ab apostolico in eos factas audierant, eo quod dominum et regem suum perjuri et infideles contra fas injuste abjecerint. De sermone autem colloquii prædicti et anathematis apostolici nulla ibi ab eis secundum veritatem mentio facta est; totam quippe illius sententiæ seriem regi Roudolfo et suis consentaneis falsa sua obstinatione pertinaces inponebant. Tandem vero Saxones his auditis, et cur illuc venerint evidentissime explorat's, ne se quasi reos in his quæ illis objecerant, et quasi de adventu et sententia domni papæ timidos æstimarent, immo potius percupientissimos et lætissimos fore probarent, colloquium quod destinavit omnes laudabant, ipsius sive legatorum ejus adventum quam vix se præstolaturos et sententiæ illius omniumque regni optimatum super hoc negotio diffinitiones se per omnia observaturos, constanti animo et ratione liberrima firmissime palam protestati sunt; et omnes domno apostolico inobœdientes ejusque sententiæ judiciali in hac re quolibet ingenio vel versutia sive vecordia refragantes, anathematizatos et a membris æcclesiæ re vera separatos confirmabant et omnino adjudicabant. Et ut hujusmodi inter utrasque partes controversiam rationabiliter publice dirimerent, legatum suum cum eis ad dominum suum et ad cæteros regni principes illi consentientes inde direxerant, per quem illis locus et tempus colloquii statuti intimaretur, et qui eos ad hoc promptissimos et paratissimos, et omni necessitate et dubietate postposita Domino volente perventuros illuc protestaretur. Postquam hujusmodi sermone controversiali utrobique aliquantisper habito, set tamen prædicta inrefragabili et justa Saxonum ratione et obœdientia novissime laudabiliter consummato, pax ab utrisque ad usque futurum colloquium est collaudata, ab invicem domum unusquisque discedebat.

Regis autem Heinrici consiliarii, assumpto secum Saxonum legato, ad dominum suum versus Rhenum profecti sunt. Non enim bene sapiebat in palato cordis illorum auditus justus et verax sermo principum Saxonicorum. Illi namque alia longe ratione et intentione exierant, ut Saxones scilicet ad se quomodocumque adducere pertemptarent. Cum autem id efficere non possent, mox reversi falso rumore undique diffamabant, quod illi pro certo obsidibus datis, cum domino suo pactum pacis inirent, et gratiæ illius indubitanter firmitatem promeruerint. Legatum autem illorum hujusmodi sermone remiserant, quod rex locum colloquio cuilibet dare nollet, set id causa et amore domni apostolici facere promptus esset, ut quicumque sibi rebellaret, eum [256] gratia sua donandum reciperet, si modo se sibi cum pœnitentia et obœdientia deditium [257] exhiberet.

Saxones autem et Roudulfus rex hoc comperto, manifeste eum excommunicatum cum omnibus consentaneis illius adjudicabant et comprobabant, eo quod colloquium ab apostolico tam inrefragabiliter decretum, ipse tam pervicax et inobœdiens annullavit. Pacem etiam quam auriculariі regis et Saxones inter se condixerant, ante quam legatus prædictus ad eos repatriaret, qui ex parte regis Heinrici erant, castellum quoddam invadendo et contra fidem datam expugnando omnino parvipenderant. Metensis quoque episcopus et alii quamplures Lotharingorum, qui eisdem diebus ad regem Heinricum ductu fidei venerant, attemptandi si ad illius voluntatem inclinari possent, audito apostolicæ legationis contemptu se in parte domni apostolici manere et persistere palam profitentes, cum offensa ipsius gratia domum redibant. Quos ipse confestim duce Theoderico et aliis militum suorum copiis assumptis prosecutus, ex improviso Metensem civitatem dolo præoccupavit, episcopum cum cæteris inde fugavit, et impositis illic præsidiis suis, urbem Argentinam profectus, inde egressus [258]

VARIÆ LECTIONES.

[255] si non c. 1*. 2. [256] cum 2. [257] deditium 2. [258] ingressus *correxit Uss. absque ratione evidenti.*

NOTÆ.

(178) Füssen.

Digitized by Google

est. Ibi diebus rogationum commorans, Thiepaldum [259] Constantiensem præpositum, suum quoque capellanum, contra voluntatem canonicorum et domni apostolici bannum illic episcopum incathedravit. Illi namque, quia, ne aliquem a rege Heinrico reciperent, jam ex parte domni papæ eis interdictum est [260], canonice sibi quemlibet eligendum in Christo concorditer deliberabant. Istius autem promotioni cum illi canonici de sancto Thoma magnopere assensum et laudamentum præbuerint, divinam non multo post ultionem experti sunt. Ignis quippe æcclesiam claustrum et cuncta eorum ædificia et caminadas penitus combusta insumpserat. Dehinc rex Heinricus Alemanniam invadere proponens, set non tantos sibi coadunare valens, quod hoc sine periculo peragere posset, in Pagoariam divertit. Ibi apud Ratisponam pentecosten celebravit, et marchio Liutpaldus (179) in aliquantulum ab eo offensus regreditur.

Legatus autem apostolicus qui ad regem Heinricum in pascha pro illo disponendo colloquio quod papa decrevit advenerat, in primis quia ipsi, licet invito et nolenti, ejus omnino interminationis terroribus parvipensis legationem apostolicam liberrimus intimaverit, aliquantisper occultabatur, ita ut plurimorum suspicione clam interfectus sive exhiliatus æstimaretur; tandem publica palam reverentia et honore ab eo tractatus, et habitus est. Set cum tantisper quidam pro hac detentum conjiciunt occasione, ut sese per illum ab imposita qualitercunque defenderet excommunicatione. Cum scilicet omnes cernerent, apostolicum legatum illi communicare, nemo prorsus eum quasi excommunicatum æstimaret seu devitaret, immo potius pro mendacio firmiter computarent, quidquid passim dictum sit de sententia synodi Romanæ, et de anathematis facti diffinitione : quia, sicut rex Roudullus cardinalem Romanum, ita ipse legatum apostolicum in testimonium suæ obedientiæ et innocentiæ oalam omnibus posset ostentare [261].

Rex autem Roudolfus apud Goslariam pentecosten magnifice celebravit, collecta illuc principum Saxonicorum et Thoringorum non modica multitudine, et ibi cum eis communicato consilio, expeditionem contra regem Heinricum paravit et disposuit. Illuc ad eum legati Philippi regis Galliarum, et Fladirtingorum, et Lotharingorum quam plurium, nec non regis Ungariorum, adjutorium ipsi propter Deum et sanctum Petrum ad defensionem sanctæ æcclesiæ et regni totius Theutonicorum studiosissime promittentium advenerant; quamvis non ita, ut promissum est, omnino perficerent.

Dehinc per totam æstatem plures undique motus per Alemanniam, Alsatiam et Austrifrantiam conferuerant, et privatis bellis ex parte Heinrici regis victi, interfecti et fugati sunt, qui prædas, incendia et sacrilegia plurima in ipsis æcclesiis sacris, temerarii violatores earum, exercuerant. Ex quipus Basiliensis et Argentinus antiepiscopi vix fuga elapsi sunt, militibus eorum a marchione (180), Bertholdi [262] ducis filio, fortiter pugna prostratis et captis, rusticisque quos per comitatus sibi adjuratos in auxilium undique coegerant, ex parte eunuchizatis. Ipsa tempestate duces Bertholdus et Welfo Franciam cis Rhenum ex magna parte prædis et incendiis devastaverant.

Interea rex uterque expeditionem in alterutrum non minimo studio et apparatu disponebant, collectis undecumque et quomodocumque auxiliaris militaribus suis copiis. Et circa Kalendas Augusti duces prædicti cum Alemannica militia regi Roudolfo de Saxonia egredienti occurrere deliberabant. Sed hoc omnino rex Heinricus cum maximo exercitu interveniens, ne fieri posset, impedebat. Et sic bellum quotidie sperantes, et occasiones suæ destinationis percupientissime fieri molientes, quamvis non sine minimo periculo, e proximo regi consederant. Insuper comprovinciales rusticos undique per omnes illarum partium centenarias adversum se conjuratos et armis militaribus instructos, ad duodecim fere millia pugnacissimos et infestissimos sibi, e vicino sustinebant. Sic Saxones et Alemannos ab invicem sequestratos, et, ne convenire aut per internuntios saltem inter se deliberare possent quid in tantis periculis coartatis agendum sibi esset, omnimodis prohibitos (181), rex Heinricus in tam maximo suo confisus exercitu, prius de Saxonibus, exin de Alemannis triumphare satis artificiosus destinavit, et id facillime et absque suorum detrimento fieri posse non dubitavit. Mox ille hujusmodi consilio cum suis communicato, exploratores quosdam, viros non ignobiles, quasi pro pace inter se confirmanda regi Roudolfo nec non primatibus Saxonum simulatorie direxit. Qua ad invicem condicta et solito fœdere ad tempus ab utrisque confirmata, dum ipsi ad dominum suum festinanter redirent, ille eos astute sic delusos de repente et fere ex improviso vecors et insidiosus armata manu et impetu bellicoso inparatos invasit. Rex autem Roudolfus vix cum suis de castris festinantissime se proripiens, et quantum in tali articulo fieri potuit, acies suas contra hostem imminentem prudenter ordinans et exhortans, ipsi tam fortiter pugnacissimus congreditur, ut in prima statim coitione victoria Deo dante feliciter potiretur, prostratis in brevi duabus primis legionibus. Nec mora rex [263] ipse primicerius cum suis intimis fugam turpiter iniit; reliquus dehinc exerci-

VARIÆ LECTIONES.

[259] thietpaldum *ed.* [260] est canonici *ed.* [261] ostendere *ed.* [262] B. 2. [263] h. (—Heinricus) *glossa sæc. XIV* in 2.

NOTÆ.

(179) Austriæ.
(180) Bertholdo II.
(181) Accusativi absoluti. (*prohibuit. Rex* ed.)

Digitized by Google

tus, vi:is quæ fiebant, imbellis, timidus et mirabiliter perterritus, et ipse in diversa fugitando se salvare satis superque anxiatus omnifariam pertemptavit. Saxones autem plus quam ad tria milliaria persecuti sunt eos, instantes pugnaciter a tergo fugientibus. Illic ex parte regis Heinrici de nobilioribus plus quam triginta, de minoribus vero, ut aiunt, ad quinque millia interfecti procubuerant; et ex parte adversaria de minoribus tantum ad 80 viros cecidisse testantur. Insuper ejusdem partis [264] qui præsto aderant episcopi, a fugientibus quibusdam falsariis audito quasi rex Heinricus viceric, cum suis in diversa fugerant. Ex quibus cardinalis Romanus cum plerisque aliis satis periclitatus est, nec non a latronibus Sclavis in silvis, quo latibulum quærebant, episcopus Parthenopolitanus [265] sagitta percussus est, Baderbrunnensis captus exspoliatus et ferme nudus profugit ab eis; et Wormatiensis itidem captus, regi Heinrico cum Herimanno nobili quodam comite contraditus est. Profligatis [266] autem et interfectis tot hostium turmis, Saxones lætanter ad locum primæ belli congressionis et ad castra sua revertebantur. Ibique pernoctantes, in crastinum consilio cum rege suo inito, et jure legum suarum, ne ipsis in bello victoribus progrediendum esset ulterius, ab ipso accepto, in Saxoniam suam cum tripudio grandi triumphatores remeabant.

Rex autem Heinricus absque mora Pagoariam usque pertenderat. Non minimum [267] quippe, qui ex ista parte ipsa die cum Francorum conjuratis centenariis bello durissimo omnino profligatis et eunuchizatis dimicabant [268], et victores mirabiliter exstiterant, Alemannorum impetum metuebat. Qui et ipsi vere comperta hostium fuga et sui regis victoria et reversione, successui suorum congaudebant, et incendiis prædisque undique devastatis et expugnatis oppidis adversariorum suorum quam plurimis, reditu triumphali ovanter repatriabant.

Tandem falsarii et mendaciorum commentarii regis Heinrici circum circa terrarum, dominum suum victorem de Saxonico bello remeasse, impudenter affirmabant, et ita commenta sua ipsum [269] domno papæ, Romanis et cunctis Longobardis per litteras [270] commendare effecerant. Eisdem diebus abbas Massiliensis, sedis apostolicæ legatus, qui cum ducibus Alemannorum prædictæ expeditioni præsto interfuit, et cui omnia bellorum gesta ex toto non ignota fuerant, quia nullum inpositæ legationis et æcclesiasticæ utilitatis profectum apud apostolicæ sedis adversarios se nec habuisse nec habiturum fore perspexerat, et ipse Romam ad eum qui se miserat, mendaciorum destructor non defessus et sinceræ veritatis testis re vera idoneus, properanter regressus est. Ipse vero nec non [271] alii deinceps per plures rem gestorum indubitabilem domno papæ cæterisque, mendaciis mirabilibus non parum nutantibus ac sese desolantibus, seriatim testificati sunt.

Autumno dehinc sequente, Heinricus rex recollectis undecumque copiis militaribus, iterum expeditionem quasi in Saxoniam simulatorie disponebat; et quos contra Saxones adjuratos contraxerat, maximum Roudolfi regis in occursum sibi pugnacissime exercitum comperiens advenisse, in Alemanniam devastandam perjuros induxerat.

Illic pessimis prædonibus et inhumanissimis de Boemia, Pagoaria, Burgundia, Francia, nec non quoscumque poterat de ipsa Alemannia conductis, prædis, incendiis, castellorum et oppidorum nonnullorum destructionibus, et in divina sacra inauditis sacrilegiis, passim efferatissimus Dei contemptor miserabiliter insistebat. Nulla inter sacrum et non sacrum differentia, nulla in tot miseriis miseratio fuerat. Æcclesias quippe, ad quas cum rebus suis conservandis terræ inquilini confugerant, miserabiliter [272] sacrilegi et præsumptuosi incenderant, deprædati sunt; sacerdotes sacris vestibus indutos, seminudos et miserrime vapulatos proculcaverant; altaria sanctorum reliquiis inde ablatis destruxerant; super ea, quod a paganis inauditum est, cacaverant, carnibus prædæ in frusta dilaniatis superinpositis ea cruentaverant, mulieres quas in æcclesiis ceperant, inpudenter illic velut in prostibulo constupraverant; stabulum equis et animalibus suis, nec non latrinas in eis erexerant. Mulieres item ad usque mortem constuprando nonnullas oppresserant; plerasque viriliter tonsuratas ac vestitas, captivas abduxerant: ligneam Christi crucifixi imaginem apud Altorf, et alibi etiam, capite manibus et pedibus detruncaverant abscissis. Quid plura? Omne sacrum et divinum temerantes, plus quam ethnica insania omnifaria polluerant. — Hæc quidem omnia episcoporum, qui simul cum eis æcclesias Dei invaserant, data licentia fiebant. Fiebat autem hæc detestabilis sanctæ æcclesiæ conculcatio et desolatio circa festivitatem omnium sanctorum. Tunc quoque parum minus quam centum æcclesiæ in illa expeditione violatæ sunt. Attamen hæc [273] non inpunite omnino facta sunt; quidam namque illorum, ut aiunt, ab inmundis spiritibus arrepti, usque ad mortem vexabantur; nonnulli vero a principibus Alemannis interfecti, capti, exspoliati; plurima pars eorum enaricati [274] et detruncati sunt. Sic Alemannia miserabiliter devastata, ipsi cum non minimis prædarum et sacrilegiorum honerati

VARIÆ LECTIONES.

[264] scilicet R. *glossa sæc. XIV in* 2. [265] partenop. 2. [266] Profugatis 2. [267] Nec mirum *ed.* [268] *ita correxi*; dimicabat 2. *et ed.* [269] ipsi *ed.* [270] l. suas *ed.* [271] nec *deest* 2. [272] mirabiliter 2. [273] omnia *inserit ed.* [274] euaricati *correctio sæc. XIV. in* 2.

Digitized by Google

sarcinis, domum, non pleno tamen triumpho, tripudiantes redibant.

Ipsis diebus dux Bertholdus christianæ religionis amator et defensor studiosus, et secundum Deum et seculum sobrie et ordinate honestæ vitæ cultor non modicus, æquitatis et pacis, modestiæ et disciplinæ, misericordiarum zelique Dei servantissimus, legum et dignitatum paternarum exsecutor scientissimus, vir magni consilii prudentissimus et tota morum honestate satis virtuosus, anima sua tota, qua oportuit, spe fideque in manus Dei commendata, domoque sua prudenter disposita, felici consummatione diem, o utinam! felicissimus [275] clauserat extremum.

Hildulfus symoniacus ille Coloniensis appositus, apostolicæ auctoritatis sententia, utpote hereticus fur et latro, super terram damnatus eodem, autumno migravit a seculo etiam in cœlo perenniter ligatus.

Synodus magna Romæ facta est, tum [276] ob plurimas æcclesiæ sanctæ necessitates, tum maxime ob tyrannidem Heinrici regis qualitercumque sedandam. In qua utriusque regis legati ex causa dominorum suorum se proclamaverunt, eosque jurejurando, ne colloquium, quod domnus papa in proxima synodo, ne quis impediret, sub anathemate constituit, ipsi nulla arte vel ingenio impedirent, innocentes esse testificati sunt. Legato autem regis Roudolfi ab optimis quibusque optime credebatur, alii vero perjurii incriminati sunt. Tandem vero pro invasione regni anathema ab apostolico in regem Roudolfum extorquere attemptabant; set econtra tota synodo vix suffragante (182), ne id in regem Heinricum ob inobœdientiam et tot sacrilegia quæ prædicta sunt mendaciorumque versutissimas illusiones illius judicialiter [277] retorqueret (183), ipsi datis et ad conversionem et responsionem ad usque proximam synodum vel infra induciis, domum cum dedecore et absque apostolica benedictione confusibiles remeabant. E quibus unus, Eigilbertus Pataviensis præpositus, qui jam ab episcopo suo judicialiter excommunicatus est, ad regem Heinricum sic perjurus rediens, æcclesiæ Trevirensi ab ipso eo qui a clero et populo canonice electus est [278] reprobato, solita violentia sua invitis et nolentibus cunctis Symoniace est prælatus (184).

In eadem synodo hæ sententiæ decretales consensu et subscriptione universali datæ sunt (185).

« Quicumque militum cujuscumque ordinis vel professionis prædia ecclesiastica a rege seu seculari principe, episcopis seu abbatibus aut aliquibus æcclesiarum rectoribus invitis, suscepit vel susceperit, invasit vel invaserit, vel eorum consensu tenuerit, nisi eadem prædia æcclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat.

« Si quis Nortmannorum prædia monasterii beati Benedicti montis Cassini invaserit, vel quascumque res ejusdem monasterii injuste abstulerit, et bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat, et æcclesiæ satisfaciat.

« Quoniam investituras ecclesiarum contra statuta sanctorum Patrum a laicis in multis terrarum partibus fieri cognovimus, et ex eo plurimas in æcclesia perturbationes esse, immo ruinas religionis sanctæ oriri, ex quibus ipsa christianæ censuræ dignitas conculcatur, perspeximus· decernimus. ut nullus clericorum investituras episcopatus, vel abbatiæ, vel æcclesiæ, seu præposituræ, vel alicujus clericalis dignitatis de manu imperatoris, vel regis, vel alicujus laicæ personæ, viri vel feminæ, suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, et se usque ad dignam satisfactionem excommunicationi subjacere.

« Si quis episcopus præbendas, archidiaconatus, præposituras, vel aliqua officia æcclesiastica vendiderit, vel aliter quam statuta sanctorum Patrum præcipiunt ordinaverit, ab officio suspendatur. Dignum est enim, ut sicut gratis episcopatum accepit, ita membra ejusdem episcopatus vel dignitatis distribuat.

« Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicui personæ ea intentione inpenso, vel non communi consensu cleri et populi secundum canonicas sanctiones fiunt, et ab his ad quos consecratio pertinet non comprobantur, falsas et irritas esse dijudicamus; quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est per Christum, intrant, set ut ipsa Veritas testatur, fures sunt et latrones.

« Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum patrum pro qualitate criminum imponuntur. Idcoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus quod sine peccato exerceri non possit, culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, id est qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi miles arma deponat, ulteriusque ea nisi aut consilio religiosorum episcoporum et pro defendenda justitia non ferat : et negotiator negotium derelinquat, et officialis officium deserat, bona quæ quilibet illorum injuste abstulit restituat, et odium ex corde diuturnitate. Nec tamen interim desperet, set quicquid boni

VARIÆ LECTIONES.

[275] felicsimus 2. [276] cum *corr.* tum 2. [277] juridicialiter 2. *hoc loco.* [278] episcopus *addit ed.*

NOTÆ.

(182) i. e. abstinente.
(183) scil. synodus.
(184) VIII Id Januar. a. 1079.
(185) Mansi, t. XX, p. 507.

Digitized by Google

facere poterit, hortamur ut faciat, ut Deus omnipotens cor illius ad pœnitentiam illustret.

«Decimas, quas in usu pietatis concessas esse canonica auctoritas sanctivit, a laicis possideri apostolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis idem [279] in proprietatem eas acceperint, nisi æcclesiæ reddiderint, sciant, se sacrilegii crimen committere, et ob id æternæ damnationis periculum incurrere.

«Quia dies sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicumque se christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eodem die, nisi majori festivitate interveniente vel infirmitate impediente, abstineat.

«Ut nullus abbas decimas et primitias, et reliqua quæ secundum statuta canonum ad episcopos pertinent, sine auctoritate Romani pontificis, seu episcopi consensu in cujus diocesi habitat, detineat, apostolica sanctione firmamus.

«Nullus episcopus gravamen seu servile servitium ex usu contra æcclesiasticam normam abbatibus seu clericis suis inponat, vel interdictum sacerdotale officium pretio interveniente restituat; idem [280] si fecerit, officii sui periculum subeat.

«Si quis prædia beati Petri apostolorum principis ubicumque posita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit, vel debitum servitium exinde sancto Petro non exhibuerit, recognoscat, se iram Dei et sanctorum apostolorum velut sacrilegum incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehensus fuerit, eandem hereditatem beato Petro restituat, et pœnam quadruplicem de propriis bonis persolvat.

«Si quis episcopus fornicationi presbiterorum diaconorum seu subdiaconorum vel crimini incestus in sua parrochia precibus vel precio intervenientibus consenserit, vel commissa auctoritate sui officii non impugnaverit, ab officio suspendatur.

«Ut omnis christianus procuret ad missarum sollemnia aliquid Deo offerre, et ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: « Non apparebis in conspectu meo vacuus. » Etenim in collectis missalibus sanctorum Patrum liquido apparet, quia omnes christiani ex usu sanctorum Patrum Deo aliquid offerre debent. »

In eadem synodo sententia anathematis data est in omnes Symoniacos et Nicolaitas hereticos, qui in erroris sui secta indurati, synodalibus sanctorum patrum diffinitionibus et decretalibus eorum statutis scienter inobœdientes, apostatarumque pertinacia eis recalcitrantes, studio et voluntate refragantur. Multa etiam ad utilitatem æcclesiæ præter ista illic promulgata sunt, quæ nunc recensere non est temporis. Actum in æcclesia domini Salvatoris Lateranensi 5 Idus Novembr. (186) anno dominicæ Incarnationis 1078, indictione 1.

Heinricus Curiensis episcopus obiit.

MLXXIX.

Heinricus rex natalem Domini apud Mogontiacum non satis magnifice celebravit. Illic contra nostri climatis situm magna fulgura visa, et tonitrua satis terribilia audita sunt, et turbo tempestatis partem non minimam de episcopalis æcclesiæ tectura direptam, projecit in terram; et hoc eo tempore gestum, non minimum admirationi a cunctis habebatur. Posthoc (187) Coloniensi æcclesiæ rex contra decretum apostolicum Sigwinum quendam, ejusdem loci decanum, non canonice per ostium intrantem præfecit episcopum. Qui investituram illam de manu regis et ipse accipere contra fas præsumens, mox excommunicationi infelix subjacebat. Dehinc rex juxta [281] Rhenum usque in mediam quadragesimam qualitercumque commoratus, iterum omnes quos contra apostolicam dignitatem conducere et provocare poterat, privatim ad inobœdientiam et rebellionem adjuratos contraxerat; et non solum id privatim et clam molitur, verum potius apud Friteslariam in colloquio, quo Saxonum optimates et ipsius intimi astitores his diebus convenerant, palam omnibus fecit prædicari, quia in nullo quod ad se pertinuerit actu vel negotio curam vel respectum prorsus in domno apostolico habere voluerit. Quod etiam hoc argumento probavit, quia legatos quos in proxima synodo ab eo sibi Romam ad sequentem synodum papa pro causæ illius responsis mittendos constituit, omnino contumax mittere contempsit.

Postquam rex Roudolfus post peractum bellum et victoriam adeptam denuo sibi insurrecturum cum non modico exercitu hostem suum prædictum comperit, ipse iterum cum maximo electissimorum suorum militum pugnatorum impetu ei congredi acerrimus omnifariam [282] attemptans, omnifariam [283] perterritum et stupefactum a se profugavit eum. Quo facto dum nichil aliud hac vice ab eo fieri, nisi militiam suam domum a se dimissurum arbitraretur, ipse in Saxoniam suam cum suis gloriauter remeavit. Ille autem inmaniter efferatus, Alemanniam, ut prædictum est, eam devastaturus ex improviso invaserat: nullum fere nominabilem præter Hugonem comitem (188) hac violentia ad deditionem vel conditionem fidelitatis coacturus. Roudolfus autem rex, Saxonibus suis a se domum

VARIÆ LECTIONES.

[279] *deest in ed.* [280] id enim *ed* [281] circa juxta 2 [282] omnifaria 2. [283] omni faria 2 omnino *ed.*

NOTÆ.

(186) 13. *Kal. Dec.* habent acta.
(187) exeunte Decembri anni 1078, ut videtur
(188) Palatinum Tubingensem, quod castrum ab Heinrico fuisse obsessum anno priore exeunte, ex gestis Trevirorum adnotamus. Uss.

Digitized by Google

dimissis, paci et secundum leges eorum judiciis et justitiis absque personarum acceptione justissimus studuit, quantum maxime ipsis adjuvantibus potuit. Post modicum denique ipse febribus et pleurisi inmanissime arreptus, plus quam duos menses in tantum laborabat et contabuit, ut a plerisque nimirum de vita et salute numquam recuperanda omnino desperatus fuerit. Demum namque tot periculis Deo ipsum medicante satis desideranter reconvalescens, nativitatem Domini gloriosissime apud..... cum non modico Saxonicorum principum collegio festivissimus celebravit, et mox ante septuagesimam undecumque recollectis militum suorum turmis expeditionem in regem Heinricum accelerare deliberat.

Quod dum ille primum comperit, seque ei in tam brevi temporis articulo non posse resistere vidit, consilio cum suis inito, non ex sua set ex optimatum suorum persona, legatos quasi pro pace quantulacumque ad invicem componenda ad optimates Saxonum astutissime fallendos properanter dirigebat, qui bella et seditiones, ecclesiarum desolationes, et tot facinorum inmanitates simulatorie conquerentes detestarentur, quique domno papæ, ipsis et optimis [185] quibusque sese dominumque suum regem Heinricum consentaneos, et in hujusmodi causis emendandis per omnia obœdituros firmissime protestarentur, et si aliter verbis fidem non haberent, jurejurando datisve obsidibus ea sibi comprobarent. Quo audito Saxones in brevi eis, utpote tam dulcissime blandientibus, nimium creduli facti, expeditionem inceptam in primis domino suo dissuadebant. Dehinc certum diem in proxima quadragesima ad colloquendum sibi apud Friteslariam constituunt; et ita pacis fœdere clam condicto, domum ab invicem gratulantes discedunt. Demum vero cum, ut condixerant, convenirent, optimates regis Heinrici commenta sua et vecordias qualitercumque defendentes et dissimulantes, se non alia ratione venisse testati sunt, quam ut Saxones apud dominum suum, quantum possent, adjuvarent, si modo ad deditionem venire vellent. Illi vero, quamvis frustra se venisse solitisque fallaciis et dolis delusos esse persensissent, bona tamen patientia ad pacem, concordiam et apostolicæ sedis obœdientiam ipsos secundum sese paratissimos fieri oportere, satis admonebant. Isti autem econtra, nullam pacis neque papæ curam sese et dominum suum habituros fore, publica conclamatione professi, fide pariterque pace ad invicem renuntiata, sic temere provocati repatriabant.

Iis diebus ante quadragesimam dux Welfo assumptis secum commilitonibus suis, cum magnæ virtutis impetu Rætiam Curiensem devastaturus invadebat, prædis et incendiis insistebat, comitis Ottonis (189) filium cum aliis quibusdam majoribus adjuratum, regi Roudolfo subigebat. Dehinc fortiter quadam clusa seu palma expugnata, interfectis captis fugatisque hostibus, Deo donante cum maxima vi victor regreditur [186], quosdam alios deinceps subacturus

Eadem quadragesima (190) synodus magna Romæ collecta est anno Dominicæ incarnationis 1079, indictione 2, 3 Idus Februarii. Ad quam, licet furtivo vix diversiclimo itinerantes, cardinalis Romanus, Pataviensis et Metensis episcopi, pro tot suarum et ecclesiasticarum injuriarum causis apostolicæ sedi proclamandis, plerisque insidiarum et custodiariorum articulis Dei gratia secure pertransitis, gratulanter pervenere. Ubi in audientia totius synodi se proclamantes, episcopi gratanter auditi acceptabantur. Ubi legatus regis Roudolfi (191) prædictas Alemannicæ devastationis calamitosas multum miserias seriatim conquerendo enumerans, nec non cæteras regis Heinrici tam tyrannicæ præsumptionis per totum ubicumque regnum insanias proclamatorie satis exaggerans, non sine lacrimosa domni papæ perpluriumque commiserantium amaritudine, prout oportuerat cum [186] collegatis suis dignanter audiebatur. — Legatus quoque Heinrici regis causas ipsius, quamvis revera non justissimas, plurimis sibi ut fieri solet confaventibus, qualitercumque depromebat; qui cum suis a papa falsitatis convicti sunt; aliis autem ab optimis quibuslibet optime satis credebatur. Publice nimirum in synodo domnus papa legationes Heinrici regis mendosas esse professus est; seque eum a regno judicialiter deposuisse, nec postea aliquatenus restituisse protestatus est. Unde et ilico eum anathematizaret, nisi quod omnibus utriusque partis astitoribus hoc potius placuerat, quod usque in ascensam Domini adhuc exspectando differretur, ob id præcipue, ne quid inordinatum synodus Romana in eum præcipitanter fecisse causari potuerit. Legatus namque illius palam professus est, quod non callide set necessitate coactus dimiserit, quod nondum, juxta quod in proxima synodo papa sanctivit, tales ei legatos direxerit, qui legatos apostolicos pro tam maxima sedanda discordia in Theutonicam patriam securos ducere possent. Juravit autem quod dominus suus tales Romam infra ascensionem Domini missurus esset, et quod ipse in causa regni obœdiret omnimodis apostolicæ sedi. Juratum est et ex parte regis Roudolfi, quod et ipse

VARIÆ LECTIONES.

[185] optimatibus *ed.* [186] egreditur 2. [186] cum 2.

NOTÆ.

(189) Otto comes et provincialis regius in Rhætia Curiensi notatur in charta Heinrici IV ann. 1050, 12 Jul. Filius ejus fuisse videtur Udalricus comes de Bragantia, uti vocatur in alio ejusdem diplomate ann. 1095, utrimque certe idem comitatus intelligitur. Uss. Cf. Stalin. Hist. Wirtemberg., p. 559.

(190) eo anno incœpit d. 7 Februarii.

(191) Mansi, t. XX, p. 525.

Digitized by Google

in colloquio quod papa constitueret, ei pariter obœdiret. Denique domnus apostolicus denuo excommunicavit illum, quicumque, ne in præterito anno colloquium fieret, quolibet ingenio seu factione impedierit; pariterque eum, qui futurum impedierit, quod denuo hac vice constituit.

Prædictis autem induciis omnium Romanorum animos sibi conciliavit in tantum, ut non ulterius anathema in Heinricum regem differri petant, si modo sibi obœdire contemnat. Nichil vero de regibus papa nunc sanctivit, nisi quod Pataviensi et Metensi episcopo aliisque collegatis eorum, quantum pro temporis necessitate oportuit, non usquequaque displicuit. Omnes siquidem meliores in parte Roudolfi regis firmissime constiterant, quem obœdientissimum domno papæ per omnia comprobaverant.

Theodericus dux (192) comesque Folmarus (193) pro invasione Metensis æcclesiæ excommunicati sunt. Itemque omnes, qui bona episcoporum, Mogontini scilicet et cæterorum qui de sedibus suis expulsi fuerant, injuste sibi vendicaverunt. Item Mediolanensis episcopus et Ravennas; nec non pariter qui abbatem Augiensem ceperant, qui et ipse ad synodum pro causa sua proclamanda tetenderat, Parmensis episcopi (194) milites anathematizati sunt. Ipse autem ob eandem capturam ab officio suspensus est. Abbas[287] tandem, cum aliter se non posse liberari persentisceret, pecunia suis pacta ac jurata captoribus, dimissus ab eis, Romam, prout antea disposuit, gratulanter pervenit. Inde causa sua apud papam ad libitum peracta, non sine periculo ad Augiam quondam suam revertitur; cui rex Heinricus jam in pascha tyrannum illum anathematicum, quem etiam cellæ sancti Galli destruendæ superposuerat, antiabbatem suo more apposuerat.

Misit quoque domnus apostolicus litteras (195) per totum Theutonicum et Italicum regnum sancto Petro obœdientibus in hæc verba : *Si qui sunt presbiteri, diaconi vel subdiaconi, qui juceant in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei et auctoritate sancti Petri introitum æcclesiæ, usque dum pœniteant et emendent. Si qui vero in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum officium eorum auscultare præsumat, quia benedictio illis in maledictum vertetur, et oratio in peccatum.* Et cætera.

Beringarius Turonensis (196) heresim suam illic abjuravit, catholicam fidem professus.

Heinricus Augustensis clericus, qui a rege Heinrico investituram Aquileiensis æcclesiæ jam suscepit, electionem suam testimonio probabili canonicam esse ibidem testificatus est; set pro investitura contra canonicam et apostolicam sanctionem a laica persona sibi usurpata a papa reprobatus, diffinitionis ejusdem statutum se ignorasse et non audisse, synodo id ita judicante, jurejurando palam comprobavit. Dehinc toto conventu pro eo in id ipsum apud papam intercedente, in primis, ut moris est, justam et idoneam obœdientiam ac subjectionem et suffragium apostolicæ sedi et sancti Petri vicario papæ Gregorio per jusjurandum professus, ab eo anulum et virgam et cætera Aquileiensis patriarchatus insignia canonice suscepit; set non cum eo deinceps usquequaque fideliter egit. Cardinalis quoque Bernardus, quid laboris et periculorum in partibus nostris sustinuerit, et quam minimum æcclesiæ prodesse potuerit, et inter cætera, quia regem Heinricum suo consensu in primis a Mogontino et sex aliis cum eo episcopis judiciali censura juste excommunicatum, et ipse juxta præceptum illius a communione corporis et sanguinis Domini cum cum omnibus sibi consentientibus abalienaverit, et a liminibus æcclesiæ ut sacrilegum ejecerit, et ei regni gubernacula utpote tyranno et invasori interdixerit, et regi Roudolfo utpote sedi apostolicæ per omnia obœdientissimo subdiderit, domnum apostolicum non omnino tacuit; nec non Romanorum præcipuis et quibusque optimis hæc omnia seriatim intimare non omisit.

Domnus autem apostolicus miro quodam ingenio jam plus quam annum hæc omnia sibi non ignota quasi dissimulando sustinuerat. Quod nonnullis magnæ fuit admirationi cur fecerit : nisi forsitan illud colloquium, quod pro tam maxima discordia sedanda denuo jam jamque sub anathemate constituerat, ad efficiendum quod voluerit, solum sibi sufficere non dubitaverit. Sin autem, colloquium impeditoris et sibi ad pacem et concordiam non obœdituris, istud tunc ad priora sua anathemata quasi ex improviso accumulatum, justissimus ac severissimus judex tanto magis in æternum damnandis[288] inponere destinaverit : ut quem mitem et dissimulantem perduelles contempserant, vindicem tunc durissimum perditissimi experiantur.

Eidem Romanæ synodo Gregorius papa præsidens dixit (197) :

Ordinationes[289] *illorum, qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia, irritas fieri censuimus.*

Item[290] *sanctorum prædecessorum nostrorum sta-*

VARIÆ LECTIONES.

[287] Augiæ *glossa sæc. XIV in* 2. [288] damnand 2. [289] Cap. I. *in marg.* 2. [290] Cap. II *in marg.* 2.

NOTÆ.

(192) Lotharingiæ; cf. Gregorii VII Reg. VI, 22, data V Non. Mart., a. 1079 Uss.

(193) Metensis.

(194) Eberhardi, clerici antea Coloniensis, qui Cadalao successerat; cf. Greg. VII, Reg. VI, 18.

(195) Hæ litteræ inter Gregorianas haud leguntur. Uss.

(196) De hac causa in synodo tractat Bernoldus in Opusculo n. 17, et Hugo Flaviniacensis. Uss. Cf., Acta concilii, Mansi XX, p. 523.

(197) Litteræ Gregorii, Reg. VI, 28, 29 datæ sunt in synodo 16 et XIII Kal. Mart., ind. 2, igitur a. 1079; non ut Ussermann vult a. 1078.

Digitized by Google

tuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate a sacramentis absolvimus, et ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus.

Item[201]. *Et quoniam multos peccatis nostris exigentibus per causam excommunicationis perire cottidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate; devicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, oportune temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus : videlicet excommunicatorum uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos et servientes, et omnes alios, qui non adeo curiales*[202] *sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et illos qui ignoranter excommunicatis communicant, seu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut arator, sive peregrinus, aut viator, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habet unde emat, ab excommunicatis emendi et accipiendi licentiam damus. Et si quis aliquid excommunicatis non pro sustentatione superbiæ, set humanitatis causa dare voluerit, fieri non prohibemus. Actum in ecclesia domini Salvatoris 5 Nonas Martii anno Dominicæ incarnationis* 1079.

Domnus itaque apostolicus pro causa prædicta diffinienda synodum denuo in ebdomada pentecostes fieri destinavit; missisque legatis ad regem Heinricum patriarcha (198), Albanensi episcopo Petro viro religioso, et Oudalrico Paduano episcopo, cum aliis suis fidelibus, quid ipse in synodo super eo statueret, per ordinem illi demandavit, et ut certum tempus et locum colloqui ad arbitrium suum et otium cum legatis prædictis in brevi determinaret, ipsi tractandum concessit; et ut obœdientiam, quam ei multotiens Romam probandam verbis demandavit, nunc re ipsa veram experiretur, ab eo exigebat. In argumentum quoque obœdientiæ probandæ ipsi præcepit, ut pacem cum omnibus sibi adversantibus usque ad prædicti colloquii consummationem firmissime pepigisset, et episcopis quos sede sua jam expulerat, potestatem liberrimam æcclesiarum rerumque suarum, et securum pacificumque ipsis utendis et possidendis ingressum et arbitrium, remota omni læsione et perfidia, concederet; et de potentioribus religiosissimisque suis septem viros Romam ad condictum tempus sibi dirigeret, qui jurejurando sibi securitatem facerent, ut legatos suos ad prædictum colloquium cum pace perductos, et in commissa legatione illic peragenda omnimodis communitos, Romam ad se securos cautissime reducerent.

Patriarcha autem, qui unus ex intimis regis Heinrici fuerat, non optima fide et studio inpositam sibi legationem observans, nuntium secretalem, qui voluntatem illius et obœdientiam exploraret, regi festinanter Ratisponam pro se direxit. Ipse autem collegatos suos hac vice retardando, Aquileiam suam revertitur, ipsi autem Paduagiam[203] (199) diverterunt. Rex autem hujusmodi legationem a papa sibi directam comperiens, solita contumacia eam non maxime, utpote non observaturus, diligebat. Verumtamen quasi legationis apostolicæ inscius, nuntium Romam non modicis fallaciis dolisque ins ructum Osniburgensem episcopum ad condictas inducias dirigebat, qui quolibet ingenio et obœdientia illius tantotiens falso simulata, hac etiam vice papam deluderet, et ut anathematis illius sententiam et synodum jam in tyrannidem regis compescendam specialiter ferme destinatam artificiosus plurimum qualitercumque impediret. Ipse denique pascha Ratisponæ quomodocumque egit, ducatum Alemanniæ in erroris irritamentum comiti Friderico ibidem commendans, et Augiensem abbatiam[204], quam ipse jam bis symoniace venditam, dehinc Eggihardo, a fratribus suis regulariter electo et juxta privilegii ejusdem loci statutum a papa legittime ordinando, contradidit; et quia injuste[205] parti ejus (200) favere non ausus est (201), nunc injuste reprobato et in prædicta captione detento, tyrannum quendam (202), sancti Galli cellæ quem prædiximus invasorem et devastatorem, pariter illic[206] contra fas præficiens, in orientalibus Pagoriæ et Norici sinus partibus, incolas illoc devastando et Liupaldum marchionem ad deditionem sibi cum aliis quibusdam coartando, usque in pentecosten ferme commoratus est.

Uxor vero regis Rondolfi nomine Adelheit, filia Adelheidæ marchionissæ, soror Berthæ reginæ uxoris Heinrici, ex quo ipse Saxoniam intravit, in episcopatu Constantiensi in Duello (205) et in aliis castellis juxta Rhenum qualitercumque conversata, egestate, mœrore, variisque adversitatum calamitatibus confecta, demum ægritudinum mortaliumque febrium aliquamdiu confecta molestiis, disposita domo sua et, prout oportuit, animæ suæ salute omnimodis in Christo provisa, felici o utinam ! consummatione in manus illius devotissime moriens spiritum suum commendavit, et ad monasterium

VARIÆ LECTIONES.

[201] Cap. III *in marg.* 2. [202] id est efficaces *glossa sæc. XIV in* 2. [203] p. ad augiam 2. [204] abbatiæ 2. [205] *ita* 1. 2. justæ *Uss. scripsit.* [206] *vox supra lineam scripta* 2.

NOTÆ.

(198) Cf., ep. Gregorii ad Heinricum Aquileiensem patriarcham, Reg. VI, 38.

(199) i. e. Paduam, Oudalrici sedem; v. pag. 318, lin. 41.

(200) Heinrici.

(201) abbas.

(202) Oudalricum.

(203) Hohentwiel.

Digitized by Google

sancti Blasii (204) cum omnifario exequiali debito officiose satis sepeliebatur.

Rex autem Roudulfus jam viduus factus, apud Goslariam pascha magnifice celebravit, et expeditionem suam, quamprimum optimatibus suis opportunum videretur, in Heinricum acerrimus, satis prudenter disponebat; nec non tota Saxonia pace firmissima mirabiliter counita, legali gentis illius jure et constitutione, judicium et justitiam absque personarum acceptione omnibus in id ipsum æqui servantissimus sollertissime faciebat. Filium vero illius (205), cui jam parvulo adhuc ducatus Alemanniæ a rege Heinrico delegatus est, dux Welfo cum nonnullis senioribus qui ad eum pertinebant, assumptum Ulmam perduxerunt, eique se cum civibus jure solito subdiderunt, communique suffragio et laudamento dominum sibi et ducem nunc denuo confirmaverunt.

Illis autem inde domum digressis, comes Fridericus collectis undecumque ex parte regis sui Austrifrancis, Raetis, Vindelicis, Pagoariis, et quibuscumque poterat militaribus copiis, et ipse Ulmam non sine periculo, illic pentecosten acturus, invaserat; set audito ducis Welfonis citato in eundem contra se locum hostili impetu, vix pernoctans illic, cum tribus suis episcopis inde secum proturbatis cum dedecore timidus et inbellis loco cedebat. Dux itaque illuc ingreditur, et post paululum obsesso illic in proximo quodam firmissimo castello (206), ad injuriam Friderici prædicti plus quam duas ebdomadas illum ibidem sibi pugna congressurum audax nimis et bellicosus præstolatus est, donec machinamentis balisticis quæ mangones theutonizant, totum diruit expugnavit et incendit, castellanosque omnes sine qualibet conditione ad deditionem sibi coarctavit. Fridericus autem congregatis omnibus qui tanto tempore quomodocumque poterant [197], et videns se duci ad congrediendum bello adhuc longe nimis inparem, cum dedecore suo non minimo suis in diversa vertentibus, tristissimus returnabat. Illis quoque post pascalibus diebus Bertholdus marchio, ducis Bertholdi filius, spectabilis multumque liberalis adolescens, et omnifaria morum honestate strennue se et satis virtuose agens, uxorem sibi accepit Agnetem, Roudolfi regis filiam, et ipsam admodum in suis omnibus non minus marito virtuosam.

Prædictus autem patriarcha cæterique sedis apostolicæ legati (207), per nuntios quos præmiserant et Osnaburgensem episcopum regis Heinrici responsis, quamvis simulatæ, obœdientiæ ejus compertis, circa pentetecosten ad eum Ratisponam pervenerunt. Ubi non satis magnifice acceptati, negotium pro quo missi sunt pro viribus exequi pertemptabant. Demum vero plurimum toto ingenio et artificio regi instantes et surripientes, vix ab eo verbialiter tantum quamquam pacis simulatæ, et colloquii Romæ in synodi audientia per legatum ipsius jurati, laudamentum et consensum extorquebant. Et missis statim præ se in Saxoniam ad Roudolfum regem et ad cæteros Saxonum principes, nec non ad ducem Welfonem et Alemannorum meliores et majores legatis, demandabant eis, ut et ipsi ob eandem causam secum tractandam ad Friteslariam in condicto die sibi occurrerent. Nec mora, percepta hujusmodi legatione, Saxones cum rege suo præceptis apostolicis obœdientissimi, juxta quod demandatum est illis peregerant.

Dux autem Welfo cæterique de Alemannis illuc advocati, dum et ipsi jam venire paratissimi fuissent, ductores, qui a rege Heinrico ad securum ductum ipsis nominati sunt, ab eo solita ejus perfidaque vecordia retracti sunt, ne ad condictum eos perduxissent. Saxonibus quoque eadem perfidia molitus insidias, dum et ipsi patriæ suæ fines egressi legatis apostolicis occurrebant, non paucos militarium copiarum cuneos de Boemia a tergo eis inmiserat, qui terminos illorum irrumpentes ac devastantes, manu prædatoria diripientes eosque hostiliter omnimodis molestarent. Quos tamen, malo suo dum marcham sic invaserant, marchionales turmæ in unum collectæ, incursu bellico profligatos partim interfecerant, partim victos ceperant præter quos fuga ipsis paucissimos quam vix diripuerat.

Legati vero apostolici honorificentissime a Mogontino archiepiscopo cæterisque omnibus et majoribus et minoribus apud Friteslariam acceptati, causam et rationem sui adventus palam omnibus simul aperiebant, salutem et apostolicam benedictionem pacis, justitiæ, et obœdientiæ amatoribus enuntiabant. Illis gratulanter auditis, Saxonum principes cum rege suo nec non suæ partis communiter universis, ad pacem indictam custodiendam, et ad tanti dissidii et seditionis causam juste et sententialiter examinandam, et colloquii sententiam statuti observandum se per omnia domno papæ obœdientissimos fore protestati sunt; eo autem pacto, si pars adversaria in id ipsum, datis a se utrisque obsidibus mutuisque jurisjurandi firmamentis pari

VARIÆ LECTIONES.

[197] potât 2.

NOTÆ.

(204) Ubi familiæ hujus mausoleum erat, uti apud C. Gerbertum de Rudolpho anticæsare videre est. Uss.

(205) Bertholdum.

(206) Fortasse Kirchberg aut Erbach. Uss.

(207) cf. Hugonem Flavin. et Gregorii epistolas ad ipsos legatos et ad Germanos. Uss. Gregor., Reg. VII, 3; Mansi XX, 289.

Digitized by Google

voto consentiret. Aliter namque non maximam fidem in regem Heinricum ejusque tantotiens expertam perfidiam et vecordiam se habituros professi sunt. — Patriarcha autem cæterique regis [298] familiares, quos legati apostolici in suo [299] comitatu secum adduxerant, hujusmodi pactum quasi non necessarium diu multumque recusantes, laudare noluerant. Demum vero cum legatos, Saxonum sententiæ utpote probabiliori favere persentiscerent, non multum contradicentes, dominum suum quamvis refragantem ad hoc pactum se coacturos fore, ficta et vecordi pollicitatione profitebantur. Ea ratione Saxones legationi apostolicæ sedis, si pacis et securitatis firmitudine fieri posset, se cum rege suo obœdientes futuros per omnia subdiderant. Dehinc die et loco colloquii habendi apud Herbipolitanam urbem ab utrisque condictis, hi Saxoniam, isti autem cum legatis apostolicis ad dominum suum remeabant festinanter Ratisponam.

Ipse autem, fidei pactum quod condixerant dum ei notificarent, corde verboque pertinaci parvipendens, pacificum propitiumque se illis exhibiturum fore ob domni papæ honorem pariter et amorem, vix ab eis constrictus profitebatur, set si ad deditionem sibi indilate occurrere et humiliari non detractarent. Eaque conditione colloquium, quod Romæ in synodo a legato suo juratum, et excommunicationis auctoritate a nullis partium utrarumque personis non modo non impediri, quin potius omnimodis observari decretum est, se cum Saxonibus habiturum laudabat; aliter autem nequaquam. Quod cum primatibus Saxonum Alemannorumque cæterisque suis commilitonibus compertum fuisset, quamquam ad condictum colloquium jam consentaneos se domno apostolico exhiberent, tunc simul omnes pertinacem regis Heinrici vecordiam commirantes, et contumacem inobœdientiam detestantes, sollicitudines necessitatesque suas Deo per [300] omnia commendantes domi unanimiter se continuerant.

Ipse autem undecumque non modicis suæ partis episcoporum cæterorumque complicum suorum contractis copiis, ad prædictam civitatem (208), ac si per hoc apostolico se excusabilem, anathemate perjurioque reatu inmunem [301] posset efficere, circa sanctæ Mariæ assumptionem cum legatis apostolicis, et ipsis, ut aiunt, muneribus partim corruptis, partim metu minisque confractis, et blanditiis, astutiis omnique ingenio in illius favorem terme seductis, temerarius satis pervenit. Illic ad libitum suum synodo hac simulatoria omnifariam per suos synodicos et causidicos secundum cor suum disputaturos disposita, ipse pro regni sui disturbatoribus et invasoribus sese legatis apostolicis intentione satis suasoria querimoniosus proclamavit, et ut Roudolfum cum suis omnibus auctoritatis apostolicæ anathemate digno percellerent, satis superque efflagitavit. Multaque id genus adinventionum, accusationumque clamosarum, set non ut fertur ex omni parte idonearum excogitamenta ipse cum suis omnibus tumultuosa nimis animositate inportunus illic set non sententiose concinnabat; se quoque apostolicæ deliberationi obœdisse, adversarios autem suos inobœdientiæ convictos fore, et in hoc excommunicationi subesse, liberrime asseruit, reatusque probamentis inrefragabilibus. Demum vero apostolicæ sedis legati, spiritu libertatis non ut [302] oportuerit roborati, se pro pace componenda proque die locoque colloquii, non hujusmodi autem, set quale Romæa domno papa decretum est, constituendis, et ut [303] sic partis utriusque obœdientiam diligenter examinarent, examinatamque ad sedem apostolicam renuntiarent, missos fuisse professi sunt; seque non solos, set cum aliis suis quos domnus papa destinaverit, deinceps idoneis collegatis ad illam quam tunc expostularent seditionum et prœliorum causam juste dirimendam [304] judices nominatos, modo non autem, set futuros fore dispositos, his qui se tantotiens inclamitabant [305] protestati sunt. Eoque responsionis artificioso modo vix se ab inclamantibus et tumultuantibus liberabant; scientes pro certo regem Heinricum cum consentaneis omnibus suis, colloquii ab apostolica auctoritate statuti non modo non observatorem, quin potius temerarium impeditorem exstitisse, et in hoc anathemati se apostolico palam cum suis complicibus substravisse; nec non ipsum præsentis synodi suæ simulatoriæ locum cum incolis suis justo jam judicio ab episcopo suo similiter damnatum fuisse, seque ipsos his omnibus contra fas et jus canonicum periculose satis communicasse.

Sic anathematicum hoc concilium tergiversatione vecordi tum execrabiliter initiatum, tum execrabilius finitum (209), turbidus satis et animosus Heinricus rex, assumptis secum legatis apostolicis, exercitum quem [306] non mediocrem undecumque contraxerat, in Saxones hostiliter devastandos temerarie maltum abhinc dimoverat. Comperto autem tam hostilis incursionis in se suosque impetu, Roudolfus rex in Deo ejusque miseratione [307] confisus et corroboratus fiducia, et ipse non modicum quem studiose collegerat suæ militiæ apparatum in occursum illius prudenter ordinatum promoverat; missisque ad omnes exercitus hostilis optimates nuntiis, eos per misericordiam Dei obsecratos, humiliter satis rogitavit, quatinus colloquium, quod papa jam pro pace et unitate æcclesiæ ac totius regni concordia componenda decreverat, et ipsi cum domino suo observa-

VARIÆ LECTIONES.

[298] h. *glossa sæc. XIV. in* 2. [299] secum *addit.* 2. [300] *supra lin. alio altramento* 2. domno papæ *ed.* [301] inmanem 2. [302] *ita* 1[v]. non *deest* ut *deest* 2. [303] *vox deest* 1. 2. [304] dirimendāt 2. [305] inclamitabunt 2. [306] quam 2. [307] miserationis 2.

NOTÆ.

(208) Herbipolim.

(209) Accusativi absoluti.

Digitized by Google

rent, sibique locum ejusdem observandi fide paceque non ficta concederent. Illic denique se per omnia domno papæ cæterisque regni optimatibus consentaneum obœditurumque in hac quæ instaret causa, firmissime multum cum suis omnibus collaudabat. Si autem id contumaces refutarent, se eis hostem Deo propitiante acerrimum armis congressurum et ut in pacis ac justitiæ anathematicos induratosque contemptores oportuerit, se in illis fore vindicaturum, minime dubitarent.

Hiis auditis, tamque ejus inmanissimi et in se efferati exercitus cohortibus per exploratores suos nimis indubitanter compertis, non parum quidem cum belli instantia, tum injustitiæ excommunicationis et inobœdientiæ suæ conscientia [208] perterriti, dominum suum, quamvis lacrimoso ejulatu diu multumque pertinacissime reluctantem, ad hoc constringebant, ut inminens periculum juxta consilium illorum dissolvere, seque ab his quibus congredi ac repugnare non sufficeret, quoquo modo liberare non detrectaret. Justam namque causam a se Saxones cum domino suo expostulare, sequestratis ab hoc sermone episcopis suis cunctis, unanimiter asserebant. Illi quippe lingua tantum pugnaces, ipsos rem mortis gladiis experiri indefessi semper et inportuni instigabant, eam quæ ab his egressa et initiata est tam inmanem sanctæ ecclesiæ regnique totius desolationem, discordiam et iniquitatem sic miserabiliter tueri ac corroborare perditissimi satis existimantes. Nec mora, legatis apostolicis ad se vocatis, toto nisu id cum illis actitabant, ut sub anathematis articulo utriusque partis acies indissolubiliter constringerent, ne in se alterutrum bello consurgerent, set potius pace ad invicem confœderati, pro instanti causa in brevi colloquium utpote regni subministeriales et communicipes conderent [209], et per optimates quos ad hoc eligerent, tanti causam dissidii justæ rationis censura componere pertemptarent. Ad hæc quidam ex parte Heinrici regis, pace a Saxonibus accepta vicissimque data, eandem causam tam obnixe serii pacifique mediatores cum eis tractabant, donec ab utrisque ad hoc laudamentum perventum est, ut eam partem, quam in colloquio, quod eis apostolico indictum fuit præcepto, justam fore decernerent, sese omnes unanimiter contraherent.

Hoc quasi honoris defensorio quodam argumento sese artificiose liberantes Saxonibus, qui pactum pacis prius duri prorsus respuebant, tunc gratissima ipsius opitulatione communiti, fugaci vix reversione inde cum rege suo confusi valde discedebant. Quod in primis namque non modica Bajoariorum pars, viso Saxonico procinctu obstupefacta, inceperat, deinceps tota pariter castrorum series tumultuose multum peregerat. Sic se domum qualitercumque proripientes, ac colloquii pactum Saxonibus delusis flocci pendentes, iterum rex suos toto nisu ipsos non minimum seductiles in eundem procinctum coartabat, et eos in id ipsum more solito tantotiens pejeratos examussim adjurabat. Legati vero apostolici his negotiis, ut aiunt, ac si inviti intermanentes, tandem magnifice donati Romam, set non simul, infectis pro quibus missi fuerant omnibus, regressi sunt. Quorum alter, scilicet Paduanus, tantis muneribus corruptus, cum ad dominum apostolicum perfidiosus ypocrita, collegatum suum simplicem nimis sanctumque virum, cis Alpes relictum prævenerat, multifariis figmentorum argutiis ac responsis mirabiliter instructus, non solum obiter Longobardos, Romanos etiam, set et ipsum papam decipere, ac Heinrico suo qualitercumque complacare studiosissimus intendit. Humillimam per omnia obœdientiam ipsi, cum quibus excogitare de cætero posset obsequiorum promissis omnibus, ex parte Heinrici pseudolegatus apportavit; et hoc in colloquio et in cæteris, pro quibus se ultra montes transmiserit, quantum ad illum observantiis satis probatum fuisse ostentavit. Cum autem tanta inverecundus audacia tam mendosissimus passim cum suis commendaciis omnes pertinaciter deludere non cessaret, quidam frater (210), a rege Roudolfo suisque consentaneis qui illuc missus hunc prævenerat, satis super iliius non sufficiens permirari inpudentiam palam mentientis, ac tot tantosque suis falsitatibus dementantis, ei coram domno papa cæterisque Romanis in medium adducto, in faciem testis veritatis confidentissimus restitit; quousque illum cum suis figmentis omnibus inrefragabili ratione evictum, confessum, confusumque palam omnibus ostentavit. Quippe cum illo pariter in Ultramontanis gestis illius ac negotiis multotiens aut ipse commoratus, aut a veridicis cognitoribus rem totam exploratam sibi diligenter enarrantibus edoctus, tanto testimoniali illum refellebat, quanto eum de universis nil prorsus latebat. Sicque a domno papa justissime profanatus et abalienatus, domum mœstissimus cum non minimo dedecore returnavit.

Dehinc missis litteris papa Petrum illius collegatum ad sedem apostolicam quantotius redire præcepit. Qui jussis obaudiens, sicut ille mendaciis, ita iste fidei ac veritatis plenitudine testimoniatus, Romam suam honorifice reviserat, totamque inobœdientiam, falsitates, dolos, inauditas vecordias, et quicquid Deo justitiæque repugnat, de tyrannide Heinrici domno papæ reportabat. Qui tandem verissime legatorum suorum gestis compertis, nichil ultra de Heinrico sciscitatus est : set tamen regi Roudolfo cæterisque suis consentaneis, missis litteris (211) demandavit, se non parum moleste ferre legationis

VARIÆ LECTIONES.

[208] conscientie 2. [209] conderent 2. condicerent *ed.*

NOTÆ

(210) ipse Bertholdus ?

(211) Hodie non exstant.

Digitized by Google

suæ inefficatiam; et quam in sum quidam æstimarent in hac causa personarum acceptionem, nullam omnino fore, nullaque usum fuisse levitate, set juxta ingeni sui intellectum se ad hucusque justitiæ favisse [210] et consensisse, conscio sibi Deo testificatus est. Illos autem in incepto justitiæ tenore perseverare, ut solitus est, paternis prædicamentorum suasionibus obnixe satis cohortatus est.

Rex vero Roudolfus in suam se Saxoniam recipiens, ac colloquium quod cum Saxonibus primates et complices Heinrici callide multum condixerant, tam falso laudatum quam non observatum persentiscens, non parum triste tulit, quod eorum tantotiens expertum illum sic astutissime vecordia delusit. Attamen se prudenter conjuratæ illorum contra se expeditioni tunc occurrere magnanimus et constantissimus præparavit, et si ultra sibi occasio talis ut antea Deo propitiante succederet, ne ita se deluso Heinricus cum suis divaserit, toto nisu incessabiliter præmeditari non quievit.

Heinricus autem per totam circum circa errabundus Bawariam autumnando, qualicumque potuit ingenio et ipse cum suis contrahere non cessavit militum prægrande collegium, mox post nativitatem Domini Saxoniam invasurus. Saxonum quoque plerosque clandestinis maximis munerum et possessionum promissis per internuntios suos familiarissimos iucessanter attemptans, sibique corruptos et adjuratos conjungere qualitercumque festinans, indubitalem spem totius Saxoniæ sine bello in brevi subjiciendæ acquisivit.

His etiam diebus Curiensi æcclesiæ, jam plus quam annum episcopo suo orbatæ, Nortpertum Augustensis æcclesiæ præpositum, symoniacum avarissimum, et quo sui erroris non [211] facillime sibi parem consensorem adinvenire nequiverit, illo quem clerus militia et populus æcclesiæ ipsius canonice elegerant ejusdem domus præposito, viro valde religioso, reprobato, invitis et nolentibus universis violenter præfecit. Qui mox omnibus modis et artibus suæ, ut semper solebat, avaritiæ industrius suberat. Et quia se non per ostium, set aliunde in ovile æcclesiasticum ingressum non ignorabat, Mediolanensi heretico antiepiscopo se subesse et ab ipso ordinari debere hereticum, efficere pertemptavit [212]. Mogontinum vero episcopum, cujus vere æcclesia Curiensis subparochiana fore constat, metropolitanum suum non esse, novis et pseudographis quibusdam privilegiis qualitercumque attestari conatus est. Set tamen in hoc non maxime profecit (212).

Æstas vero ipsius anni nimis pluviosa præteribat, set tamen non magnam frugum penuriam intemperies talis effecerat.

Eberhardus Neapolitanus (213) episcopus, a domno apostolico propter inobœdientiæ contumaciam jam damnatus, set a rege Heinrico Herbipolitanæ æcclesiæ contra jus pro Adalberone episcopo legittimo inde propulsato temere incardinatus, et ipse excommunicatus et excommunicatis toto nisu communicans, cum his quos libenter complexus est portionem habiturus, diem extremum infausta pertinacia letaliter clauserat, justissime a regno Dei in æternum excludendus. Cui successit... (214) Parthenopolitanæ æcclesiæ canonicus, canonica electione huic subrogatus. Eodem anno Hiltinisheimensis episcopus Hecilinus ex hac lacrimarum valle, o utinam gratulanter! emigravit ad Dominum, successorem habiturus Utonem, æcclesiæ suæ canonicum. Parthenopolis quoque isdem diebus pro suo jam feliciter martyrizato archipræsule tandem Hartwigum, Mogontinæ æcclesiæ camerarium, electione canonica provisorem susceperat. Abbas quoque Massiliensis, Bernhardus nomine, vir non minimæ sanctitatis, sapientiæ, religionis, caritatisque, qui nonnullas pro justitia jam jamque constanter sustinuerat persecutionis injurias, et quem pro incomparabili tantarum virtutum industria, intimum, familiarem, nec non præ cæteris omnibus re vera sibi dilectissimum domnus papa unice sibi prærogavit, et idcirco Romæ sancti Pauli æcclesiæ (215) satis idoneum hunc jam primicerium incardinavit; dum Massiliam suam revisitare proponeret, in revertendo febribus mortaliter arreptus, viam universæ terræ, tota cordis alacritate ad cœlestia suspensus, felix plurimum ingressus est. Et apud monasterium (216), quod in via regia Romam euntium situm est, ubi « Nar albus aqua » [Nar est fluvius, habens turbidas aquas. Unde Lucanus ait : Sulphurea Nar albus aqua. 2. *in margine, manu eadem.*] eis Sanctum Dionisium transvadari solet, cum devotissimo exequiali honore tumulatus, in pace Christi requiescit 14 Kal. Augusti [213].

MLXXX.

Rex Roudolfus nativitatem Domini magnifico plurimum apparatu regio apud... sollemnissime celebra-

VARIÆ LECTIONES.

[210] *ita Uss.* fuisse 2. [211] *vox abundat.* [212] pertemptatum 2. *sæc. XIV. corr.* pertemptavit. [213] *Hunc inde Murensis et Engelbergensis codices Berhtoldo omisso, Bernoldi textum exhibent :* Doctor Adalbertus facto verboque disertus, *etc. usque a.* 1091.

NOTÆ.

(212) Suberat revera ab origine Curiensis Ecclesia Mediolanensi metropoli, postea Moguntinæ circa S. Bonifacii tempora subjecta. Ordinatus demum est Norbertus IV Non. Febr., a. 1085, a Wecilone Moguntino schismatico, et anno eodem in synodo Quedlinburgensi depositus. Uss.

(213) I. e. Niunburgensis ut V. Cl. Stenzel, bene observavit.

(214) Gumtherus.

(215) Eam cum Massiliensi unire intenderat Gregorius, ut ex ejus epistola 7, libri VII liquet. Cf. quoque VII, 8. Uss.

(216) Padolironense cœnobium seu S. Benedicti in agro Mantuano inter Padum et Larionem fluvios esse putat Ussermannus; sed Nar fluvius hodie est *Nero*, dextram Arni ripam infra S. Miniatum influens; Sancti Dionysii vestigia nulla reperi.

Digitized by Google

vit; ubi prudenti cum suis, ut oportuit, intentissime consilio communicato, qualiter Heinrico Saxoniam suam invadere jam jamque attemptanti absque sui detrimento resistere posset, sollicitus satis pertractavit. Qui et ipsis diebus Mogontiaci non dignitate regia set qualitercumque commoratus, et militiam [315] non parvam de Burgundia, Francia, Alemannia, Bajoaria, Boemia et undecumque collectitans, mox post octavas theophaniæ in Saxoniam expeditionem hostili impetu acerrimus promovere non cessavit. Cui rex Roudolfus, collecto et ipse prægrandi suorum militum exercitu, occursare animosus plurimum, Deique misericordiæ [318] ejusque justitiæ fiducia summopere corroboratus bello congredi constantissime destinavit; eaque intentione ipsi obviam [316] sese bellicoso terrore audacter promovens, vix illius congressum præstolatus est. Namque tam validus zeli Dei ardor illum succenderat, ut si æclesiæ sanctæ statum suumque jus legitimum per hoc recuperare posset, se in omne periculum et in ipsam mortem dare nequaquam detrectasset. Heinricus vero milites suos solita infatuans suæ calliditatis et falsitatis vecordia, promisit absque bello et omni repugnantia hostili, ac, ut aiunt, jurejurando confirmavit illis, Saxoniæ regnum sibi patere, et per Saxonum majores, quippe quos omnes ferme sibi adjuratos et confœderatos habuerit, hostem suum Roudolfum cum suis optata facilitate sibi captum in manus suas tradendum fore, et idcirco eis nihil periculi aut difficultatis obstare; quin potius, pro que tot laborum insumpserint, sibi secum de cætero tamdiu adoptato libitu conregnare præsto propediem restare. Sic namque seductiles sibique nimium credulos factos, in ipsam mortem periclitandos cavillatorie satis præcipitavit. Regem quippe Roudolfum cum prægrandi exercitus sui collegio et in bellum nimis promptissimo ex improviso ferme offenderant. Quos dum ipse sibi tam proximos arrepsisse per exploratores suos comperisset, quasi illorum metu fugam simulans, locum eis invadendi provinciam cum suis retrogradus artificiose dederat. Ea tamen intentione simulaverat, ne si in alterutrum bello [317] consurgerent, ipsi a se persequente tanto minus more suo diffugissent, quanto infra patriæ illius terminos a compatriotis omnibus undique impeti et circumdari Deo propitiante [318] potuissent.

Illi vero fugam Saxonum veram et non dispensatoriam arbitrantes, audacter illos insequentes [319], prædis et incendiis, set præ cæteris dux Boemianus, insistere passim præsumpserant [320]. Unde consilio in id ipsum cum Juvavensi cæterisque scilicet [321] ad hoc sibi suffragantibus coepiscopis collato, Mogontinus archiepiscopus, cujus eo locorum res æclesiasticas devastando pervaserant [322], Heinricum sacrilegum hujus dissipationis armiductorem cum suis complicibus universis, justa in eos data sententia, dampnatos et excommunes anathematis strictura convinxerat. Quod juxta solitum ipsi, Dei justitiæ contumacissimi contemptores, nichili factitantes, Saxonum castris belli cædisque perquam temere spirantes satis approximaverant. Hiemps autem, quæ solito asperior tunc inhorruerat, utrisque partibus ad instans negotium non parvo impedimento fuerat. Rex denique Roudolfus hostem adesse comperiens, ac se cum suis cohortibus ad [323] bellum ordinatissime satis instructis bellax nimis et horrendus promovens, in Deo ejusque justitia magnopere speratus et corroboratus, hostes se gratis impetentes præstolatus est. Nam ipse non caput et inceptor tantæ congressionis, set suimet suorumque defensor et liberator, et hoc [324] summe necessitate coartatus, et esse et dici, non minimi nominis et gloriæ computavit. Heinricus vero cum suis legionibus ritu bellantium terribiliter multum præordinatus, impetu acerrimo ipsi congreditur, partim ex adverso, partim per insidias et succentarios ex improviso tota arte sibi rebellantes supprimere et qualitercumque subjugare totus industrius. Sed mox in prima coitione Roudolfus rex cum tanto impetu terrore et incursu pugnacissimus ipsis violenter institit, ut virtutis illius constantiam omnino sustinere non sufficerent; quin potius aut interfecti illic occubuerunt, aut enervos et imbelles fuga se ab eo quamvis turbulenta liberarunt [325]. Post nonam ergo belli conflictatio exorsa, ad usque noctem diversissime perduravit, et quod divino creditur actum [326] judicio, in ipso pugnæ exordio statim partes utrasque turbo nivium [327] ventosissimus tam mirabiliter obtenebravit, ut ferme nemo suos commilitones cognoscere quivisset, donec nox adveniens, fugitantes et persequentes in hoc articulo belligerantes diremisset [328]. Bajoarii et Franci cum rege suo præfugere proximum [329] se a tam strage dirissima, præceleres ac non minimum [330] perterriti, enerviter præripiebant. De Boemis autem, qui in suis multis milibus confidentes, eidem bello avidissimi se intulerant, utpote qui pro servitutis suæ remuneratione hoc solum, ut præ omnibus primi Saxonibus congredi meruissent, percupierant, præcipua strages ac ruina illic facta est. Quorum summam fore determinant 3255, præter hos qui illic perplures ceciderant de Theutonicis, sive qui de utrisque capti sunt, ad plenum et ad certum non est comprehensum quot fuerint. De militia autem Roudolfi regis 58, et hi omnes præter duos de minoribus, non de militaribus ensiferis, cecidisse referuntur. Quorum unus Meginfridus, comes quidam Parthenopolitanus, arma jam diu pro Deo deposita ob turpes quorumdam prædiorum quæstus apostata resumserat, unde et Dei justi judicis ultore gladio

VARIÆ LECTIONES

[315] militia n. parva *I*. [318] minime *I*. [316] obvia *I*. [317] bella *U*. [318] propitio *U*. [319] consequentes *I*. [320] præsumserunt *U*. [321] suis *U*. [322] pervaserunt *U*. [323] ab *U*. [324] homo *U*. [325] liberarent *I*. [326] a c. *U*. [327] nimium *U*. [328] dirimisset *I*. [329] præfugare *I*. primum *U*. [330] minime *U*.

Digitized by Google

illic confossus perierat. Fugatis vero et vi bellicosa passim in diversa hostibus propulsatis, quidam ex parte Roudolfi regis stationem, ubi custodes tyrones et scutarii hostilis exercitus, saumarios, vehicula et sarcinas cibariorum sumtuum vestimentorum omniumque [221] supellectuariorum suorum a pugnantibus remoti finemque belli præstolantes observabant, non parum alacres undique circumdantes invaserant, ceperant, et omnia secum sic letaliter spoliatis hostibus in castra sua gratulanter abduxerant.

Ergo Heinricus cum suæ tyrannidis complicibus sic adversariorum suorum persecutoria inmanitate, famis internecione, frigoris asperitate, tamque fugæ dedecorosæ et infaustæ satis superque profligatus exacerbatione, ipse vix Ratisponam suam qualitercumque revisitavit. Cæteri autem non minus miserabiles, turpes, ac tot miseriis ipsi non imparitер contabescentes, patriam suam unusquisque non glorianter multum repetiverunt. Rex autem Roudolfus, recollectis undecumque militum suorum copiis, locum belli ad usque mediam noctem victoriosus occupavit. Set quia tam maxima vis algoris, nec non ad hoc pugnæ recentis præcipui labores omnes in id ipsum confectos, defatigatos, ac plerosque illorum vulneratos multifariam exacerbaverant; locum cum his qui interfecti sive adhue semineces illic procubuere deserentes, in quamdam juxta villam, ubi frigorosi calefierent ac quiescerent, ad horam divertebant, et mox ante lucem illuc revertentes, ac per totum diem summe triumphantes, gratulanter illic incrastinabant.

Magnus vero dux ac patruus ejus Herimannus comes, qui in præcedenti bello Saxonico captus ac Heinrico traditus, jam ab illo pro fidei condictione et promissione quam ipse ac dux prædictus sibi juraverant, relaxatus ac liberatus est, fidem et auxilium quam ipsi [222] jam antea regi Roudolfo jurejurando contra omnes sibi adversantes confirmaverunt [223], perfidi plurimum infringentes, collectis omnibus quos poterant, addere se fraudulenter ante inceptum bellum prædicto tyranno pertemptabant; set a quibusdam Saxonum primatibus illorum perfidiam explorantibus mox repulsi ac refugati, vix domum ab eis salvi se proripiebant. Eadem clandestina perfidiæ conjuratione ipsi cum suis omnibus marchionissa Adala, generque suus marchio Eggebertus (217) confœderati, post eventum belli fronte satis aperta, quibusdam firmissimis castellis militum suorum subsidiis derepente occupatis, regi suo pervicaces, apostatæ rebellabant. Quos denique Deo favente omnes in id ipsum suam ad deditionem in brevi coegit, et hoc non absque illorum dampnis hisque non minimis. Quippe milites illorum ipsis distrahens, sibique adjuratos [224] cum bonis illorum recipiens, prædia beneficia marchiasque illorum aliis ea percupientissime petentibus et acceptantibus largiens, ipsos de loco ad locum regia majestate fugans et persequens et omnimodis subjiciens, tam multifaria eos coarctavit et humiliavit acerbitate, quoadusque re ipsa experti sunt, quam stultum atque dampnosissimum sit, regi ac domino suo quomodolibet [225] gratis ac fraudulenter recalcitrare. Sic post prædictum quod cum Heinrico gessit maximum bellum, victor gloriosus rediens Gostariam, dehinc his non parum minoribus adusque quadragesimam sollicitus laboraverat [226] tot rebellium et adversantium [227] sibi bellicosis motibus, donec eos sibi subactos [228] dedititiosque [229], prout oportuerat, perdomuit.

Heinricus denique, cum neque bello neque clandestina hac quam cum Saxonum primatibus gerebat conjuratione ad libitum suum proficeret, quin potius teste sua conscientia justitiæ Dei palam contumacem et inobœdientem, et ob id jam apostolica censura excommunicatum cum suis, se repugnare non ignoraret, simulans tandem ob tot et tantas sanctæ æcclesiæ miserias et desolationes, quas [230] ipse cum suis ei intulerat, sedis apostolicæ metum, Romam ex antiepiscopis suis Bremensem et Babinbergensem, set non sine magno, ut aiunt, auri et argenti pondere, quo Romanos corrumpere ad suum votum pertemptarent, direxerat [231]. Paduanum [232] quoque episcopum, qui [233] præcedenti æstate legatus apostolicus in nostras partes destinatus est, eadem intentione cum quibusdam aliis suis familiaribus pecunia copiosissima onustum et suffarcinatum illuc transmiserat; qui jam ab ipso muneribus non minimum corruptus set et [234] ad corrumpendum alios intentus, in ipso itinere a quodam suo comite ex industria lancea perforatus, ad inferna corruptissimus quam repente Dei judicio præcipitatus est. Thesaurus autem, propter quem . . . . . *Reliqua excederunt.*

VARIÆ LECTIONES.

[221] omnium *U*. [222] ipse *U*. [223] confirmaverat *U*. [224] adjuratis 1°. [225] quamlibet 1°. [226] laboraret 1°. [227] adversariorum *U*. [228] subjectos *U*. [229] dediditiosque *U*. [230] quos 1°. [231] dixerat 1°. [232] Baduanum 1°. [233] quo 1° [234] *deest* 1°.

NOTÆ.

(217) Saxoniæ marchio.

Digitized by Google

JOANNES

FISCAMNENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia Christiana*, nov. edit. tom. XI, pag. 207.)

Joannes I, in partibus Ravennæ ortus ex patre Roberto, ab exilitate corporis *Joannelinus* dictus cognominatusque *d'Alye* in Catalogo Labbeano, apud Sanctum Benignum Divionensem litteris eruditus ac medicinali arte, quam ex Guillelmi abbatis mandato didicerat, ejus in primis studiosus evasit imitator, qui dilectum sibi substituit, anno 1028, licet eum alibi magis optasset præficere. Novum abbatem Robertus dux ut Fiscamnensis monasterii libertati caveret, noluit ut archiepiscopus Rothomagensis ordinaret, sed accersivit Hugonem Abrincensem episcopum, a quo Joannem Fiscamni abbatem benedici ac sacrari fecit. Eodem abbate ordines non semel ab aliis episcopis collati sunt, archiepiscopo nequaquam reclamante, huic eidem Rogerius comes de Castro S. Pauli instaurandum commisit Blagiacense monasterium an. 1032, cui unum e suis abbatem præfecit. Ægre quidem, concessit tamen Joannes monasterium Villarde a Richardo II Fiscamnensibus olim donatum, Roberto duci locum in priorem statum restituere volenti, qui in commutationem dedit monasterium Sancti Taurini an. 1035, ejusdemque subscripsit litteris pro restauratione parthenonis Villaris. Subscripsit eodem anno fundationi monasterii Conchensis. Circa id tempus convenit cum Rainaldo, Henrici regis camerario, de potestate Villaris in pago Silvanectensi. Anno 1047 Willelmus dux Joanni restituit terram Rainaldi vicecomitis, quam pater ejus Richardus eis concesserat, et postea Joannes abbas Gozelino Heddonis filio in beneficium dederat, qui eam suis hominibus tradiderat. Aliquanto post querelam habuit cum Warino, abbate Sancti Arnulfi Metensis, occasione Benedicti, monachi olim Fiscamnensis, sed ad S. Arnulfum translati, quem Joannes abbas acribus verbis repetebat. Ejus tempore Paschalis II Guillelmum archiepiscopum Rothomagensem uti pallio prohibuit, qui monachos Fiscamnenses anathematizarat, eo quod interdictum ab ipso latum in ecclesias Normanniæ non servaverant. Vide epistolas Paschalis, sancti Anselmi, et Ivonis Carnotensis. Joannes legationis munere functus in Italia, rediens in Franciam anno circiter 1050, vim passus est ab Italis ex odio gentis Normannorum qui Apuliam invaserant. Qua de re conquestus est epistola ad Leonem IX. Assumpto ad metropolim Lugdunensem Halinardo, ad regendum Benignianum monasterium accitus anno 1052, cessit anno 1056. Detectioni corporis S. Dionysii in abbatia cognomine astitit v Idus Junii 1053. Exeunte anno 1054 transfretavit in Angliam, ut rebus monasterii sui in illo regno positis provideret, sibique Eduardum regem propitium redderet, a quo reipsa nonnullis beneficiis amplificatus est. Anno circiter 1058 Letzelinum, episcopum Parisiensem, ab Henrico rege Francorum ad Willelmum ducem Normanniæ, propter pacem inter eos componendam directum rogavit ut in die Resurrectionis missam celebraret in ecclesia Fiscamnensi. Quod et fecit episcopus, atque inter sacra missarum solemnia quosdam ex monachis presbyteros ordinavit. Astitit Joannes, anno 1066, dedicationi parthenonis Cadoniensis. Jerosolymam profectus, ibique diu detentus in carcere, postea ad monasterium rediisse legitur in Catalogo Labbeano, ubi, biennio post, dierum plenus ac meritorum obiit anno 1078, VIII Kalendas Martii, id est 1079, sepultus in sacello S. Joannis Baptistæ. Quasdam ipsius epistolas legesis apud Mabillonium Annal. Bened. tom. IV, pag. 581, 506 et 521, tom. V, pag. 23; Analect. tom. I, pag. 160 et Martenium tom. I Anecdot., col. 205 et seqq.

Digitized by Google

JOANNIS ABBATIS

LIBELLUS

DE SCRIPTURIS ET VERBIS PATRUM COLLECTUS.

(Apud MABILL. *Analect.* nov. edit., pag. 120.)

Exstat libellus sequens in vetusto codice Mettensis A monasterii Sancti Arnulfi, quem codicem, annuente R. P. priore ejus loci, mihi transmisit domnus Placidus Beuvillonius jam non semel a me laudatus. Ideo vero prolixum hoc specimen exhibere visum est, quod interesse putem reipublicæ Christianæ, ut præmissa opuscula accurate discutiantur. Quam ob rem quatuor aut quinque res hic examinandæ sunt, scilicet codicis Mettensis ætas seu antiquitas; tum imperatricis, cui prior libellus nuncupatus est, nomen; dein auctoris item nomen ac dignitas; ad hæc, opuscula ipsa in codice contenta : quæ demum cum libro Meditationum sub nomine Augustini vulgato comparanda sunt; postremo cum Alcuini Confessione Chiffletiana.

I. Codex Mettensis oblongus, optimæ notæ, sine B dubio scriptum est sub finem sæculi XI, id est circiter annum 1080, ut probat ipsa scripturæ forma modusque scribendi illi ævo conveniens. Quippe minores litteræ r oblongæ, litteræ *A* majores absque lineola transversa, aliaque id genus in eo codice complura, quæ facilius est capere oculis quam verbis exprimere, post sæculum XI in usu esse desierunt. Ad hæc modus scribendi qui in eodem libro servatur, illis temporibus apprime respondet. Exemplo sint syllaba *et* uno contextu in vocabulorum compositione inserta : *intellego, neglego, immensus, imperfectus*, ubi posteri scribunt *intelligo, negligo, immensus, imperfectus*. Postremo in eo codice primaria manu descripta legitur Oratio Willelmi abbatis, in festo sancti Augustini ante missam dicenda, quam inferius referam post epistolas Willelmi abbatis Mettensis, cui hanc orationem tribuendam puto. Florebat vero Willelmus iste pontificatu Gregorii VII, quo tempore Joannis codex exaratus videtur, exceptis nonnullis quæ recentiori manu adjecta sunt.

II. Quatuor indiciis designatur Imperatrix, cui prior libellus inscriptus est, nimirum quod relicta fuerit reverendæ memoriæ Domni *Heinrici* clarissimi sapientisque imperatoris : « quod post primam amissæ virginitatis palmam, secundis nuptiis nuntium remiserit : quod actibus misericordiæ debita, viduis, orphanis aliisque indigentibus facultates suas dispensarit; quod totam fere peragrarit Italiam ; devotissime visitans sanctorum reliquias, et eis offerens pretiosa donaria, idque ipsum i Galliarum partes regressa præstiterit.

Atqui hæc nullatenus conveniunt Mathildi, Henrici primi uxori, tum quia Henricus iste solemni more imperator coronatus non est, tum quia Mathildis post conjugis obitum reliquum vitæ in Saxonia exegit. Neque conveniunt Cunegundi Henrico secundo nuptæ; quippe quæ in conjugio virginitatem servasse memoratur, et post anniversarium mariti obitum in Confugiensi monasterio usque ad mortem delituit. Certe hæc omnia in unam conspirant Agnetem Augustam, quæ Willelmi comitis Pictavensis filia, Henrico III imperatori nupsit; eoque mortuo (quod anno 1056 contigit) totam Italiam devotionis causa perlustravit, maxime Fructuariense monasterium, atque adeo Casinense, ubi per sex menses demorata est, pretiosis donariis sancto Be- B nedicto oblatis. Eadem vero elogia, quæ in superiori Præfatione ipsi tribuuntur, commemorat Petrus Damiani in epistola *Agneti Augustæ imperatrici* directa, a Baronio relata ad annum 1062, qua Agneti in Italia tum degenti salutaria monita præscribit Petrus. Ejusdem hortatu Agnes ex Germania, quo per aliquot peregrinationis annos receperat sese, reversa est Romam, ubi supremum vitæ absolvit diem anno 1077, quo anno Baronius ejus epitaphium refert. Exstat in Bibliothecæ Sebusianæ centuria II, cap. 77, ejusdem imperatricis eximia epistola, Alberto, non Andreæ, Fructuariensi abbati directa, cujus fragmentum huic loco illustrando adducere non erit otiosum. « A. imperatrix et peccatrix A. Patri bono et fratribus in Fructuario congregatis in C nomine Domini, servitutem ancillæ, cujus oculi in manibus dominæ suæ sunt. Conscientia mea terret me pejus omni larva omnique imagine. Ideo fugio per sanctorum loca, quæreus latibulum a facie timoris hujus, nec minimum desiderium est mihi veniendi ad vos, de quibus comperi quia vestra intercessio certa salus est : sed nostræ profectiones in manu Dei sunt, et non in nostra voluntate. Interim vero mente adoro ad pedes vestros, » etc.

Agnetis varia in Italiam itinera distinguit Baronius: D primum, post susceptum quidem velum, anno 1062, cui itineri fere triennium insumpsit ; alterum anno 1066, cui sex annos; tertium anno 1073; quartum denique anno 1073. Itaque Libellus precum, qui ipsi post Italicam peregrinationem, regressumque in Galliarum partes, nuncupatus est, conditus fuit eo temporis intervallo quod ab anno 1066 ad 1075 effluxit.

Digitized by Google

III. Ex his intelligimus tempus quo vixit istius libelli scriptor, de cujus nomine atque dignitate tertio loco agendum est. Utrumque in fine præfationis, quæ titulo caret, exprimit his verbis : « Ego Joannes ultimus servorum Christi, et qui mecum sunt fratres, beatitudinem tuam salutamus. » Ergo hic Joannes abbas erat, id quod clarius explicat in gratiarum actionibus quas Deo refert pro beneficiis acceptis, ubi orat hoc modo : « Ego ultimus servorum tuorum, non inmemor beneficiorum miserationis tuæ, quæ mihi peccatori collata sunt, gratias tibi ago, etc. Tu Pastor pastorum, et rector omnium, Christe Deus, qui nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ vocasti parvitatem meam ad hoc pastorale officium, etc..... Parvulus quippe sum et nullius virtutis homuncio, nihil habens in me quod expeti debeat, et quod dignum sit tanti officii. Idcirco desperans de parvitate mea, non respiro nisi in sola misericordia tua. » Et infra : « Da mihi cœlestia et terrena subsidia ad omnem sufficientiam, ut habeam unde gregem tuum possim pascere et sustentare, tam spiritualiter, quam corporaliter, atque venientes in tuo nomine suscipere absque ulla hæsitatione ; loca commissa ordinare, et præparare ad quietem et salutem fratrum, sicut decet et oportet. » Certe hæc oratio ejusdem videtur esse auctoris ac Libellus precum.

Ex his colligitur Joannem Libelli conditorem abbatis dignitate præditum fuisse, cui non unum, sed plura monasteria *commissa* sint. At quis tandem ille fuerit, cujusve monasterii abbas, jam inquirendum.

Duos invenio Joannes abbates eo tempore clarissimos, et quidem Italos ambos, nempe Joannem Gualbertum, Vallumbrosani ordinis institutorem, cujus nulla scripta invenio, et Joannem abbatem Fiscamnensem, cui potius quam alteri præcitatum Libellum tribuendum existimo, his adductus conjecturis. Primo siquidem auctor se identidem *homuncionem, homunculum, parvum pusillumque* dicit : Joannes vero abbas Fiscamnensis statura pusillus erat, ab exilitate corporis *Joannelinus* appellatus. Deinde, non uni, sed pluribus monasteriis præfectus erat, scilicet Fiscamnensi aliisque Fiscamno subjectis, simulque abbatiæ quæ in loco *Erbrestein* dicto sita. Ad hæc Henrico III is acceptus fuit, ut argumento est præfectura Erbrestensis, quam concedente Henrico in Suevia obtinuit. Hinc illa familiaritatis occasio cum Agnete, quæ ob eam causam Fructuariense monasterium, utpote a Guillelmo Divionensi abbate, Joannis institutore, conditum, excoluisse videtur. Porro quantæ doctrinæ ac virtutis fuerit, testatur Joannes chronographus Divionensis cœnobii, ubi monachus fuerat Joannes abbas, de eo tum superstite agens in hunc modum : « Hic Italia partibus Ravennæ ortus, litteris eruditus, ac medicinali arte per ipsius Patris jussionem edoctus, religiosæ conversationis ejus, doctrinæ quoque ac omnium virtutum ipsius præ cunctis aliis extitit imitator studiosus. Qui ab exilitate Joannelius diminutivo nomine est dictus : sed humilitatis, sapientiæ, discretionis et cæterarum virtutum tanta in eo refulsit gratia, ut, sicut sanctus refert Gregorius in libro Dialogorum de Constantio presbytero, ita in hoc mirum esset intuentibus, in tam parvo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare. Sed quia adhuc domum habitat luteam, sufficit hoc tantum dixisse. »

Hactenus Joannes Chronographus de æquali ac cognomine suo Joanne, qui primum, ut dixi, monachus in cœnobio Benigniano, tum Fiscamni prior a Willelmo abbate constitutus ; dein eodem cedente abbas anno 1028, post anno 1052 in locum demortui Halinardi suffectus in abbatia quæ dicitur *Erbrestein* ; tandemque vita decessit anno 1078, qui annus ab obitu Agnetis Augustæ proximus est. Hæc constant ex duobus chronicis, Divionensi scilicet Sancti Benigni, et Fiscamnensi, editis in Bibliothecæ Labbeanæ tomo primo, ubi etiam in catalogo abbatum Fiscamnensium Joannes, *d'Alie* cognominatus, Hierosolymam profectus, ibique diu detentus in carcere, postmodum ad monasterium rediisse dicitur. Hæ conjecturæ meæ de prioris libelli scriptore, cujus alia opuscula nunc investigare necesse est.

IV. Joannes in sua præfatione de quatuor aut quinque opusculis suis mentionem facit. Primum est De institutione viduæ ; 2. De vita et moribus virginum ; 3. De eleemosynarum dispensatione ; 4. De divina contemplatione ; 5. et De superna Hierusalem. Tria priora desunt in codice Mettensi, in quo alia reperiuntur, quæ an Joanni tribuenda sint, dispiciendum est.

Quæ in Mettensi codice reperiuntur, alia manu prima, alia secunda descripta sunt. Prima quidem libellus prior Joannis ac posterior cum orationibus subsequentibus usque ad duodecimam quæ, sicut et sequentes, secundaria manu exarata est.

Quæ primi generis sunt, omnia (si Willelmi abbatis orationem, quæ auctoris sui nomen præfert in codice, excipias) Joannem auctorem habere mihi videntur, cæteras vero orationes secunda manu scriptas sancto Anselmo tribuo. In his orationibus tres inveniuntur ad sanctam Mariam, quas esse puto eas de quibus mentionem facit Anselmus ipse in lib. I, epistola 20, ad Conduisum. Orationem 17 incipientem ab his verbis, *Terret me vita mea*, memorat tribuitque Anselmo Durandus abbas in ejusdem libri epistola 61. An vero oratio ad sanctum Joannem evangelistam eidem Anselmo tribuenda sit, dubium me reddunt hæc verba : « Si agnoscis nomen tuum, rogo te per ipsam dilectionem, agnoscam in tanta necessitate auxilium tuum. Joannes, Joannes, » etc. Ex quibus verbis aliisque consimilibus conjectura est auctori nomen fuisse Joanni.

Ad Joannem pertinere videntur, ut dixi, non solum libellus prior, cui Joannis auctoris nomen ascriptum est, sed etiam libellus posterior, tum

Digitized by Google

etiam subsequentes orationes usque ad duodecimam, excepta oratione Willelmi abbatis.

Et quidem libellus posterior *De divina contemplatione*, indubitanter Joanni auctori tribuendus est, in cujus fronte hic titulus legitur in codice ms. : *Lege et istam aliam orationem, quæ simili modo de divina contemplatione edita est. Nam multa reperiuntur in ista quæ in illa superiore non sunt.* Idem quippe tractandi modus, idemque ordo in hoc posteriori libello servatur ac in priori. Posterior enim, uti et prior, dividitur in tres partes, quarum prima est de Divinitate ac Trinitate, altera de Christi Domini humanitate, tertia pars est de Christi amore. In his omnibus ad singulas partes in titulo præscribitur aliquis psalmus, uti in priori libello ; quæ omnia eumdem arguunt auctorem. Id diserte confirmat posterioris hujus libri editio Parisiis anno 1539, apud Vascosanum adornata, atque in tres partes, sicut in codice Mettensi, distincta sub hoc titulo : *Confessio theologica tribus partibus absoluta.* Cujus confessionis auctorem Vascosanus, aut alius quispiam, ex marginalibus quibusdam velut fugientibus veteris sui exemplaris adnotatiunculis deprehendit fuisse dictum Joannem, quod de Joanne Cassiano perperam interpretatus est.

In oratione secunda *De vitiis et virtutibus*, quæ libello posteriori subjuncta est, auctor a Deo postulat mentis puritatem, uti sibi corporis integritatem concesserat *ab ipso pubertatis tempore.* Huc sententias quasdam refert ex oratione sexta, quæ ante missam dicenda præscribitur, et in consequentibus sese monachum prodit.

Oratio tertia incipit ab his verbis : *Multa igitur sunt contemplationum genera*, etc., quibus consimilia leguntur in Alcuini Confessione Chiffletiana, sub finem partis primæ, et apud Anselmum ; at post tres aut quatuor versus nulla est cum istis auctoribus convenientia.

Oratio sexta ante missam dicenda, cujus exordium, *Summe sacerdos*, nullum auctoris nomen præfert in codice Mettensi. Hanc alii Ambrosio tribuunt, alii Anselmo ; mihi vero Joanni tribuenda videtur. Certe ex ea identidem sententias adducit Joannes in libello posteriori, in oratione secunda, undecima et in aliis ; et apud Anselmum prolixior est ea oratio post illa verba, *in commemoratione tua pro salute nostra.* Nam quæ sequuntur apud Anselmum et in aliis editis libris usque ad hæc : *Peto clementiam tuam, ut descendat super panem et calicem*, etc., apud Joannem desunt, videnturque alterius esse auctoris, qui episcopalem fidelium curam habuerit. Superiora enim singulari numero, uti et posteriora, profert auctor : hæc vero intermedia in pluralem vertit interpolator, *oramus*, *rogamus*, etc. Ad hæc pro singulis hominum generibus sibi commissis, pro cunctorum necessitatibus orat, ut episcopus. Ergo hæc oratio auctorem habet Joannem, aut certe alium ætate superiorem ; amplificatorem vero forsitan sanctum Anselmum ; ob idque Anselmo a posteris ascripta. Neque vero Anselmo in ligna res putanda est, ut Joannis orationem auctiorem fecerit. Non enim eam sibi propterea vindicavit, et ejusmodi orationibus manualibus et quotidianis cuique tanquam suis uti licet, sive addendo, sive subtrahendo quod fuerit opportunum. Accedit quod in ea oratione pleraque alia differunt a codice Joannis, ex quibus duo tantum notare juvat. Primum ad illa verba, ubi legitur in editis : « Mundo corde valeam tibi offerre. » Joannis codex habet : « Mundo corde quotidie valeam tibi offerre. » Alterum est sub finem orationis, quæ hoc modo desinit in editis : « Ad regnum tuum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, etc. » Sic vero apud Joannem : « Ad regnum tuum perveniam, ubi facie ad faciem te videbimus. Interim hoc agendum, hoc certe frequentandum commendasti Ecclesiæ, quousque venias in fine sæculi, quando erit sanctorum requies, non adhuc in sacramento, quo in tempore consociantur membra tua, quandiu bibitur quod de latere tuo manavit : sed jam in ipsa perfectione salutis æternæ, cum tradideris regnum Deo et Patri, in illa perspicua contemplatione tui incommutabilis veritatis, nullis mysteriis egeamus. Tunc enim me de te satiabis, » etc. Cæterum non facile in animum induxerim Joannem, qui ex antiquis Patribus, maxime ex Augustino, scripta sua derivat, quidquam delibasse ex Anselmo, qui Joanne sene juvenis erat. Quippe Anselmus annorum XXVII factus est Becci monachus anno 1060, post biennium prior quindecim annos ; abbas dein anno 1077, qui Joannis abbatis Fiscamnensis obitum præcessit. Ex quibus verisimilius efficitur, Anselmum quædam a Joanne homine sene mutuatum fuisse, quam Joannem ex Anselmo juniori. Et quidem Prologus decem Meditationum apud Anselmum, ordine tantisper immutato, acceptus est ex Joanne in libelli posterioris parte tertia, uti et caput primum earumdem Meditationum ex parte prima ejusdem libelli, tametsi etiam in Alcuini Confessione Chiffletiana reperiuntur. At vero Joannes in locis præcitatis ex hac oratione sexta hinc inde versus interserit, uti solet ex prioris ; quod argumento est eum hujus orationis sextæ esse conditorem.

Oratio nona, quæ prolixior, piis affectibus referta est, et multa repetit ex Joannis libello priori, maxime vero hæc verba, quibus se defloratorem probat : « Unde mihi valde libet de te loqui, de te audire, de te legere, de te scribere, de te conferre ; ut sub dulcem umbram sinceritatis tuæ ingressus, ab hujus sæculi æstibus in tui refrigerii temperamento abscondar. Hujus rei gratia umbrosum montem et condensum adscendo, amœna prata perlustro, viridissimas sententiarum herbas legendo carpo, frequentando rumino, exarando congrego, ut suavitatem dulcedinis et charitatis tuæ reponam in alta sede memoriæ meæ. » His consimilia scribit Joannes

Digitized by Google

in parte secunda libri prioris : « Libet sane de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine et gloria cotidie legere, et lecta sæpius sub corde revolvere : ut vel sic possim ab hujus mortalis et perituræ vitæ ardoribus, periculis et sudoribus sub tuæ vitalis auræ dulce refrigerium transire, et transiens in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululum reclinare. Hujus rei gratia sanctarum Scripturarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ sede repono : ut tali modo tua dulcedine degustata, minus istius miserrimæ vitæ amaritudines sentiam. » Ubi videas auctorem orationis nonæ ex imitatione prioris libelli hæc verba usurpare, ut se excerptorem et defloratorem probet : at non ita esse verbis libelli prioris addictum, ut ea de verbo studiose referat. Quod argumento est, eumdem utriusque esse auctorem, non vero alterutrum hac in parte quasi alieni operis defloratorem ; cujus officium est syllabas et verba aliorum ad numerum referre. Eadem observatio etiam aliis orationibus adhibenda est, in quibus simili modo eædem sententiæ ad sensum, quæ in duobus libellis exstant, non semper ad verba studiose repetuntur.

Oratio undecima in codice Joannis pro gratiarum actione de beneficiis divinis, incipiens ab his verbis, *Spes mea, Christe Deus*, etc., habetur quidem apud Anselmum, estque alloquium 12. At certe Joanni potius tribuenda est quam Anselmo. In ea siquidem auctor gratiam a Deo postulat *loca commissa*, id est monasteria regendi (nam abbas erat quisquis ille fuit, ut ex orationis serie liquido colligitur). At vero Anselmus unum Beccense monasterium, Joannes duo administravit abbas. Sed cum fere æquales fuerint Joannes et Anselmus, facili errore quæ alterius erant, nec auctoris præferebant nomen, alteri supponi potuere.

V. Jam vero si tam priorem Joannis libellum quam sequentia opuscula conferamus cum libro Meditationum qui sub nomine Augustini vulgatus est, eadem in utrisque de verbo repetita inveniemus. Itaque operæ pretium me facturum putavi, eumque harum adnotationum fructum mihi proposui, ut uter auctor ab altero hæc mutuatus sit, aperiam. Atqui in libro Meditationum Augustiniano manifesta apparent plagiarii et consarcinatoris indicia. Nimirum hic liber pluribus constat partibus male cohærentibus et consutis, quæ quidem singulæ præclaræ sunt juxta ac piæ, at simul colligatæ corpus male contextum compactumque efficiunt. Nam diversa inconcinne in unum congeruntur, quæ apud Joannem rite in partes distributa sunt. Deinde in Meditationibus nonnulla intermiscentur citra delectum, cum superioribus ac subsequentibus male cohærentia, quæ Joanni desunt. Ad hæc quæ continua serie apud Joannem leguntur, mediis resectis obtorto collo omungit consarcinator. Denique exemplaria Meditationum nulla inveniuntur supra Joannis ætatem, sed omnia posteriora.

Liber Meditationum pluribus constat partibus a se divulsis. Prima pars est a capite 1 ad 10, quæ quidem reperitur apud Anselmum, eademque est cum oratione 10 apud Joannem, nonnullis versibus resectis post illa verba, *in odorem unguentorum tuorum dulciter*, quibus alia subdit codex Joannis, quæ Meditationum consarcinator imperite detraxit.

Secunda pars Meditationum est a capite 12 (nam 11 quatuor duntaxat versibus constans, glorificationem tantum Trinitatis continet) usque ad cap. 33, exhibetque duas priores partes et primum articulum tertiæ partis prioris libelli, quem Joannes Agneti imperatrici nuncupavit, excepto hymno *De gloria Paradisi*, quem consarcinator post caput 25 inseruit.

Tertiam partem Meditationum definio capite 34, quod idem est cum oratione 4, quæ in codice Joannis libro posteriori adjuncta est.

Quarta pars Meditationum complectitur caput 35 cum duobus subsequentibus ; quibus respondent articuli secundus, tertius, quartus et quintus tertiæ partis libelli prioris apud Joannem, exceptis fine articuli quarti ab his verbis, *Dormiat memoria mea ;* et initio sequentis, quæ Meditationum consarcinator resecuit.

Quinta pars Meditationum constat capite 38, estque oratio octava in codice Joannis.

Sexta pars continet capita 34 et 40 Meditationum, quæ desunt apud Joannem, præter versus non paucos capitis 40, quibus consimiles leguntur in Joannis oratione secunda.

Denique septima pars complectitur caput 41 Meditationum, estque eadem cum Mettensis codicis oratione 15, quæ Anselmo in libris editis tribuitur.

Ex hac collatione manifeste conficitur id, quod hactenus demonstrandum suscepi, scilicet Meditationum collectorem ex variis Joannis opusculis unum corpus Meditationum compegisse, exceptis uno et altero capitulis, ac proinde Joanne esse posteriorem. Itaque sic res processisse videtur. Joannes ex Patribus, maxime ex Augustino et Alcuino, sententias decerpendo, libellos precum duos aliasque orationes composuit. Hæc ut ad manum haberet, continua serie male digesta in unum collegit aliquis consarcinator. Quæ collectio, quia Augustini genium sententiasque referebat, Augustino a posteris ascripta est. Qua in re nescio quo fato id Joanni accidit, quod ne accideret studiose præcaverat in Præfatione libri prioris, Agnetem Augustam obtestatus, uti daret operam ne quis librariorum scripta sua vitiaret, sive aliquid addendo, seu subtrahendo, aut immutando ; quæ nihilominus omnia passus est a Meditationum compilatore.

At quis tandem ille compilator? Certe non facile est definire. Lovaniensium censura hæc est : *Auctor est, vel beatus Augustinus, vel qui ejus libros non indiligenter legit.* Atqui jam superius demonstravi,

Digitized by Google

hanc collectionem fere integram conflatam esse ex opusculis Joannis abbatis, qui Augustini sententiis identidem usus est. Non ergo Augustinus harum Meditationum auctor, sed aliquis alius Joanne posterior. Anselmo eam tribuit Theophilus Rainaudus, hac adductus ratione quod nonnulla ex Anselmi genuinis libris desumpta sint. Verum neque hæc ratio id evincit, neque tam Anselmi quam Joannis abbatis scriptis constat hæc collectio. Neque sane crediderim Anselmum, hominem tantum, ex meris auctorum æqualium plagiis libros consarcinasse, qui ex propriis ingenii sui fontibus propria condere natus erat; aut, si id tentasset, tam male rem exsecuturum fuisse. Quisquis vero collector ille sit, certe monachus fuit. Cujus rei argumentum est, quod in cap. 6 Meditationum, ubi Joannes habet : A *Cum veris et perfectis servis tuis;* collector reposuit, *cum veris et perfectis monachis, quorum vestigia imitari nequeo*, etc.

Cæterum si quis has Meditationes et auctiores, et emendatiores, atque adeo meliori ordine digestas habere voluerit, consulat codicem Mettensem, in quo habentur opuscula Joannis abbatis, ut quidem puto, Fiscamnensis, cujus epistolas tres inferius referam.

Nunc, quoniam tum in opusculis Joannis, tum in Meditationibus Augustinianis reperiuntur permulta quæ itidem exstant in Confessione fidei, sub Alcuini nomine non ita pridem vulgata, juvat exponere hoc loco quæ ipsi Confessioni illustrandæ assequi mihi licuit. (*Quæ hic de Confessione Alcuiniana expositurum se ait Mabillonius, ad calcem tomi* B *Analectorum, ut prolixiora, seorsim edita sunt.*)

JOANNIS ABBATIS
PROLOGUS.

Ad imperatricem viduam Henrici imperatoris, in opus precum variarum a se compositum ex Patribus.

Dudum quidem, domina imperatrix, tibi petere placuit ut ex Scripturis colligerem luculentos brevesque sermones, in quibus juxta legem ordinis tui absque gravi labore discere posses normam bene videndi. Omnis enim gradus, ætas et sexus ad informationem vitæ suæ in sacris litteris propriam habet doctrinam, ut unusquisque in vocatione qua vocatus est rectissime ambulans, pervenire valeat ad regnum in quo multæ sunt mansiones. Denique post obitum reverendæ memoriæ domini Heinrici clarissimi sapientisque imperatoris, quondam viri tui, laudabile propositum laboriosæ viduitatis totis amplexa es viribus. Et quanquam nobilitas, opes et ætas ad repetendum thalamum te invitarent, noluisti tamen cor tuum inclinare ad verba hominum pro veris falsa contendentium; sed erecta sursum, accinctis lumbis stetisti fortiter super pedes tuos, ut contemptis illecebris carnis et mundi servias Christo Domino in castitate, et cæteris nobilibus matronis præbeas dignum imitationis exemplum, videlicet ut per continentiam tuam ad meliora provocatæ, defunctis maritis servent fidem, eisque per cœleste sacrificium necnon et per assiduas eleemosynas petant a Domino peccatorum remissionem. Quam decorum et honestum est, ut Christiana mulier, post primam amissæ virginitatis palmam, sic deinceps caste et sobrie studeat vivere, quatenus unius viri uxor, opitulante Domino, et esse et dici valeat. Hanc autem unius copulæ gloriosam virtutem, ni fallor, observandam pronuntiat illa una costa quæ tulta est de corpore viri, ex qua formata est mulier.

Cognitis itaque piis desideriis cordis tui, mox operam dedi, et nonnullas ex opusculis Patrum sententias celeriter defloravi; ut veridica ubique tecum habeas documenta, quæ rectum plenius ostendant iter, per quod fidelis vidua juste et pie incedere debeat. Insuper et alium addidi sermonem C de vita et moribus virginum, ad instruendas sanctimoniales quæ in tuo monasterio congregatæ sunt. Et quia te actibus misericordiæ ded tam comperi, nec illud quoque me scribere piguit, quod non ecclesiasticis divitias multas possidentibus, sed viduis, orphanis, infirmis, peregrinis illisque permaxime qui vere sunt pauperes Christi, procul dubio dispensandæ sunt eleemosynæ. Hæc vero omnia faciens, in laboribus meis propter multam charitatem tuam non sensi laborem.

Obmutescite, Scillæi canes, en ego obturata aure obstrepentem lacerationis vestræ rabiem pertransibo. In conventiculis vestris, ut ferunt, sonat littera hæc de nare canina. Cum profitearis te monachum, et monasticæ religionis decere sit proprium, D quid ergo tibi et mulieribus? Unde tibi tanta auctoritas ut in cathedra magistrorum sedeas, et ipsas etiam feminas absque rubore conscriptis schedulis doceas? Silete, miseri : ideo istud dicitis quia cæci estis, duces cæcorum. Redite, prævaricatores, ad cor, et ubi turpiter jacetis diligenter considerate. Utinam maliciosa mens vestra resipisceret, et honestarum mulierum pia opera aliquatenus imitari studeret. Nonne mulier hæc totius venerationis digna est, quæ divitiis et honoribus prætulit Christi amorem? Igitur cum esset domina regnorum, humiliavit se et facta est serva pauperum. Taceam quod totam fere peragravit Italiam, devotissime visitans sanctorum reliquias, et offerens eis pretiosa donaria, plurimasque faciens eleemosynas in urbibus et vicis, et in cunctis locis ad quæ orationis gratia properavit.

Digitized by Google

Igitur quia epistolaris angustia non sinit me in ejus laudibus diutius immorari, libet et hoc præterire, quod Galliarum partes regressa, similiter pauperes et ecclesias Dei larga consolata est manu, sicut scriptum est : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. »

Verum his procul amotis qui in terram sufflant, et ne se videant, pulverem in oculos excitant, ad te redeo, venerabilis Christi ancilla, ut sermo meus qui te cœpit instruere, tanquam præsens colloquendo ad extremam suscepti operis manum auctore Deo pertingat. Igitur licet illas parvitatis meæ defloratiunculas, quarum superius memini, saluti tuæ posse sufficere arbitrer, tamen quia relatione amicorum didici te desiderare et poscere ut ipse quoque, quem de contemplatione divina Christique amore, et de illa superna Hierusalem, omnium fidelium matre, editum habeo, tibi scribatur Libellus; multum gaudet, fateor, cor meum, et in te magnificat datorem omnium bonorum Deum. Nisi enim Christo duce ad altiora conscenderes, ambulans de virtute in virtutem, nullo modo valeres talia petere. Quis non miretur animum tam ferventem, qui rivulos dulcium bibendo aquarum non cessat sitire? Satis stolidus est et nimis obstinatus, qui talis feminæ plus preces spernit, et votis justissimis non acquiescit. Ecce ego libens atque ovans pro scire quod mihi dedit Deus, paratus sum, mater veneranda, tuæ in omnibus obsequi voluntati. Utinam ille in me igniculus foret, qui vaporatæ menti aliquid incrementi addere posset!

Accipe igitur tu, bona anima, præclarum sanctæ viduitatis exemplar, accipe, quæso, pervigili mente illud quod expetis meæ per Christi gratiam defloratiunculæ opusculum : in quo videlicet reperies magna ex parte cœlestis theoriæ dulcia verba, quæ reverenter legenda sunt et cum timore debito meditanda, ne forte de temeritate judicetur, qui tepidus et indevotus accesserit. Unde sciendum est quod hujus libelli lectio illis præsertim debetur, qui mentes suas carnalibus desideriis et terrenis concupiscentiis obtenebrari non sinunt. Quando autem ista leguntur cum lacrymis et devotione nimia, tunc mitis lector ipso cordis palato sapit quid dulcedinis intus lateat. Si ita est, imo quia ita est, eloquiorum divinorum arcana et sublimia verba tangere non præsumat superba et fastidiosa mens, ne forte labatur in errorem; quia cæcis oculis lumen intueri non potest. Hinc etenim actum est ut plerique per hæresim in damnationis æternæ barathrum ruerent, alios secum in mortem trahentes, quia sacræ Scripturæ mysteria, quorum radices in cœlo sunt, nemini perfectorum hic tota patent. Illi vero soli secundum Deum sapientes, qui profunda pollent humilitate, tantum capiunt, quantum eis Spiritus sanctus revelare dignatur. Hæc ergo frequenter lege, et tunc præcipue cum mentem tuam cœlesti afflatam desiderio vides. Justum namque est ut tu, quæ in actuali hanc conversaris vita, contemplationis pennas assumas, et sursum volitans, de fonte supernæ dulcedinis haurias, dicens cum Propheta : « Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ. » Similiter et illa quæ in amoris Cantico leguntur, ubi anima quæ solum Deum amat, loquitur Christo dilecto suo, dicens : « Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et removeantur umbræ. »

Inter hæc autem scire oportet quod illa summa et incommutabilis essentia quæ Deus est, in hac terra morientium mortalibus oculis nullo modo conspici valet, nec aliquando visa est ab ullo mortalium, ex quo primus parens de paradisi amœnitate in has ærumnas expulsus est. Hinc namque est quod contemplativa vita hic incipit, sed illic perficitur, ubi Deus facie ad faciem cernitur. Mens etenim mitis et simplex, cum in speculationem attollitur, et carnis angustias superans cœlestia rimatur; retrahente eam mole carnis ad ima, diu super se stare nequaquam permittitur. Sed licet ipsa superni luminis immensitate reverberata celeriter ad se revocetur, magna tamen proficit virtute ex eo ipso quod divinam dulcedinem prælibare potest : quia mox amore nimio accensa ire super se festinat, et sublevata cernit, quia videre non possit hoc quod ardenter diligit; nec tamen ardenter diligeret nisi aliquatenus inspiceret. Sunt aliqui minus proficientes, qui Deum sibi imaginaliter fingunt, quia in hæc temporalia deformiter sparsi illam miram et incircumscriptam lucem contemplari intellectualiter nesciunt. Quid istis aliud est oculus contemplationis nisi laqueus perditionis? Admonendi quippe sunt tales ut, solius activæ vitæ exercitio contenti, contemplationis montem non præsumant ascendere, quia, sicut scriptum est : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; et sapere secundum carnem, mors est.* Humanus enim animus nisi exteriorum desideria a se repellat, interna non penetrat, quia tanto subtilius invisibilia conspicit, quanto perfectius visibilia contemnit. Idcirco quamvis invisibilis et incomprehensibilis in natura sua sit Deus, tamen per mentem mundam et sanctam quæ solis supernis inhiat, hic sine aspectu cernitur, sine sono auditur, sine motu suspicitur, sine corpore tangitur, sine loco retinetur. His ita necessario præmissis, rogo dilectionem tuam ut si quos libet inveneris qui Libellum hunc velint habere, moneas eos et diligenter transcribere, et scriptum frequenter relegere, usque adeo ut aliquid addi, vel subtrahi, aut immutari non patiantur in eo. Hoc autem dicimus propter incuriam librariorum, qui non solum veritatem corrumpunt, sed etiam mendacia mendaciis jungunt. Sit Deus tecum, et confortet te manus ejus, ut tanquam pennatum et oculatum animal effecta, per dies singulos in utraque proficias vita, modo cum Martha in activa serviens Christo in membris

Digitized by Google

suis, modo cum Maria in contemplativa sedens ad pedes Domini, et intente audiens verbum ex ore ejus quatenus bene operando et pure contemplando, ad illam beatissimam pervenias visionem, ubi palam de Patre loquitur Filius. Ad hanc autem pro pietate et bonitate sua perducere dignetur servos et ancillas suas ipse, qui descendit ad hæc ima, ut nos ascenderemus ad illa summa; qui inclinavit se, ut nos erigeret; qui infirmatus est, ut nos fortes faceret; qui suscepit vitam nostram, ut nobis donaret suam. A Unigenitus quippe est omnipotenti Patri coæternus, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ego, Joannes, ultimus servorum Christi, et qui mecum sunt fratres, beatitudinem tuam salutamus in Christo, pia mater pauperum, et nobile decus viduarum. Vale.

Conservet te in voluntate sua semper omnipotens Trinitas.

INCIPIT LIBELLUS

De Scripturis et verbis Patrum collectus, ad eorum præsertim utilitatem qui contemplativæ sunt amatores.

PSAL. *Deus misereatur nostri.*

Summa Trinitas, virtus una, et indiscreta majestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego ultimus servorum tuorum, et exignum membrum Ecclesiæ tuæ. Confiteor et honorifico te debito sacrificio laudis, pro scire et posse quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia cordis oblatio in conspectu tuo pretiosior est; ideo ea quæ in me sunt vota laudationis ex dono misericordiæ tuæ ecce libens atque ovans offero tibi de fide non ficta et conscientia pura. Credo igitur te toto corde, Rex cœli et terræ, Domine, et ore te confiteor Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, in personis trinum, et in substantia unum, verum Deum omnipotentem, unius, simplicis, incorporeæ, invisibilis et incircumscriptæ naturæ. Nihil in te majus aut inferius habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum; sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio veritatem, sine loco ubique totum, sine situ ubique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contradictione ubique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine tui initio omnibus initium dantem, sine tui immutatione omnia mutabilia facientem; in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum, erga delinquentes patientissimum, erga pœnitentes pium; semper idem ipsum, æternum ac sempiternum, immortalem atque incommutabilem: quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit; nec mœsta perturbant, nec læta demulcent: cui nec oblivio tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt; cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit; sed ante sæcula, et in sæculis, et per sæcula in æternum vivis, et est tibi perennis laus et æterna gloria, summa potestas, ac singularis honor, perpetuum regnum, et sine fine imperium per infinita et indefessa et immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Huc usque, omnipotens Deus, Trinitas, cordis mei inspector et scrutator, confessus sum omnipotentiam majestatis tuæ, et majestatem omnipotentiæ. Nunc autem qualiter humano generi in fine sæculorum subvenire dignatus es, sicut corde credo ad justitiam, ita ore coram te confiteor ad justi salutem. Tu quidem, Pater Deus, solus nusquam legeris missus; de Filio autem tuo ita scribit Apostolus: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Cum dicitur *misit*, satis ostendit quod in hunc mundum missus advenit, cum de Maria semper virgine natus, verus et perfectus homo in carne apparuit. Sed quod de illo præcipuus evangelistarum ait: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est*; illuc ergo missus est per humilitatem, ubi semper fuit et est per divinitatem. Quam videlicet missionem opus esse totius sanctæ Trinitatis corde credo, et ore confiteor, etc.

Desinit: Et beata tui sine fine visio et laudatio: ubi tu cum illo, et ille tecum in communione sancti Spiritus æternaliter ac sempiternaliter vivis et regnas Deus, etc.

INCIPIT PARS SECUNDA.

De Christi amore simul et de illa superna Hierusalem matre nostra.

Psalm. Eructavit.

Spes mea, Christe Deus, *etc. Desinit*: Et manifestabo meipsum.

INCIPIT PARS TERTIA.

Ubi mens devota Deo ad altiorem contemplationis gradum ascendit.

Psalm. Te Deum laudamus. *Psal.* Benedicite omnia.

Digitized by Google

Psalm. Laudate Dominum.

I. Benedic, anima mea, Domino, *etc. Desinit*, Tibi honor, virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

II. INCIPIUNT PRECES.

Ardentis desiderii, ut fidelis anima solum Christum possit amare, quia bonus et malus amor non se simul in uno capiunt pectore, sicut scriptum est : Nemo potest duobus dominis servire.

Psalm. Jubilate Deo omnis terra.

Jesu nostra redemptio, *etc., desinit*, impetrante gloriosa Genitrice tua Domina mea cum omnibus Sanctis. Amen.

III. *Hic peccatrix anima gemit nimis et dolet, videns terram sine aqua, et idcirco præ desiderio lacrymarum devotas preces fundit ad Dominum.*

Psalm. Quemadmodum.

Christe Domine, verbum Patris, *etc. desinit*, precibus et meritis omnium sanctorum.

IV. *Hic optat ardore nimio mens pia, et datorem omnium bonorum Deum humiliter rogat ut, divinæ gratiæ fulta præsidio, hoc constanter agere possit quod Apostolus præcipit, dicens :* Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Psalm. Quam dilecta ?

Jesu Domine, Jesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra, *etc. Desinit in hunc modum :* In pace in id ipsum dormiam et requiescam. Dormiat, obsecro, Deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus quæ sub cœlo sunt, vigilans in te, sicut scriptum est : *Ego dormio, et cor meum vigilat,* Sit tuta, sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, Deus meus. Maneat in te, et foveatur semper a te. Contempletur te in mentis excessu, et cantet laudes tuas in jubilatione, et hæc dulcia dona tua sint inter hos turbines consolatio mea. Interim donec veniam ad te, pacem veram, ubi non est arcus, scutum, gladius et bellum : sed est summa et certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla securitas, et jucunda felicitas, et felix æternitas, et æterna beatitudo, et beata tui visio et laudatio in sæcula sæculorum. Amen.

V. *Vir desideriorum, et cœlestium contemplator, præsentia fastidiens, futura desiderans, gemit ex fundo cordis, et implorat quotidie, dolens se ibi non esse ubi dilectum suum revelata facie mereatur videre sicut scriptum est ?* Cupio dissolvi, et esse cum Christo

Psalm. Jubilate Domino.

Christe Domine, virtus et sapientia Patris, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem : obsecro et suppliciter rogo, da perpetes pennas fidei, da celeres alas virtutum, quibus erectus æterna et cœlestia valeam contemplari. Adhæreat, quæso, anima mea post te, et suscipiat me dextera tua ; sustollat me super altitudinem terræ, et cibet me illa cœlesti hæreditate, cui suspirat peregrinatio mea nocte ac die. Et quia moribunda membra vigorem animæ hebetant,

Dissice terrenæ nebulas et pondera molis ;
Siste vagam mentem per devia multa ruentem.

Da cœlestem menti conscendere sedem, ut, superno lumine irradiata, terram despiciat, cœlum aspiciat, peccata odiat, justitiam diligat. Quid enim pulchrius quidve dulcius quam inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines divinæ dulcedini inhiare, et æternæ beatitudini suspirare : illicque teneri mentem ubi haberi vera gaudia certissimum est, *etc. Desinit :* Ecce quod concupivi jam video, quod speravi jam teneo, quod desideravi jam habeo : illi jam in cœlis junctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, toto amore inhæsi. Ipsum laudo, benedico atque adoro, qui vivit et regnat in sæcula, sæculorum. Amen.

LIBELLUS ALTER

De divina contemplatione.

PARS PRIMA.

De divinitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Adesto mihi, verum lumen... unus Deus omnipotens. Te invoco in animam meam : intra, rogo, in eam, et coapta eam tibi, ut possideas illam sine macula et sine ruga.

Desinit : Nec casus finem dabit ; sed ante sæcula, et in sæculis, et per sæcula in æternum vivis ; et est tibi perennis laus et æterna gloria, *etc.*

PARS SECUNDA.

De humanitate Domini nostri Jesu Christi, qui nos redemit pretio sanguinis sui.

Psalm. Cantate Domino 2.

Huc usque, omnipotens Deus, Trinitas, cordis mei inspector et scrutator, confessus sum omnipotentiam majestatis tuæ, *etc.*

Desinit : Ubi est dies æternus et unus omnium spiritus, ubi tu cum illo, et ille tecum in communione Spiritus sancti æternaliter vivis, *etc.*

PARS TERTIA.

In qua mens devota nimio amore flagrans, Christo inhians, Christo suspirans, Christum, quem solum amat, videre desiderans, nihil dulce habet nisi gemere et flere, nisi fugere, tacere et quiescere, dicens : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam.

Spes mea, Christe Deus..... Te deprecor, supplico et rogo, ut te rectore, te duce, per te ambulem ad

Digitized by Google

te perveniam, in te requiescam, qui es via et veritas et vita. Deus meus, una spes et prægrandis misericordia mea, esto mihi in domum refugii et in locum munitum, *etc.*

Desinit : Et temporalium sempiternæ vivunt rationes, æternæ sapientiæ confiteor, et nomini tuo laudem dico. Tibi benedictio et claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus et fortitudo, Domino Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

ALIÆ ORATIONES.

I. *Isti versiculi ad excitandum cordis conpunctionem de Scripturis collecti sunt.*

Heu homo! heu homo! heu te, miser homo! cur vivis equum, cui non est intellectus, *etc.*

Desinit, ad cœlum cum Rege suo ibunt sancti. Gloria tibi, Christe, *etc.*

II. ORATIO DE VITIIS ET VIRTUTIBUS.

Christe, virtus salutis nostræ Deus, lux de luce, illumina me quæso lumine gratiæ tuæ. Concede pro pietate et bonitate tua, ut hæc me semper inhabitet, et ubique regat, *etc.*

Desinit : Ad vitam perveniam æternam, te miserante et donante, qui cum Patre, *etc.*

III. APOLOGETICI SERMONIS BREVIS ET VERA RESPONSIO.

Multa igitur sunt contemplationum genera, quibus anima tibi, Christe, devota delectatur et proficit : sed in nullo earum ita gaudet mens mea sicut in illa quæ, cunctis remotis, in te solum Deum attollit simplicem puri cordis intuitum.

Desinit, omnia bona nostra opera tu operatus es nobis.

IV. HUMILIS CONFESSIO PECCATORIS ET INDIGNI LAUDATORIS.

Ignosce, Domine, ignosce, pie, et noli me tanquam temerarium reprobare.

Desinit, in sæcula sæculorum laudabunt te.

V. QUID SIT JUBILUM.

Jubilum dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur.

Desinit, sufficit lingua dicentis.

VI. ORATIO ANTE MISSARUM CELEBRATIONEM DICENDA.

Summe sacerdos et vere pontifex, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram, *etc.*

VII. ORATIO DOMNI WILLELMI ABBATIS.

In Commemoratione sancti Augustini ante consecrationem missæ dicenda.

Memento, Domine, animæ famuli tui Patricii, *etc.*, *inferius edita.*

VIII. CONFESSIO HUMILIS PECCATORIS IN TEMPORE ANGUSTIÆ ET INFIRMITATIS.

Miserere, Domine, miserere, pie, miserere mihi miserrimo peccatori, indigna agenti, et digna patienti.

Desinit, scis omnia, potes omnia.

IX. INCIPIT ORATIO DECORA,

compilata per contemplationem, vel Meditatio theorica.

Spes mea, Christe Deus..... qui es via, veritas et vita. Sed quia in hoc magno hujus vitæ diluvio, uli circumflantibus agitamur procellis, non invenitur fida statio, et locus eminentior, ubi pes columbæ valeat requiescere; nusquam tuta pax, nusquam secura quies, *etc.*

Desinit, Gloria Patri qui fecit nos, gloria Filio qui redemit nos, gloria Spiritui sancto qui sanctificavit nos. Sit laus, sit benedictio, *etc. Oratio prolixa est et devota.*

X. ALIA ORATIO.

Domine, Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, *etc.*

Desinit, secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Jesum Christum, *etc.*

XI. GRATIARUM ACTIONES PRO BENEFICIIS MISERICORDIÆ DIVINÆ.

Spes mea, Christe Deus..... Te deprecor, supplico et rogo, ut perficias in me cœptum opus misericordiæ tuæ. Ego enim ultimus servorum tuorum, non immemor beneficiorum miserationis tuæ, quæ mihi peccatori collata sunt, gratias tibi ago, qui me indignum pro tua sola clementia per aquam sacri baptismatis, et renovatione sancti Spiritus ab originalibus vinculis expedisti..... Tu Pastor et rector omnium, Christe Deus, qui nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ vocasti parvitatem meam ad hoc pastorale officium, propter te et nomen tuum sanctum, fac me idoneum ad hoc ministerium, ut sapienter domum tuam regam, et in omnibus secundum voluntatem tuam gregem tuum pascere valeam. Concede, propter honorem nominis tui, ut cum multo bono fructu fraternæ societatis pervenire merear ad gloriam tuam..... Scio et certus sum quod tu vales fructus bonos et magnos facere de grege tuo, per me exiguum et infirmum. Parvulus quippe sum et nullius virtutis homuncio, nihil habens in me quod expeti debeat, vel quod dignum sit tanti officii. Idcirco, desperans de parvitate mea, non respiro nisi in sola misericordia tua. Sed licet sis magnus in magnis, gloriosius tamen operaris magna in minimis. Erit certe laus tua dulcior, et copiosior more hominum, cum per me tantillum operari dignatus fueris magna de grege tuo..... Da mihi cœlestia et terrena subsidia ad omnem sufficientiam, ut habeam unde gregem tuum possim pascere et sustentare, tam spiritaliter quam corporaliter, atque venientes in tuo nomine suscipere absque ulla hæsitatione, simulque loca commissa ordinare et præparare ad quietem et salutem Francorum, sicut decet et oportet..... Duo a te peto : unum horum pro tua clementia non deneges mihi. Rogo te per omnes miserationes tuas, da mihi consolationem tuam cœlestem in multis tribulationibus meis! pondus enim istud gravissimum quod impositum est super infirmas cervices meas, ferre non valeo, deponere timeo..... Gratias tibi ago, Domine, qui me etiam a vano hujus mundi consortio separasti, et ad tuum servitium sanctum perduxisti, *etc.*

XII. ORATIO AD SANCTAM MARIAM.

Virgo mundo venerabilis, humano generi amabilis, *etc.*

Digitized by Google

XIII. AD CHRISTUM.

Domine Jesu Christe, redemptio mea, misericordia mea, *etc.*

XIV. AD SANCTUM BENEDICTUM.

Sancte Benedicte, quem tam opulenta benedictione virtutum superna gratia ditavit, *etc.*

XV. PRO AMICIS.

Domine Jesu Christe, qui exhibuisti charitatem qua majorem nemo habet, *etc.*

XVI. PRO INIMICIS.

Omnipotens et pie Domine Jesu Christe, quem opto propitium amicis meis, *etc.*

XVII. ALIA ORATIO.

Terret me vita mea. Namque, diligenter discussa apparet mihi aut peccatum aut sterilitas fere tota vita mea, *etc.*

XVIII. AD SANCTAM MARIAM.

Sancta Maria, et inter sanctos post Deum, *etc.*

XIX. AD SANCTAM MARIAM.

Maria, tu illa magna Maria, tu illa major Leatarum Mariarum, *etc.*

XX. AD SANCTUM JOANNEM BAPTISTAM.

Sancte Joannes, tu ille Joannes qui Dominum baptizasti, *etc.*

XXI. AD SANCTUM PETRUM.

Sancte Petre, benignissime et fidelis pastor ovium Dei, *etc.*

XXII. AD SANCTUM JOANNEM EVANGELISTAM.

Sancte et beate Joannes, altissime evangelistarum Dei, dilectissime apostolorum Dei, *etc.*

JOANNIS ABBATIS

EPISTOLÆ.

(MABILL. *Analect.* nov. edit., pag. 450.)

EPISTOLA PRIMA.

WILLELMI (1) ANGLORUM REGIS AD JOANNEM ABBATEM FISCAMNENSEM.

W. rex Anglorum JOANNI abbati salutem.

Diu mecum cogitavi, mi dilecte, in cujus manu et custodia possem mittere et commendare abbatiam sancti Petri de West-monasterio : quia in maxima veneratione et habeo, et ex debito habere debeo. Ibi enim jacet vir beatæ memoriæ dominus meus rex Ethwardus; ibi etiam tumulata est regina Etgith uxor ejus inclyta : ego etiam ibidem, Dei clementia providente, sceptrum et coronam totius regni Anglici suscepi. Tandem consilio Lanfranni archiepiscopi, meorumque procerum, Vitalem abbatem, quamvis invitum, ad hoc coegi ut illam assumeret. Cum enim abbatiam de Bernaco ex minimo multum, ut patet, sublimaverit, intellexi illum dignum esse abbatia de Westmonasterio, et utilitate et prudentia. Quapropter liceat mihi istud fieri, quod de eo communi consilio meorum providi procerum, licentia tua et bona voluntate, et conventus fratrum. Volo etiam tibi notum esse me elegisse Osbernum, fratrem scilicet Vitalis abbatis, ut habeat abbatiam de Bernaco : et hoc tua licentia mihi fieri liceat. Vale.

EPISTOLA II

AD WILLELMUM ANGLIÆ REGEM.

W. divina favente gratia Anglorum regi in magna gloria JOANNES Fiscamnensis cœnobii Pater, victoriam de inimicis in gladio Domini et Gedeonis.

Rex inclyte gentis Anglicæ, et dux Normannorum, bellicosa virtute; ecce ego Joannes, vester totus in Domino, humiliter vobis suggero et litteris significo quoniam moleste acciperem quod frater noster domnus Vitalis sine licentia nostra de abbatia ad abbatiam migraret, nisi quod vos diligo, et vestra consilia honorare volo. Idcirco laudo et confirmo quod vestra regalis sancivit auctoritas. Jam vero quod Osbernum suum fratrem germanum, non Fiscamnensem monachum, in juris nostri loco elegistis abbatem, annuo libenter ad vestram fidelitatem; ita tamen ut fiat secundum auctoritatem, videlicet ut, accepta licentia a suo abbate, noster fiat monachus, et obediens secundum regulam sancti Benedicti et ordinem. His ita prælibatis, rogo dominum meum ut, memor meæ senectutis jam me ad terminum vitæ curvantis, judicet causas nostras, et faciat nobis justitiam, ut ego lætus in Domino moriar. Quæ sunt hæ causæ? Primum, ut ex promisso, quod perdimus in Astingo, recompenset corde pleno et animo benivolo. Sunt aliæ plures causarum nostrarum necessitates, quas rogo pius rex judicet et finiat, dum vivit et vacat, ad summæ Trinitatis honorem et gloriam : quatinus ipsa Deus Trinitas illum de Anglis provehat ad gloriam quæ est in angelis. Vale.

EPISTOLA III.

AD VITALEM ABBATEM BERNACENSEM.

JOANNES Fiscamnensis abbas confratri VITALI salutem.

Scire te volo, utilis et honeste frater, quoniam pro amore regis et merito tuæ dilectionis auctorizo tuam promotionem, et fratris Osberni in nostro Bernaco ordinationem. Sed ego et totus conventus sanctæ Trinitatis rogamus et monemus ut, memor tuæ professionis, memor nostræ societatis, locum tuum

(1) Conquæstoris.

Digitized by Google

melius recognoscas et honores, quam plures qui de nobis exierunt fratres, et per nostrum locum venerunt ad magnos honores. Vale.

ADNOTATIO IN TRES EPISTOLAS SUPERIORES.

Eodem collimant superiores epistolæ tres, nempe ut Vitalis abbas Bernacensis transferretur ad regimen Wesmonasterii, in suburbio Londiniensi : tum ut Osbernus, Vitalis germanus frater et monachus Troarnensis, in locum fratris Bernaco sufficeretur. Bernacum Neustriæ oppidum est ad Carentonam fluvium, diœcesis Lexoviensis, ubi monasterium inchoavit Judith Ricardo secundo Nortmannorum duci nupta; absolvitque Ricardus ipsius maritus, *committens illud venerabili Guillelmo abbati* (Fiscamnensi) *perficiendum, et monastice ordinandum, qui in locandis fundamentis modicum præstiterat consilii auxilium*, uti Ricardus ipse testatur diplomate dato in Fiscamnensi palatio, *anno ab Incarnatione Domini* 1027, *indictione octava*. Hinc est quod, cum monasterium illud juris esset Fiscamnensium monachorum; Willelmus Anglorum rex, idemque dux Nortmannorum, Conquæstor vulgo appellatus, non nisi habito abbatis Fiscamnensis ejusque monachorum consensu, Vitalem Bernacensem abbatem in Westmonasterium transtulerit, ejusque loco præfecerit Osbernum. Qua in re observandum venit principes atque reges, etsi in abbatias a majoribus suis conditas sibique subjectas aliquando abbates nominarent, ad rem tamen exsequendam postulasse consensum et confirmationem monachorum, quibus electio competebat. Has epistolas et subsequentes noster Guillelmus Filiastrius eruit ex ms. codice Fiscamnensi.

EPISTOLA IV.

AD WARINUM ABBATEM METTENSIS MONASTERII SANCTI ARNULFI.

Repetit Benedictum monachum suum.

Domino Patri W. venerando abbati, frater JOANNES, crucis Christi servulus, quidquid in Christo felicius.

Sæpius et verbis et scriptis deprecatus sum vestram paternitatem pro nostro monacho, nomine Benedicto, ut mihi redderetis : et audire renuistis ; quod non maximæ fuit charitatis. Scriptum quippe nostis : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris;* et : *Charitas omnia suffert.* Adhuc ergo vestram paternitatem convenio humili supplicatione, quatenus eum non differatis mihi remittere. Quod si nolueritis, vos non excommunico, sed ipsum ab omni Christianitatis officio auctoritate Dei, et sancti Patris nostri Benedicti et omnium sanctorum, quantum mihi libet, separo et sequestro, donec docear quo mihi auferatur pacto. Valete dicerem, si nostram non defenderetis [*leg.* detineretis] ovem. Verumtamen valete dicam, ea convenientia ut ovem reddatis omni occasione postposita.

EPISTOLA V.

WARINI ABBATIS AD JOANNEM FISCAMNENSEM.

Superiori respondens.

Domno abbati J. secundum nomen suum Dei gratia pleno, frater W. ejus servorumque Dei servus, cum fidelibus orationibus charitatem et pacem.

Apostoli verba sunt : *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Hoc ideo dico, ut tali tanti doctoris sententia meipsum moneam et castigem, ne, responsurus litteris vestris, quibus nos dudum pro libitu et potestate vestra nimis acriter convenistis, aliquid quod vobis, id est tantæ majestati, indecens sit, (quod absit!) saltem provocatus, velut stultus effutiam. Sed quia, ut dicitis, *charitas omnia suffert*, voto Apostoli precor ut, si ego ut insipiens in insipientia aliquid locutus fuero, sustineatis modicum quid ipsi insipientiæ meæ, et supportetis me. Ego enim nihil propono, nihil præcipio, nil minor ; sed coactus ad scripta vestra simplici sermone sic rescribo. Litteras vestras frater noster domnus Wimundus mihi detulit, dicens eas sibi a vobis missas, ut per eum mihi præsentarentur. Quas coram eodem fratre qui eas attulit, et domno Grimario Besuensi, sine ullo salutationis proœmio (quod non, ut dicitis, maximæ fuit charitatis) præsentavit; subjunxitque vos ea mandare ut fratrem nostrum domnum Benedictum, quem vi auferre volebatis, velut jam vestrum, vestris sumptibus, equis et famulis ad vos quantocius deduceret. Quod certe si alius præter vestram personam ageret, non maximæ esset religionis.

Ut enim de persona vestra interim taceam, cui omnis honor, utpote majori, priori, sanctiori, ac prudentiori atque religiosiori impendendus est, de me dicam quia, si ego tale quid de aliquo vestro fratre attentassem, et eum ad me venire scriptis nostris tam longo terrarum spatio, et maxime pro damno vestro, clam vobis monerem, merito et a vobis, et a cunctis hæc audientibus reprehensibilis et contrarius sanctæ regulæ judicarer, cum sciamus sanctum Patrem nostrum Benedictum prohibere monachum litteras vel eulogia, nesciente abbate suo, a quocunque suscipere; justiusque mihi in tali culpa impingeretur id quod in scriptis vestris opposuistis: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.*

Verum his omissis, quæ vel leviter ferrentur vel omnino nil penderentur, ni alia graviora nos stimularent, ad ipsa verba quibus interminamur, si placet, veniamus; ut his absque contentione respondentes, vel noxii vel innoxii inveniamur. Queritimini vos sæpius et verbis et scriptis nos expetisse ut vestrum, sicut dicitis, monachum, nomine Benedictum, vobis redderemus, et audire renuimus; et hoc non maxime charitatis esse. Ubi ego respondeo me (si bene memini) a nescio (Deo teste) qua persona litteras quasdam, transacto jam, ut puto, biennio, suscepisse, quibus de remissione ejusdem fratris monebar. Quas, ut æstimo, ipse idem, et quicunque legit et intellexit, ut vanas irrisit; quas vestras fuisse nec credidi, nec credo. Ita frivola erant quæ in eis continebantur, ut potius eas a quocunque scurra irrisorie fictas, quam vel a vobis vel ab aliquo sapiente missas crederem, adeoque pro eis respondere vel rescribere parvipendi.

Quod vero dicitis vos verbis me de hac re expetisse, salva veritate sermonis vestri, quem ego falsum dicere nec debeo nec volo, me non recordari confirmo aliquando hinc vobiscum vel cum aliquo vestrorum me aliquod habuisse colloquium. Quod si

Digitized by Google

habuissem; quod modo respondeo, tunc quoque respondissem, scilicet me libentissime vestrum et vestrorum consilium, adjutorium et cohabitationem, si tanta re dignus essem, habiturum, et id servitio nostro, si juberetis, repensurum.

In præsenti tamen, quia hoc tanta vi exigitur, nullum monachum vestrum habere; domnum vero Benedictum non vestrum, sed sanctæ memoriæ domni abbatis Willelmi conversum, nutritum et professum fuisse; quem ipse (quod nemo negare valet) in primo quo locum Gorziensem regendum accepit, ad idem cœnobium cum multis aliis, quorum nonnulli jam vita defuncti ibidem humati quiescunt, ut suum venire, ac inibi manere præcepit. Quod et fecit, usquedum, transactis nonnullis annis, conhibentia domni abbatis Gorziensis Sigifridi et domni abbatis Oddonis tunc priorum, post abbatum, et jussione prædicti domni abbatis Willelmi ad monasterium Sancti Arnulfi, cui, Deo auctore, licet peccator, inservio, directus et destinatus est : ubi hactenus deguit et degit, et, Deo volente, (nisi omnia antiquorum statuta irrita fiant) deget. Qui obitum Patris nostri sæpe dicendi domni abbatis Willelmi præstolatus est, et successoris ejus, id est domni abbatis Oddonis, electioni et ordinationi interfuit, laudavit, et absque alicujus interdictione primum ipsi, post decessum autem ejus, mihi, licet indignissimo, nullo monente, nullo cogente, sua sponte, voluntarie, ut dixi, obedientiam ut monachus abbati promisit, et scripto, ut videri perfacile est, firmavit. Cum e diverso (quod pace vestra dictum sit) nec electioni, nec ordinationi vestræ, nec animo, nec corpore interfuerit; et vos postmodum, per has regiones nostras transitum et hospitium habentes, nullam omnino vel tenuem famam sonuistis; et nobis jam præteritis annis orationis causa Sanctum Michaelem adeuntibus, et per vos transitum habentibus, ubi etiam benigne satis et liberalissime cum omni charitate et suscepistis et refovistis, nullam penitus mentionem fecistis, nec, ut puto, faceretis; nisi Doech, non primus ille Idumæus, sed nunc alter semi-Judæus (cujus nomen vel aciem non cognovi; sed utinam ita vitam ejus laudabilem in bona fama ex veritate cognoscerem, sicut notatur et vituperatur apud nos in mala fama!) non [*pro* nisi], inquam, ille aut infamis, sicut dicitur aut laudabilis, sicut cuperem, ex transmarinis partibus ad corrumpendam inter nos pacem, ad vos nunc nuper emersisset; qui, ut audivi, relicto habitu et vita monachica, diu volutatus in volutabro sæculi, jam tandem inebriatus fetore carnalis delectationis, quam ex aureo calice Babylonis usque ad fæces epotavit, nunc tandem pulsatus plus precibus quam minis, non se taliter Christo serviturum, et a via et vita perversa convertendum minatur, nisi in primo initio, non conversionis, sed reversionis suæ contra Christi præcepta agat. Nam Christus ad se venientibus dicit : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et fratres*, etc. Iste autem prædicat se non posse sine fratre carnali servire.

A Animadvertite, quæso, insidias diaboli. Lupus ovibus insidians, non libero, sed suspenso incessu ovilia circuit, ita diabolus quos decipere quærit, non aperta, sed simulata fronte impetit. Verumtamen Paulus devitandos eos docet qui primam fidem irritam fecerunt; ideoque discipulis dicit : *Timeo ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita et vestri sensus corrumpantur, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Ego quoque timeo talem horum societatem plus parituram istius (quod absit!) perditionem quam illius salutem. Sed dicit aliquis : Quid si aliter haberi vel teneri non potest? Huic non ego, sed Apostolus respondeat : *Infidelis si discedit, discedat.* Quod enim lucrum est Deo animam unam acquirere, et aliam perdere? quod si aurum suum,
B utinam non male acquisitum, quo, ut audivi, abundat, secum abstulerit; tollat. Utinam, non ipse, sed, si eum impedire debet, pecunia ejus eat in perditionem! Non dignatur sancta Ecclesia tales pecunias atque munera imperiorum [*f.*, impiorum] perversa; nec Christus aurum quærit, sed animas, qui diabolum divitias offerentem, ut nos eadem facere doceret, repulit, et in vocatione apostolica eadem trutina pensavit aurum et argentum Matthæi et Zacchæi, qua navim et retia Andreæ et Petri.

Sed, o dolendus error hominum! non potuit, inquiunt, abbas Willelmus monachum in alio quam ubi professus est constituere loco, nisi diebus vitæ suæ. Christus Dominus noluit diutius apostolos in
C conclavi residere, sed misit eos in universum orbem prædicare regnum Dei. Ipsi apostoli per totum mundum divisi discipulos suos ad prædicandum ad diversas orbis plagas dispersos direxerunt, ut Petrus Apollinarem Ravennæ, Clementem Metis, Eucharium Treviri, et plures alios, quos enumerare longum est, circumquaque; et Paulus Timotheum et Sylvanum et cæteros. Alii quoque apostoli creditas sibi a Deo partes mundi discipulis fidem Christi annuntiantibus repleverunt : et Pater monasterii, quicunque est ille, vices Christi agens, non potest vel pro lucrandis animabus, vel pro aliqua alia utilitate, dummodo pro Deo et secundum Deum fiat, monachum, mundo mortuum et Deo soli viventem, in quocunque necesse fuerit loco stabilire!

D Non, inquiunt, sed monachus redeat ad locum suum. Concedo monachum redire ad locum suum : sed eum qui male exiit, non eum qui obedienter exiit, et obedienter ubi jussus est, stetit; sed Bernardum, qui fugitivus contra præceptum abbatis sui evasit, non Benedictum, qui jussu abbatis sui a monasterio professionis suæ obedienter exiens et ad nos veniens, obedienter inter nos conversatur. Quam melius vester iste Bernardus cum eodem fratre suo apud nos mansisset, quam ut, alibi degens, inter alia pacta sua, quæ vos me melius nostris, hoc incendium discordiæ, quod nunc inter nos, nisi Deus pacis prohibuerit, conflagravit, longo jam ex tempore in transmarina officina enutrisset. Quod si id quod dicimus, videlicet ut mona-

Digitized by Google

cnus cum licentia et jussione spiritualis patris in quocunque monasterio possit secundum Deum degere, non conceditur; ut tandem litigiosum hunc funem rumpamus, concedatur igitur secundum hæresim, quæ vel a Catholicis, si reus est, juste, vel si innoxius est, injuste ab invidis Origeni impingitur, ut scilicet præterita sæcula denuo in idem quod fuerint revolvantur. Sic iterum vel idem, vel alius Adam et Eva, iterum a serpente decipiantur; fiant iterum Sodomitica incendia, iterum omnia viventia diluvio pereant, iterum Saul asinas quærat, David oves pascat; postremo (quod cogitatu et dictu horridum est) iterum Christus de Maria virgine nascatur, adolescat, tradatur, patiatur, moriatur, resurgat; cum econtrario Paulus dicat: *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur.* Redeant omnia ad prima initia, Benedictus ad Fiscamnum, Warinus Gorziam, domnus abbas Joannes Divioni, et cæteri quicunque fideles Christi per diversa loca in sancta Ecclesia ad pascendum, regendum, ordinandum, docendumque gregem Domini distributi et promoti sunt, ut luceant velut luminaria magna in domo, redeant unde processerunt, recondantur et lateant sub modio, econtra dicente Domino: *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, etc. Animæ etiam defunctorum, secundum somnia poetarum, quæ mille rotas volvere per annos Lethæo flumin potatæ, rursus incipiant in corpora velle reverti, ut compos votorum suorum vester ille Bernardus cum Mantuano pastore nobis insultans lætus decantet:

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Hæc si absurda sunt, imo quia absurda et fidei catholicæ contraria, respuatur falsitas, et teneatur veritas. Sanctæ Ecclesiæ firmissima columna papa Gregorius Augustinum, Mellitum, cum plurimis monasterii sui monachis ad prædicandam veram fidem Anglorum gentibus destinavit; quod et ipsi fideliter impleverunt. Quis, rogo, post tanti viri felicem obitum, quis, inquam, successorum ejus horum quemque vel monachum ad monasterium, vel clericum ad ecclesiam venire aut monuit aut coegit, et non potius sancti viri prædicabile factum laudavit, fovit et juvit? Quod vos facere sperabam, primo zelo et amore Dei, dein desiderio et charitate pii Patris, et maxime vestri, domni abbatis Willelmi, qui vos unica charitate inter cæteros enutrivit, dilexit, promovit, honoravit; nec quod ipse statuit aliquando, a vobis destituendum, sed potius confirmandum putavi.

Haberem plura quæ paternitati vestræ ad horrilia dicta et facta quæ mandastis (neque enim res parva excommunicatio est) rescriberem, nisi reverentia vestri et disciplina regularis, quæ nos monachos in loquendo temperantiam habere monet, me constringeret. Hæc tamen pauca dixi, ut ostenderem et probarem me nec monachum nec ovem vobis auferre; sed mihi commendatam in ovili Christi juste tenere et servare; ubi si ita vixerit in bono, A sicut potest, non patebit morsibus lupi, sed servabitur pascuis Christi. Etenim etsi peccatores sumus, Christum tamen confitemur; catholicam fidem tenemus, baptismum et eucharistiam Christi suscepimus, regulam Sancti Benedicti legimus, et pro posse servamus, in acie Christi contra communem hostem stamus; ferimus, et ferimur aliquando; Deo sustinente stamus, aliquando infirmitate impediente vacillamus; si fragilitate cadimus, Deo relevante resurgimus, nec tamen usque ad desperationem deficimus. Et credo ita in nostro, et divitiis, et (quod periculosius est) religione exiguo et paupere loco, quemque monachum fidelem posse animam suam cum Dei adjutorio servare et salvare, sicut in quocunque ditiori et religiosiori, nisi forte aliquis plus B sapiens quam oportet sapere, hæresim Donatistarum, qui dixerunt in sola Africa veram esse religionem, eamdem pestem ab Africa in Normanniam transferat, et asserat nullum monachum, nisi in solo Fiscamni monasterio posse salvari. Qui hæc dicit vel credit, nimium coarctat illum qui est excelsus super omnes gentes, et cujus gloria super cœlos est, cujusque nomen a solis ortu usque ad occasum laudabile est. Apostolus enim intelligens omnem hominem adversus communem hostem semper pavidum ese debere, vestrates quoque sicut et nostrates admonet dicens: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Nisi forte angelorum custodia, cherubim quo- C que romphæa ita jam munivit locum vestrum, (quod non puto in hac vita futurum) ut jam non possit eum irrumpere princeps hujus mundi, qui ut tentaret illum in quo nihil habebat, illum in deserto, in pinnaculo templi, in monte valde excelso invenit et tentavit, sed fugatus abscessit. Hæc nos timemus, hæc patimur, sed confidimus nos quoque, sicut et alios, liberari posse ab illo qui dixit: *Confidite, ego vici mundum.* Hæc non exprobrando, sed ratiocinando, et ad scripta vestra duriter ferientia patienter respondendo diximus, ut si non possumus ad credendum, saltem ad æstimandum vos inducere valeamus, ovem illam quam vestram dicitis, etiamsi sine contradictione aliqua vestra esset, non inter D nos nisi sua culpa periturum fore.

Sed tabella jam plena nil se amplius suscipere posse ostendit; querimonia tamen e corde nostro juste, ut puto, ebulliens se aperiri, etsi non ex toto, saltem ex parte exposcit. Quid, quæso, Pater, quid adversum vos commeruimus, quod tam subito, tam improvise, tam præcipitanter, tam sævissime telum acutissimum excommunicationis in nos voluistis jaculari? Sperabamus nos velut fratres vestris orationibus adjuvandos, quo Christo mereremur incorporari: et nunc a Christi corpore et sancta Ecclesia, cujus filii gratia Dei per baptismum esse meruimus, anathemate vultis separare! Gratia et pietate sua Dominus hanc potestatem sacerdotibus dedit ut quod ligarent in terris ligaretur et in cœlis, et quod solve-

Digitized by Google

rent in terris solveretur et in cœlis; sed benedictus Agnus ille, qui pro peccatoribus immolatus est, id sibi soli servavit, ut solus tolleret peccata mundi, ne forte homo rabidus et phreneticus præcipitatione animi innocentes perderet, et nocentes servaret. Ipse Dominus Israelitis inimicis, latroni in cruce pepercit, et apertis misericordiæ januis nos ad se etiam nolentes invitat, dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam.* Et homo, dubius de se, qui nescit utrum odio an amore dignus sit, vi quadam homini et fratri, quem ut se diligere jubetur, claudere laborat portas vitæ, de quibus nescit utrum aperiendæ sibi sint! Ego memor fragilitatis meæ, plus timens peccatis meis quam alicujus excommunicatione (quod absit!) a gratia Dei excludi; gratias Deo et vobis reddo, quod me interim ab excommunicatione, sive id facere, sive non debuistis aut debetis facere, sustinuistis. Fratrem tamen illum, quem, ut scribitis, ab omni officio Christianitatis auctoritate Dei et sancti Benedicti, et omnium sanctorum separatis; non video qua ratione, quove justo aliquo judicio id facere debuistis aut debeatis. Monachus enim sub regula sancti Benedicti, quem nobis auctorem in tali sententia advocastis, in monasterio regulariter vivens, prohibetur penitus proprii cordis sequi voluntatem; et non solum septa monasterii, sed nec claustrum egredi. Quomodo ergo vestra excommunicatione potest obligari is qui, nullam potestatem sui vel in corpore vel in animo habens, etiamsi velit, non potest implere id propter quod excommunicatur ut faciat? Jesus in Pharisæis vituperabat quod alligarent onera gravia et importabilia. Sed si illa vituperabilia, quia importabilia; ista magis reprehensibilia, quia impossibilia.

Sed dicitis vos id facere, quia licet. Sed Paulus dicit omnia sibi licere, sed non expedire. Utinam juxta beneplacitum Dei nemini liceret nisi quod expedit! Sed quia in arbitrio nostro positum est bonum et malum, vita et mors, cavendum est in quam partem deflectamus, timendumque quod dicitur : *Væ qui dicunt bonum malum, et malum bonum!* Sed si ita agendum erat, directius in illum hæc sententia dirigeretur, qui, male a domo paterna exiens, nec recte rediens, patris offensam non mitigat, sed exacerbat. Ille nunc duris pugionum aculeis castigandus, nunc blandis monitionum fomentis adhortandus, postremo jaculo anathematis merito esset feriendus, donec in se reversus diceret : *Pater, peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Nunc mutato ordine, qui patrem recedendo offendit, pro malis bona recipiens cum patre epulatur; et ille qui cum patre semper mansit, nec ejus mandatum præterivit, pro hædo quem exspectabat, anathematizatur. Clamare cum propheta compellor : *Quia impius prævalet adversus justum, ideo egreditur judicium perversum.*

Verum, quia querelosius iste sermo noster jam claudendus est, petimus, domine Pater, ut mitiorem in nobis animum et habeatis et ostendatis. Decet Dei et crucis Christi servum, quod vos esse vobiscum nos quoque fatemur, id facere quod fecit ipse qui crucem, id est signum mortis, moriendo in ea nosque redimendo, in signum vitæ mutavit, implendo id quod Apostolus et docet, et monet nos quoque facere debere, ubi ait : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; cui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut, peccatis mortui, justitiæ vivamus; cujus livore sanati sumus.* Sancti quique a principio mundi paratiores ad benedicendum quam ad maledicendum fuerunt : quo exemplo idem nos facere docuerunt. Quid memorem Isaac Jacob benedicentem? quid ipsum Jacob non solum filios, sed et Pharaonem benedicentem? Moysen duodecim tribus, Simeonem quoque, eum a quo cuncta benedictio venit, Dominum benedicentem; cum legamus etiam alienigenam Balaam timuisse maledicere populum Domini? *Quomodo,* inquit, *maledicam cui benedixit Dominus?* Si bene memini, in sancto Evangelio Dominus ipse soli ficulneæ infructuosæ maledixisse legitur, cum multos et in veteri et in nova lege benedixisse legatur. Quam unam de ficulnea maledictionem cur fecerit, vos me melius nostis. Ecce iste frater, quem tanta animadversione ab omni Christianitatis officio vultis anathemate separare, quanto labore, quanta arte et ingenio ex ultimis Judaici populi favillis, quæ solæ olim salvandæ prænuntiatæ sunt, vix ad fidem collectus sit et Christo copulatus, vos melius nostis : et nunc pro vilissima, imo nulla causa, a corpore Christi (quod absit!) præcidetur! Non ita sanguis Christi vilipendendus est, qui posuit animam suam pro ovibus suis, et pro suo grege mori dignatus est, cui gloria in sæcula.

In calce epistolæ peto cum omni humilitate et subjectione ut gratiam et charitatem vestram nobis concedatis, et sicut fratres et socios, vel (quod malumus) ut servos suscipiatis et teneatis, et, quia infirmi et peccatores sumus, magis nos precibus vestris adjuvetis, ut Christi præsentiam et sanctorum cohabitationem mereamur, quam a tanta gratia ulla maledictione aut anathemate, quod absit! excludamur. Quod si vobis facere, non nostro merito, sed Christi respectu et fraterna charitate placuerit, gratias agimus; sin aliter, id nos nostris peccatis reputabimus, nec tamen de Dei diffisi misericordia, qua plena est terra, precabimur eum qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit, ut sola sua gratia nos recipiat in interna tabernacula.

In fine epistolæ vestræ, ubi ad valetudinem ventum est, diu in verbo valedictionis hæsitastis; postremo cum quadam convenientia, ut dictis, valete illud pereffudistis, quasi cum hæretico vobis esset

Digitized by Google

sermo, de quo fideli præcipitur : *Nolite recipere eum in domo, nec ave ei dixeritis.* Ego valedicturus vobis, in verbo valedictionis nil hæsito; sed, ut fidelis et catholicus Christianus, vobis Patri et domino sinceriter dico. Valete, et verbum Apostoli in corde sæpe, ut facitis, revolvite : *Benedicite persequentibus vos.* Ego autem dico : Benedicite non persequentibus, sed diligentibus vos, benedicite et nolite maledicere. Iterum valete, et si quid in loquendo peccavi, ignoscite, quia in amaritudine cordis locutus sum.

ADNOTATIO.

Tota Joannis expostulatio cum Warino est de repetendo Benedicto Fiscamnensis monacho, qui ex Judæo Christianus, tum Fiscamni monachus effectus, dein transmissus ad Metense Sancti Arnulfi monasterium, ibidem residebat jam a multis annis. Hujus contentionis artifex erat Bernardus quidam, ob id a Warino Doech appellatus : qui ex Sancti Arnulfi monasterio transfuga Fiscamnum sese receperat. Ex Warini autem epistola constat Guillelmum ipsum, qui Fiscamni abbas fuit, etiam Sancti Arnulfi monasterio præfuisse, nimirum post Benedictum Joannis secundi successorem; tum ei successisse Oddonem, cui suffectus Warinus hujus epistolæ auctor. Warino vero subrogatus est Willelmus, qui sequentes epistolas scripsit. Ex quibus corrigendus est vulgatus index abbatum monasterii Sancti Arnulfi. Ad hæc, docet nos Warini epistola, ipsum Gorziæ; Joannem vero Fiscamnensem abbatem Divisionensis monasterii, quod superius notabam, monachum fuisse ante initam præfecturam. Denique Warinus ante monachatum Leodicensis clericus fuit, testante Adelmanno in versibus rhythmicis inferius edendis.

Sequentes epistolas edidit D. Martene Thesauri Anecdotorum tom. I, *col.* 206, 154 *et* 198,

EPISTOLA VI.

JOANNIS ABBATIS FISCAMNENSIS AD MONACHOS DYSCOLOS.

(D. MARTEN *Thesaur. Anecd.*)

Frater JOANNES, Fiscamnensis abbas, fratri M. quondam filio sociisque ejus oculos in capite.

Omissis plurimarum testimoniis sanctarum Scripturarum, quibus proprio arbitrio utentes redarguuntur, ad puram et simplicem beatissimi Patris nostri Benedicti auctoritatem recurramus. Lege inter cætera ubi dicitur (*cap.* 49) : « Quidquid unus quisque offerre vult Deo, abbati suo suggerat, et cum ejus fiat oratione et voluntate, quia quod sine benedictione patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur et vanæ gloriæ, non mercedi. » In capite vero ejusdem sanctæ regulæ, ubi quatuor genera monachorum depingit, primum cœnobitarum, id est præcipuum genus, militans sub regula vel abbate collaudat, secundum, genus anachoretarum, subinfert : « Qui non conversionis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna, didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam, sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. » Audi, frater, et subtiliter intellige, si diuturna probatio vos, et vitiorum excoctio, et abbatis imperium et voluntas vel permissio ad tam egregiam vitam provexit, aut potius propria voluntas illexit. Si autem fabulosum, aut authenticum istud videtur, vos potius judicate; nam recto tramite regiam viam incedere dignum est. Denique si aliqua stimulatio vel transgressio intercurrit, vestræ philosophiæ argumentationi committimus expurgandum : charitas non quærit angulos. Sane non rite discrevit interior oculus vestrorum me sanguinem innocentem fundere, aut crudelem in filiorum nostrorum morte fore. Quis nostrum crudelior existat advertite; scimus namque quia Deus est qui mortificat et vivificat, et quia proprium est sibi peccata dimittere, et quem resuscitat, discipulis præcepit absolvere : verumtamen et hoc rescimus quia, quandiu culpa manet, absolvi quisquam nequaquam valet. Prodigus filius, quandiu in regione longinqua porcos pavit, non pro eo vitulus saginatus occiditur. Cum vero, in se reversus, pœnitentia ductus ad patrem revertitur, non solum pro eo vitulus occiditur, sed stola prima et annulo induitur, et cum grandi honore a patre recipitur. Satis est de hoc dictum sapientibus aut insipientibus, quia his omnibus debitor sum. Adhuc si excellentiorem viam reminisci vultis, audite paulum : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 1). Si gloriamini angelorum lingua loqui per scopum contemplationis, charitatem perdidistis, quod est vinculum perfectionis. Deus charitas est : qui contra charitatem sentit, Deum perdit; qui Deum perdit, nihil habet; qui seipsum odit, alium se fingit amare; ipse seipsum perimit, qui sponte sua obedientiæ jugum refugit; qui obedientiæ derogat, Christo derogat, qui factus est Patri obediens usque ad mortem. In hoc enim fructum obedientiæ perdidistis, cum de sub jugo regulæ collum furtive excussistis : ergo qui contra obedientiam arma librat, contra Christum facit; qui contra Christum facit, Antichristus est. In hoc siquidem luce clarius patet quia non ego effudi sanguinem filiorum nostrorum, sed ipsi filii se peremerunt. Quid plura? ante dies nobis quam testimonia Scripturarum deficient.

EPISTOLA VII.

Joannes abbas Fiscamnensis instituit abbatem in monasterio Blangiacensi.

Ecclesiasticam ordinationem non humani esse judicii, sed divini consilii ipse nobis Dominus noster Jesus Christus evidenter ostendit, qui electos discipulos, oves suas, secundum evangelicam veritatem ostendit, dicens : *Oves meæ vocem meam audiunt et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis* (*Joan.* x, 27). Quibus ad ostendendam salutis viam seipsum pastorem præbuit, quos ante etiam mundi

Digitized by Google

constitutionem divina providentia præscivit, formam boni pastoris in se ostendere volens, quatenus id ardentiori studio imitari suo tempore studerent, quod in suo capite Christo præcessisse cognoscerent. Unde et ipsos quos primos ad hoc ipse elegit, ut doctrinæ suæ in eis fundamenta locaret, vicarios suæ, quam sibi proprio sanguine acquisivit, Ecclesiæ constituit, ut eorum doctrina et exemplo eo libentius adhærerent futuri in regimine ecclesiastico pastores, quo familiarius eos quos imitarentur ex ore cœlestis magistri didicisse sine dubio crederent. Quocirca singulis suis ordinibus sancta Ecclesia auctoritate a Patribus constituta hujusmodi firmatur rectoribus, ne membrorum negligentia id deficiat quod a capite Christo institutum est tanta diligentia. Unde et ego frater Joannes Fiscamnensis cœnobii Pater indignus fratribus hujus loci qui dicitur Blanziacus, precibus venerabilis comitis Rogerii (2) acquiescens, abbatem eligo, et eis charissimum filium nostrum domnum. . . . . Patrem constituo; ea videlicet ratione ut prædictus comes eumdem locum, quem diu destructum atque desolatum pro sua suorumque salute iterum cœpit instaurare, non negligat; sed, quantum, Deo annuente, valuerit, ad laudem Dei nobilitet et componat, et quandiu locus iste duraverit, et Fiscamnense cœnobium a regulari tramite non exorbitaverit, hic quem modo elegimus nullum habeat successorem, nisi quem ex seipsis Fiscamnenses fratres elegerint, juxta canonicam et apostolicam ordinationem. Si autem, quod absit! quod etiam in plerisque locis, proh dolor! accidisse videmus et dolemus, prædictus Fiscamnensis cœnobii locus ab institutis sanctorum Patrum et vita spiritali aliquando ad sæcularia devolvetur, concedimus fratribus hujus loci liberam eligendi sibi Patris facultatem, tantum ut secundum Deum fiat, nec aliquatenus offendat in canonicam auctoritatem.

EPISTOLA VIII.)

AD SANCTUM LEONEM IX PAPAM.

(*Vide in* SANCTO LEONE, *Patrologiæ* t. CXLIII, col. 797.

EPISTOLA IX.

ABBATIS ET MONACHORUM FISCAMNENSIUM AD WILLELMUM REGEM ANGLORUM.

Conqueruntur de illatis sibi a vicecomite de Archis et aliis injuriis.

Domino suo, dulcissimo suo, dilectissimo suo W., gratia Dei Anglorum regi, quem Deus crescat in millibus, et cui sospitatem concedat in diebus pluribus, plebs Fiscamnensis justitiæ bravium extendendo in subditis præeunte Judice justa judicantium.

Si vobis non displiceret, et maxime oneri non esset, ea quæ circa nos sunt infortunia latius patefaceremus in dictamine. Igitur de vestro vicecomite de Archis imprimis reclamamus, quia omnia nostra invadit, confundit, nec ullam justitiam ab eo extorquere valemus: quotidie namque vestros pauperes dilaniat; vestros dico, non nostros, quia abbatia vestra est, et ego solummodo custos existo, nec in manibus meis eam confundere patior. Aut enim ut vestram custodite, aut alterius ditioni subrogate. Exceptis his, multa calumniari compellimur, id est de uno hospite de Ponte-Divæ, Bosone nomine, quem ultra sexaginta annos, sine ulla calumnia, ex toto tenuimus; necnon de terra villæ Amblidæ, quam mulier vestra auctoritate nostro monasterio dedit, acceptis vos a nobis decem libris denariorum, et uno equo centum solidorum, laudatione quoque filii Malgerii. De uno quoque hospite de villa quæ dicitur Luco, quem nobis offert Rodulfus filius Herluini, terram nihilominus quam Wesmannus tenuit, et modo Rogerius de *Loventot* invasam retinet, ut dicit, vestra auctoritate absque ulla justitia. De his ergo et aliis multis, ego et vestri prævendarii quotidie affligimur et ploramus; imo, quia servitia Dei pacifice adimplere nequimus, ista tandem querimonia resolvi optamus a vestra clementia.

Hinc valeas, vigeas, felix per sæcula vivas.

(2) *Diploma Rogerii, comitis de Sancto Paulo, quo abbatiam S. Bertæ Blangiacensis donat monasterio Fiscamnensi.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Rogerius, comes de castro quod dicitur S. Pauli, cum conjuge mea quæ vocatur Haduis, et filiis meis, Manasse videlicet et Rotberto, notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, donum quoddam quod pro redemptione animæ meæ et prædecessorum meorum, conjugis quoque et filiorum meorum, concedo sanctæ et individuæ Trinitati trino et uni Deo, vivo et vero, apud monasterium quod dicitur Fiscamnus, abbatiam videlicet S. Bertæ in loco qui dicitur Blangiacus. Considerans igitur præsentis vitæ varietatem, et hujus volubilis ævi mortalitatem, decrevi de possessione quam mihi Deus omnipotens contulit, ipsum facere consortem et hæredem: nulli siquidem melius delegi partem de toto tribuere, quam illi qui totum quod habeo mihi tradidit gratuita sua bonitate. Nam, sicut ipse in Evangelio clamat quia laudavit Dominus villicum iniquitatis, quod prudenter sibi prospexisset in futurum (*Luc.* XVI, 8); et illud: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41); provocatus his et aliis Dominicis admonitionibus facio, ut prædixi, amicos Fiscamnenses monachos de hæreditate mea, ut, cum defecero, recipiant me in æterna tabernacula. Hujus rei testes sumus, Richardus canonicus, Warinus Trepellus, Guimerus Grossus, Arnulfus Glassellus, Acardus miles, Vitalis marescallus. Ex parte sanctæ Trinitatis, Adelelmus Calvus monachus, Rainaldus monachus, Osmundus monachus, Milo clericus, Tetbaldus laicus, Willelmus de Ingliscavilla, Calvinus, Bernefredus, Rainaldus marescalcus, et alii plures.

Digitized by Google

APPENDIX AD JOANNEM FISCAMNENSEM

PRÆFATIO JOANNIS HOMINIS DEI

In suam de verbis seniorum Collectionem ad juniores informandos.

(D. MARTENE *Thesaur. Anecd.* 1, 163.)

IN CHRISTI NOMINE INCIPIUNT COLLECTIONES PATRIS JOANNIS, COGNOMENTO HOMINIS DEI, DE VERBIS SENIORUM.

Hortatur quidem timidam mentis meæ imperitiam quam sæpe fraterna charitas, ut de vitæ morumque instructione breviter loqui debeam; sed quia tempus est ut, ipso qui inspiravit opitulante, hoc opus aggrediar, necessarium duxi exordium sumere ab illa laudabili virtute quæ dicitur Verecundia; quæ cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus et locis apta, tamen adolescentes et juveniles animos maxime decet. Tres vero virtutes sunt quæ pueris et adolescentibus magis congruunt : verecundia, taciturnitas et obedientia. Non est autem dubium, si has studeant habere, quin possent, Christo duce, ad culmen perfectionemque virtutum ascendere. Morum enim insignia et ornamenta virtutum in illis procul dubio cernimus senibus qui, ab ipso tirocinio primævæ ætatis usque ad perfectum virum disciplinis cœlestibus exercitati, per viam Domini fortiter cucurrerunt. Quorum scilicet sapientia jam tantum viget et lucet, quantum senectus ipsa ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis prudentior. Hæc autem veterum studiorum dulcissimos fructus edit, et alios reficit. Multi namque senes diu viventes et nihil proficientes, quia nullas sibi in opportuno tempore divitias congregarunt, inopes omnium virtutum animos juniorum cum eis viventium reprobæ vitæ morbo inficiunt. Sicut enim per senem vitiosum et fatuum, ita et per adolescentem invercundum et temerarium religio sancta destruitur. Post indoctos malosque prælatos in sancta Ecclesia nulla pestis ad nocendum infirmis valentior invenitur. Denique talium hominum genus ista de quibus Apostolus prædixit tempora, proh dolor! sine numero ferunt, quando omnia ferme quæ bona sunt pessumdari confundique videmus; et quoniam senes in melius mutari ab illa inolita vitiorum consuetudine difficillimum est, debemus adolescentibus manum porrigere; qui si dare operam volunt, omni depulso tepore, possunt utique per gratiam Christi vitam corrigere, mores componere, actusque suos in omnibus meliorare. Idcirco diu est quod desideravi propter juniorum salutem, eorum præcipue cum quibus vivo, ex opusculis Patrum pauca quædam deflorando colligere, A quæ teneræ ætati eorum specialiter videantur consulere. Est enim mihi, fateor, tristitia magna et continuus dolor super cæcitate cordis eorum : quia, cum didicerint in schola Christi qualiter debeant et vitia propulsare, et sanctis virtutibus insudare, heu! rebellionis spiritu armati, tam præcipiti impetu per abrupta vitiorum currunt ad mortem, ut eos antiqua præsidens nullo freno disciplinæ valeat cohibere. Deberent utique in domo Dei ad cultum divini honoris super omnem ornatum tanquam vasa aurea refulgere. Cur autem ab ipsis primis rudimentis infantiæ educati sunt tanta cura tantoque labore, nisi ut fortes in bello facti contra carnem et ejus desideria, contra diabolum et ejus multiplicia tentamenta viriliter pugnent? Sed, quod admirandum B est et dolendum, plus eis quam cæteris gravis et austera videtur disciplinæ regula. Quare hoc? nisi quia sæcularem magis diligunt vitam. Certe vel nullus vel rarus inter eos invenitur, qui libenter sequatur Patris institutum, et majorum vitam diligat, aut quia laboriosus deterret actus, aut quia in lubrica ætate difficilior est abstinentia, aut quia alacri adolescentiæ videtur vita obscurior, et ideo ad ea convertuntur studia quæ plausibiliora arbitrantur. Præsentia quippe plures quam futura præferunt; unde quo præstantior causa, eo debet esse cura attentior. Infelix qui legem vitæ tenet, disciplinæ abjicit, et majorum gubernari magisterio refugit. Iste vero non secundum Deum, sed secundum se vivit : qui si potuerit, est cum quibus vult, pergit C quo vult, dormit quando et quandiu vult, loquitur quæ vult, et ubi vult, manducat et bibit quando et quod vult, et quantum vult, ridet et jocatur inter quos vult, et ubi et quando vult; postremo quidquid naribus suave est, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid cæteris sensibus carnis suæ jucundum exercet ac sequitur. Ille autem qui secundum Deum vivit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod spiritualiter ædificat facit; et quidquid cupit aut agit, non vult ex sua, sed ex Dei voluntate majorumque suorum jussione procedere. Nemo tamen positus vel in adolescentiæ vel intemperantiæ lubrico, de sui conversione desperet. Oleaster enim olivæ insertus, amissa amaritudine, efficitur fructuosus. Si ergo agricultura convertit D stirpium qualitatem, nonne studia doctrinæ et disciplinæ assiduitas mitigare posset quaslibet ægritu-

Digitized by Google

dines passionum. Sed ne puerilis vita variis lapsibus A mancipari virtutibus, quatenus bona consuetudo perdatur, oportet teneros annos præfatis diligenter cum ætate accrescat simul.

CHRONICON FISCAMNENSE

Ab anno Christi primo ad 1220, *cum Appendice Brennacensi ad* 1246, *ex veteribus membranis quæ penes me sunt.*

(R. P. Labbe, *Nova Bibliotheca mss.*, tom. I, pag. 325.)

Anni ab Adam primo homine usque ad Ninum regem, quando natus Abraham, sunt anni 3084, qui ab omnibus historiographis nuncupantur. A Nino sive ab Abraham usque ad Cæsarem Augustum, id est usque ad Nativitatem Christi quæ fuit tempore ejus, pace facta cum Parthis, bellisque toto orbe cessantibus, fuerunt anni 2015, in quibus inter se scriptores artium otia negotiaque triverunt. Anno ab Urbe condita 752, D. N. Virgo beatissima peperit D. N. Jesum Christum, Octaviani Cæsaris 42.

Cætera quæ sequuntur vulgaria sunt, et amanuensis imperiti negligentia ad epochas chronicas vitiosissime illigata, ut sæpe decem, viginti, aut plurium etiam annorum immanibus patachronismis vel metachronismis a recto veritatis tramite aberret. Pauca duntaxat seligam, atque ea præsertim quæ ad Fiscamnenses abbates ac Normanicam historiam spectant, quæ fusius repetas ex Chronico Rotomagensi.

415. His diebus per sanctum Gamalielem Luciano presbytero revelatum est corpus S. Stephani, et per plures ecclesias Occidentis delatæ sunt ejus reliquiæ.

486 (*lege* 496) Baptizatur Clodoveus a B. Remigio Remensi archiepiscopo.

514. Obiit S. Benedictus Pater monachorum.

584. Clotarius filius Chilperici rex est Francorum.

636. (*lege* 646) S. Audoenus ordinatur episcopus.

679. Obiit Theodoricus, succedit Clodoveus.

876. Venit Rollo dux Daniæ in Neustriam cum suis, volens eam sibi acquirere.

898. Obsedit Rollo Carnotum, sed ep. Wasquelinus, Ricardum Burgundiæ ducem et Ebaldum Pictavensem comitem in suum auxilium vocans, camisiam S. Mariæ in manibus ferens fugavit Rollonem.

912. Facta est pax inter Karolum et Rollonem, deditque ei Karolus filiam suam, de qua nullum habuit filium.

918. Obiit Willelmus dux Aquitanorum qui Cluniacum construxit monasterium in honore Petri et Pauli.

943. Willelmus dux Normannorum dolo occiditur ab Arnulfo comite Flandrensi, succedit Ricardus filius ejus.

963. Girardus abbas obiit apud Cluniacum.

998. Obiit Ricardus dux Normannorum, succedit Ricardus filius ejus.

1001. Willermus primus abbas Fiscampi.

1014. (*Scribe* 1024) Obiit Henricus imp., succedit Conradus.

1026. Obiit Ricardus dux Normannorum, succedit frater ejus.

1028. Joannes abbas Fiscampi secundus.

1031. Obiit Robertus rex Francorum, succedit Henricus filius ejus.

1035. Obiit Robertus dux Normannorum, succedit Willelmus filius ejus spurius, qui eo quod esset cognatus regis Eduardi, Angliam acquisivit.

1039. Obiit Conradus imp., succedit Henricus filius ejus.

1056. Incepit locus de Karitate.

1058. Facta est donatio sancti Gabrielis.

1060. Obiit Henricus rex Francorum, succedit Philippus filius ejus.

1064. Cenomanis subjugata est a Normannis.

1067. Willermus dux Norm. rex fit Angliæ occiso Haroldo.

1068. Maurilius arch. Roth. obiit, succedit Joannes.

1078 Obiit Joannes abbas Fiscampi, succedit Willelmus abbas tertius.

1083. Obiit Mathildis regina Anglorum, uxor Willermi regis, filia Balduini comitis Flandriæ.

1087. Obiit Willermus rex qui Angliam acquisivit, succedit Willermus filius ejus.

1090. Venerunt monachi de Karitate....

1093. Constructio Sanctæ Fidei Longævillæ.

1099. Capta est Jerusalem. Obiit Willermus junior, succedit Henricus.

1101. Venit Robertus dux in Angliam, volens eam sibi acquirere.

1105. Dedicatio de Karitate a Paschali papa, VI Idus Martii.

1106. Henricus rex Anglorum cepit Robertum ducem fratrem suum.

1108. Obiit Philippus rex Franciæ, succedit Ludovicus filius ejus.

1116. Willelmus comes Nivernensis captus est.

1120. Redeunte rege Henrico in Angliam, Willermus filius ejus cum electa nobilitate militum submersus est in mari.

1127. Gaufridus comes Andegavensis duxit imperatricem Mathildem.

Digitized by Google

1128. Obiit Willermus Normannus comes Flandriæ, A et Gaufredus Roth. arch., succedit Hugo.

1130. Henricus factus est Wintoniensis episcopus.

1131. Dedicatio ecclesiæ Cluniacensis ab Innocentio papa II.

1133. Natus est Henricus primogenitus Gaufredi comitis et Mathildis imperatricis mense Martio.

1134. Obiit Robertus Cortehuse, frater regis Henrici apud Glocestriam.

1135. Obiit Henricus rex Anglorum, succedit Stephanus nepos ejus.

1137. Obiit Ludovicus rex Francorum, succedit Ludovicus filius ejus.

1139. Mathildis imp. venit in Galliam cum fratre suo Roberto comite Glocestriæ. B

1141. Captus est rex Stephanus IV Kal. Febr., et Kal. Novembris liberatus est per Henricum fratrem suum Wintoniensem episcopum.

1144. Crucifixus est puer quidam a Judæis apud Norvicum.

1147. Obiit Willermus comes Nivernensis.

1151. Obiit Gaufredus comes Andegavensis.

1155. Obiit comes Theobaldus.

1154. Obiit Stephanus rex Anglorum, succedit Henricus filius Matildis imp. filiæ regis Henrici.

1157. Henricus rex duxit exercitum in Gravelinges.

1158. Rex Franciæ dedit filliam suam Henrico filio regis Angliæ.

1159. Henricus rex duxit exercitum ad Tolosam. C

1160. Maria abbatissa, filia regis Stephani, nupsit Matthæo, comiti Boloniæ.

1162. Thomas Cancellarius consecratus est arch. Cantuariensis.

1163. Dominica prima post Pentecosten Turonis concilium celebratur ab Alexandro papa.

1164. S. Thomas subiit exsilium.

1165. Natus est Philippus, filius regis Ludovici.

1167. Matildis, filia regis, nupsit Henrico, duci Saxoniæ.

1169. Fundata est abbatia Sanctæ Mariæ de Wallemont a Nicolao de Stotevilla.

1170. Heinricus primogenitus Heinrici regis coronatus est a Rogerio Eboracensi archiepiscopo.

1171. S. Thomas Cant. arch. migrat ad Christum.

1172. Obiit Heinricus Wintoniensis ep, et rex transfretavit in Hiberniam post festum sancti Michaelis, Nicolai.

1173. Reversus est rex de Hibernia et transfretavit in Normanniam. Dedicatio ecclesiæ de Wallemont.

1174. Rex Scotiæ captus est.

1175. Ludovicus rex et Heinricus Juvenis rex obsederunt Rothomagum cum nobilitate Francorum.

1176. Facta est pax inter regem et filios suos.

1179. Ludovicus rex venit ad S. Thomam, et coronatus est Philippus filius ejus. Fit nova moneta in Anglia.

1180. Obiit Ludovicus, rex Francorum, succedit Philippus filius ejus.

1183. Obiit Juvenis rex Henricus.

1185. Obiit Robertus de Stotevilla.

1188. Discordia inter reges Philippum et Henricum. Cruces pro pace sumpserunt.

1189. Obiit Henricus, succedit Ricardus filius

1190. Rex Philippus et rex Ricardus ierunt Jerusalem cum electa nobilitate militum.

1192. Rediit rex Philippus de Jerusalem et cepit castrum Gizortij, et alia oppida in Normannia.

1193. Captus fuit rex Ricardus in Alemania.

1195. Rediit rex Ricardus liberatus a carcere, et liberavit castra sua in Anglia de manu Joannis fratris sui qui ea tenebat, et fugavit regem Philippum qui intraverat Normanniam. Captus fuit episcopus Belvacensis.

1199. Rex Ricardus occiditur apud Limoziam. Succedit Joannes frater.

1200. Facta est discordia inter reges Philippum et Joannem. Combusta est ecclesia Rothomagensis cum civitate.

1201. Ludovicus filius Philippi regis duxit uxorem pro pace neptem Joannis regis, et fit pax.

1202. Comes Flandriæ Balduinus fecit moram apud Venetias, volens ire Jerusalem. Hic iterum fit guerra inter reges Philippum et Joannem. Capitur Arturus.

1204. Rex Joannes perrexit in Angliam, et rex Philippus intravit Normanniam et reddita est ei.

1207. Rediit rex Joannes in Aquitaniam, et cepit oppida multa.

1209. Ludovicus novus miles. Christiani ierunt contra Albigenses, et præfuit eis.

1214. Vicit Philippus rex Francorum Ferrandum comitem Flandriæ et Othonem qui fuit imperator.

1215. Synodus universalis Romæ sub Innocentio papa.

1220. Translatio sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi Nonis Julii.

D *(Hæc Fiscamni aut apud Wallemontense cœnobium primum exarata delata sunt Brennicum, ubi quæ sequuntur, dubio procul omni descripta sunt diversa prorsus manu a præcedentibus).*

1204. Obiit Agnes comitissa Branæ.

1218. Obiit Robertus comes Drocensis et Branæ, filius Agnetis comitissæ, et succedit Robertus filius ejus.

1223. Philippus, rex Franciæ, obiit; succedit Ludovicus filius.

1226. Ludovicus obiit, succedit Ludovicus, filius ejusdem Ludovici.

1227. Heinricus, filius Roberti comitis Branæ, electus est in arch. Remensem.

1229. Facta est discordia inter reginam et cleri-

Digitized by Google

cos Parisienses, et multi submersi fuerunt in Sequana.

1230. Facta est discordia inter regem Franciæ et Petrum, comitem Britanniæ, et fuit rex cum tota nobilitate Francorum et Britannorum, et iterum facta est pax inter regem et comitem. Eodem anno facta est discordia inter comitem Campaniæ et Philippum comitem Boloniæ, et comitem Robertum, et alios nobiles Franciæ, qui transierunt Matronam, et combusserunt totas villas de Sparnaco, de Virtutibus et de Sesanna, et fugarunt comitem Campaniæ, et in reditu obsederunt castra de.... et de Fimes, et ceperunt ea, et succensa est turris de Fimes.

1233. Obiit Philippus, comes Boloniæ, et in die quadragesimo post comes Robertus, dominus Branæ, obiit, et succedit Joannes filius ejus.

1238. Comes Campaniæ, comes Britanniæ, dux Burgundiæ, et alii nobiles Franciæ ierunt ultra mare contra paganos, et capti fuerunt comes Barri, et comes Montisfortis.

1239. Obiit Henricus de Brana, archiepiscopus Remensis.

1242. Facta est discordia inter regem Franciæ et comitem de Marchia, et rex Franciæ cum maxima nobilitate Francorum ivit in Marchiam, et cepit oppida multa, et iterum facta est pax inter regem et comitem. Eodem anno desponsavit Joannes, comes Branæ, filiam Erchembaldi de Borbonio.

1245. Celebrata est sancta synodus Lugdunensis a Domino Innocentio papa IV, in ecclesia S. Joannis, et Fredericus cassatus, et rex Franciæ cruce signatus.

1246. Translatum est corpus sancti Evodii in monasterio Castri Branæ per venerabiles Patres Suessionensem et Laudunensem episcopos, procurante domno Gerardo abbate dicti loci, in capsam quam fecit idem Girardus fieri, astante plebis multitudine copiosa.

CATALOGUS ABBATUM FISCAMNENSIUM.

Ab anno circiter æræ Christianæ millesimo, ex veteribus schedis exscriptus et deductus ad nostram usque ætatem.

(Labbe. *Biblioth. mss.* I, 328.)

I. Willermus abbas monasterium rexit per annos 29, in eodem sepultus, in capella S. Mariæ Magdalenæ.

II. Joannes Dalye, Italia progenitus, Hierosolymam profectus, ibique diu detentus in carcere, ad monasterium rediit, obiitque anno 51, sepultus in capella B. Joannis Baptistæ.

III. Willermus la Pucelle, Bajocensis diœcesis, Bajocensis archidiaconus, postea Cadomi monachus, tum abbas Fiscamnensis electione Guillelmi regis, maximam ecclesiæ partem complevit: præfuit annis 29, sepultus in capella B. Mariæ Virginis.

IV. Rogerus, apud Argentias ortus in diœcesi Bajocensi, rexit annos 31 monasterium, de prædecessoris sui absentia desolatum, sepultus in capella S. Martini.

V. Henricus de Suilly, ex sorore regis Angliæ Henrici I progenitus, dominus et hæres fuit de Suleyo: moritur anno suæ ordinationis 49, sepultus in capella S. Petri.

VI. Radulfus, ortus apud Argentias in diœcesi Bajocensi, medietatem navis ecclesiæ, et duas turres acervorum construxit; rexit annis 30, sepultus prope altare S. Taurini, sub tumba ærea a solo elevata.

VII. Aigardus, Radulfi nepos et discipulus, in eadem villa progenitus, rexit annos tantum duos et dimidium, sepultus in capella S. Nicolai. Portionem vini tertia parte monachis auxit.

VIII. Ricardus Morin, apud Palues natus in diœcesi Rotomagensi, vir valde simplex, post annos quinque coactus resignavit. Per Romanum nomine legatum post aliquas dissensiones electus est successor. Sepultus est in capella S. Martini.

IX. Guillelmus Vaspail, ex priore S. Audoeni Rotomagensis electus, natus prope Cadomum in villa Ros. Bajocensis diœcesis, vir apprime litteratus, rexit annis 31. Vocatus ad concilium contra Fridericum imperatorem, ab eo cum aliis incarceratus pecuniaque redemptus ad monasterium rediit. Misit Parisius scholasticos bonos et famosos quibus se bene monetalem [præbuit]. Sepultus in capella B. Mariæ versus capellam Sancti Andreæ.

X. Ricardus de Treigoz, apud villam ejus nominis ortus in diœcesi Constantiensi, præfuit annis 26, sepultus in capella B. Mariæ ad sinistram partem.

XI. Guillelmus de Putot, natus apud villam Putot Bajocensis diœcesis, præfuit annis 12; sepultus in capella S. Andreæ versus capellam B. Mariæ.

XII. Thomas, in episcopatu Constantiensi apud S. Benedictum in Umbris natus, primus fuit apud Romanam curiam personaliter confirmatus, licet monasterium Fiscamnense ad eam nullo modo pertineat: rexit annos decem et dimidium; sepultus in capella S. Joannis ad dextram.

XIII. Robertus de Putot, ortus apud Putot in

Digitized by Google

Bajocensi. Floret sub eo monasterium in disciplina religiosa. Præfuit annis 19; sepultus inter capellam S. Andreæ et capellam S. Joannis Baptistæ.

XIV. Petrus Rogerii, de diœcesi Lemovicensi, in sacra pagina solemnis doctor et prædicator valde nominatus, vir sapiens. Post multos annos ad Ecclesiam Attrebatensem translatus, ac paulo post Cenomanensis, tum Rotomagensis creatus episcopus, tandem cardinalis, denique Nonis Maii 1342 pontifex Avenione creatus est, Clemens VI appellatus. Moritur Avenione.

XV. Philippus, natione Burgundus, prior de Longavilla, apostolica auctoritate vocatus, sedit tres menses, benedictione non suscepta mortuus est.

XVI. Robertus de Brechio, Bajocensis diœcesis, de suburbano Brechi, rexit annos duos, menses novem; sepultus ante altare S. Taurini ad lævam prope parietem.

XVII. Guillelmus Bourget, de villa Cadomi, Bajocensis diœcesis, rexit annos duos. Sepultus ante altare S. Taurini ad lævam, prope parietem.

XVIII. Guillelmus Chouquet, de civitate Bajocensi ortus, rexit annos novem. Sepultus ante altare, ubi quotidie celebratur missa matutinalis ad lævam prope parietem.

XIX. Nicolaus de Verneil *alias* de Hauteil, olim abbas S. Medardi Suessionensis, per Clementem VI translatus. Durus in subditos vassallos et monachos, a quibus in Romana curia citatus, resignavit post annos 14 regiminis. Moritur Avenione.

XX. Joannes de Grangia, Lugdunensis diœcesis, de vico Grangia, abbatiam fortificari fecit. Gratiosus regi translatus in episcopatum Ambianensem post annos 15 regiminis; fit cardinalis.

XXI. Philippus du Fossé, rexit annis 9; sepultus ubi quotidie missa matutinalis celebratur, ad dextram partem.

XXII. Petrus Corvesye, natus in episcopatu Rotomagensi, villa Rivilla, millibus quinque distante ab hoc monasterio, rexit annos novem; sepultus est in capella S. Petri ad lævam prope parietem.

XXIII. Estodus de Estoutevilla, in jure canonico doctor egregius, missam clericorum fundavit et choristas, rexit annos 33; sepultus in navi ecclesiæ, humili sepultura contentus.

XXIV. Ægidius de Duremort rexit annis 22.

XXV. Joannes de Hanella annis 25; sepultus in navi ecclesiæ.

XXVI. Joannes Ballue annis 12.

XXVII. Antonius de la Haye, ex regali prosapia, sacræ paginæ professor, rexit annis 10. Cui successit Antonius Ruffi, abbas S. Georgii de Boquervilla, prope Rothomagum, theologiæ professor eruditissimus, a tota communitate, uno excepto, creatus: sed rex Franciæ prævaluit.

XXVIII. Antonius Bouyer abbas, qui, licet natus ex humili loco, abbas fuit S. Audoeni et hujus loci, et archiepiscopus Bituricensis et cardinalis; rexit annis 15.

XXIX. Hadrianus de Boisy rexit annis 5; presbyter cardinalis commendatarius post electos.

XXX. Joannes de Lorraine annis 26, mensibus 8.

XXXI. Carolus de Lorraine, cardinalis.

XXXII. Ludovicus de Lorraine, cardinalis a Guisia.

XXXIII. Franciscus de Joyeuse, cardinalis.

XXXIV. Henricus de Lorraine, archiep. Remensis.

XXXV. Henricus Borbonius, princeps ep. Metensis.

CIRCA EUMDEM ANNUM.

BRUNO

MAGDEBURGENSIS CLERICUS.

IN BRUNONEM

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(Pertz, *Donum. Germ.* Script. tom. V, pag. 327.)

Bruno, natione Saxo, Magdeburgensis Ecclesiæ clero ascriptus (1), familiaris (2) fuit Werinheri archiepiscopi, qui belli inter Heinricum IV regem et principes Saxoniæ exorti una cum Ottone duce præcipuus auctor. a. 1075 cum reliquis principibus sponte sua regi se tradidit, et postquam in patriam redux, a. 1077 Rodulfum Suevorum ducem in regnum elevaverat, a. 1078 ex pugna Melrichestadensi

NOTÆ.

(1) C. 38, 39, 40.

(2) C. 38 et 52.

Digitized by Google

profugus inter rusticorum manus occubuit. Cui anno 1079 Hardwigo archiepiscopo suffecto, Bruno ad Werinherum Merseburgensem episcopum, patroni sui defuncti amicum et in omnibus quæ pro re publica egerat socium, se contulit, et in familiam episcopi receptus (3), domino suo dilectissimo gratum animum ostensurus, anno 1082 (4) quod optimum poterat, librum de bello Saxonum cum Heinrico obtulit. Ejusmodi donum viro quem Thietmari libros manibus trivisse novimus (5) gratum et acceptum fuisse, facile creditur. Bruno « breviter et veraciter sicut ab his qui rebus interfuerant cognoscere poterat » scribendum sibi proposuit (6). Ipse quidem duorum episcoporum, qui magna pars belli erant, consilio opereve (7) adjutor, quæ cum ipsis (8) aliisque non solum Saxonum sed et Heinricianarum partium principibus (9) collocutus compererat, quæve ipse præsens viderat (10) vel in publicis indubitatæ fidei scriptis (11) legerat, memoriæ tradidit. Nec fidei ejus in universum officit, quod patriæ amore et odio servitutis ductus acrius in Heinricum invehitur (12), cum in tanta rerum commotione vir nulli parti addictus vix ac ne vix quidem reperiri potuerit, et noster scelera ab Heinrico juvene (13) perpetrata vel a familiaribus ejus se accepisse profiteatur. Heinrici res cum Gregorio VII non nisi quantum ad bellum Saxonicum faciebant attigit, et summum pontificem patriæ semper posthabuit. Bellum igitur civile, quale nondum compositum Saxonum principibus apparuit, Bruno scribendum sibi proposuit. Eminet liber documentis authenticis insertis, scribendi ratione vivida, aliquoties faceta et jocosa (14), stylo simplici, sententiis rhythmo quodam præditis et haud raro in easdem sonos exeuntibus, et licet adversæ partis scriptoribus Ekkehardo Uraugiensi (15) et aliis minime placere potuerit, apud posteros tamen haud parva auctoritate gavisus esse videtur, cum maxima ejus pars sæculo XII exeunte ab annalista Saxone, et sæculo XVI ineunte ab auctore Chronici Magdeburgensis transcripta sit. Sed unus tantum libri codex exstat, in monasterio Veteris Cellæ sæculo XV exeunte exaratus, unde editiones Freheriana, Struviana et nostra fluxerunt. Servatur hodie.

1.) In bibliotheca universitatis regiæ Lipsiensis numero 1323 insignis, chartaceus in 4°-foll. 2-55 Brunonem, foll. 55-66 quædam ex Platina transcripta, foll. 66-73 excerpta ex Ekkehardo Uraugiensi complexus, hac epigrapha : « Finit de bello Saxonico ; et fine Henrici quarti 19 Julii anni 1500, per fratrem M. S. Tunc priorem. Gratia Deo. » Foll. 74-83 alius codex legendas de S. Antonio exhibet. Scriptor multis compendiis usus, textum in universum qualem repererat fideliter et accurate secutus, nonnulla tamen haud bene intellexisse et in formis nominum propriorum suum potius tempus expressisse videtur. Capitum initium littera rubra indicat ;

1b.) Chronicon Magdeburgense, cujus codex in membrana scriptus anno 1600 a Marquardo Frehero ad Meibomium transmissus (16) et postea tomo II. SS. Germ. Meibomii typis evulgatus est, omnia quæ inde a pagina 288 usque ad p. 319 leguntur, præter 21 lineas paginæ 313 et tres lineas paginæ 314, ex capitibus Brunonis 1-41, 44-47, 52-58, 60-65, 68, 74-102, 117, 121-131, documentis scilicet plurimis prætermissis, petivit. Textus in minimis etiam tam presse ad lectionem codicis 1 accedit, ut non ex eo quidem sed ex communi cum eo fonte fluxisse censendus sit. Sunt enim loci nonnulli, quibus utriusque scriptores idem vocabulum diverse intellexisse et expressisse patet, e. g. cap. 40, ubi Lipsiensis lectio *ymmo* ex Magdeburgensis *nimio* emendanda erat. Cum autem alia in utroque eodem modo peccentur, e. g. cap. 56, ubi uterque ex fonte jam corrupto Ekkiberti marchionis nomen *Erribertum* effert, gratulandum est, quod in textu restituendo ope

2.) Annalistæ Saxonis uti licet. Qui annis 1067-1082 plurima ex Brunonis capitibus 1, 5, 16, 2-15, 17-31, 32, 34, 33-47, 52, 47-51, 53-56, 64, 57, 58, 60-63, 65-68, 70-74, 82-88, 75, 74, 76-78, 80, 79, 81, 89-97, 99-101, 96, 101-103, 76, 77, 104-116, 98, 117-123, 122, 123-131 narrationi inserens, codicis sæculi XI aut XII, quo usus est, lectionem haud raro optimam, nec non et sententias aliquas quæ in codicibus 1 et 1 b. communi fato exciderunt, servavit. Quarum tamen nonnisi eas quas aperte sensus requirebat, quasve minime ex aliis annalistæ fontibus, Ekkehardo præcipue Uraugiensi, cujus pauca nonnunquam verba textui infert, derivatas constabat, in textu recepi. Usus sum codice annalistæ authentico, inter libros bibliothecæ regiæ Parisiensis ex cœnobio S. Germani apportatos

NOTÆ.

(3) Præfatio.

(4) Opus absolvit post d. 26 Decembris anni 1081 (c. 131), superstitibus Werinhero († a. 1101), Burchardo Halberstadensi episcopo (c. 83), († a. 1088), Hermanno rege et Ottone duce (c. 131), quorum ille a. 1087, hic d. 3. Id. Januarii a. 1083 obiit.

(5) SS. III, p. 729.

(6) Præfatio.

(7) C. 52, cf. c. 58.

(8) Cf. cap. 96, « ab ipsius ore non semel audivi. »

(9) C. 13.

(10) E. g. c. 38, 40, 52 fortasse et Werinherum utrumque in itineribus comitatus fuerat, fortasse epistolas eorum nomine scripsit.

(11) C. 42, 48, 49, 51, 59, 65, 66, 67, 69, etc.

(12) Res fere incredibiles de eo referre accusatur; sed nostro quoque tempore res multis incredibiles visas oculis nostris vidimus et auribus nostris audivimus.

(13) Brunonem initio operis de juvene Heinrico scribere patet; unde nonnulla a V. Cl. Stenzel T. II, 55-66, in eum monita diluuntur.

(14) E. g. cap. 75, 77, 83, 96.

(15) Ekkehardus nostrum novisse videtur, sed in Chronico suo a. 1058-1080 res plerumque diversas scribit.

(16) V. Meibomii junioris præfationem.

Digitized by Google

numero 440 signato, cujus lectiones Waitzius noster A rigerem; capitum divisione auctoritate codicis enotavit.

3.) In textu epistolarum Gregorii VII papæ et aliarum restituendo, ad Registrum Gregorii et Pauli Bernriedensis Vitam Gregorii VII recurri, et ex codice Trevirensi finem epistolæ ad Rodulfum regem scriptæ subjeci.

Quibus subsidiis ita usus sum, ut codicem 1, cujus copia mihi a viris doctissimis et de re nostra bene meritis DD. Ernesto G. Gersdorf bibliothecæ universitatis Lipsiensis præfecto, et Gustavo Hænel ejusdem custode, libentissime facta est, fundamenti loco ponerem, et cum in scribendis nominibus propriis (17) tum aliis in locis ubi necesse erat, reliquorum, præcipue annalistæ Saxonis ope, cor-

Lipsiensis instituta.

Prodierat Bruno primum anno 1600 edente Marquardo Freherο, inter SS. Germ. t. I, 99-153; textus est codicis Lipsiensis, sed sæpe haud bene enodatus, et sæpius ex Chronico Magdeburgensi (18) aut ex conjectura probabili correctus. Qua editione a. 1717 repetita, Burcardus Gotthelfius Struvius loca nonnulla adhibito iterum codice Lipsiensi emendavit, alia tamen vitiavit (19). Quarum cum editione nostra collatio, nobis quoque non pauca emendanda relicta fuisse ostendet.

Bruno initium anni a Nativitate Domini computat (20).

BRUNONIS
LIBER DE BELLO SAXONICO.
PROLOGUS SAXONICI BELLI.

Domino suo dilectissimo, nunquam sine pia veneratione nominando, Werinhero [1] sanctæ Merseburgensis Ecclesiæ præsuli venerando, Bruno, licet perexigua suæ tamen familiæ portio, quidquid valet hominis utriusque devotio.

Inter eum qui munus aliquod donat, et eum cui donatur, hæc est observanda ratio ut, cum iste in thesauris nihil pretiosius quod donet invenire valeat, tunc ille munere tali nihil jucundius accipiat. Quod ego considerans, cum paternitati vestræ, cui pro viribus meis imo ultra vires meas semper servire desidero, munus aliquod offerre voluissem, quo fervorem mentis etiam foris alicujus operis attestatione monstrarem, omnibus scriniis mearum facultatum perquisitis, solum litterarum genus inveni, quod et vestræ convenire dignitati et meæ non impar esse putarem devotioni. Hoc enim munus cæteris omnibus, quæ sibi invicem possit benignitas humana largiri, pretiosius æstimo, quia ejus et origo nobilior, et usus excellentior, et ætas probatur esse diuturnior. Aurum namque vel cætera quæ homines præcipua ducunt, de terræ visceribus nata [2] nullum tribuunt animæ profectum, sed fragilitati corporeæ breve subsidium vel etiam luxuriæ præbent turpe servitium, et dum corpora sustentant hominum, effugere proprium non possunt interitum. Quamvis etiam si quieta jaceant, non sint tuta, B dum tinearum morsibus vel scabra rubigine corrosa, diu manere non valeant. Studium vero litterarum a lateris animæ stercoribus [3] ligone rationis effossum, nullum debet corporis imbecillitati servitium, sed eum, cujus industria processit, format et instruit animum, adeo senectutis vel interitus ignarum, ut etiam ea quæ torrente violentia temporis rapiuntur ad interitum, ab ipso temporis impetu litterarum virtus conetur eripere, et semper nova quasi stationaria legentibus ostendere. Igitur bellum quod Heinricus [4] rex cum Saxonibus egit, volo breviter et veraciter scribere, sicut ab his qui rebus intererant potui cognoscere. Quod cum sui magnitudine, tum [5] misericordia Dei, quam in ipso bello experti sumus, est memorabile, sicut in sequentibus, si C quis legere dignabitur, poterit agnoscere. Sic enim in flagello vino severitatis oleum pietatis admiscuit, ut et prophetam vera locutum esse gaudentes agnosceremus : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (*Habac.* III, 2), » et Apostolum : « Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id quod potestis (*I Cor.* X, 13). » Sed priusquam incipiam ipsius belli seriem explicare, oportet me pauca de pueritia vel adolescentia ejusdem Heinrici præmittere, ut dum, qualem vitam puer vel adolescens agebat, lector agnoverit, minus miretur quod intestinum bellum vir factus incœperit. Verum

VARIÆ LECTIONES.

[1] Werinnero 1. [2] *ita edd.* nato 1. [3] secretioribus *ed.* [4] Henricus 1. *nonnunquam.* [5] t. magis m. *ed.*

NOTÆ.

(17) Constanter scribo *Heinricus*, *Adalbertus*, *Werinherus*, *Fridericus*, *Halberstadensis*, ——— *burg*, *Bawarii*, *Boemii*, *Merseburg*, *Magedaburg*, *Babenberg*, *Herimannus*, *Sigefridus*, *Wirtzeburg*, *exsurgo*, *exstirpo*.

(18) cf. e. g. cap. 65. in fine « non juramento, » cap. 40, v. infra.

(19) Ita cap. 40 in Magdeburgensi prato *cervos* pugnantes codicem Lipsiensem secutus scripsit, cum jam Freherus ex Chron. Magdeburgensi recte *corvos* scripsisset, annalistæ quoque Saxoni probatum.

(20) cf. a. 1076-1081, cap. 131.

Digitized by Google

ne hoc opus quilibet in manus accipiens statim velit conspuere, placuit mihi illud vestri nominis prænotatione munire, quatenus dum vestrum nomen pagina prima demonstrat, sequens opus a sputis defendat. Ergo vestra dignitas dignetur illud tanta alacritate suscipere, quanta a me offertur devotione.

SAXONICUM BELLUM INCIPIT.

1. Postquam Heinricus imperator ab hoc seculo felici morte migravit (*an.* 1056), filius ejus Heinricus quartus, infeliciter in hoc seculo relictus vitæ, regnum patris electione communi suscepit. Quod quia adhuc decenter, utpote puerulus quinquennis, gubernare non potuit, ipsum cum regni cura [6] curandum cunctorum jussu principum mater ipsius Agnes venerabilis imperatrix accepit. Sed cum, procedente temporis cursu, puer ætate quidem sed non sapientia vel apud Deum vel apud homines proficeret, matrisque monita regio fastu tumidus [7] jam minus audiret, Anno, Coloniensis præsul venerandus, eum violenter matri eripuit (*an.* 1062 *Mai*), eumque cum omni diligentia, sicut decebat imperatoriam prolem, non tam regi quam regno prospiciens, nutrire curavit. Non enim ignorabat quod rex insipiens perdet populum suum, et civitates [8] habitabuntur per sensus [9] prudentium, nec nesciebat etiam quod, sicut aliquos humili stirpe procreatos virtutes declarant, sic a magnis natos parentibus, si doctrina bonique defecere mores, culpæ dedecorant. Verum postquam ille, puerili simplicitate transcursa, adolescentiam, quæ communis est omnium campus flagitiorum, ingressus, ad bivium Samiæ litteræ pervenit (Horat.), derelicta sublimi semitæ dexterioris angustia, declivem plateæ sinistræ latitudinem, qua incederet, elegit, calleque virtutum penitus abdicato, totis viribus post concupiscentias suas ire disposuit. Quod ut liberius facere potuisset — non enim sub illo magistro sibi licebat quicquid libuit, — prius magisterii illius auctoritatem a se penitus excussit, et qui ad regnum gubernandum fuisset electus, jam se ab aliquo gubernari est dedignatus. Igitur rex ab episcopo manumissus (*an.* 1065, *Mart.* 29), cum sui juris esse cœpisset, tunc patefecit quin [10] viam vitæ sectari decrevisset. Vepres enim libidinum [11], quæ in hac ætate etiam eos fatigant qui eas in se frequentibus jejuniis arefaciunt et assiduis orationibus eradicant, eo fructuosius in eo germinabant, quo eas nec ipse, utpote igne primæ juventutis ardescens et regni luxus deliciis affluens, ab agro sui cordis evellebat, nec eas aliquis ab eo, rege videlicet monitores aspernante, exstirpare [12] ferro correptionis audebat.

2. Erat eodem tempore Bremensis præsul Adalbertus [13], sic typho [14] superbiæ turgidus, ut nec in seculari nobilitate nec in sancta conversatione quemquam putaret sibi æqualem. Ipse cum in aliqua summa festivitate publicam missam rege præsente celebraret, et populo verbum Dei dicturus ex more locum altiorem ascenderet, inter cetera quasi bonos et nobiles in hac terra conquerens defecisse, se solum et regem, se scilicet anteponens regi, dixit de nobilitate remansisse, — cum duo fratres ipsius iisdem parentibus nati [15] starent præsentes, — et quamvis apostolorum principis, fratris sui, Petri nomen non haberet, se tamen eandem quam Petrus habere potestatem, vel etiam majorem, quia Dominum suum non, ut Petrus, umquam negasset.

3. Ipse cuidam in suo episcopatu abbatissæ [16], quæ nescio quid [17] in eum peccaverat, præcepit per obedientiam ut intra dies quindecim hanc præsentem relinqueret vitam. Et quia ipsa tunc ægrotabat, ille vanus suum in ea præceptum impleri posse sperabat, et si casu moreretur, mortuam suo jussu volebat ut crederetur. Die vero 15 illa, jam sanitate recuperata, misit episcopo legatum, nescio pro qua causa. Quem [18] ut ille de longe adventantem vidit, sibi assidentibus lætabundus dixit : *Numquid mea potestas minor in ista, quam fratris mei Petri fuit in Saphira? Ecce ista misera est mortua, auctoritate jubente mea!* Sed postquam, nuntio propius accedente, vivere eam et ab infirmitate convaluisse cognovit, a superbia sua valde confusus obticuit.

4. Aliquando cum, sicut solebat, in curia regis esset, et mensam regis cottidie delicatioribus quam ipse rex epulis oneraret, quadam die cunctis ad cibum pertinentibus præ nimio luxu consumptis, dapifer ejus nichil habebat quod tum [19] ex consuetudine sua venustum ipsique regi comedendum, mensæ regis imponeret [20]; sed nec erat pretium quo cibum emeret pretiosum, quia in similem usum totum consumpserat argentum. Quod cum episcopus non ignoraret, die illa latitabat, ne eum dapifer invenire potuisset, volens ut ille per suam industriam quolibet modo perquireret quod ad mensam sibi decenter apponeret. Sed ille postquam dominum suum diu quæsitum tandem in capella quadam, quo confugerat, esse cognovit, ad hostium capellæ confidentius pulsans, se intromitti postulavit. Cujus vocem ut episcopus agnovit, subito se in terram quasi in orationem prostravit. Ille ingressus, ut eum jacentem conspexit, et eum nec tussi nec screatu erigere potuit, tandem sese juxta episcopum velut simul oraturus extendit, et ei in auriculam loquens : « Orate,

VARIÆ LECTIONES.

[6] causa *ed.* [7] faustu tumultus 1. [8] civitate 1. [9] ss, 1. [10] *ita corrigo; cf. cap.* 11. qa 1. quam *edd. sed* via vitæ *est* via salutis. [11] lividinum 1. [12] extirpare 1. [13] *ita, vel* adelbertus 1. [14] typo 1. 1b. [15] orti 2. [16] abatisse 1. [17] quia 1. [18] Quam 1. [19] *ita emendandum esse videtur.* cum 1. *deest* 1b. [20] imponerent 1.

Digitized by Google

dixit, ut vobis hodie sit quod manducetis; quia nondum quicquam, quod honeste super mensam vestram ponatur, habetis. » Episcopus velut ab extasi repente expergefactus : « Quid, ait, stultissime, fecisti, qui me a colloquio Dei temerarius abstulisti? Si, quod frater Transmandus [21] videre meruit, tu vidisses, numquam michi posito in orationibus appropinquasses. » Ille autem in præsens aderat, et quia talia videbat episcopo placere, angelos cum eo loquentes in oratione se jam dudum dixerat vidisse. Erat autem ipse pictor ab Italia.

5. Hic igitur episcopus ubi regem velut infrenem equum per abrupta flagitiorum ruere vidit, ejus se lateri familiariter adjungere quæsivit : non ut vitiorum spinas, quæ fuerant ortæ, manu severæ auctoritatis radicitus erueret, et virtutum semina episcopali prædicatione plantaret, sed ut germina vitiorum adulationis aqua rigaret, et si quæ virtutum fruges emergerent, amaritudine perversi dogmatis enecaret. Neque enim ut ante, dum perpetratis facinoribus caveret, cum Tobia dicebat : « Attende tibi ab omni fornicatione, et omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat; » nec ut perpetrata lacrimis pœnitentiæ lavaret, cum Nathan sub velamento parabolæ ferrum increpationis portavit, quo ulcere mentis repente percusso conscientiæ virus effluueret; sed velut apostolicum dabat ei præceptum : « Fac omnia quæ placent animæ tuæ; hoc solum observans, ut in die tuæ mortis in recta fide inveniaris; » cum Scriptura dicat : « Post concupiscentias tuas non eas, » et rursum : « Non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. » Ille vero ita docebat, quasi sit in hominis potestate, in una hora mutare vitam suam, cum proverbium sit : « Adolescens juxta viam suam etiam quum senuerit, non recedet ab ea, » et : « Odorem quem semel imbiberit recens testa, diu servabit (Horat.). » Hac igitur episcopi non episcopali doctrina rex in nequitia confortatus, ivit per libidinum [22] præcipitia, sicut equus et mulus quibus non est intellectus; et qui multorum rex erat populorum, thronum posuit in se libidini, cunctorum reginæ vitiorum.

6. Binas vel ternas simul concubinas habebat; nec his contentus, cujuscumque filiam vel uxorem juvenem et formosam audierat, si seduci non poterat, sibi violenter adduci præcipiebat. Aliquando etiam ipse uno sive duobus comitatus, ubi tales esse cognoverat, in nocte pergebat; et aliquando voti sui mali compos efficitur, aliquando vero vix effugiebat, ne a parentibus amatæ sive marito occideretur. Uxorem suam, quam nobilem et pulcram suasionibus principum invitus duxerat, sic exosam habebat, ut post nuptias celebratas eam sponte sua numquam videret (21), quia [23] et ipsas nuptias non sponte sua celebraverat. Ergo multis modis eam a se separare quærebat, ut tunc quasi licenter illicita faceret, cum hoc, quod licebat, conjugium non haberet.

7. Denique cuidam de suis familiaribus, ut peteret reginæ concubitum, præcepit, magnumque ei præmium, si potiretur eo, promisit, quod inde illam non negaturam sperabat, quia juvencula, virum experta, jam quasi deserta vivebat. Regina vero sub femineo corpore cor habens virile, statim de quo fonte consilium hoc emanaret intellexit. Et primo quidem velut indignata negavit; sed sicut ille pertinaciter, sicut prædoctus erat, instaret, quod rogabatur, ore tantum promisit. Ille gratulabundus rem regi nuntiat, et horam qua perficienda esset indicat. Rex vero lætus ad cubiculum reginæ simul cum adultero pergit, ut dum eos pariter commisceri ipse videret, eam a suo conjugio legaliter abjiceret, vel etiam, quod magis volebat, occideret. Sed cum adulter ad hostium reginæ pulsaret, et hoc illa velociter [24] aperiret, rex timens, ne, illo prius intro misso, ipse excluderetur, ostium concitus irrupit. Quem regina agnoscens, adultero foris relicto, januam citissime clausit, et suis virginibus convocatis, eum scamnis et baculis, quæ arma ad hoc collegerat [25], in tantum verberavit, ut eum semianimem relinqueret : « Fili meretricis, inquit [26], unde tibi hæc audacia, ut [27] reginæ, quæ fortissimum habet maritum, sperares adulteria? » Ille clamat se esse Heinricum, se esse ipsius maritum, se voluisse legitimum ejus concubitum. Illa reclamat, hunc non esse maritum, qui furtivum quæsisset adulterium; si maritus esset, cur non aperte ad suum thorum accederet? Itaque pene usque ad mortem percussum de cubiculo ejecit, ostioque clauso lectum suum petivit. Ille quid sibi accidisset, nulli ausus est confiteri; sed ægritudinem aliam simulans, integrum fere mensem jacuit in suo cubili. Illa enim non capiti, non ventri pepercerat, sed totum corpus integra cute contuderat. Qui postquam convaluit, quamvis acriter correptus, antiqua flagitia sua non deseruit.

8. Si qua coram eo querelam de qualibet injuria fecisset, et ab ejus regia potestate sibi justitiam fieri postulasset, si illius insaniæ ætas ejus et [28] forma placebat, pro justitia, quam petebat, injustitiam multiplicem reportabat. Nam postquam ipse in ea quamdiu placuit libidinem suam implevit, alicui de famulis suis eam velut uxorem dedit. Ita nobiles in hac terra mulieres, ipse prius eis turpiter abusus, servili conjugio turpius dehonestavit. Hæc omnia vidit ille falsus et fallens episcopus [29]; vidit, neque prohi-

VARIÆ LECTIONES.

[21] *ita* 1. 1b. trosmandus 2. [22] lividinum 1. *sæpius*. [23] Quia 1. [24] volociter 1. [25] colligerat 1. [26] *it* 2. *deest* 1. inquiens 1b. [27] ut r. q. f. h. m. s. a. *desunt* 1. 1b. *addit ea* 2. [28] vel 2. [29] e. Adelbertus 1b. 2.

NOTÆ.

(21) Anno demum 1071 filium ex ea tulit.

Digitized by Google

buit; immo sua doctrina eum, quo sine timore vel pudore talia faceret, velud adhortando confortavit. Stultum namque dixit esse, si non in omnibus satisfaceret suæ desideriis adolescentiæ.

9. Multa et magna in hoc genere ejus flagitia sponte prætereo, quia ad alia alterius generis ipsius scelera festino; hoc tantum hic ultimum locum teneat, quod in eo justus judex inultum non relinquat [30], ignominia videlicet quam sorori suæ fecit (22), quod eam manibus suis depressam tenuit, donec alius ex ipsius jussu coactus fratre præsente cum ea concubuit; cui non profuit quod imperatoris filia, quod ipsius ex [31] utroque parente soror unica, quod sacro capitis velamine Christo fuerat desponsata.

10. Sed quia nefanda stupra nefandiora generare solent homicidia, sicut ille non unam Bathsebam [32] libidinosus stupravit, ita non unum Uriam crudelis interfecit. Tot enim in homicidiis inmania perpetravit facinora, ut dubium sit quæ major sit ejus infamia, libidinis incestæ an crudelitatis inmensæ. Omnibus erat horribiliter crudelis, sed nullis ita ut familiarissimis suis. Qui omnium particeps erat secretorum ejus, et conscius vel adjutor flagitiorum sive facinorum, dum securus sui de aliorum morte tractanti favebat, coactus est mortem pati, quam non timebat. Et hoc pro qua culpa? Quia unum contra ejus voluntatem dixit verbum, vel tacens, aliquod ejus consilium sibi non placere, gestu quolibet ostendit. Multos namque consiliarios habebat, sed nullus ei dare consilium audebat, nisi quod ipsi placeret. Si quis vel inscius aliquid quod nollet ei consulebat, delictum quod ignoranter egerat, sui sanguinis effusione luebat. Nec alicui suam demonstrabat iram, donec incauto faceret auferri vitam.

11. Quidam de secretariis suis nomine Conradus, — juvenis nobilitate et moribus insignis, si hoc solum ei Deus dedisset, ut consiliarius regis numquam fuisset — hic erat quadam die Goslariæ, certus se tam bene gratiam regis habere, sicut tunc cum eam habebat optime. Rex autem erat in Hertesburg [33] castello, quo, præter [34] eos qui facinorum ipsius erant conscii et fautores, nullus nisi nomine vocatus ascendebat. Mittit igitur rex Goslariam, jubens ut Conradus ad se citissime veniat, et nullum præter armigerum suum, qui se comitetur assumat. Ille se putans ad aliquod consilium, cui nulli præter se liceret adesse, vocari, ut fidem suam majorem ostenderet, etiam plus quam jussus fuisset fecit, et ipse suus armiger factus, cunctis incomitatus equitavit. Ergo veniens in silvam, vidit insidias, nec credidit eas sibi paratas; tamen quia, utpote solus, tantam multitudinem timuit, ecclesiam quæ prope erat celeriter petivit. Burchardus Misnensis præfectus, hujus latrocinii [35] ductor nequissimus, ad ecclesiam sequitur, eique, si velit egredi, quod nichil mali patiatur in sua fide pollicetur. Ille quamvis ei nullam fidem haberet, tamen sciens quod, si sponte non exiret, ecclesiæ non parcerent, exivit ejusque se fidei commendavit. Quem ducentes in solitudinem, sicut erant jussi, crudeliter interfecerunt; et nec in ipsa morte ei, quare moreretur, indicaverunt. Nec umquam vere cognovit aliquis quare fuisset occisus, nisi quidam mussitabant [36] quod illi rex imponeret, quia cum quadam concubina sua jacuisset. Sed rex, ut suspicionem mortis ejus a se tolleret, auctores ejusdem mortis, quos latitare ad horam jusserat, persequi ab omnibus amicis suis imperat; et illum sepeliri in loco fecit honorabili, ipseque ejus sepulturæ tristis interfuit, et ut ad omnia simulanda doctus erat, non parum lacrimarum fudit. Sed nulli, quin esset, sicut erat, præcepto regis occisus, credibile fuit.

12. Fama fuit quod quendam de familiaribus adolescentem nobilissimum sua manu, dum quasi jocaretur, interfecerit; et, eo furtim sepulto, in crastino quasi pœnitens ad suum magistrum Adalbertum episcopum venerit, et ab eo sine ulla satisfactione indulgentiam perceperit [37]. Sed quia hujus rei veritatem michi non contigit agnoscere, placuit michi eam inter ambigua relinquere, quamvis pene omnibus versaretur in ore.

13. Novi autem quemdam de familiaribus regis, qui aliquando de curia venit ad fratrem suum, — frater autem ille episcopus erat [38] — et quasi jactando fratri suo narrabat quod nullus esset in curia qui magis quam ipse esset in regis gratia. Quod cum frater ejus episcopus libenter audiret, eumque diligenter ammoneret ut gratiam regis omnibus modis servare quæreret, quia et ipsi honestum et omnibus suis utile esset: «Facerem, dixit ille, si simul cum gratia terreni regis possem tenere gratiam cœlestis. Sed veraciter, inquit, agnovi quod, si quis hujus regis familiariter habet gratiam, habere non poterit æternam vitam.» Igitur paulatim se sicut prudens a curia subtrahebat, et jam minus et minus ad secreta regis accedebat, et nec omnino aberat, nec sicut erat solitus frequens aderat. Quem ubi rex minus assiduum vidit in suo servitio, causam quare faceret non inquirit, nec ei quicquam malæ voluntatis ostendit; sed suo jam volens parcere ferro, quærebat eum perdere ense alieno. Itaque, pro qua causa ficta vel vera nescio, misit eum ad regem Rusciæ [39]. Quam legationem ille libenter accepit, primum quia per hoc quasi pro-

VARIÆ LECTIONES.

[30] reliquat 1[b]. relinquet 2. [31] *deest* 1. 1[b]. [32] Bersabe 1. *et edd.* [33] hertesburck 1. hertesburh 2. [34] propter 1. præter 1[b]. 2. [35] latrocii 1. [36] musitabant 1. [37] pepercit 1. [38] Frater archiepiscopi ejusdem, Fridericus palatinus comes fratri jactans aliquando narrabat *etc.* 2. [39] *ita* 2. ruciæ 1.

NOTÆ.

(22) Idem Saxonum legati apud Lambertum p. 198 innuere videntur.

Digitized by Google

bavit se a gratia regis non abesse, cui secreta non dubitaret ut antèa credere; deinde quia speravit se legationis hujus labore meriturum ut, legatione prospere peracta reversus, non parvum a rege deberet accipere beneficium; nec hæc etiam minima fuit causa, quia libenter aberat a curia. Igitur perrexit, nec adhuc quid de se dispositum fuisset intellexit. Post aliquot vero dies, cum vespere declinasset in diversorium, jubet sibi bonum parari convivium. Cumque jam comites ejus aliquantum bibissent, exilivit Sclavus quidam, vilis persona, et: « Nescio, dixit, quid est quod ego porto, quod episcopus[40] Eppo michi dedit, et ut regi, ad quem missus vadis, darem præcepit. » Quod cum sibi ille monstrari rogaret, protulit Sclavus epistolam regis imagine sigillatam. Ille nil moratus sigillum fregit, clericum suum, quid illæ litteræ vellent, exponere sibi præcepit. Clericus legit, et exposuit; hic autem sensus erat in litteris: « Scias in hoc te maxime, qualis amicus michi sis, posse monstrare, si hoc effeceris ut iste meus nuntius numquam in meum regnum possit remeare; quod utrum[41] æterno carcere vel potius effigias morte, nichil puta differre. » Litteris itaque consumptis igni ipse lætus iter suum peregit, legationem prudenter implevit, non parvo munere donatus rediit, domino suo regi regalia dona portavit.

14. De quodam intimo ipsius consiliario, cujus vocabulum sicut aliorum multorum sponte præterco, rem comperi, quam idcirco hic placuit inseri, quia duo non minima continet in se regis vitia, quæ sunt videlicet crudelitas et luxuria. Hic cum non esset ortus a Saxonia, duxit uxorem natam de Saxonia, virginem tam formosam corpore quam et nobilem genere. Rex ipse eam illi a parentibus ejus impetravit, rex ipse nuptiis interfuit, sed dubium utrum magis pro sponsi honore vel[42] pro amore sponsæ. Nondum illa desponsatæ[43] virginalis pudicitiæ[44] pudorem deposuit, cum rex omni pudore deposito, ut eam sibi ad lectum suum mitteret, ipsum sponsum petivit. « Cum nec ullam rem, dixit ille, nec ipsam vitam vobis unquam velim negare, hæc sola res est quam nec vos decet a me petere, nec ego vobis possum concedere. » Rex, magnus dissimulator, dolorem quem[45] in corde magnum habuit, nec vultu nec verbis ostendit. Post non multos autem dies, cum ille jam securus nichil sibi timeret, rex fere media nocte misit ad eum, præcipiens ut solus ad se veniret. Ille quamvis, more regis cognito, certus esset quod in ipsa nocte mori debuisset, tamen, quo jubebatur, ivit; sed prius loricam triplicem subtus tunicam induit. Cumque ad vestibulum cubilis regii venisset, ecce duo gladii ad duo latera ejus affixi, in mediis ejus visceribus sibi obviarent nisi eos thoracis fortitudo repulisset. Ille tamen ad regem pervenit, et ei qualiter ante cubile ejus susceptus esset indicavit. Cui rex præcepit ut, si deinceps vivere vellet, hoc ab eo nullus umquam sciret.

15. Omnibus his malis hoc malum superaddidit, quod ceteris omnibus malis, et antiquis firmamentum quo vigerent, et novis quo surgerent initium, dedit. Episcopos enim non pro qualitate meritorum secundum canonum decreta constituit, sed si quis majorem pecuniam dedit, vel ipse major ejus flagitiorum adulator exstitit, hic dignior quolibet episcopatu fuit. Cumque alicui sic episcopatum dedisset, si ei alius plus daret, vel ejus magis facinora laudaret, illum priorem quasi Symoniacum fecit deponi, et istum secundum quasi sanctum in eodem loco consecrari. Unde contigit ut multæ civitates in illis temporibus duos episcopos simul haberent, quorum neuter episcopi vocabulo dignus esset. Bavenbergensem[46] episcopatum, tam rebus exterius divitem quam sapientibus personis intus venerabilem, cuidam mangoni dedit, immo pro inæstimabili pecunia vendidit, qui melius sciebat nummos monetæ cujuslibet æstimare, quam textum cujuslibet libri, ne dicam intelligere vel exponere, saltem regulariter pronuntiare. Qui tum in sacro officio vigiliæ paschalis primam ex more lectionem coram sapientibus clericis pronuntiavit: « Terra autem erat inanis et vacca! » Ipse nimirum, licet bipes, vacca bruta et omni probitate vacua! Ipse tamen, quamvis nec suo nec ecclesiæ, quam ipse quasi regendam acceperat, auro parceret ut gratiam regis obtineret, ipso rege consiliante deponitur, et episcopatus alii datur, non qui vita et sapientia sit episcopatu dignior, sed qui regis flagitiorum major in omnibus fuisset assentator.

16. Inter hæc omnia jam abeunte adolescentia, mox ut Adalbertum Bremensem episcopum nactus est consiliarium, ipsius suasionibus cœpit in desertis[47] locis altos et natura munitos montes quærere, et in his hujusmodi castella fabricare, quæ si in locis competentibus starent, ingens regno firmamentum simul et ornamentum[48] forent. Quorum primum et maximum Hartesburg appellavit: quod ita forti muro et turribus et portis exterius munivit, ita regalibus ædificiis intus adornavit, tale monasterium in ipso construxit, tales ornatus in ipso monasterio collocavit, tales et tot clericos illuc undique congregavit, uti[49] aliquot episcopales locos[50] omni suo apparatu æquipararet[51], aliquot etiam transcenderet. Quicquid ornatus ecclesiastici quemlibet episcopum magis decorum videbat habere, sive præcepto sive precibus acceptum, suo monasterio studebat conferre. Cetera vero castella non tam

VARIÆ LECTIONES.

[40] c. Cicensis Eppo 2. [41] *ita ed.* q vre 1. [42] an 1[b]. [43] desposite 1. [44] pudicie 1. [45] quam 1. [46] Bauenburgensem 1. [47] *it* 1, 2. [48] ornatum 1. [49] *ita edd.* ut 2 ubi 1. [50] loco 1. [51] equipperaret 1 equiperaret 2.

Digitized by Google

pulcra quam fortia esse laborabat. Beatus et valde beatus esset, si munitiones easdem contra paganos erexisset. Nam ipsi jam dudum aut omnes fuissent christiani, aut christianis principibus in perpetuum tributarii. Sed hæc castellorum diversis in locis constructio[52] primo nostratibus puerilis[53] ludus videbatur, quia nondum ejus intentio mala cognoscebatur. Et non solum ea fieri, nichil adhuc periculi timentes, cum jam possent, non prohibebant, verum etiam ex hoc eum fore contra nationes exteras bellicosum quasi divinantes, ad ipsas ædificationes eum vel opibus vel operibus adjuvabant. Postquam vero præsidia in ipsis castellis collocata cœperunt in circuitu suo[54] prædationes agere, non suos labores in suos usus comportare, liberos homines ad opus servile compellere, filias vel uxores alienas ludibrio habere : tunc primum, quid illa castella portenderent, intellexerunt, nec tamen adhuc resistere vel se defendere præsumpserunt. Tantum illi qui lædebantur, querelas occulte faciebant apud illos qui, longius a castellis remoti[55], nichil adhuc mali patiebantur. Illæsi vero dum læsis auxilium ferre negligebant, tyrannidi vires in se ipsos tribuebant. Nam ab agricolis ad militares, a terræ fructibus ad libertatem adimendam ascendit ; et Fridericum de Monte, qui inter liberos homines vel[56] nobiles eximius habebatur, famulum suum esse rex asseruit; Wilhelmum[57] quoque, qui propter nimium cultum sui rex de Lotheslovo[58] (23) appellabatur, tanta crudelitate persequitur, quia multa ei erant prædia, sed non multa sapientia, ut propter hos duos ab omni Saxonia præcipue facta sit adversus regem conjuratio, quamvis ab ipsis duobus pessima reddita sit retributio. Nam postquam Saxones omnes manifestum jam contra regem bellum cœperunt, illi duo fidei juratæ obliti, primi relicta patria transfugæ viles ad hostes defecerunt. Hoc vero postea patebit.

17. Gens vero Suevorum, audita Saxonum calamitate, clam legatos suos ad illos misit, et fœdus cum eis fecit, ut neuter populus ad alterius oppressionem regi ferret auxilium. Volebat enim rex etiam Suevos violenter opprimere, et ut sibi de prædiis suis redderent tributa compellere. Quod fœdus Saxones si fideliter servassent, et ab infamia[59] perfidiæ et a magna parte calamitatis liberi fuissent.

18. Sigifridus[60] Magontinæ sedis archipræsul, Werinhero[61] Magedaburgensi et Burchardo Halberstadensi[62] episcopis litteras querimonia plenas misit, quod rex in episcopatu suo loca prædationibus faciendis apta elegisset, positisque inibi castellis et præsidiis, multa mala rebus suæ ecclesiæ faceret. Rogavit etiam in eisdem litteris quatenus se cum Annone Coloniensi archiepiscopo fidelissimo fœdere conjungerent; non quod qualibet inimicitia dissilirent, sed quia non talis amicitia eos fideliter adunaret, ut uterque alteri secreta sua credere, sicut vellet, auderet. Hoc autem omni regno fore necessarium; quia si illi duo, qui majores erant in regno, fideliter in unum convenirent, in multa securitate totum regnum constituere potuissent. Hoc autem illos duos episcopos eo facile efficere posse, quo alter eorum, scilicet Magedaburgensis esset frater, alter vero consobrinus superius nominati Coloniensis archiepiscopi. Eandem querimoniam fecerunt ad invicem omnes pene regni Theutonici principes; sed tamen palam nullus audebat fateri, tanto rex erat omnibus terrori. Sic quamvis soli Saxones hoc aperte viderentur incipere bellum, tamen non ipsorum sojummodo consilio fuit inceptum. Qui cum tot et tantas calamitates et contumelias singuli paterentur, dum quisque suum tantummodo vulnus dolebat, et intactus adhuc vulnerato non condolebat, communi malo non resistebant communi consilio. Rex universale dampnum disponebat, et ad hoc quælibet impedimenta repellebat, et auxilia, quibus sua mala voluntas impleretur, undecumque quærebat; illi vero putantes speciale malum, contra communem perniciem nulla defensionis instrumenta parabant. Ille, quo facilius cunctos ut volebat opprimeret, prius illos in quibus eorum virtus maxime stabat, singulos labefactare temptabat.

19. (*An.* 1070.) Ottonem denique, virum prudentem et fortem, qui natus[63] e Saxonia dux erat in Bawaria, omni calliditate[64] deponere quærebat, quia illum cum omnibus Bawariis[65] Saxones adjuturum non dubitabat. Ergo quendam nomine Einnonem[66], præter audaciam nichil virtutis habentem, pretio conduxit et promissionibus sollicitavit, ut ducem de regis morte secum tractasse diceret, et hoc[67] se, si negaret, singulari bello probaturum promitteret. Ita[68] certaminis illius constituto die, Otto ab amicis suis episcopis et aliis principibus præmonetur quod, si Goslariam veniret, ubi duellum fieri debebat, etiamsi adversarium suum vinceret, tamen inde cum vita non rediret. Elegit ergo honore suo potius injuste privari, quam tale judicium subire, ubi sciebat ipsi justitiæ violentiam fieri. Igitur ad sua recessit, et associato sibi Magno, duce Saxoniæ, per duos fere annos cum rege bellum crudele gessit (*an.* 1071). Deinde consiliis amicorum coacti, cum se regiæ traderent potestati, rex Magnum ducem in carcere suo per integrum biennium tenuit, ita ut nullus in hoc tempore sciret utrum viveret vel ubi esset.

VARIÆ LECTIONES.

[52] constructo 1. [53] puerilis 1. [54] sui 2. [55] *ita* 2 semoti 1. [56] et 2. [57] *ita* 2 Wilhelmum 1. [58] lutisleue 2. [59] infancie 1. [60] Sigefridus 2. [61] wernero 1. *nonnunquam*. [62] *ita* 2. halberstatensi 1. *constanter*. [63] n. de Northeim a Saxonia 1b. [64] caliditate 1. [65] *ita* 2 bawaris 1. [66] einnomen 1. [67] *deest* 1. [68] itaque 1b.

NOTÆ.

(23) Id est de amore Lothi, qui filias suas amaverat.

Digitized by Google

20. Postea legatos ad regem Danorum misit ultra mare (*An.* 1073), eumque sibi ad Bardanwich rogavit occurrere, quo et ipse cum paucis perrexit, cum nulla fama testetur quod ante eum ullus rex in illas partes pervenerit (24). Regem illum ibi obvium habuit, cum eo secretum colloquium fecit, cui colloquio præter episcopum Adalbertum et unum de regiis consiliatoribus nullus interfuit. Ipsum tamen colloquium non diu latuit, quia ille qui cum episcopo solus aderat, cum consilium quod ibi fecerunt prohibere non posset, illud quod poterat effecit, quod principes Saxoniæ, quorum intererat, ipsum consilium non lateret. Rex enim Danorum regi Heinrico juravit ut ei contra omnes hostes suos, et nominatim contra Saxones, quantum posset terra marique auxilium ferret; et rex Heinricus illi promisit ut ei cunctas regiones suo regno contiguas in proprium daret.

21. Igitur illo colloquio finito et Danorum rege reverso, rex Heinricus [69] castellum Liuniburg, quod ibi prope erat, consideravit; cujus munitione perspecta, in ejus cupiditatem suo more vehementer exarsit, quasi si illud in sua potestate teneret, nullus in illis partibus sibi resistere potuisset. Illud autem castellum Magni ducis parentum semper fuerat, et ad ipsum suumque patruum Herimannum tunc hereditario jure pervenerat. Ex paucis ergo quos habebat secum, fidelissimos septuaginta [70] fere dimisit in illo castello, qui etiam ipsum totamque regionem circa compellerent regio parere serviliter imperio. Sed his temere ingressis, Herimannus, dum rex e finibus suis fuisset egressus, expectat [71], et mox ipsum castellum cum multa virtute circumdat. Illi quid facerent? Castellum quidem forte et cunctis nisi soli fami insuperabile, sed præter paucos panes, quos discedentes monachi reliquerant nichil quod manducari posset habebat, et fames eos castellum relinquere jubebat, sed obvia ferri virtus eos exire non sinebat. Paucis autem non erat tutum cum exercitu venire in prœlium. Deditionem ergo comiti Herimanno offerebant; sed ille, nisi Magnus dux, filius fratris sui, rediret, nullum istorum abiturum dicebat. Quo comperto, rex multas angustias habuit, nec, quid sibi fuisset utile, facile excogitare potuit. Illos obsessos per vim liberare non potuit, quia de Saxonibus, quos offensos habebat, exercitum congregare non credidit; de gentibus vero aliis suæ ditioni subjectis eam multitudinem, cui illuc ire tutum esset, non habuit. Ducem reddere noluit, quia dum illum in vinculis tenebat, securus a bello Saxoniæ fuit. Solus enim timor ne ille occideretur fecit ut, tot injuriis acceptis, bellum non inciperetur. Tot autem fidelissimos suos, inter quos etiam erant qui nobiles cognatos habebant et fortes, si perire dimitteret, nullum ultra fidelem sibi inveniret, et tutum tempus ab eorum propinquis nullum haberet. Reddidit ergo Magnum ducem, et suorum fidelium recepit multitudinem. Inde natum proverbium per totam Saxoniam divulgatur: quod unus Saxo septuaginta Suevis ematur, vel septuaginta Suevi uno Saxone redimantur.

22. De reditu ducis Magni quanta fuissent omni Saxoniæ gaudia, Tulliana non posset explicare facundia: non magis de illo gauderent, si eum a morte redivivum accepissent. Quanto [72] eum se umquam vivum visuros desperaverant, tanto eum videntes vivum majore lætitia tripudiabant; nec solum sui vel cognati [73] vel clientes ejus de salute plaudebant, sed omnis omnino populus omnipotenti Deo, qui eum mirabiliter liberavit, laudes unanimiter reddebat. Quem enim patruus suus inæstimabili prædiorum sive pecuniarum pretio redimere non valuit, hunc divina pietas eo modo, quem humana prudentia numquam posset excogitare, liberavit. Itaque nichil fere jam sonabat ex ore totius Saxoniæ, nisi: *Deo gratias de Magni ducis ammirabili liberatione!* Illi qui numquam eum viderant, pro [74] ejus ereptione non minores [75], quam si de ejus genere vel familia fuissent Deo gratias agebant.

23. Deinde cum principum festivitas apostolorum, Petri videlicet et Pauli, propinquaret, præcepit rex ut universa principum Saxoniæ multitudo Goslariam conveniret, ut si quid de communibus regni negotiis agi dignum emergeret, hoc ipse communi principum consilio tractaret. Omnes illuc alacres festinabant, quia calamitatum quas Saxonia jam diu tolerabat [76], aliquem terminum fore sperabant. Igitur festivitate celebriter celebrata, cum dies ad causas agendas statuta venisset, episcopi, duces, comites ceterique ad palatium diluculo [77] primo congregantur; ibique sedentes, donec ad se rex egrediatur vel ad se jubeat eos intrare, nequicquam operiuntur. Nam ille cubilis sui foribus clausis, intus cum suis parasitis aleis vel ceteris rebus nugatoriis operam dabat, et tot magnos homines ad suam januam excubare, quasi mancipia vilissima, nichili pendebat [78]. Tota dies illa transiit; nec ipse nec aliquis vera portans nuntius ad eos exivit. Cum jam nox facta fuisset, quidam de parasitis ejus egressus, principibus irrisorie dixit, quamdiu ibi vellent expectare, cum rex per aliam januam egressus, ad urbem suam veloci cursu properaret? Ibi sunt omnes [79] adeo turbati, qui tanto fuerant habiti a regis superbia contemptui, ut, nisi Dedi marchio eorum furorem sua prudentia

VARIÆ LECTIONES.

[69] N. 1. [70] LX1 1. [71] expecta 1. [72] quanti 1. [73] agnati *corr.* cognati 1. [74] per 1. [75] immemores 1. [76] tollerabat 1. [77] dicule 1. [78] *ita* 1b. vilipendebat 1. parvi pendebat 2. *infra cap.* 74. vilipendebat *suo loco est.* [79] *deest* 1 *adest* 1b. 2.

NOTÆ.

(24) Cf. Annales Einhardi a. 795.

Digitized by Google

compescerent, eadem hora regi pariter omnes, omni projecto timore, manifeste renuntiarent. Illa dies et hæc causa bellum primitus incepit; illa dies principium omnium quæ sequuntur malorum[80] fuit. Eadem namque nocte principes omnes parum pransi, cum singulis quibus optime credebant, in unam ecclesiam, cum omnes ceteri jam dormirent, ex condicto convenerunt; ibique non paucis prius lacrimis effusis, melius sibi fore mortem quamlibet pati, quam talem vitam in tantis calamitatibus et contumeliis vivere dixerunt. Constituto itaque die et loco quo omnes cum omnibus Saxonibus convenirent, et de libertate communi, quam sibi videbant ereptum iri, communiter agerent, ita sunt singuli ad sua reversi, quasi numquam amplius ad regis servitium venturi.

21. Igitur non longo[81] tempore transacto, magni parvique, sicut constitutum fuerat, ad villam quæ Normeslovo[82] (25) vocatur[83] omnes convenerunt; cur autem tam magnus conventus in parvo loco factus fuisset, non omnes agnoverunt. Tunc Otto, qui dux olim fuerat, sed adhuc ducis nomen habebat, omni congregata multitudine, collem, a quo loquens ab omnibus audiri posset, ascendens, fieri silentium postulavit; quo facto, cum omnes arrectis starent auribus, hujusmodi sermonem incepit:

25. « Quare vos, o milites optimi, principes vestri tam frequentes in hunc locum convenire rogassent, licet omnes fere singuli cognovistis, tamen ut nullus vestrum[84] sit qui se nescium possit asserere, visum est nobis, ut universi causam pariter agnoscatis. Calamitates et contumeliæ quas singillatim vobis omnibus rex noster jam per multa tempora fecit, magnæ sunt et intolerabiles[85]; sed quas adhuc, si Deus omnipotens[86] permittet, facere disponit, multo majores sunt et graviores. Castella fortia, sicut vos scitis, in locis natura munitis plurima construxit, ibique suorum fidelium multitudinem non modicam universis armorum generibus instructam collocavit. Quæ castella, cum non contra paganos, qui nostram terram quæ sibi confinis est totam vastaverunt, sint fabricata, sed in medio terræ nostræ, ubi nemo ei unquam bella cogitabat[87] inferre, tanto molimine sint munita, quid portendant, et ex parte[88] plurimi estis experti, et, nisi misericordia Dei vestraque virtus prohibuerit, cito omnes experiemini. Bona vestra, qui juxta manetis, vobis invitis in ipsa castella deportantur; filiabus vestris et uxoribus pro sua libidine, quando[89] volunt, abutuntur; vestros servos et jumenta, quicquid volunt, sibi servire præcipiunt; immo et vos ipsos in liberis humeris vestris quælibet onera, licet fœda, portare compellunt. Sed quando ea quæ futura sunt mente concipio, ista quæ nunc toleratis, tolerabilia puto. Postquam enim sua castella per totam terram nostram pro sua voluntate construxerit, et ea militibus armatis et rebus ceteris ad hoc negotium pertinentibus impleverit, tunc non amplius jam bona vestra particulatim diripiet; sed universa quæ possidetis, vobis simul eripiet, et, hominibus advenis vestra bona largiens, vos ipsos, liberos et ingenuos, ignotorum hominum servos præcipiet esse. Quæ omnia numquid in vos[90] fieri patiemini, fortissimi viri? Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram et inhonestam, ubi illorum superbiæ ludibrio fueritis, per dedecus amittere (Sallust. *Jug.* 31)? Servi ære parati injusta imperia dominorum non perferunt, et vos in libertate nati, æquo animo servitutem tolerabitis? Fortasse quia Christiani estis, sacramenta regi facta violare timetis. Optime, sed regi. Dum mihi rex erat, et ea quæ sunt regis faciebat, fidelitatem quam ei juravi, integram et impollutam servavi; postquam vero rex esse desivit, cui fidem servare deberem, non fuit. Itaque non contra regem, sed contra injustum meæ libertatis ereptorem; non contra patriam, sed pro patria et pro libertate mea, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit, arma capio, et ut vos ea mecum capiatis expostulo. Igitur expergiscimini, et hereditatem vobis a parentibus vestris relictam, liberis vestris relinquite; nec vestra socordia vel desidia vos et liberos vestros exulum hominum servos fieri permittite. Sed ne cuiquam vestrum causa non satis vehemens videatur, qua adversus regem arma capiamus, præcipue nos, qui ab infantia enim in terra nostra maxime nutrivimus et ei præ ceteris gentibus suæ ditioni subjectis fideles magis extitimus, unusquisque suas, quas ab eo passus est injurias, coram omnibus vobis exponat; et tunc, utrum satis magna necessitas nos ad injurias repellendas cogat, judicium commune decernat. »

26. Ergo Werinherus Magedaburgensis archiepiscopus, civitatem suam bis a rege cædibus et prædationibus invasam dicebat; et præterea communes injurias se non minus dolere quam suas asserebat, et eis, quasi solus omnes fuisset passus, obviaturum se promittebat. Burchardus præsul Halberstadensis querebatur quia prædia[91] cujusdam nobilis viri cui nomen Bodo, quæ jure suæ deberent esse ecclesiæ, rex sibi abstulisset injuste. Otto dux querimoniam fecit quia ducatum Bawariæ, quem diu juste possederat, rex sibi in nullo crimine convicto, fraude quadam excogitata, injuste rapuerit. Dedi marchio de prædiis ad se

VARIÆ LECTIONES.

[80] *deest* 1. *adest* 1b. 2. [81] longe 1. [82] holcinesleue 2. nockmelslouo 1 b. [83] vacatur 1. [84] nostrum 1. [85] intollerabiles 1. *constanter*. [86] omes 1. [87] cogitabant 1. [88] p. jam 1b. [89] *ita* 1b. quam diu 1. [90] n. vivos fieri 1. [91] præda 1.

NOTÆ.

(25) Haldensleben?

Digitized by Google

jure pertinentibus, sibi per injuriam ablatis, fecit querelam. Herimannus comes, quod nuper erat factum narravit, quia [92] urbem suam Liuniburg [93], hereditate relictam, callide rex occupavit; et, si eam retinere potuisset, totam illam regionem, quam sibi parentes jure dimiserant, non regia potestate sed injusta possidere voluit. Fridericus comes palatii conquestus est quia beneficium quod de abbatia [94] Herolfesfelde [95] magnum habuerit, injusta sibi jussione regis ablatum, centum mansis agrorum a rege redimere volebat, nec valebat. Fridericus de Monte, et Willehelmus, rex agnomine, quorum priori libertatem, alteri rex eripere voluit hereditatem, uterque pro se querelam faciebat, quæ cunctos plus aliis querimoniis ad misericordiam commovebat, quia in illis duobus quid universis facere cogitabat, æstimabant; quia scilicet omnibus, si posset, libertatem simul et possessiones auferre disponebat. Deinde ceteri suas quisque proferebant, quas erat passus, injurias; ad quas commemorandas nec pagina sufficit nec memoria. Omnes ergo qui ibi convenerant — convenerat autem maximus exercitus — singillatim juraverunt, episcopi quidem, ut, quantum salvo ordine suo possent, totis viribus ecclesiarum suarum necnon et totius Saxoniæ libertatem contra omnes homines defenderent; laici vero ut, quamdiu viverent, libertatem suam non amitterent, terramque suam nullum deinceps violenter prædari permitterent.

27. Nec multo post (*an.* 1073, *Aug.*) recta via ad Hartesburg [96], ubi rex erat, cum magno exercitu perrexerunt, et contra urbem, ita ut inde possent videri, castra posuerunt. Quos cum rex vidisset, subito quidem stupore perculsus expavit; sed ut erat dissimulator, quasi nichil timens, nuntios misit qui dicerent se non parum mirari quid vellet tanta [97] congregatio populi; se non putare quod quicquam contra eos tantum meruisset quare merito civile bellum incipere debuissent. Discedere eos ab armis. Si quid quærendum habeant, se paratum animo pacato cognoscere, et si quid sit corrigendum, consilio principum et amicorum suorum corrigere. Nuntii autem erant Fridericus episcopus, Bertholdus dux, Sigefridus regis capellanus. Nam mortuus jam nuper erat Adalbertus Bremensis episcopus. Quibus omnium Saxonum dedit dux Otto responsum: se non hostili animo, nec ut civile bellum vellent incipere, ibi esse congregatos; se regi, si rex esse vellet, omni fidelitate servituros; se petere ut castella, quæ non ad munitionem regni sed ad destructionem fabricaverat, vellet destruere; si vero nollet, tunc se intelligere quare constructa fuissent; sed libertatem suam sive bona sua contra omnium hominum violentiam cum divinæ pietatis auxilio velle defendere. Cumque nuntii reversi regi talia retulissent, ipsique, quamvis multum temptarent, ei, quo rogata faceret, persuadere non potuissent; ipse jam nec amicis familiaribus, quia non ut volebat sibi consilium dederant, fidem habuit, sed omnibus semotis solus secum quid ageret deliberans, cum nec honestum putaret ut, quasi vi coactus, subito castella sua per multos annos constructa destrueret, nec tutum crederet ut cum paucis, quibus etiam jam minus credere cœperat, cum tanto exercitu ad omnia parato placitum aliquod adiret: paucis quibus ipsum castellum commendabat scientibus, noctu Saxoniam deseruit, et per confraga silvarum, quæ sæpe dum locos castellis quæreret peragraverat, fugiens, ad Franciam orientalem paucis comitantibus venit. Cujus fugam ut principes qui cum eo fuerant agnoverunt, male se desertos dicentes, ad sua quisque simili fuga festinaverunt. Hæc autem fuga facta est anno ab incarnatione Domini 1073.

28. Postquam vero regis fugam, quæ diu celari non poterat, Saxones agnoverunt, nil morantes, eos qui hoc castellum, quod facile destrui non poterat, obsiderent, ibi reliquerunt; ceteri vero ad cetera destruenda, quæ non adeo erant fortia, perrexerunt. Quidam autem ex ipsis ad Thuringos transierunt, et eis totam rei seriem innotescentes, ipsos in suam societatem sacramentis datis et acceptis adjunxerunt. Quicumque etiam prius, dum rex erat in provincia, secum jurare non ausi fuerant, eos jam rege fugato aut e terra sua fugiendo regem sequi, aut secum pro terra sua contra regem jurare [98] compellebant.

29. His omnibus rite peractis, brevi tempore cum Hartespurg castellum capere fuisset difficillimum [99] — nam si in loco competenti staret, regali palatio locus idoneus esset — et illud dimittere fuisset omni Saxoniæ periculosum, quia si illic escæ tantum comportate essent, quamlibet ingenti exercitui insuperabile maneret, aliud castellum æque firmum construxerunt [100], in quo positis per vices præsidiis hostibus auxilia vel alimenta venire prohibuerunt. Sed illi nonnunquam, dum Saxonibus ad novum castellum deferrentur alimenta, subito eruperunt, et intra [101] suos muros ea deportari fecerunt. Verum hæc faciendo, damnum quidem aliquod sive contumeliam suis hostibus intulerunt, sed exinde magis cautos eos et industrios esse docuerunt. Ergo ex utraque parte pene singulis diebus fortiter pugnatur; sed Saxones inde fortiores erant, quia et castellum suum in altiori monte positum erat, ita ut in illo inferius constituto nullus nisi sub tectis tutus esset a jactibus lapidum, et fatigatis novi milites succedebant, et eis alimenta copiose veniebant; quæ omnia hostibus erant econtra. Nam neque facile lapides in altiora

VARIÆ LECTIONES.

[92] q. per 1. [93] s. quam liunburgk 1. [94] abacia 1. [95] Herasdesfelde 1. Heroldesfelde 1b. Heresfeld 2. [96] hertesburg 1. [97] tanto 1. [98] jura 1. [99] difficiliimum 1. [100] estruxerunt 1. [101] infra 2.

Digitized by Google

mittebant, neque fessos ipsos alii sublevabant, et fames, acerrimus hostis, eos non parum affligebat; quæ eos dudum devictos ad deditionem coegisset, nisi eis cibos quidam ex Saxonibus furtim ministrarent, qui prius eis familiares fuerant.

30. Interea rex singulos Theutonici regni principes supplex adivit, se de regno Saxoniæ, quod cum paterna hereditate, tum eorum omnium electione suscepisset, injuste depulsum, flebiliter indicavit, in qua re non tam sibi dedecus factum, quam illis omnibus qui in se fuissent despecti, narravit; ob omnibus auxilium, quo et suam illorum vindicaret injuriam, suppliciter postulavit. Sed non multos ipsorum sermones ejus movebant, quia quantas calamitates Saxonibus intulisset, pene omnes noverant: præsertim quia eadem mala etiam Suevis et orientalibus Francis inferre voluerat. Tamen suo magis quam illius honori prospiciunt, eique se venturos in auxilium hac ratione promittunt, ut, Saxonibus ad placitum convocatis, utriusque partis causas diligenter agnoscerent; et, si quidem eum sine culpa violenter ejecissent, totis eum viribus in regnum suum restituere laborarent; si vero culpa sua terram omnibus opulentiis plenam stultorum consiliis credulus amisisset, ei, si se vellet audire, suaderent quatenus, furore deposito, subjectis sibi nationibus justus et pius, quod esset proprium regis, existeret, nec eos quorum male consilio deceptus erat amplius audiret. Se contra homines christianos, innocentes, sibique cognatione propinquos, gratis omnino pugnare delegant. Quos sermones rex ideo quasi gratos accepit, quia quod intendebat fieri non posse cognovit, scilicet ut sine placito Saxoniam cum exercitu violentus [102] intraret, et eos invitos [103] suæ ditioni subjectos ex liberis omnes servos faceret. Misit itaque nuntios ad principes Saxoniæ, omnia bona promittens, si se permitterent in regnum suum cum pace redire; Ottoni duci, de quo sciebat omnium consilia pendere, honorem injuste ablatum pollicetur cum magno augmento restituere, si se [104] vellet in honorem pristinum reducere.

31. Igitur exercitu quidem magno, sed non ad præliandum parato nisi magna necessitas cogeret, congregato, Kal. Februar. cum dominicæ incarnationis annus 1074 [105] nuper inceptus ageretur, Saxoniam ingredi disposuit. At Saxones adventu præcognito, terram suam defensuri cum maximo exercitu ad oppidum quod Nachan [106] (26) appellatur, occurrunt, et a rege non longius, quam ut uterque exercitus alterum videre potuisset, castra constituunt. Tamen invicem missi speculatores, exercitus utriusque virtutem diligenter explorant, et utrique suis quod viderant certissime renuntiant. Erat autem Saxonum tam magnus exercitus, ut duplo crederetur esse major quam regis exercitus. Ergo qui erant ex parte regis, audito Saxonum multitudine simul et armorum instructione — nam rex suis dixerat illos nec equos habere nec usum militiæ, sed rusticanos homines bellicarum rerum imperitos — cum prius ad preliandum fuissent incerti quia dignam non videbant causam pugnandi, nunc ad non pugnandum facti sunt certi quia cum causa deerant eis copiæ, quibus tantæ multitudini tuto possent obviare. Missis itaque rex, ut principes sui jubebant, ad Saxones legationibus, promisit se facturum omnia quæ vellent ipsi præscribere, dummodo paternam [107] dignitatem, quam pueritiæ suæ malorumque consiliariorum culpa se fatebatur amisisse, nollent sibi denegare. Tunc Otto dux et ceteri quibus magna fuerant promissa, persuadent aliis quatenus hac eum conditione reciperent [108]: Castella sua destrueret, nec ulterius ea restauraret; depræ-dationes amplius in sua terra nullas exerceret; in Saxonia Saxonum consilio cuncta disponenda disponeret, nullumque extraneæ gentis hominem suis [109] rebus agendis consiliatorem admitteret; et hanc sui expulsionem numquam in aliquo eorum vindicaret. Cumque rex omnia hæc et his majora se facturum fidelissime promitteret, exercitu suo dimisso, cum paucis ad Saxones transivit, et cum laudibus et gaudio triumphali deductus, Goslariam usque pervenit. Hujus fœderis inconsulta compositio Saxonibus maximorum malorum fuit origo. Nam Suevorum, qui fœderis jam pridem cum Saxonibus facti non inmemores, cum rege contra Saxones venire noluerant [110], ipsi Saxones, dum fœdus cum rege facerent, fuerunt oblitī; et ob hoc illis Suevi facti sunt ex amicis fidelibus hostes atrocissimi. Quod si aut illud non fecissent, aut in illo faciendo Suevos sibi associassent, et perfidiæ nota carerent, et non tam multos hostes sævissimos haberent.

32. Eodem tamen tempore maximam circa nos clementiam Dei cognovimus, quam numquam tradere oblivioni debemus. Nam cum tanta esset hiemis asperitas ut omnes fluvii vel paludes transire volentibus iter terrestre præberent, et cum, viris omnibus contra regem congregatis, solæ mulieres cum parvulis domi relictæ fuissent, pagani semper nobis infesti, totam Saxoniam, mulieribus et parvulis abductis, poterant in cinerem convertere, nisi Deus eos mirabili sua pietate, velut genuinæ [111] crudelitatis oblitos, intra proprios fines quasi clausos juberet quiescere.

33. Igitur cum rex exercitu Saxonum comitante

VARIÆ LECTIONES.

[102] violenter 2. [103] *ita* 1b. mmeos 1. [104] *deest* 1, 2. eum 1b. [105] MLXXXIIII 1. [106] nachan 1. 1b. Hachan prope Wirram 2. [107] paternitatem d. 1. [108] recipere 1. [109] corum 2. [110] noluerunt 1. [111] *ita* 2. gemme 1.

NOTÆ.

(26) Vach.

Digitized by Google

Goslariam venisset, sui non oblitus, cœpit occasiones quærere, ne, sicut promiserat, deberet in præsenti castella sua destruere. Quem cum moras nectere quidam principes nostri viderent, volentes ei placere, suaserunt ut illud castellum majus [112] (27), quod manere volebat, alicui de principibus Saxoniæ quasi in deditionem traderet, donec populi furor, qui tunc vehementer ardebat, aliquantum tepesceret, et tunc castellum, sicut volebat, integrum permaneret. Nam populus, ut diruerétur, vehementer instabat; quod nisi fieret, se statim ab integro rebellem fore clamabat. Rex vero in multis angustiis positus, quid faceret nesciebat; quia nec castellum illud destruere volebat, nec alicui principum, qui illud, si sibi quasi traderetur, staturum promittebant, fidem habebat; et populum, ne recidiva bella resumeret, valde metuebat. Qua enim virtute pene solus in medio exercitu deprehensus se defenderet, vel qua fuga se, septus undique sævis hostibus, absconderet? Igitur ad ingenium suum reversus, excogitavit dolum; qui tamen non eum quem sperabat tenuit effectum. Nam quibusdam de suis antiquis familiaribus occulte præcepit ut ejus tantum propugnaculum summatim deponerent, et cum populus hoc viso totum sperans casurum discederet, illi a diruendo cessarent, et sic [113], paucis ruinis restauratis, integrum sicut volebat permaneret. Sed illi, suo labori parcentes, vicinos adduxere rusticos, quos, sicut erant jussi, jusserunt summos tantum muros demoli i. Rustici vero cum ejus loci potestatem nunc accepissent, quo multa jam pridem mala passi fuissent, non quid juberentur sed quid jam diu desiderassent intendebant, a diruendo non quiescentes, donec lapidem super lapidem non remanere videbant. Ergo regalia ædificia, regali sumptu per multos annos constructa, brevi tempore destruunt, et in tantis mœnibus nec fundamenta non eruta relinquunt. Legati regis non audent verbum facere, quia et ipsos, si quid contradicerent, minantur interficere. Itaque monasterium laborioso opere perfectum dejiciunt usque ad fundamentum, totum thesaurum ibi congestum, sive regis esset sive ecclesiæ, diripiunt, campanas dulcisonas confringunt, filium regis et fratrem, quos ibi posuerat, effodiunt, ossaque eorum velut quaslibet immunditias dispergunt, et nichil penitus ejus loci permanere permittunt.

34. Sed rex cum castellum suum sic agnovisset adnichilatum, magno quidem dolore cordis intrinsecus conturbatus, sed eum nullo forinsecus signo protestatur, quia superfluum putabat, his quos habebat odio dolorem suum monstrare, cum non posset in eorum suppliciis ad præsens odium suum pro velle suo saturare. Primates autem Saxoniæ, cum regis animum scirent non inmerito, quamvis ipse celaret [114], valde turbatum, omnibus modis eum mitigare quærebant, se ipsos a consilii sive voluntatis crimine quocumque modo juberet ipse, purgando; et eos, qui crimine erant involuti, quacumque vellet pœna cruciando; sed nil proficiebant. Nam rex non tantum illis qui scelus confessi [115] fecerant, quantum istis qui se a se perpetrato scelere purgabant, irascitur; et dedignans irasci in rusticos, in maximos hujus regionis homines furorem suum, si quando tempus haberet, accendere meditatur. Interea tamen non quantum volebat, sed quantum in præsenti valebat, suum castellum vindicat, et omnia castella vel quaslibet hujus terræ munitiones, præter antiquas urbes ad honorem regni constructas, dirui imperat. Quod imperium non ex tranquillo rigore justitiæ, sed ex iracundi pectoris commotione turbida processisse, hinc præcipue cognosci potuit, quia castella quædam de nullo malo infamata destrui, plurima vero de prædis et latrociniis convicta, si pecunia data fuisset, intacta manere præcepit. His ita patratis, non quasi ullo dolore commotus vel quicquam mali Saxoniæ cogitans, martio mense nondum peracto (*an.* 1074) Saxoniam reliquit, et ad habitatores Rheni ceterarumque Franciæ partium male læta mente [116] transivit. Fertur vero, a finibus nostris discedens, cum juramento dixisse, quod numquam vellet amplius in Saxoniam redire nisi prius eam virtutem contraxisset, qua posset in Saxonia facere quicquid sibi libuisset.

35. Congregatis itaque illarum partium principibus, nunc singulis nunc universis humiliter [117] se prosternens, querimoniam fecit dicens, quod priores suæ expulsionis injuriæ sibi nunc leves essent, istas sibi magnas et insanabiles videri; in prioribus se cum suis principibus fuisse despectum, in istis vero suo suorumque despectui conjunctum esse cœlestis militiæ, et quod esset his majus, majestatis divinæ contemptum. Nam narravit eis lacrimans, quia dum ipsorum consiliis contra suam voluntatem cedens, Saxonibus suum castellum regali sumptu constructum traderet demoliendum, illi non solum, quod eis permissum erat, illud inhumano more destruerent, sed insuper monasterium Deo sanctisque consecratum, paganis omnibus crudeliores, funditus diruerent [118], campanas, calices et cetera ad honorem Dei collecta velut profana confringerent, vel hostili prædatione diriperent, fratrem filiumque suum, utrumque prolem regiam, miserabiliter a sepulcris ejectos in ventum membratim dispergerent, et quod his omnibus magis esset nefandum, sanctorum reliquias ab altaribus sacris execrandis manibus erutas, velut immunditias quasdam per profana loca dissiparent. Iis omnibus non sine largo fletu peroratis, singulorum pedes osculans oravit, ut si

VARIÆ LECTIONES.

[112] ut c. Harcesburh 2. [113] sic illud p. 1b. [114] velaret 1b. [115] confesse 1. [116] mete 1. [117] humilem 2. [118] diruerunt 1.

NOTÆ.

(27) scil. Harzburg

Digitized by Google

non suam curarent vindicare injuriam, saltem contumeliam Deo Deique sanctis illatam remanere non paterentur inultam. Ait Saxones non dicendos esse christianos, qui, cum supradicta scelera in domo Christi facerent, se Christum nec [119] amare nec timere monstrarent. Illos vero debere per hoc esse se Christi fideles ostendere, si, zelo Christi ferventes, ejus injurias non dubitarent ipso adjuvante vindicare. Has querimonias et supplicationes dum, quotiens fieret principum conventus, repeteret, annus integer evolvitur, antequam sua voluntas, ut in Saxoniam ducere posset exercitum, compleretur. Namque omnes qui miserias miserabiles, quas intulerat Saxoniæ, sciebant, cum omne bellum res sit aspera nec hujus belli satis pateret idonea causa, ad differendum hoc bellum quaslibet occasiones quærebant. Quod nisi Rodolfum ducem Suevorum, quando cum rege fœdus inibant, ut supra dictum est, Saxones offendissent, adhuc forsitan rex copias contra Saxoniam non haberet. Ille enim a Saxonibus, quorum confidebat auxilio, deceptus, regi quomodo poterat reconciliatur, et ei primus se cum suis omnibus Saxones hostiliter invasurum pollicetur. Sed hoc, ut dixi, post annum fiet integrum.

36. Interea missis vero in omnes circumquaque gentes legatis, donando, majora promittendo, cunctos si posset homines Saxonibus voluit hostes efficere, quia non tam eos suæ potestati, quod leviter fieret sine bello, subicere, quam funditus ab hominum numero quærebat adimere. Duci Boemorum Wrotizlao [120] Misnam civitatem cum omnibus [121] ad eam pertinentibus promisit, et sic eum, ut suis partibus adjutor esset, ascivit. Liuticensibus paganis crudelitatis quam semper in Saxones habuerant frena laxavit, et quantum Saxoniæ suis finibus possent adjungere concessit. Illi vero dixerunt se Saxones multis bellorum tempestatibus expertos agnovisse, et se raro vel nunquam de bellis eorum gavisos fuisse; sibi suam terram sufficere, seque, si suos terminos defendere valeant, contentos esse. Regem Danorum promissionis juramento confirmatæ commemorat, seque illi daturum cuncta quæ sit pollicitus affirmat. Philippum, Latinæ Franciæ rectorem, multis pollicitationibus sollicitat, ut antiquæ memor amicitiæ, sibi quandocumque vocatus fuerit in auxilium veniat. Sed ille similiter a suis accusatus, et pene paterno solio depositus, vix suum honorem, cui adhuc hærebat, se dixit retinere; nedum isti suum, a quo penitus ceciderat, temptaret reponere. Willehalmum gentis Anglicæ regem hac conditione suum vocavit in auxilium, ut ei vicem redderet æquam, si se umquam haberet necessarium. Ille vero respondit se terram illam bellorum violentia pervasisse, et ideo, si reliquerit eam, ne posthac recipiatur in ea, formidare. Willehalmum ducem Pictavorum, matris suæ germanum, sororis suæ filio rogavit misereri, sibique ferre auxilium, quo posset in regnum patris sui, quo careret injuste, restitui. At ille tantas Francigenarum, Nortmannorum [122], vel Aquitanorum virtutes inter se et illum esse respondit, ut nullo ingenio per tantam fortitudinem cum exercitu transire potuisset.

37. Illis omnibus præter Boemios fraudatus, cum de gentibus exteris vires satis magnas contra Saxones non haberet, pessimum, quod optime sciebat, consilium invenit, ut Saxoniam divideret, et Saxonibus contra Saxones pugnaret, ut quælibet pars victa jaceret, ipse victor exultans triumpharet. Principes igitur Saxoniæ singillatim jubet ad se venire, causam fingens aliquam grandem, quam dicebat eorum consilio se velle terminare. Illi, nil dubitantes, quo sunt vocati venerunt, quo nec venire cessarent, si nullius causæ interpositione simplici præcepto regem adire jussi fuissent. Sed venientes singulos primo blandus accipiebat, cumque jam secum aliquamdiu starent, animum suum eis aperuit, et eos, ut se ad opprimendam Saxoniam pro viribus suis adjuvarent, et hoc ipsum nulli proderent, jurare cogebat; quod nisi statim facerent, ab eo recedere non valebant. Inde factum est, ut in nostra parte pater, in [123] adversa filius esset; hinc frater unus, illinc staret alius. Multi etiam de majoribus qui bona in utrisque regionibus habebant, ut utraque servarent, sponte sua hic relicto filio sive fratre ad regem transibant, vel ipsi hic remanentes, fratres vel filios ad regem transmittebant. Plerosque militaris ordinis ad se eodem modo vocabat, et prout cujusque animum cognoscebat, minis sive promissionibus ad bellum civile sollicitabat. Etiam famulos ad se vocatos non dedignatur orare, ut vel interficiendo vel deserendo dominos, mererentur libertate donari vel etiam domini dominorum suorum fieri. Sed hæc omnia occulta erant adhuc; quia si quis ei suum jurabat adjutorium jurare cogebatur ejusdem fidele silentium.

38. Quid dicam quod episcopis, quos in suas partes trahere non poterat, hujusmodi dona mittebat, quibus illis episcopatum pariter et vitam adimeret, quatenus his personis daret episcopatum, qui suæ voluntati præberent ad omnia consensum. Per quendam fallacem [124] monachum Werinhero [125] Magedaburgensi archiepiscopo pulverem pigmentarium munus egregium misit, quem contra multas ægritudines salubrem sibi ab Italia a matre sua transmissum esse mandavit. Cujus partem crustæ panis insertam catulo dari præcepit; eumque [126] sine mora mori vidimus, et quia episcopus talem medicinam non gustaverat lætati sumus.

VARIÆ LECTIONES.

[119] n. Ch. 1. [120] wratislao 2. [121] *deest* 1. *adest* 1b. 2. [122] normannorum 1. [123] *deest* 1 [124] falsum 2. [125] werenhero 1. [126] eum si præcepit ne 1.

Digitized by Google

39. Sed postquam hæc omnia famæ loquacitas per Saxoniam cœpit prædicare, et mala futura eodem quo postea veniebant ordine prædicere, plebs quidem, quæ causas nescit pensare, lætatur, et omnes qui suas terras invaserint, impetu primo prosternere minatur; at nobilitas magnis angustiis afficitur, dum robur regis prævalidum suumque perexiguum subtili rationis examine metitur. Illinc namque venturos ad pugnam Francos utrumque littus Rheni tenentes, Suevos, Bawarios, Lotharingos, et Boemios aspiciunt; hinc vero non nisi Saxoniæ vix tertiam partem inveniunt, quia omnes Westfali et omnes circa Misnam habitantes, regis auro corrupti, a nobis defecerunt [127]. Ipsa quoque pars tertia vix secum fida manebat, quia [128] singulos in ea regia [129] promissa assidue sollicitabant. Omnes etiam episcopi præter quatuor, Magedaburgensem, Halberstadensem, Merseburgensem, Patharbrunensem [130], aut aperte ad regem transierunt, aut animo nutanti nobiscum steterunt, ut in quamcumque partem res prospere cederent, illic securi declinare potuissent.

40. Eodem tempore multa per Saxoniam signa fieri vidimus, ex quibus mala quæ post venerunt præscire potuimus. Quod enim in Magedaburgensi prato vidimus corvos [131] tam acriter inter se pugnantes, ut alii alios jacere dimitterent exanimes, narrare supersedeo, quia sacratiora, non minus futurorum præsaga, narranda habeo. Episcoporum nostrorum virgæ pastorales, aere sereno, immo [132] æstivo calore perusto, stantes in capellis ita madescebant ut aqua sua manum suam implerent, si quis eas accipiebat [133]. In Stidaraburg erat lignea Christi in cruce pendentis imago, quæ eodem tempore tanto sudoris in æstivis diebus manabat fluvio, ut nec mappulis [134] tersa sudare quiesceret, et [135] vascula nonnulla suscepto sudore impleret. Werinherus Merseburgensis episcopus, dum sacra missarum solemnia celebraret, et more solito sanguini dominico partem corporis Christi imponeret, fundum calicis pars illa petebat, ac si caro Christi in plumbum versa fuisset. Quidam presbyter in episcopatu Magedaburgensi in villa Weddinge [136] (28), in neutra parte conversationis egregius, qui nec vitiorum labe nec virtutum laude clareret eximius, dum in sacramentorum confectione venisset ad communionem, calice levato vidit vinum non solum spiritualiter, sed et [137] visibiliter, in sanguinem conversum; cujus rubore [138] pariter et densitate perterritus nihil inde sumere præsumpsit, sed in Magedaburg civitatem, ubi adhuc [139] venerabiliter servatur, cum magno timore portavit. Quæ omnia quid significasse putemus, nisi laborem quem post experti [140] sumus?

41. Ergo cum regis ira longitudine temporis in nos nimis accensa, diutius latere non posset, certisque signis, quæ mala nobis cogitabat facere, pateret; tunc principes nostri singuli et universi pariter legationes assiduas nunc cum litteris nunc sine litteris ipsi regi fecerunt, quibus hoc solum ab eo multa supplicatione petierunt, ut, cœtu principum suorum collecto, se coram eis aut culpabiles ostenderet, et convictos eorum judicio puniret, aut ipsi suam innocentiam judicio quolibet ostenderent, et in ejus gratia, sicut hactenus erant, permanerent. Verum cum ab eo nullum pietatis responsum accepissent, et eum de sua tantum perditione modis omnibus tractare cognovissent, ad eos qui cum eo principes erant legationes dirigunt, et eos, ut animum regis sibi placare velint, humiliter petunt. Ex quibus unam, quam Magedaburgensis archiepiscopus Magontino misit archiepiscopo, placuit epistolam supponere, ut ex hac omnes alias, quia omnes unius modi erant, quilibet possit agnoscere.

42. « Domno Sigefrido [141] Christi sanctissimo sacerdoti, Werinherus [142] licet indignus sanctæ Magedaburgensis ecclesiæ archiepiscopus, et cum eo omnes Saxoniæ præsules, duces, comites, et universi simul clerici et laici, magni vel parvi, orationem devotam pariter et servitutem subjectam. Multiplices et magnæ tribulationes, quæ nos nostris peccatis exigentibus inremediabiliter nisi pietas divina subvenerit affligunt, omnium qui vel Deum timent, vel se homines esse cognoscunt, misericordiam suppliciter quærere nos compellunt. Unde quia vestram excellentiam Deum timere pariter et amare cognoscimus, specialiter ad almitatis vestræ misericordiam confugimus, humiliter orantes ut pro ipso Dei timore causam nostram juste pensetis, et, si justa fuerit inventa, misericordiæ vestræ nobis auxilium ipsius amore justitiæ, quæ Christus est, tribuatis. Dominus noster rex, postquam factus adolescens, abjecto principum suorum consilio, sui juris esse cœpit, et eorum qui nec æquum nec bonum considerant, magisterio se subdidit, semper nos insolito more quærebat opprimere, bona nostra nobis eripere, suisque familiaribus ea contradere, non ob aliam culpam, nisi quia illi domi parum vel nichil habebant et terram nostram fructuosam videbant. Itaque munitiora nostræ regionis loca fortissimis castellis occupavit [143], in quibus armatos non paucos constituit, qui nos aut serviliter sibi servire compellerent aut libertatem defendere vo-

VARIÆ LECTIONES.

[127] defecert 1. [128] qui 1. [129] regis 2. [130] pathabrunensem 1? [131] *ita scribendum, res ipsa et Annalista Saxo indicant*; cervos 1. [132] ymmo [133] arripiebat? tangebat 2. [134] mapulis 1. [135] *deest* 1. [136] in neutra parte conversacionis in villa Weddinge egregius 1. [137] *deest* 1. 1b. [138] c. corobore 1. [139] a. in sacello argenteo v. 1b. *cod. Dresd.* [140] eperti 1. [141] S. 1. [142] W. 1. [143] occupatum 1.

NOTÆ.

(28) Hodie Wedringen?

Digitized by Google

tentes occiderent. Ibi quanta pericula, quantas contumelias, quanta dampna in nostris corporibus, in nostris uxoribus, in nostris possessionibus passi sumus [144], et qualiter inde nos ad tempus misericordia Dei liberavit [145], quia vobis notum esse credimus, præterimus. Postquam vero, tempestate tanta misericordia Dei sedata, pacem et gratiam suam nobis reddidit, nichil nos scimus contra eum fecisse [146], unde merito debeat in nos recidiva bella movere. Prædia quæ querebatur ablata, legatis ipsius reddidimus, donec ipsi legati dixerunt, nichil esse reliquum quod reddere deberemus. Castella vel ceteras munitiones quas in nostris partibus destrui præcepit, omnes confregimus [147], nisi quas ipse nobis nolentibus [148] stare permisit. De monasterio suo destructo vel de sepulcris filii vel fratris sui violatis et ossibus eorum disjectis cum qualiter factum sit audieritis, quia nos sumus innocentes agnoscetis. Ipsius castelli ubi hæc acta sunt destructionem nulli nostrum credere voluit, sed hanc operam suis famulis [149] et familiaribus injunxit; qui negligentes et pigri, quo citius quod erant jussi peragerent, omnes rusticos qui in illa vicinia erant convenire fecerunt, et eis demoliendi castelli potestatem dederunt. Rustici vero, sicut rustici imperiti et ab eodem castello multa mala perpessi, cum nullus adesset qui castigaret, nihil in ipso voluere relinqui, quo [150] iterum deberet renovari. Postea sæpius domino nostro regi legationem sicut humiles servi cum multa supplicatione misimus, ut, si quid in illa vel qualibet causa contra eum fecisse videremur, principum suorum judicio vel negando vel emendando satisfaceremus. Quam legationem quia adhuc ut accipere vellet nullius auxilio obtinere potuimus, vestræ sanctitati simul omnes, pedibus vestris advoluti, supplicamus, ut nobis iram domini nostri regis mitigare velitis, eique suadere ut, quod uni faceret homini, facere dignetur universæ genti, scilicet ne prius nos furore bellico devastare quærat, quam nos coram principibus suis criminosos et crimen emendare nolentes ostendat. Securitatem quam vos et alii principes ejus jusseritis, a nobis accipiat, ut ad nos sine bello veniat, et vestro nos judicio vel puniat, si meruimus, vel in pace cum gratia sua dimittat, si innocentes inventi fuerimus. Sin hoc noluerit [151], in qualibet regni sui parte principes suos convenire jubeat, et quoscumque ex nobis adesse voluerit, eis eundi, redeundi [152], securitatem tribuat, et quidquid vos judicaveritis de nobis faciendum, faciat. Hoc [153] igitur domino nostro suggerite, et ei pro Dei timore suadete ut nos homines esse cogitet, ne ad periculum animæ suæ nos innocentes perdere desideret. Si vestra sublimitas pigra vel minus pia in his agendis fuerit, districtum Dei judicium nostras animas a vobis exigere habebit. Quod si vestrum pium consilium rex forsitam audire noluerit, rogamus vos et obsecramus, ut saltem vos et vestros instrumentum sui furoris habere non possit; ne, dum furori ejus ministratis, vitæ vestræ [154] et animæ periculum incurratis. Valete. »

43. Eundem sensum continentes vel litteris vel verbis legationes cunctis ex illa parte principibus singuli principes nostri miserunt, et tandem a rege vix, magis importunitate devicto quam pietate mollito, responsum hoc acceperunt, quod hoc solo modo suam gratiam habere possent, si se suamque libertatem et omnia quæ possidebant, potestatis regiæ sine omni conditione tradere voluissent. Quod facere rennuebant, quia nullius eum pietatis esse sæpe experti fuerant.

44. Anno igitur et amplius, postquam de Saxonia rex abiit, evoluto, quum rex esset Maguntiæ, in dominicæ resurrectionis festo (*an.* 1075, *Apr.* 5), Saxonum nuntius illuc cum litteris venit, quas Udoni Treverensi archiepiscopo, qui missas eo die celebrabat, cum stans in pulpito faceret populo sermonem, porrexit, et ut eas omni populo recitaret et exponeret, ex omnium persona Saxonum pro Dei amore rogavit. Quod cum rex fieri prohiberet nuntius ipse litterarum sensum cuncto populo brevi sermone fidenter exposuit, et omnes qui Deum timerent, ne Saxoniam, prius quam de aliquo crimine convicta fuisset, armis invadere vellent, verbis omnium Saxonum postulavit. Sed dux Suevorum Rodulfus fœderis a Saxonibus cum rege subito compositi non oblitus, regem, quatenus injuriam cum Deo tum sibi suisque principibus universis contumeliose factam non sine vindicta dimitteret, instigavit, et ei se cum tota virtute quam posset habere promisit. Idem ceteri principes universi fecerunt, aliqui quidem multis promissionibus allecti, plures autem vicinæ mortis necessitate, quam vitare non poterant adducti.

45. Quod ubi Saxonibus est auditum, tunc frequentes regi cunctisque primatibus legationes miserunt, obsecrantes, ut se cum ferro nollent innocentes invadere; quia si in aliquo rei majestatis regiæ ostenderentur, ad ipsorum arbitrium parati essent pœnas dare. Tunc rex archiepiscopo Magedaburgensi cum quibusdam aliis suam gratiam mandavit; sibique a suis amicis esse consultum, ne totam gentem sine culpa deleret, innotuit; quorum consilium se velle, dixit, audire, si isti vellent a suis inimicis discedere, sibique [155] Burchardum Halberstadensem episcopum, Ottonem ducem, Fri-

VARIÆ LECTIONES.

[144] simus 2. [145] liberaverit 2. [146] deliquisse 2. [147] *ita* 2. confringimus 1. [148] volentibus 2 [149] f. et *desunt* 2. [150] quod 2. [151] *ita* 2. voluerit 1. [152] eis c. et r. 2. [153] Hec 2. [154] nre 1. [155] sibi 1.

Digitized by Google

dericum præfectum palatii (29), cum ceteris quos adhuc quæreret, traderent [156]. Cui legationi cum consensu ipsorum qui poscebantur est responsum, ut ipsi ei hac conditione præsentarentur, quatenus sub utrorumque principum judicio starent, ut eos illorum sententia vel convictos dampnaret, vel innoxios regis gratiæ cum tota Saxonum gente reconciliaret. Sed Willehalmus Rex agnomine, et Fridericus [157] de Monte, cum viderent aperte jam bellum cœpisse, sacramenti quod cum ceteris Saxonibus fecerant obliti, multarumque calamitatum quas ipsi fuerant passi, necnon quod ipsi causa principalis erant incipiendi belli, patriam infideles deseruerunt, et infideliores ad hostem patriæ regem noctu transfugerunt. Nam postea nec cives nec hostes eis fidem habebant, et apud utrosque viles et infideles, despecti et miseri erant.

46. Ergo rex cum toto quem poterat habere exercitu juxta Beringa [158] (30) venit, ibique positis castris consedit. At ex alia parte Saxones circa [159] Nechilstedi [160] (31) sua castra locant, et dum rex eos ad concilium vocet, expectant. Cumque verba quibus suos accusatos volebant expurgare disponerent, aderat nuntius regis, qui regem cum Saxonibus non verbis sed ferro [161] disputare velle dicebat, et huic disceptationi diem crastinum determinabat. Nondum bene nuntius ille verba finierat, cum veniens alter, regem cum toto exercitu adventare dicebat (*an.* 1075, *Jun.* 13). Quod primo non credentes, ubi nimis verum esse cognoscunt, quia nec consilii locus erat ineundi nec exercitus ad prœlium ordinandi, quod ex improviso deprensi solent facere, pauci quibus vel animus [162] vel arma fuerunt in promptu, fortiter ibant ad pugnam, plures vero, quibus longe vel animus vel arma erant [163], vertuntur in fugam. Verum ipsi pauci qui ad prœlium perstiterunt, bene quantum poterant vel suam vel illorum qui fugerant vicem peregerunt. Nam, nisi Deus ibi superbiam nostram humiliare decrevisset, paucissimi nostri totum exercitum illum in fugam vertissent. Postremi enim illorum, nescientes quod nostrorum pars major fugæ se dedisset, cœperunt et [164] ipsi fugæ præsidia quærere, et, nisi illi nostrorum fugam prius agnovissent, fugiendo nobis victoriam reliquissent. Quem cui belli casus daret occidere, nec ipsis qui occidebant dabatur agnoscere, quia tanta fuit pulveris facta commotio, ut cuiquam vix inter civem et hostem posset esse discretio. Hoc tamen comperimus, quod Udo noster marchio [165] consobrinum suum Rodulfum ducem gladio fortiter percussit in faciem, et nisi nasus galeæ dependens fideliter defenderet, partem capitis ei superiorem penitus abscidisset. Fratres in illo prœlio fuere diversi, patres contra filios, necnon et alii affectus [166] erant contra se divisi. Sed si quis scelus in suo propinquo faceret, a nemine poterat sciri. Sævissimum quidem fuit illud prœlium, sed brevissimo tempore peractum. Nam nostri numero quam pauci sed virtute multi — ipsi enim hostes numquam tantos ictus gladiorum se fatebantur audisse — postquam se a suis desertos esse viderunt, et ipsi multos occidendo fatigati fuerunt, ex paucis pauciores, paulatim se a periculo subtraxerunt, regique victoriæ quidem gloriam, sed cum multa suorum ruina reliquerunt. Nam cum nostris ex partibus, ex summis principibus Gevehardus comes, ex mediis vero Folcmarus [167] et Suidgerus cecidissent, ex illa parte jacuerunt octo primates, non minus ipso rege nobiles. Hoc prœlium primum factum est anno Domini 1075, Idus Junii, feria tertia.

47. Ergo rex, adepta cum multo suorum cruore victoria, aliquot dies intra sua castra manebat, donec eos quos de suis metus disperserat [168] recollegit, et mortuos suos vel sepeliri vel in patriam sepeliendos fecit deportari. Deinde Saxoniam nimis lætus intravit, quam sic prostratam, ut ulterius non resurgeret, æstimavit. Obvia quæque prædando diripuit aut incendio consumpsit. Si pagani nos ita vicissent, non majorem in victos crudelitatem exercerent. Feminis nil profuit in ecclesias fugisse vel illuc suas res comportasse. Nam viri per silvas diffugerant, vel ubicumque spem salutis invenire latendo potuerant. Feminas in ipsis ecclesiis, etiam si fugissent ad altare, corrumpebant, suaque libidine barbaro more completa, feminas cum ecclesiis comburebant. Principes vero nostri diversas munitiones intraverunt, et inde legationes regis principibus [169] obviam miserunt, obsecrantes, ut vel nunc Deo de sua gloria [170] gratias agerent, et fratribus suis in Christo pro Christi nomine vel victis parcerent. Quarum legationum quasdam supponere complacuit, ut ex his lector ceteras, quia omnes eundem sensum habebant, agnoscere possit.

48. « Sigefrido Magontino et Adalberoni [171] Wirtzeburgensi [172], præsulibus [173] sanctissimis, Werinherus [174] solo nomine Magedaburgensis episcopus, quicquid humilius potest et devotius. Quia vos duos duorum præceptorum Dei flamma plus aliis fervere non dubito, specialiter ad vos duos supplex confugio, rogans et obsecrans, ut in hoc perfectam Dei caritatem, sicut confido vos habere, probetis, ut in miseros fratres misericordiæ viscera misericorditer

VARIÆ LECTIONES.

[156] traderet 1. [157] frithericus 1. [158] betinga 1b. *c. Dresd.* [159] S. c. *desunt.* 1. [160] Hechilstedi 1. Wichelstedt 1b. *c. Dresd.* Nechilstede 2. [161] *deest* 1. [162] animis 1. [163] erat 1. [164] etiam 1b. [165] Udo marchio de Stadhen 2. [166] effectus 1. [167] folomarus 1. [168] disperat 1. [169] principibus 1. [170] victoria 2. [171] alberoni 1. athelberoni 2. [172] wertzeburg. 1. [173] præsulis 1. [174] W. 1.

NOTÆ.

(29) I. e. comitem palatinum.
(30) Beringen prope Langensalzam.
(31) Nagelstadt ad Unstrudam.

Digitized by Google

habeatis. Cogitate quia, sicut vos melius quam ego novistis, quicquid alicui gratia divina largitur, hoc ei vice talenti, de quo rationem venturo judici reddat, imputatur. Itaque quia vobis familiaritatem coram domino nostro rege, regis cœlestis misericordia voluit concedere, sic ipsam familiaritatem facite cunctis qui vestro indigent auxilio prodesse, ut et omnis qui vestro sublevatus fuerit auxilio, de vestra felicitate gaudeat, et ipse Deus æternam mercedem vobis pro lucro talenti tribuat. In primis igitur meam causam cum domino nostro dignetur misericordia vestra misericorditer tractare, scilicet quia semper volui et volo pro viribus meis, et ultra vires, ejus honori servire. Quod si me forte majestas ejus accusat [175], quia [176] nuper quasi pugnaturus cum eo venerim; hoc, quod ipsa Veritas, quæ Christus est, novit verum esse, respondete : me nulla pugnandi causa venisse, sed ob hoc solum, sicut coram legatis ejus fuerat constitutum, ut eos quos [illegible] partibus suos vocaverat inimicos, volentes sive nolentes ei præsentarem, quatenus vestro aliorumque principum judicio, vel in crimine deprehensi justo supplicio subjacerent, vel innocentes inventi, vobis intercedentibus gratiam ejus reciperent. Quorum causam quia non est dignatus accipere, quid me nisi, sicut feci, decebat abscedere? Si alias michi quaslibet culpas imponet, ne longum faciam, vestram aliorumque ejusdem ordinis virorum patiar sententiam. Deinde domino [177] nostro regi dignetur almitas vestra suggerere ut recordetur se cœlestis regis vicem simul et nomen habere, qui dicit se misericordiam magis velle quam sacrificium, et qui venit non ut judicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum; quatenus dum hæc recogitans eum, cujus est [178] membrum et cujus nomen habet, actibus studet imitari, mereatur in regno cœlesti beatitudinis æternæ gloria coronari. Per totum fere annum litteris aliisque legationibus nostris omnes fere principes regni suppliciter adivimus, et ut nobis copiam coram veniendi acquirerent oravimus, quatenus eorum judicio vel noxii dampnaremur [179] vel innoxii solveremur. Quod quia numquam impetrare potuimus, iterum vos et omnes Dei fideles suppliciter oramus, ut saltem nunc, postquam iram suam nostro cruore satiavit, postquam Deus illi, sicut oportebat, honorem donavit, furorem deponat, Deo gloriam reddat, et quod ante sanguinem effusum fecisse poterat, nunc tanto sanguine fuso faciat. Det nobis locum ubi vobiscum, et cum Rodolfo, Berchtaldo [180], Godefrido ducibus convenire possimus [181]; et in quacumque re vobis culpabiles esse videbimur, omni voluntate nostra deposita, vestræ prudentiæ judicium volentes patiemur. Nulla fuit umquam in quolibet pagano tanta crudelitas, ut quos sine omni periculo vel labore suæ dampnationis subdere potuisset, non sine suo suorumque periculo sibi subjicere vellet. Quod si nostrum sanguinem, dum nichil ejus supersit, laborat effundere, cogitet hoc non facile fieri posse sine suorum aliqua commixtione [182]. Itaque si nobis nullam misericordiam facere disponit, saltem suorum manibus et gladiis parcere velit. Hæc igitur et si qua potueritis aptiora, domino nostro suggerite, eique ut Deum timeat, populumque, cui rector est datus, non perdat sed custodiat, suadete : ut et ille si vos audierit, et vos si bene suaseritis, æternam mercedem recipiatis.

49. « Dominis et N. sacerdotibus sanctis, ceterisque viris ejusdem virtutis et ordinis, Werinherus [183] plenus omni miseria, æterna participari misericordia. Quamvis omnes supplicationes, quas vestræ paternitati verbis vel litteris feci, nichil michi adhuc videam profuisse, tamen iterum vestræ pietati non cesso supplicare, ut, si vos nec mea innocentis calamitas, nec, quæ vel nocentibus solet misereri, flectit ulla pietas, saltem vos tædio suo mea vincat importunitas. Per omnipotentis igitur Dei clementiam vos rogo pariter et moneo, præsules sanctissimi, ut in me vos ipsos considerare dignemini, et me non solum in nullo crimine convictum, sed nec de ullo [184] crimine compellatum, condempnari ne patiamini. Culpa michi prius imponatur, defensionis michi locus donetur, ubi vel nocens vestro judicio dignum cogar subire supplicium, vel innocens vestrum sub gratia domini nostri [185] merear habere consortium. Quis enim fuit umquam juste prius dampnatus, quam de aliquo crimine fuisset accusatus? Nondum michi cognovi culpam quamlibet imponi, et jam, quasi criminum plurimorum convictus, pœnas sævissimas dedi. Quod si me quisquam domino meo fuisse vel esse perfidum criminatur, non minus quam qui dixit Domino : « Demonium habes » mentitur. Hæc igitur cum domino nostro clementer tractate, et ut se regem esse recogitet [186] suadete, et unde rex sit appellatus edocete. Vestra quoque sapientia dignetur secum pensare, cujus vel quanti criminis sit, ecclesiarum bona vastare, ipsas ecclesias polluere vel incendere; et si ullum vel magnum crimen esse videatur, in hoc [187] vos domino nostro fideles esse probate, ut, dum eum ab injusto revocatis, ejus animam ab incendio gehennæ liberetis; ne, dum ille externa sanctorum bona injuste devastat, internis bonis, sanctorum gratia privatus, juste careat. Recorderetur etiam prudentia vestra quia mortem minatur apostolus non solum morte digna facientibus, sed etiam consentientibus. »

50. Fridericus vero, Monasterii præsul venerandus, quia de nostris partibus erat oriundus et Magedaburgensis ecclesiæ fuerat olim canonicus, ar

VARIÆ LECTIONES.

[175] incusat 2. [176] quod 2. [177] domno 2. [178] e. m. et c. *desunt* 1. [179] dapnemur 1. [180] bertoldo et g. 2. [181] possumus 1. [182] admixtione 2. [183] W. 1. [184] illo 1. [185] d. n. regis 2. *ita* 2. [186] cogitet 1 [187] v. nichil vos 1.

Digitized by Google

chiepiscopo Magedaburgensi litteras misit, quibus eum [188] commonuit, ut quocumque modo potuisset, pacem facere cum rege satageret. Quibus litteris has litteras Magedaburgensis archipræsul remisit :

51. « Sacerdoti Dei Friderico [189] sanctissimo, Werinherus [190], eo quod vocatur indignus, devotos fraternæ servitutis affectus. Quamvis eo mœrore, quem nova tribulatio genuit, ita sim plenus, ut in penetrabilibus cordis mei nullus ulli gaudio possit inveniri locus, consolationis tamen vestræ litteras ut accepi, non parum lacrimas mœroris repressi, quia nonnullum lenimen doloris [191] habeo, cum vel unum fratrem fraterno dolore dolere video. Tunc autem solido gaudio gauderem, si vos sicut tribulationem quam sumus experti, sic innocentiam nostram [192] considerare viderem, vel si consilium, quod michi de facienda pace datis, ut ipsa re fieret, adjuvare possetis. Ut enim a rege nostro cunctisque regni principibus, maximeque ab episcopis nostris confratribus, igni ferroque terra nostra vastaretur, quod crimen nostrum tale præcessit ? Vel si ullum fuit, in quo concilio sacerdotum, in quo palatio principum declaratum patuit? Quando vocati [193] ad satisfactionem venire contempsimus? A quibus accusati et convicti sumus? Immo postquam domini nostri regis iram, licet sine causa, in nos exarsisse cognovimus, singulos principes, sacerdotes et laicos, scriptis et dictis suppliciter oravimus, ut coram veniendi copiam nobis impetrarent, quatenus aut criminosi ipsorum judicio dampnaremur [194], aut sine crimine cum pace et gratia domini nostri dimitteremur. Quod cum nobis nichil prodesse videremus, ipsi domino nostro legationem sicut humiles servi sæpe fecimus, supplicantes ut nos vel in crimine deprehensos judicio principum palam dampnaret [196], vel sine crimine repertos gratiæ [197] suæ serenitate donaret. Hac igitur de culpa terram nostram sævus vastator invasit, igni ferroque pene desertam reddidit. Quod si soli laici in illo exercitu fuissent, forsitan ecclesiis et ecclesiasticis rebus pepercissent. Nunc vero quia [198] plurimi sacerdotes aderant, nulli rei sacræ parcebant, sed ecclesias, quas vel ipsi vel fratres [199] eorum consecraverant, igne nefario succendi videbant, nec contradicebant. Quid igitur tunc laici facerent, cum episcopos ut talia fierent consentire vel etiam instigare viderent. Sed ut hæc gesta sint [200], quamvis ante simus ultra modum puniti quam aliquo modo in culpa qualibet inventi, quamvis ab illis simus cæde et incendio sine culpa vastati, a quibus nos oporteret vel in aperto crimine defendi, tamen de facienda pace consilio vestræ pietatis acquiescimus, si eam fieri posse sine majore [201] dampno nostro viderimus. Illarum partium principes in aliquem locum, quo nos tuti possimus occurrere, veniant, nosque sua sapientia quid nunc acturi simus edoceant ; quia quicquid eis placuerit, dummodo nobis vel posteris nostris non noceat, noster consensus concorditer implebit. Quod si paternitas vestra suscipiens hanc [202] operam opere complebit, cum cœlesti præmio nos omnes fideles semper amicos habebit. »

52. Ipso tempore Deus omnipotens urbi Magedaburgensi per sanctorum merita, qui ibi plures habentur, magnam misericordiam ostendit, et ipsam urbem totumque illud episcopium a crudeli regis invasione ita mirabiliter defendit, ut nulli qui hoc cognovit [203] liceat dubitare, ipsorum meritis sanctorum tunc illam civitatem incolumem permansisse. Nam cuidam ancillæ Dei ante prœlium per visionem fuerat revelatum, si caput sancti Sebastiani, quod in eadem civitate cum multa veneratione habetur, circa terminos episcopii fuisset portatum, eosdem terminos nullus posset intrare hostium. Quod cum ipsa Meginfrido [204], ejusdem urbis præfecto, et præfectus antequam exirent ab bellum, nobis audientibus archipræsuli nostro retulisset (32), peracto jam prœlio, caput ipsum omnes terminos nostros, antequam rex veniret, circuire fecimus (33), et ita esse sicut ancilla Dei prædixerat, ex ipso rerum eventu comperimus. Nam ubicumque rex ad ipsos terminos venit, divino nutu perterritus rediens, nusquam illud episcopium intravit.

53. Sed cum rex exercitu comitante venisset Goslariam, ibique a quibusdam nostris episcopis triumphali susceptus esset gloria, ab amicis suis, quid sibi foret agendum, quæsivit, et vix, quod sibi utile esset, invenire potuit. Nam consilium quod ei dederunt pene omnes, ut Deo de victoria sua gratiam [205] ageret et Saxones in pacem et gratiam suam sicut rex christianus reciperet, non accepit ; quod vero ipse solus volebat, ut statim cunctos suæ servituti subjiceret, ad præsens implere non potuit. Nam nec principes omnes capere valebat, quia per diversa dispersi fuerant, nec diu cum exercitu in hac terra manere potuit, quia fames in illo anno nobis tunc utilis fuerat, et Julius mensis fruges adhuc maturas non exhibebat ; nec vero tutum putabat sine exercitu tunc in Saxonia remanere. Abiit ergo

VARIÆ LECTIONES.

[188] eum ut fidelis terræ de qua natus erat c. 2. [189] F. 1. 2. [190] W. 1. [191] cordis 2. [192] vestram 1. [193] *deest* 1. [194] vel 2. [196] dampnaretur 1. [196] dampnare 1. [197] sue g. sue 1. [198] quam 1. [199] vel e. confratres dedicaverant 2. [200] st 1. [201] majori 2. [202] h. piam op. 2. [203] cognot 1. [204] meinfrido 1. 2. *cf. infra cap.* 117. [205] *ita ed.* glm̄ [gloriam] (daret *corr.*) ageret 1.

NOTÆ.

(32) Hinc patet, Brunonem inter clericos archiepiscopi familiares fuisse.
(33) Ebra propre Sondershausen.

Digitized by Google

cum toto exercitu, et Saxoniam, sicut prius, habuit in incerto. Nam postquam recessit, Saxones iterum congregantur, Deumque quod eos misericorditer castigans, non penitus opprimi permiserit, humili devotione collaudant, et se invicem, quatenus unanimiter pro sua libertate tota virtute pugnent, adhortantur; Deique misericordiam non ex toto sibi sublatam inde [206] conjectant, quia [207] quasi paterna pietate flagellati, ad recipiendam virtutem discessu regis oportunum tempus acceperant.

54. Interea rex totum exercitum iterum congregabat, ut Octobri mense Saxoniam ingressus, fruges, quas Julio mense multas in agris viderat, aut utendo aut comburendo consumeret, populumque totum vel rebellem gladio devorandum daret, vel humilem perpetuæ [208] servituti subjiceret. Econtra Saxones magno jam periculo facti prudentes, cum non minore venerunt exercitu, jam non sicut antea fugaces terga daturi, sed fortiter pro sua libertate pugnaturi, ita ut eam vel Dei auxilio firmiter retinerent, vel cum vita simul amitterent. Ergo ambo exercitus in loco qui dicitur Everha (33) convenerunt, et a se non loco sed animo longe fuerunt. Tamen exercitus regis ad prœlium non ut antea promptus erat, quia non, sicut audierat, inbelles esse Saxones expertus fuerat, et magna sibi pars de priori multitudine deerat. Nam Berchtoldus et Rodulfus duces postquam a priori sunt prœlio reversi, divina pietate compuncti, quadragesimas publice [209] jejunaverunt, et amplius se pro rege contra Saxonum innocentiam non esse pugnaturos, fideliter Deo voverunt. Tunc illi [210] ad Saxones miserunt; et accepta dataque fide, ad secretum consilium principes ex utraque parte convenerunt. Ibi illi nostris in sua fide promiserunt, quod si se sponte tradendo regi vellent honorem facere et tota Saxonia quieta staret in pace, et ipsi nec in dura nec in longa forent captivitate. Fama quoque testante comperimus, quod rex suis jurasset principibus, ut si hoc ad honorem suum perficerent, in principio Novembris proximi omnes ad sua cum pace et gratia sua dimitteret. Igitur omnes episcopi nostri, duces, comites, ceterique majores [211], manu fidei ab illis accepta, regiæ potestati se sponte tradiderunt (*Oct.* 25), totumque populum suum valde tristem in patriam redire jusserunt.

55. Distributis ergo per custodias principibus nostris, rex omisso exercitu Saxoniam cum magna gloria ingreditur, et ab his qui domi erant cum majore gloria suscipitur. Nam sperabant eum, sicut promiserat, cum pace et pietate venire, omnesque suas injurias oblivioni perpetuæ tradere. At ille, suæ promissionis oblitus, nec Deo pro victoria quam sic leviter acceperat dignas laudes humiliter reddidit, nec illam quam tunc habebat gloriam umquam se disperditurum [212] credidit. Quod si regi regum se tunc humiliter substerneret et in victos misericordiam Dei ostenderet, non solum quos vicerat Saxones, sed omnes quibus imperabat gentes, timere se pariter et amare faceret, et ad illas etiam nationes quæ sibi non subjacebant, gloriæ suæ famam cunctis laudandam transmitteret. Quia vero crudelitatis antiquæ non immemor, timeri tantum nec amari curabat, nec Saxones sibi fideles nec alias sui regni nationes devotas habebat, et ingentem apud exteras gentes laudem, quam posset habere, perdebat. Amicis enim non minus quam hostibus crudelis fuit, nisi quod in amicos crudelitatem prius exercebat, ut hostes ex hoc cognoscerent, quid sibi futurum sperarent.

56. Ekkiberti [213] denique marchionis, qui Saxonibus nullum fecerat auxilium, sed regi, utpote valde propinquo genere, toto animo favebat, possessiones prius invadit, easque Othelrico [214], cuidam de suis consiliariis, donavit. Hic Othelricus de Godesheim oriundus fuit, et quia Dei timorem penitus abjecerat, Godeshaz [215] (34) agnomen habebat, quia vere ex odio Dei venerat, quod ille regi familiariter adhærebat regisque mentem pro suo velle disponebat. Deinde nostrorum bona captivorum, quæ ipsis manere debebant integra si fides fuisset ei integra, suis parasitis largitur; et quæ suis principibus in nos bona promisit, cuncta mentitur. Tunc urbes et castella vel quascunque munitiones adhuc habebat Saxonia, suis sequacibus commendavit; et ut per totam regionem tyrannidem exercerent imperavit.

57. Natalis dominici festivitatem, ubi 1076 annus ab incarnatione Domini inchoatur, convocatis [216] ad se suarum partium episcopis [217], animo non festivo Goslariæ celebravit, quia festum salutis humanæ principium Ottonis occisione nefanda contaminare disposuit; quem [218] Christus ad honorem suæ nativitatis eadem gratia mirabiliter eripuit, qua ad liberandum genus humanum ipso tempore Deus homo fieri voluit. Nam ipsum ducem Roperto [219] Bavenbergensi episcopo servandum commiserat, et episcopus eum in castello quodam, dum ipse pergeret ad curtem regiam, militibus suis custodiendum tradiderat. At rex illuc episcopo nesciente misit, ducemque ad se duci præcepit, ita ut, temporum vicibus mutatis, per noctes irent et per dies noctium vice quiescerent. Cumque in media nocte a quatuor armatis inermis ipse du-

VARIÆ LECTIONES.

[206] idem 1. [207] quod 2. [208] *ita* 2. perpetuo 1. [209] p. pro dei timore i. 2. [210] Hi 2. [211] majores Saxonum et Thuringorum 2. [212] *ita correxi*; dispoturum 1. dispositurum *ed.* [213] Erriberti 1. 1[b]. Ekberti marchionis de Bruneswic 2. [214] *ita* 2. Otherico 1. 1[b] *ita* et *infra*. [215] *ita* 2. godeshez 1. godeshetz 1[b]. [216] convacatis 1. [217] cum frequentia suæ partis principum 2. [218] quam 1. [219] Roperte 1. Roberto 2.

NOTÆ.

(34) Id est odium Dei.

Digitized by Google

ctus Goslariam venisset, et illi per curtem ad silvam tendere voluissent, tunc primum intellexit, quod in silva se [220] occidere jussi fuissent. Igitur eos rogat, ut sibi ad monasterium orare liceat. Quod ei cum fuisset negatum, subito unius ipsorum gladium comprehendit [221] per capulum, et cum ense nudo, invitis illis, ad episcopi sui custodis cubiculum [222] pervenit, et cum magno strepitu episcopo expergefacto, rem quæ secum agebatur innotuit, eumque ut se a furtivæ casu mortis eriperet oravit. Quod cum per oppidum divulgatum fuisset, rex eum sicut voluerat, non præsumpsit perdere, sed eum libere per curiam quo vellet ire permisit. Sed ille, sicut erat vir in omnibus prudens, ad consilia regis frequenter accessit, et sapientia sua brevi tempore promeruit, ut quicquid ad honorem regis pertineret, ejus consilio maxime rex ipse disponeret. Denique quem nuper habebat hostem sævissimum, eum nunc cœpit habere consiliatorem fidelissimum (*an.* 1076).

58. Nos autem ubi principes illos, qui nostros habebant in custodia, Goslariæ esse comperimus, litteras eis supplicationum pro principum nostrorum liberatione transmisimus, quæque civitas sive provincia pro sui episcopi sive primatis ereptione. Ex quibus unam tantum placuit epistolam subnectere :

59. « Domno Udoni, ovium Christi sanctarum sanctissimo pastori, clerus et populus Magedaburgensis [223] ecclesiæ devotionem fidelissimam utriusque hominis. Quod tanti viri notitiam familiariter et gratiam nulla nobis adhuc nostræ servitutis exhibitione quæsivimus, nosmetipsos inter nos vehementer accusamus, et nulla nos servitute nostra vobis [224] vel notos esse factos eo magis erubescimus, quo non promeriti tanta pietatis vestræ solatia in multis nostris tribulationibus accepimus. Ex omnibus enim tribulationibus, quas vel longus jam nos usus ferre sapienter edocuit, vel quas ipsa novitas quo insolitas [225], eo nobis graviores reddit, nulla nobis umquam gravior incubuit, quam quod nostro domino archiepiscopo [226], immo patre piissimo, per tam longæ captivitatis ærumpnam carere contigit, his præcipue tempestuosis temporibus, in quibus nobis esset maxime necessarius. Sed quia, sicut ex ipsius legatione cognovimus, multa vestræ pietatis humanitate fruitur, ita ut se non dolore captivitatis affici, sed a labore, quo plurimo fatigatus erat multa dulcedine vestra relici fateatur, omnium quas [227] nos patimur afflictionum libenter obliti, dum caput nostrum gaudere cognoscimus, dolorem membrorum, vel si magnus sit, nullum putamus. Paternitatis igitur vestræ pedibus omnes unanimiter devoto corde prostrati, plurimas plurime referimus gratias vestræ pietati, quia dum hanc quæ maxime nos affligebat curam misericordia vestra mitigastis [228], omnes alias sollicitudines nos ventis in Creticum [229] mare portandas tradere fecistis. Quod si divina favente clementia solidum nobis hoc gaudium vestra paternitas effecerit et ad sua citius redire dominum nostrum suis suorumque supplicationibus adjuverit, numquam vos priora nobis beneficia præstitisse pœnitebit, dum et ipsum dominum nostrum vobis amicum semper ad omnia paratissimum, nosque omnes non minus devotos habebitis et subjectos, quam clerum sive populum proprium. Ad quod perficiendum si vestra sublimitas eo quo speramus studio voluerit eniti, sine multo labore credimus id posse fieri, quia hoc certum tenemus, quod ipse tenetur innocens captivus et sola suæ salus ecclesiæ fuit ei causa traditionis suæ. Omnipotens igitur Deus diu vos in hac vita conservet, Ecclesiæ suæ solatium, et post hanc vitam tribuat vobis sempiternum beatæ vitæ præmium. Valete [230]. »

60. Cum ergo rex urbes et omnes in Saxonia munitiones suorum fidelium præsidiis occupasset, et nichil sibi, quominus in Saxonia faceret cuncta quæ vellet, putaret obstare, transivit a nobis in medio quadragesimæ (1076), obsides multos secum ducens, et apud nos, qui tributa de regionibus nostris exigerent relinquens. Cumque suos fines intrasset, et duces ejus ceterique qui fortiter in prœlio pugnaverant dona triumphalia expectarent, ille munus quod fere cunctis suis fidelibus largiri solitus erat (35), etiam nunc in præmio virtutis dare parabat ; dolensque quod ex principibus in prœlio non ad votum suum cecidissent, vitam, quam per ignaviam eos servasse credebat, eis per sævitiam auferri [231] cupiebat. Nam ut solus omnium dominus esset, nullum in regno suo dominum vivere vellet. Itaque cum tribus fortissimis viris armatis quandam domum desertam medio noctis intravit, et illuc unum ex militibus Rodulfi ducis secreto introduxit. Qui visis gladiis sibi timuit, quia quo effugeret non habuit. sed cum rex multis eum promissionibus oneraret, si Rodulfum ducem, ubi primum sibi daretur opportunitas, occideret, non amore promissorum sed timore gladiorum præsentium, hoc se facturum quasi lætus promisit, suamque promissionem juramento confirmavit. Mane autem facto, cum dux de virtute et fide multum laudatus a rege, cum multa suavitate dimissus abiret, ille correptis armis velociter insequitur, et lancea protensa per mediam turbam festinans, alto clamore se ducem occidere minitatur. A militibus vero circumdatus et causam terroris interrogatus, totam seriem negotii quod in

VARIÆ LECTIONES.

[220] se furtim o. 2. [221] appr. 2. [222] hospitium 2. [223] magdeb. 1. [224] nobis 1. [225] insolitos 1. [226] archi. 1. [227] quos 1. [228] mitigasti 1. [229] *ita emendavi ex Horat. Od. I.* 26. v. mercium 1. in Ercium *ed.* [230] Val. 1. [231] auferre 1.

NOTÆ.

(35) Id est mortem.

Digitized by Google

nocte gestum fuerat exponit, armisque projectis ipsi duci, quid et qua vi coactus jurasset, innotescit.

61. Alio tempore, cum idem dux reginam in manu sua a monasterio duceret, rex sagittario [232] cuidam præcepit, ut eum juxta reginam sagitta transfigeret. Sed ab eodem sagittario prænonitus dux, reginam non perduxit, sed inventa qualibet causa festinus ab ea recessit.

62. Tertia vice cum causæ quædam [233] intra cubiculum regis agerentur, et actionibus illis dux cum paucis suis interesset, nunciatum est ei quod duo regis famuli januam cum nudis gladiis obsiderent, qui ducem egredientem ex utroque latere perfoderent. Itaque suos cum gladiis occultis occulte fecit advenire, et aliquos ex ipsis cubiculum fecit intrare, plurimos vero præ foribus stare. Cumque omnia sicut jusserat essent disposita, cum suis accedens ad januam : *Tales*, inquit, *janitores, domne rex, in vestro cubiculo nollem modo vidisse, nec umquam posthac amplius volo videre.* Hæc locutus et abiit cum magno furore, et dixit, quod et implevit, quod numquam [234] vellet ulterius ad regis curiam venire.

63. Eodem vel [235] simili dolo etiam Bertholdum ducem [236] quærebat perdere, quia hi duo magis videbantur ejus malitiæ obsistere. Et quare de duobus tantum ejus sævitiam commemoro, qui nullum de principibus possum asserere securum tali periculo? Quadam namque die dum ipse cum suis scurris moraretur in cubiculo, et episcopi ceterique primates excubarent in vestibulo, fertur illis dixisse qui conscii et fautores erant suæ nequitiæ : « Ecce isti sunt, qui regni mei divitias habent, et me meosque omnes in paupertate reliquerunt. Quod si illi de medio fuissent ablati, ego cunctique mei familiares cito possemus divites fieri. Quapropter, si viri estis et divitias habere cupitis, istos nunc inermes armati fortiter invadite, et omnia quæ illi possident accipite. » Habebat autem in cubili suo semper multas secures lato ferro splendentes, quibus nec clipeus nec galea resistere poterat virtute aliqua. Quod nisi Anno Coloniensis præsul ab uno qui cum ceteris facinus erat acturus paulo ante fuisset submonitus, ea die fuisset perpetratum miserabile facinus.

64. Verum ut ad priora paulisper revertar, ubi primates nostri deditionem fecerunt, omnes semitas quæ per montes ducunt in Italiam, rex claudi præcepit, nec ulli homini viam patere permisit, ne rei veritas ad apostolicum prius veniret, quam ipse per legatos in suum favorem ipsum apostolicum traduceret. Deinde misit Romano pontifici legatos, qui ei intimarent, quod episcopi Saxoniæ sui ordinis obliti, contra se in prœlio congressi [237] fuissent, eumque rogarent, ut eos, sicut infideles perjuros et belli civilis auctores, gradu sacerdotali deponeret, quatenus tales per quos [238] ecclesia pacata regeretur, ipse in eorum locum poneret. Sed regis legatos ad apostolicum fama præcesserat, eique seriem rerum gestarum totam veraciter indicaverat. Misit ergo regi litteras, quibus eum de multis aliis criminibus arguebat, et ut episcopos a captivitate dimissos, ecclesiis bonisque suis integre restitutis, remitteret, orabat, et post hæc [239] concilium in eo loco quo venire posset apostolicus congregaret, ubi episcopi vel, si digni essent, episcopalem perderent dignitatem, vel injuriam quas erant passi canonicam reciperent satisfactionem. Quod si in his sacris canonibus noluisset rex obediens existere [240] et excommunicatos a societate sua repellere, se eum velut putre membrum anathematis gladio ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ minabatur abscindere. Qua legatione suscepta, et venientibus suis quos miserat apostolico confirmata, tristis valde fuit, quia in apostolica dignitate malitiæ suæ, sicut sperabat [241], auxilium non invenit.

65. Rex igitur cum suis deceptoribus una Wormatiam venit, et cum singulis vel [242] binis consilium inivit, qualiter dignam vicem rependeret [243] illi contumeliæ, quam omnes audierant Romanum pontificem sibi fecisse, quod eum se minatus sit excommunicaturum [244], cum tale quid cunctis temporibus fuisset inauditum. Cumque multa multis modis diu volutarent, tandem quibusdam eorum placuit, ut episcoporum concilio facto, papam quasi Simoniacum communi consensu dampnaret, eoque deposito, rex in loco ejus unum de suis amicis constitueret, qui omnia quæ regi fuissent placita, tota voluntate perficeret. Hoc igitur inito confirmatoque consilio, fecit omnes suos episcopos convenire, et coegit eos Hildebrando, qui Romanus pontifex vocaretur et non esset, subjectionem et obedientiam interdicere; et hoc ut post nullus eorum posset negare, fecit unumquemque eorum nomine suo prænotato manu propria abnegationem Hildebrando chartis [245] singulis inscribere hoc modo : « Ego N [246]. civitatis N. episcopus, Hildebrando subjectionem et obedientiam ex hac hora et deinceps interdico, et eum posthac apostolicum [247] nec habebo nec vocabo. » Quod quidem pauci fecerunt ex animo, qui et auctores ipsi fuere consilio; plures vero litteras quidem abrenunciationis mortis timore scripserunt, sed invitos se fecisse per hoc ostenderunt, quia cum primum datur eis oportunitas, apostolico supplices confessionis litteras dirigunt, et se reos ei agnoscunt, sed expurgationem necessitatis obtendunt. Deinde per totam Italiam misit epistolas, magnis donis et majoribus promissis illius terræ principes in favorem suæ partis inclinans. Itaque nostrates [248] episcopi solummodo scripto, illi renuntiabant etiam [249] juramento. Romanos etiam quam plurimos pecunia

VARIÆ LECTIONES.

[232] sagitario 1. [233] quadam 1. [234] *deest* 1. [235] et 1 [236] B. d. de Zaringe 2. [237] congessi 1. [238] *deest* 1. [239] p. h. in c. 1. [240] ee 1. [241] sperarat 2. [242] *ita* 2 illis 1 1b [243] *ita edd. recte;* repelleret 1. [244] excommunicarum 1. [245] cartis 1. [246] enim 1. [247] apostolicu 1. [248] Teutonici 2. [249] non 1b *et edd.*

Digitized by Google

corrupit, et ut Hildebrandum ab apostolicæ sedis honore dejiceret, talibus litteris oravit. Ipsi quoque apostolico plenas contumeliis litteras direxit, in quibus, ut apostolicum nomen et sedem cito relinqueret, minaciter præcepit. Hoc autem exemplum est literarum :

66. « Heinricus (36) Dei gratia rex, universæ sanctæ Romanæ ecclesiæ clero et populo, gratiam salutem et omne bonum. Hæc fides firma et inconcussa[250] creditur, quæ semper et eadem et præsenti servatur et absenti, nec diuturna ejus cui debetur absentia, nec longi temporis tædio immutatur. Quam talem vos nobis servare scimus et gratias agimus, et ut eadem perseveret petimus, videlicet ut, sicut facitis, amicis nostris amici, inimicis nostris inimici jugiter existatis. Inter quos scilicet Hildebrandum monachum notantes, vos in ejus inimicitiam excitamus, quia hunc et ecclesiæ invasorem et oppressorem, et Romanæ rei publicæ vel regni nostri insidiatorem deprehendimus[251], ut in subsequenti epistola sibi a nobis directa pernoscere in promtu est[252] :

« Heinricus Dei gratia rex Hildebrando. Cum hactenus ex te ea quæ patris sunt expectarem, tibique in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem, percepi a te[253] vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique nostri perniciosissimus hostis esset. Nam cum in primis omnem hereditariam dignitatem, quæ michi ab illa sede debebatur superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare temptasti. Nec hoc contentus, in reverentissimos episcopos, qui nobis velut dulcissima membra uniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis injuriis acerbissimisque contumeliis contra divina et humana jura, ut ipsi aiunt, exagitasti[254]. Quæ omnia cum ego quadam patientia dissimularem, tu hoc non patientiam sed ignaviam æstimans[255], in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet, ut tuis verbis utar, quod aut tu morereris aut michi animam regnumque tolleres. Hanc inauditam contumaciam ego non verbis sed re confutandam dijudicans, generalem conventum omnium regni primatum ipsis supplicantibus habui. Ubi cum ea quæ hactenus metu et reverentia tacebantur in medium deducta fuissent, veris assertionibus illorum, quas ex ipsorum litteris audies, palam factum est, te nullatenus in apostolica sede posse persistere. Quorum sententiæ, quia justa et probabilis coram Deo hominibusque videbatur, ego quoque assentiens, omne tibi papatus jus, quod habere visus es, abrenuntio, atque ut a sede Urbis, cujus michi patriciatus, Deo tribuente et jurato Romanorum assensu, debetur, ut descendas, edico. »

« Hæc series nostræ epistolæ ad Hildebrandum monachum. Quam idcirco et vobis scripsimus, ut et vobis nostra voluntas, et nobis, immo Deo et nobis, vestra satisfaciat caritas. Exsurgite[256] igitur in eum, fidelissimi, et sit primus in fide primus in ejus dampnatione. Non autem ut sanguinem ejus fundatis dicimus, quippe cum major sibi sit post depositionem pœna vita quam mors, sed ut eum, si nolit descendere, cogatis, et alium communi omnium episcoporum et vestro consilio a nobis electum in apostolicam sedem recipiatis, qui quod iste in ecclesia vulneravit, curare et velit et possit. »

« 67. Heinricus (37), non usurpative sed pia Dei ordinatione rex, Hildebrando, jam non apostolico sed falso monacho. Hanc talem pro confusione[257] tua salutationem promeruisti, qui nullum in ecclesia ordinem præteristi, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut enim de multis pauca et egregia loquamur, rectores sanctæ ecclesiæ, videlicet archiepiscopos, episcopos, presbyteros, non modo non tangere sicut christos Domini timuisti, quin sicut servos, nescientes quid faciat dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti; in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparasti; quos omnes nichil scire, te autem solum omnia nosse judicasti. Qua utique scientia non ad ædificationem, sed ad destructionem uti studuisti, ut jure[258] beatum Gregorium, cujus nomen tibi vendicasti, de te prophetasse credamus sic dicentem : « Ex affluentia subjectorum plerumque animus prælati extollitur, et æstimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse. » Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum apostolicæ sedis honorem servare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timorem fore intellexisti, ideoque et in ipsam regiam potestatem nobis a Deo concessam exsurgere non timuisti, quam te nobis auferre[259] ausus es minari, quasi nos a te regnum acceperimus, quasi in tua et non in Dei manu sit regnum vel imperium; qui Dominus noster Jesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti : scilicet astutia, quod monachica professio abhominatur, pecuniam, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adisti, et de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti, dum episcopos nostros a Deo vocatos, tu, non vocatus, spernendos docuisti, dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant[260] vel contempnent[261], qui ipsos a manu

VARIÆ LECTIONES.

[250] inconcussa 1. [251] *ita* 2 compreh. 1. [252] *hic* 1 *novum caput orditur.* [253] *deest* 1. [254] exacerbasti 2. [255] existimans 2. [256] Exurgite 1 *constanter.* [257] confessione 2? [258] i. hoc b. 2. [259] auferri 1. [260] deponent 1. [261] contempnant quos ipsi 2

NOTÆ.

(36) V. Legum T. II, p. 46.

(37) V. Leg. T. II, p. 47.

Digitized by Google

Domini per impositionem manuum episcoporum docendos[262] acceperant. Me quoquē, qui[263] licet indignus inter christos ad regnum sum unctus, tetigisti, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi a fide, quod absit, exorbitaverimus, deponendum asseruit, cum etiam Julianum apostatam prudentia sanctorum episcoporum non sibi sed soli Deo judicandum deponendumque commiserit. Ipse[264] verus papa beatus Petrus clamat : « Deum timete, regem honorificate. » Tu autem quia Deum non times, me, constitutum ejus, inhonoras. Unde beatus Paulus, ubi angelo de cœlo, si prædicaverit alia, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim : « Si quis, vel ego, vel etiam angelus e cœlo, præter id quod evangelizavimus, vobis evangelizaverit, anathema sit. » Tu ergo hoc anathemate et omnium episcoporum nostrorum judicio et nostro dampnatus descende, vindicatam sedem apostolicam relinque! Alius in solium[265] beati Petri ascendat, qui nulla violentiam[266] religione palliet, sed beati Petri sanam doctrinam doceat. Ego enim[267] Heinricus[268] rex Dei gratia, cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus : Descende, descende[269]. »

68. Quæ litteræ cum domno papæ, in basilica Lateranensi sanctæ synodo præsidenti, fuissent allatæ, et coram synodo palam recitatæ, tanta fit in ecclesia commotio, ut idem legatus, nisi inter apostolici pedes defensionem invenisset, membratim laniatus interisset miserabiliter. Sequenti vero die domnus papa coram ipsa[270] synodo declaravit, quotiens et quanta mansuetudine regem de magnis criminibus corripuisset, ut[271] episcopos a captivitate solveret quanta suavitate rogasset, apostolica auctoritate jussisset; et pro paterna dulcedine quantam superbiæ amaritudinem recepisset. Deinde cunctis acclamantibus ne talis contumelia remaneret inulta, omnium consilio et consensu Heinricum synodali judicio dampnavit, regisque nomine et honore privatum anathematis gladio percussit, litterasque in regnum Theutonicorum misit, quarum hic exemplar supponere placuit :

69. « Gregorius[272] episcopus (Greg. VII, *Regist.* III, 6), servus servorum Dei, omnibus qui se cupiunt annumerari inter oves quas Christus beato Petro commisit, salutem et apostolicam benedictionem. Audistis, fratres, novam et inauditam præsumptionem, audistis scismaticorum sceleratam et nomen Domini in beato Petro blasphemantium garrulitatem et audaciam; audistis superbiam ad injuriam et contumeliam sanctæ et apostolicæ sedis elatam, qualem vestri patres nec viderunt nec audierunt umquam[273], nec scripturarum series aliquando a paganis vel hæreticis docet emersam. Cujus mali etsi quod[274] umquam post fundatam ecclesiam[275] et propagatam fidem Christi processisset exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemptu et conculcatione apostolicæ, immo divinæ auctoritatis, dolendum foret et gemendum. Quapropter si beato Petro claves regni cœlorum a domino[276] nostro Jesu Christo traditas[277] creditis, et vobis per manus ipsius ad æternæ vitæ gaudia introitum parare[278] cupitis, cogitandum vobis est, quantum nunc de irrogata sibi contumelia[279] dolere debeatis. Nisi enim hic, ubi per discrimina temptationum vestra fides et corda probantur, socii passionum efficiamini, procul dubio non estis digni, ut participes futuræ consolationis, et filii regni, cœlestem coronam et gloriam sortiamini. Rogamus igitur caritatem vestram, ut instanter divinam misericordiam implorare studeatis, quatenus aut corda impiorum ad pœnitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda consilia, quam insipientes et stulti sint qui petram fundatam[280] in Christo evertere et divina privilegia[281] violare conantur, ostendat[282].

70. « Beate Petre apostolorum princeps, inclina quæso[283] pias aures tuas nobis, et audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi, et usque ad hanc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt et odiunt. Tu michi testis es, et domina mea mater Dei[284], et beatus Paulus, frater tuus, inter omnes sanctos, quod tua sancta Romana ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, et ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meam finire in peregrinatione quam locum tuum pro gloria mundi, pro seculari ingenio arripere. Et ideo[285] ex[286] tua gratia, non ex meis operibus credo, quod placuit tibi et placet, ut populus christianus tibi specialiter commissus, michi obediat specialiter pro vice tua michi commissa, et michi tua gratia est potestas a Deo data ligandi et solvendi in cœlo et in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro ecclesiæ tuæ honore et defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, per tuam potestatem et auctoritatem Heinrico regi filio Heinrici imperatoris, qui contra tuam ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Theutonicorum et Italiæ gubernacula contradico, et omnes Christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecerunt vel facient, absolvo,

VARIÆ LECTIONES.

[262] episcopalium docendi 2. [263] *deest* 1. [264] I. quoque 2 [265] sedem 2. [266] violencia 1. [267] *deest* 2. [268] N. 1. [269] *Editio Freheri altera addit ex Lehmanni Chron. Spirens., quæ jam supra cap.* 65. *legebantur :* Subscriptio episcoporum singulorum. Ego N. civitatis N. episcopus Hildebrandi sectationem et obedientiam ex hac hora et deinceps interdico et eum posthac apostolicum nec habebo nec vocabo. [270] ipso 1. [271] utque 2. [272] N. 1. [273] *ita Regest.* quam 1. [274] aliquod *R.* [275] *deest. R.* [276] d. deo n. *R.* [277] t. esse cr. *R.* [278] patere *R.* [279] injuria *R.* [280] p. a christo fund. *R.* [281] privilegio 1. [282] *R. add. :* Qualiter autem aut pro quibus causis beatus Petrus anathematis vinculo regem alligaverit, in chartula quæ huic inclusa est, plene potestis cognoscere. *Reliqua desunt. Devositio ilia III*, 5. *extat.* [283] quæsumus 2. [284] Domini 2. [285] in deo 2. [286] *deest* 1.

Digitized by Google

et ut nullus ei sicut regi serviat interdico. Dignum est enim, ut qui studet [287] honorem ecclesiæ tuæ minuere [288], ipse honorem amittat quem videtur habere. Et quia sicut christianus contempsit obedire, nec ad Deum rediit quem dimisit, participando excommunicatis, et multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro sua salute sibi misi, te teste spernendo, seque ab ecclesia tua, temptans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tua alligo, et sic eum ex fiducia tua alligo, ut sciant gentes et comprobent, quia tu es Petrus, et super tuam [289] petram filius Dei vivi ædificavit ecclesiam suam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. »

71. Deinde non longo tempore transacto, domnus apostolicus, ne regem magis injuriæ suæ dolore quam zelo justitiæ excommunicasse putaretur, has litteras ad regiones Theutonicas misit, quibus se juste eum excommunicasse testatur (58).

72. « Gregorius episcopus servus, servorum Dei, omnibus episcopis, ducibus et [290] comitibus, ceterisque fidelibus in regno Theutonicorum [291] christianam fidem defendentibus, salutem et apostolicam [292] benedictionem. Audivimus, quosdam inter vos de excommunicatione, quam in regem fecimus, dubitare, ac quærere utrum juste excommunicatus sit, et si nostra sententia ex auctoritate legalis censuræ ea qua debuit deliberatione progressa est. Quapropter, qualiter ad excommunicandum illum adducti simus [293], prout verius potuimus, teste conscientia nostra, oculis et intellectibus omnium patefacere curavimus, non tam ut singulas causas, quæ heu nimium notæ sunt, quasi [294] nostro clamore in publicum proferamus, quam ut eorum opinioni satisfaciamus, qui putant, nos spiritualem gladium temere et magis motu animi nostri quam divino metu et justitiæ zelo arripuisse. Cum adhuc in diaconatus officio positi essemus, perlata ad nos de actionibus regis sinistra [295] et multum inhonesta fama, propter imperialem dignitatem et reverentiam patris ac matris ejus, necnon propter [296] spem ac desiderium correctionis suæ sæpe eum per litteras et nuntios admonuimus, ut a pravitate sua [297] desisteret, et [298] memor clarissimi generis ac dignitatis suæ, vitam [299] moribus, quibus regem et futurum Deo donante deceret [300] imperatorem, instituere. Postquam vero [301] ad pontificatus apicem licet indigni venimus, cum illius ætas pariter cresceret et iniquitas, intelligentes Deum omnipotentem tanto [302] districtius de manu nostra animam illius requisiturum, quanto [303] nobis ad increpandum illum præ ceteris libertas data fuisset et auctoritas, multo sollicitius eum modis omnibus, arguendo, obsecrando, increpando, ad emendationem vitæ suæ hortati sumus. Qui [304] cum sæpe nobis devotas salutationes et litteras mitteret excusans se, cum [305] ex ætate quod fluxa esset et fragilis, tum quod ab [306] his, in quorum manibus curia erat, multotiens sibi male suasum atque consultum sit, monita nostra de die in diem se promptissime suscepturum verbis quidem promisit, ceterum re et [307] exaggeratione culparum penitus conculcavit. Inter hæc quosdam familiares suos, quorum consiliis et machinationibus episcopatus et multa monasteria, inductus [308] per pretium, lupis pro pastoribus simoniaca heresi fœdaverat, ad pœnitentiam vocavimus : quatenus et bona ecclesiarum, quæ per interventum tam scelerati commercii sacrilega manu susceperant, venerabilibus locis ad quæ pertinerent, dum adhuc locus esset emendandi, redderent, et ipsi pro perpetrata iniquitate per lamenta pœnitudinis Deo satisfacerent. Quos dum ad hæc exequenda datas inducias spernere et in consueta nequitia pertinaciter stare cognovimus, sicut dignum erat, sacrilegos et ministros ac membra diaboli a communione et corpore totius ecclesiæ separavimus, et regem, ut eos a domo sua, a consiliis et omni communione sua sicut excommunicatos expelleret, ammonuimus. Interim vero aggravescente contra regem Saxonum causa, cum vires et præsidia regni ex maxima parte a se deficere velle videret, iterum nobis direxit epistolam supplicem et omni humilitate plenam, in qua omnipotenti Deo et beato Petro ac nobis valde se culpabilem reddens [309] preces etiam obtulit, ut quod [310] ex sua culpa in ecclesiasticis causis contra canonicam institutionem [311] et decreta sanctorum Patrum factum esset, nostra apostolica providentia et auctoritate corrigere studeremus; atque in ea suam nobis per omnia obœdientiam, consensum et fidele [312] promisit adjutorium. Hoc idem etiam postea a confratribus [313] et legatis nostris, Humberto Prænestino episcopo, et Geraldo Ostiensi episcopo, quos ad illum misimus, ad pœnitentiam susceptus, in illorum manus per sacratas stolas quas in collo tenebant, repromittendo confirmavit. Deinde post aliquod tempus [314] commisso cum Saxonibus prœlio, rex pro victoria quam adeptus est tales Deo grates et victimas obtulit, ut vota quæ de emendatione sua

VARIÆ LECTIONES.

[287] studēt 1. [288] imminuere 2. [289] hanc 2. [290] *deest* 2. [291] teutonico 1. [292] *deest* 1. [293] sumus 2. [294] q. in 1. [295] de s. r. a. 1. [296] i. d. et r. p. ac m. e. n. n. p. *desunt* 1. *et in Paulo Bernriedensi.* [297] *deest* 2. [298] ac. 2. [299] v. suam 2. [300] diceret 1. [301] autem 2. [302] *deest.* 1. *et Paul.* [303] quantum 2. [304] Quod 2. [305] tum 2. [306] a. q. 1. [307] atque 2. [308] inductis *P. B.* [309] videns 2. [310] quæ 1. [311] *ita correxi :* justitiam 1. *P. B. deest* 2. [312] profidele p. 1. [313] *ita* 2. fratribus 1. [314] *deest* 2.

NOTÆ.

(58) V. Pauli Bern. Vita Greg. VII, c. 78.

Digitized by Google

fecerat continuo frangeret, et nichil eorum quæ promiserat attendens, excommunicatos in suam familiaritatem et communionem reciperet, et ecclesias in eam quam consueverat confusionem traheret. Qua de re gravi dolore percussi, quamquam [315] post contempta cœlestis regis beneficia pene omnis spes correctionis ejus nobis ablata sit, adhuc tamen animum ejus temptandum fore decrevimus, magis cupientes, eum apostolicam mansuetudinem audire quam experiri severitatem. Itaque misimus ei epistolas commonitorias, ut meminerit quid et cui promiserit, ne credat se posse fallere Deum, cujus quanto prolixior est patientia, tanto severior est, cum judicare cœperit, ira; neu inhonoret Deum honorantem se, nec [316] potentiam suam ad Dei contemptum et apostolicam temptet extendere contumeliam, sciens quod superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Præterea misimus ad eum tres religiosos viros, suos utique fideles, per quos eum secreto monuimus, ut pœnitentiam ageret de sceleribus suis, quæ quidem horrenda dicta sunt, pluribus autem nota et in multis partibus divulgata; propter quæ eum non excommunicari solum usque ad condignam satisfactionem, sed ab omni honore regni absque spe recuperationis debere destitui divinarum et humanarum legum testatur auctoritas. Postremo nisi excommunicatos a sua participatione divideret, nos nichil aliud de eo judicare aut discernere [317] posse, nisi ut separatus ab ecclesia in excommunicatorum consortio foret, cum quibus [318] potius quam cum Christo partem habere elegit. Sane si nostra monita suscipere et vitam suam corrigere vellet, Deum testem invocavimus et invocamus, quantum nos de ejus salute et honore gauderemus, et cum quanta caritate eum in gremium sanctæ ecclesiæ amplecteremur, utpote eum qui princeps populi constitutus et amplissimi regni gubernacula tenens, catholicæ pacis et justitiæ defensor esse deberet. Verum quanti ipse aut scripta aut per legatos missa nostra verba fecerit, ejus facta declarant. Qui indigne ferens se a quoquam reprehendi aut corripi, non solum a perpetratis ad emendationem revocari non potuit, sed ampliori conscientiæ suæ furore arreptus, non prius cessavit, donec episcopos pene omnes in Italia, in Theutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Christi naufragare fecit, dum eos debitam beato Petro et apostolicæ sedi obœdientiam et honorem a [319] Domino nostro Jesu Christo concessum abnegare subegit. Cum igitur iniquitatem ejus ad summum prodisse vidimus, pro his causis, videlicet primum, quod ab eorum communione qui pro sacrilegio et reatu simoniacæ hæresis excommunicati sunt, se abstinere noluit; deinde quod pro criminosis actibus suæ vitæ pœnitentiam non dico suscipere sed nec promittere quidem voluit, mentita ea fide quam in manus legatorum nostrorum promiserat; necnon quod corpus Christi, id est unitatem sanctæ ecclesiæ, scindere non expavit: pro his, inquam, culpis synodali judicio eum excommunicavimus, ut quem mites non potuimus, vel severi ad viam salutis, Deo adjuvante, revocare valeamus, aut si, quod absit, nec districtionis quidem censuram pertimuerit, nostra saltem anima [320] negligentiæ aut timoris discrimini non succumbat. Si quis igitur hanc sententiam injuste vel irrationabiliter prolatam esse putaverit, si talis est ut sacris regulis intelligentiæ sensum præbere non velit, nobiscum inde agat, et non quid nos sed quid [321] divina auctoritas doceat, quid decernat [322], quid consona vox sanctorum patrum judicet, patienter audiens acquiescat. Nos tamen non æstimamus quemquam fidelium, qui ecclesiastica statuta noverit, hoc errore teneri, ut non hoc, et si publice affirmare non audeat, vel in corde suo recte factum esse perhibeat; quamquam et si nos, quod Deus [323] avertat, non satis gravi de causa aut minus ordinate eum hujusmodi vinculo ligaverimus, sicut sancti patres asserunt, non idcirco spernenda esset sententia, sed absolutio cum omni humilitate quærenda. Vos autem, dilectissimi, qui justitiam Dei non pro regia indignatione, non pro aliquo periculo deserere voluistis, fatuitatem eorum qui de execratione et mendacio in consummatione [324] parvipendentes, viriliter state et confortamini in Domino, scientes, quod illius partem defenditis, qui insuperabilis rex et [325] magnificus triumphator judicaturus est vivos et mortuos, reddens unicuique secundum opus suum. De cujus multimoda retributione et vos certi esse poteritis, si usque in finem fideles et inconcussi in ejus veritate perstiteritis. Propter quod et nos incessanter pro vobis rogamus Dominum [326], ut det vobis virtutem corroborari per Spiritum sanctum in nomine ejus, et convertat cor regis ad pœnitentiam; ut et ipse aliquando agnoscat, nos et vos multo verius amare eum, quam qui nunc suis iniquitatibus obsequuntur et favent. Qui si Deo inspirante voluerit resipiscere, quicquid contra nos moliatur, semper tamen nos ad recipiendum eum in sanctam communionem, prout vestra caritas nobis consuluerit, paratos inveniet. »

73. Postea vero, ut excommunicationem quam fecerat amplius confirmaret, has litteras misit in Theutonicas regiones:

« Gregorius episcopus (Greg. VII, *Reg.* VIII, 21, *Cod. Udalr.* 156), servus servorum Dei, dilecto in

VARIÆ LECTIONES.

[315] quamvis 2. [316] neu 2. [317] d. *desunt* 2. [318] q. ipse p. 2. [319] *ita* 2 *et Ekkeh.* in 1. [320] nostram s. animam 1. [321] *deest.* 1. [322] discernat 2. [323] *deest* 1. [324] consummationem ruunt *supplet Mab.* [325] rex ac semper m. 2. [326] deum 2.

Digitized by Google

Christo fratri N. [327] episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Quod ad perferendos labores ac pericula pro defensione veritatis te paratum intelligimus, divini muneris esse non dubitamus, cujus [328] hæc est ineffabilis gratia et mira clementia, quod numquam electos suos penitus aberrare permittit, numquam funditus labefactari aut dejici sinit, dum eos persecutionis tempore quadam utili probatione discussos, etiam post trepidationem aliquam semet ipsis fortiores faciat. Quoniam autem, sicut inter ignavos alium, quo turpius alio fugiat, timor exanimat [329], ita etiam inter strenuos alium, quo fortius alio agat, quo ardentius prorumpat [330], virile pectus inflammat: hoc caritati tuæ exhortationis voce curavimus commendare, ut eo magis in acie christianæ religionis stare te delectet inter primos, quo eos non dubitas victori Deo proximos atque dignissimos. Quod autem postulasti, te quasi nostris scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, auctoritatem sanctæ apostolicæ sedis non potuisse regem Heinricum [331], hominem christianæ legis contemptorem, ecclesiarum videlicet et imperii destructorem atque hæreticorum auctorem et consentaneum, excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis ejus absolvere, non adeo [332] necessarium nobis videtur cum hujus rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus eos, qui ad cumulum suæ dampnationis veritati impudenter [333] detrahunt et contradicunt, hoc ad suæ defensionis audaciam tam ignorantia quam miseræ desperationis vecordia coaptasse. Nec mirum; mos est enim reproborum ob suæ nequitiæ protectionem [334] consimiles sibi defendere, quia pro nichilo habent mendacii perditionem incurrere. Nam ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac salvatoris nostri Jesu Christi dicentis in evangelio : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis? » (*Matth.* XVI.) Numquid hic sunt reges excepti, aut non sunt, de ovibus quas filius Dei beato Petro commisit? Quis, rogo, in hac universali [335] concessione ligandi atque solvendi, a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix ille, qui jugum Domini [336] portare nolens, diaboli se subjicit oneri, et in numero ovium Christi esse recusat? Cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quia potestatem Petri divinitus sibi concessam a superba cervice excutit; quoniam quanto eam quisque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad dampnationem suam in A judicio portat. Hanc itaque divinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis ecclesiæ, hoc privilegium beato [337] Petro apostolorum principi cœlesti decreto principaliter traditum atque firmatum sancti patres cum magna veneratione suscipientes atque servantes, sanctam Romanam ecclesiam tam in generalibus conciliis, quam etiam in ceteris scriptis et gestis suis universalem matrem appellaverunt; et sicut ejus documenta in confirmatione fidei et eruditione sacræ religionis, ita etiam judicia susceperunt; in hoc consentientes et quasi uno spiritu et una voce concordantes, omnes majores res et præcipua negotia, necnon omnium ecclesiarum judicia, ad eam quasi ad matrem et caput debere referri; ab ea nusquam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut refelli debere aut posse. Unde beatus Gelasius papa Anastasio imperatori scribens (*epist.* 10), divina fultus auctoritate, quid et qualiter de principatu sanctæ et apostolicæ sedis sentire deberet, hoc modo eum instruxit: « Etsi, inquit, cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus, fidelium [338] convenit colla submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit præminere, et subsequens ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? » Ubi prudentia tua evidenter advertit, numquam quolibet penitus humano consilio æquare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem [339] Christi vox prætulit universis, quem ecclesia veneranda semper confessa est et habet devota primatem. Item Julius papa orientalibus episcopis scribens, de potestate ejusdem sanctæ et apostolicæ sedis ait (*epist.* 2)« Decuerat vos, fratres, adversus sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam limate [340], et non ironice loqui, quoniam et ipse Dominus noster Jesus Christus eam decenter allocutus ait :» « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum. » « Habet enim potestatem singulari privilegio sibi concessam, aperire et clauderet januam regni cœlestis quibus voluerit. » Cui ergo aperiendi et claudendi cœli data est potestas, de terra judicare non licet? Absit. Num retinetis, quod ait beatus Paulus apostolus : « Nescitis quia angelos judicabimus, quanto magis secularia. » Beatus quoque Gregorius papa (*Epist. lib.* II) reges [341] a sua dignitate cadere statuit, qui apostolicæ sedis decreta violare præsumpserint scribens ad quendam senatorem [342] his verbis : « Si quis regum, sacerdotum, judicum [343] atque secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire temptaverit, potestatis honorisque sui dignitate [344] careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi ea quæ ab illo sunt male

VARIÆ LECTIONES.

[327] Hermanno Mettensi *ed.* [328] cum 1. [329] examinat 1. [330] corrumpat 1. [331] N. 1. [332] ideo 1. [333] imprudenter 1. [334] niti *addit Regist.* [335] universa 1. [336] domi 1. [337] *deest* 1. [338] fedelium 1. [339] quam 1. [340] limitare 1. [341] *deest* 1. [342] abbatem *addit Regist.* [343] judicium 1. [344] *deest* 1.

Digitized by Google

ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. » Quod si beatus Gregorius, doctor utique mitissimus, reges, qui statuta sua super unum xenodochium violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari atque in æterno examine dampnari decrevit; quis [345], nos Heinricum [346], non solum apostolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris ecclesiæ, quantum in ipso est, conculcatorem, totiusque regni et ecclesiarum improbissimum prædonem et atrocissimum destructorem, deposuisse et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus; sicut beato Petro docente cognovimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait : « Si quis amicus fuerit his, quibus ipse — de eodem Clemente dicens — non loquitur, unus est et ipse ex illis, qui exterminare Dei ecclesiam volunt; et cum corpore nobiscum esse videtur, mente et animo contra nos est, et est multo nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt et evidenter inimici. » Hic enim [347] per amicitiarum speciem quæ inimica sunt gerit, et ecclesiam dispergit ac vastat. Nota ergo, carissime, si eum, qui amicitia vel colloquio his, quibus papa pro actibus suis aversus [348] est, associatur, tam graviter judicat : quanta illum ipsum, cui pro actibus suis aversus [348] est, animadversione dampnat. Sed ut ad rem redeamus, itane dignitas a secularibus et Deum ignorantibus inventa, non subjicietur ei dignitati quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit mundoque misericorditer tribuit? Cujus filius sicut Deus et homo indubitanter creditur [349], ita summus sacerdos, caput omnium sacerdotum, ad dexteram Patris sedens, et pro nobis semper interpellans habetur, qui seculare regnum, unde filii seculi tument, despexit et ad sacerdotium crucis spontaneus venit. Quis nesciat, reges et duces ab his [350] habuisse principium, qui Deum ignorantes, superbia, rapinis, perfidia, homicidiis, postremo universis pene sceleribus, mundi principe videlicet [351] diabolo agitante, super pares, scilicet [351], homines [351], dominari cæca cupidine et intolerabili præsumptione affectaverunt? Qui videlicet, dum sacerdotes Domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparantur, quam ei [352] qui est caput super omnes filios superbiæ, qui ipsum summum pontificem, sacerdotum caput, Altissimi [353] filium [353] temptans, et omnia illi mundi regna promitte s ait : « Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me! » (*Matth.* IV, 9.) Quis dubitet, sacerdotes Christi regum et principum omniumque fidelium patres et magistros censeri? nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum A suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse et solvi? Hæc, sicut beatus Gregorius in epistola ad Mauritium imperatorem directa commemorat (*epist.* IV, 31), Constantinus magnus imperator, omnium regum et principum fere totius orbis dominus, evidenter intelligens, in sancta synodo Nicena [354] post omnes episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam super [355] eos dare præsumpsit, sed illos etiam deos vocans, non suo debere subesse judicio, verum se ab illorum pendere arbitrio judicavit. Supradicto quoque Anastasio imperatori prælibatus papa Gelasius persuadens, ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur injuriam, subintulit dicens : « Duo sunt quippe, imperator auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sancta pontificum et regalis potestas; in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quantum etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. » Et paucis interpositis inquit : « Nosti itaque inter hæc illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle [356] redigi voluntatem. » Talibus ergo institutis talibusque fulti auctoritatibus, plerique pontificum alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius papa Archadium imperatorem, quia consensit, ut sanctus Johannes Crisostomus [357] a sede sua pelleretur, excommunicavit. Alius item Romanus pontifex [358] regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati non erat [359] utilis, a regno deposuit, et Pipinum Karoli Magni imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis quod illi fecerant absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate sæpe agit ecclesia sancta, cum milites absolvit a vinculo juramenti; quod factum est his episcopis, qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius licet sanctus, non tamen universalis ecclesiæ episcopus, pro culpa quæ aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia exclusit. Quod etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non ita pretiosius sit plumbo, quam regia potestate altior sit dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui pastoralis scribens : « Honor, fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas regum colla et principum, summitti genibus sacerdotum, et exosculata eorum dextera, eorum se credant orationibus communiri. » Et post pauca : « Hæc cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis agnoscere, ut ostenderemus, ni-

VARIÆ LECTIONES.

[345] qui 1. [346] N. 1. [347] N. 1. [348] adversus *Reg.* [349] credit 1. [350] ab his *desunt* 1. [351] *deest* 2. [352] *deest* 1. [353] *deest* 2. [354] in cena 1. [355] supra 1. [356] velli 1. [357] crisostimus 1. [358] Zacharias videlicet *addit Reg* [359] *deest* 1.

Digitized by Google

chil esse in hoc seculo sacerdotibus excellentius, nichil sublimius episcopis reperiri. » Meminisse etiam debet fraternitas tua, quia major potestas exorcistæ conceditur, cum spiritualis imperator ad abigendos dæmones constituitur, quam alicui laicorum causa secularis dominationis tribui possit. Omnibus regibus nempe et principibus terræ, qui religiose non vivunt, et in [360] actibus suis Deum ut oportet, non metuunt, dæmones heu proh dolor! dominantur, et misera servitute confundunt. Tales enim non divino ducti amore, sicut religiosi sacerdotes ad honorem Dei et utilitatem animarum præesse cupiunt, sed ut intolerabilem superbiam ostentent animique libidinem expleant, ceteris dominari affectant. De quibus beatus Augustinus in libro primo de doctrina christiana dicit : « Cum vero etiam eis, qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus, quilibet dominari affectatur, intolerabilis omnino superbia est. » Porro autem exorcistæ, ut diximus, supra dæmones a Deo imperium habent; quanto igitur magis super eos, qui dæmonibus subjecti et membra sunt dæmonum? Si ergo his tantum præeminent exorcistæ, quanto amplius sacerdotes? Præterea omnis rex christianus ad exitum veniens ut [361] carcerem evadat inferni, ut de tenebris in lucem tendat ut de peccatorum vinculis in Dei judicio absolutus appareat, sacerdotis opem supplex ac miserandus requirit. Quis autem non modo sacerdotum, verum etiam laicorum in extremis positus, pro suæ animæ salute terreni regis imploravit auxilium? Quis [362] vero regum aut imperatorum aliquem christianum ex imposito sibi officio valet sacro baptismatis ex diaboli potestate eripere, et inter filios Dei connumerare, sanctoque [363] chrismate præmunire? Et quod maximum est in christiana religione, quis eorum valet proprio ore corpus et sanguinem Domini conficere? vel cui eorum data est potestas ligandi solvendique in cœlo et in terra? Ex quibus aperte colligitur, quanta potestate præcellat dignitas sacerdotum. Aut quis eorum potest aliquem clericum in sancta ecclesia ordinare? quanto minus pro aliqua culpa eum deponere? Namque in ecclesiasticis ordinibus majoris potestatis est deponere quam ordinare. Episcopi enim possunt alios episcopos ordinare, sed nullo modo sine auctoritate apostolicæ sedis deponere. Quis igitur vel tenuiter sciolus dubitet sacerdotes regibus anteferre [364]? Quod si reges pro peccatis suis a sacerdotibus sunt judicandi, a quo rectius quam a Romano pontifice sunt judicandi? Ad summam quoslibet bonos christianos multo convenientius quam malos principes reges intelligi decet. Isti enim gloriam Dei quærendo semetipsos strenue regunt; at illi non quæ Dei sunt sed sua quærentes, sibimet hostes, alios tyrannice opprimunt. Hi veri regis Christi, illi vero diaboli corpus sunt. Isti ad hoc sibi imperant, ut cum [365] summo imperatore æternaliter regnent; illorum vero id potestas agit, ut cum tenebrarum principe, qui rex est super omnes filios superbiæ, æterna dampnatione dispereant. Nec valde sane mirandum est, quod mali pontifices iniquo regi, quem adeptis male per eum honoribus diligunt metuuntque [366], consentiunt; qui simoniace quoslibet ordinando, Deum pro vili etiam pretio vendunt. Nam sicut electi insolubiter [367] suo capiti uniuntur, ita et reprobi maxime contra bonos, ei qui malitiæ caput est, pertinaciter fœderantur. Contra quos profecto non tam disserendum, quam pro eis est lacrimosis planctibus ingemendum, ut omnipotens Deus illos a laqueis Sathanæ quibus captivi tenentur eripiat, et tandem aliquando vel post pericula ad agnitionem veritatis perducat. Hæc de regibus et imperatoribus, quia [368] singulari gloria nimium tumidi, non Deo sed sibi regnant. Sed quia nostri est officii, unicuique secundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exhortationem distribuere: imperatoribus et regibus [369] ceterisque principibus, ut elationes maris et superbiæ fluctus comprimere valeant, arma humilitatis Deo auctore providere curamus. Scimus enim, quia mundana gloria et secularis cura eos permaxime, qui præsunt, ad elationem trahere solet; qua semper neglecta humilitate, propriam quærendo gloriam, fratribus cupiant præminere. Deinde [370] videtur utile maxime imperatoribus et regibus, ut cum mens illorum [371] ad alta se erigere et pro singulari vult gloria oblectare, inveniat quibus se modis humiliet, atque unde gaudebat [372], sentiat plus timendum. Perspiciant ergo diligenter, quam periculosa, quamve timenda sit imperatoria vel regia dignitas, in qua paucissimi salvantur, et illi qui Deo miserante ad salutem veniunt, non æque ut multi pauperum, judicio sancti Spiritus in sancta ecclesia glorificantur [373]. A mundi enim principio usque ad hæc nostra tempora in tota authentica scriptura non invenimus septem imperatores vel reges, quorum vita fuerit adeo præcipua religione et virtute signorum decorata, sicut universalis [374] multitudinis seculi contemptorum, licet eorum plures credamus apud omnipotentem Deum misericordiæ salutem invenisse. Namque ut de apostolis et martyribus taceamus, quis imperatorum vel regum æque ut beatus Martinus, Antonius, et Benedictus miraculis claruit? Quis [375] imperator aut rex mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit? Ecce Constantinum piæ memoriæ imperatorem, Theodosium, et Honorium Carolum, et Ludowicum, justitiæ amatores, christianæ religionis propagatores, ecclesiarum

VARIÆ LECTIONES.

[360] *deest* 1. [361] ut in c. 1. [362] Qui 1. [363] sanctorumque 1. [364] auferre 1. [365] *decst* 1. [366] metuunt 1. 2. [367] insolubiter 1. [368] qui *Reg.* 55. [369] principibus 1. [370] Proinde *Reg.* [371] i. se 1. [372] gaudeat *Reg.* [373] clarificantur *Reg.* [374] innumerabilis *Reg.* [375] enim *addit R.*

Digitized by Google

defensores, sancta quidem ecclesia laudat [376] et veneratur, non tamen eos [377] fulsisse tanta miraculorum gloria judicat. Præterea ad quot nomina regum vel imperatorum basilicas seu altaria dedicari, vel ad eorum honorem sancta ecclesia missas statuit celebrari? Timeant reges aliique principes, ne quanto se ceteris hominibus in hac vita præferri gaudent, tanto amplius æternis incendiis subjiciantur. Unde scriptum est : « Potentes potenter tormenta patientur (*Sap.* VI, 7). » De tot enim hominibus Deo reddituri sunt rationem, quot suæ dominationi subditos habuerunt. Quod si alicui religioso privato non parvus labor est unam suam animam custodire, quantus labor imminet principibus super multis milibus animarum? Præterea si judicium sanctæ ecclesiæ valde constringit peccatorem pro unius hominis interfectione, quid erit de his qui multa milia morti tradunt pro hujus mundi honore; qui licet ore aliquando dicant : « Mea culpa, » pro multorum occisione tamen in corde gaudent, in sui quasi honoris extensione, noluntque non fecisse quod egerunt, neque dolent quod fratres suos in tartarum compulerunt. Cumque ex toto corde eos non pœniteat, neque volunt humano sanguine adquisita vel detenta omittere, illorum pœnitentia apud Deum sine digno pœnitentiæ fructu manet. Unde profecto valde est timendum atque ad memoriam eorum crebro revocandum, quia sicut præfati sumus, a mundi principio paucissimi per diversa terrarum regna reges sancti ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur; cum in una tantum pontificum seriatim [378] sede, videlicet Romana, a tempore beati Petri apostoli fere centum inter sanctissimos computentur. Cur autem hoc, nisi quia reges terræ et principes vana gloria delectati, sicut prælibatum est, quæ sua sunt spiritualibus præferunt; religiosi autem pontifices vanam gloriam despicientes, quæ Dei sunt carnalibus rebus præponunt. Illi in se delinquentes [379] facile puniunt, in Deum peccantes æquo animo ferunt; isti in se peccantibus cito ignoscunt [380], Deum offendentibus non leviter parcunt. Illi terrenis actibus nimium dediti spiritualia parvi pendunt; isti cœlestia sedulo meditantes quæ sunt terrena contemnunt. Admonendi sunt ergo omnes christiani, qui cum Christo regnare cupiunt, ne ambitione secularis potestatis regnare affectent, sed potius præ oculis habeant, quod beatus Gregorius papa sanctissimus in libro Pastorali admonet [381], dicens : « Inter hæc itaque quid sequendum, quidve timendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regnum veniat, virtutibus vacuus ne coactus accedat. Quod si ad apostolicam sedem, in qua rite ordinati meritis beati Petri apostoli meliores efficiuntur, qui Deum timent [382], coacti A veniunt cum magno timore : ad regni solium cum quanto timore [383] accedendum, in quo etiam boni et humiles, sicut in Saul et David cognoscitur, deteriores fiunt? Nam quod de apostolica sede prælibavimus, in decretis beati Symmachi [384] papæ, licet experimento sciamus, sic continetur : « Hic, scilicet beatus Petrus, perhennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ misit ad posteros. » Et post pauca : « Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit, in qua si desint [385] bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci decessore præstantur; aut enim claros ad hæc fastigia [386] erigit, aut eos qui eriguntur illustrat. » Quapropter quos sancta ecclesia sua sponte ad imperium vel regimen [387] deliberato consilio advo- B cat, non pro transitoria gloria sed pro multorum salute humiliter obediant, et semper caveant quod beatus Gregorius in eodem libro Pastorali testatur : « Apostatæ quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus. Domino attestante, qui ait : « Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? » (*I Reg.* XV, 17.) Et paulo inferius : « Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Dominum magnus; cum vero apud se magnus apparuit, apud Dominum parvulus fuit. » Vigilanter quoque retinendum, quod Dominus in evangelio dicit : « Ego gloriam meam non quæro (*Joan.* VIII, 50); » et « qui vult inter vos esse primus, sit omnium servus (*Marc.* X, 44). » Honorem Dei semper suo præponant; justitiam, unique suum servando jus [388], amplectantur atque custodiant; non eant in consilio impiorum, sed religiosis semper acquiescendo corde adhæreant; sanctam ecclesiam non quærant sicut ancillam sibi subjicere, subjugare; sed permaxime oculos illius [389], videlicet Domini, sacerdotes, magistros et patres recognoscendo, decenter [390] studeant honorare. Nam si carnales matres et patres honorare jubemur, quanto magis spirituales? Si ille qui carnali patri vel matri maledixerit, morte mulctandus est; quid ille qui maledicit patri spirituali D vel matri, meretur? Non carnali amore illecti studeant filium suum gregi, pro quo Christus sanguinem suum fudit, præponere; si meliorem illo et utiliorem possunt invenire; ne plus Deo diligendo filium, maximum sanctæ ecclesiæ inferant detrimentum. Patenter enim Deum et proximum, sicut christianum oportet, non amare convincitur, qui tantæ utilitati tamque necessariæ sanctæ matris ecclesiæ, prout melius potest, negligit providere. Hac namque virtute, id est caritate, neglecta, quic-

VARIÆ LECTIONES.

[376] etiam 1. [377] eum 1. [378] succedentium *addit rieg.* [379] d. f. p. i. D. p. a. a. f. I. in se *aesunt* 1. [380] cognoscunt 1. 2? [381] ãmone 1. [382] quia t. 1. [383] ac tremore *addit Reg.* [384] *deest* 1. [385] desinit 1. [386] vestigia 1. [387] regm 1. regimen 2. [388] vis 1. [389] illos *Reg.* [390] decententer 1.

Digitized by Google

quid boni aliquis fecerit, omni fructu salutis carebit. Hæc itaque humiliter agendo, et amorem Dei et proximi, sicut oportet, servando, præsumant de illius misericordia, qui dixit: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi, 29). » Quem si humiliter imitati fuerint, de regno servili et transitorio ad regnum veræ libertatis et æternitatis transibunt [391], Amen. Ammonemus vos fratres et coepiscopos [392] nostros, ne faciem principum trepidantes, veritatem eis dicere timeatis, incurrentes illud Gregorii: « Cum in terra hominem contra veritatem quilibet pavet, ejusdem veritatis iram cœlitus sustinet. »

74. Legatus regis reversus (*an.* 1076, *Mart.* 27), cum regi, qui tunc erat Trajecti, quod erat excommunicatus indicaret, Willehalmi, ipsius urbis episcopi, consilio rex excommunicationem illam nichili [393] pendit. Episcopus quoque idem timens, ne si populus hæc audisset, a rege sicut ab excommunicato discederet, inter missas sermonem faciens ad populum derisorie, quod rex esset excommunicatus, indicavit, sed hanc excommunicationem nichil valere, quibus poterat verbis, utpote facundus homo, confirmavit. Sed quantum valeret, in se ipso coactus agnoscere, si liceret ei pœnitendo a superbia resipiscere. Nam in ipso loco, in quo Romano pontifici derogabat ejusque potestatem verbosus adnichilare laborabat, ipse mala valetudine corripitur, in qua usque ad miserandum miseræ vitæ finem detinetur. Itaque morbo magis ac magis ingravescente, dum esset cum eo quidam homo regis, eumque [394] rogaret, ut si cum suo mandato remitteret ad regem: *Hoc*, inquit, *ei mitto mandatum, quod ipse et ego, et omnes ejus iniquitati faventes, dampnati sumus in perpetuum.* Cumque a suis qui aderant clericis, ne talia loqueretur, esset ammonitus: *Quid aliud*, inquit, *loquar, nisi quod verum esse visibiliter intueor. Ecce enim dæmones lectum meum circumstant, quatenus me, mox ut expiravero rapiant. Itaque cum fuero de corpore eductus, rogo vos et omnes fideles, ne se fatigent pro me faciendo supplicationes.* Hac igitur in desperatione defunctus, nullis orationibus Deo reconciliatus, diu jacebat insepultus, donec Romam mittitur, et inde quæsito consilio, ne populus fœtore corrumpatur, apostolico jussu sine commendationibus sepelitur. Non longe autem post mortem suam abbati Cloniacensi [395] apparuit, priusquam eum fuisse mortuum cognovisset, et: *Non sum*, inquit, *vivus, sed vere defunctus, et in inferno sepultus.* Sic ille sapiens et per omnia vir honestus si non esset avaritiæ venenis [396] infectus, stultum et miserabilem finem habuit; quia hunc, dum poterat, præcavere noluit. Et cur eum solum dico miserabiliter obisse? cum manifestum sit, omnes fere Heinrici familiares et fideles æque miseras mortes incurrisse, et eos miseriores, qui fuerant illi fideliores, quia fides illa vere erat perfidia.

75. Ut enim per excessum quædam vel repetam vel prærcurram, patriarcha, qui legatus apostolici, maximus auctor abjurationis extiterat Heinrici et novi regis instituendi, postquam exregi quasi regi sociatus retrogradus efficitur, repentina morte præventus, quia communicabat excommunicatis, incommunicatus et inconfessus huic vitæ subtrahitur. Verum quia tantæ dignitatis virum non decebat ire solum ad infernum, quinquaginta, sicut audivimus, de suis habuit socios, eadem morte repentina correptos; ne quos habebat in [397] iniquitate consortes, retributione non haberet participes.

76. Udo Treverensis archiepiscopus, omni pietate plenus, dum nimis mansuetus tyrannidi non resistens, Heinrico plus quam decebat obsequitur, ejus flammeo furori suæ consensionis oleum ministrat, et ut ecclesiæ deprædentur licentiam donat (*V. cap.* 103); et mox in crastino mane [398] mortuus invenitur, ut omnibus aperte constaret ideo tali eum morte obisse, quia in ecclesiarum prædatione [399] non timuit assensum præbere.

77. Eppo Cicensis episcopus, dum in episcopio sancti Kiliani (39) quemdam rivum forti sedens in equo transiret, quem quilibet pedes sine periculo transire posset, ubi nec timor ullus fuit, equo cadente moriens sic interiit (*Cf. Annal. Sax.*, *an.* 1078); sancto Kiliano sic disponente, ut qui ejus urbis violentus incubator injuste vinum suum bibebat, aquam quoque suam juste bibens, ultra vinum non quærat; et quia nobis inconciliabilis [400] permansit, Deo inreconciliatus ab hac [401] vita migravit.

78. Godefridus [402] dux, qui fuit maximus hostis Saxoniæ, periit in secretiori corporis parte perfossus sævo mucrone, nec purgatus ultima confessione, nec munitus sacra communione.

79. Godebaldus [403], dum equo suo noviter ferrato pedem posteriorem levaret, ut an apte ferrum esset impositum [404] perspiceret, ab ipso pede in fronte percutitur, et sic ab hac vita abstrahitur.

80. Burchardus Minnensis prælectus [405], dum in quadam sua, cui præerat, urbe ab urbanis invaditur, equo cui insidebat frustra calcaribus vulnerato, fugere molitur, quia equus sæpe prius de velocitate laudatus, modo, cum maxime maximo cursu opus erat, fit stationarius, quasi diceret: *Mihi non licet eum nunc a vobis eripere, qui dum sibi licuit, nolebat se*

VARIÆ LECTIONES.

[391] Data Idibus Martii *addit Reg. ubi reliqua desunt. Alia addunt codex Musei Britannici Arundel. N.* 77. *sec.* xi. *et Codex Udalrici.* [392] episcopos 1. [393] *ita* 1. 1b. vili p. 2. [394] eum 1. [395] Cluniac. 2. [396] *ita* 1b. veneno 2. [397] *deest* 1. [398] *ita* 1b. 2. *deest* 1. [399] prædationibus 2. [400] *ita* 1. 2. irreconciliabilis 1b. [401] *deest* 1. [402] dux Lothariorum Gozelo vel Godefridus 2. [403] Godobaldus 2. [404] repositum 2. [405] M. episcopus effectus 1.

NOTÆ.

(39) Id est Wirziburgensi.

Digitized by Google

corrigere. Moritur ergo cum magno animæ suæ periculo, quia sæpe consensum præbuit periculoso sævissimi regis consilio.

81. Liupoldus [406], frater Bertholdi regis consiliarii, qui et ipse ejus consiliarius erat, dum quadam die juxta regem equitans, cum eo quoslibet sermones conferret, accipiter quem sinistra portabat, volitare cœpit, quasi capturam peteret. Ille vero post avem parumper se inclinans, ab equo gravis cecidit, et ensem quo cinctus erat e vagina lapsum, capulo terræ defixo in pectore medio recepit; et qui sæpe pravi consilii consors vel auctor fuit, sine consilio perpetuæ salutis ab hac vita recessit. His ex parte tractatis, multa his similia præteriens, ad iter inceptum volo reverti, quod non aberrando sed sponte deviando deserui.

82. (*An.* 1076, *April.-Mai.*) Igitur comperta legatione pontificis et excomunicatione sive depositione Heinrici regis, omnes qui nostros captivos habebant, quia nullam apud regem misericordiam, dum rex erat, invenire poterant, et ei nullam modo, cum rex non esset, fidem vel subjectionem debebant, omnes eos in patriam gratis, Heinrico nesciente, dimiserunt.

83. Sed Burchardus [407] Halberstadensis episcopus quam mirabiliter a miserabili dampnatione sit divina pietate liberatus, ad Dei laudem et ad omnium miserorum consolationem referam. Dum Heinricus esset juxta Danubium, et secum haberet sororis suæ maritum Salomonem, similiter ab Ungriæ [408] regno depulsum, quia temporibus illis vigebat depositio regum; genero suo jam redituro in patriam, in cujus extremitate paucas urbes habendo vix hærebat, episcopum Burchardum commendavit, eumque multum, ut numquam in Theutonicis finibus videretur, obsecravit; quod et ille promisit. Quod cum episcopus præsensisset, amicos, quos habebat ibi paucos, paucis, sicut tempus monebat, verbis allocutus, rogavit omnes per Dei nomen, quatenus de sua cogitarent ereptione. Tunc Othelricus [409] quidam dixit ei, stare quandam domum desertam non longe a litore, monuitque eum ut hanc arte qualibet temptaret intrare. Episcopis ergo tantum cum uno capellano navi impositus, exregem jubetur antecedere, donec ipse cum socero pransus, eum cum gurgite currens velociter [410] insequatur. Leniter ergo defluens episcopus non in somnum dissolvitur, non in vanis confabulationibus occupatur, sed cor cum tota devotione levat ad Deum, oculos in litus tenet intentos, donec præmonstratam conspiciat domum (*Jun.* 24). Qua visa rogat nautas, ut in litus se velint exponere, quatenus ventrem levando persolvat debita naturæ. Illi nil suspicantes, in miserum misericordes fuerant, et cum capellano comite exire permiserunt. Quid moror, cum in illo moram nullam intueor? Removetur a litore longius, nautisque ne longius abiret clamantibus, appropinquat domui, leniterque pulsans, Deumque suppliciter vocans, dixit: *Aperi*. Numquam dixit neque dicturus est cum majore devotione cordis, *Aperi*, nisi si speraverit sibi quandoque januam regni cœlestis aperiri. Othelricus paratis equis et sociis episcopum suscepit, et die quiescens, nocte vero festinans, eum Dei misericordia comitante in Halberstedi [411] perduxit. Quanta gratulatione totius populi fuisset acceptus, meus hebes non valet explicare stilus. Etiam qui eum prius odio habuerunt, in occursu læti gaudentesque cucurrerunt [412].

84. Principes ergo nostri diversis ab exiliis omnes pene simul in patriam reversi, magnam his qui domi erant dederunt materiam gaudii, et multorum os aperuerunt in laudem Dei. Invenerunt enim totam pene plebem congregatam, exigi tributa prædiis suis persolvenda, jam libertatis spe retinendæ deposita, quæ juberetur cuncta facturam. Herimannus autem, patruus Magni ducis, et Thiedricus de Kathalanburg [413]—hi namque prius aliquanto ceteris venerunt —obstupefactis omnibus exclamaverunt: « Nolite, dicentes, optimi Saxones, nolite servitutis jugа recipere, nolite [414] hæreditatem vestram tributariam facere, nolite de misericordia Dei desperare! Ecce nos, qui vestri causa nos in captivitatem dedimus, Dei clementia, illo qui nos tenebat invito, redimus, pro vobis et vestris pugnaturi quamdiu vivimus. Erigite ergo cervicem jugo servitutis excusso liberam, numquam posthac servitute premendam, adjuvante Deo. Retinete manus a tributis solvendis, retinete possessiones vestras liberas, sicut liberas eas a vestris parentibus accepistis. Vos autem fautores iniquitatis, qui miseræ plebis oppressione crudelis tyranni gratiam quæsistis, ab opprimendo cessate, ab exigendo quiescite, et ex hac hora vel nobiscum pro libertate pugnaturi fideliter et jurati permanete, vel in hac hora velut hostes infidi et perjuri a nobis et a patria nostra numquam reversuri discedite. » Talibus verbis et hostes confusi, a ferocitate quiescunt, et cives confortati, pristina virtute recepta, in unanimitatem facile coalescunt. Coadunati denique, præsidia Heinrici ab omnibus castellis ejiciunt, et illis ea quorum fuerant libera restituunt; possessiones alias, quas tyrannus injuste his quorum erant ereptas, injustius illis ad quos nullo jure pertinebant donaverat [415], auferunt, et eas ad justos possessores redire faciunt. His omnibus in finibus nostris rite peractis, diem et locum determinant, ubi concordiam ad defensionem patriæ renovaturi conveniant, et eos in quibus infidelitatis suspicio resideret, aut a finibus suis exire, aut secum fideliter convenire compellant.

85. Hæc omnia dum Heinricus audisset (*Jun.* 29), nimis in animo conturbatur, et Mogontiam [416] veniens. quosdam de residuis adhuc captivis ad se

VARIÆ LECTIONES.

[406] Luidpoldus 2. [407] Bucco sive Burchardus 2. [408] *ita* 1. 2. [409] Odelricus 2. [410] velox 1b. [411] halberstatedi 1. [412] ut concurrerent 2. [413] Katelenburh 2. [414] n. h. v. t. f. *desunt* 1. [415] donouerat 1. [416] mogontinam 1.

Digitized by Google

duci præcepit, et cum eis de pretio, quo se redimerent ut dimitterentur, egit. Interea orta seditione inter Mogontinos et Babenbergenses milites, civitas a Babenbergensibus incenditur, ita ut tota vel maxima pars ejus arsura videretur. Ad quam restinguendam [617] dum Heinricus ipse omnisque populus festinaret, captivi nostri sine custode relicti, inventa navi Rhenum transierunt, et die noctuque festinantes, in patriam suam pervenerunt. Inter quos erat etiam Gertrud [618], nobilissimi Ottonis ducis fratris Herimanni vidua, quam Lodewig ante biennium fere ceperat, et domino suo Heinrico, ut ab ea pecuniam extorqueret, quod et fecit, adduxerat.

86. Heinricus ergo exrex videns suæ voluntati cunctas res adversari, cum intelligeret, se de lupina ferocitate parum proficere, pelliciam [619] non corvinam cogitavit induere, ut ostensione pietatis et justitiæ deciperet, quos crudelitate violenta superare non posset. Volebat namque legatos ad Saxoniam mittere, qui dicerent, se eis plus quam ipsi cuperent bonum esse velle, se penitus injustitiam cum vitiis omnibus, quoad posset, abjicere, se eis in omnibus pariturum dedere; sed nullum, qui hanc legationem portare præsumeret, invenit; quia de suis quoque eum nullus, quod ore emisit, in corde habere credebat, nec aliquis dubitavit, quin si quis Saxonibus valde jam exasperatis hoc nuntium falsitatis afferret, pro falsis promissis pœnas veraciter daret. Remanserant autem adhuc duo de nostris apud eum, Werinherus Magedaburgensis, et ejusdem nominis Merseburgensis episcopus; qui cum possent invito rege sicut alii repatriare, nolebant, quia in illo licet impio, Deum, a quo est omnis potestas, offendere timebant. Hos ergo cum supradicta legatione ad Saxoniam misit, sed de eorum reversione nichil eis dixit. Illi vero Saxonibus cum tota voluntate quod erant jussi suadebant, sed Saxones, cognitis tot ejus mendaciis, hæc quoque promissa veneno falsitatis infecta non dubitabant. Cumque vellent episcopi eorum responsa reportare, jussi sunt unum e duobus eligere, aut hic modo stare, aut huc numquam posthac redire.

87. Principes igitur nostri simul adunati, juramentis et obsidibus invicem datis in unum se confirmant, et ut ad invicem firmissime cohærerent, regem cui subjaceant omnes eligere deliberant. Sed cum audissent, quod Suevos tam crudeliter antiquum fœdus infregisse pœnituit, ad eos legatos de renovando fœdere mittere complacuit, ut iterum convenientes in unum, inimicitiarum acerbitatem multa dilectionis suavitate superarent, et invicem sibi donantes, contra communem omnibus hostem, uno de se rege facto, concorditer starent. Domno quoque apostolico litteras miserunt, quibus, ut vel per se vel per nuntium genti pene perditæ consolator adesset, suppliciter oraverunt.

88. Non modico igitur Saxones exercitu collecto (*Oct.*), perrexerunt ad Rhenum contra vicum qui dicitur Oppenheim, quo et patriarcha cum episcopo Pataviensi, pontificis Romani legato, convenerat, et una Suevorum non parva multitudo, qui omnes exercitum Saxonicum, dum veniret, expectabant. Quibus appropinquantibus (*Oct.* 16) patriarcha ceterique primates, quia de recenti prœlio utrorumque gladii adhuc cruore madebant, quamvis per legationes mutuas invicem sibi donassent, tamen ne, quod facile est armatis, seditio vilibus a personis exorta factum fœdus [620] corrumperet, obviam Saxonibus ibant, et amicitiam, quam renovaverant absentes, nunc præsentes confirmare monebant. Hinc igitur dux Otto, violenter honore suo privatus, illinc Welph [621] dux, eodem honore non juste subiimatus, hac conditione sibi invicem pacis oscula dederunt, ut electo, propter quod ex utraque parte convenerant, novo rege, quicumque eorum ipsum honorem jure retineret, alter ei non invidens libenter concederet. Similiter pacis oscula dederunt ordinis secundi sive tertii, partis utriusque, milites, quicquid invicem se læserant non sine multo fletu donantes. Tunc omnes facti ex hostibus amici fideles, castra posuerunt tam prope, ut vicissim populus uterque sermones utriusque non difficile posset audire. Cumque jam cœpissent de rege constituendo sermones conferre, Saxones ex Suevis, Suevi ex Saxonibus unumquemlibet volebant eligere; Heinricum vero tenebat in altera ripa Rheni civitas Mogontina, omni spe regni retinendi deposita. Misit tamen nuntios, qui temptarent istos ad misericordiam flectere, ut ejus jam satis correpti correctionem dignarentur accipere. Sed eorum nullius legatio a quoquam nostrate accipitur, nisi prius per apostolici legatum ab anathematis vinculo solvatur. Ut igitur stilus velociter currat, humilitatem pœnitentis accepturos se promittunt ea conditione, si vellet implere cuncta quæ ei nostrates facienda proponunt. Quod cum ille spopondisset, hoc ei primum proponunt ut episcopum Wormatiensem, qui jam diu fuerat expulsus, potentem faceret urbis suæ; deinde ut mox litteras scribi faceret, in quibus se fateretur injuste Saxones afflixisse, quas a nostris perspectas, imagine sua nostris præsentibus signari faceret, et signatas per Italiam et Theutonicam terram mittendas per nostros nuntios, nostratibus daret; ipseque Romam veniens, per dignam satisfactionem anathematis vinculo careret. Episcopus ergo statim cum magno honore in urbem deducitur; litteræ [622] in præsentia nostratium bulla regis signatæ, per nostros nuntios per civitates Italiæ

VARIÆ LECTIONES.

[617] r. omnis populus d. 1. [618] Gertrudis mulier nobilissima Magni ducis noverca, quam Lodowig 2. [619] *ita corrigo*; pellinam 1. pellem 1b. [620] f. fœdus fœde c. 2. [621] walph 1. walterus 1b. welpho 2. [622] l. quoque eo quo dictum est modo bulla 2.

Digitized by Google

regnique Theutonici diriguntur; ipse se tota festinatione parat, ut per Romani pontificis indulgentiam ligamen anathematis exuat. Nostrates vero singuli sacramento firmaverunt, ut nisi Heinricus quartus, Heinrici imperatoris filius, in Februarii mensis initio a banno per apostolicum absolutus [623] fuisset, numquam amplius ullo ingenio suo rex eorum nec appellaretur nec esset. Quod sacramentum primo fecit patriarcha, et in litteras redactum in suum misit marsupium; quod tamen quia melius servavit in scripto quam in opere, sicut paulo ante dictum est, crudele supplicium dedit. Deinde fecit idem Pataviensis episcopus, Sedis Romanæ legatus; et post hos omnes qui aderant episcopi, duces, comites, ceterique majores et minores; sed episcopi plus aliis in hoc egerunt, quia juramentum in litteris etiam servaverunt. Tunc misso legato rogaverunt apostolicum, ut in principio Februarii vellet Augustam venire, ut causa diligenter examinata coram omnibus, vel eum solveret, vel eo fortius adhuc ligato, alium sibi cum ipsius consensu quærerent, qui regnare sciret. His omnibus ibi peractis, exercitus uterque cum multa caritate dividitur, et uterque tripudians [624] et Deo laudes cantans ad sua revertitur.

89. Apostolicus autem cum, sicut rogatus erat, Augustam versus tenderet ut ibi ingrediente Februario, qui erat annus Domini 1077, sicut placuerat principibus, adesset, et nostrates illuc econtra venire festinarent, ut domnum papam venerabiliter, sicut decebat, acciperent, ecce nuntiatur apostolico, Heinricum cum magno exercitu Italiam intrasse, et si ipse montes, sicut volebat, transcendisset, alium papam illum [625] constituere velle. Itaque misso velociter nostris obviam legato, ipse tristis immo sibi [626] multa timens revertitur, ut Italiam a gladio et igne tueatur.

90. Heinricus autem per Italiam vagans loco, sed magis animo, quid ageret, nesciebat, quia quicquid ageret, regnum perdere timebat. Nisi enim supplex ad apostolicum veniret et per eum solutus a banno fuisset, regnum se non recepturum pro certo sciebat. Si vero supplex ad satisfactionem veniret, timebat, ne sibi pro magnitudine criminum regnum pontifex auferret, vel sibi inobedienti vincula potestatis apostolicæ duplicaret. Ergo in multis curis in diversa dividitur. Quamvis autem utroque modo se perditum et perditurum non dubitaret, tamen illam partem, in qua aliquid spei esse putabat, elegit; et laneis indutus, nudis pedibus ad apostolicum venit, dicens se plus amare regnum cœleste quam terrenum, et ideo pœnitentiam, quamcumque sibi vellet imponere, se humiliter susceperum. Apostolicus vero de tanti viri tanta humilitate lætatus, præcepit ei, ut regalem ornatum, donec ipse permitteret, sibi non imponeret, quatenus omnipotenti Deo acceptior esset cordis ejus contritio, quo eam et foris ostenderet vilis habitus testimonio; et ut eos, qui erant excommunicati, convivio vel colloquio vitaret; ne quod in se propria conversione fuisset Dei gratia mundatum, aliorum contagio fieret magis quam fuerat immundum. Quod utrumque cum se facturum polliceretur, absolutus hac lege dimittitur, multum [627] monitus, ne Deo mentiatur; quia si promissa non implevisset, non solum priora vincula non auferantur, sed etiam alia strictiora superaddantur. Itaque reversus ad suos, cum cœpisset eos a suo convivio separare, magnum cœperunt tumultum facere, dicentes ei, quia si eos, quorum sapientia et virtute obtinuisset [628] hactenus regnum, nunc a se repelleret, apostolicus ei nec illud reddere nec aliud acquirere potuisset. His et aliis talibus verbis animus ejus immutatur, et ad consueta, pravo pravorumque consilio, revertitur. Imponit capiti aureum diadema, et in corde retinet ferro fortius anathema. Excommunicatorum communioni miscetur, et a sanctorum communione miser ille repellitur. Nunc fecit omnibus manifestum, quia non verum esset, quod dixit, plus se amare regnum cœleste quam terrenum. Quod si parumper in obedientia permansisset, et regnum nunc terrenum cum pace teneret, et quandoque cœleste sine fine possessurus acciperet. Nunc vero factus inobediens, et hoc quod amat non habebit, nisi cum magno labore; et illud non accipiet, nisi magna totius vitæ mutatione.

91. Interea Saxones et Suevi Forcheim conveniunt, sed et de aliis regionibus legati aderant, qui [629] quicquid isti de re publica commode [630] definierint, idem laudare suos indicant. Aderat etiam legatus apostolici, qui cuncta quæ de regno nostrates utiliter disponerent, apostolicæ sublimitatis auctoritate firmaret. Ex multis, quos probitate dignos in electione proposuerunt, tandem Rodulfum, ducem Suevorum, regem [631] sibi Saxones et Suevi concorditer elegerunt. At cum singuli deberent cum regem laudare, quidam voluerunt aliquas conditiones interponere ut hac lege eum super se levarent regem, quatinus sibi de suis injuriis specialiter promitteret justificationem. Otto namque dux non prius volebat eum sibi regem constituere, nisi promitteret honorem sibi injuste ablatum restituere. Sic et alii multi suas singulares causas interponunt, quas ut ille se correcturum promitteret, volunt. Quod intelligens apostolici legatus, fieri prohibuit, et ostendens, eum non singulorum sed universorum fore regem, ut universis justum se promitteret, satis esse perhibuit. Ait etiam, si eo modo, quo cœptum fue-

VARIÆ LECTIONES.

[623] solutus 2. [624] tripludians 1. [625] pro illo 2. [626] sed 1. t. et m. 2. [627] m. multumque mon. 2 [628] o. et h. 1. [629] *deest* 1. 1b. [630] comode 1. rei publice commodo 2. [631] in r. 2.

Digitized by Google

rat, promissionibus singillatim præmissis, eligeretur, ipsa electio non sincera, sed hæresis simoniacæ veneno polluta videretur. Tamen quædam sunt ibi causæ specialiter exceptæ, quas, quia injuste viguerant, deberet emendare; scilicet ut episcopatus non pro pretio nec pro amicitia daret, sed unicuique ecclesiæ de suis electionem, sicut jubent canones, permitteret. Hoc etiam ibi consensu communi comprobatum, Romani pontificis auctoritate est corroboratum, ut regia potestas nulli per hæreditatem, sicut ante fuit consuetudo, cederet, sed filius regis, etiam si valde dignus esset, potius [432] per electionem spontaneam quam per successionis lineam rex proveniret; si vero non esset dignus regis filius, vel si nollet eum populus, quem regem facere vellet haberet in potestate populus. His omnibus legaliter constitutis, Rodulfum electum regem Mogontinam [433] cum magno honore deducunt, et ei dum consecrationem regis accipiebat, venerabiliter et fortiter, sicut mox apparebat, assistunt. Consecratur autem a Sigifrido Magontinæ civitatis archiepiscopo, præsentibus et adjuvantibus aliis quamplurimis anno Domini 1077, 7 Kal. Aprilis.

92. Ipso vero die consecrationis ejus pene contigit miserandum facinus, ut fieret dies unus principium et finis regni ipsius, et de eo vere possit nasci proverbium, quia tam vigil rex esset, ut in regno suo numquam vidisset somnum. Namque cum ipsa die ejus unctionis in introitu missæ invitaretur sub nomine Ierusalem tota fidelium ecclesia ad lætitiam spiritualem, et inde habeat omnis fere ecclesia, etiam in religiosis personis, ipso die ludendi non spernendam consuetudinem : prandio novi regis finito, juvenes ejus ad ludum venere communem, causam ob duplicem, cum regiæ consecrationis, tum [434] magis antiquæ consuetudinis. Urbani vero videntes hunc ludum, in crudelem sunt accensi zelum; et quia magis favebant exregi quam regi, cogitabant illum ludum turbare, et semen aliquod, unde seditio nasceretur, inmittere, ad quam sedandam dum rex procederet, modo quolibet occisus interiret. Miserunt ergo quosdam suos juvenes, ut curialium ludo se miscerent, et aliquam qualibet arte materiam belli construerent. Itaque unus ex ipsis cujusdam nobilis ex curia erusinam (40) gulis (41) ornatam quasi furtim præcidit, et quasi furtum volens abscondere recessit, et tamen malebat deprehendi, ut acciperet quod accepit. Nam ille cujus honesta vestis erat dehonestata, ut illum qui suæ vestis partem gestabat insecutus est, colaphum ei tantum dedit, suique vestimenti particulam recepit. Tunc urbani in subsidiis ad hoc ipsum collecti, curiales inermes incurrunt armati, et multos ex eis acriter vulneraverunt, aliquos etiam occiderunt. Nam arma curialium in hospitiis derelicta, dum ipsi circa regem frequentes essent, urbani præripuerant, et ne illi, quorum erant, ea invenire possent effecerant. Rex talia videns, volebat se periculo dare, et vel suos eripere vel cum eis simul occumbere; sed qui circa eum erant, totum hunc tumultum propter eum fuisse inceptum cognoverunt, et ideo eum de palatio [435] descendere non permiserunt. Contraxerunt ergo se curiales et omnis exercitus in majorem ecclesiam Sancti Martini, et ibi conglobati, consiliis armisque muniti, subito cum magno impetu exierunt, et urbanos aut occiderunt aut ceperunt, præter eos qui fugæ se credentes, timore pernicitatem præbente abierunt velociter. In crastino vero omnes ex urbe majores ante regem supplices venerunt, et de malitia quam fecerant, supplicia quæ rex volebat accipere dederunt, et ut posthac imperpetuum fideles ei manerent, juraverunt.

93. Sed rex non habens eis fidem, civitatem dimisit, et ad Suevos abiit; ibique parum moratus, ad Saxoniam transivit. Nam Dominicæ resurrectionis festivitate [436] apud Augustam civitatem celebrata, in Pentecosten ad Erpesfort venit, et inde non parva Saxonum multitudine cum regali honore deductus, apostolorum principum principalem [437] in urbe Merseburgensi devotione multa celebravit. Quo cum de cunctis Saxoniæ partibus majores et mediocres convenissent, regemque, sicut a principibus erat electus, unanimiter in regno confirmassent, dixit rex sibi non videri decens vel utile, Saxones quasi plena pace potitos domi quietos sedere; suasitque illis ut, exercitu collecto, hostiles ultro partes invaderent, quatinus aliquid fortiter agendo, et a se desidiæ, qua notati erant, notam [438] abjicerent, et hosti, qui de victoria superbus tumebat, arrogantiam minuerent. Quod et ipsi læti fecerunt.

94. Igitur in Augusto mense cum magno exercitu rex Rodulfus urbem Wirtzeburg obsedit, ad quam expugnandam machinas diversi generis parari jussit. Quæ dum parabantur, ipse sicut rex Christianus, Deum timens, secum cogitabat, quia si urbs capta fuisset, ab ecclesiis vel ecclesiasticis rebus diruendis vel diripiendis vulgus semel intromissum nec ipse rex revocare posset. Ergo lentus ibi sedebat, et occasiones diversas ne pugnaretur ad urbem quærendo, integrum fere mensem nihil proficiens ibi manebat; maluitque gloriosam, quasi urbem capere non posset, habere contumeliam, quam periculosam, et urbe destructa nulli [439] sacræ rei parceretur, adquirere gloriam.

VARIÆ LECTIONES.

[432] *deest* 1. 1b. [433] *ita* 1. 1b. [434] tamen 1. [435] pallacio 1. [436] festivitatem 1. [437] sollempnitatem 2. [438] nō 1. nomen 1b. [439] nulle 1.

NOTÆ.

(40) Germanice *Krause*, collare.
(41) Pelliculis murium pretiosis, quas nonnunquam rubricatas fuisse legimus.

Digitized by Google

95. Interea Heinricus exrex, exercitu nec magno nec forti congregato — nam maxima pars ejus ex mercatoribus erat — obviam nostris ire paravit; pigroque progrediens incessu, Bawarios et Boemios, quos sibi in auxilium venire sperabat, frustra expectavit. Quo rex Rodulfus audito, lætus obsidionem dimisit, hostique sævo sævior occurrere festinavit. Ad fluvium itaque qui vocatur Neckar exercitus ambo convenerunt, et in diversa ripa animo pugnandi diverse castra posuerunt. Nam nostri dederunt illis optionem, ut vel ipsi longius a litore recedentes sibi facultatem transeundi concederent, vel ipsi nostræ ripæ spatio securi accepto, cum nostris pugnaturi transirent. Illi vero, quamvis multis, ut utrumlibet facerent, convitiis essent exagitati, neutrum facere voluerunt. Cum autem multos ibi dies sedissent, et illis nostri locum ad se veniendi sæpe frustra dedissent, tandem illi nec se nostris [550] pares, nec auxilium quod sperabant venire videntes, cum militari non possent virtute, astutia temptabant a se bellum istud amovere. Fecerunt enim cum nostris pacem sequestram, qua, si posset fieri, per mutua colloquia pervenirent ad pacem perpetuam. Ad se invicem igitur veniendi securitate concessa, dixerunt illi, quid opus esset nostris secum ferro decernere, cum ipsi parati essent rem verbis agere; et si quidem nostram causam justitia commendaret, se relicto domino suo nostris associari, ea condi ione, ut si sua causa melior esse probaretur, nostrates illis eadem lege conjungi non dedignarentur. Quod cum nostri laudassent, et ipse rex noster se, ut pax inter eos fidelis fieret, libenter a regno descensurum promisisset, constituto die, quo ad hanc causam terminandam, neutro rege præsente, venirent, ab invicem ambo exercitus discesserunt; et ecce illi magnam turbam ex Bawariis et Boemiis, quos jam diu expectaverant, advenire viderunt. Quo cognito, Heinricus nimis lit lætus; factæque pacis oblitus, jam nostros a tergo minus cautos invaderet, si principes illi, qui pacis faciendæ mediatores vel auctores fuerant, fidem suam contaminare non timerent. Itaque nostrates domum cum pace reversi, annum fuerunt integrum nec lædentes aliquem nec ab aliquo læsi.

96. Sequenti vero anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1078, iterum Saxonicus congregatur [551] exercitus, et missa legatione Suevos obviam sibi venire rogaverunt, ut utriusque populi virtute conjuncta, omnes sibi adversantes vel ad se transire compellerent vel sibi fœderari nolentes dira bellorum tribulatione fatigarent. Quod cognoscens [552] Heinricus, robore congregato intervenit medius; nec est passus ut uterque in unum conveniret exercitus. Exercitus ergo Saxonicus ad Methelrikestad [553] venit, ibique Heinricum cum non parvo robore virtutis invenit. Quid in narrando moram facio, cum illi nullam fecissent in agendo? Prælium incipitur fortiter (*Aug.* 7), immo crudeliter; ex utraque parte pugnatur, et hinc et inde fuit diversus eventus pugnæ; fugiunt isti, fugiunt illi; nostri capiuntur sed eripiuntur, hostes interficiuntur. Ex nostris itaque primi fecerunt fugam, qui numquam venire debuissent ad pugnam, episcopi scilicet unius nominis, sed, ut ita dicam, non unius [554] ominis; uterque enim Werinherus vocatur. Sed Magedaburgensis ab incolis illius patriæ interceptus, miserabiliter occiditur; Merseburgensis vero despoliatus, in patriam nudus revertitur. Quod illi nec non [555] ad contumeliam, quisquis hoc legit, sed dixisse putet ad gloriam; quia ab ipsius ore non semel audivi, quod ipsam nuditatem non tolerasse nollet pro pendere quolibet auri vel argenti. In eadem fuga sunt capti Bernhardus Romanæ sedis archidiaconus, Sigifridus archipræsul Magontinus, Adalbertus Wormatiensis episcopus [556]. Sed duos illos non longe post eripuit Dei clementia, tertius iste perductus est in Heinrici crudelis tyranni præsentiam; qui tamen longe post, invito tyranno, divina liberatur misericordia. Quos omnes, quia melius sciebant psalmos cantare eo quod nutriti sub religione essent, quam legiones armatas ad bella disponere, solo visu præliantium versos in fugam, tanta multitudo sequitur, ut rex totum exercitum penitus fugæ se dedisse arbitrarctur. Quos cum rex nec victoriam certam promittendo, nec servitutem perpetuam nisi fuissent reversi minando, potuisset revocare, solum se relictum cum paucis existimans, cœpit ipse etiam paulatim revertendo Saxoniæ finibus [557] appropinquare.

97. Interea nostri, qui fortes hostibus se primo miscuerant, nihil de post terga relictis scientes, adversariis fortibus fortes resistebant, minus vero fortibus [558] fortius insistentes, eos fugæ præsidium petere compellebant. Ibi quidam de nostris adversarium sibi videns obvium, velut suum salutavit socium, dicens: « Sancte Petre! » quod nomen Saxones pro symbolo tenebant omnes in ore. Ille vero nimium superbus et tantum deridere nomen exorsus, in ejus vertice librato mucrone [559]: « Hoc, inquit, tibi tuus Petrus mittit pro munere! » et nondum sermonem finierat totum, cum gladium Saxonis alterius in cerebro habebat, dicentis: « Et hoc habeas munus ex parte tui Heinrici, tyranni insanientis. »

98. Hardwigus [560] tunc Magontini præsulis archicapellanus, in eodem die post annum urbem Magedaburgensem archipræsul ingressurus ab hostium multitudine, ne ullus ei locus esset evadendi est circumdatus [561] (*an.* 1078, *Aug.* 7). Cui cum illi velud capto illudentes dicerent, quia libentius

VARIÆ LECTIONES.

[550] nris. 1. [551] congregatus 1. [552] agnoscens 2. [553] methelrikesta.lt 1. methelrichestad 2. machelrikesta 1 1b. *c. Dresd.* [554] minus 1. [555] *ita* 1b. *deest* 1. [556] epos 1. [557] *deest* 1. [558] fortes 1. [559] mucrunone 1. [560] Herderigus 1. Hardewicus 1b. [561] circumvallatus 1b.

Digitized by Google

cum tunc in gratia domini sui, sicut olim fuit, aspicerent, ille sicut vir prudens ita temperavit responsum, ut nec mendacium proferret, et tamen eos fallendo periculum præsens devitaret. Paucis enim, sicut tempus postulabat, verbis respondit: *Sicut video*, dicens, *in cubiculo domni regis hesterna nocte nullus vestrum me vidit. Sed festinemus ad amicos nostros, ne nos inimici repente deprehendant incautos!* Erant autem non longe a [583] parva Saxonum legione; quos cum illi suos putarent et jam se pene captos agnoscerent: *Pergite*, dixit ille, *quo vultis; ego meis adjungar amicis!*

99. Willehalmus [584], Geronis comitis filius, cum temere paucis se [585] comitantibus iret, ab Everhardo [586], qui de magnitudine barbæ agnomen habebat, ex improviso capitur, et Heinrico domino suo magna pars triumphi præsentandus a militibus suis ducitur; ipse vero non longe, quasi ne ab aliquibus eripiatur prospiciens, insequitur. Et ecce copiæ Saxonum majores illi de latere veniunt, et cum non multum repugnantem citius occidunt. Quod videntes illi qui [586] Willehalmum ducebant, ejus obliti, ad suum dominum festinabant. Ille vero, sui non oblitus, quanta potuit velocitate ad suos est reversus.

100. Interea dux Otto et Fridericus palatii præfectus [587] de Symmersenburg [588], diversis in partibus acriter pugnantes, non ante cessaverunt, quam Heinricum cum omnibus suis ad fugam coegerunt, eosque fugientes tam diu sunt insecuti, donec eos muro Wirtzeburgensi videbant [589] includi. Sed Fridericus nesciens, quid Otto dux egisset, ad locum prælii tripudians revertitur; quia ille qui fugatis hostibus locum cædis obtinuerit [590], victor habetur. Otto vero dux non longe post eodem reversus, visa tanta multitudine, putabat eos hostes esse, et quia [591] valde fessus erat, non credebat utile cum eis pugnam incipere. Misit tamen exploratorem, qui sibi perquireret veritatem. Qui cum [592] ibi moram faceret, reputans ille, quod ab hoste captus vel occisus esset, quia nullum de sociis quem cognosceret invenit, victor quidem, sed non lætus, quia nesciebat, ad patriam revertitur.

101. Fridericus autem, collectis ad se de diversis partibus a prælio revertentibus, noctem illam in lætitia, et maxime in divina laude transegit. In crastino vero receptis omnibus quæ vel socii vel hostes ibi reliquerant, meliora, quæ poterant asportare, secum tulerunt; cetera vero, ne prodessent hostibus, igni dederunt. Inde vero cum magno gaudio cantuque redeuntes, Smelekallan (42) et ceteros in circuitu vicos aut villas prædationibus et incendiis vastaverunt, quia incolæ illi pridie nostros fugientes spoliaverant vel occiderant. Sigifridum quoque Mogontinum præsulem, quem captum cum multis aliis adhuc servabant violenter eripiunt, secumque gaudentes et hymnos Deo canentes ad Saxoniam reducunt. Postquam vero diversis ex partibus omnes nostri convenerunt, et quid fortiter egissent vel quanta pericula qualiter evasissent, invicem singuli retulerunt, non sine multo fletu multas laudes unanimiter Deo reddiderunt [593], cum pro victis et fugatis hostibus, tum etiam pro libertatis tantis sacerdotibus.

102. Ex nostris itaque partibus præter episcopum Magedaburgensem, qui cecidit in fuga, nemo qui dignus sit nomine periit in illa pugna; ex hostili vero parte jacuerunt ibi de principibus nobilissimis Everhardus Barbatus, qui hujus belli erat incentor sævissimus, Poppo simul et Thiebaldus, Heinricus de Lechesmundi. Factum est ergo hoc prælium secundum anno Domini 1078, 7 Idus Augusti, feria 3.

103. Heinricus vero in Octobri proximo Reginesburg veniens, principibus collectis narravit, quod jam longo labori finem fecisset, nichilque sibi faciendum restaret, nisi ut illos qui secum participes erant laboris, consortes etiam faceret dignæ retributionis. Dixit namque Saxones in proximi prælii conflictu sic esse prostratos, ut, nisi de gentibus exteris agrorum cultores advenirent, Saxonica [594] tellus in solitudinem versa bestiis silvestribus habitanda remaneret. Igitur ut illam terram cunctis frugum generibus opulentam secum vellent intrare rogavit, ipsisque, quod nullum qui eis intrantibus obstaret invenirent, fideliter spoponsit. Quod ut illis fieret credibile, simulatos nuntios fecit procedere cum verbis compositis, qui, cunctis audientibus, regi, sicut erant docti, dicebant ex persona ducis Ottonis et Herimanni comitis, se solos ex liberis hominibus, omnibus aliis in novissimo prælio interfectis, beneficio fugæ in Saxonia relictos, nunc nimis sero pœnitere [595], quod umquam multitudine suorum confisi, præsumpsissent regiæ potestati resistere; se regis adventum, quo terræ daret cultores, humiliter expectare; se sibi non honorem, non libertatem, sed solam vitam, quamvis vel hac essent indigni, postulare. Quibus verbis, sicut ipse callidus dictaverat, peroratis, illi qui hæc credula nimis aure perceperant, inani spe jam totam Saxoniam possidebant, et quasi jam possidentes, inani spe decepti, animo tumescebant. Tota igitur festinatione, quo spes eos trahebat, sequi properabant; nec exercitum valde magnum [596]

VARIÆ LECTIONES.

[583] *ita corrigo;* an 1. 1b. [584] Willehelmus comes de Camburh, patrem habens Geronem, patruum vero Dedonem marchionem 2. [585] paucissie 1. [586] E. Barbato principe prænobili 2. [586] *deest* 1. [587] *ita* 2. 1' 1. [588] somerschenburg. 1b. [589] videbat 1. [590] obtinuerat 1. [591] qui 1. [592] cum in 1. [593] rediderunt 1. [594] soxonica 1. [595] peniteret 1. [596] *ita* 2. 1 ligm (indignum) 1.

NOTÆ.

(42) Schmalkalden.

Digitized by Google

esse volebant, ne singuli eo minus illius regionis acciperent, quo plures illam divisuri fuissent; quia natura fert ut tanto fiat partium minor quantitas, quanto fuerit earumdem partium numerosior pluralitas. Venientes ergo ad silvam quæ Thuringos [467] separat a Francia, audiebant, quod et verum erat, quia Saxones ex altera parte silvæ cum tanta multitudine sederent, quantam prius numquam sint auditi collegisse. Nam de militibus armatis milia fere sexaginta habebant, qui vel fortiter mori vel terram suam tueri volebant. Quod auditum cum primo non crederent, postquam missis exploratoribus nimis verum esse cognoscebant, multo magis redire, timore cogente, quam venire, spe trahente, properabant. Sed Heinricus exrex, ne tantum frustra congregasset exercitum, cum eodem agmine Suevos petiit; ubi nec ecclesiis nec atriis ecclesiarum pepercit, et inter sacras profanasque res nullam differentiam fecit, ut illorum avaritiam insaturabilem saturaret quos Saxoniam pollicendo fefellerat. Ibi, quod anticipando jam narravi (*c.* 76), Treverensis archipræsul Udo subitanea morte miserabiliter obiit, dum, timore Dei postposito, manibus profanis in sacras res licenter ire permisit.

104. (*An.* 1079.) Interea domnus apostolicus, apostolici vigoris oblitus, qua causa nescimus, multum est a priore sententia mutatus. Nam qui prius Heinricum cum omnibus suis adjutoribus apostolica severitate excommunicaverat, eique regnandi potestatem potenter interdixerat, et omnes qui ei fidelitatem jurassent, a juramenti nodis apostolica auctoritate absolverat, et electionem novi regis consensu suo confirmaverat, nunc per litteras mandavit, ut concilio facto rex uterque convocatus audiatur, et quem justitia regnare permiserit, altero deposito tutus in regno confirmetur. Quarum litterarum, ut planius quod dico possit intelligi, subtus exemplum ponere curavi; quæ venerunt mense Februario anno Domini 1079 [468].

105. « Gregorius episcopus [469] servus servorum Dei (Greg. VII, *Registr.* IV, 23), carissimis in Christo filiis Bernhardo [470] diacono, et Bernhardo [471] abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

« Fraternitati vestræ notum esse non ambigimus, quia ideo ab Urbe, confisi de [472] Dei misericordia et adjutorio beati Petri, egressi sumus, ut ad Theutonicorum partes, compositurі inter eos ad honorem Dei et utilitatem sanctæ ecclesiæ parem, transiremus. Sed quia defuerunt, qui nos secundum quod dispositum erat conducerent, impediti adventu regis in Italiam, in Langobardia [473], inter inimicos Christianæ religionis, non sine magno periculo remansimus, et adhuc, sicut desideravimus, ultra montes proficisci nequivimus. Quocirca monemus vos, et ex parte beati Petri præcipimus, ut fidti auctoritate hujus [474] nostri præcepti, nostraque vice ab eodem apostolorum principe accincti, utrumque regem, Heinricum videlicet atque Rodulfum, commoneatis, quatenus nobis viam illic secure transeundi aperiant, et adjutorium atque ducatum per tales personas, de quibus vos bene confidat s, præbeant, ut iter nobis, Christo protegente, pateat. Desideramus enim cum consilio clericorum atque laicorum ejusdem regni qui Deum timent et diligunt, causam inter eos Deo favente discutere, et cujus parti magis ad regni gubernacula justitia faveat, demonstrare. Scitis enim quia nostri officii et apostolicæ sedis est providentiæ, majora negotia ecclesiarum discutere, et dictante justitia diffinire. Hoc autem quod inter eos agitur negotium, tantæ dignitatis est tantique periculi, ut si a nobis aliqua fuerit occasione neglectum, non solum illis et nobis, sed etiam universali ecclesiæ magnum et lamentabile pariat detrimentum. Quapropter si alteruter prædictorum regum huic nostræ voluntati ac deliberationi parere et ad vestra [475] monita locum dare rennuerit, suamque superbiam atque cupiditatis faces contra honorem Dei omnipotentis accendens, ad desolationem totius Romani imperii anhelare temptaverit, omnibus modis omnique ingenio usque ad mortem, si oportet, nostra vice resistite [476], immo beati Petri auctoritate ei totius regni gubernacula contradicendo, tam illum quam omnes sibi consentientes a communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi et a liminibus sanctæ ecclesiæ separate, illud semper habentes in memoria, quia scelus idololatriæ incurrit qui apostolicæ sedi obedire contempnit, et quod beatus Gregorius, doctor sanctus et humillimus, decrevit, reges a suis dignitatibus cadere, si temerario ausu præsumerent contra sedis apostolicæ jussa venire. Alteri vero, qui nostræ jussioni humiliter paruerit et obedientiam universali matri, sicut decet christianum regem, exhibuerit, convocato concilio [477] omnium clericorum et laicorum quos advocare poteritis, consilium et adjutorium in omnibus præbete, et in regia dignitate per auctoritatem beatorum apostolorum Petri et Pauli nostra vice confirmate, omnibusque episcopis, abbatibus, clericis ac laicis in toto regno habitantibus, ut ei fideliter, sicut regi oportet, obediant, ex parte omnipotentis Dei præcipite [478].»

106. « Gregorius episcopus (Greg. VII, *Registr.* IV, 21) servus servorum Dei, dilectis [479] in Christo fratribus archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, et universis Christi fidelibus, clericis et laicis,

VARIÆ LECTIONES.

[467] turingos *sæpius* 1. [468] MLXXVIII. *edd. Et vere epistolæ duæ capp.* 105 *et* 106. *editæ anno* 1078. *Saxonibus innotuisse videntur. Sed Bruno epistolas has inferioribus adjungit.* [469] *deest* 1. [470] B. 1. Bernhardo Romanæ ecclesiæ d. 2. [471] B. 1. Bernhardo Massiliensi abbati 2. [472] *deest* 1. [473] longobardia 1. [474] *deest* 1. [475] *aut* vestra *aut* nostra 1. [476] resiste 1. [477] consilio 1. [478] Data Carpinetæ 2. Kal. Jun. ind. 15. *Registr. G. VII. addit* (a. 1077.) [479] J. in c. f. *desunt Reg.* IV, 24.

Digitized by Google

tam majoribus quam minoribus in regno Theutonicorum consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Notum fieri vobis volumus, fratres carissimi, quia legatis nostris, Bernhardo [480] videlicet sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideli filio et diacono, itemque Bernhardo [481] abbati [482] Massiliensis monasterii religioso præcipimus, ut utrumque regem, Heinricum videlicet et Rodulfum, aut per se aut per idoneos nuntios, admoneant, quatenus viam michi pro discutiendo negotio, quod peccatis facientibus inter eos ortum est, ad vos, Deo favente, secure veniendi præbeant. In magna enim tristitia et dolore cor nostrum fluctuat, si per unius hominis superbiam tot millia hominum Christianorum temporali et æternæ morti traduntur, et Christiana religio confunditur, et [483] Romanum imperium ad perditionem perducitur. Uterque namque rex a nobis, immo ab apostolica sede, cui licet indigni præsidemus, adjutorium requirit, et nos de misericordia omnipotentis Dei et adjutorio beati Petri confidentes, parati sumus cum vestro consilio, qui Deum timetis et Christianam fidem diligitis, æquitatem causæ utrimque decernere, et ei præbere auxilium, cui justitia ad regni gubernacula favere [484] dinoscitur. Quapropter si alteruter eorum superbia inflatus, aliquo ingenio, quominus ad vos venire possimus, obstiterit, et de sua injustitia timens judicium sancti Spiritus [485] refugerit inobediens factus, resistendo sanctæ et universali matri Ecclesiæ, hunc velud membrum Antichristi et desolatorem Christianæ religionis contempnite, et sententiam quam nostri legati contra eum nostra vice dederint conservate, scientes quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6). Alteri vero qui se [486] humiliter habuerit, et judicium, decretum vero a Spiritu sancto, per nos [487] autem prolatum, non contempserit,— indubitanter enim credimus, ubicumque [488] duo vel tres in nomine Domini congregati fuerint, quod præsentia ejus illuminantur (*Matth.* XVIII, 20) — illi, inquam, servitium et reverentiam secundum quod nostri præfati legati decreverint exhibite, adnitentes et modis omnibus ei obsequentes, ut regiam dignitatem honeste possit obtinere et sanctæ Ecclesiæ jam pene labenti succurrere. Non enim a corde vestro [489] debet excidere, quod qui apostolicæ sedi obedire contempnit, scelus idolatriæ incurrit, et quod beatus Gregorius, doctor sanctus et humillimus, reges decrevit a suis dignitatibus cadere et participatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi carere, si præsumerent apostolicæ sedis decreta contempnere. Si enim cœlestia et spiritualia sedes beati Petri solvit et judicat, quanto magis terrena et secularia?

A Scitis autem, fratres carissimi, quia ex quo tempore ab Urbe exivimus, in magno periculo inter inimicos Christianæ fidei mansimus, et tamen neutro prædictorum regum, neque terrore neque amore flexi, aliquod contra justitiam adjutorium promisimus. Magis enim volumus mortem, si oportet [490], subire, quam propria voluntate devicti, ut Ecclesia Dei ad confusionem veniat, consentire. Ad hoc enim nos ordinatos et in apostolica sede constitutos esse cognoscimus, ut in hac vita, non quæ nostra, sed quæ Jesu Christi sunt, quæramus, et per multos labores patrum vestigia [491] sequentes, ad futuram et æternam quietem, Deo miserante tendamus [492]. »

107. Acceptis his litteris, Bernhardus [493] cardinalis, quod sibi injunctum est, exequitur. At nostrates B cum ipsas litteras accepissent, a magna spe quam in apostolica petra posuerant, exciderunt, quia prius cœlum stare vel terram crediderant cœli modo moveri, quam cathedram Petri amittere constantiam Petri. Has ergo litteras ei remiserunt, quibus eum ancillæ, præsentis scilicet vitæ, perterritum timore, quasi voce galli clamantis excitare, et respectu Christi confortatum ad pristinæ virtutem constantiæ revocare voluerunt :

108. « Domno apostolico et venerabili papæ Gregorio, beati Petri [494] fideles et sui, tantum servitutis quantum oppressi valent. Multas jam huic sanctæ sedi pro diversis calamitatibus nostris querimonias exposuimus. Quod autem nondum aliquid justitiæ vel consolationis consecuti sumus, non tam vestræ C sanctitati quam nostris peccatis imputamus. Si igitur nostro consilio et propria deliberatione rem, pro qua tanta mala nos invenerunt, aggressi [495] fuissemus, minus moleste ferendum esset, si ad succurrendum nobis vestra gravitas se tardius erigeret. Nunc autem sarcinam illam quam sola vestra auctoritate jubente suscepimus, eadem quoque manum supponente levigari oportuit. Testis est excellentia vestra et litteræ vestræ, quas in testimonium habemus, quia neque [496] consilio nostro nec etiam pro causa nostra, sed pro illatis sedi apostolicæ injuriis regem nostrum regia dignitate privastis, nobisque omnibus terribili interminatione, ne ei sicut regi serviamus, interdixistis, et omnes Christianos a vinculo juramenti, quod ei D fecerunt vel facient, absolvistis, deinde eum vinculo anathematis alligastis. In his omnibus vestræ paternitati cum magno periculo nostro [497], sicut nunc patet, obedivimus; et quia eidem deposito ad [498] depositionem vestram cum ceteris concordare noluimus, tantam in nobis [499] crudelitatem exercuit, ut quamplures ex nostris, amissa omni substantia, animam in hoc certamine posuissent, et filios suos exheredes et ex divitibus pauperes reliquissent.

VARIÆ LECTIONES.

[480] B. 1. Bernardo *Reg.* [481] B. 1. Bernardo *Reg.* [482] a. rel. m. m. *Reg.* [483] Romanumque *Reg.* [484] favore 1. [485] *deest* 1. [486] h. se *R.* [487] vos 1. *et R.* [488] c. quod ubicumque *R.*, *ubi infra* quod *deest.* [489] nostro *R.* [490] si hoc op. *R.* [491] s. vest. *R.* [492] *R. addit :* Data Carpinetæ secundo Kalendas Januarii indictione decimâ quinta. [493] B. 1. [494] *deest* 1. [495] agressi 1. [496] nec pro c. 2. [497] *deest* 1. [498] *deest* 1. [499] nos 2.

Digitized by Google

Qui autem residui sunt, de vita cottidie solliciti, vitæ subsidia pene omnia amiserunt. Sed cum nulla nos persecutione posset superare, superatus est ille, ut licet nolens suam vobis præsentiam exhiberet et ei quem inhonoravit cum suo dedecore honorem impenderet. Pro quo labore hunc fructum recepimus, quod ille, qui cum periculo animarum nostrarum vestigia pedum vestrorum[500] adorare compulsus est, absque nostro consilio et sine correctione absolutus, ad nocendum nobis libertatem recepit. Cumque illa anathematis absolutio per epistolam vestram nobis innotesceret, de sententia regni quæ in eum processit nichil mutatum esse intelleximus, sed ne nunc quidem si mutari possit, intelligimus. Absolutio enim illa juramentorum qualiter cassari possit, nullo modo percipere valemus. Sine sacramentorum autem observatione regiæ dignitatis officium nequaquam administrari potest. Ergo cum jam ultra anni terminum sine rectore essemus, in locum de quo prævaricatus est ille, alius principum nostrorum electione subrogatus est. Cumque de electo nobis rege, et non de regibus, spes magna ad refocillandum imperium succresceret, ecce ex insperato litteræ vestræ advenientes, duos in uno regno reges pronuntiant, duobus legationem decernunt[501]. Quam regii nominis pluralitatem et quodammodo regni divisionem[502] divisio quoque populi et studia partium subsecuta sunt; quippe cum in epistolis vestris illius prævaricatoris personam semper præponi cernerent, et ab eo sicut a potente exigi, quatenus ducatum vobis in has partes ad discutiendam causam præberet. Cujus discussionis qualis modus sit, ut salva gratia vestra dicamus, mirabile est in oculis nostris, scilicet ut is qui jam sinodali judicio nulla conditione interposita depositus est, alio[503] in eandem dignitatem apostolica auctoritate firmato, nunc tandem ad rationem ponatur, et quod finitum est denuo incipiatur, et de re indubitabili[504] quæstio moveatur. Hoc quoque infirmitatem nostram movet, quod, sicut nobis persuadetur ut in incepto firmiter perduremus, sic etiam contrariæ parti verbis et rebus spes innuitur. Nam familiares prædicti Heinrici, qui ab omni regno infamia notantur, quique illi sicut regi serviendo sinodalibus præceptis manifeste inobedientes sunt et una cum suo capite per legatum apostolicum ab ecclesia sancta separati sunt, ad hanc sedem venientes, benigne suscipiuntur, et non solum impuniti redeunt, sed insuper gloria et honore coronantur, et ad priorem inobedientiam superbiendo revertentes, nostræ miseriæ insultant. Nobis autem quasi ridiculis ad insipientiam reputatur, quod ab illorum consortio abstinemus, qui ab ipso capite nostro tam caritative in communionem recipiuntur. Accedit et hoc ad cumulum nostri infortunii, quod præter illa quæ nos ipsi delinquimus, etiam adversariorum culpa in nobis cuditur, dum nostræ negligentiæ attribuitur, quod idoneos et frequentes legatos huc non mittimus. Luce enim clarius patet, quod illi hoc fieri prohibent, qui, ne prohiberent, jurejurando vobis[505] promiserunt. Et nunc de violenta sacri itineris interclusione et de manifesto illorum perjurio siletur, et nobis imputatur, quod nuntios non mittimus. Scimus, carissime domine, et ex consideratione pietatis vestræ speramus, quia hæc omnia bona intentione et aliqua subtili deliberatione agitis; sed nos homines imperiti occultam illam dispensationem penetrare non sufficientes, quod manifeste vidimus et audivimus, de illa utriusque partis confortatione et rerum certarum[506] incerta dilatione ortum esse et cottidie oriri, vobis exponimus: hæc sunt[507], bella intestina et plus quam civilia, homicidia innumerabilia, vastationes, incendia, sine differentia domus et ecclesiæ, oppressiones pauperum incomparabiles, rerum ecclesiasticarum direptiones quales numquam audivimus aut vidimus, legum quoque divinarum et secularium defectus sine spe reparationis; postremo in dimicatione duorum regum, quorum uterque ad obtentum regni spem a vobis accepit[508], tanta profligatio regalium, ut posthac reges nostrarum partium rapinis potius quam regalibus sustentandi sint. Hæc incommoda aut nulla jam essent aut minora multo, si in incepto itinere[509] neque ad dextram nec ad sinistram sententia vestra divertisset. Arduum iter propter zelum domus Domini aggressus[510] estis, in quo progredi laboriosum est, regredi autem inhonestum. Nolite, sanctissime Pater, nolite in via deficere, et ne ulterius differendo et utrimque cavendo tanta mala crescere et multiplicari sinatis. Si grave vobis est pro illis verba facere qui pro vobis vitam in magno discrimine posuerunt, ecclesiæ tamen vestris temporibus miserabiliter destructæ et inaudita oppressione in servitutem redactæ succurrite. Cujus apertis destructoribus si aperta fronte in faciem resistere propter instantia pericula cautum non videtur, hoc saltem cavete, ne hoc quod jam fecistis, irritum fieri permittatis. Nam si hoc quod in sinodo Romana difficultum et post a[511] legato sedis apostolicæ confirmatum est, silentio contegi et pro nichilo haberi oportet, quid posthac nobis credendum vel pro rato habendum sit, omnino ignoramus. Hoc sanctitati vestræ nequaquam arroganter, sed in amaritudine animæ nostræ locuti sumus, quia non est dolor similis sicut dolor noster. Cum enim per obedientiam pastoris luporum faucibus expositi simus, si etiam ab ipso pastore nobis cavendum est, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Deus autem omnipotens in talem zelum vos contra inimicos Christi erigat, quatenus illa quam in vobis posuimus spes nos non confundat.

VARIÆ LECTIONES.

[500] nostrorum 1. [501] decerãt 1. [502] divisio 1. [503] alia 1. [504] indubitali 1. [505] *deest* 1. [506] *ita* 2. cetera rum 1? [507] hoc est 2. [508] accipit 2. [509] intinere 1. [510] aggressi 2. [511] postea 1.

Digitized by Google

109. Ad quas litteras cum nullum pro velle suo A est. Et o! utinam de sua sociorumque ejus flagi-
re ponsum accepissent, has ei litteras iterum miserunt, ut quia non primo quasi galli cantu, sicut secundum Marcum nec Petrus est excitatus, saltem cum secundo, quasi gallus, populus ecclesiæ vocem daret, a torpore dubitationis ad constantiam Petri cum Petro suscitatus exsurgeret :

110. « Domino vere apostolico Gregorio, beati Petri fideles et sui, devotum pro viribus obsequium. Novit sanctitas vestra et omnibus circumquaque notum est, quam difficulter [515] quantoque jubilorum discrimine legationes ad vos transmittimus, quia iter quod omnibus temporibus omnibus populis, tribubus, et linguis apertum fuit et pervium, nunc clauditur et prohibetur, et illis maxime qui non minimum pro honore illius laboraverunt, ad cujus B corpus eadem via ducit. Vestro vero honori et nostræ necessitati congrueret, ut quod cum tanta difficultate perpetramus, aliquid nobis inde utilitatis, aliquid in [513] tribulatione consolationis proveniret. Sed quicquid quæstionis, quicquid querimoniæ ad sedem, quæ semper judicii et justitiæ magistra fuit, diriginus, nichil diffinitæ responsionis recipimus, sed omnia in futurum incerta suspenduntur. Nam inter alia multa hæc quoque sanctitati vestræ nuper indicavimus, qualem sententiam domnus Bernhardus in Heinricum Deo [514] odibilem suosque participes protulerit, quidque de rege Rodulfo vestra jussione statuerit, fiduciam habentes, si hoc ad notitiam vestram proveniret, omnem causam nostram C in hoc procedere et prosperari. Sed post longam expectationem nostram, tandem reverso nuntio, nichil aliud nobis consolationis relatum est, nisi quod diceretis, his quæ mandavimus vos fidem non habuisse. Et quare, carissime domine, incredibile vobis visum est, quod fratres nostri et coepiscopi, scilicet domnus Wirtzeburgensis, Pataviensis, et alii viri religiosi vobis in veritate nuntiaverunt, quodque se vidisse et audisse testati sunt? Certe, domine, non in verbis mendacii confidimus liberari, sed magis credimus quia veritas liberabit nos. Deus, qui est veritas, qui solus laborem et dolorem considerat, non deseruit sperantes in se, sed visitavit nos in misericordia et miserationibus. Nam rex noster Rodulfus fortis in eo qui dat salutem regibus, de D inimicis Domini potenter triumphavit (43), Heinricus autem solito more, cum suis complicibus [515], præter eos qui in gladio ceciderunt, in fugam versus est, comite illo et participe cujus malitiam vos in bono vincere frustra temptastis, Ruperto [516] scilicet Babenbergense, qui horum omnium auctor et incentor

sitia [517] fallacia adhuc satis edoctus fuissetis! Nolite, carissime domine, nolite amplius ad irrisionem sancti [518] nominis vestri hujusmodi homines mulcere, et post tam frequentes repulsas turpesque deceptiones iterum atque iterum ducatum ab eis quærere. Adventus vester ad nos tantum nobis esset desiderabilis, quantum et necessarius; sed vere scimus, quia sponte illorum ad nostras partes nunquam venietis, nisi prius certi sint, vos illorum parti favere, non pro justitia sed pro voluntate ipsorum. Quapropter nolite in eorum fide spem ponere, quorum perfidia totiens deceptus estis. Ecce videtis, quomodo multiplicata sint mala in terra, mala quorum non est numerus; et certamen, quod a vobis initum vestraque jussione susceptum est, jam non per vos nec per vestra decreta componitur, sed gladiorum judicio terminandum derelinquitur. Rogamus ergo vos et obsecramus in Domino ut, remotis jam blandimentis et dilationibus, justitiæ zelo vos accingatis; et si non propter nos, tamen propter honorem sanctæ sedis Ecclesiæ, confirmate quod operatus est ejusdem sedis legatus, ita ut et viva voce et litteris ubique transmissis sine ambiguitate denuntietis, quid in hac ecclesiæ divisione tenendum sit, quid sequendum. Quod si jam dudum factum fuisset, certi sumus, quia pars iniqua adeo jam vires perdidisset, ut nec vobis nec nobis amplius nocere prævaleret. Ne adjiciat ultra sanctitas vestra de certis ambigua et utrimque vergentia [519] statuere, quæ usque modo nos ita fovere visa sunt, quatenus inimicos tamen non exasperarent. Sed certum est quod [520] nullo modo ecclesiam vobis commissam de sua miseria poteritis liberare, nisi inimicorum illius inimicitias velitis tolerare [521]. Rogamus etiam ne in hoc statuta canonica deficere patiamini, quatenus corpora [522] excommunicatorum, qui in persequendo Ecclesiam occisi sunt, in atriis ecclesiarum sepeliri permittatis [523]; ubi autem sepulta sunt, ibi divina officia celebrari prohibeatis. Multi ex eis in Augusta civitate sepulti sunt (44). Ejusdem loci congregationibus litteras vestras per discurrentes peregrinos [524] satis mittere potestis. Deus autem omnipotens in his et in omnibus ita vos dirigat, ut sicut Ecclesiæ sanctæ præesse, sic et prodesse valeatis. »

111. Tertiam quoque direxerunt epistolam, quam jusserunt in sinodo Romana recitari, si domnus apostolicus vel universalis Ecclesiæ interventu ad dignitatis apostolicæ rigorem et stabilitatem possit [525] excitari :

112. « Conquerimur beato Petro, ejusque vicario

VARIÆ LECTIONES.

[515] difficiliter 1. [513] nō 1. [514] B. m. n. deo 1. [515] simplicibus 2. [516] R. 1. Roberto 2. [517] flagicia 1. [518] *deest* 1. [519] ūgentia 1. [520] *deest* 1. [521] tollerare 1. [522] corp. 1. [523] non p. 2. [524] perigrinos 1. [525] posset 2.

NOTÆ.

(43) A. 1078, d. 7 Aug. V. Bertholdi Ann. (44) Cf. Ann. August. a. 1078.

Digitized by Google

domno apostolico Gregorio, omnique sanctæ Romanæ Ecclesiæ concilio, super injuriis et violentiis, quas a domno Heinrico passi sumus et incessanter patimur, non ob aliam causam, nisi quod sedi apostolicæ obedientes sumus. Pervenit autem ad nos, in [526] sancta sinodo Romana nuper habita (45) quæsitum esse et dubitari a quibusdam, utrum prædictus vir ille excommunicandus sit, an non. Quapropter nos, quibus res ista gravi experimento evidentius innotuit, annuntiare pro nostra æstimatione dignum duximus, quantis existentibus causis ipse non solum excommunicandus sed multis modis jam vere sit [527] excommunicatus. Testis est hæc sancta Romana Ecclesia, pro quantis sceleribus et quam inaudita præsumptione in sinodo ejusdem ecclesiæ vinculo anathematis alligatus est, non prius tamen, sicut ex ipsius domni apostolici litteris didicimus, quam ipsum multa sedis apostolicæ monita spernentem, semper ex correptione deteriorem esse [528] probatum est. Pensetur ergo de illo, qui ante triennium incorrigibilis inventus est, si infra triennium istud sic correctus resipuerit [529], ut nunc de proferenda in illum sententia dubitari oporteat. Excommunicatus ergo [530], sicut jam diximus, quam diuturna pertinacia ultionem apostolicam despexerit, undique notum est. Tandem necessitate, quæ non [531] est incognita, coactus, absolutionem quærens, prius impetrare non potuit, quam jurejurando pollicitus est, se de omnibus sibi objectis satisfacturum, prout domnus papa sibi tempus constitueret. Hac conditione absolutus, recessit. Cum autem placuisset domno apostolico, missis legatis et litteris exegit ab eo, ut faceret quod jurejurando promisit. Quarum litterarum latores cum appropiarent ad eum, a suis fautoribus capti, quidam in custodiam missi sunt quoad usque pecunia redimerentur, alii vero excoriati ac decapillati sunt. Quod cum ad nostros renuntiatum fuisset, iterum per alium nuntium legationem et litteras apostolicas transmiserunt; a quo ipse verba legationis audiens, nichil respondit, litteras vero porrectas accipere recusavit. Hujus [532] rei testes sunt multi idonei, præcipue autem sedis apostolicæ legatus domnus Bernhardus cardinalis, qui ob id negotium in illas partes transmissus erat. Qui cum legationem suam in irritum procedere conspexisset, quamvis certum fuisset, prædictum virum pro adjuncto inobedientiæ perjurio prioris anathematis vinculo innodatum, de quo jam ad tempus conditionaliter absolutus fuit, tamen quod sibi ab apostolica sede injunctum est superimposuit. Jussione igitur apostolica regni gubernacula denuo ei contradicendo, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi et a liminibus sanctæ ecclesiæ separavit tam illum quam omnes sibi consentientes, et virum alium in regia dignitate confirmavit apostolica auctoritate. Quæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ edicta sicut alia multa contempnens, regnum sibi jam secundo interdictum invadens, usque adeo demolitus est dissipando, ut jam regnum dici non valeat, cui nulla pene regalia supersunt. Cum autem ad conciliandos sibi fautores regni facultates sibi non sufficerent, manum in sancta sanctorum extendens, ecclesiarum Dei publicus invasor effectus est, non eo quasi modo, quo jam ab aliquibus tyrannis præsumptum esse cognovimus. Incomparabiles enim et sine exemplo prævaricationes istæ sunt. Nam non quælibet prædia aut modicas aliquas facultates ecclesiarum, sed episcopatus quamplures aufugatis episcopis sibi usurpavit, et quicquid ad servitia vel sustentationes episcoporum pertinuit, totum suis suorumque usibus mancipavit. Pro qua re episcopis proclamantibus, domnus papa querimoniis eorum satisfaciens, pro sua pietate in sinodo, quæ 17 Kal. Decemb. habita est, excommunicavit omnes, qui bona eorum invaserunt. Quod cum prædicto viro cognitum fuisset, quem ejusdem invasionis auctorem et participem esse certissime constat, nec ipse propter hoc ab invasione cessavit, nec eos, qui una cum ipso excommunicati sunt, a sua communione vel ad horam repulit. Audivimus autem quod sui defensores his querimoniis tales excusationes obtendant [533], quod ipse de bonis ecclesiarum nulli aliquid præstiterit, neque de manu ejus acceperit, vel aliquis ipso jubente invaserit. Quod nec nos illi objicimus; sed in hoc illum accusamus, quod et approbare paratissimi sumus, quippe quod sui sua permissione bona ecclesiastica invaserunt, quibus ipse rogantibus hoc concessit, dividens singulis prout voluit; et hac mercede conducti sunt, ut iniquitati [534] suæ vires amministrarent. Quæcumque autem de facultatibus episcoporum in illa distributione militibus non concessa superfuerunt, his ipse tamquam propriis utitur, et tam manifeste suis usibus deserviunt, acsi hereditario jure sibi provenissent. In qua accusatione si falsitatis convincimur, nos, qui accusatores sumus, accusati pœnam subire parati sumus. Judicet ergo sancta sedes apostolica, inquirantur sanctorum Patrum concilia, interrogentur Romanorum pontificum decreta, utrum hi, qui ista faciunt vel consentiunt facientibus, pro excommunicatis et sacrilegis habendi sint [535], et si vel ipsis vel ipsorum fautoribus communicandum sit. Qui cum vere sciant, vera esse quæ de eo loquimur, scienter communicant ejus operibus malignis, et huc ad hoc venire solent, ut injustitiæ latebras defensio-

VARIÆ LECTIONES.

[526] *deest* 1. [527] *deest* 1. [528] factum 2. [529] respuerit 1. [530] e. quam diuturnam s. i. d. quam diuturna p. 1. [531] nc 1. [532] Cujus 2. [533] obtendat 1. [534] iniquitate 1. [535] st 1.

NOTÆ.

(45) Mense Februario hujus anni.

Digitized by Google

nis obtendant, et tantorum scelerum patroni existant. Cumque in concilio hujus sanctæ ecclesiæ, quæ semper ab excommunicatis abstinere docuit, se quasi oratores exhibent, ita patienter audiuntur, sicut et nostri, nullo discrimine inter læsos et lædentes habito. Hi etiam nuper in comitatu domini sui in eos insurrexerunt, qui præceptis apostolicis obediunt, ut ad inobedientiam constringerent; scilicet in partibus Sueviæ, ubi incendiis ecclesiarum et altarium [536] destructionibus sacrilegia innumerabilia commissa sunt. In qua re illos nec [537] accusamus nec excusamus; illud autem vere affirmamus, quod rapina illa in ecclesiis et earum atriis facta, consensu et permissione tam principis quam omnium pene majorum qui aderant perpetrata est, ea quidem deliberatione, quod sacrilegum illum exercitum aliter sustentari non posse censuerunt. Hoc quoque novit sancta Romana Ecclesia, quod præfatus Heinricus domno apostolico jurejurando affirmavit, quod nullum amodo, qui ad limina apostolorum de quibuscumque terrarum locis tenderent, vel ipse vel aliquis eorum quos constringere posset prohiberet. Qualiter autem juratam illam promissionem observaverit, nobis tacentibus ipsa rerum indicia manifestant Ergo præter illam quæ et ab antiquis Patribus et a vestra sanctitate in hujusmodi prævaricatores promulgata est sententiam [538], archiepiscopus Mogontinus majorum exempla secutus, adjunctis sibi episcopis numero septem, quibus eadem injuriæ ratio fuit, pro defensione ecclesiæ sibi commissæ prædictum virum, qui parrochianus illius est, tradidit Sathanæ in interitum carnis cum universis suis complicibus. Item domnus episcopus Wirtzeburgensis præsente et cooperante sedis apostolicæ legato domno Bernhardo omnes illos anathematizavit, qui actu vel consilio in hoc culpabiles extiterunt, quod ille a sua sede prohibitus est. Cujus prohibitionis auctor non incertus est; qui etiam in ejusdem sedis civitate, in qua pene nemo non excommunicatus est, frequentissime moratur. Ecce audivit sanctitas vestra, quam multis modis vir ille cum suis dampnatus sit et vere dampnandus. Rogamus ergo vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, et per eum cujus vicem agitis, ut si jam prolatis in eosdem homines sententiis aliquid superaddere necessarium non putatis, hoc tamen firmissime prohibeatis, ne vel in hac sancta sede vel alicubi ad communionem recipiantur, priusquam ecclesiis quas læserunt satisfaciant, ne grex vobis commissus amplius ab eis contaminetur, et ne pessimum illud fermentum totam massam corrumpat. »

A 113. Tunc ab ipsa sinodo (46) in Theutonicas partes subjectam misit epistolam : « Gregorius [539] servus servorum Dei (Greg. VII, *Regist.* VI, 1), omnibus clericis et laicis in regno Theutonico constitutis, qui excommunicationis vinculo non tenentur, salutem et apostolicam benedictionem. Quæ et quanta nobis cura fuerit et est, ut pestilentia clades [540] et desolatio a regno vestro auferatur, pax [541] et honestas et solitum decus vobis reddatur, in sinodo quæ hoc anno in quadragesima Romæ celebrata fuit declaravimus. Judicio enim sancti Spiritus decrevimus et præcepimus, ut in regno vestro omnium conventus episcoporum et laicorum eorum qui timent Deum et inter vos pacem desiderant fieret, et coram nostris legatis decerneretur, si cui [542], Heinrico B videlicet [543] vel Rodulfo, qui de regni gubernaculo inter se decertant, amplius justitia faveret, parsque [544] injustior ratione devicta et beati Petri auctoritate constricta, facilius cederet et ab interitu animarum et corporum, Deo propitiante, cessaret, justior vero pars amplius de Deo confideret, et adjuta beati Petri auctoritate [545] et omnium justitiam diligentium consensu, de victoria omnino speraret et neutram [546] mortem timeret. Sed quia pervenit ad nos quod inimici Dei et filii diaboli quidam apud vos contra interdictum apostolicæ sedis prædictum conventum procurent [547] in irritum ducere, et non justitia sed superbia ac totius regni desolatione suas cupiditates anhelent implere et Christianam religionem destruere monemus vos et ex parte beati Petri præcipimus, C ut talibus nullum auxilium [548] præbeatis neque illis communicetis. In prædicta enim sinodo jam omnes [549] excommunicationis et anathematis sunt vinculo innodati, et ut nullam victoriam possint obtinere, beati [550] Petri potestate sunt obligati; ut saltem coacti confundantur, et a morte animarum suarum et desolatione propriæ [551] patriæ revocentur. Vos autem, fratres carissimi, de me [552] nullo modo dubitetis, quod injustæ parti scienter aliquo modo faveam. Magis enim pro vestra salute desidero mortem subire, quam totius mundi gloriam ad vestrum interitum arripere. Quod si aliqui de falsitate confisi, litteris vel verbis aliter vobis indicaverint, nullo modo eis [553] acquiescatis. Deum enim timemus et pro ejus [554] amore cottidie affligimur, et ideo D superbiam et oblectamenta seculi parvipendimus, quia cito apud eum consolari indubitanter credimus. Omnipotens et misericors Deus, qui ultra spem, ultra meritum misereatur et consolatur nos in tribulatione nostra, aperiat cor vestrum in lege sua, et [555] in præceptis suis confirmet vos, ut auctoritate

VARIÆ LECTIONES.

[536] altariorum 1. [537] *ita* 2. n. l. 1. [538] *deest* 1. 2. *supplevit Eckhart.* [539] Gr. episcopus s. *Reg.* VI, 1. [540] et clades *R.* [541] et pax h. *R.* [542] *deest* 2. [543] *deest R.* [544] f. Injustitior enim pars r. *R.* [545] potestate *R.* [546] sp. neque utramque *R.* [547] procurarent *R.* [548] adjutorium *R.* [549] o. sunt. c. et a. v. i. *R.* [550] pot. b. P. sunt alligati *R.* [551] d. patriæ vestræ *R.* [552] *deest* 1. [553] illis *R.* [554] *deest* 1. [555] et confirmet v. in p. s. *R.*

NOTÆ.

(46) In Regesto Gregorii litteræ istæ datæ dicuntur Capuæ Kal. Jun. ind. 1. (1078.)

Digitized by Google

beati Petri a cunctis peccatis absolutos vos ad cœleste regnum perducat regnaturos. »

114. Contra quam nostrates hanc, quam supposui, miserunt epistolam : « Accepimus dudum sanctitatis vestræ litteras hoc continentes, quod vos in sinodo Romana decrevistis, quatenus in nostris partibus conventus omnium episcoporum et laicorum Deum timentium fieret, ad discutiendum hoc, cui illorum, qui de regni gubernaculo certant, justitia magis faveat. In qua re hoc primum miramur, quod prudentia statuit, quod nullo modo posse fieri constat. Novimus enim hoc memoriæ vestræ non excidisse, quod tam a suis quam a nostris querimoniis frequentatum est apud vos, quippe quod pene omnes episcopi qui sedi apostolicæ obediunt, de suis episcopatibus expulsi, a facie persequentium fugiunt, et latitant; et quomodo hi cum suis persecutoribus convenire et conferre de his causis possunt, pro quibus aliqui illorum occisi sunt, quidam in captivitatem abducti, reliqui vero omnibus rebus suis exspoliati? Deinde quoque hoc mirandum censemus, quod illius hominis causam cum illis hominibus discutere jubemur, quos utrosque legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ vestra jussione a liminibus ecclesiæ sanctæ separavit. Si autem nichil horum obstitisset, quid nostra [556] interest, ut jam dudum finitam sinodi Romanæ sententiam retractemus, et denuo ad rationem ponamus? Quid ad nos, ut discutiamus, si illi justitia faveat ad obtinendum regnum, cui vos regni gubernacula jam ante triennium sinodo judicante interdixistis? Nonne magis oportuit ut judicium illud discussio præcederet, quam nunc tandem subsequatur? Novimus intelligentiam vestram, quia nunquam de re indiscussa sinodus vobis præsidente judicavit. Quæ ergo necessitas secundæ discussionis? Si autem prædictus ille nondum discussus est, sed sicut vos dicitis adhuc discutiendus, quæ ratio fuit, ut homini indiscusso regalis dignitas ex dignitate apostolica sine ullo conditionis additamento interdiceretur? Si nondum discussus, sed adhuc discutiendus, quare regi alteri obedire ex vestra auctoritate jussi sumus, priusquam certum fuisset, istum non posse regnare? Hujus rei testes sunt apud nos litteræ vestræ, quippe quod legatus sedis apostolicæ vestra jussione anteriori illi denuo regni gubernacula interdicendo a liminibus sanctæ ecclesiæ separavit tam illum quam omnes sibi consentientes; alterum vero, qui in locum illius subrogatus est nostra electione, in regiam dignitatem apostolica auctoritate confirmavit, omnibusque [557] in regno Theutonico consistentibus, ut sibi obediant, ex parte omnipotentis Dei præcepit. Numquid hæc omnia destruenda sunt et pro nichilo reputanda? Ut autem de reliquis omnibus taceamus, certe si sola illa absolutio sacramentorum, quam in synodo fecistis, effectum habitura est, indubitanter constat, quia iste rex esse non potest. Quomodo enim regnare potest, cui nullus amodo fidelitatem ex debito servat? Quomodo regere populum potest, qui in agendis causis legalibus neminem ad faciendum justum judici in sacramentorum obligatione constringere potest? Si autem, quod absit! apostolica illa indulgentia pro rato habenda non est, quid erit de illis episcopis, et aliis, qui spe [558] prælictæ absolutionis juramenta Heinrico prædicto facta infregerunt? Nonne manifeste perjurii convincuntur? Si enim ille juste regnare potest, isti injuste fecerunt qui promissæ sibi fidelitatis jugum a se projecerunt. Adhuc aliud. Quid de illis sacramentis erit quæ postea regi Rodulfo facta sunt, cujus ditioni vestra auctoritate subjugati sumus? Ecce qualis rerum perturbatio! Attendant et videant omnes qui sanum sapiunt, si factum est hujuscemodi, si audita est unquam in Ecclesia confusio similis huic confusioni. Videte, carissime domine, quia terra commota est et conturbata. Si vultis sanare contritiones ejus, in eo quod cœpistis firmiter persistite, et quod ædificastis, non destruite. Si enim in [559] incepto itinere retrorsum redire et ob difficultatem diverticula quærere vultis, non solum vulnerata non sanatis, sed quæ sana sunt vulneratis. Nam si ea dissimulando quæ vestra statuit auctoritas, nos in media tempestate, quam pro vobis incurrimus, derelinquitis, testis est super nos cœlum et terra, quia [560] injuste perditi sumus. »

115. Item post aliquod temporis intervallum nostrates hanc epistolam domno apostolico miserunt : « Non latet sanctitatem vestram, quantas vobis obediendo persecutiones passi sumus, quomodo æstimati sumus sicut oves occisionis, quomodo traditi sumus in fabulam et in improperium. Si ergo talia pro vobis sustinendo, nichil a vobis gratiæ meruimus, nec digni sumus quorum liberationi studium impendatur: quare saltem justitia, quæ nec inimicis denegenda est, nobis denegatur? Si ergo justum est, quod justum esse multis [561] vestris hortationibus didicimus, scilicet ut illi sententiæ vestræ quæ in Heinricum processit obediamus, illi qui e contrario eidem sententiæ vestræ superbe repugnant [562], quare secundum justitiam non constringuntur? quare pro hac inobedientia nullam apostolicæ gravitatis censuram sentiunt? quare illis conceditur, quod tam ipsis quam nobis interdictum est? aut quomodo illis licet, quod nobis illicitum factum est? Ecce ipsi sine omni contradictione vestra, illi ad obtentum regni auxilium præbent, cui vos regni gubernacula interdixistis; illi sicut regi serviunt, quem vos usque adeo a regia dignitate deposuistis, ut omnes a vinculo juramenti, quod ei fecerunt vel facient, absolveretis; illi participando communicant, quem legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ denuo sibi regni guberna-

VARIÆ LECTIONES.

[556] vestra 2. [557] que *deest* 1. [558] *ita* 2. propter 1. [559] ab 2. [560] quod 2. [561] vultis 1. [562] repugnavit 1.

Digitized by Google

cula contradicendo [563] a liminibus sanctæ ecclesiæ separavit; illi ad oppressionem nostram cum omni studio vires administrant. Quicquid enim mali patimur, ab illis patimur quos vos prohibere et debetis et potestis. Quibus dum nulla a vobis auctoritate resistitur, sine dubio ad internecionem nostram frena laxantur. Igitur vestra illa famosa strenuitas, quæ juxta apostolum semper in promptu habuit ulcisci omnem inobedientiam, quare istam non ulciscitur? Quare istam dissimulat, et talem quidem inobedientiam de qua mala inaudita [564] oriuntur, mala quorum non est numerus? Si quando miseræ nos oves in aliquo excessimus, confestim sine mora, sine dilatione in nos apostolicæ austeritatis vindicta processit. Nunc autem cum ad lupos perventum est, qui apertis morsibus in gregem Dominicum desæviunt, omnia cum patientia et longanimitate differuntur, omnia in spiritu lenitatis tolerantur. Rogamus ergo vos [565] per nomen Domini Jesu, ut sive vos terror viri peccatoris, cujus gloria stercus et vermis est, exorbitare fecit, sive familiarium personarum mollita persuasio delinivit, ut redeatis ad cor, ut memor sitis honestatis et timoris Domini, et si non nobis propter nos parcitis, saltem vestræ innocentiæ in tanti sanguinis effusione provideatis. Nam si illos amplius in nos grassari permittitis, quos prohibere debetis et potestis, timendum est, ne coram justo Judice de perditione nostra excusationem non habeatis. »

116. Sic totus annus ille consumitur, ut fere nichil memorabile fieret in nostris partibus, nisi quod apostolici legati frequenter ad utrasque partes venerunt, et nunc nobis, nunc hostibus nostris apostolicum favorem promittentes, ab utrisque pecuniam, quantam poterant more Romano conquirere, secum detulerunt.

117. In sequenti vero anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1080, mense Januario, Heinricus iterum congregato non parvæ multitudinis exercitu, Saxoniam volebat invadere, reputans Saxones, utpote quietem dum pax erat amantes, non frequentes exire hiemis tempore. Saxones vero multis jam laboribus exercitati et per multas inquietudines a somno quietis expergefacti, tota [566] virtute studebant ei obviam venire et ejus impetum ab invasione regionis suæ repellere. Sed ille solita calliditate Saxones ab invicem multa promittendo diviserat, ut non diu ante diem prœlii Widekin [567], Wiprecht [568], et Theodericus Geronis [569] filius, cum multis aliis a Saxonibus ad hostes transirent, et Ekkibertus marchio cum sua legione neutræ parti accedens, non longe a prœliantibus lentus sederet, eventum belli dubius expectans, ut cui parti victoria cederet, ei congratulando socius accederet. Igitur exercitus uterque convenerunt in loco qui Flathecheim [570] (47) vocatur, et sic consederunt, ut inter eos rivus, non latus quidem sed profundus, haberetur. Itaque nostrates ad defendendum partis suæ fines ordinati, illos ad se venturos in declivi montis expectant, ut ipsius oportunitate loci descendentes, hostes supinos facilius retrorsum impellant. Et Ottoni duci, quo primus pugnam conserat, imperant. Ergo dum sic ordinati nostrates, adversum se venturos hostes attendunt, illi, sicut semper solebant, calliditate pugnaturi, nostros improvisi circumveniunt, et dum a fronte venire putantur, subito post tergum respicientibus adesse videntur. Tunc rex Rodulfus velocem misit Ottoni duci nuntium, per Deum obtestans, ut antiquæ memor virtutis, sicut dispositum fuerat, ipse bellum primus incipere non refugiat. Cui dux Otto respondit, si sibi, sicut putabantur, primo venissent [571], se nullatenus eorum violentiam formidare; nunc vero se non posse suæ legionis ordinem convertere; et rogavit, ut illi quibus primo venissent, eos tota virtute susciperent, promittens se cum primum posset, eis in auxilium venturum. Denique multo aliter incipitur quam dispositum fuisset. Nam novissimi fiunt primi, et primi novissimi. Acriter itaque utrimque pugnatur, sed momento brevi finitur. Nam Saxones citissime conversi, hostibus, qui sibi venerant a tergo, vultus horribiles ostendunt, et non ante quiescunt, quam eos in fugam versos, sibi terga monstrare compellunt. Victores itaque Saxones reversi, multas, sicut decebat, laudes referebant omnium bonorum largitori. Ex nostris autem jacuit in illo prœlio Meginfridus [572] Magedaburgensis præfectus, ex [573] illis vero Folcmarus [574] et [575] Pragensis præfectus, et cum eis Boemiorum ceterorumque non parvus numerus. Heinricum autem, qui mox incepto prœlio fugæ se commendavit, Lothowicus per silvam semitis latentibus abduxit. Exercitus vero ejus non longe post ad ejusdem fugæ præsidium coactus, juxta quoddam castellum quod dicitur Wartberg [576] (48) fatigatus consedit, et ibi, donec cibis et requie recrearentur corpora, repausavit. Nostrates vero, qui castellum tenebant, impetu subito eos insiliunt, et eis fugatis, omnia pene quæ habebant diripiunt, equos, arma, vasa aurea et argentea, piper et alia pigmenta, pallia et pretiosa vestimenta. Erat enim in eadem societate patriarcha et alii partium illarum principes, qui secum divitias portaverant ingentes. Factum est autem hoc tertium prœlium

VARIÆ LECTIONES.

[563] interdicendo 2. [564] infinita 2. [565] *deest* 1. [566] cum rege suo Rodulfo tota. 2 [567] widekint 1b. widikin 2. [568] wipertus 2. [569] g. comitis 2. [570] Flathechim 1b. Fladecheim 2. [571] primum obvenissent 2. [572] *ita* 2. meinfridus 1. [573] et ex 1. [574] falmarus 1. volcmarus 1b. *c. Dresd.* [575] etiam 1b. *c. Dresd.* [576] warthberh 2.

NOTÆ.

(47) Flarcheim prope Muhlhausen.

(48) Wartburg.

Digitized by Google

anno Domini 1080, 6 Kalend. Februar., feria 2. A 118 [577]. Ipso (49) anno domnus apostolicus in Theutonicas partes a sinodo (50) subjectam misit epistolam [578] : « Gregorius episcopus [579] servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis et episcopis in Theutonico atque in Saxonico regno commanentibus [580], omnibusque principibus, cunctis etiam majoribus [581] atque minoribus, qui non sunt excommunicati et obœdire voluerint, salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam ex lite et dissensione, quæ tamdiu inter vos est, maximum in sancta Ecclesia periculum, maximum undique inter vos detrimentum fieri cottidie cognoscimus, idcirco visum est nobis, visum est et fratribus nostris in concilio congregatis, summo desiderio æstuare, summa ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuntii, tam religione B quam scientia pollentes, e latere apostolicæ sedis ad partes vestras mitterentur, qui religiosos episcopos, laicos etiam pacis et justiciæ amatores, in partibus vestris [582] commorantes, ad hoc opus idoneos congregarent : qui, Domini gratia præeunte, die et loco ab illis statuto, tam ipsi, quam quos ipsis adhuc jungere [583] debemus, aut pacem componant, aut veritate prœcognita, super illos qui sunt tanti dissidii [584] causa, canonicam censuram exerceant. Verum quoniam nonnullos diabolico instinctu confectos [585], iniquitatis suæ facibus ignitos, cupiditate inductos, discordiam potius quam pacem fieri et videre desiderantes fore non ignoramus, statuimus in hac sinodo ad eandem formam sicut et in præterita, ut nulla umquam persona alicujus potentiæ vel C dignitatis [586], sive magna sive parva, sive princeps sive subjectus, aliqua præsumptione præsumat [587] legatis nostris obsistere, et postquam ad vos pervenerint, de componenda pace contraire; nec postea contra interdictum illorum alter in alterum audeat insurgere [588], sed usque ad diem ab illis statutam [589] firmam pacem omnes sine ulla occasione et fraude observent. Quicumque autem hæc nostra statuta ulla præsumptione violare temptaverit, anathematis eum vinculo ligamus, et non solum in spiritu, verum etiam et [590] in corpore et in omni prosperitate hujus vitæ apostolica auctoritate innodamus, et victoriam in armis auferimus, ut sic saltem confundantur et duplici contritione conterantur. »

119. Item domnus papa regi Rodulfo : « Gregorius episcopus servus servorum Dei, Rodulfo regi et omnibus secum Christianam religionem defendentibus salutem et apostolicam benedictionem. Quod regnum Theutonicorum, hactenus inter omnia mundi regna nobilissimum, jam video incendiis cædibus et rapinis devastari confundi [591] et annullari, quam magnus exinde cordi meo dolor insideat, quam continuus in visceribus meis me gemitus afficiat, testis est ille solus, qui omnium hominum corda scrutatur et probat. Deferuntur enim [592] michi jam sæpius legationes Heinrici cum [593] per proprios nuntios, tum per cognatos et aliarum terrarum principes et affines, modo omnem obœdientiam promittendo, modo per varia ingenia sollicitando, id a me summo conamine cupientes efficere, quo me ad votum suum suis [594] partibus valeant inclinare. Verum quia hinc inde et Romana gravitas et apostolica mansuetudo me per mediam justitiæ viam [595] incedere cogit, omnibus quibus possum modis hoc oportet intendere, quomodo veram a falsa justitiam, perfectam a ficta obœdientiam, judicio sancti Spiritus valeam discernere, et rato ordine ad finem usque perducere. Hæc vero [596] et alia, si propitio Deo ad vos sani perveniunt legati mei, melius quam hæ litteræ viva voce testificabuntur et docebunt (51). »

120. Item domnus apostolicus regi Rodulfo : « Gregorius episcopus servus servorum Dei, Rodulfo regi omnibusque secum in regno Saxonum commanentibus, tam episcopis quam ducibus et comitibus, nec non majoribus et minoribus, peccatorum absoD audio enim inter vos esse quosdam boni testimonii viros, A. scilicet Goslariensem decanum, G. Bertaldi ducis filium, H. Sigifridi comitis filium, quorum unum me præcipiente et consentiente eligite, et in archiepiscopum prænominatæ ecclesiæ ordinate. Si vero in his tribus qui dignus sit non poterit inveniri, in contritione cordis orando et jejunando ad Deum convertimini, rogantes ut sua revelante gratia, persona quæ huic negotio sit conveniens possit ostendi. Hoc procul dubio scientes, quia sicut illum qui ambitu secularis potentiæ inordinate intraverit, vinculo excommunicationis alligabo, ita quoque eum qui canonice intronizatus fuerit, a peccatis absolvo et apostolica benedictione benedico. »

VARIÆ LECTIONES.

[577] *codex nonnisi in voce* Gregorius *aliud caput orditur.* [578] *hic collatum, æque atque alterum quæ sequitur, cum apographo sæc. XI. in cod. Trevir. Nro.* 102. [579] *deest* 1 2. [580] commorantibus *T.* [581] min. atq. mai. 1. [582] nostris 1. [583] adjungere adhuc 2. [584] discidii 2. [585] c. si i. 1. [586] vel *deest* 1. [587] audeat 2. [588] resurgere 1. [589] statutum 1. [590] *deest* 2. [591] d. et c. 2. [592] *deest* 1. [593] w) tum 2. [594] sue parti 2. [595] inã 1. [596] *decst* 2.

NOTÆ.

(49) Epistolæ istæ anno 1079 scriptæ esse videntur; cf. Bertholdi Annales supra p. 318. Paulus etiam Bernr. cap. 105 priorem epistolam anno 1079 assignat.

(50) Cujus acta v. supra pag. 316 sqq.

(51) Codex Trevirensis hæc addit : « Audivi quidem a legato meo B. metropolim Magedeburgensem jam diu esse viduatam, et adhuc perversa quorundam contentione, ne desponsari possit, fuisse turbatam. His modis omnibus ex præcepto Dei omnipotentis et sancti Petri et meo ne prævaleant resistite, et domus Dei dignum dispensatorem per ostium introducere, cum communi omnium religiosorum, tam archiepiscoporum quam episcoporum, nec non etiam clericorum et laicorum, consensu et electione procurate. Quod si meis vultis adquiescere consiliis,

Digitized by Google

lutionem et apostolicam benedictionem. Cum Veritas ipsa dicat, omnium qui propter justitiam persecutionem patiuntur, regnum esse cœlorum, et Apostolus clamet neminem, nisi qui legitime certaverit, posse coronari : nolite, filii mei, in hoc, qui vos jam multo tempore exagitat, bellico furore deficere; nolite per ullius [597] fallentis personæ mendacia de nostro fideli adjutorio dubitare, sed magis magisque pro tuenda veritate ecclesiastica, pro defendenda vestræ nobilitatis [598] libertate, labori jam citius finiendo incumbite, et ex adverso ascendendo, vos et corpora vestra quasi murum pro domo Israel opponere satagite. Quid jam in duabus sinodi nostræ conventionibus de rege Rodulfo et de Heinrico statutum, quidque ibi de pace et concordia regni etiam cum juramentis sit diffinitum, per nostras litteras et per vestros legatos, nisi forte capti sint [599], apertissime potestis agnoscere, et si quid adhuc remanserit [600], per episcopos Metensem et Patavien-sem et abbatem Augiensem [601] (52), qui nobiscum finem rei præstolando morantur, cum ad vos ipsi pervenerint, quasi in promptu habetis audire. Postremo hoc vos ignorare nolumus, quia omni qua oportet instantia, cum [602] orationis nostræ assiduitate, tum officii nostri gravitate, et prospiciendo consulere et consulendo prospicere vestræ necessitati non dubitamus. »

121. Eodem anno, mense videlicet Octobri, Heinricus militiæ [603] laboribus infatigabilis, iterum congregavit exercitum, ut invaderet Saxoniæ regnum. Saxones vero cum ingenti multitudine occurrerunt ei in loco qui Cancul (53) vocatur, ibique castris positis, sederunt, ut fines suos cum Dei adjutorio ab hostili invasione tuerentur. Cumque missis exploratoribus ille nostram virtutem cognosceret, et ei cum sua virtute congredi non auderet, ad artem malitiæ convertit se, dolique calliditate nostrum agmen in duas partes dispergit, ut quod integrum, suis viribus diffidens, adire non præsumebat, divisum per partes, si necessitas compelleret, aggredi non formidaret. Nam cum prœlium devitans cum universo exercitu suo contra Erphesfort [604] tenderet, velocissimos equites retro contra Goslariam misit, qui quibusdam villis incensis ad se velociter properarent. At Saxones per suos exploratores iter ejus contra Erphesfort [605] edocti, cum eum facile possent insequi vel etiam prævenire, viso post dorsum fumo illuc universi festinant, ut ei Goslariam et illas partes Saxoniæ prohibeant. Ille vero cœptum iter ad Erphesfort [606] peragens, oppidum jam succensum fuerat deprædatus, cum noster exercitus se decep- A tum intelligens, magna turba peditum simul et equitum derelicta illum est insecutus. Cumque jam illi nostrates appropinquarent, eumque Niuamburg [608] (54) episcopatum incendere velle viderent, propero cursu eum per montana prævenientes, urbem ab incendio fortiter defenderunt. Quo ille cognito, obvia cuncto comburens et vastans, ad fluvium qui dicitur Elstera pervenit ; cujus magna profunditate visa, nolens ibi castra locavit. Hic diversorum diversas opiniones michi contigit agnoscere, sed cui earum veritas accedat, non licuit michi scire. Alii namque dicebant, quia bis a prœlio discedebat victus, amplius eum fortunam prœlii nolle temptare, sed nostris arte sua deceptis, magnam partem regionis velle comburere, sicque B sine prœlio, quasi cum victoriæ gloria, suas in partes declinare, sed inscium fluminis hujus profunditatem incurrisse, sicque coactum, quia non facile transire poterat, prœlio se commisisse. Alii vero putabant, quod ex [606] industria malivolentiæ hunc pugnæ elegisset locum, ubi suis quibus non bene credebat aut fortiter esset pugnandum, aut turpis fugæ præmium periculum fluvii subeundum. Alii vero credebant, quod ideo regiones illas peteret, quia Misnensium vel Boemiorum pro quibus legatos miserat, auxilium speraret ; qui si sibi, sicut, expectabat, fuissent adunati, inde per Merseburg et Magedaburg et per universam potenter transiens Saxoniam, cuncta posset depopulari, suæque in perpetuum subjicere dominationi.

C 122. Igitur Heinricus castris in Elstræ ripa locatis, crastino mane primo suas acies disposuit, quia nullam prœlii moram per se fieri voluit (*an.* 1080, *oct.* 15) : cum ecce nostri multa festinatione simul et itineris asperitate fatigati, multis in via præ [607] lassitudine derelictis adveniunt et audientes, quod hostes essent, e contra sine mora se ad defensionem patriæ suæ [608] disponunt. Cum vero pedites admodum pauci esse [609], plurimis non valentibus sequi, conspicerentur, omnes qui non satis fortes equos habebant ex equitibus pedites fieri jubentur; et tunc ordinati, hostibus obviam paulatim progrediuntur. Episcopi vero clericos omnes qui aderant, ut psalmum 82[um] multa devotione cantarent, ammone-D bant. Exercitus autem uterque ad paludem quæ vocatur Grona [610] convenerunt, et quia sine vado palus erat, exercitus ambo dubitantes ibi substiterunt, et alteros alteri, ut priores ad se transeant, opprobriis increpantes, utrique suam ripam inmoti tenuerunt. Tandem nostri caput ipsius paludis non longe esse cognoscentes, ad illud tende-

VARIÆ LECTIONES.

[597] illius 2? [598] *ita* 2. voluntatis 1. [599] sunt 2. [600] remansit 2. [601] augustensem *ed.* [602] tum 2. [603] *ita* 2. malicie 1. [604] erpesfort 2. [605] niemburh 2. [606] *deest* 1. [607] *deest* 1. [608] *deest* 1. sue p. 2. [609] essent 1. [610] *ita* 2. grono 1.

NOTÆ.

(52) V. Bertholdi Ann. a. 1079.
(53) Fortasse Keula prope Mühlhausen.
(54) Naumburg.

Digitized by Google

anno Domini 1080, 6 Kalend. Februar., feria 2. A 118 [577]. Ipso (49) anno domnus apostolicus in Theutonicas partes a sinodo (50) subjectam misit epistolam [578] : « Gregorius episcopus [579] servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis et episcopis in Theutonico atque in Saxonico regno commanentibus [580], omnibusque principibus, cunctis etiam majoribus [581] atque minoribus, qui non sunt excommunicati et obœdire voluerint, salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam ex lite et dissensione, quæ tamdiu inter vos est, maximum in sancta Ecclesia periculum, maximum undique inter vos detrimentum fieri cottidie cognoscimus, idcirco visum est nobis, visum est et fratribus nostris in concilio congregatis, summo desiderio æstuare, summa ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuntii, tam religione B quam scientia pollentes, e latere apostolicæ sedis ad partes vestras mitterentur, qui religiosos episcopos, laicos etiam pacis et justiciæ amatores, in partibus vestris [582] commorantes, ad hoc opus idoneos congregarent : qui, Domini gratia præeunte, die et loco ab illis statuto, tam ipsi, quam quos ipsis adhuc jungere [583] debemus, aut pacem componant, aut veritate prœcognita, super illos qui sunt tanti dissidii [584] causa, canonicam censuram exerceant. Verum quoniam nonnullos diabolico instinctu confectos [585], iniquitatis suæ facibus ignitos, cupiditate inductos, discordiam potius quam pacem fieri et videre desiderantes fore non ignoramus, statuimus in hac sinodo ad eandem formam sicut et in præterita, ut nulla umquam persona alicujus potentiæ vel C dignitatis [586], sive magna sive parva, sive princeps sive subjectus, aliqua præsumptione præsumat [587] legatis nostris obsistere, et postquam ad vos pervenerint, de componenda pace contraire; nec postea contra interdictum illorum alter in alterum audeat insurgere [588], sed usque ad diem ab illis statutam [589] firmam pacem omnes sine ulla occasione et fraude observent. Quicumque autem hæc nostra statuta ulla præsumptione violare temptaverit, anathematis eum vinculo ligamus, et non solum in spiritu, verum etiam et [590] in corpore et in omni prosperitate hujus vitæ apostolica auctoritate innodamus, et victoriam in armis auferimus, ut sic saltem confundantur et duplici contritione conterantur. »

119. Item domnus papa regi Rodulfo : « Gregorius episcopus servus servorum Dei, Rodulfo regi et omnibus secum Christianam religionem defendentibus salutem et apostolicam benedictionem. Quod regnum Theutonicorum, hactenus inter omnia mundi regna nobilissimum, jam video incendiis cædibus et rapinis devastari confundi [591] et annullari, quam magnus exinde cordi meo dolor insideat, quam continuus in visceribus meis me gemitus afficiat, testis est ille solus, qui omnium hominum corda scrutatur et probat. Deferuntur enim [592] michi jam sæpius legationes Heinrici cum [593] per proprios nuntios, tum per cognatos et aliarum terrarum principes et affines, modo omnem obœdientiam promittendo, modo per varia ingenia sollicitando, id a me summo conamine cupientes efficere, quo me ad votum suum suis [594] partibus valeant inclinare. Verum quia hinc inde et Romana gravitas et apostolica mansuetudo me per mediam justitiæ viam [595] incedere cogit, omnibus quibus possum modis hoc oportet intendere, quomodo veram a falsa justitiam, perfectam a ficta obœdientiam, judicio sancti Spiritus valeam discernere, et rato ordine ad finem usque perducere. Hæc vero [596] et alia, si propitio Deo ad vos sani perveniunt legati mei, melius quam hæ litteræ viva voce testificabuntur et docebunt (51). »

120. Item domnus apostolicus regi Rodulfo : « Gregorius episcopus servus servorum Dei, Rodulfo regi omnibusque secum in regno Saxonum commanentibus, tam episcopis quam ducibus et comitibus, nec non majoribus et minoribus, peccatorum abso-

VARIÆ LECTIONES.

[577] *codex nonnisi in voce* Gregorius *aliud caput orditur.* [578] *hic collatum, æque atque alteram quæ sequitur, cum apographo sæc. XI. in cod. Trevir. Nro.* 102. [579] *deest* 1. 2. [580] commorantibus *T.* [581] min. atq. mai. 1. [582] nostris 1. [583] adjungere adhuc 2. [584] discidii 2. [585] e. si i. 1. [586] vel *deest* 1. [587] audeat 2. [588] resurgere 1. [589] statutum 1. [590] *deest* 2. [591] d. et c. 2. [592] *deest* 1. [593] w) tum 2. [594] sue parti 2. [595] inā 1. [596] *deest* 2.

NOTÆ.

(49) Epistolæ istæ anno 1079 scriptæ esse videntur; cf. Bertholdi Annales supra p. 318. Paulus etiam Bernr. cap. 105 priorem epistolam anno 1079 assignat.

(50) Cujus acta v. supra pag. 316 sqq.

(51) Codex Trevirensis hæc addit : « Audivi quidem a legato meo B. metropolim Magedeburgensem jam diu esse viduatam, et adhuc perversa quorundam contentione, ne desponsari possit, fuisse turbatam. His modis omnibus ex præcepto Dei omnipotentis et sancti Petri et meo ne prævaleant resistite, et domus Dei dignum dispensatorem per ostium introducere, cum communi omnium religiosorum, tam archiepiscoporum quam episcoporum, nec non etiam clericorum et laicorum, consensu et electione procurate. Quod si meis vultis adquiescere consiliis, D audio enim inter vos esse quosdam boni testimonii viros, A. scilicet Goslariensem decanum, G. Bertaldi ducis filium, H. Sigifridi comitis filium, quorum unum me præcipiente et consentiente eligite, et in archiepiscopum prænominatæ ecclesiæ ordinate. Si vero in his tribus qui dignus sit non poterit inveniri, in contritione cordis orando et jejunando ad Deum convertimini, rogantes ut sua revelante gratia, persona quæ huic negotio sit conveniens possit ostendi. Hoc procul dubio scientes, quia sicut illum qui ambitu secularis potentiæ inordinate intraverit, vinculo excommunicationis alligabo, ita quoque eum qui canonice intronizatus fuerit, a peccatis absolvo et apostolica benedictione benedico. »

Digitized by Google

lutionem et apostolicam benedictionem. Cum Veritas ipsa dicat, omnium qui propter justitiam persecutionem patiuntur, regnum esse cœlorum, et Apostolus clamet neminem, nisi qui legitime certaverit, posse coronari : nolite, filii mei, in hoc, qui vos jam multo tempore exagitat, bellico furore deficere; nolite per ullius [597] fallentis personæ mendacia de nostro fideli adjutorio dubitare, sed magis magisque pro tuenda veritate ecclesiastica, pro defendenda vestræ nobilitatis [598] libertate, labori jam citius finiendo incumbite, et ex adverso ascendendo, vos et corpora vestra quasi murum pro domo Israel opponere satagite. Quid jam in duabus sinodi nostræ conventionibus de rege Rodulfo et de Heinrico statutum, quidque ibi de pace et concordia regni etiam cum juramentis sit diffinitum, per nostras litteras et per vestros legatos, nisi forte capti sint [599], apertissime potestis agnoscere, et si quid adhuc remanserit [600], per episcopos Metensem et Pataviensem et abbatem Augiensem [601] (52), qui nobiscum finem rei præstolando morantur, cum ad vos ipsi pervenerint, quasi in promptu habetis audire. Postremo hoc vos ignorare nolumus, quia omni qua oportet instantia, cum [602] orationis nostræ assiduitate, tum officii nostri gravitate, et prospiciendo consulere et consulendo prospicere vestræ necessitati non dubitamus. »

121. Eodem anno, mense videlicet Octobri, Heinricus militiæ [603] laboribus infatigabilis, iterum congregavit exercitum, ut invaderet Saxoniæ regnum. Saxones vero cum ingenti multitudine occurrerunt ei in loco qui Cancul (53) vocatur, ibique castris positis, sederunt, ut fines suos cum Dei adjutorio ab hostili invasione tuerentur. Cumque missis exploratoribus ille nostram virtutem cognosceret, et ei cum sua virtute congredi non auderet, ad artem malitiæ convertit se, dolique calliditate nostrum agmen in duas partes dispergit, ut quod integrum, suis viribus diffidens, adire non præsumebat, divisum per partes, si necessitas compelleret, aggredi non formidaret. Nam cum prœlium devitans cum universo exercitu suo contra Erphesfort [604] tenderet, velocissimos equites retro contra Goslariam misit, qui quibusdam villis incensis ad se velociter properarent. At Saxones per suos exploratores iter ejus contra Erphesfort [605] edocti, cum eum facile possent insequi vel etiam prævenire, viso post dorsum fumo illuc universi festinant, ut ei Goslariam et illas partes Saxoniæ prohibeant. Ille vero cœptum iter ad Erphesfort [606] peragens, oppidum jam succensum fuerat deprædatus, cum noster exercitus se deceptum intelligens, magna turba peditum simul et equitum derelicta illum est insecutus. Cumque jam illi nostrates appropinquarent, eumque Niuamburg [608] (54) episcopatum incendere velle viderent, propero cursu eum per montana prævenientes, urbem ab incendio fortiter defenderunt. Quo ille cognito, obvia cuncto comburens et vastans, ad fluvium qui dicitur Elstera pervenit ; cujus magna profunditate visa, nolens ibi castra locavit. Hic diversorum diversas opiniones michi contigit agnoscere, sed cui earum veritas accedat, non licuit michi scire. Alii namque dicebant, quia bis a prœlio discedebat victus, amplius eum fortunam prœlii nolle temptare, sed nostris arte sua deceptis, magnam partem regionis velle comburere, sicque sine prœlio, quasi cum victoriæ gloria, suas in partes declinare, sed inscium fluminis hujus profunditatem incurrisse, sicque coactum, quia non facile transire poterat, prœlio se commisisse. Alii vero putabant, quod ex [606] industria malivolentiæ hunc pugnæ elegisset locum, ubi suis quibus non bene credebat aut fortiter esset pugnandum, aut turpis fugæ præmium periculum fluvii subeundum. Alii vero credebant, quod ideo regiones illas peteret, quia Misnensium vel Boemiorum pro quibus legatos miserat, auxilium speraret ; qui si sibi, sicut, expectabat, fuissent adunati, inde per Merseburg et Magedaburg et per universam potenter transiens Saxoniam, cuncta posset depopulari, suæque in perpetuum subjicere dominationi.

122. Igitur Heinricus castris in Elstræ ripa locatis, crastino mane primo suas acies disposuit, quia nullam prœlii moram per se fieri voluit (*an.* 1080, *oct.* 15) : cum ecce nostri multa festinatione simul et itineris asperitate fatigati, multis in via præ [607] lassitudine derelictis adveniunt et audientes, quod hostes essent, e contra sine mora se ad defensionem patriæ suæ [608] disponunt. Cum vero pedites admodum pauci esse [609], plurimis non valentibus sequi, conspicerentur, omnes qui non satis fortes equos habebant ex equitibus pedites fieri jubentur; et tunc ordinati, hostibus obviam paulatim progrediuntur. Episcopi vero clericos omnes qui aderant, ut psalmum 82[um] multa devotione cantarent, ammonebant. Exercitus autem uterque ad paludem quæ vocatur Grona [610] convenerunt, et quia sine vado palus erat, exercitus ambo dubitantes ibi substiterunt, et alteros alteri, ut priores ad se transeant, opprobriis increpantes, utrique suam ripam immoti tenuerunt. Tandem nostri caput ipsius paludis non longe esse cognoscentes, ad illud tende-

VARIÆ LECTIONES.

[597] illius 2? [598] *ita* 2. voluntatis 1. [599] sunt 2. [600] remansit 2. [601] augustensem *ed.* [602] tum 2. [603] *ita* 2. malicie 1. [604] erpesfort 2. [605] niemburh 2. [606] *deest* 1. [607] *deest* 1. [608] *deest* 1. sue p. 2. [609] essent 1. [610] *ita* 2. grono 1.

NOTÆ.

(52) V. Bertholdi Ann. a. 1079.
(53) Fortasse Keula prope Muhlhausen.
(54) Naumburg.

Digitized by Google

bant; quo viso, contrarii æquo itinere ad eundem terminum paludis pergebant. Ibi cum in tuto convenissent, conseruere manus, et utrimque fecerunt miserabile facinus. Heinricus autem, mox ut eos vicissim misceri conspexit, se sicut solitus erat in fugam dedit. Exercitus vero ejus tanta virtute nostris instabat, ut quibusdam terga dantibus, ad illorum castra fallax fama veniret, quæ Saxones esse victos ore mendacii nuntiaret [611]. Dumque præsules qui Heinricum adiuvabant, cum suis clericis *Te Deum laudamus* gaudentes cantarent [612], Rappodo [613], unus de summis principibus [614], portatur occisus. Quem qui ferebant, his qui in castris erant, de longe: *Fugite, Fugite,* clamabant; Otto namque dux adsumpta peditum turma, illis qui nostros in fugam verterant æquam vicem rependit, eosque terga sibi monstrantes insequi non ante desistit, quam eos per media castra festinantes fluvium satis cum periculo transisse conspexit. Nam fere non minor pars hostium in fluvio quam periit in prœlio. Tunc pedites plenam se sperantes victoriam, castrorum volebant invadere rapinam. Sed dux Otto prudens [615] in bello, timens ne adhuc hostes aliqui post terga remansissent, monuit eos a præda manus interim continere, donec certi quod nullus hostis a tergo latuisset, securi possent hostilia castra diripere. Itaque reversus cum peditibus, invenit in loco prœlii Heinricum de Lacha cum maxima parte exercitus, jam quasi de victoria triumphantem et *Kyrie eleyson* læto clamore canentem. Quam multitudinem cum vidisset dux Otto, voluit eam devitare primo, quia non eam turbam se vidit habere, cum qua cum tanta legione putaret totum pugnare; sed rursus recogitans, quia Deo non est difficile multos [616] in paucis vincere, fortiter eos adivit, et Deo dante illis spiritum timoris, cito eos in fugam convertit. Omnibus ergo aut in fluvio mersis aut ultra fluvium fugatis: « Nunc, ait dux Otto, castra securi perquirite; nunc tuti quicquid inveneritis accipite; et quicquid hodie fuit hostium, vestra [617] virtute vobis præstante, vestrum vocate! » His verbis nondum finitis, hostilia [618] castra pervadunt, et omnia quæ sunt inventa, festinanter invadunt. Sunt autem inventa multa pretiosa tentoria, multa episcoporum scrinia sacris indumentis et vasis plena, multa vasa aurea et argentea cottidianis usibus apta, multæ quoque argenti vel auri laminæ, multoque [619] maxima pars numeratæ pecuniæ, equi quamplurimi simul et optimi, arma generis universi, mutatoria, ceteraque sine æstimatione vestimenta, vel ut breviter dicam, quicquid episcopi Coloniensis fuit, Treverensis et alii fere quatuordecim secum attulerant, quicquid dux Fridericus, comes Heinricus ceterique ditissimi homines secum portaverant, quicquid in Erphesfort rapuerant, omnia illa nostri simul diripientes, ad castra sua venerunt triumphantes.

123. Illi vero qui gladium effugerant, quantas calamitates in fluvio, silvis, paludibus sustinerent, nulli est credibile, nisi cui contigit hæc omnia loca præsentialiter videre. Fluvius enim tales ex utraque parte ripas habet, ut hic nemo nisi cadens possit intrare, illic nemo nisi frutectis vel herbis arreptis repens possit exire. Multi fugientes, cum illi hic proni fluvium velociter inciderent, et illic de dorsis equorum ripæ insilirent, gladio ripam cædebant, ut equos post se de fluvio extraherent, tandemque cædendo fatigati, equis derelictis armisque projectis fugam trepidi corripuerunt. Ergo quicquid Unstrod [620] ubi victi sumus in nos peccavit, Elstera [621] pro nobis dupliciter vindicavit. Illic enim tantum nostras res fugientes amisimus, isthic et hostiles et nostras, quas nobis prædando tulerant fugientes hostes, fugientibus et interfectis abstulimus. In fuga vero quamplurimi fortes viri a rusticis securibus et fustibus occisi, multi nobiles et illustres sunt a personnis vilibus capti, multi fame crudelissima cruciati, equos vel gladios pro frusto panis dare non dubitabant, nec si panem venalem invenirent, ulli suæ rei parcebant. Si qui vero capti ad aliquem de nostris hominem probum sunt adducti, sanati si vulnerati erant, gratis in patriam suam remittuntur, vestibus et armis decenter instructi. Tunc dictum est illis quod Heinricus dominus eorum post Boemios misisset, et illis venientibus, cum eodem qui adhuc reliquus erat exercitu Saxoniam repetere voluisset. Sed illi responderunt se potius, si possibile esset, totum mundum velle circuire, quam Saxonicam terram umquam magis transire [622].

124. Interea Saxones ad sua castra reversi repererunt inminutam magnam partem sui gaudii, quia rex eorum Rodulfus duobus acceptis vulneribus, uno letali, altero deformi, magis quam suum dolebat casum populi. Sed cum cognovisset quod suus haberet victoriam populus: « Nunc, ait, lætus patiar vivus et [623] moriens, quicquid voluerit Dominus! » Quamvis autem dextera manus illi fuisset amputata, et grave vulnus haberet venter ubi descendit ad ilia, tamen ut illos quos de sua morte videbat dolentes consolaretur, se non in præsenti moriturum fidenter pollicetur; suique postponens curam, suis vulneratis ostendebat quam deceret adhiberi medicinam. Qua fortitudine simul et pietate nostri principes valde commoti, concorditer omnes ei spoponderunt, ut si Deus omnipotens illius vitam servare vellet, eo vivo, etiamsi utraque manu careret, Saxonia nullum alium rectorem

VARIÆ LECTIONES.

[611] nuntiaret D. p. q. H. a. c. s. c. T. D. l. g. *recepi ex* 2. *desunt* 1. 1b. [612] cantaret 1. canerent. 2. [613] ecce rabodo 2. [614] p. parcium Heinrici apportabatur 2. [615] prodens 1. [616] in multis et in p. 2. [617] ꝑa 1. [618] hostia 1. [619] multaque 1. 1b. [620] unstrad 1. [621] elstrad 1. [622] intrare 2. [623] sive 2.

Digitized by Google

el geret. Qua fide multum ille lætatus, felici est morte resolutus [624]. Factum est autem hoc prœlium quartum anno ab Incarnatione Domini 1080, Idibus Octobris, feria 5.

125. Deinde mense Decembri, cum principes nostri congregati de statu regni sui tractarent, ecce nuncius aderat qui diceret Heinricum ad suos de prœlio reversum jactasse, quod rege Saxonum occiso totam Saxoniam suæ ditioni subjecisset, et nunc exercitu congregato adventare, ita ut Goslariæ natalem [625] Domini celebraret. Sed nostri magno exercitu per triduum collecto, ei perrexerunt obviam, virtute suam defensuri patriam. Quod ille cognoscens [626], a magna spe cecidit, quia Saxones, dum non haberent rectorem, facile vinci posse speravit. Igitur exercitu suo dimisso, consilioque mutato, misit ad Saxones legatos [627], ut quandoquidem nollent esse sine rege, filium suum sibi facerent regem, seque illis jurare, quod numquam intraret terram Saxoniæ. Cui legationi dux Otto, sicut erat solitus jocose magna seria [628] nonnullo schemate ludendi velare, respondit: « Sæpe, dicens, ex bove malo malum vitulum vidi generatum [629]; ideoque nec filii nec patris habeo desiderium. »

126. Transacto vero natali Domini proximo, quo 1081us ab Incarnatione Domini inceptus [630] annus erat, Heinricus exrex Italiam disponebat ingredi, ut imponeret aliquem finem rerum suarum longo labori, scilicet ut vel domno papa Gregorio humiliatione ficta placato, sive vi tyrannica coacto, vincula banni, quibus erat ligatus, exueret, vel quod magis volebat, Gregorio per vim de sede pontificatus ejecto, et in ipsa sede Wiperto Ravennate collocato, qui jam per triennium juste fuerat excommunicatus, libere faceret omnia quæ suæ tyrannidi placerent, cum de sede apostolica omnis suæ voluntatis favorem haberet. Sed familiares ipsius non tutum putabant fore, Saxonibus recenti prælio vehementer exacerbatis invadendos fines suos relinquere, cum de adventu illorum dubitationem nullam haberent, si pergentes in Italiam, suam patriam sine virtute militari dimitterent. Miserunt ergo principibus nostris nuntios, qui singulare colloquium rogantes, tempus et locum præfinirent, quo ex utraque parte principes electi, de communi bono tractaturi, convenirent. Convenerunt autem ultra fluvium qui Wisara dicitur, in silva quæ inde Capuana vocatur, quia ad urbem quæ Capua (55) nominatur pertinere cognoscitur. Convenerunt autem episcopi (*an.* 1081, *Febr.*) ex illa parte Coloniensis, Treverensis, Babenbergensis, Spirensis, Trajectensis; ex nostra vero parte Magontinus, Magedaburgensis, Saltzburgensis, Pathorbrunnensis, Hildinisheimensis [631]. Cumque qui ex illa parte erant, secretum, quod soli principes audirent, habere colloquium voluissent, nostri nullum sermonem conferre volebant, nisi quem cunctis qui convenerant, magnis et parvis, audire liceret. Jam vero sedentes ex utraque parte diu tacebant; quia et nostri, qui rogati illis occurrerant, quid illi vellent expectabant; et illi non se rogasse nostros, sed nostris rogatos venisse videri volentes, quid a nostris peteretur, auscultabant. Tandem nostri rumpentes silentium, ut omnium faceret verbum, Gevehardum petierunt Saltzburgensem archiepiscopum. Qui surgens, ut erat vir per omnia prudens et honestus, et honori quem gerebat non minimum conferens honoris, vultu modesto, voce mediocri, sensum profudit sapientis et pii pectoris:

127. « Episcopi venerabiles ceterique quos videtis adesse principes Saxonici, hanc operam michi dignati sunt imponere, quatenus animos omnium [632] mei sermonis officio debeam vobis exponere. Unde vos omnes, sacerdotes sancti ceterique primates eximii, rogatos esse volo, ut me dignemini patienter audire, et causæ communi, quam sum jussus agere, animum tranquillum, quo verum agnoscere et [633] examinare possitis, adhibere; quia non plus nostra quam vestra, si vultis, interest, quæ sum dicturus agnoscere. Vestro ipsorum testimonio fidenter innitimur [634], quia vos, quamvis a nostra societate discessistis, a veritatis amore non discedere confidimus: — vestro, inquam, testimonio probare volumus, quantis injuriis, quantis contumeliis simus affecti dum toto animo, tota voluntate, sicut decebat, regis eramus servitio subjecti. Vos ipsi scitis, quotiens singillatim vel communiter vestrum petivimus auxilium, quo pro benivola servitute nostra vel hoc ex intercessione vestra redderet nobis præmium, ut a multarum, quæ nos importabiles premebant, levaret fasce calamitatum. Hoc quia sæpe postulavimus, optime scitis; et quid postulando profecimus, similiter optime scitis. Inde vos non incusamus, quia vos pro nostra causa, quamvis parum nobis prodesset, sæpe laborasse cognovimus [635]. Quale vero præmium nostræ devotioni dederit ultimum, quid opus est dicere, cum manifestum est oculis omnium, quia hoc, quod habuit maximum, nobis rependit extremum. Sacerdotes namque non solum de nullo crimine convictos, sed nec regulariter accusatos, aut in vincula sicut latrones conjecit, aut a sedibus suis, quos capere non poterat, omnium rerum suarum nudos effuga-

VARIÆ LECTIONES.

[624] ac inde translatus Merseburg, sicuti hodie patet ab ipsis honorifice est tumulatus 1b. [625] natale 1. [626] agn. 2. [627] l. rogans ut 2. [628] serie 1. [629] gnatum 1b [630] incipitur 1. [631] hillinisheimensis 1. hilhesheim 1b. [632] omi 1. [633] a. et *desunt* 1. 1b. [634] in nitimur 1. inde nitimur 1b. [635] agn. 2.

NOTÆ.

(55) Kauffungen.

Digitized by Google

vit; ecclesiarum bona, quibus episcopi vel ipsi A vivere vel pauperes Dei sustentare deberent, scelerum suorum fautoribus, dissipanda [636] concessit. Terram nostram multis jam vicibus igni ferroque vastavit; cognatos sive milites nostros in nostris finibus innocentes occidit, cum nulla fuisset ei causa bellorum, nisi quod servos habere volebat filios hominum liberorum. Sæpe ipsum, sæpe vos singulos et universos suppliciter oravimus, ut gladio deposito causam nobiscum judiciis ageret, et nos vestrum per omnia judicium secuturos animo libenti spopondimus. Quid his omnibus profecerimus, vos ipsos in testimonium vocamus. Ergo nos, qui nunc adsumus, cum omnibus quos tenet Saxonica tellus, vobis, o sanctissimi Christi sacerdotes, et vobis, o nobilissimi principes et fortissimi milites, B humiliter supplicamus, ut memores omnipotentis Dei vestrique officii, vos, quod estis animarum pastores non perditores vocati, vos vero, quod gladium ad defensionem non ad internicionem accepistis innocentum, cogitetis, et nos vestros fratres in Christo, vestros cognatos in carne, ferro et flamma amplius persequi ne velitis. Quod hactenus molestiarum a vobis perpessi sumus, vobis donantes, peccatis nostris imputabimus et correptionem divinæ pietatis appellabimus, dum posthac injuriarum de vobis securi esse possimus. Gladium et ignem deponite, et sicut decet homines Christianos cum Christianis, causam rationibus, non cædibus agite; et quod ante cruoris effusionem postulavimus, nunc saltem vel cruore nostro satiati præstate. Multas quidem nobis ærumpnas dominus vester Heinricus crudeliter intulit, multis calamitatibus nos ultra modum fatigavit, et tamen ecce parati sumus eum nobis regem, sicut olim fuit, accipere; ecce parati sumus ei fidelitatem et subjectionem jurare et juratam fideliter et libenter servare: tantum vos hoc veris assertionibus astruite, ut nos salvo ordine nostro, et laici possint facere hoc sine fidei sacræ detrimento; nec nos ab isto campo recedemus, donec omnia quæ dixi compleverimus. Si vero nostras sententias dignati fueritis attendere, veris et manifestis et ex Scripturarum testimonio firmis rationibus ostendemus, quod domnum Heinricum nec clerici nec laici regem habere possumus cum animarum nostrarum salute. Nunc ergo vel vos nobis, quod juste possit regnare, probabiliter ostendite, et nos sub ejus regno socios fideles accipite [637]: vel nobis, quod jure regnare non possit, veraciter probare permittentes [638], nobis, immo veritati, consensum amicum præbete, nosque [639] ut hostes persequi desinite. Quod si objicitis, sacramento quod ei jurastis vos esse constrictos, simili modo confirmabimus, nullo sacramento jure vos ad nostram persecutionem posse compelli. Hæc igitur est summa nostræ petitionis, ut domnum Heinricum vel vos jure posse regnare nobis probabiliter ostendatis, vel nos vobis, eum non posse, veraciter ostendere sinatis; et cum res alterutra fuerit demonstrata, nos igni ferroque persequi cessetis [640]. »

128. Tunc illi responderunt se nec ad causam tractandam convenisse, nec se tantæ esse sapientiæ, ut tam magnam rem ex improviso præsumant agendam accipere [641]; præsertim cum non ad se solum, sed ad regem cunctosque regno ejus subditos pertinere videatur. Rogabant autem ut ab initio Februarii, quod tunc erat, usque ad medietatem Junii pax ex utraque parte daretur, intra quod tempus conventu facto, eadem causa, quam nostri nunc agere volebant, communi totius regni partis utriusque consilio tractaretur. Nostri vero dolos illorum percipientes, quia propterea tam longum tempus pacis habere volebant, ut hi qui domi remanebant essent tuti, donec illi qui in Italiam pergebant contumeliam facerent apostolicæ dignitati; responderunt se nec decipere velle nec decipi, sed firmam et integram pacem dare et petere usque ad terminum temporis prædicti. Cumque illi Theutonicis omnibus, nostræ partis adjutoribus, pacem se dare promitterent: « Itane, dixit Otto dux, nos stolidos esse putatis, ut non intelligamus consilium vestræ calliditatis? Petitis vestris partibus a nobis pacis securitatem, donec apostolicam possitis inhonorare dignitatem; et nobis pacem vestram promittitis, donec illum, qui nostrum caput est, pro vestro libitu, si Deus permiserit, male tractetis. O quam bona pax datur corpori, dum crudeliter absciso crudelius illuditur capiti! Ergo nobis et nostris omnibus date, et vobis et vestris omnibus accipite, pacem aut integram aut nullam. Quod si plenam pacem nobis et nostris omnibus amicis, magnis et parvis, dare non vultis, pergite iter quod cœpistis; hoc tamen ante prædicto, quod in finibus vestris hospites cito non gratos habebitis, nec res vestras, ut velletis, ab Italia reversi custoditas invenietis. Nam hoc nolumus vos celare, quod cum primo poterimus, unum rectorem volumus habere, qui et nos ab injuriis fortiter adjuvante Deo defendat, et his qui nobis injurias fecerunt æquitatis vicem rependat. » Milites ergo plebei partis adversæ conclamant, nostros æquam rem offerre, suos principes æquum nec accipere; se posthac ad pugnandum minus fore paratos quam actenus fuissent, quia causam justitiæ cum Saxonibus esse cognovissent, plusque nobis illum conventum quam in tribus prœliis victoriam prodesse; quia, quod numquam credere poterant, nostros humiliter justitiam postulare simul et offerre, ipsi præsentes au-

VARIÆ LECTIONES.

[636] dissipandã 1. [637] *hinc manus secunda scripsit, sæculi XV.* 1. [638] quod rex esse ille non possit v. p. permittite 1b [639] et nos contra rationem ut 1b. [640] *ita* 1b. 2. desinatis 1. [641] suscipere 2.

Digitized by Google

dissent. Sic ab invicem discedituր, tantum per septem dies altrinsecus pace data.

129. Heinricus igitur intrante Martio intravit Italiam, seminaturus et ibi, sicut pridem in Theutonica fecerat terra, discordiam, quo nullam regni sui partem placatam dimitteret, atque [645] civilium bellorum venenis pacis quietem non corrumperet.

130. Principes vero Saxoniæ cunctis gentibus Theutonicæ linguæ, non minus inimicis [646] quam amicis, legatos miserunt, rogantes ut, Heinrico filioque ejus excepto, quemlibet alium rectorem eligerent; se ei, quicumque esset, fideliter servituros pollicentes; quatenus omnia regni membra, sicut olim fuerant, in unum sub uno rege convenirent. Mense autem Junio, exercitu collecto, perrexerunt in orientalem Franciam, et prædis vel incendiis eam vastando, multas quas sibi fecerant injurias vindicaverunt. Nam flamma latum facientes iter, venerunt non longe a Babenberg, ibique Suevos veteres amicos habentes obvios [647], de communi negotio regis constituendi communi consilio tractaverunt, et post multos tractatus, ut Herimannum [648] regem eligerent, unanimiter omnes consenserunt.

131. Sed cum Saxones domum læti gloriosique redissent, nullumque dubium de recipiendo regeretinerent, principes adversæ partis, artis antiquæ non obliti, quia electum regem valde timebant, electionem ejus, ne perficeretur, modis omnibus disturbare quærebant. Ottonem ergo ducem solum sibi loqui rogabant, multisque pollicitationibus ei, ut in electione vacillaret, persuadebant; non tamen, ut certum quid eis promitteret, efficere poterant. Sic eo dubitante magnaque parte ejus dubitationi consentiente, tota præterit æstas, et pene totam Saxoniam commoverat ejus instabilitas. In Novembre vero mense iterum vocatus ab illis ad soliloquium, cum jam totus esset inclinatus ad nostrorum partes hostium, Dei misericordia faciente, ne tot suos labores, quos pro patria toleraverat, in ultimis temporibus perderet, equus cui sedebat [649] in plano campo cecidit, ipsique sessori crus unum ita contrivit, ut fere integro mense nisi portatus ire non posset. Igitur ad se, gratia Dei movente, reversus, se peccasse et divina pietate correptum esse intellexit. Missis itaque legationibus diversis, et hostibus renuntiavit, et civibus suis se semper fore fidelem et concordem fideliter repromisit. Unde principes Saxoniæ valde lætati, regem suum Herimannum cum magno tripudio Goslariæ susceperunt, paucis diebus ante natale Domini. In natali vero sancti Stephani [650] protomartyris a Sigefrido, Moguntinæ sedis archiepiscopo, in regem venerabiliter est unctus, cum jam 1082[us] annus Incarnationis Dominicæ fuisset inceptus [651].

VARIÆ LECTIONES.

[645] ubi 1[b]. [646] a. q. i. 1. [647] *deest.* 1. [648] hermannum 1. *constanter.* [649] insidebat 2. [650] steffani 1 [651] inceptus. Et tantum de bello Saxonico et Heinrico quarto ex chronica et historia ista 1

CIRCA ANNUM DOMINI MLXXX.

TOMELLUS

MONACHUS HASNONIENSIS

HISTORIA

HASNONIENSIS MONASTERII

AUCTORE TOMELLO

BALDUINI, COGNOMENTO MONTANI, FLANDRIÆ ET HANNONIÆ COMITIS, SECRETARIO.

(D. Marten., *Thesaur. Anecd.*, tom. III, pag. 777, ex ms. Hasnoniensis.)

ADMONITIO PRÆVIA.

Historia fundationis Hasnoniensis monasterii, ordinis S. Benedicti, in pago Ostravanto ad Scarpum fluvium in diœcesi Atrebatensi, auctorem habet Tomellum monachum, Balduini comitis, cognomento Montani, secretarium, scriptorem gravem, qui nihil solido fundamento non subnixum scriptis mandavit. Et certe primordia monasterii, quod ab initio duplex exstitit, virorum et feminarum, quibus primi præfue-

Digitized by Google

runt Joannes et Eulasia fundatores, ex ipsis purissimis hausit fontibus, ex archivis nimirum monasterii, uti ipse testatur non uno in loco. Nam capite primo sic loquitur : *Non habebit his in scriptis me auctorem quodlibet scriptum fallaciter fictum, quia quidquid dixero, ex archivis ejusdem monasterii comprobare promptum habeo.* Et capite 3, relaturus seriem abbatum et abbatissarum, *Fit ut omnem*, inquit, *rectorum ejusdem loci lector inveniat successionem, hanc ab archivis sumptam legat descriptionem*, quam deinde subjungit capite 4. Restaurationem vero monasterii qualem ipse viderit retulit, utpote testis oculatus ; nam et Balduini fundatoris secretarius exstiterat, et opus suum Rodlando primo abbati nuncupavit; quo defuncto historiæ caput 17 addidit *De bonæ memoriæ abbate Rotlando ac de morum ejus probitate.* Porro similitudine nominum allucinatus est Andreas Vallerius in Bibliotheca Belgica, ubi de Tomello nostro hæc habet : *Thomellus Elnonensis monachus ad S. Amandum claruit anno* 1070. *Scripsit jussu B. Rolandi abbatis sui de fundatione cœnobii Elnonensis, reparatione ac dedicatione, et de moribus Balduini comitis ejusdem reparatoris.* Nam nullum habemus Elnonensem S. Amandi abbatem Rollandum nomine, bene autem Hasnoniensem; neque Elnonensis etiam monachus exstitit Tomellus, sed Hasnoniensis ; sed nec quæ de monasterii sui fundatione, reparatione ac dedicatione, ac de moribus Balduini comitis scripto commendavit, Elnonensi cœnobio conveniunt, sed Hasnoniensi. Hanc vero Historiam descripsimus ex ms. codice Hasnoniensi, annuente reverendissimo et amplissimo ejusdem loci abbate, a quo etiam mutuo habuimus chartarium dominorum de Avenis, ex quo multa ad historiam Belgicam pertinentia excerpsimus in tomo I nostrorum contenta.

DE FUNDATIONE HASNONIENSIS CŒNOBII.

INCIPIT PROLOGUS TOMELLI

De fundatione Hasnoniensis cœnobii, ad Rollandum abbatem primum post restaurationem.

Licet divitias hujus sæculi prima mortales putent, divitiæ tamen salutis sapientia et scientia ac timor Domini ipse est thesaurus ejus. Quem se thesaurum in vasis fictilibus habere Apostolus gloriatur, quia conservata in humili corde sapientia, omni principum hujus sæculi major est potentia. Hanc, venerande Pater Rollande, posthabitis sapientibus et conquisitoribus hujus mundi, in te amplector et veneror, cujus senectus venerabilis et diuturna, non annorum numero computata, sed omnium virtutum facetiis ornata; cujus imperio parere est imperium parare, tibique humiliter subesse est non sine gloria præesse. Unde animum induxi quidquid imperaveris, ac si divinitus imperetur obaudire, et ad nutum tui totis animi et corporis passibus ire. Novi enim te matre virtutum omne quod agis temperare, ut et sit quod fortes cupiant et infirmi non refugiant. Exigis a me antiquam Hasnoniensis cœnobii constructionem novo stylo cudere passimque in archivis divisam in unum volumen colligere, quantumque divæ memoriæ marchio Balduinus beneficium eidem loco nostra ætate indulserit, subscribere Jubenti quippe tanto viro obaudire constat, ut dixi, gloriosum, sed imparem operi manum ponere non modice laboriosum. Sed me sub fasce gradientem baculus tuæ sustentabit sanctitatis; cumque extremam operi manum dedero, tui sit muneris, si placeo, dum unum auctoritate probes, alterum oratione robores. Succurrunt et labori meo orationes fratrum Hasnoniensium sub cura tua in castris Christi arma justitiæ gerentium : quibus in ore nunquam dormitat oratio, in corde dilectio, in virtute nunquam languescit operatio. Quibus caudam hostiæ in sacrificio, et cum Joseph talarem tunicam, hoc est opus bonum usque ad consummationem et votis exopto, et precibus exoro.

CAPUT PRIMUM.

De Joanne viro illustri ejusque sorore Eulalia primis fundatoribus.

Dicturus fundationem Hasnoniensis loci, res postulat temporibus et personis, loco ac commodis uti; id enim grammaticis cum oratoribus commune est locum, tempus, personam in cunctis attendere negotiis. Locum, inquam, qui fundatus ; tempus, quando fundatus; personas, quibus constat fundatus. Et primum os in laudem fundatoris præfati loci aperiam; deinde qualiter eisdem sit fundatoribus constructus, quod potero referam. Non habebit his in scriptis me auctorem quodlibet scriptum fallaciter fictum, quia quidquid dixero ex archivis ejusdem monasterii comprobari promptum habeo. Habebat B Ecclesia pretiosum Dominici diadematis lapidem, Joannem scilicet genere et virtute illustrem perfectissimum laicum, perfectis etiam laicis imitabilem; perfectissimum, inquam, quia Dominicæ voci paruit dicenti : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me.* Quod tali affectu effectui mancipavit, ut in consequentibus palam constabit. Habuit sane in consortium suæ probitatis sororem carne et spiritu non inferioris bonitatis, nomine Eulaliam; sed quibus parentibus originem duxerint et quas personas germanitatis vinculo habuerint, qualiterque per eos exordium Hasnoniense cœnobium cœperit, facile agnitu in subsequentibus erit.

CAPUT II.

C *De cœnobii Hasnoniensis constructione, ejusdemque sacrosancta dedicatione.*

Erat præfato Joanni sicut egregia stirpis claritudo, ita et magna patrimonii amplitudo, qui Christum in terris subscribere decrevit hæredem, ut se Christo in cœlis faceret cohæredem, et funiculos hæreditatis terrenæ in temporalibus angustans ac in cœlestibus præclare dilatans, illud cum Psalmista dicere posset : *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Fuerat tunc Hasnonium ampli patrimonii ejus quædam portio futura non postmultum per eumdem illustrem virum ser-

Digitized by Google

vorum Dei mansio ; quæ in pago Austrebanto Scarbin adjacet fluvio, in qua, ut cœnobium Deo construeret, sibi sororique suæ Eulaliæ jam memoratæ convenit, et tantæ devotionis affectum effectus sequitur, tandemque, Deo cooperante, perficitur. Cœptum est autem hoc opus anno humanati Verbi sexcentesimo septuagesimo, Theoderici regis filii Clodovei regis et Bathildis reginæ anno IV. Cumque architector extremam operi manum dedisset, evocato venerando Cameracensis Ecclesiæ antistite Vindiciano, Deo sanctoque Petro idem locus attitulatur pridie Kalendas Maii. Tum sancta Sion Sponso suo juncta, filios sanctæ dilectionis peperit, per quos odorem virtutum late respersit, ita ut exsultans dicere posset : *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem.*

CAPUT III.

De illustribus ejusdem cœnobii fundatoribus ac rectoribus.

Ad Joannem virum venerabilem redeat oratio, qui causa et principium huic fuerat cœnobio, et præmissis effectum daturus; quibus is parentibus originem duxerit, quosque germanos vel germanas habuerit, scriptis signabo. Hic Autbaldo patre et Grimoara matre ortus, germanos habuit Aldonem, Autgangum, Adalbodum, Adalardum; germanas vero Eulaliam, Bertrudem et Adalunaram. Habuere hi avunculum, nomine et merito Deodatum. Hique viri et feminæ misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt, Spiritus sancti fervore concepto pepererunt virtutem, per quam facultatibus propriis se spoliaverunt locumque hunc egregie ditaverunt. Quorum primus Joannes cum Eulalia sorore sua locum hunc construens honorifice rexit, sanctisque tam rerum suarum quam virtutum proventibus in altum erexit. Cui frater Aldo succedens, relictis rebus conjugeque Œdila, deposita coma capitis, castris se Christi militem eodem in loco ascripsit ; qui sicut virtutum ascensus in corde suo disposuit, ita per ecclesiasticos gradus ascendens, presbyterii honorem obtinuit, quem sanctis actibus usque ad consummationem vitæ decorabilem reddidit. Et ut omnem rectorum ejusdem loci lector inveniat successionem, hanc ab archivis sumptam legat descriptionem.

CAPUT IV.

Commemoratio rectorum hujus loci.

Joannes abba et Eulalia soror ejus tenuerunt regimen Hasnoniensis cœnobii annis XVII.

Aldo presbyter, frater prædicti Joannis, annis XL. At Bertrudis, soror ejus, cum eo annis XX. Sigebolda, soror præfati Aldonis, tenuit cum eo regimen annis VIII, et post ejus decessum IV. Adalunaria, item soror dicti Aldonis, annis X.

Savericus annis XXXI. Gundrada, filia prædicti Saverici, annis XII.

Geroldus annis VI.

Rotfridus annis XXVI.

Martina annis XIII.

Waltoarius anno I et semis

Alpaidis anno uno.

Amadeus annis duobus et semis.

Adalulfus annis VII et semis.

Algnitrudis annis X.

Ermentrudis imperatrix et regina cum filia item Ermentrude annis IX.

Colliguntur in summa anni centum nonaginta quatuor. His rectoribus multa per tempora locus hic in dies processit, et adusque ultima Caroli Calvi tempora rigidi servator honesti permansit. Nec lectorem moveat utriusque sexus personas eidem loco præfuisse, geminam quippe in duobus monasteriis monachorum ac sanctimonialium catervam constat fuisse. Cujus rei fidem huic collatione similium testimonio veterum facile fieri constat. Et major quippe eo loci divina gratia fuerat, quod Dei in utriusque sexus ore gloria sonuerat.

CAPUT V.

Quod Ermentrudis reginæ petitio eumdem locum Caroli Calvi munificaverit beneficio.

Præfata namque Ermentrudis nobilitatis titulo egregie pollebat, quem meritis et sapientia egregiis decorabilem reddebat adeo ut in fascibus imperii humilem mirareris. Nec magni habuit sine humilitate et charitate regnare; quibus alis de terrenis ad cœlestia didicit evolare. In consortium proinde suæ virtutis carne et spiritu pepererat filiam, nomine sibi æquivocam, sed meritis univocam; quam verbis et exemplis docuit, ac ad totius bonitatis unguem instituit. Quarum virtus adeo excrevit ut, relicta sæculi pompa, se mundo, mundum sibi crucifigerent, præscriptoque in loco feminæ in castris Dominicis milites fierent, locumque hunc tum consiliis tum rebus ditavere, atque tam regali munificentia quam privilegio corroboravere. Habebat tunc in sceptris Francia primum principem sui Carolum Augustum, cognomine Calvum, apud quem sæpe memoratam Ermentrudem plurimum posse hinc nobilitas, hinc probitas ipsius habuit efficere. Unde etiam petitione ipsius regia se majestas huic loco inclinavit, quem et munificentia ditavit. Nec pigebit ex archivis ejusdem monasterii præscripti regis privilegium hic supponere, ac legentibus super his quæ dicimus, fidem facere.

CAPUT VI.

Ad tutandum idem cœnobium sumptum ex archivis Caroli Calvi privilegium.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Carolus misericordia Dei imperator Augustus. Si servorum Dei utilitatibus subveniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore nullo modo ambigimus. Quapropter noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium quam et futurorum industria, quoniam fratrum et sororum necessitatibus in cœnobio Hasnoniæ nuncupato, videlicet sito in comitatu Attrebatensi, in pago Ostrebanto, super fluvium Scarbum, sub tutela sancti

Digitized by Google

Petri apostolorum principis militantium, subvenire cupientes eorum indigentiis, per Ermentrudem filiam nostram abbatissam patefactis, decernimus per ejusdem Ermentrudis deprecationem nostræ altitudinis præcepta eis confirmari, quatenus per nostram munificentiam ad augmentum et utilitatem eorum ea perpetualiter possideant, quæ inferius descripta habentur. Concedimus igitur memorato cœnobio infra ipsum monasterium, mansos duos, et cambas duas, silvamque unam, et insuper de silva abbatis, unde possint sexaginta porci saginari, nec non in prædicto pago villam Azinium cum omni integritate exceptis tribus mansis; denique in ipso pago villam Azinium quod est super fluvium Scandum, cum omni integritate, exceptis mansis quinque cum molendinis duobus, cum camba una et pratis duobus. Pari etiam tenore largimur in præfato pago Ostrebanto villam Ubanercinium cum omni integritate, nec non et in ipso pago in Scandinio dedimus eis mansos octo. De ipsis quoque tenet per nostram jussionem Guntramnus quatuor, deprecante præfata abbatissa, quandiu vixerit. Postea vero recipiantur ad opus fratrum. De cætero in comitatu Tardanensi villam Aniciacum sitam super fluvium Ubellula, cum mansis XI, necnon et de omnibus villis totius abbatiæ omnem decimam pleniter statuimus largiendam. Et si non sufficerit ad usus fratrum seu sororum, et ex dominicato cuncta necessaria suppleantur. Et ut hoc per omnia tempora inviolabiliter maneat, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione insigniri jussimus. *Signum Caroli gloriosissimi imperatoris Augusti.* Odacrus notarius ad vicem Goscelini recognovit et subscripsit. Datum V Idus Julii, indictione X, anno XXXVIII regni domini Caroli regis in Francia et imperii ejus II. Actum Carisiaco palatio imperiali in Dei nomine feliciter amen. »

CAPUT VII.

Quod idem locus divina diu religione floruerit, sed paulatim ad tempora usque Balduini sexti marchisi tepuerit.

His regalibus tam privilegiis quam munificentiis præscriptis locus roboratus, quodque his incomparabiliter pretiosius est, accipiens a Deo pignus Spiritum sanctum, piæ conversationis jucunditate diu mansit honestatus. Sed abundante iniquitate, dum refriguit charitas multorum, religio sancta facta est virtus paucorum. Nam quoniam tempora, ut scriptum est, imminere periculosa, erantque, imo sunt homines seipsos amantes, quanto quique religionem professi ad exteriora vagantur, tanto in inferioribus infirmantur. Unde et hac occasione locus Hasnoniensis a magna a qua floruit religione paulatim decessit, dum modica spernendo, honesti modum rigoris negligenter excessit. Jam canonici ejusdem loci canonicis sanctionibus ascripti, ne dicam intenti, quibus dedit Dominus regionem gentium et labores populorum, ut custodirent justificationes ejus et legem ejus requirerent, stipendiis sacrosancti loci gratis sine fructu laboris alebantur, dum alius in villam, alius in negotiationem, hic curiositati, ille voluptati foras rapiebantur. Cujus vitii morbus in dies excrescens, domum Dei eo loci ab omni religione vacantem ad interitum usque animarum corrupit, simul et ad tempora usque Balduini sexti gloriosi marchisi corruptioni finem non dedit.

CAPUT VIII.

De sexti Balduini marchisi temporibus, ejusque dignæ memoriæ moribus.

Quia Balduinum nobis occasio rationis obtulit, Balduinum, inquam, quem a Balduino Ferreo sextum, sexta hæc nostra ætas meruit, non abs re est quædam virtutum ejus ornamenta exemplo bonis principibus sufficientia in medium proferre, ex multis pauca, sed ex magnis magna, ut moris est astrologis sphæram cœli in areto depingere. Primis hic tirocinii annis in aula imperiali sub Henrico imperatore educatur, coævis quos aula tunc habebat prærogatus amicis, amore æquatur, deinde fortioribus annis, ætate cum tempore adolescente, Nerviorum comitatum, licet imperiali majestate non inoffensa subintrans, belli in hostes, pacis in cives potentissimus claruit. Habebant hunc pauperes, orphani, viduæ patrem, monachi exemplar religionis, afflicti scutum tuitionis, adeo ut mirareris eumdem in laico habitu pollere principem regni et latuisse pauperem Christi. In sacrosanctis missarum solemniis, ad Deum quasi obtutibus suis visibilem, totum se animo et corpore fixum dedit; in oratione Deo colloquium, hominibus præbens silentium. Habebat proinde secum, inter agenda eadem missarum solemnia, pauperes pro se ad Deum intercessores, quibus, post oblationem sacerdoti exhibitam, eleemosynas dispartiens, pro Christo in pauperibus offerebat. Habes me hujus rei testem, o lector, quicunque es, si tamen minus de idoneo teste non dubitas, qui dum lateri suo, ut sæpe dignatus est, familiarem familiariter me applicuisset, audivi eum pauperes secreto, ut missarum sacrosanctis mysteriis secum sibi interessent, invitasse; quibusdam vero finitis missarum laudibus, dum stipem peterent, quia neglexerant interesse, tacite improperasse; nec eo solo dum omni etiam res poscebat tempore, eleemosynis nunc clandestinis, nunc publicis per se et per alios insudabat. Fame vero ingravescente, et largiori indigentibus manu distribuit, et regni sui cœnobiis pensum id ascripsit, ut ex propriis stipendiis consultius pauperum prospicerent refrigeriis.

Ante diem clauso componet vesper olympo,

quam virtutes ejus aut stylus aut sermo æquabit. Il tamen aggredimur dicere, Hasnoniense cœnobium qualiter per eum ex veteri novum, ex neglecto in melius elaboratum, cœperit surgere.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Quod super hujus loci restauratione divina admonitus sit revelatione.

Cum a gratissima pueritiæ suæ indole adolescentiæ ingrederetur annos, languore gravi non solum ad lectum, sed ad desperationem usque corruit; et sicut facile patri spem et gaudium sui, quoad vixit et valuit, sic timorem non sine dolore eidem ægrotus suscitavit, adeo ut hinc filii languore, hinc patris mœrore omnem curiam doleres condolere; sed tanto huic perc lo inclinatis cœlis inclinavit se divina miseratio, sanctorumque Marcellini et Petri cum Sancto sanctorum visitatio, quæ et languoris in filio, et mœroris in patre abstersit incommodum. Nam ægroto semivigilanti præfati martyres visi sunt astitisse, et in hæc consolationis verba prorupisse: Hac ægritudine te posse liberari noveris, si te futurum Hasnoniensis loci renovatorem voveris. Mansit tunc temporis eo loco Winthericus quidam, non minus vitiis quod divitiis abundans, in utroque perversus, dum in uno eorum posset esse utcunque bonus; in uno eorum enim quemque possessorem semper malum, in altero sæpe contigit esse bonum. Nam omnis circumquaque regio tali viro quasi peste laborabat, et pro afflictione sua totius terræ illius vox ad Deum clamabat; et ecce in eadem hac revelatione martyrum suorum, recordatus est Dominus scabelli pedum suorum: nam præfato Balduino ægrotanti ac semivigilanti sancti quos præscripsimus martyres adjecerunt inculcare, ut Winthericum nomine et actu c nirarium regno compelleret inde migrare. Hanc revelationem Bruchii factam, quia fidelium relatu didicimus, fidelem fideliter credidimus, credentesque scriptis tradidimus.

CAPUT X.

Quod eumdem locum patris munificentia impetraverit, sed admonitionis divinæ immemor fuerit.

Erat eo revelationis tempore gloriosus marchisus Balduinus assidens filio, qui jam conclamatus jacebat, cui ad observandum extremum spiritum velut jam jamque exiturum, cereum ardentem prætendebat: sed filius diu oculos in exstasin simul et languorem clausos aperuit: linguam in verba balbutientia potius vix movit quam composuit, patrique blandis se sermonibus super salute sui sciscitanti, quid viderit retulit. Adjecit insuper se salutis suæ posse fieri compotem, si se voti sui divina inspirati revelatione pater faceret compotem. Cumque salutis filii pater tantopere cupidus, quid voto sibi sederet requisisset sollicitus; ut Hasnoniensem locum sibi dono conferret rogavit et impetravit. Nam circumstantibus quibusdam curialibus, quos marchisus ad spectaculum sui mœroris admisit, cereum ardentem filio in manus dedit, quo ei Hasnonium velut astipulatione subnixa donativum fecit. Erat cernere uno eodemque momento filium a patre donativum, et a sanctis morbi remedium suscepisse redivivum. Exinde in dies paulatim meliusculus convaluit, plenumque gaudium multis ipse fuit, dum plenam æque salutem jam sanus obtinuit. Sed, ut sæpe solet lubricis cum salute carnis subrepere infirmitas mentis, adolescens marchisus in die bonorum, factus immemor malorum, dum portum corporeæ subit salutis, post naufragium languoris divinæ quam viderat obliviscitur visionis.

CAPUT XI.

Quod ictu belli sauciatus, et de vita periclitatus, divina rursus visione super hoc loco sit commonefactus.

Succedenti tempore ad robur virile provectus, cum Nerviorum comitatum, ut præscripsimus, esset adeptus, flammantis discordiæ flagellum immane inter Orientales et Flandrenses movit bellum. Unde Balduinus gloriosus marchisus, accitis quas poterat copiis, Antuerpienses fines regni sui termino contiguos, eoque magis infestos, aggredi parat; et divisis exercitibus, hinc navali, hinc equestri certamine, semet navibus, juniorem marchisum Balduinum præesse voluit equitibus: sed eodem juniore marchiso equitatuum castra eo quo intenderat ducente, et cum paucis, ut tunc eventus habuit, longiuscule a posterioribus castrorum iter agente, in hostem in insidiis succenturiatum improvisus incidit, seque suosque constanti audacia cum consilio, ut potuit, armavit: cominus utrimque congreditur, bellum conseritur, gladiis jam, non missilibus pugna geritur, cumque utrimque diu certatur, hostem fortiorem infestioremque Hubertum quemdam marchisus invadit, sauciat, sauciatus et ipse dejicit, cujus dejectio et reliquos hostium fugæ dedit, et pugnam exemit. Manibus suorum junior marchisus Gandavum vehitur, ac non modicis diebus non modici vulneris langore affligitur. Cumque jam pene de vita periclitaretur, divinæ super Hasnonio revelationis per Salakonem sui olim tutorem admonetur; patrem qui tunc mœstus aderat, super hoc sermone quo potuit, convenit, cum quo, ut Winthericum, cui Hasnonium tunc competebat, evocaret, consilium invenit. Evocatur super concambio Hasnonii, blande convenitur, sed diu postulantibus aures tantum, non assensum, præbuit.

CAPUT XII.

De castro Hasnoniense a juniore Balduino igne cremato, sed denuo a Wintherico reædificato.

Igitur sæpe memoratus Balduinus cicatrice vulnus obducente convaluit, utque effectui divinam manciparet admonitionem, elaborare instituit. Sed quid ageret, qui nulla ratione in præfato Wintherico nec obstinatam mentem, nec surdas ad assentiendum, ne dicam ad audiendum, aures inclinare potuit? Virtus igitur, rationis via ex obliquo, ad id quod voluit pervenire disposuit. Juniorem itaque fratrem Wintherici blanditiis et præmiis ad tradendum sibi castellum Hasnoniense clam suasit, et licet difficulter tradendi pactum impetravit; quo pacto potius quam armis armatus, cum non multis suorum copiis castellum ex improviso invasit, incendioque delens solo æquavit: sed re gesta, marchisus consilium nec-

Digitized by Google

didit, quoniam ad votum res non successit. Nam Winthericus, re comperta, traditionis etiam suspicione non incerta, astu quo calluit, nisu quo valuit, castelli sui damna, velut illa recidiva Pergama reparare instituit, affectus sui effectum invenit reparando, et marchisi consilium ad præsens irritum fecit.

CAPUT XIII.

Quod Winthericus, a proprio milite interemtus, humanis sit rebus exemptus.

Cum ergo nobilissimum comitem non solum nulla voti sui facies cepisset, sed etiam quod gerebatur desperare coegisset; in se rediens, quod humano non potuit, divino impetrandum auxilio credidit: unde et per se et per alios ad aures Dei Sabaoth perpetuas preces perpetuabat, ut sicut divina revelatione per martyres suos boni operis concepit affectum, ita inveniret effectum. Sed sicut promissio veritatis quæ dicit: *Petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis*, cassari non potuit: sic petitio in nomine Jesu petentium efficaciam non habere non potuit. Et ecce mucro furoris Domini in verticem Winthericl evaginatur, ictumque ad animam usque minitatur. Nam dum iter cum suis quadam die ageret, uni suorum adulterii crimen in dominam suam intentione intentat: a quo dum excusabilem facti repulsionem accepisset, nec sic vel sacramentis terribilibus satisfactus fuisset, eo res processit, ut duellum ab eo ante diludia sine dilatione posceret. Quod cum ille ab alio potius quam a domino timore magis Domini quam intentati criminis poposcisset, ille vero non solum non acquievisset, sed et militem armis impetisset, miles defensionis obtentu dominum confodiens prosternit, sicque solo simul et morti dedit: et quem occultum Dei judicium diu patiendo ad vindictam distulit, ei per arma militis vitam simul cum castello abstulit.

CAPUT XIV.

Quod Balduinus sextus marchisus castrum Hasnoniense invasit, incendio delevit, castrenses ejecit.

Facti fama volat, et in auribus junioris marchisi innotuerat: rem lætus accipit, desiderii sui se fore compotem Deo ascribens, gratias agit, a quo impetrare meruit quod ab homine non potuit: sed veritus ne desiderii sui lucrum perderet, si irrumpere mox castellum Hasnoniense differet, accitis quos citius poterat armatorum suorum copiis, moras ipsorum prævenient, castrum invasit. Nec ad repugnandum facilis via consilii castrensibus fuerat, utpote principe destitutis, nec adeo vel loci vel armorum tuitione munitis, insuper ne sibi consulerent temporis necessitate prævenlis: unde quam difficile eis ad resistendum, tam facile marchiso fuerat ad insistendum. Irrumpens ergo castri loca, gladiis sibi suisque viam fecit, ejectisque sine sanguine castellanis, castellum omne igni dedit, cujus nihil reliquum fecit, insuper valli aggerem humili terræ instar æquoris coæquavit. Sicque securus de reliquo, speluncam illam latronum mutata vice disposuit facere Dei domum.

CAPUT XV.

De ejusdem loci canonicis a præfato marchiso callida benignitate conventis, eorumque stipendiis redemptis.

Erant eo in loco ea tempestate, ut præfati sumus, canonici solo nomine in castris divinis militantes, exterioribus plus justo, interioribus minus justo insudantes: et quia viro clarissimo sedit animo canonicas consuetudines monasticis eo loci mutare; ut id, salva utriusque ordinis pace, fieret, in omne consilium diutina deliberatione descendit. Convocatis ergo nunc singulis, nunc omnibus, plerumque eos ad conversionem morum, interdum ad monachale propositum, postremo ut stipendia sua vel concambiis vel præmiis acceptis sibi traderent hortatur. Sic serenissimi viri instans opportune importune labor improbus omnia vincit quæcunque sibi Spiritus sanctus voto inspiravit, et quanquam morosiori quam vellet labore, ea quæ sibi voto sederant efficeret, id tamen sat cito futurum, imo multis profuturum credidit, si sat bene. Quid multis morer? valuit impetrare quod voluit. Adeptis enim a canonicis, salva pace eorum, stipendiis, tam locum quam loci propria sibi fecit propria, ut ea Deo servorumque Dei usibus ascriberet omnia.

CAPUT XVI.

Quod, canonicis inde migrantibus, locus idem monasticis ascriptus sit conventibus.

Cumque, ut diximus, locum illum Balduinus integerrime cum appenditiis suis posideret, utpote solus suorum suus, monasticis eum decorabilem reddere sanctionibus erat assiduus. Et primo paucis undecunque accitis monachis, stipendiis etiam ad victum vestitumque sufficientibus collatis loco illi, velut rudi infantiæ primas ad ambulandam viam mandatorum Dei informari fecit plantas: ut processu temporis monastica ibidem vita quasi fortioribus vigeret annis. Quod ut hostis humani generis vidit, mox invidit, et quia vires suas intellexit enervari, parat per hostes visibiles invisibilis ipse insidiari. Nam quosdam Wintherici præfati consanguineos, membra videlicet sua, in servos Dei concitat, qui vix manibus, nedum verbis, injuriam illorum temperarent, ut eos quoque modo exinde migrare compellerent: sed incassum in eos furebant, qui Deum protectorem habebant, citiusque telis araneæ rumpebantur qui fortioribus per Deum adamante insidias moliebantur.

CAPUT XVII.

De loci Hasnoniensis in majori elegantia constructione novaque solemniter facta dedicatione.

Quia cœnobium illud cum officinis suis sufficere vix poterat cœnobitis, amplificare illud placuit marchiso, cæmentariis undecunque accitis, animi affectum effectui manciparat, et surgentibus in brevi ædificiis, extremam operi manum consummarat. Contigit tunc tum patrem ejus humanis rebus exem-

Digitized by Google

tam sibi successionis jure reliquisse regnum; et non multo post tempore, postquam omni favente curia plene ad regni convaluit fastigia, placuit sibi Hasnoniense cœnobium operosa manu elaboratum, quibusdam convocatis præsulibus, iri chrismatum. Quo negotio maturando tertium Junii diem indixit, secundum a festo martyrum Marcellini et Petri, ut encæniarum die præfatorum martyrum solemnitati continuato, gaudium terræ illius populi festo cresceret duplicato: et hoc consulto providit, ut in eorumdem martyrum festo id quod ab eisdem revelatione olim acceperat consummaretur: præsertim cum idem locus patrociniis eorum præsentibus tueatur; quibus etiam thecam miro auri gemmarumque opere fecit aptari: in qua reliquias eorumdem super ventura solemnitate disposuit locari: quod et factum est. Cui translatione simul et dedicationi præsules Lietbertum Cameracensem, ad cujus diœcesim locus idem respiciebat, Ratbodum Novomagiensem, Raynerum Aurelianensem invitatos interesse faciebat; adjunctisque eis quamplurimis abbatibus, cum quam plurimis sanctorum patrociniis, sæpe memorati encæniis cœnobii non modicis transegit solemniis. Acta est hæc dedicatio in honore apostolorum Petri et Pauli tertio nonas Junii, anno ab Incarnatione Domini 1070, Alexandro papa sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidente, regnantibus Henrico Lotharingiæ, Philippo Franciæ regibus.

Dedicatio hujus loci post restaurationem quæ facta est a tribus episcopis videlicet S. Lietberto Cameracensi, Ratbodone Noviomagensi, et Rainero Aurelianensi, anno Dominicæ Incarnationis 1070, indictione VIII, epacta VI, concurrente IV, cyclo IV, temporibus Alexandri papæ qui primitus fuit episcopus in Luca, Philippi regis Francorum, filii Henrici, et Balduini comitis Flandrensi.

Sanctorum corpora quæ intererant dedicationi (1).

S. Marcelli papæ.
S. Piati martyris.
S. Salvii martyris de Valencenis.
S. Innocentii de Condato.
S. Amati de Duaco.
S. Donatiani de Brugis.
S. Vedasti de Atrebato.
S. Amandi de Helnone.
S. Audomari de S. Audomaro.
S. Gisleni de Cellensi.
S. Vincentii comitis Hannoniæ.
S. Bertini de S. Bertino circa Audomarum.
S. Vinoci de Flandria.
S. Wandregisili de Blandinio.
S. Bavonis de Gandavo.
S. Everardi de Osonio.
S. Euberti de Insula.
S. Landelini de Crispino.
S. Hugonis de Haspra.
S. Aycardi de Haspra.
S. Eusebiæ de Marchenis.
S. Rictrudis matris de Marchen.
S. Aldegundis de Malbodio.
S. Raginfledis de Dononio.
S. Reginæ de Dononio.
S. Waldetrudis de Montibus.

(2) *Quindecim abbates etiam adfuerunt, quorum nomina ex Sigeberti chronica deprompta habentur.*

Rollandus hujus loci primus abbas a restauratione.
Lambertus,
Adelardus,
Guedericus,
Ursio,
Galterus,
Guldericus,
Remigius,
Reynerus,
Reinaldus,
Fulcardus
Sygerus,
Heribertus,
Armengerus,
Walterus.

Abbatissæ duæ.

Fredesendis,
Gerberga.

CAPUT XVIII.

De bonæ memoriæ Rotlando abbate, ipsiusque gratissima morum probitate.

Quia monachorum est humiliter uni subesse, quem, ut præsit, decet prodesse, ut prosit æque docet præesse. Sæpe memoratus comes æquum duxit plurimis eo in loco unum præficere, uni plurimos subjicere, ut unus plurimis cum charitate imperium, plures ut cum humilitate exhiberent obedientiam. Erat tunc in cœnobio Sancti Amandi Rothlandus quidam tam nomine quam officio monachali rutilans, vita spectabilis, pie vivere volentibus imitabilis. Hunc ut lucernam in abscondito diu positam, quia oportuit super candelabrum poni, ut ingredientibus domum Domini fieret exemplar boni accitum hunc marchisus electione eis in Hasnoniensi cœnobio dedit præesse, quem didicerat jam humili-

(1) Hujus dedicationis reminit auctor libri De translatione S. Donatiani Remensis archiepiscopi in urbem Brugensem apud Surium 14 Octobris his verbis: *Cum inclytus Flandriæ marchio Balduinus cultor justitiæ, pacis amans, inter cætera bonorum operum studia monasterium in castro Hasnoniensi fundatum exstruxisset, ejus dedicandi causa mirificos ex immensis opibus suis adhibuit apparatus, tantæque solemnitati omnes Flandriæ optimates cum suis jussit interesse, cunctorum quoque sanctorum suæ ditionis corpora cum episcopis, præpositis, abbatibus et subditis suis voluit adesse.* Tum narrat miraculum quod tunc meritis S. Donatiani contigit. Simili fere modo in solemni ecclesiæ collegiatæ S. Petri de Insula dedicatione allata fuere totius regionis sanctorum corpora jussu Balduini Insulani comitis, qui templum illud fundaverat, uti videre est apud Iperium.

(2) Hæc cum capite sequenti postmodum addidit operi suo Tomellus, defuncto jam Rotlando abbate piissimo.

Digitized by Google

ter subesse. Quo honore promotus, et honore occupatus, oneri potius quam honori intendit : honoris enim est præesse, oneris animas regere. In quo idonee occupatus, magis studuit prodesse quam præesse : adeo ut in cunctis occupationibus monasterii nullum nisi vitæ merito virgaque pastorali præcelleret. Sic se humilitate inter humiles æqualem, imo inferiorem, inter pravos culpis eorum exigentibus disciplina exhibuit superiorem, illud animo revolvens et opere complens : *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis.* Itemque, *Principem te constituerunt, noli extolli, sed esto quasi unus ex illis.* In synaxi fratrum primum se in primordio, ultimum in fine divinarum laudum præsentavit. Lectisternia ejus sæpius vel petra vel sola nuda tellus, vel, cum remissius indulgere voluit corpori, vilia quæque mattæ aut sagi stramenta. Veste vilis, cibo sibi parcus, aliis sumptuosus et largus, omnia in omnibus discretione temperans, disciplina coercens. Mensam et lectum communem cum fratribus habuit, nisi forte in oratorio peculiarium obtentu precum specialius interdum pernoctasset : quod utinam vel ad confusionem vel ad damnationem quorumdam abbatum non diceretur, qui sibi secretius a communi conventu fratrum multa strui conclavia, sculpunt ostia, pingunt armaria, mensa sumptuosiori epulantur, cum divite illo sine Lazaro quotidie splendide, postremo ut Flacci illius verbis loquar, sibi diruunt, ædificant, mutant quadrata rotundis. Et utinam in solos abbates, et non etiam in monachos, qui suos per abrupta prælatos sequuntur, hæc faba cuderentur quos Psalmista non optantis, sed prophetantis animo intuens ait : *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Oculi quippe sunt, qui in honoris summi facie positi itineris officium susceperunt : quibus hi nimirum subsequenter inhærent dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum incurvatur, quia cum lumen virtutis perdunt qui pereunt, profecto cuncti ad portandum peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Sed hæc suo in loco latius sapientioribus discutienda relinquimus, dum modo prosequi festinamus, dicere intendimus. Quanquam adhuc plura supersint quæ et laudi bonæ memoriæ abbatis Rothlandi et reprehensioni nostræ pateant.

CIRCA EUMDEM ANNUM.

RENALLUS

MAGISTER SEDIS BARCINONENSIS

NOTITIA.

(Augustinus Theinerus, *Disquisitiones criticæ*, pag. 357.

In fine codicis bibliothecæ Barberinæ Romæ, num. 2864, versus quosdam ascriptos detegimus qui ex Renalli opere *De corpore Christi* desumpti sunt. De hoc Renallo, qui, uti ex nostra inscriptione patet, Barcinonæ magister fuit, nihil certi afferre possumus. Nicolaus Antonius, doctus Hispanus, præter illius nomen aliud nihil habet quam quod S. Eulaliæ, quæ sub Diocletiano martyrium passa est, Vitam scripserit (1). Sed de hac etiam vita Tomayo (2) et hagiographi Bollandiani altum silent (3).

Renalli, seu, uti Antonius illum vocat, Raynaldi, opus tempore Berengarii Turonensis, et quidem contra ejusdem errores de sancta eucharistia, conscriptum esse videtur. Versus ex eo excerptos hic subungendos esse duximus.

(1) Bibliotheca Hispana vetus. Matriti, 1788, t. II, p. 376. in fol.

(2) Ad 12 Februarii t. I, p. 100. Martyrologii Hispani. Lugduni, 1651, in fol.

(3) Acta SS. ad d. cit, t. II, p. 576,

VERSUS

Excerpti de libro Renalli magistri Barchinonensis Gerundensis de corpore Christi.

Quatuor in sacro signantur de corpore Christi
Quod monstrat fidei plena Deo ratio,
Oblatum quod sit, a quo, pro quo datur, aut cui
Se sibi dat Christus; se dat in hoc, quod homo,
Sed sibi, quod Deus est; quoniam summæ deitati
Offert se Christus, pro fidei sobole,
Scilicet Ecclesia, quam participem Deitatis
Assumens in se glorificando facit.

Quomodo panis et solummodo sacramentum et non adhuc caro Domini.

Hic noster panis prius est communis et ille
Oblatus, sumptus fiat ut ipse caro.
Est sacramentum, sacræ signum pietatis.
Et panis nondum vera caro Domini.
Sed non communis panum semotus ab usu,
Sed signum sacrari rem quia significat.

Digitized by Google

Quando sacramentum et res sacramentum, quia retinet speciem panis, res quia vera caro Domini est.

Postquam sacrat cum Christo sacrante sacerdos
In nexu pacis, in gremio fidei,
Ecclesiæque domo, quæ dicitur unio, per quam
Sponsa suo Sponso jungitur Ecclesia,
Inspirante Deo, natura prior benedicta.
Vera caro Domini est, et remanent species
Dum sacramento res est caro vera creantis.
Sed sacramentum dicitur esse, ideo
Quod retinet species non vi panis remanente
Fit natura prior vera caro Domini.

Quod panis non accipitur in sacramento secundum formas, sed secundum vim materialem et temporalem, quæ transit in vim æternam, scilicet in æternam vitam.

In sacramento panis non sumitur ille
In quantum panis vi, sed in hac propria
Quod manducanti dat vitam temporis hujus;
Hæc oraria vis sanctificante Deo
Transit in æternam vim, quam sumens homo digne
Vivit in æternum vi satiatus ea.
Ipsa quidem formas habet illas spirituales
Quæ nequeunt cerni corporeis oculis.
Illa quidem virtus formam quam panis habebat,
Sed non naturam suscipit, et retinet.

Quod in sumendo desinit esse sacramentum et remanet tantum res.

Jam sacramentum in sumendo desinit esse,
Discedunt formæ, res ea sola manet,
Illa vero Domini substantia vivificatrix
Qua redit ad vitam mortua nostra caro.
Nos reficit, redimit, jungit, cœna, cruce, patre,
His tribus; hæc tria rex pacificator agit.
Dum caro libatur Christi, pietas renovatur,
Et pietate nova, fit caro nostra nova.

CIRCA ANNUM EUMDEM.

MARIANUS SCOTTUS

NOTITIA

IN MARIANUM ET EJUS CHRONICON.

(G. Waitz, Procem. ad Chronicon Mariani Scotti, ap. Pertz, *Monum. Germ. hist.* Script. V, 481.)

Chronicon Mariani nomine inscriptum in pluribus iisque inter se valde diversis codicibus legitur. Ex quibus primo loco nominandus est :

1) Codex Palatino-Vaticanus n. 830, mbr., s. XI, 4^to^ maii, qui foliis constat 170. Hunc jam alii autographum dixerunt (1); id quod accuratiore libri perscrutatione comprobari videtur. Nam non solum brevis quæ additur continuatio aliis scripta est calamis, sed ipsum quoque Chronicon non uno tempore neque una manu scriptum est. Alia enim folia 2-25 et 150 sqq., alia folia 26-149 exaravit; illa litteris quas dicunt minusculis quales in plerisque sæc. XI codicibus inveniuntur, hæc diversa plane scriptura, Irica sive Hibernica, quippe quæ cum codicibus hac lingua scriptis prorsus conveniat. Hanc primam vocamus, illam vero, cui non solum ultimi Chronici anni debentur, sed qua etiam plurimæ additiones tam in textu quam in margine factæ sunt, secundam. Ultra Mariano sit tribuenda quæritur. Prima manu in margine superiore hæc scripta sunt fol. 33 : *Sœm* (2) *dón indiv amélbrigte clósenair in Magantia isin dardóen riafél Petair isin cetblia dendegàid*[1] *i. isin blia irromqbat*[2] *Diqmait* (*rin*[3] *Lagen. et isin fide*) *cetra*[4] *blia tanacsa Aalbain*

VARIÆ LECTIONES.

[1] *ita lego ;* dennegaid *postea correxisse videtur.* [2] irromarbat diarmait *legenda sunt.* [3] *quæ uncis inclusi huc pertinere puto ; v. scripturæ specimen et not.* 2. [4] cetna?

NOTÆ.

(1) Pagius, Crit. ad Baronium, a. 853, n. 14, ed. Lucæ XIV, p. 425 : *Exemplar istius Codicis servatur nunc Romæ in conventu Sancti Isidori, sed autographum ad bibliothecam Vaticanam aut ad aliquam aliam Urbis bibliothecam pertinebat.* Hoc vero vocabulum apud ejus temporis auctores nonnisi illum significat codicem cujus exemplum factum est. — Pagium fortasse secutus est Schannat Hist. Fuld. p. 60. Codicis illius etiam Mabillon Ann. IV, p. 583, mentionem facit.

(2) Certam horum locorum interpretationem nondum nancisci potuimus. — De Mogontia et fortasse etiam de monasterio S. Albani hic sermo est, nisi *Aalbain* ad Scotiam referre velis. De verbis *amélbrigte clusenair* vide infra not. 19. *Diarmait* nomen Iricum est ; quæ sequuntur regem Lageniæ indicant, quem a. 1072 obiisse ex Chronico constat. V. cl. Leo monente *isin blia* (*bliadha?*) *irro marbat*, etc., vertenda sunt : « in eo anno postquam occisus est Diarmait rex Lagen., » *cetra blia* vero : « in quarto anno. » Anno 1076 (1098), id est quarto post a. 1072, Marianum librum scripsisse, infra videbimus.

Digitized by Google

in peregrinitate mea, et scripsi hunc librum pro caritate tibi et Scotis omnibus, id est Hibernensibus, qui sum ipse Hibernensis; f. 67 : *Sobenn dún indiv ánelbrigte clvsenaír diamairt* (3) 2 *Kal. Aug. Manidern tais ecoloca* (4) *manestrech Mavritii Blaſucc dūsa ſleb erinn*[a] *nige* (?) *cotocenn, ut cecidi cum tabulis in fundo stercoris, sed gratia ago, nec mersus sum in stercore Francorum, sed tamen oro discentes, ut dent maledictionem illis.* Quæ partim lingua Irica scripta quin ab ipso Mariano addita sint, dubitari nequit; ideoque efficitur ut codicem nullo modo posterioris temporis apographum habere possimus. Sed cum etiam in Chronico Marianus de se ipso loquitur, pleraque quidem eodem calamo scripta sunt; nota vero a. 1050 postea et secunda addita est manu : *Ego miser Marianus in peccato fui in hoc anno natus*, ita ut ipse etiam hoc loco non modo auctor sed scriptor deprehendi videatur. Necnon f. 147 et 148 altera hæc manus in margine versus quatuor Irica lingua scripsit. Sunt igitur quæ utramque partem ut Mariano tribuamus suadeant; sed alia sunt quæ huic obstent sententiæ et quibus effici videatur ut vel altera vel utraque pars scribæ tribuenda sit, qui aut codicem autographum Mariano vivo et auctore descripserit, aut ipsi dictanti manum calamumque commodaverit. Nam quamvis scribendi rationem rudem et plane singularem, quam in codice legimus, eam esse quæ Mariano in usu fuerit nullus dubitem, neutiquam tamen ipsi errores mendaque imputaverim fœdissima quibus codex scatet et quæ scribam imperitum et negligentissimum ostendere videntur. Quædam fortasse ex libris quos secutus est male scriptis vel male lectis explicari possunt (5); alia vero ejusmodi sunt, ut scribam auctoris verba prave excipientem et negligenter scribentem arguant (6). Hæc tam in iis quæ prima quam quæ secunda manu scripta sunt reperiuntur. Hæc vero, qua locum de Mariano nato scriptum esse supra dixi, Chronico finito etiam ejus mortem adnotavit; quod ab ipso factum fuisse nemo sibi persuadebit; sed scribam deprehendimus, qui dum Marianus viveret, ipsi ad manus fuit et quæcunque scribenda erant codici intulit; quique magistro mortuo etiam obitum viri venerandi breviter adnotandum duxit. Jam vero alteram partem, prima manu scriptam, Mariano tribuendam esse, tantum non omnes censeant, neque ego plane negarim, præsertim cum hæc Iricam præseferat speciem et optime monacho in hac terra nato convenire videatur. Attamen monendum est notas marginales paucas tantum hac scriptas esse manu, præterea hanc maxime partem erroribus illis mendisque fœdissimis commaculatam legi. Itaque parum abest quin etiam hæc ab alio quodam scripta esse statuam, a monacho fortasse Scotto, qui cum Mariano in Germaniam migraverit, eique manum ad Chronicon scribendum præbuerit; quo mortuo vel remoto, alterum in ejus locum successisse probabile est. Nihilominus singula verba vel etiam longiores notas Mariani manu addita esse quis negaret, cum iis testibus qui codicem evolverunt litteræ et atramentum sæpius mutentur et difficillimum sit intellectu quæ, quo tempore, quave manu addita sint? Quæ cum ita sint, codicem authographum dicamus, eo tamen sensu ut neque totus neque maximam partem Mariani manu scriptus sit, sed librum exhibeat qualem auctor composuerit et temporis decursu continuaverit, correxerit, auxerit, sive ipse hæc calamo commendaverit, sive usus sit scribarum manu rudi atque imperita.

Codex ex monasterio S. Martini Moguntin. (fol. 1 legitur : *Iste liber pertinet ad librariam S. Martini Moguntiæ*, 1479). In Palatinam indeque in Vaticanam translatus est bibliothecam.

2) Codex Cottonianus *Nero C. V.*, mbr., s. xi ex., codex celeberrimus, ex quo integrum Mariannm se edituros esse jam Usserius et J. Vossius promiserant (7), quem vero neutiquam genuinum ejus textum exhibere paucis probabo. Ubicunque enim Marianus res a se gestas exponit, apertis verbis loquitur : *Ego Marianus sæculum reliqui, oravi, veni* (8), etc.; hic codex vero aut tanquam de alieno dicit : *Marianus chronographus sæculum reliquit, Marianus venit*, aut ubi ejus verba retinuit, adjiciendum duxit : *Hæc ait Marianus Scottus inclusus* (9), ipsumque auctorem his verbis laudavit : A 1028. *Hoc anno natus est Marianus Hibernensis probabilis Scottus, cujus studio et labore hæc cronica præcellens est de diversis libris coadunata* (10). Quibuscum si comparas verba genuina Mariani (11),

VARIÆ LECTIONES.

[a] *hæc an recte legerim dubito.*

NOTÆ.

(3) Id est die Martis sive feria tertia. Fortasse de Mariani itinere sermo est; v. Chron. a 1078 (1056).

(4) Hæc v. cl. Leo ita vertit : « colonus monasterii Sancti Mauritii. » Reliqua dubia sunt.

(5) Exempli gratia : *facio* pro *facto*, *flumina* pro *fulmina*, *quia* pro *unice* (a. 242), *terræ* pro *Terracon* (a. 278), *a consulis* pro *agon solis* (a. 287), *Pausia* pro *Fausta* (a. 373), *judaicum* pro *inductum* (a. 396), *Paviam* pro *Suaviam* (a. 1100).

(6) Exempli gratia : *contenientes* pro *contendens*, *ordinator* pro *ordinatur*, *Hiberius* pro *Hiber(i)os*, *ex* pro *et*, *et* pro *ex*, *sextus* pro *sexus*, *cœptus* pro *cœtus*, *statutis* pro *statuis*, *cohortatus* pro *coartatus*, *indie* pro *inde*, *militibus* pro *milibus*, *cæssaris* pro *cæsis*, *ab arbaris* pro *a barbaris*, *sirium facit* pro *triumfavit* (a. 21), *X* (*decem*) pro *ducem* (a. 313), *quadragesimo anno* pro *quadragesima. Anno* (archiep. Colon.).

(7) V. Stenzel, Arch. IV, p. 106-111.

(8) A. 1074 (1052), 1078 (1056), 1080 (1058), 1081 (1059).

(9) A. 1080 (1058); cf. 1065 (1043) : *Hæc ait Marianus.*

(10) Cf. a. 1065 (1043) : *Marianus hujus cronicæ auctor — oravit, qui hæc etiam — retulit.*

(11) Marianus dicit : *Ego miser Marianus in peccatis fui in hoc anno natus.*

Digitized by Google

alienam manum primo aspectu deprehenderis. Qui hæc mutavit, ubique Mariani sermonem correxit, ita ut plerumque res quidem eædem, verba vero valde diversa hic legantur (12); præterea vero multa quæ Mariani esse dubitare nequimus, omisit, ea præsertim quæ vel in margine scripta erant (13), vel ad reges Scotticos (14), vel ad monasteria procul sita spectabant (15); sed etiam alia adjecit quæ plerumque de rebus in monasterio S. Albani Mogontino gestis agunt (16), ibique auctorem vixisse probare videntur. Codex etiam brevissimam habet continuationem usque ad a. 1087, quam nescio an eidem tribuere possim. Nam

2°) Codex olim Gemblacensis (17), quem deperditum lugemus, eamdem quam Cottonianus exhibuit recensionem, continuationis vero qui ipsum viderunt nullam faciunt mentionem. Neque

2°°) Codex Leodiensis 242, chart., s. XV, quem ex Gemblacensi descriptum puto, ipsam continet; quamvis alibi proxime ad Cottonianum accedat.

3) Codex olim S. Bartholomei, jam bibliothecæ publicæ Francofurtensis, n. 104, mbr., s. XIV, fol., Chronicon continet usque ad annum 1200 continuatum, quod Mariano Scotto et Dodechino abbati omnes primum editorem secuti tribuerunt. Sed Dodechinum Chronicon scripsisse probari nequit, neque genuinum Mariani opus hic legi primo patet aspectu. Est enim opus ex Mariano, Methodio, Annalibus Wircibergensibus aliisque fontibus a monacho quodam S. Dysibodi (*Disenberg* prope Moguntiam) conflatum. Eodem jure quo hoc Mariano, Herimanni Chronicon Bedæ vel ipsi Hieronymo tribueres. Nam non modo textum tot tantisque interpolationibus auxit, ut nonnunquam vix Mariani vestigia invenias, verum etiam tam initio (18) quam in ipso textu plurima omisit, præsertim sæculi x et xi historiam ita compilavit, ut cum Mariano (19), cujus quidem verba de se ipso scripta retinuit (20), non nisi paucis locis conveniat. Annales S. Dysibodi rectius dicentur.

Quibus præmissis, tam de Mariani vita quam de operis chronologici indole et ratione breviter disseramus.

Marianus anno 1028 in Hibernia, quam tunc temporis scriptores Scottiam dixerunt, natus (21) et patria lingua Moelbrig, ut videtur, dictus (22), ætatis anno 24 sæculum reliquit et tunc fortasse Mariani nomen accepit. Quatuor annis post (a. 1056), multorum comprovincialium vestigia secutus, ex Hibernia in Germaniam profectus, ibique Coloniæ in monasterium Scottorum S. Martino dicatum, quod sæculo xi sub abbatibus Helia et Majolo florebat, receptus est. Sed non diu post (a. 1058) Fuldam se contulit, abbatem Ecbertum comitatus, quocum primum Paderbornam ivit, ad tumulum Paterni Scotti, qui ibi se comburi passus est, oraturus. Anno se-

NOTÆ.

(12) Unum alterumve locum ex hac recensione exhibendum duxi; e. gr. a. 1065 (1043): *Animchadus Scottus monachus et inclusus in Fulda obiit III Kal. Febr., super cujus sepulchrum visa sunt lumina, et psalmodia audita est. Super cujus sepulchrum Marianus hujus cronicæ auctor decem annis ad pedes ejus stans inclusus missas cantavit, qui hæc etiam de supradicto Animchado retulit. Ipse inquit, cum Hibernia esset in insula quæ Keltra dicitur, quadam die fratribus quibusdam advenientibus, cum licentia senioris sui nomine Corcram, caritatem eis fecit. Cumque quidam post cibum egressi essent, illi qui remanserant ad ignem se calefacientes consederunt atque bibere ab eo petierunt. Quo nolente sine licentia, coegerunt illum. Tandem consensit; prius tamen ex eo potu seniori suo quasi benedictionem misit. Crastino autem ab eo interrogatus, unde sibi illum potum misisset, omnia quæ gesta erant retulit, moxque propter hanc tantum culpam eum senior de Hibernia exire jussit. Quod ille humiliter adimplevit, sicque Fuldam veniens, sancte vivendo inclusus, ut prædixit, obiit. Hoc autem mihi retulit Tigernach senior meus, cum quandam parvam culpam coram eo fecissem. Me quoque audiente in Fuldam incluso quidam religiosissimus ejusdem cœnobii monachus nomine Willehelmus supradictum Animchadum jam sepultum rogavit, ut se benediceret, atque, sicut postea mihi confirmavit, eadem nocte per visum vidit Animchadum in sepulchro suo stantem niveo fulgore nitentem et extensa manu se benedicentem, totamque ipsum noctem etiam ego mellifluo plenam odore duxi. Hæc ait Marianus.* — a. 1095 (1071): *Clericus quidam nomine Carolus comparavit episcopatum urbis Constantiæ a rege Heinrico. Quapropter Sigifrido episcopo Mogontino concilium faciente coram præfato rege, idem clericus et episcopatum perdidit et non longe post etiam vitam.*

(13) A. 789, 790, 812.

(14) a. 1026 (1014), 1056 (1034), 1062 (1040), 1079 (1057), 1087 (1065), 1088 (1066).

(15) præsertim Augiensia a. 880, 881, 886.

(16) a. 808 (786), 816 (794), 827 (805), 847 (825), 977 (955). Alia tamen ex iisdem fontibus quibus usus est Marianus hausit, a. 832, 833, 834, 835. — Cf. a. 1085 (1061), 1085 (1063), quæ optime Mariano convenirent. Ipsum hoc modo opus suum secundis curis recensuisse, est fortasse qui sibi persuadeat. Sed neque verba illa de se ita mutare potuisset neque eam sermonis puritatem quam hic reperimus ipsum unquam assecutum esse concesserim.

(17) Quem præter Schottum (v. infra) etiam Miræus vidit (ad Sigebertum a. 854, p. 107).

(18) Libri I, c. 1-8, integrum librum II.

(19) Textum genuinum, non illum qualem codices 2. 2° etc. præbent, ad manum habuit. — Singulis locis tamen quædam huic similia de S. Albani monasterio addidit; cf. a. 816 (794), 990 (968). Sed etiam in posteriore parte interdum hoc monasterium tangit a. 1085, 1095, 1096, 1116, 1119, 1130.

(20) A. 252 (274) vero ita Marianum laudat: *Marianus Scottus 22 annos plus aliis cronographis posuit ab incarnatione Domini, quos sub deficientibus regibus collegit mensibus et diebus integris annis supervenientibus.*

(21) Quæcunque affero, Marianus ipse his annis narrat.

(22) Versus quibus auctor primo opus suum finivit (a. 1098) dicere videntur, primam singulorum verborum litteram ipsius nomen continere. Quas si colligis, hæc habes: *Moelbrigte clausenair romtin (l)ol; Moelbrigte* nomen proprium Iricum esse videtur, *clausenair* fortasse « inclusus »; eadem verba supra col. 601-603 bis occurrunt (*amélbrigte clósenair*); cætera equidem non intelligo.

Digitized by Google

quenti a Sigefrido abbate Fuldensi, qui Ecberto successerat, apud Wirceburg presbyter consecratus et statim Fuldæ inclusus est, exemplum Animchadi Scotti secutus, super cujus pedes stans, ut ipsius verbis utar, per decem annos quotidie missas cantavit (23). Vix a. 1069 jussu archiepiscopi Moguntini abbatisque solutus, Moguntiam se confert, ibique « pro peccatis suis secundo includitur. » Quo nondum solutus, a. 1082 vel 1083, ut videtur, obiit (24), et apud S. Martini monasterium sepultus est (25).

Hominem agnoscas a rebus sæcularibus prorsus alienum, qui in rerum divinarum contemplatione assidua, in artissima cellula inclusus, mentis tranquillitatem et animæ salutem assequi conatus est; ideoque facile eum credideris nonnisi exercitationibus piis et rebus ascetieis intentum fuisse. Attamen altius mentem elevavit; nam in solitudine qua vixit studiis se dedit (26), iisque non vulgarem laudem tam apud coævos quam apud posteros sibi comparavit.

Marianus Scottus, inquit Sigebertus (27), *peregrinans pro Christo in Gallias et factus monachus apud Moguntiam, multis annis inclusus, scripsit chronicam a nativitate Christi usque ad annum nati Christi* 1082, *mira subtilitate ostendens errorem priorum chronographorum, ita ponentium nativitatem Christi, ut annus passionis ejus, quantum ad rationem computi, non concordet veritati evangelicæ. Unde ipse apponens* 22 (28) *annos illi anno ubi priores scribunt fuisse natum Christum, ponit in margine paginæ alternatim hinc annos evangelicæ veritatis, illinc annos falsæ priorum computationis, ut non solum intellectu, sed etiam visu possit discerni veritas et falsitas.*

Simile testimonium præbet Willelmus Malmesburiensis, rerum Anglicarum scriptor celeberrimus : *Sub isto*, inquit (29), *imperatore regnante floruit Marinianus Scotus, qui primo Fuldensis monachus, post apud Magontiacum inclusus, contemptu præsentis vitæ gratiam futuræ demerebatur. Is, longo vitæ otio chronographos scrutatus, dissonantiam cyclorum Dionysii Exigui ab evangelica veritate deprehendit. Itaque ab initio seculi annos singulos recensens, viginti duo annos, qui circulis prædictis deerant, superaddidit, sed paucos aut nullos sententiæ suæ sectatores habuit* (30).

Tertio loco audiamus etiam Gallum, Ordericum Vitalem ita dicentem (31) :

Marianus enim in cœnobio Sancti Albani martyris (32) *apud Moguntiam monachus fuit, ibique Cæsariensem Eusebium et Hieronymum aliosque historiographos pro modulo suo secutus, sese benigniter exercuit, et dulcem fructum longi studii magnorumque laborum, quos in longinqua peregrinatione pertulit, filiis eclesiæ tanta rimari per se non valentibus caritative obtulit. Solerter itaque perscrutatis veteribus et modernis codicibus, chronographiam edidit, in qua ab initio mundi ex quo Deus Adam de limo terræ plasmavit, per omnes libros Veteris et Novi Testamenti et Romanorum Græcorumque historias discurrens, optima quæque collegit, et enumeratis annis per regum et consulum tempora usque in diem mortis suæ, annalem historiam laudabiliter distinxit.*

Ex quibus apparet, jam apud coævos et proxime sequentis temporis scriptores Marianum non tam ob res a se narratas, quam ordine chronologico certo stabilito et annis qui ab incarnatione Domini evoluti essent aliter quam Ecclesia cum Dionysio statueret definitis, summa laude elatum fuisse. Easdem quæstiones ante et post eum multi tractabant, et quamvis usum communem mutare non possent, sibi tamen et coævis magni quid effecisse videban-

NOTÆ.

(23) a. 1065 (1043)

(24) Nam anni 1082, historia finita in codice autographo eadem manu scriptum est : *Obiit Marianus inclusus;* quæ verba, postea lineis ductis et brevi continuatione addita, nunc inter a. 1086 et 1087 leguntur, sed ad neutrum annum pertine e possunt. Annales S. Dysibodi (cod. 3), qui priori anno mortem ascribunt, ex hoc codice descripti sunt; et ita etiam Trithemius Chron. Hirs. I, p. 281, istum annum invenit.

(25) Quæ Aventinus, qui Marianum inter libri v fontes recenset, de ipso tradit (ed. Ingolstad., p. 494, 553), ad alterum ejusdem temporis Marianum Scottum pertinent, abbatem Ratisbonensem, de quo v. Raderum Bavar. sancta II, p. 217-222. Acta SS. Febr. II, p. 361, sqq. (Ibidem p. 365 hujus Mariani Vita edita est).

(26) Trithemius præter chronicam (v. infra, not. 110) etiam epistolas Mariano tribuit (Chron. Hirs. I, p. 207), quas sibi consueto more finxisse putarem, nisi p. 208, diserte diceret : *ad quem* (Arnoldum Trevirensem) *Marianus Scotus monachus inclusus elegantem destinavit epistolam.* Vossius (de Hist. Lat. II, 47, p. 385) cum Aventino commentarios in psaltem Mariano tribuit, qui ab altero ejusdem nominis Scotto (cf. n. 22) scripti sunt. Ab eodem codicem exaratum puto, cujus Lambecius mentionem facit (comm. II, p. 749); continet Pauli epistolas Mariani manu a. 1079 descriptas et commentariis interlinearibus et marginalibus illustratas. — Quod Vossius addit : *Imo et Mariano huic Scoto Notitiam imperii Romani, opus præclarum, adscriptum it doctissimus Cujacius,* jam neminem tenebit.

(27) De SS. eccles., c. 159; cf. Chron. a. 1061, 1082.

(28) Ita legendum, non 23, ut editio habet; cf. Sigebertum l. l., c. 171, quem locum v. infra editum.

(29) Lib. III, ed. Hardy, § 292, vol. II, p. 470. Addo Matthæum Westmonasteriensem, qui ita dicit (ed. Francof., 1601, fol p. 229) : *Anno gratiæ* 1082 *Marianus Scotus, sancti Bedæ linealiter consanguineus, ipsius sancti libros omnes cum aliis multis perscrutans, similis illi in moribus et scientia esse nitebatur.* Quæ sequuntur ex Sigeberto (Roberto de Monte) descripsit.

(30) Quam ob causam sæculi sui inertiam Willelmus acriter castigat.

(31) Lib. III, ed. Le Prevost, II, p. 159.

(32) Error inde natus est, quod textum in hoc monasterio, ut supra dixi, interpolatum, qualem Florentius Wigorniensis descripsit, præ oculis habuit.

Digitized by Google

tur (33). His totum se dedit Marianus; in his maxi mam libri sui partem versari, en videamus.

Quæ in codice Romano leguntur hæc sunt (34) :

f. 1. *Tractatio* (35) *sequentis cicli. In pagina sequente per abecedarium litterali regula de duobus alfabetis ante Kalendas festivitatum positis variata, ac viginti octo litteris secundum solaris cicli longitudinem longa, juxta autem decennovennalis cicli longitudinem, quia decem ac novem litteris constat, latitudine lata, qualemcunque litteram vis primum vide — — Sicque semper servandum est.*

f. 2. *Cicli* (35) *solaris decem et novem sunt isti qui in ciclo magno paschali continentur et in unoquoque cicli* 28 *anni, qui in primis litteris et quatuor concurrentibus incipiunt.*

Tabulæ sequuntur quæ hos cyclos exhibent.

f. 4-10. Marianus ponit catalogum consulum Romanorum sic incipiens :

I. *Lentulus et Marcellus. His consulibus perniciosæ in curia Romæ de Pompeio et Cesare conflantur discordiæ. Sed Gaius Julius Cæsar, Romam de Gallis veniens,* [*Pompeium* (36) *fugavit Italiam, aurum et argentum Romæ de ærario sustulit, ac primus Romanorum solus tenuit imperium annis quatuor, menses sex, Idibus Martii occisus. Sub quo hi consules fucrunt, teste Cassiodoro*].

II. *Julius Cæsar et Servilius, etc., etc.*

554. [6. *Justinianus aug.* 3. *cons.*] *Beda presbiter et computator de hoc anno* 532, *inter cetera ita dicit: Dionisius paschales circulos scribens ab anno Dominicæ incarnationis quingentesimo trigesimo secundo juxta ipsum Dionisium, qui est annus ducentesimus quadragesimus octavus Diocletiani tyranni post consulatum Lampadii et Orestis, quo anno codex Justianus orbi pervulgatus est. Hæc Beda ait.*

In sinistro margine præter imperatorum annos etiam annos a Chr. n. collocat, quos ab a. 42 Augusti Lentulo et Messala conss. incipit; in dextero margine Dionysii anni ponuntur, quorum primus in annum 7 Tiberii, Valerio et Aurelio conss. cadit.

Sequitur fol. 10 :

Alia secundo vestigio emendatio annorum incarnationis juxta Hieronimum, qui dicit Paulum post decem et septem annos conversionis suæ locutum fuisse in Hierusalem cum Petro, et Cassiodorum ponentem quatuor annos inter Neronem et Vespasianum, et Orosium dicentem Decium tribus annis regnasse.

34. *Christus passus est, etc....*

353. — — — — 3. *Sanctus Julius papa in decretali sua epistola de hoc anno ita dicit : In nomine domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, imperantibus quoque Constantino et Constante aug. ann. quarto, sub die octavo Kalendarum Octobrium, indictione* 6 *et reliqua.*

Annus 3 est tertius Constantii et Constantis, et ita semper imperatorum anni indicantur.

Sequitur f. 11 :

Tertia emendatio annorum incarnationis tertio vestigio secundum martirologgium et passiones paparum et decretales epistolas eorum, quas ipsi papæ predicti in certis Kalendis miserunt et sub consulibus certis nominatis conscripserunt; in quibus habetur Decius per annos decem regnasse auctoritate æclesiastica in unoquoque anno confirmante, a Faviano papa, qui passus est sub Decio, usque ad sanctum Laurentium, qui passus est sub Decio.

(*f* 12.) 34. 18. 1. *Tiberius Cæsar* 5 *conss. Cassiodorus sic :* 12. *Tiberius imperavit ann.* 23. *His conss. dominus noster Jesus Christus passus est* 8. *Kal. April., etc., etc....*

[267. 9. *Valerianus Decius.* 245.

Alia decretalis epistola Sixti papæ : Dilectissimis fratribus per Hispaniæ provintias constitutis Sixtus episcopus salutem. Data 17. *Kal. August. Valeriano et Decio consulibus. In martirologio de conflictione Sixti, Felicissimi, Agapiti, Ipoliti et sancti Laurentii aliorumque contra Decium, et sicut passi sunt sub ipso mense Augusto, multum et satis habetur per cunctam ecclesiam, quod nunquam delebitur et cui credendum est multo magis quam cronicis.*

Gallus, Volusianus.

Cassiodorus expositor psalterii sic dicit : His consulibus Decius lavacra puplica ædificavit quæ suo nomine appellari jussit.] *Decius cum filio suo in Abritio Traciæ loco a Gothis occiditur. Cui successit Gallus cum Volusiano filio, qui regnaverunt annis* 2, *mensibus* 4, *quantum ad consulatum autem annis tantum duobus et reliqua.*

In sinistro margine sunt anni a Chr. n. secundum Marianum et imperatorum. Tertius qui initio legitur numerus, I-XIIII et I-XXV, post omittitur; quid significet nescio. In dextero margine more consueto annos a Chr. n. Dionysii ratione collocat.

Additur fol. 14ᵇ :

Recapitulatio (37) *imperii. Confirmatio est enim repetitio commendationis cujusque rei.*

Anni decimi præcedentium tabularum emendati et aucti iterum leguntur.

F. 15' : *Hi sunt flathi Hiberniæ qui ex dimedia parte ei id est doleth chuinn regerunt*, etc. (37').

Sequitur fol. 16' catalogus pontificum Romanorum, nulla incriptione præmissa sic incipiens :

NOTÆ.

(33) Cf. quæ de hac quæstione, in qua solvenda etiam Sigebertum occupatum sed Mariani vestigia presse sequentem videmus, ea qua excellit doctrinæ copia collegit S. Hirsch De Vita Sigeberti, p. 319-329.

(34) Pleraque etiam in Cottoniano. (2) reperiuntur, cujus varietatem adjiciendam esse duxi.

(35) Hæc in 2 desiderantur, qui a consulum catalogo incipit.

(36) Quæ uncis inclusi ex 2 addidi, leguntur in 1, sed nondum ex hoc descripta sunt.

(37) Hæc desunt in codice 2.

(37') Infra, not. 149, edentur una cum Chronico.

Digitized by Google

1 *Petrus apostolus princeps apostolorum Antiochenus, filius Joannis, provinciæ Galileæ vico Bethsaida, frater Andreæ, primum sedit cathedram episcopatus Antiochiæ annos septem, postea Romanæ æclesiæ cathedram annos* 25, *mens.* 10 [6].

Linus, natione Italus, de regione Tusciæ patre Herculiano, sedit ann. 15, *m.* 3, *dies* 12.

Catalogus usque ad Johannem XII deductus est; cujus finem hoc loco addere juvat :

120. *Benedictus papa sedit ann.* 3, *m.* 5.
Leo presbiter forensis sed. d. 57.
Christophorus presbiter cardinalis titulus Damasi sedit m. 4. *Electus est et monachus factus est.*
Sergius Romanus patre Benedicto sedit ann. 7, *m.* 3, *d.* 16.
Anastasius sed. ann. 2. *m.* 2.
Lando sed. m. 5.
Johannes sed. ann. 14, *m.* 2, *d.* 3.
Leo sed. m. 7.
Stephanus sed. ann. 2, *m.* 1, *d.* 12.
Johannes sed. ann. 4.
130. *Leo sed. ann.* 3, *m.* 6, *d.* 10.
Stephanus sed. ann. 3, *m.* 3, *d.* 15.
Marinus sed. ann. 3, *m.* 6, *d.* 14.
Agapitus sed. ann. 10, *m.* 7, *d.* 10.
Johannes de regione Violata, cujus pater erat Albericus princeps Romanorum, successit indict. 14 (38).

Fol. 17'. vacuum fere exstat, his tantum eadem manu scriptis (39) :

Precellens ciclus Mariani omnibus quoscunque audivi.
Propterea ipsum amavi atque optavi priusquam vidi,
Dum præ ceteris ciclis candens illud legat lector inten [*dens.*
Hinc putavit meus editor quod bene predicor precel- [*lens,*
A *Multa atque jam mira mandans sicut archiscriba pre-* [*tendens.*
Sciat hoc mei [cod. in interlin. *I nominis*] *inquisitor, quoniam predicor precellens precellens ciclus Mariani.*

Folio 18 igitur magnus cyclus paschalis legitur, et primæ tabulæ hæc præmittuntur :

Primus annus magni hujus pascalis cicli, et in cujus secundo anno juxta Dionisium natum est Dominus, indictione erat tertia, sed in capite 3. [14[6]] *prioris cicli indictio erat* [7]. *Primus autem annus secundi magni pascalis cicli, qui est ciclus Dionisii, indictione erat decima et incarnationis* 532 *secundum Dionisium. Primus item* [*tertii* [8]] *magni cicli, in quo sumus modo, indictione erat secunda et incar-*
B *nationis millesimus* [9] *quartus annus juxta Dionisium.*

In sinistro margine res primi cicli (annorum 1-532), in dextero secundi (40) (a. 533 - 1064) et initio etiam tertii breviter adnotantur. Cum nihil contineant quod non in chronico repetatur, ultimos annos enotasse sufficiat.

934 (912). (41) *Cuonradus imperavit ann.* 7.
936 (914). Anastasius ann. 2, m. 2.
937 (915). Lando papa mens. 5.
938 (916). Johannes papa ann. 14, m. 2, diebus tribus.
940 (918). *Cuonradus obiit* 10. *Kal. Jun.*
941 (919). *Henricus imperavit ann.* 18.
951 (929). Leo 127. papa mens. 7.
952 (930). Stefanus papa ann. 2, m. 1, diebus 12.
953 (931). Joannes papa ann. 4.
956 (934). Leo ann. 3, mens. 6, d. 10.
957 (935). *Heinricus obiit* 6. *Non. Julii.*
958 (936). *Otto filius ejus imperavit an.* 36, *m.* 10.
960 (938). Stefanus papa ann. 3, m. 3, d. 15.
963 (941). Marinus ann. 5, mens. 6, d. 14.
967 (945). Agapitus 133. papa an. 10, m. 6, d. 10.
972 (950). Johannes 134. papa de regione Violata,

VARIÆ LECTIONES.

[6] *hic numerus jam legi nequit.* [7] *Hæc supra lineam addita sunt.* [8] *deest* 1? [9] sexagesimus *deest* 1.

NOTÆ.

(38) Alia manu, quæ etiam postea historiam a. 1126-1128 (1104-1106) scripserit, continuatio additur, quæ in codice 2 desideratur. Hæc

Benedictus 3. *m.* 2, *d.* 5.
Leo 8. *ann.* 1, *m.* 2.
Johannes ann. 6, *m.* 2, *d.* 5.
Benedictus ann. 1, *d.* 6.
Bonus ann. 1, *m.* 6.
140. *Bonifatius m.* 1, *d.* 12.
Benedictus ann. 9.
Johannes m. 9.
Johannes m. 4.
Johannes ann. 10, *m.* 6, *d.* 10.
Gregorius ann. 1, *m.* 5.
Johannes m. 10 *vel* 5. *f.*
Silvester ann. 4, *m.* 1, *d.* 9.
Johannes m. 5, *d.* 25.
Johannes ann. 1.
150. *Serius ann.* 3.
Benedictus ann. 11, *m.* 1, *d.* 21.
Johannes ann. 9. *d.* 9.
Benedictus ann. 13.
Silvester d. 56.
Gregorius ann. 2, *m.* 6.
Clemens m. 9, *d.* 7.
Damasus d. 23.
D *Leo ann.* 5. *m.* 2, *d.* 7.
Victor ann. 2. *m.* 3, *d.* 7.
160. *Stephanus m.* 7, *d.* 24.
Benedictus m. 9, *d.* 20.
Nicolaus ann. 2, *m.* 6, *d.* 25.
Alexander ann. 11, *m.* 6, *d.* 21.
Gregorius ann. 12, *m.* 1, *d.* 5.
Victor m. 4, *d.* 7.
Urbanus ann. 11, *m.* 4, *d.* 16.
Pascalis sed. ann. — — —

(39) Desunt in codice 2.

(40) In fine tabularum f. 24' legitur : *Require in principio cicli hujus in margano sub manu dextra gesta sequentis magni cicli.*

(41) Annos Dionysii uncis inclusos adjeci. In hac tabula a Mariano non ponuntur, qui etiam suos annos nonnisi semel singulis foliis, quæ semper duos cyclos solares (a. 38) continent, indicavit. Ideo fortasse in annis enotandis erratum est; certe inde ab a. 991, error manifestus est.

Digitized by Google

filius Alberici principis Romanorum, successit indictione 14.

991 (969). *Otto imperator obiit Non. Mai.*

992 (970). *Otto filius ejus ann.* 10, *m.* 7.

1001 (979). *Otto obiit* 7. *Idus Dec.*

1002 (980). *Otto filius ejus* 18 *ann.*

1010 (988). *Otto obiit* 9. *Kal. Feb.*

1011 (989). *Heinricus imperavit* 22 *ann.*, *m.* 5.

1012 (990). *Kilianus abbas Scottorum in Colonia obiit* 19. *Kal. Jan.*

1013 (991). *Helias successit ann.* 20.

1029 (1007). *Brian rex Hiberniæ parasceve paschæ occisus est.*

1035 (1013). Benedictus papa.

1038 (1016). Benedictus papa obiit 7. Idus April. Johannes papa successit.

1039 (1017). *Heinricus imperator obiit* 2. *Id. Juli.*

1040 (1018). *Cuonradus ann.* 15.

1048 (1026). *Cuonradus imperator obiit Non. Julii.*

1049 (1027). *Heinricus ann.* 17, *m.* 4.

1067 (1045). Benedictus papa.

1068 (1046). Clemens papa obiit 7. Idus Oct.

1069 (1047). Damasus papa obiit.

1070 (1048). Leo papa.

1075 (1053). Leo papa obiit 16. Kal. Mai.

1076 (1054). Victor papa successit 3 annis.

1076 (1053). *Heinricus imperator obiit* 3. *Non. Octob.*

1078 (1056). *Heinricus filius ejus.*

1079 (1057). Stephanus papa obiit 4. Kal. Apr.

1080 (1058). Nicolaus papa obiit.

1082 (1060). Alexander papa.

[2 hæc add. 1084 (1062). *Ordinatio Wlstani episcopi.*

1097 (1075). *Hildebrand.* 1. *ann.* 11.

1106 (1084). *Wibertus papa suc.*

1117 (1095). *Ob Wlstanus et Rodbertus episcopi.*]

Folium 25' vacuum exstat, et hoc loco manus secunda, qua priora libri folia scripta esse supra dixi, desinit, atque ea incipit quæ majorem libri partem chartæ intulit; incipit etiam ipsum Chronicon, quocum præcedentia vix cohærent, sed postea ad illustrandam et latius explicandam auctoris opinionem præmissa esse videntur. Quæ cum ita sint, hæc folia 25 nonnisi Chronico finito scripta et tum demum in initio voluminis collocata esse putarim id quod quaternionum ordinem confirmaturum esse confido.

Folio 26 igitur ipsum Mariani opus ita incipit : *In nomine sanctæ divinitatis. Resurrectionis Christi inquisitio incipit quam Marianus Hibernensis inclusus congregavit. — Divino informamur precepto, ut quod nobis ab aliis fieri volumus hoc cum hilaritate illis impendamus. Quia ergo gratanter a quovis susciperem rationem, ubi primus fuerit ressurrectionis dominicus dies, atque* [cur [10]] *quintus decimus annus Tiberii Cessaris juxta cronicam Eusebi vel Bedæ prespiteri, sive etiam magni cicli Dionissi t. igessim.us quintus annus — qui, eo quod secundus ejusdem cicli annus nativitatis* [11] *Domini dicitur, dominicæ passioni deputatur — evangelicæ veritati atque æcclesiæ, quæ Dominum in* 14ª *luna primi mensis id est in pascha Judeorum feria quinta traditum asserunt et feria* 6 *parasceve luna quinta decima crucifixum, necnon martirologio sancti Hieronimi, quod in* 6ª *Kalendarum April. eum ressurrexisse ostendit, reliqua* [*horum* [12]] *habentes contradicant; quod cum magno labore, partim magistrata* [13] *auctoritate, partim ratione ducente, vix tandem consecutus sum. Si sit in hac qua datur caritate qui accipiat, devotus offero; ea condicione, ut, si placeat, Deo gratias referat, sin autem, me dente canino rodere dissinat, presertim cum nihil suadeam, quod aut auctoritate aut ratione non probetur.*

Resurrectionis itaque Christi tris opiniones traduntur, et quæ sit harum vera, dubie vel nunquam posse fertur quemquam conscrip ise, etc., etc.

Qua finita legitur f. 27'

INCIPIT HINC MARIANI SCOTI CRONICA CLARA.

Sequuntur capitula trium librorum, denique ipse textus.

Primo libro disquisitionibus chronologicis præmissis Chronicon usque ad Christi ætatem deduxit, secundo præsertim Christi apostolorumque historiam exposuit, ita ut evangelistarum verba præmissa ex Augustini, Gregorii, Bedæ aliorumque libris illustret, tertio inde ab hoc tempore usque ad suam ætatem res prosecutus est, Capitum index infra editus, quid singulis libris tractetur, accuratius indicabit.

Primum usque ad a. 1095 (1073) Marianus historiam deduxit notamque chronologicam et versus a. 1098 (1076) adjecit, quibus operi finem dedit; postea vero res a 1096, 1097 gestas inseruit, et folio 166 continuationem usque ad a. 1104 (1082) adjecit eadem secunda manu, sed diversis temporibus ut videtur scriptam, Codice (42) post ipsius mortem in monasterio servato, alii novis lineis ductis brevem continuationem addiderunt, cujus major pars ex Annalibus Wirziburgensibus, quos rectius S. Albani Moguntinos dixeris, sumpta est (43).

VARIÆ LECTIONES.

[10] *deest* 1 ? [11] nativis 1. [12] *sec. manu in marg. suppl.* 1. nihil horum 2. [13] magistra 2.

NOTÆ.

(42) Hanc etiam in inferiore fol. 166' parte verba adjecisse : *Obiit Marianus inclusus*, jam supra monui.

(43) In ultima fol. 170, pagina hæc manu sæc. XII, addita sunt : *Regnante in perpetuum Domino nostro Ihesu Christo, temporibus piissimi ac serenissimi domini Mauritii Tiberii ac Theodosii augustorum, ejusdem domni Mauritii anno tertio decimo, indictione*

Digitized by Google

Marianum cum Chronicon conderet universale, non tam historiam quam chronologiam tractare voluisse jam dixi. Ideoque præsertim in annis a Christo nato recte definiendis aliisque ejusmodi quæstionibus fuit occupatus, res ipsas vero ex aliorum libris breviter descripsit, et eas tantum quæ ad propositum facere videbantur paulo accuratius et longius exposuit. Nihilominus satis multa volumina congessit et perlegit, quibus ducibus antiquorum temporum historiam narravit. Quantum invenire potui, hæc ipsi ad manus fuerunt subsidia (44) Scriptura sacra, Josephi Opera (45) et Eusebii Historia ecclesiastica (46) ex translatione Rufini (47); ejusdem Chronicon ab Hieronymo translatum et continuatum (48); ex Hieronymi vero operibus genuinis vel spuriis hæc: epistolæ ad Damasum (49) et Vitalem (50), adversus Helvidium (51), ad Paulinum (52), ad Paulam et Eustochium (53), commentarii in Ezechielem (54), Zachariam (55), Matthæum (56) et Epistolam ad Galatas (57), liber Hebraicarum Quæstionum (58), Vita S. Paulæ (59) et Martyrologium quod ipsius nomine inscriptum erat (60): «Certamina apostolorum» (61); Clementis liber Recognitionum (62); Ambrosius (in Lucam ?) (63); Augustinus de Trinitate (64) et præsertim liber De consensu evangelistarum (65); Maximi homiliæ (66); passio S. Valentini (67) aliorumque sanctorum; Orosii Historia (68); Prosperi, Cassiodori, Isidori (Melliti [69]), Bedæ Chronica; Historia tripartita (70); Isidori Etymologiæ (71); Jordanis liber de regnorum successione (72); Bedæ opera, tam Chronologica quam theologica: libri De ratione temporum et de temporibus (73), commentarii in Genesim (74), Danielem (75), Evangelia (76), in acta apostolorum (77) necnon retractationes in hunc librum (78) martyrologium (79); S. Luciani (epistola 80); Dionysii et Theophili epistolæ de ratione paschali, quas integras descripsit (81); Paschasini epistola ejusdem argumenti (82), Victorii epistola

NOTÆ.

tertia decima, quinto die mensis Julii, Gregorius papa coram sacratissimo beati Petri apostoli corpore cum episcopis omnibus Romanæ Ecclesiæ et presbiteris residens adstantibus diaconibus et clero dixit : In sancta hac Romana ecclesia, cui divina dispensatio preesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eleganter et in diaconatus ordine constituti modolatione vocis inserviant, quos ad predicationis officium elemosinarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque [*ut* (*a*)] *ad sacrum ministerium dum blanda vox queritur, queri congrua vita neglegatur et cantor minister Domini moribus stimuletur, cum populum vocibus delectat. Que de re presenti decreto constituo ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant; psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit; per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire temptaverit, anathema sit. Et responderunt omnes : Anathema sit, et reliqua.*

(44) Quæ de fontibus Mariani Semler dixit (*Beiträge* p. 88, 142), cum ad textum interpolatum spectent, nullius momenti sunt. Equidem tertii libri fontes ubique in margine indicavi, librum I et II, tam in Francofurtensi quam Cottoniano codice perlegi, et quamvis interdum editionem Struvianam afferam, codicum tamen semper rationem habui, ne Mariano obtruderem quæ sint continuatoris.

(45) A. 53 sqq. Quæ ex ejusdem libro contra Appionem p. 486, (ed. Struv.) afferuntur, ex Beda descripta esse videntur.

(46) II, 32; II, 49; III, a. 67, etc.

(47) Rufinus etiam II, 23, affertur; Ursinus nescio quis II, 62.

48) cf. a. 341. Priorem partem Eusebii nomine affert.

(49) p. 469 (I, 13.)

(50) p. 493 (I, 17).

(51) a. 64.

(52) a. 144.

(53) a. 35.

(54) p. 506 (I, 18), p. 524 (I, 21); II, 16.

(55) p. 511 (I, 19).

(56) II, 49; cf. II, 3, etc. Fortasse etiam commentarium in Lucam Hieronymi nomine inscriptum habuit, a. 13, 31.

(57) a. 35.

(*a*) Post deletum.

(58) p. 457 (I, 11).

(59) a. 423.

(60) II, 24; III, a. 33. Hæc tamen in martyrologio sub Hieronymi nomine edito non leguntur.

(61) II, 70, 71.

(62) II, 70.

(63) II, 49, 67.)

(64) II, 2, 24.

(65) Hunc in secundo libro ubique Marianus sequitur; cf. I, 13.

(66) II, 23. Fortasse tamen hunc locum aliosque ubi Tertullianum (a, 38), etc., affert ex fontibus suis descripsit.

(67) a. 33.

(68) p. 526 (I, 21); II, 6, 18, 19, etc. Tertio libro hunc sæpissime adhibuit.

(69) A 551, dicit : *sicut in chronica Isidori episcopi vel in expositione Melliti habetur;* alibi vero Isidorum nominat, a. 263, 321. — Codicem quo Marianus usus est agnovimus illum Parisiensem 4860, qui olim Moguntinus fuisse videtur; Chronica continet Hieronymi, Prosperi, Cassiodori, Jordanis, Melliti (hoc nomine Isidori librum inscribit), Bedæ; Dionysii, Paschasini aliorumque epistolas paschales, denique Annales Augienses cum coæva illa notitia Wilhelmi archiepiscopi Moguntini, quæ omnia a Mariano exscripta videmus. In Prosperi Chronico Marianus textum qualem hic reperimus (eumdem quem Canisius ex cod. Augustano edidit) sequitur ubique, exceptis tantum annis 466, 477, ubi vulgarem lectionem sequitur. Simili codice, ex quo hic fortasse descriptus erat, etiam Hermannum Augiensem usum esse, facile est demonstratu.

(70) A. 341 sqq., quam Theodoro episcopo tribuit.

(71) P. 511 (I, 19); II, 8.

(72) Ipsum nominat a. 496 etc.

(73) Cf. a. 725 (703), 747 (725). Liber Historiæ ecclesiasticæ Anglorum nonnunquam secunda manu laudatur; v. a. 168, 201, 416, 431, 445 n.

(74) I, 10.

(75) P. 511 (I, 22).

(76) Lib. II, passim.

(77) A. 40, sqq.

(78) A. 37, 67.

(79) A. 67 (80).

(80) A. 437. Edita est a Surio Act. SS. Aug., d. 3.

(81) I, 1, 3; cf. a. 459, 548, V, n. 26.

(82) A. 439, 466, V. n 26.

Digitized by Google

ad Hilarium papam (82*); Leonis M. epistolæ (83); Gregorii M. Dialogus (84) et homiliæ in Evangelia (85); Vita Gregorii Magni (85*); Vita S. Martini auctore Sulpitio Severo (86); Vita S. Elifii (86*). Vita S. Mauri (87); Vita S. Columbani (87*); fortasse etiam gesta S. Patricii (88); Adonis Martyrologium, ex quo paparum passiones descripsit (88*); Habuit etiam Librum Pontificalem, ex quo præsertim secundis curis multa libro inseruit (89), fortasse aliam quoque pontificum Romanorum historiam (90), certe breviorem catalogum usque ad sæc. x deductum (91). Paparum decretales epistolas ex collectione canonum Pseudo-Isidoriana sumpsisse videtur (92). Denique prima Chronici parte Pauli Diaconi tam Romanam (93) quam Langobardorum Historiam adhibuit. Magna igitur solertia priscorum temporum res investigasse eum apparet, fortasse etiam Plinium Secundum ipse evolvit (94); ubi vero ad tempora suis propiora devenit, tot fontibus minime uti potuit, sed præter Einhardi Vitam Caroli Magni, Thegani Vitam Ludovici Pii, Reginonis Chronicon (95), denique Annales Augienses (96) et Hersfeldenses (97) nullos habuit quos sequeretur. Etiam Marianus horum annorum historiæ nihil addidit nisi catalogum archiepiscoporum Moguntinorum et abbatum Fuldensium, quem ex monumentis domesticis facile colligere vel componere poterat. Nam his fontibus destitutus, nihil fere nisi brevem imperatorum, paparum (98), archiepiscoporum Moguntinorum et abbatum Fuldensium præbet notitiam; præterea inde a sæculo XI tam regum quam abbatum et monachorum Scottorum tempora recenset, denique ultimis annis res tam in Ecclesia quam in re publica actas breviter tangit. Aliis fortasse quæ tam Latine quam Irice de ejus terræ principibus refert se commendabunt, alii quod abbatum monachorumque Scottorum peregrinationes variaque ab ipsis gesta fideliter narrantur gratum acceptumque habebunt; sed ipsam historiam Germanicam non magnum ex hoc libro percepturam esse fructum, omnes libenter concedent. Sed tenendum est Marianum nullo modo sui temporis historiam conscribere voluisse, sed id unum egisse ut brevissimum rerum conspectum secundum annos recte, ut sibi videretur, dispositum ederet. Quare iis qui simile propositum habebant, maxime se commendabat, præsertim Sigeberto illi, celeberrimo sui temporis scriptori, qui non solum Mariani computandi rationem valde approbavit, sed etiam in chronographiam suam multa ex illo transtulit (99-100), codice procul dubio usus Gemblacensi, cujus supra mentionem feci (101).

In Germania Marianum a medii ævi scriptoribus raro tantum exscriptum reperi, primum in Annalibus quos dicunt Wirziburgensibus, qui in monasterio S. Albani Moguntino, ubi Mariani opus paulo post ipsius mortem recensitum atque auctum esse jam monui, ex chronico Wirziburgensi et Mariano (102) conflati sunt; postea in Annalibus S. Dysibodi, de quibus supra satis dixi.

At in Angliam translatum Mariani Chronicon, magnam apud ejus terræ scriptores auctoritatem associutum est. Primus enim Florentius Wigorniensis, cum novum chronicon scribendum susciperet, illud fundamento posuit, iis tantum quæ ad res Anglicas spectabant, additis (103); codicem secutus, nisi fallor, ipsum Cottonianum, certe ipsi valde similem, quippe cujus continuationem pariter atque ipsum

NOTÆ.

(82*) A. 554.
(83) A. 475; cf. a. 472.
(84) A. 521, sqq.
(85) II, 6, 7, 15, etc. — II, 49. Gregorius in Marcum affertur.
(85*) A. 623, 626.
(86) A. 337, 352, sqq.
(86*) A. 381.
(87) V. not. a. 625.
(87*) A. 611.
(88) A. 394, sqq. Vitam S. Patricii antiquiorem tripertitam cum Mariano conferre nequivi.
(88*) Usus sum editione Romana a. 1745. fol. Quædam quæ hic in Appendicem rejiciuntur Marianus exscripsit.
(89) Etiam alteram paparum seriem hoc duce postea adjecit.
(90) Ita a. 338 non ipsum librum pontificalem ipsi ad manus fuisse putarim. Fortasse omnia quæ prima manu de pontificibus Romanis scripta sunt ex tali libro sumpsit.
(91) Hunc catalogum fol. 16 descripsit. Inde error ortus est a. 987 (965) sqq.
(92) Equidem conciliorum collectionem regiam Parisiensem a. 1715 adhibui.
(93) II, 19, 26. Tertio libro hanc omnibus fere paginis affert, a. 384 ad ipsum Eutropium tunc vivum provocat. Fortasse etiam historiam miscellam adhibuit.
(94) I, 10.
(95 Continuationem non habuit.
(96) V. n. 69.
(97) Cf. quæ dixi Archiv. VI, p. 674. Fortasse etiam a. 934 (912), 937 (915) his usus est. Postea vero ne minima quidem eorum vestigia reperi.
(98) Eorum ordinem miro modo turbavit; sed errorem, inde natum quod post Joannem XII sex papas secunda manu interposuit (quorum tres priores, Joannem, Stephanum, Stephanum, nescio unde accepit, tres sequentes vero, Marinum, Agapitum, Octavianum, quos jam semel enumeraverat, secundo posuit), ipse sensit. *De his*, inquit a. 987 (965), *papis dubitamus*. Etiam antea a. 907 (885) Marinum et a. 912 (890) Basilium ordini intrusit.
(99-100) Hæc jam antea satis acute perspexit et exposuit v. cl. Hirsch De vita et scriptis Sigeberti p. 113-122. In Bethmanni editione, quæ typis impressa erat antequam hunc finire potui laborem, quædam quæ ex Mariano sumpta sunt non indicantur. Adde a. 1077. *Hildibrandus — contradicant, imperator — depopulatur*, a. 1079, *Heinricus — designat*, ubi pauca tantum verba Sigebertus de suo adjecit. Etiam quæ a. 1085 de Gregorii morte narrantur, ex codice Mariani Gemblacensi sumpta esse videntur: v. infra, adan. 1105.
(101) Col. 604 6. 6.
(102) Ex Mariano sunt a. 782, 792, 794 (*Fastrad t — obiit*), 798, 801, 803, 805, 813, 824, 846, 855 (*Rabanus*, etc.), 863, 868 (*Visa est*, etc.), 879, 891 (*Sunderoldus*, etc.), (927, 936, 953, 968, 970?) 1001 (*apud Mogontiacum*), 1011 et 1020, quæ de archiepiscopis Mog. leguntur.
(103) De his cf. Lappenberg Hist. Angl. I, p. LVIII.

Digitized by Google

téxtum fideliter descripserit. Florentius († 1118) A usque ad a. 1117 (1139) historiam deduxit, quam alii — 1131 (1153) et — 1154 (1178) continuarunt (104); ita vero Mariani vestigia sequi videbatur, ut Florentii Chronicon illius plerumque nomine inscribatur (105). Jam ante Florentium præsertim Robertus Herfordensis, qui sæculo XI exeunte floruit (106), Mariani opus adhibuit, non integrum tamen exscripsit sed in compendium redegit; quod nonnunquam Mariani nomine ornatur (107) Willelmum Malmesburiensem et Matthæum Westmonasteriensem Mariani opus summis laudibus extulisse jam dixi; attamen an ipsum exscripserint (108) dubito. Excerpta vero alia ex Mariano facta in bibliothecis Anglicis sæpius inveniuntur (109), quæ librum illum, quamvis non genuinum, Mariani tamen labores continentem, in plurimorum manibus versatum fuisse ostendunt.

Sæculo XV exeunte Trithemius Mariani Chronicon vidit (110); fortasse etiam Aventinus (111), præter eos vero, quod sciam, in Germania nemo, donec Heroldus, codicem Francofurtanum nactus, primam ejus partem sub Mariani nomine ederet: *Mariani Scoti — chronica —, adjecimus Martini Poloni Historiam — Omnia nunc primum in lucem edita Basileæ apud J Oporinum* (in fine legitur: *per J Parcum* 1559) fol. min.; quam editionem Pistorius (I, p. 266; ed. Struve I, p. 448) secutus est (112). Heroldus librum non ea qua par erat diligentia et religione edidit, sed textum additionibus arbitrariis auxisse B falso accusatus est (113). Nam quæcunque Mariano obtrusa videmus, in codice 3 leguntur, cujus scriptorem neutiquam Marianum transcribere sed novum chronicon condere voluisse primo patet aspectu.

Itaque Mariani Chronicon hucusque ineditum jure dicamus. Quod ut integrum edatur, multi nobiscum optabunt (114); neque tamen in hac scriptorum rerum Germanicarum collectione fieri potuit, cui nonnisi tertium librum inserendum duximus, quippe qui, disquisitionibus longioribus secundo libro absolutis, rerum gestarum contineat narrationem inde a Christo nato incipientem, et multas ob causas nobis aliisque utilem.

In hac vero editione adornanda quam accuratissime codicem secutus sum Romanum, cujus ultimam partem (inde ab a. 741) jam ante aliquot annos V. cl. Heyse cum editis contulerat, quam nunc autem vir doctissimus et amicissimus Giesebrecht, dum Romæ versatur nova ad historiam Gregorii VII historiam illustrandam subsidia collecturus, accuratissime examinavit, et partim descripsit, partim edito textui emendando adhibuit. Quæ prima manus scripserit Mariano deberi, ipsi persuasum esse lectores latere nolo; et quamvis vix et ne vix quidem adducar ut idem statuam, accuratissime tamen et religiosissime tantum non omnia verba ex codice exprimenda curavi; et quæcunque a cunda manu sive in textu sive in margine addita sunt uncis inclusi (115). Singularem codicis orthogra-

NOTÆ.

(104) Ita fortasse Ordericus hunc librum vidit, qui C dicit (l. l.) Joannem Wigornensem jussu Wlstani episcopi acta fere centum annorum contexuisse et Mariani Chronicis inseruisse: in « quibus multa de Romanis et Francis et Alamannis aliisque gentibus quæ aguovit utiliter et compendiose narratione digna reseravit. » Hunc se Wigornæ in Anglia vidisse testatur.

(105) Ita codices plerique qui in bibliothecis Anglicis exstant Florentium continent; cum contin. — 1131 (1154): Londin. Lambeth Arch. VII, 83. Oxford Corpus Christi Arch. IV, 112; VII, 94 (utroque codice in nova editione Florentii (v. infra) Petrie usus est). Bodlei. 2468. Arch. IV, 112; VII, 90; — et contin. — 1154 (1178): Bodlei. 2182. Arch. VII, 90. De codice Cantabrigiensi s. XI (Arch. III, 442. Arch. VII, 86) et Middlehillensi (Arch. VII, 96) nihil compertum habeo; neque illum novi Oxoniensem coll. Magdalen., in quo Rogerius de Hoveden (de cujus opere cf. Lappenberg l. l. p. LXI) Marianum continuasse dicitur (Arch. VII, 95). Etiam Henrici Huntodonensis Historiam Mariani nomine inscriptam inveniri, codex ostendit Londiniensis; Arundel 46 (Arch. VIII, p. 754).

(106) Cf. Willelmum Malmesbur., IV.

(107) In codice Cottoniano ita: *Incipit liber Mariani Scotti genere exceptum de evangelistarum voluminibus sive doctoribus;* in Bodleiano vero rectius ita: *Incipit exceptio Rodberti Herefordensis episcopi de chronica Mariniani.* Hæc ex apographo Vratislaviensi sumpsi. Cf. Steuzel Arch. IV, p. 118.

(108) Quod Matthæum fecisse Lappenberg l. l., p. LXV, contendit.

(109) Cf. quæ collegit Stenzel Arch. IV, p. 116.— Angli cujusdam, collegii Mertonensis in academia Oxoniensi alumni, opus contra Mariani errores scriptum, quod ex Pithœo (de SS. Anglis) laudant Vossius, l. l., et Struvius, p. 447, recentioris ævi esse videtur.

(110) Non solum librorum initia enotavit (de SS. eccl., c. 40), sed etiam ex ipso Chronico quædam exscripsit; v. Chr. Hirs., a. 104, de Animchado Scoto (Quæ vero ibidem de Claro monacho affert ad Marianum provocans: *Multa de hoc sanctissimo viro in suis compilationibus Marianus Scotus monachus Fuldensis et alia miracula de sanctis qui suo tempore claruerunt*, ibi minime leguntur), a. 1062. Male (*De SS. eccl.*, l. l.) libros de concordantia evangelistarum et de computo a Chronico discernit, cum nonnisi partes istius efficiant. Ille tamen interdum separatim descriptus esse videtur. Talem enim affert codicem Cave (SS. eccl. Basil. 1745, II, p. 144) Cotton. E. 4, n. 26, nunc ita adustum, ut præter Bedam de ratione temporis nihil discerni possit (Catal. of the Cotton. mss., p. 40).

(111) V. supra n. 25.

(112) Excerpta inde sumpta v. ap. Bouquet V, D 368-370; VI, 227; VII, 241; VIII. 269; XI, 73.

(113) Etiam a Stenzelio, Frank. Kaiser I. p. 136.

(114) De Mariani editione cogitarunt Miræus, Schottus, Usserius, Vossius, Wadingus, Hasius; cf. locos a Stenzelio collectos, Arch. IV, p. 106-117. Et ipsum ill. Stenzelium ab hoc consilio recessisse, mecum omnes dolebunt.

(115) Hinc inde etiam quæ prima manus postea adjecit, sed tum in notis monui hæ ubi et a quo scripta sint. Sed manus secunda in margine superiore et inferiore ea quoque scripsit quæ cum Chronico nullo modo cohærent, sed in alium usum ab auctore notata sunt, præsertim excerpta ex decretalibus pontificum Romanorum epistolis. Hæc omisi. Quod ne lectores miremur, unum alterumve locum afferam: f. 101, ubi tertius liber incipit hæc leguntur VIII *Id. Aug., feria* 2: *Ecce ego pluam panem*

Digitized by Google

phiam Mariano tribuendam esse, et ipse puto, eamque corrigere nolui. Quæ ne lectorem nimis offendat, quædam hoc loco monenda sunt. Scribitur modo duplex littera pro simplici (*occuli, deffectio, martirologgium, civille, tulli, appollogeticum*, præsertim *ss* pro *s* : *cassus, Cæssar, Dionissius, divissio, misser, occissus, vissus, quassi, ressurrectio, ducentissimus, millessimus* et alia multa, etiam *uu* pro *u* : *manuus, Asiniuus, ii* pro *i* : *imbrii*); modo simplex pro duplici (*efectus, Apia, suplicium, occurere, misio, pasio, possesio, posidet, grasari, scripsise, disperaset*); *b* pro *v* (*Libius, labaretur*); *v* pro *b* (*favæ, -vit* pro *-bit*); *st* pro *z* (*Stacheus*, pro Zacheus, *Stenno* pro *Zeno*), et *z* pro *st* (*evangeliza, Zeppanus* pro *Stephanus*); *e* pro *i* (*prespeter, demedius, marteribus, exteterunt*), et *i* pro *e* (*disertum, disperare, comidebant, moriretur, inspiciret, terrimotus*); etiam *ie* vel *ei* pro *i* vel *e* (*scribiens, preleio*); nonnunquam *e* vel *i* additur (*thermeæ, pupilice i. e. publice*). Singularis est litteræ *a* usus, quæ pro *e, i, o* et interdum sine ulla causa ponitur (*Alaxandria, Gallianus* et *Galleianus, adjactio, centias, muliare, libare; aparatione* pro *apparitione, margano* pro *margine; Constantinapolis, videabaris, conhoartatur, Ticianum, Nicomedenasis* pro *Nicomediensis, Laudacia* pro *Laodicea*). Ut in ultimo vocabulo ita etiam alibi *u* pro *o* ponitur *consulatus* pro *consolatus*), nisi hæc magis calami errori tribueris. Certe alia quæ inveniuntur vel hoc modo explicaverim vel verborum abbreviandorum causa scripta esse putarim, ea præsertim ubi syllaba antecedenti similis omittitur (*testa, vasta*, pro *testata, vastata, deputi* pro *deputati, superstio* pro *superstitio*). In aliis tamen ita sibi constat ut hæc consilio sic scripta esse negari vix possit (e. c. *sangis linga; eugenium* pro *evangelium* sæpius legitur et fortasse sic ab auctore pronuntiatum est). Certam regulam sequitur, ubi pro *ii* in genitivo, ablativo, etc., *i* dicit (*Juli, Antoni, Arri, Dionissi, euangeli, demedi* pro *dimidii; operaris*). Sed leguntur etiam quæ contra leges linguæ Latinæ valde peccant et quæ num auctori an scribæ imputem dubius hæreo. Quare id consilii tenui ut nonnisi fœdissimos et apertissimos errores emendarem, præterea codicis lectione servata hinc inde indicarem quæ legi debeant; id quod fontibus ubique indagatis et collatis etiam alibi facere poteram, sed ne longior essem prætermisi. Ideo etiam quæ codices 2 et 3 emendaverunt rarius indicavi. Additiones codicis 3 afferre nolui, quæ vero in 2, 2*, 2**, leguntur necnon continuationem brevem ex 2 edidi. Codicis enim Cottoniani (2) exemplum partim V. D. Faerberus impensis societatis nostræ fecit, partim jam ab Ussero in usus J. Vossii descriptum, et nunc in bibliotheca universitatis Vratislaviensis asservatum, inde benevolentia V. Cl. Elvenich bibliothecæ præfecti accepimus. Idem volumen (116) continet Heroldi editionem ex codice Gemblacensi (2*) a Schottio, post etiam e Francofurtano (3), ut videtur, sed satis negligenter emendatam. Leodiensem (2**) Bethmannus noster accuratius descripsit, et quæ maximi momenti erant cum editis comparavit. Francofurtensem (3) V. cl. Bohmerus benevole Hannoveram transmisit, ita ut hoc libro ipse uti potuerim (117); sed rarius ejus habui rationem, alio quodam hujus collectionis volumine Annales S. Dysibodi inde editurus, qui huc non pertinere videbantur. Quæ vero in Florentii Chronico ejusque continuatione (118) ad historiam Germanicam illustrandam faciunt, hoc loco addere placuit.

Dabam Kiliæ Kal. Maii 1844. G. Waitz.

NOTÆ.

de celo, et reliqua. B. Per hoc quod dicitur in sexto die colligent duplum, ostenditur quod in dominico die primum manna datum est de celo, a dominico enim die sextus est sabbatum, panis ergo vivus dominico die quasi pluia in vellus (l. *pluvia in tellus*) *descendit;* fol. 106; in marg. superiore : *Pars quinta K. XXXIV. Innocentii pape K. LII. Ut si quis cathecuminus habuerit uxorem, et defuncta ea post baptismum acceperit alteram, clericus esse non poterit. Nuptiarum copula, quia Dei mandato perficitur, non est peccatum, et ideo solvi inter peccata in baptismo non potest. Bigamus et nisi unius uxoris virginis vir secundum apostolum ad presbeteratum vel ad clericatum admiti non potest. In canone apostolorum K. XVII. in parte V^a K. XXXII. Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus, non presbiter, nec diaconus, aut prorsus ex numero eorum qui ministerio sacro deserviunt.* Ibidem in marg. inferiore : *Gregorius in vita sua sic : Si in sacro ordine constitutus feminæ te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotis honore deposito ad ministrandum nullo modo presumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculo ministrare et Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem permanere volueris. Item Gregorius : Florentium diaconum æclesiæ Ravennatis, qui electus ab omnibus memoratur, si tactis sacrosanctis evangeliis, sicut nobis nuntiatum est, jusjurandum præbuit,* etc.

(116) Ex Vossii libraria in Blondelli, postea in Burmanni venit bibliothecam, inde Francofurtum ad Viadrum, denique Vratislaviam. De quo egerunt Hausen, De antiquissimo codice chronici Mariani Scotti Gemblacensi exemploque ejus Schottiano ad edendum parato. Dessaviæ 1782, 4, et accuratius Stenzel; Arch. II, p. 105-111.

(117) Præterea Mariani codices nullos novi; Anglicos qui Florentium vel alios posterioris temporis chronographos continent, supra recensui. Gallici qui hoc nomine inscribuntur, Robertum Antissiodorensem S. Mariani monachum continent; cf. Archiv. VII, p. 195. Huc etiam liber comitis Forbin. (*Arch.* I, p. 64) pertinere videtur.

(118) Usus sum editione Francofurtensi 1601, fol. Nova editio a Petri curata (*Materials for the history of Brit.* I.), quam unquam prodituram esse jam vix sperandum est, a V. Cl. Lappenberg mecum communicata est, sed ultra a. 1066 non procedit.

Digitized by Google

MARIANI SCOTTI CHRONICON

EDENTE G. WAITZ PROF. PUBL. KILIONENSI.

(Apud PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. V, 495.)

INCIPIT HINC MARIANI SCOTI CRONICA CLARA.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI (*fol.* 27).

1. De disputatione Dionissi Exigui supra passionem et resurrectionem Christi.
2. De ratione evangelica contra eum.
3. De inquisitione capitis mundi, et primæ hebdomadæ initii sæculi.
4. De pascali ordinatione et de pasione et de resurrectione Dominica argumentatæ et inquisitæ a capite mundi.
5. De contradictione earum secundum auctoritatem Bedæ in ordinatione paschali.
6. De capite mundi, ubi sit juxta Bedam.
7. De anno magno ex concurrentibus composito a Beda, ut ostenderet diversitatem cronicarum atque historicorum in nativitate et passione resurrectioneque Christi, et de tractatione ejusdem magni anni.
8. De capite mundi et indictionibus ac ciclis magnis annisque inde usque ad incarnationem juxta Dionissium et in presentem diem.
9. De septem diebus primis secundum solem et lunam ac feriam, et de formatione rerum creaturarum [14] septem diebus, de informi materia.
10. De cassura primi Adæ, et de emendatione triplici cassuræ ejusdem per secundum Adam per Christum eodem ordine et in eadem feria et annis a cassura et a capite mundi usque ad incarnationem et passionem Domini, in eadem feria cassuræ [15].
11. De prima ætate sæculi a prima ejusdem die, hoc est quinto decimo Kalendarum Aprilium feria prima incipiente, et per annos singulos ordinate a nativitate patrum usque ad filios pertranscursa; et de obitu patriarcharum in ea usque in diluvium et egressum Noe de archa.
12. De secunda ætate sæculi, predicto ordine patrum et filiorum usque ad Abaræ nativitatem.
13. De emendatione sancti Augustini in secunda ætate [16], teste Beda.
14. De damno ejusdem ætatis [17] secundæ invento, secundum Lucam evangelizam.
15. De divissione terræ inter filios Noe, de linguis et generationibus et turre Nebrod.
16. De tertia ætate juxta ordinem per patriarchas et duces ab Abaram usque ad David.
17. De quarta ætate ordinate per patres et filios a David usque captivitatem et combustionem templi Salemonis.
18. De tractatione sancti Hironimi supputando a sexto anno Ezechiæ usque Assuerum.
19. De festis diebus legis et de tempore combutionis [18] templi Salemonis a Nabcodonozor secundum Ilisidorum et Hieronimum.
20. De quinta ætate ordinate a combustione templi usque ad incarnationem Christi octavo die Kalendarum Aprilium feria sexta, annuntiante Gabriele archangelo sanctæ Mariæ.
21. De supputatione sancti Bedæ in eadem ætate numerans septuaginta hebdomadas, hoc est annos quadringentos septuaginta quinque ab anno vigessimo Artaxersis usque ad Christum.
22. De annis singulis sub consulibus suis a Julio Cessare usque ad Christum.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI, QUI EST INCARNATIONIS USQUE IN ASCENSIONEM DOMINI (*fol.* 28).

1. De inquisitione nativitatis Joannis babtistæ duce æcclesiastica auctoritate.
2. De solutione questionis ejusdem.
3. De annuntiatione incarnationis Christi ad sanctam Mariam octavo die Kalendarum Aprilium feria sexta per Gabrielem archangelum, et egressu sanctæ Mariæ ad Elizabeth, manens apud eam usque in nativitatem Joannis babtistæ.
4. De anno regni ac cicli decennovennalis et indictione convenienteque luna conceptionis Dominicæ secundum legem.
5. De congruitate incarnationis et redemptionis per secundum Adam in eadem feria sexta et in die mensis solaris ad easdem in quibus primus Adam creatus et transgressus est.

VARIÆ LECTIONES.

[14] *ita c. pro* creatarum. [15] cassuræ *eadem manu, sed atramento pallidiore post additum videtur, quod signum interpunctionis post* feria *positum confirmat.* [16] eatate l. [17] eatis l. [18] *ita cod. pro* combustionis.

Digitized by Google

6. De nativitate Domini in Bethelem et congrua indictione nativitatis ejus.
7. Quomodo trigintaduorum annorum ac demedi [19] anni necnon triginta quatuor annorum teste scriptura Dominus passus sit, et qualiter secundum Olympiades vel annos regum hoc potest fieri, si in trigessimo et in trigassimo primo suo anno fuit babtizatus, quomodo triginta duorum annorum et demedi [19] anni secundum evangelium Joannis, aut triginta quatuor annorum juxta apocolipsim [20] passus.
8. De solutione quæstionis, et quod Beda secundum Ebraicam unitatem [21], Olympiades vero [22] juxta septuaginta interpretes computatur [23].
9. De gestis et tempore nativitatis Domini usque ad mortem Herodis.
10. De reversione Domini ex Egipto precepto angelico.
11. De remansione Domini in Hierusalem nescientibus parentibus ejus, et de morte Octaviani Cessaris.
12. De Tiberio Cessare ejusque annis, et Domini incursu [24].
13. De anno quinto decimo imperii Tiberii, et pontificibus ejus, tractante Beda.
14. De concordia evangelistarum [25] secundum Augustinum in verbis Joannis babtistæ et Domini.
15. De anno trigesimo babtismi Domini, de [26] columba et cætu, secundum sanctum Gregorium.
16. De tractatione sancti Hieronimi in Ezechielem prophetam in anno et in mense babtismatis Domini.
17. Item sanctus Augustinus de eodem anno Ezecelis et Christi, et verbis Patris in babtisma de Filio.
18. De inquisitione anni babtismatis Domini hoc est quinto decimi [27] Tiberii juxta cronicam Eusebii vel Bedæ, supputando ab ipso quinto decimo anno et babtisma Domini [28] secundum ipsas cronicas usque ad ipsum Bedam.
19. De argumentatione erroris predictarum cronicarum supputationis etiam ex ipsis cronicis inquisiti.
20. De inquisitione anni resurrectionis Domini secundum Bedam, et testimonio Bedæ latenter, quod in eodem anno Dominus in octavo die Kalendarum Aprilium resurrexit a mortuis.
21. De offensione predictæ rationis [29].
22. De resurrectione Christi in sexto die Kalendarum Aprilium, teste Beda juxta historiam sancti evangeli, et inquirens ab initio mundi.
23. Cur resurrectio in octavo Kalendarum Aprilium potius quam in sexto Kalendarum Aprilium putatur.
24. De passione in octavo Kalendarum Aprilium, et resurrectione in sexto Kalendarum Aprilium, secundum sanctum Hironimum.
25. De eadem re sicut tractat sanctus Augustinus in libro quarto sanctæ Trinitatis, et quomodo tribus diebus atque tribus noctibus fuit Dominus in sepulcro.
26. De testimonio sancti Hironimi, quod Eusebius in sua cronica multa pretermissit, de quibus ipse Hieronimus nonnulla, cum eam transtulisset, adjecit.
27. De babtizato Domino octavo Idus Januarii in dominico die epifaniæ, et egressu ejus in heri mum crastino die feria secunda jejunaturus quadraginta diebus et noctibus, et de victoria Domini de diabulo feria sexta in die quadragessimo sui jejunii in gula ac vana gloria atque avaritia, in quibus diabolus primum Adam eadem feria prostravit, et de [30] pascha ejusdem anni babtismatis Domini.
28. De prima cognitione Domini a sancto Andrea et Simone, eo vocato primum tunc nomine Petro, et de vocatione sancti Philiphi et de Nathanili.
29. De prima sed separabili Petri et Andreæ filiorumque Zebedei vocatione.
30. De inseparabile vocatione apostolorum, et vocatione Domini matrisque ejus cum discipulis suis ad nuptias, et quod in ephifania nuptiæ sunt factæ.
31. De pascha et de ejectis mercatoribus de templo, Joanne non adhuc misso in carcerem.
32. De transitu Domini per Samariam, sedens et sitiens super puteum in civitate Samariæ Sichar, et in Galilea transiens [31] sanavit filium reguli credentis cum tota sua [32] domu.
33. De secunda ascensione Domini in Hierusalem, quassi in secundo pascha, sanans paraliticum.
34. De sanitate hominis in sinagoga a spiritu immundo [33], et socrus Petri a febre.
35. De electione duodecim apostolorum, et sermone beatitudinum sedendo in monte, et simili sermone stando in loco campestri et de leproso mundato.
36. De centurione et servo ejus sanato, et de scriba.
37. De transitu Domini trans fretum mutatum [34], et de verbis fidei, et de cecis et porcis.
38. De reversione Domini trans fretum, et paralitico sanato, et de civitate Domini.

VARIÆ LECTIONES.

[19] *i. e.* dimidii. [20] apocolipsi *legitur, sed littera una litura absumpta est* 1. [21] *lege* veritatem. [22] vero *post additum est* 1. [23] computatur *scriptum erat, sed* ur *litura deletum est* 1. [24] c. *post infra scriptum est* 1. [25] *ita sæpius pro* evangel. 1. [26] de *post add.* 1. [27] *ita cod.* 1? [28] *post add.* 1. [29] mundi *add.* 2. [30] *post add.* 1. [31] *post add.* 1. [32] domu sua *scriptum est* 1., *sed signis ostensum verba esse transponenda, quod aliis quoque locis occurrit.* [33] *suppla* vexati *quod in apographo cod.* 2. *post additum est.* [34] freto motato, *post correcta in* fretum mutatum 1.

Digitized by Google

59. De vocatione Mathei apostoli, et calumnia manducandi et bibendi cum puplicanis.
40. De filia Jari resuscitata, et de muliare [35] duodecim annis in fluxu sanguinis curata.
41. De duobus cecis et Beelzepub [36], et predicatione Christi, sanans omnem langorem et infirmitatem, de messe et operaris et de misione [37] 12 apostolorum ad predicandum, data ipsis potestate immundorum spirituum.
42. De nominibus 12 apostolorum secundum ordinem, et de virga portanda et non portanda.
43. De predicatione Christi post missionem 12 apostolorum, et filio viduæ resuscitato, et de missione duorum discipulorum a Johanne vincto ad Jesum.
44. De phariseo rogante Dominum ad mensam, et Maria Magdalena, et de albastro.
45. De Domino exprobrante civitatibus, et confessione, et de spicis in sabato.
46. De manu arida sanata juxta concordiam quatuor evangelizarum.
47. De phariseis et Herodianis, et demonatico ceco et muto sanato.
48. De Herode et passione sancti Johannis baptizæ, de miraculo quinque panum et duorum piscium, de pascha, et de loco decollationis et sepulturæ Johannis.
49. De ambulatione Domini et Petri super undas navigantes trans fretum Genesar [quarta [38] vigilia noctis, et de pascha et miraculo panum et piscium].
50. De Cananea muliere et filia ejus sanata, de surdo et muto, et refectione quatuor millium de septem panibus et paucis piscibus, et de ceco illuminato, secundum Marcum.
51. De interrogatione Domini, de discipulis suis, de contradictione Petri, et transfiguratione Domini, de Moisi et Helia, et lunatico.
52. De adventu Domini a Galilea in Judeam, et de uxore demittenda.
53. De parvulis et operaris in vineam, de bono, et reversione Domini in Galileam.
54. De festivitate scenophegiæ.
55. De encenia solemnitate.
56. De Lazaro resuscitato veniente Domino a Galilea in Hierusalem, et de uno ceco sanato secundum Lucam cum adpropincaset Dominus Hiericho, et duobus cecis sanatis secundum alios egrediente Domino ab Hiericho, de Stacheo [39] et parabulis.
57. De adventu Domini in Bethaniam sabbato ante sex dies paschæ, et crastino in palmis luna decima in Hierusalem.
58. De gestis primæ et secundæ tertiæque [40] feriæ juxta ordinem [41], aliisque multis.
59. De biduo ante paschæ, id est quarta feria.
60. De primo die azimorum, hoc est quinta feria.
61. De cena Domini.
62. De imno [42] dicto et egressu Domini in Getsamani ubi tentus est, de gestis ejusdem noctis, et denegatione Petri juxta ordinem,
63. De gestis diei passionis Christi et sepulturæ ejus et lintheaminibus.
64. De monumento Domini, et mulieribus et custodibus sepuleri.
65. De vespere sabbbati quæ lucescit in prima sabati sexto die Kalendarum Aprilium, luna septima decima, in qua Christus resurrexit a mortuis, et de gestis ipsius diei, ordinate sicut tractat sanctus Augustinus juxta concordiam quatuor evangelizarum.
66. De testimonio evangelizarum et sancti Pauli apostoli in epistola ad Corintheos in aparatione [43] Domini, juxta Augustinum.
67. De ambulatione Domini in Galilea corporaliter, tractante Augustino.
68. Quot vicibus post resurrectionem suam in terra et in cælo vissus est Dominus, tractante Augustino juxta quatuor evangelizas sanctumque Paulum.
69. De misterio verborum Domini quibus dixit « Præcedam vos in Galileam, » tractante sancto Augustino.
70. De passione sancti Petri et de ordinatione sancti Clementis.
71. De passione sancti Pauli [apostoli [44]].
72. De passione sancti Andreæ [apostoli [44]].
73. De passione sancti Jacobi apostoli filii Zebedei.
74. De dormitatione sancti Johannis evangelizæ.
75 De passione sancti Philipi apostoli [45].
76. De passione sancti Bartolomei.
77. De passione sancti Thomæ.
78. De passione sanctissimi Mathei,
79. De passione sancti Jacobi fratris Domini.
80. De passione sancti Tathei.
81. De passione sancti Simonis Cannanei.
82. De obitu sancti Mathiæ apostoli.
83. De septem diaconibus ordinatis ab apostolis [46].

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII [47].

1. De nativitate Domini, et de annis ejus qui semper mineo colore inscribuntur, et de annis Octaviani Cessaris nigro colore simul ordinate in concursu conscriptis, sub consulibus pro-

VARIÆ LECTIONES.

[35] *i. e.* muliere. [36] Belzpub; *postea litera* E *bis suprascripta est* 1. [37] demissione 1. [38] *Inclusa post. in margine altera manu addita sunt* 1. [39] *pro* Zacheo. [40] que *post add.* 1. [41] ordinem *in margine post add.* 1. [42] *i. e.* hymno. [43] *pro* apparitione. [44] *post add. altera manu* 1. [45] *hæc prima manu summo in margine adjecta sunt, signo posito post cap.* LXXIIII. [46] *hæc prima manu infimo in margine adjecta sunt, signo apposito, quo his verbis locus suus monstretur* 1. [47] *Sequentia etiam in* 3 *leguntur, ubi multa mutantur. Inscriptio :* Incipiunt capitula libri sequentis.

Digitized by Google

priis [48] secundum Cassiodorum, gestisque certis uniuscujusque anni usque in mortem Octaviani, et [49] tunc ante Tiberium sicut ante unumquemque regem postea habebitur summa collecta annorum incarnationis a nativitate Domini usque in finem regni ejusdem regis titulatus.

2. De Tiberio ejusque annis nigro colore, dominicis autem annis mineo colore sub consulibus et gestis propriis ordine predicto uniuscujusque anni usque in annum nonum decimum incarnationis, Tiberii vero tertium, ubi incipit incarnatio juxta cronicas Eusebii et Bedæ prespeteri, et usque in annum vigessimum tertium incarnationis, Tiberii vero septimum, ubi incipit incarnatio secundum Dionissium, quæ inde nigro colore conscribitur in margano [50] semper sub dextera manu. Reges quoque in eadem incarnatione inscripti, sicut secundum Eusebii Bedæque cronicas regnaverunt, ordinate e regione ad annos singulos incarnationis juxta historiam sacri evangelii in margano semper sub sinistra manu, et contra predictos eosdem reges in hac quoque incarnatione inscriptos, sicut vere regnaverunt, ad ostendendum [51] erroris cronicarum annorumque incarnationis juxta Dionissium, et usque ad annum quintum decimum imperii Tiberii.

3. De anno quinto decimo Tiberii, de Johanne et Domino ab eo babtizato, secundum quatuor evangelizas, Augustino teste, de jejunio [52] Domini et victoria ejus, de diabulo, de predicatione Christi, et passione Johannis babtistæ.

4. De passione Domini et miraculis in passione, de ordinatione Jacobi primi episcopi, de passione sancti Stephani, et conversione sancti Pauli, et adventu ejus in Hierusalem, manens apud [53] sanctum Petrum diebus quindecim, et reliqua usque ad Claudium.

5. De Claudio, de fame et passione Jacobii filii Zebedei, de carcere sancti Petri, de secunda ascensione sancti Pauli in Hierusalem anno quarto decimo conversionis suæ loquens cum sancto Petro, de adventu sancti Petri ad Romam, et reliqua usque ad Neronem.

6. De Nerone, et sancto Paulo vincto ad Romam misso, de passione sancti Jacobi fratris Domini, de resurrextione Christi in octavo Kalendarum Aprilium sicut Beda putat, de Marco evangeliza et passione ejus, de passione Petri et Pauli, de Clemente papa et decretali epistola ejus ad sanctum Jacobum fratrem Domini, de martiribus sub Nerone passis, et de morte Neronis.

7. De Galba ipsiusque imperio et morte.

8. De Othone et ejus imperio et morte.

9. De Vitellio, de imperio obituque ejusdem, teste Josepho tunc presente.

10. De Vespasiano [54], et destructione Hierusalem.

11. De Tito et consulibus gestisque sub ipso.

12. De Domitiano imperatore, de Ancleto papa et decretalibus epistolis ejus, de sancto Johanne in ferventis olei dolium misso et relegato in Pathmum insulam, ubi apocalipsim vidit.

13. De Nerva imperatore, de reversione sancti Johannis in Ephesum scribiens eugelium, et de martiribus.

14. De Traiano imperatore, de dormitione sancti Johannis, et de martiribus.

15. De Adriano imperatore, de Sixto papa et decreto ejus in missa, de Thelesforo papa et decreto ejus, et de martiribus.

16. De Antonino imperatore, et de Igino papa et decreto ejus, de Pio papa, et de precepto angelico de pascha, de Aniceto papa et decreto ejus.

17. De Marco imperatore, de Sothero papa et decreto ejus et de martiribus.

18. De Commodo imperatore, de Victore papa et decreto ejus, et de pascha.

19. De Helio imperatore et de consulibus et gestis sub ipso.

20. De Juliano imperatore, teste Orosio.

21. De Severo imperatore, de Zepherino papa et decreto ejus.

22. De Carcalla [55] imperatore et nomine ejus

23. De Macrino imperatore, de Calisto papa et decreto ejus.

24. De Marco Aurelio imperatore.

25. De Aurelio Alexandro imperatore, de Urbano papa et decreto ejus, et de martiribus.

26. De Maximino imperatore, de Antero papa et decreto ejus, de Fabiano papa et decreto ejus.

27. De Gordiano imperatore, de consulibus et gestis sub eo.

28. De Philippho primum imperatore credente Christo, de anno millessimo conditionis urbis Romæ sub ipso completo, teste omne historico, de decreto Fabiani papæ.

29. De Decio imperatore, de Cornelio papa et decreto et passione ejus, et de martiribus.

30. De Gallo et Volusiano imperatoribus, de Lucio papa et decreto ejus et passione ejus.

31. De Emiliano imperatore trium mensium.

32. De Valeriano et Gallieno imperatoribus, de Stephano papa et decreto et passione ejus et sancti Laurentii cum aliis, de Dionisio papa et decreto ejus, et de martiribus.

33. De Claudio imperatore, et de Felici papa et decreto ejus, et de marteribus [56]

VARIÆ LECTIONES.

[48] *deest* 2. [49] *prima manus post* Octaviani *pergit* tunc, *postea littera* e *adjecta est*. [50] *pro* margine. [51] ostendum 1. [52] junio *corr.* jejunio 1. [53] *post add.* 1. [54] Vespasino, a *post superscriptum est* 1. [55] caricalla 3. [56] *ita* 1. *ubi cap.* 55. *prima manu in margine adscriptum est.*

Digitized by Google

34. De Quintilio imperatore 17 dierum, de Euti chiano et decreto ejus.
35. De Aurelliano imperatore, et Gaio papa et mar teribus.
36. De Tacito imperatore et consulibus et gestis sub eo.
37. De Floriano imperatore nonaginta dierum.
38. De Probo imperatore et consulibus et gestis sub eo.
39. De Caro et Carino imperatoribus et consulibus et gestis sub eis.
40. De Diocletiano imperatore, de Gaio papa et decreto ejus, de Marcellino papa atque de Marcello papa et decreto ejus.
41. De Galerio imperatore, et de Milciade papa et decreto ejus, et de marteribus.
42. De Constantino imperatore, de Silvestro papa et decreto ejus, de Niceno concilio et fide catholica in tempore istorum, de Theodoro episcopo scribente ecclesiasticam historiam, de cruce et de morte Arri heretici, de epistola Athanasi episcopi ad Marcum papam et de rescriptione Marci ad Athanasium, et de obitu Constantini.
43. De Constantino et Constantio et Constante imperatoribus, et de testimonio sancti Juli papæ, de anno quarto eorum indictione sexta, et de morte Antoni monachi, de sacris reliquiis sancti Timothei et sancti Andreæ apostolorum et sancti evangelizæ Lucæ Constantinopolim invectis, de obitu Constantini, secundum Theodorum episcopum predictum.
44. De Juliano imperatore, de templo Hierusolimis ipsius precepto in odium Christi constructo, et de miraculis inde, de misserrima morte ejus, teste Theodoro episcopo.
45. De Joviano [57] imperatore et obitu ejus, Theodoro episcopo [teste [58]].
46. De Valentiniano imperatore, de monachis, et de obitu Valentiniani, teste Theodoro episcopo.
47. De Valente imperatore et consulibus et gestis sub eo.
48. De Gratiano imperatore et consulibus et gestis sub ipso.
49. De Theodosio imperatore et obitu ejus, teste Theodoro episcopo.
50. De Arcadio imperatore [59].
51. De Honorio imperatore, et testimonio Luciani viventis tunc, de anno septimo Honorii, de testimonio Paschassimi episcopi ad sanctum papam Leonem, de consulibus et pascha et miraculo in pascha anno nono Honorii sub Zosimo papa, de Celestino papa et decreto ejus [60]. In his temporibus sanctus Patricius refulget virtutibus in Hibernia. Sanctissima virgo Brigita in Hibernia mirabilibus ludit.
52. De Theodossio imperatore, de pascha anni vigessimi primi ejus, de epistola Pascassini episcopi ad papam Leonem, de pascha ejusdem anni, et de consulibus anni quarti decimi Theodosii, usque ad Marcianum [61]. Cronica Eusebii vel Bedæ contradicunt incarnationi secundum historiam sancti evangelii, deinde consentiunt.
53. De Marciano imperatore, de consulibus, et pascha anni quarti et quinti et sexti Marciani, teste sancto papa Leone, et predatione urbis Romæ.
54. De Leone imperatore et consulibus et gestis sub ipso.
55. De Leone juniore imperatore, teste Jordane episcopo qui tunc cronicam compossuit.
56. De Stennone imperatore et consulibus et gestis sub eo.
57. De Anastasio imperatore consulibus et gestis et papis.
58. De Justino imperatore, et consulibus et gestis et papis.
59. De Justiniano imperatore annisque quinque ejus sub consulibus, et gestis usque ad ciclum Dionissi, id est ad sextum annum [62] hujus Justiniani, teste Beda.
60. De sexto anno Justiniani, et testimonio Bedæ juxta Eusebii et suam cronicam, quod est ipse idem annus ducentissimus quadragessimus octavus Diocletiani imperatoris, de supputatione istorum ducentorum quadraginta octo annorum, ex ipso eodem anno sexto Justiniani, hoc est primo anno ciclorum Dionissi, a nobis supra versus usque ad Diocletianum juxta cronicas predictas Eusebii et Bedæ, atque a Diocletiano iterum retrorsum usque in annum prædictum sextum Justiniani secundum testimonium scripturæ et paparum et episcoporum qui tunc vixerunt, ubi septem anni inveniuntur qui desunt in predictis cronicis per octo ciclos decennovennales, hoc est a Constantino Magno usque ad Marcianum et postea ordinate usque ad Justinum.
61. De Justino imperatore et gestis sub eo.
62. De Tiberio imperatore.
63. De Mauritio imperatore, et de anno ejus tertio decimo indictione tertia decima, annoque octavo decimo indictione quarta, teste Beda, de sancto Gregorio papa et decreto ejus in missa. Tunc

VARIÆ LECTIONES.

[57] Iviano *suprascripto* o. l. [58] *altera manu post add. in margine* l. [59] *prima manu in margine adscriptum est hoc capitulum* l. [60] *Infimo in margine signum post* ejus *posito, adjiciuntur prima manu hæc verba :* in his temporibus — Hibernia, *post* Hibernia *novo signo posito, cui in contextu nullum respondet, adduntur eadem manu :* Sanctissima virgo — ludit. [61] cianum *et sequentia leguntur in summo margine prima manu scripta, et signo apposito ostenditur, ubi locus eorum sit* l. [62] *deest in textu, post in margine altera manu additum* l.

Digitized by Google

sanctus pater Columbanus ex nostra sanctissima insula Hibernia, quæ insula Scotorum [63] nominatur, cum sancto Gallo et aliis probatis discipulis in Burgondiam venit, et in his temporibus fuit Columba Bætinique [64] in Scotia.

64. De Focca imperatore et [64] * imagine ejus.

65. De [65] Heraclio imperatore, et de anno ejus sexto decimo indictione quinta decima, teste Beda.

66. De [66] Heraclio imperatore, et de hereticis.

67. De [67] Constantino imperatore.

68. De Constantino imperatore, et de anno ejus nono indictione septima, teste Beda.

69. De Constantino imperatore et sex sinodis.

70. De Justiniano imperatore.

71. De Leone imperatore.

72. De Tiberio imperatore, et de testimonio Bedæ in anno incarnationis secundum Dionysium et indictione quinti anni Tiberii.

73. De Justiniano imperatore.

74. De Philipico imperatore.

75. De Anastasio imperatore, et de Gregorio papa et decreto ejus.

76. De Theodosio imperatore.

A 77. De Leone imperatore, et de Gregorio papa et decreto ejus.

78. De Pipino imperatore etiam ex Francis primo.

79. De Karulo Magno imperatore.

80. De Ludowico imperatore, filio Karuli.

81. De Luthorio imperatore, filio Ludowici.

82. De Ludowico, qui et Lothorius, filio Lothorii, et quomodo obiit vendicta corporis Christi.

83. De Ludowico imperatore, filio ejus.

84. De Karalo seniore imperatore, et de Ludowico Balbo, filio ejus.

85. De Karalo juniore imperatore.

86. De Arnolfo imperatore.

87. De Ludowico imperatore, filio ejus.

88. De Cunrado imperatore.

B 89. De Heinrico imperatore.

90. De Ottone imperatore.

91. De Ottone imperatore, filio ejus.

92. De Ottone tertio imperatore, filio secundi.

93. De Heinrico [66] imperatore [67].

94. De Cuonrado imperatore [68].

95. De Heinrico imperatore [69], filio ejus.

96. De Heinrico imperatore, filio hujus [70].

Ab Adam hucusque omnes anni ordinate sunt conscripti.

Primum et secundum librum omisimus.

INCIPIT TERTIUS LIBER INDICTIONE XII.

(*Fol.* 101.)

42. (Hier.) *Lentulus* [71] *et Messala v. clar. et consul.* Quirinus ex consilio senatus in Judæam missus, census hominum possessionumque describit. Cristus concipitur feria 6 octavo Kalendas April, Johannes babtista nascitur 8. Kal. Julii, (Cass.) *Dominus noster Jesus Christus, filius Dei, his consulibus Cassiodoro teste in Betelem Judæ octavo die Kal. Januarii dominica nocte nascitur. (Evang.) Octavo etiam die dominico circumciditur. Tertio decimo die stella duce a magis adoratur. Quadragessimo die a Simeone et Anna agnoscitur. Deinde precepto dominico in Egiptum propter metum Herodis deducitur.*

2. 43. (Hier.) *Augustus Cessar* 12° *et Paulus.* Cesar amicitiam cum Parthis facit. Sextus Phitagoricus philosophus claruit.

3. 44. (Hier.) *Cossus Lentulus et Pisso.* Augustus Tiberium et Agrippam in filios adoptavit. Judas Galileus ad rebellandum Judeos cohortatur.

[*cod. in margine*, Ciclus [72] decenn. incipit indictione 14ª unoque concurrente.]

4. 45. (Hier.) *Augustus Cessar* 13° *et Paulus.* C Herodes cum Christi nativitatem magorum indicio cognovisset, universos Bethelem parvulos jussit interfici.

5. 46. (Hier.) *Vincius et Alfenus.* Asiniuus Pollio orator et consularis, qui de Dalmatiis triumpavit, 70 ætatis suæ anno in villa Tusculana obiit.

6. 47. (Hier.) *Servilius et Lamia.* Herodes morbo intercutis aque et scatentibus toto corpore vermibus misserabiliter et digne moritur.

7. 48. (Hier.) *Ælius et Sentius.* In Herodis locum Archilaus ab Augusto substituitur per annos 7, et tetrarchæ fiunt fratres ejus, Herodes et Antipater et Lisias et Philippus. (*Evang.*) Jesus Christus dominus noster ex Egipto, angeli angelico [73] precepto reducitur.

VARIÆ LECTIONES.

[63] Sc̃or 1. *quod* sanctorum *legendum esse videtur.* Scotorum *corr.* sanctorum 2. [64] *ita aut :* bætiinque *aut* bætirique 1. Bethinique 2. *in cujus apographo Vratisl. legitur :* « cholon chillis, *ita suprascribitur in ms. Cottoniano, in quo solo hæc postrema clausula habetur quæ videtur subdititia.* » [64] * et i. e. *post add., sed prima manu* 1. [65] *cap.* 65. 66. 67., *signo posito post cap.* 64, *post addita sunt in summo margine* 1. *Litteræ paulo minores sunt, sed eadem manu expressæ, qua textus.* [66] H. Pio 2. [67] De H. i. Babinbergensi qui absque filiis obiit 3. [68] i. Spirensi quomodo eligitur in regnum 3. [69] i. IIº 3. [70] de Hiltibrando papa et decretis ejus *add.* 2. De H. i. III. et filio ejus quomodo ei rebellaverat et quomodo veneno obiit in Italia et de Heldebrando papa et decreto ejus 3. *ibique hæc adduntur:* 97. De Ruodolfo rege et Hermanno rege quomodo Saxones eos super se constituerunt et quomodo interfecti sunt. 98. De Henrico imperatore et filio ejus quomodo ei rebellaverat et quomodo privatus est regno consilio principum et filium super se regem constituerunt. [71] *Quæ littera obliqua excudenda curavimus in codice* 1. *rubro atramento scripta sunt.* [72] *Hæc et singulis annis signa ad ciclum solarem spectantia manu secunda addita sunt* 1. [73] *ita* 1?

Digitized by Google

8. 49. (Hier.) *Cinna et Valerius.* Fames Romæ ita ingens, ut quinque modii venderentur denariis viginti septem semis. Philistio mimographus natione Magnes. Assianus [74] Rome clarus habetur.

9. 50. (Hier.) *Lepidus et Aruncius.* Tiberius cesar Dalmatas Sarmatasque in Romanam redigit potestatem.

10. 51. (Hier.) *Cæcilius et Lenicius.* Anthemodorus Tharsensis stoicus philosophus insignis habetur.

11. 52. (Hier.) *Furius et Nonius.* M. Verrius Flaccus grammaticus clarus.

12. 53. (Hier.) *Sulpicius et Poppaucus.* Athenienses res novas contra Romanos molientes opprimuntur, auctoribus seditionis occisis.

13. 54. (*Luc.* II, 42, 46.) *Dolabella et Silanus.* Cum esset Jesus annorum duodecim [hoc est, sicut Hieronymus dicit, cum compleret annos duodecim], inventus est in templo, sedens inter doctores legis, interrogans et audiens illos. (Hier.) Messala Corvinus orator ante biennium quam moriretur ita memoriam ac sensum amnisit, ut vix pauca verba conjungeret, et ad extremum, ulcere circa spinam nato, inedia se confecit, ætatis 72 anno.

14. 55. (Hier.) *Lepidus et Statilius.* Augustus cum Tiberio filio suo censum Romæ agitans, invenit hominum nonaginta ter centena et septuaginta milia.

15. 56. (Hier.) *Cesar et Fonteius.* Socio philosophus Alexandrinus, preceptor Senecæ, clarus.

16. 57. (Beda.) *Plancus et Silius.* Archilaus, non ferentibus Judeis sed accusantibus apud Augustum ferocitatem ejus, in Viennam urbem Galliæ relegatus; et ad minuendam Judaici regni potentiam insolentiamque domitandam, quatuor fratres ejus pro eo sunt tetrarchæ creati, Herodes, qui et Antipas, Antipater, Lisias et Philippus.

17. 1. (Cass.-Hier.) *Pompeius et Apuleius.* His consulibus, teste Cassiodoro, Octavianus Augustus in Campania 76. ætatis suæ anno, Atelle Campaniæ, imperii anno quinquagessimo sexto, senis obiit, mense quassi Septembri; sepeliturque in campo Martio. Cui successit Tiberius.

Romanorum [75] 3. *regnavit Tiberius, privignus Augusti, hoc est Libiæ uxoris ejus* filius, ex superiore genitus conjuge, annis viginti tribus et aliquibus diebus, teste Josepho; et hoc est usque ad Kal. Octobr., in anno quinto post passionem Domini. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro. (Hier.) Gaius Asinius Gallus orator, Assini Pollionis filius, cujus etiam Virgilius meminit, clarus, diris a Tiberio suppliciis enecatur.

18. 2. *Drusus cesar et Norbanus.* Libius historiographus Patavii obiit.

19. 3. (Hier.) *Sisennas Titilius et Scribonius.* Incarnatio incipit juxta cronicas Eusebii vel Bedæ. Dum numerantur anni nobis versus supra usque ad annum quadragesimum secundum Octaviani Cesaris.

20. 4. (Hier.) *Pomponius et Celius.* Ovidius poeta in exilio obiit, et juxta oppidum Tomus sepelitur.

21. 5. (Hier.) *Cesar et Germanicus cesar.* Germanicus cesar de Parthis triumfavit [76]. Tredecim urbes terræ motu corruerunt, id est Ephesus, Magnes, Asardis, Mostuene, Age, Hiero, Cesarea, Filadelphia, Tmolus, Temus, Cimemirhina, Apollonia, Diahircania.

22. 6. (Hier.) *Silanus et Norbanus.* Fenestella, historiarum scriptor et carminum, septuagenarius obiit, sepeliturque Chumis. Cyculus magnus pascalis incipit hinc, in cujus anno secundo juxta Dionissium [indictione tertia [77]] natus est Dominus.

[*Cod. in margine.* Ciclus solaris incipit sicut semper bisextilibus quatuor concurrentibus.]

23. 7. [I.] (Hier.) *Valerius et Aurelius.* Tiberius multos reges ad se per blanditias evocatos nunquam remisit; in quibus et Archelaum Cappadocem occidens, et regno ejus in provinciam verso, Mazacam nobilissimam civitatem Cessariam appellari precepit. Incarnatio [78] secundum Dionisium incipit indictione quarta [conscripta [79] per ordinem e regione incarnationis juxta evangelium.]

24. 8. [II.] (Hier.) *Cesar et Drusus cesar.* Pompei theatrum incensum.

25. 9. [III.] (Hier.) *Harterius et Sulpicius.* Tiberius Drusum consortem regni facit.

26. 10. [IV.] (Hier.) *Asinius et Antistius.* Drusus veneno obiit. Q. Atherius, promptus et popularis orator, usque ad 90 annum prope in summo honore consenescit.

27. 11. [V.] (Hier.) *Cornelius et Vicellius.* Sevius Plautus, corrupti filii reus, semet in judicio interfecit.

28. 12. [VI.] (Hier.) *Asinius et Cossus Cornelius.* Philippus tetrarcha Pancaden, in qua plurimas edes construxerat, Cesaream Philipphi vocavit, et Juliadem aliam civitatem.

29. 13. [VII.] (Hier.) *Calvissius et Getulicus.* Pilatus procurator Judeæ a Tiberio mittitur.

30. 14. [VIII.] (Hier). *Piso et Crassus.* Voticnus Montanus Narbonensis orator in Baleatribus insulis moritur, illuc a Tiberio 15 anno religatus (Beda). Herodes tetrarcha princeps Judæorum, regnans annis 24, in honorem Tiberii et matris ejus Libiæ Tiberiadem condidit et Libiadem.

31. 15. [IX] *Silanus et Silius.* Anno [80] 15 imperii Tiberii cesaris, sub princip. Anna et Cepha, factum est verbum Domini super Johannem, Zachariæ filium,

VARIÆ LECTIONES.

[74] *ita* 1. asianus 2. magnesiamus *Hier.* [75] *in margine manu secunda additur :* Tiberius regnavit annis XXIV; *et ita de omnibus imperatoribus.* [76] sirium facit 1. [77] *in marg. sec. manu add.* 1. [78] *Hæc bis hoc anno scripta sunt post* Aurelius *et hoc loco* 1. [79] *hoc loco secunda manu add.* 1. [80] *Hoc anno in margine scriptum est prima manu :* Incarnatio Domini sicut Beda perhibet, *secunda vero manu :* Primus annus predicationis Christi; *eadem a.* 34: Quartus annus predicationis Christi.

Digitized by Google

in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis (*Luc.* III, 1-3). Matheus sic : « Tunc venit Jesus, ut baptizaretur ab eo in Jordane (*Math.* III, 13). » et reliqua. Augustinus sic (119). Quod autem Matheus ait : « Tunc venit Jesus a Gallilea, ut baptizaretur a Johanne. » Hoc est secundum Johannem evangelizam. « Altera autem die, » et reliqua. Marcus evangeliza sic : « Et baptizatus est a Johanne (*Marc.* I, 9). » Eusebius sic [81] : ..... « Et ipse Jesus erat incipiens quasi 30 annorum (*Luc.* III, 23). » Hæc Lucas. Hoc est non plenus 30 annorum, mensium 12, sed secundum Hieronimum et Lucam annum incipiebat 30. [quando baptizatus est, in die] dominico epifaniæ [die 13 anni sui 30]. Secundum autem solares annos tunc incipiebat annum 31. Annus enim solaris, in cujus fine natus est, nativitatis ejus annus est. Annus autem ætatis suæ 12 mensium, sicut in fine anni primi nativitatis incepit, ita in fine anni secundi nativitatis sive solaris complevit. Marcus : « Et statim post babtismum spiritus expellit eum in desertum (*Marc.* I, 12). » Hoc est secundum Matheum : « Jesus plenus Spiritu sancto, regressus a Jordane, et agebatur in spiritu in desertum in diebus 40 (*Luc.* IV, 1), » et reliqua. Dominus ergo feria secunda incepit jejunium, et quadragessimo die, feria sexta, 15 Kal. Mart. in gula ac vana gloria atque avaritia diabolum superavit; in quibus in eadem feria diabolus primum Adam contrivit. Ipse dominus Jesus Christus [hinc] populis predicavit salutarem viam, teste sancto Petro, sicut in electione Mathei apastoli : « Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, qua intravit et exivit inter nos dominus Jesus, incipiens a baptismate Johannis, usque in diem quo assumptus est a nobis in cœlum (*Act.* I, 21, 22), » et reliqua. (*Evang.*) Signis et virtutibus vera esse comprobat ea quæ dicit, ex quibus pauca in evangeliis leguntur, apostolos vocat et ad predicandum mittit. (Beda.) Usque [82] in annum quintum decimum Tiberii ab Adam secundum Ebreos, sicut Eusebius in cronicis suis signat, tria milia annorum adnotanda, quod in quinto decimo anno Tiberii principium fuerit septuagesimi primi jobelei secundum Ebreos; tria enim milia sexaginta jobelei sunt.

32. 16. [X.] (Hier.) *Rubellius et Fusius.* [Eusebius sic : « Principium octuagesimi primi jobelei secundum Ebreos, » hoc est ab Adam usque in presentem annum 4000 annorum. Jobel autem apud Ebreos quinquagenarius annus vocatur.]

33. 17. [XI.] *Vinicius et Cassius.* Johannes babtista decollatur. [Scriptum est in passione sancti Valentini, quod decollatio precursoris Domini sit in octavo die Kal. April., sicut etiam sanctus Iheronimus in martirilogio testatur (120). Et in evangelio dicitur quod prope ante pascha passus est Johannes, pridie Nonas Aprilis, in sabato, 14 luna primi mensis. Nostrum vero pascha Nonis Aprilis erat, si esset.]

34. 18. [XII.] (Cass.) *Tiberius Cesar v. conss.* Cassiodorus sic : « His consulibus dominus noster Jesus Christus passus est, octavo die Kal. April.; et deffectio solis facta est, qualis antea vel postea nunquam fuit. » (Hier.) Jesus Christus, filius Dei, juxta profhetias quæ de eo fuerant prelocutæ, passus est octavo die Kal. April., luna 15ª, juxta quatuor evangelia, in anno 18° imperii Tiberii cæssaris secundum evangelium sancti Johannis; atque die tertio, id est sexto die Kal. April., luna 17ª, secundum historiam sancti evangelii a mortuis resurrexit. Flego [83] historicus sic : « Quarto anno 202 Olimpiadis [id est secundum Græcos] magna et excellens inter omnes quæ ante eam acciderant defectio solis facta; diei hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo vissæ sint. Terræque motus in Bithinia Nicenæ urbis multas edes subvertit. » Hec Flego. Josephus etiam, vernaculus Judeorum scriptor historicus, ad hæc commemorat : die pentecostes sacerdotes primum commotionem locorum et quosdam sonitus sensisse testantur, deinde ex alio [84] templi repentinam subito erupisse vocem dicentium : Transmigremus ex his sedibus. Scripsit quoque Josephus quod eodem anno Philatus preses secreto noctis imaginem cesaris in templo statuerit, et hec prima seditionis et turbarum Judeis causa extetirit.

(Hier.) Jacobus, frater Domini, æcclesiæ Hierusalemarum primus episcopus ab apostolis ordinatur, Ex hoc loco considerandum quantæ deinceps calamitates Judeorum gentem oppresserunt.

[*fol.* 102, *in margine superiore manu sec. scriptum est :* Jacobus, frater Domini, id est Mariæ sororis matris Domini, cujus Joh. etiam meminit, filius fuit; qui post passionem Domini statim ab apostolis ordinatus, 30 annis Hierusolimæ rexit æclesiam. Hoc est usque ad septimum Neronis annum. Beda super acta apostolorum ita dicit (*ad c.* XXI). *Eadem manu hæc adduntur :* Lazarus resuscitatur ab inferis, episcopus Cypri futurus et 24 annis victurus. *Et in inferiore margine fol.* 102 : Lazarus nomine sussitatur, ne omnes mortui cogerentur exire de inferno, clamat tamen ad monumentum, turbant se inferi, expectant audentiam omnes mortui, querebant sua nomina vocitari : « Ne, inquiunt, et nos Dominus suscitabit? ubicunque Christus steterat, patebant inferi. » Subito una vox intercepit ceteros, jam fluescentium membrorum teterrimus ceterorum prohibebat

VARIÆ LECTIONES.

[81] *Eusebii verba non leguntur.* Eusebius sic *desunt* 2. 3. [82] *Hæc in marg. manu prima add.* 1, [83] Flacco 3. [84] *lege :* adyto.

NOTÆ.

(119) Verba quæ sequuntur num Augustini sint necne, non patet; certe in libro De consensu evangelistarum ea invenire non potui.

(120) In Martyrologio a Dacherio edito (Spicil., ed. 2, II, p. 6) hæc non leguntur.

Digitized by Google

accessum, jam in concavis orbibus tabido A situ marcentes resedebant oculi, jam deficiebat narium mollitudo, jam rictus oris dentibus nudatis horrebat, jam nudata cute laxa timporibus cerebri sedes [85], tegimine attenuato pallescens, capillis subinde rarescentibus apparebat. Jam Maria et Martha, qui Christum frequenter resussitasse mortuos videbant, fratrem suum resuscitari penitus non credebant. Ibi vero Christus probatur esse Deus. Ibi tantum fecit, quantum ausa non est etiam fides ipsa optare.]

35. 19. [XIII.] *Unicius et Longinus.* * Sanctus Zeppanus passus et sanctus Paulus conversus est (*Acta ap.* HIER.). Cassius Verus orator egregius anno suæ..... [86] etatis in suprema inopia obiit, vix panno pudienda contextus. Philatus sacrum thesaurum, qui et Corbon vocatur, in aquæductum Hierusolimarum expendens, secundæ seditionis prebuit B semina.

[*Hoc loco signo posito manu secunda notatur* : Require in secundo latere sequentis foli. *Sequens folium vero* (*f.* 103) *post additum ibique prima pagina crucifixio Christi delineata est; altera vero pagina manu secunda scripta continet numeros annorum* 35-82. (19-22. 1-14. 1-25.), 92. 94, *etc. Ad annos* 35-57, *hæc scripta sunt* : Sanctus Stephanus passus, Saulo hortante et presente. Quod Paulus in hoc anno conversus fuit, ita ad Galatas confirmat : « Cum vocavit me Deus per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum gentibus, continuo non adquievi carni sanguini (*Galat.* I, 15, 16). » Hieronimus (*l.l.*) : « Id est sine mora post revelationem Christi non exivit ad apostolos, et revelationem Domini conferendo cum hominibus, sed abierit in Arabiam, et rursus de Arabia reversus est Damascum, post tres annos evangelium predicarit, et tunc demum in Hierusalem venit (*ad Gal.* op. IV, p. 234) : » ipso ita teste : « Neque veni Hierusolimam ad antecessores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum (*Galat.* I, 17). » Que ut vera credantur ab absentibus, sub testatione Dei confirmat, dicens : « Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo sunt digna, quia sunt verissima. » Isti tres anni sunt, quos Lucas dies multos dicit in actibus apostolorum (*Act.* IX, 23), quibus Paulus in Damasco evangelium audenter loquebatur (HIER. p. 235). Certum est enim, statim ut babtizatus sit et accepto pane confortatus fuisset, eum cum discipulis qui erant Damasci esse per dies aliquot, et stupentibus cunctis in sinagogis Judeorum predicasse quod Jesus esset filius Dei; et tunc isse in Arabiam, et de Arabia in Damascum revertisse; et ibi fecit triennium, quos dies multos dicit scriptura sic : « Et cum implerentur dies multi, voluerunt Judei occidere eum (*Ibid.*), » et reliqua. Accipientes ergo discipuli ejus, nocte per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta, ipso ita teste. : « Deinde post annos tres » hoc est conversionis meæ, « veni Hierusalem videre Petrum, et mansi apud eum diebus 15, alium autem apostolorum vidi neminem preter Jacobum fratrem Domini. Que autem dico vobis ecce coram Deo quia non mentior (*Gal.* I, 18-20). » Anno igitur 38 incarnationis hospitatus est Paulus apud Petrum in Hierusalem; deinde, id est post predictos annos et gesta predicta, dicit sic : « Veni in partes Syriæ et Ciliciæ; eram autem ignotus facie ecclesiis Judæ quæ erant in Christo; tantum autem auditum habebant quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, et in me clarificabant Deum. Deinde post annos 14 rursum ascendi Hierosolimam cum Barnaba, assumto et Tito (*Galat.* I, 21-24; II, 1) » et reliqua. Hieronimus sic perhibet (*ll.* p. 238) : « In principio » suæ conversationis et « fidei in transitu apostulos vidit » in Hierusalem, hoc est post tres annos postquam conversus fuit. « Deinde post annos, ut ipse Paulus perhibet, » quatuordecim supra predictos priores tres annos, hoc est, « post decem septem annos », suæ conversionis, « plene cum apostulis loquitur » in Hierusalem « et se humiliat, » et reliqua. Hec dixit Hieronimus. Deinde Petrus venit Romam, ubi predicans evangelium 25 annis, mensibus 5, diebus 13, episcopus ejusdem civitatis prefuit, hoc est usque in ultimum annum Neronis, in quo cum sancto Paulo passus sit, sub consulibus Sillvano et Otho, teste Cassiodoro senatore.

Postea, a. 58 — 76. *vacuis relictis, hæc sequuntur :*

77. 25. Cassiodorus sic dixit : « Silvanus et Otho viri clari consules a Neronc. » His consulibus C Cassiodoro teste Petrus Paulusque passi sunt. Nero turpiter vivens cum a senatu quereretur ad penam, e Palatio fugiens ad quartum Urbis miliarium, surburbano [87] Numentana via sese interfecit anno ætatis 32°. Cui successit Galba, qui regnavit mensibus septem.

78. Post hunc Otho regnavit mensibus tribus.

79. Post quem « Vitellius regnavit mensibus octo et diebus. Qui omnes infra prescriptos duos consules regnaverunt. » Hæc dixit Cassiodorus. Vitellius vero occissus sit tertio die mensis Octobris, Josepho (*De bello Jud.* V, 13) teste historico, qui tunc interfuit.

80. Vespasianus et Titus. Cassiodorus sic perhibet :

D 81. « Vespasianus 2. et Titus 2. His consulibus Vespasianus suscepit imperium ann. 9, m. 11, diebus 22. Sub quo sequentes consules fuerunt. »

82. Vespasianus ann. 10.
92. Titus 2, m. 2.
94. Domitianus 15, m. 5.
110. Nerva 1, m. 5.
111. Trajanus 19, m. 7.
130. Adrianus 21, m. 9
152. Pius ann. 23.
175. Marcus 19, m. 1.
195. Commodus 13.

VARIÆ LECTIONES.

[85] scs. 1. [86] *vocabulum erasum est* 1. [87] *ita* 1.

Digitized by Google

208. Helius m. 6.
Julianus m. 7.
209. Severus 18.
226. Carcalla 7.
233. Macrinus 1.
235. Aurelius 4.
239. Alexander 13.
251. Maximinus ann. 3.
255. Gordianus ann. 6.
260. Philippus ann. 7.
267. Decius ann. 1, m. 3.
269. Gallus et Vol. 2, m. 4.
270. Gallienus ann. 15.
285. Claudius 1, m. 9.
Quintilius frater Claudi m. 1.
287. Aurelianus 5, m. 6.
292. Tacitus m. 6.
293. Probus 6, m. 4.
Florianus mensibus 3.
300. Carus ann. 2.
302. Diocletianus ann. 20.
322. Constantinus Magnus ann. 30, mensibus 10.

Cronicæ vero perhibent Tiberium regnasse viginti tribus annis, hoc est quinque annis post passionem, Gaium quatuor annis, Claudium quatuordecem. Neronemque quatuordecem annos imperasse, pretermittentes superos menses, quibus super annos reges regnaverunt, et intervalla temporum inter reges, et fines annorum sepe in quibus reges moriebantur vel regno defecissent. Juxta ergo cronicas inter passionis annum et Vespasianum sunt anni triginta septem, quadraginta vero septem juxta sanctum Paulum, teste sancto Hieronimo super eum ad Paulam et Eustochiam. Decem itaque anni desunt in cronicis in tanto spatio. Sed tamen alio vestigio sequimur cronicas hoc modo.

Quibus finitis, signo et verbis : Vinicius et Longinus et reliqu. *manus secunda ad primum textum lectorem remittit.*

36. 20. [XIV.] (HIER.) *Sulpicius et Sitta.* Sejanus prefectus Tiberii, qui apud eum plurimum poterat, instantissime conhoartatur [88] ut gentem Judæorum deleat, sicut Filo dicit in libro legationis secundæ.

37. 21. [XV.] (HIER.) *Priscus et Vitellius.* Persius Flaccus satiricus poeta Volaterris nascitur. Paulus sic ad Galatas (*c.* I, 15-20) : « Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non adquievi carni et sanguini, neque veni Hierusolimam ad antecessores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum ; deinde post annos tres veni Hierusolimam videre Petrum, et mansi apud eum diebus 15; alium autem apostolorum neminem vidi, nisi Jacobum fratrem Domini ; quæ autem scribo vobis ecce coram Deo quia non mentior, » et reliqua. Beda sic (cf. *Retract. in Act.* c. IX) : « Constat ergo Paulum post annos tres conversionis suæ venisse Hierusolimam, et apostolorum numero sociatum, hoc est quoniam Lucas sic dicit in actibus apostolorum, Barnabam apprehensum illum duxisse ad apostolos. » Hæc Beda.

38. 22. [XVI.] (BEDA.) *Gallus et Nonianus.* Agrippa, qui et Herodes, filius Aristobuli filii Herodis Magni, accusator Herodis tetrarchæ, Romam profectus, a Tiberio in vincula conjicitur; ubi plurimos sibi ascivit ad amicitiam et maxime Germanici filium Gaium. (HIER.) Pilato de christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad senatum ut [89] inter cætera sacra reciperentur. Verum cum [90] ex consilio patrum christianos eliminari ab urbe placuisset.

39. 23. [XVII.] (HIER.) *Gallienus et Plautianus.* Tiberius [91] per edictum accusatoribus christianorum comminatus est mortem. Scribit Tertullianus (Cf. Eus. *Hist. eccl.* II, 2). Multi senatorum et equitum Romanorum interfecti. His consulibus, Cassiodoro teste, anno 23° imperii sui, ætatis 78° obiit [Tiberius [92]] veneno in Campania (Cf. OROS., VII, 4), quassi mense Septembre. [Cui [92] successit Gaius].

Romanorum [93] 4. Gaius, qui et Caligula, in eodem anno quo obiit Tiberius incipiens, [regnavit] annis 4, mensibus 10, diebus 8, teste Eusebio et Beda : hoc est usque Kal. Augusti, in anno 10 post passionem. Sub quo hi consules fuerunt [teste Cassiodoro].

40. 1. [18.] *Proculus et Nicrinus.* Sanctus Petrus in anno sexto post passionem, primo anno Gaii, cathedram Antiochiæ ecclesiæ, octava Kalendar. Martii, tenet per annos 7. * (BEDA.) Gaius Herodem Agrippam, amicum suum, vinculis liberatum, regem Judæ facit, annis 7

* [*Manu secunda in margine hæc scribuntur :* Hieronimus : « Cum Petrus venisset Antiochiam, adfirmante Paulo, hinc credendum sit in faciem illi Paulum resistisse. » (Cf. *ad Gal.* IV, p. 242.) — *Eadem manu sed alio atramento additur :* Beda super acta apostolorum (*ad c.* I) : « Mathias apostolus ante pentecosten ordinatur, septem vero diaconi post pentecosten apostolorum oratione et manus impositione ordinantur. » Stefanus Grece Latine corona interpretatur. Unde Eusebius dicit (*Hist. eccl.* II, 1) : « Statim, inquit, post ordinationem suam Stefanus lapidatus est ab his qui et Dominum occiderunt. » — *Alio atramento pergit :* « Statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas ad apostolos, » et reliqua (*Act.* XV, 2). Beda super acta apostolorum sic (*ad c.* XV) : De hac ascensione sua Paulus ipse scribit ad Galatas, dicens : « Deinde per annos 14 as-

VARIÆ LECTIONES.

[88] cõhoartatur. 1. *i. e.* cohortatur. [89] *post add.* 1. [90] Vum 1. [91] *Hæc cum antecedente anno conjungenda sunt.* [92] *post add. sec. manu* 1. [93] *Hoc loco in margine manu sec. scriptum est :* L[a] die ab occisione agri lex data est, L[a] a resurrectione spiritus missus est.

Digitized by Google

cendi in Hierusolimam cum Barnabo adsumto Tito, et contuli cum illis evangelium, quod predico in gentibus » et reliqua. Ubi numerus ipse qua [94] possuit recensendus est annorum. « Scimus enim Petrum et Paulum apostolos anno post passionem Domini 38, id est [95] ultimo Neronis anno, passos fuisse martirium, et beatum Petrum Rome 25 annis sedisse episcopalem cathedram, et 25 anni et 14 non 38 sed 39 faciunt. Sequitur ergo ut beatus Petrus eodem 14 post passionem Domini anno, quo eum in Hierusolimis alloquitur Claudius [96], quarto Claudi cesaris anno, Romam venisse credamus, simulque, nisi fallor, hac expositione Paulum apostolum eodem quo Dominus passus est et resurrexit. . . .[97] ad fidem venisse probatur. »]

41. 2. [XIX.] (HIER.) *Julianus et Asprenas.* Flaccus Acilius prefectus Egipti Judeos calamitatibus premit, consentiente Alexandriæ populo et crebro adversus eos clamoribus personante, sinagogas quoque eorum imaginibus, statutis [98], aris et victimis polluit. Filo scribit in libro, qui et Flaccus, hec omnia se presente gesta, ob quæ etiam legationem ad Gaium ipse suscepit. (BEDA.) Herodes tetrarcha et ipse amicitiam Gaii petens, agente Herodiade sua uxore, Romam venit, sed accusatus ab Agrippa tetrarchiam perdidit; fugiensque in Hispaniam cum Herodiade, merore periit [pro letitia in decollatione sancti Johannis baptiste].

[*cod. in margine*, Ciclus secundus dec. incipit indictione septima.]

42. 3. [XX.] (HIER.) *Publicula et Nerva.* Gaius Memmi Reguli uxorem duxit, impellens eum ut uxoris suæ se patrem scriberet. (BEDA.) Philatus [99] in multas incidens calamitates et irrogante Gaio cohortatus [100] est, ut sua manu, qua Christum flagellavit, ipsa semet peremit. (HIER.) Gaius Petronio prefecto Syriæ precepit, ut Hierusolimis statuam suam sub nomine Jovis optimi et maximi poneret. Toto orbe Romano, sicut Filo scribit et Joseppus, in synagogis Judeorum statuæ et imagines et aræ Gaii cessaris consecratæ.

43. 4. [XXI.] (HIER.) *Cesar.* Plurimi nobilium a Gaio interfecti; sororesque suas, quibus stuprum intullerat, insularum exilio condemnat. Gaius jussit omnes exsules interfici.

44. 5. [XXII.] (BEDA.) *Cæsar* [101] *et Julianus.* Matheus in Judea predicans, evangelium scripsit. (CASS.) His consulibus, Cassiodoro teste, Gaius a protectoribus suis occiditur in palatio, anno ætatis suæ 24, mense quassi Julii. Cui Claudius successit *Romanorum* 5. *Claudius regnavit annis* 14, *mensibus* 7, *diebus* 28, et hoc est usque Kal. April., in anno vigessimo quinto post passionem. (CASS.) Sub quo hi consules fuerunt:

45. 1. [XXIII.] (HIER.) *Claudius cesar* 2. *et Saturninus.* Hic est Claudius, patruus Drussi, qui apud Magantiacum monumentum habet.

46. 2. [XXIV.] (HIER.) *Saturninus* 2. *et Venustus.* Eusebius sic: Petrus apostolus. cum primus Antiochiam ecclesiam fundasset, Romam mittitur; ubi evangelium predicans 25 annis, episcopus ejusdem urbis perseverat.

47. 3. [XXV.] (HIER.) *Tiberius et Gallus.* Marcus evangelista, interpres Petri, Ægipto et Alaxandria Christum predicat. Primus Antiochiæ episcopus ordinatur Evodius.

48. 4. [XXVI.] (HIER.) *Crispinus et Taurus.* Agrippa rex Judeorum annis septem imperans, obiit; post quem filius suus Agrippa a Claudio in regnum constituitur. Profhetia Agabi, qua in actis [102] apostolorum famem in toto orbe dixerat futuram, sub Claudio expletur. Hæc Eusebius. [*cod. in marg.* Annus 15 Tiberii secundum cronicam Eusebii et Bedæ presbiteri.] Beda vero sic: « Quarto anno Claudii fames gravissima, cujus Lucas meminit, facta est. » Hæc Beda. Lucas vero in actus apostolorum sic: « In diebus illis supervenerunt ab Hierusolimis profhetæ Antiochiam, et surgens unus ex eis nomine Agabus, significavit per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quisque habebat, proposuerunt ministerium mittere in Judeam fratribus; quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus apostolorum Barnabæ et Pauli. Eodem autem tempore missit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia. Occidit autem Jacobum, fratrem Johannis, gladio. Videns autem quod placeret Judeis, appossuit apprehendere et Petrum. Erant autem dies azimorum. Quem cum apprehendisset, missit in carcerem (*Act.* XI, 27-30; XII, 1-4), » et reliqua. Sequitur Lucas: « Segregate mihi Barnaban [103] et Paulum in opus, quod assumpsi eos (*Act.* XIII, 2). » Beda sic (*ad c.* XIII): « Paulus juxta ordinem historiæ 13 anno post passionem Domini apostolatum cum Barnaba Paulique accipisse vocabulum, 14 autem anno post passionem juxta condictum Jacobi, Cephæ et Johannis, ad gentium magisterium fuisse profectum. » Hæc Beda. De hac ergo ascensione sua in Hierusalem, postquam dixit, ut supra diximus (*v. a.* 35), post tres annos

VARIÆ LECTIONES.

[94] q 1. *lege:* quem. [95] in 1? [96] *lege:* Paulus. [97] *supple:* anno. [98] *lege:* statuis. [99] *in marg. sec. manu scribitur:* Philatus vel de Ponto insula vel de regione qua fuit natus sic nominatus. [100] *lege:* coartatus. [101] *Nomen Cæsaris litura deletum* 1. [102] *scriptum erat, ut videtur,* actubus, *sed emendatum est:* actis 1. [103] *manu sec. in marg. fol.* 104. *additur:* Erat scenefactoriæ artis B. Scenæ Grece tabernacula ethimologiam ab umbrando ducentia, apud quos umbra scena dicitur, scenæ vel scenomata quasi umbracula sonant, quæ sugis lineis vel laneis seu ciliciis vel ex arborum frondibus aut virgultis componebantur. Beda. Non prohibuit Dominus providere et procurare humano more de crastino, sed ne quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non regnum Dei sed istorum adquisitionem intueatur, cum hec providere debemus, ut in militia regnum Dei, non ista cogitemus.

Digitized by Google

conversionis suæ in Hierusalem vidisse Petrum, subjunxit : « Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierusolimam cum Barnaba, assumpto et Tito; et contuli cum illis evangelium, quod predico in gentibus (*Gal.* II, 1) » et reliqua. Et hoc est secundum Lucam : « Statuerunt Paulus et Barnabas ut ascenderent, et quidam alii ex illis, ad apostolos et presbiteros in Hierusalem (*Luc.* XV, 2), » et reliqua. Sequitur ergo ut beatum Petrum non ante eundem 14. annum post passionem Domini, quo eum Hierusolimis alloquitur Paulus, hoc est quarto Claudi cesaris anno, Romam venisse credamus. Ubi numerus ipse, quem possuit sanctus Paulus, recensendus est annorum. Scimus enim Petrum et Paulum apostolos anno 38. [hoc est post annum passionis, id est ultimo anno] Neronis, passos fuisse, et beatum Petrum Romæ 25 annis, mensibus 2, diebus 13, a 15 Kal. Februarii, quo cathedram tenuit, usque 3 Kal. Julii, quo passus est, predicasse. Viginti autem quinque anni Petri et 14 anni sancti Pauli cum anno passionis Domini fiunt 39 anni. Incarnationis ergo 45°, Claudi vero primo anno, Jacobus frater Johannis, gladio decollatur ab Herode, 8 Kal. Augusti. Petrus autem anno secundo Claudi, in diebus azemorum, in carcerem mittitur, id est quando Herodes, qui et Agrippa, ab angelo percutitur. Sanctus vero Petrus anno 14 passionis, hoc est 4 Claudi, juxta cronicas, 13 Kal. Februar. Romæ cathedram tenuit. — (HIER.) Claudius de Britanis triumphavit et Orchadas insulas Romano adjecit imperio.

49. 5. [XXVII.] (HIER.) *Vinicius et Cornelius.* Domitius orator clarus, qui sub Nerone abundantia cibi in cena obiit. Clodius Quirinalis rethor Arelatensis Rome insignissime docet. Inter Theras et Therassiam exorta est insula habens stadia 30.

[*Cod. in margine, ad oram num.* 50, 51, 52, Ciclus solaris incipit, sic semper concurrentes incurrunt in unoquoque ciclo solari sicut in isto. [Annus passionis Domini secundum cronicam Eusebii et Bedæ.]
[Annus 15 Tiberii juxta Dionisium.]

50. 6. [XXVIII.] (HIER.) *Assiaticus et Cornelius.* Descriptione Romæ facta, inventa sunt civium Romanorum 69 centena et 44 milia. Tracia in provinciam redigitur.

51. 7. [XXIX.] (HIER.) *Tiberius* 2 *et Vitellius.* Sub procuratore Judeæ Cumano, in diebus azymorum, tanta est Hierusolimis orta seditio, ut in portarum exitu, populi corruente, 30 [104]. Judeorum corruerint.

52. 8. [XXX.] (HIER.) *Vitellius* 2 *et Publicola.* Palemon Vicetinus insignis grammaticus Romæ habetur, qui quondam interrogatus quid inter stillam et guttam interesset : « Gutta, inquit, stat, stilla cadit. »

53. 9. [XXXI.] (HIER.) *Veranus et Gallus.* Antonius Liberalis Latinus rethor gravissimas inimicitias cum Palemone exercit. [Claudius omnes Judeos discedere a Roma precepit, ut Josephus dicit] (121).

54. 10. [XXXII.] (HIER.) *Vetus et Nervilianus.* Fame facta in Græcia, modius sex dragmis venumdatus est.

55. 11. [XXXIII.] (BEDA.) *Claudius et Orfitus.* Magna famis Romæ. Marcus evangelium quod Romæ conscripsit, Petro mittente Ægipto predicat.

56. 12. [XXXIV.] *Silvanus et Silvius.* Claudius Felicem procuratorem Judeam mittit, apud quem Paulus apostolus accusatus, in defensionem sui perorat. *Resurrectio Christi* 5 *Kal. Aprilis, luna vigessima prima, secundum Dionissium.*

57. 13. [XXXV.] *Tiberius* 3 *et Antoninus.* [Lazarus et episcopus Cypri obit secunda morte, dum 24 annis inter duas vixit mortes, Ammulario (122) teste.] (HIER.) Sub Felice procuratore in Judea exteterunt multi, qui populum suis persuasionibus deciperent iniquis. Et Ægyptius quidam pseudoprofhetis fuit, qui plurimos sibi associans, in ipso magnarum rerum conatu, per exercitum Felicis opprimitur; ut scribit Josephus, consentanius apostolorum actibus, in quibus Paulo dicitur a tribuno : « Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies concitasti et eduxisti in desertum quatuor milia virorum? »

58. 14. [XXXVI.] (Jos. *Ant. Jud.* XX, 10.) *Silanus et Otho.* Agrippina, ejus uxor, postquam Claudium veneno occidit, ut filium suum Neronem faceret regem, missit repente Burrum militiæ principem cum tribunis potentibus ad castra; et ductus, adoratus est more principis, his consulibus, teste Casiodoro. Sic Claudius in palatio, anno 64 ætatis obiit, mense quassi Martio. Et Nero imperium suscepit.

Romanorum 6. *Nero regnavit* 14 *annos, menses* 7, *dies* 28, hoc est usque Kal. Decembris, in anno 59 post passionem Domini.

59. 1. [XXXVII.] (HIER.) *Silanus* 2 *et Antoninus.* Hujus avunculus fuit G. ius Caligula. Felice regnante in Judea, seditio orta est in Cesarea Palestina, et magnam Judeorum multitudinem perdidit. [Linus corepiscopus sub Petro apostolo exteriora curavit per annos undecim, menses tres.]

60. 2. [XXXVIII.] (HIER.) *Marcellinus et Aviola.* Festus successit Felici, apud quem presente Agrippa rege [*cod. in margine*, Ciclus 3. dec. incip.] Paulus apostolus religionis suæ rationem exponens, vinctus Romam mittitur; his consulibus teste Cassiodoro. — Anno 2 Neronis, id est 26 post passionem, et post biennium libere suæ custodiæ, ad predicandum liber dimittitur anno 4 Neronis, [Romani dicunt Petrum annis 15 in Roma fuisse, antequam Paulus ad Romam venit.]

VARIÆ LECTIONES.

[104] *supple :* milia.

NOTÆ.

(121) Ant. Jud. XVIII, 7; sed de Tiberio dicit.

(122) Amalarius?

Digitized by Google

61. 3. [XXXIX.] (HIER.) *Nero et Vetus.* Probus Rome eruditissimus grammaticus.

62. 4. [XL.] (HIER.) *Nero* 2. *et Pisso.* Statius Ursulus Tolosensis celeberrime in Gallia rhetoricam docet.

63. 5. [XLI.] (HIER.) *Nero* 3° *et Mesala.* Nero matrem suam Agrippinam et sororem patris interfecit. Terrimotus Rome et defectio solis.

64. 6. [XLII.] (HIER.) *Nero* 4. *et Cornelius.* Nero tantæ luxuriæ fuit, ut frigidis et calidis labaretur ungentis. Festo procuratori Judeæ succedit Albinus. (BEDA.) Jacobus filius Alphei, frater Domini, cum 30 annis post passionem Hierusolimorum rexisset ecclesiam, octavo Kal. April., sancto die paschæ, a Judeis lapidatur, vindicantes in eo, quod Paulum interficere non potuerunt. [B. super actus apostolorum : « Constat quod beatus Jacobus 30° post passionem Domini anno suum consummavit martyrium. » Petrus 38° id est ultimo anno Neronis passus est, et Petrus in secunda sua scripsit epistola : « Certus sum quod velox sit depositio tabernaculi mei, secundum quod et dominus noster Jesus Christus significavit mihi per' relevationem [105]. » Beda : « Unde, patet, imminente passione hanc scripsit epistolam, cum multo ante Jacobus migravit ad Dominum [106]. »] Quoniam itaque octavo Kal. April. in pascha passus sit Jacobus, et hoc in anno 30 post passionem factum est, juxta totam æclesiam atque omnes historicos satis apparet quod sexto Kal. April. surrexit Dominus. Hic itaque annus 5 Neronis ratione temporis, secundum vero falsam supputationem Olympiadum, ejus est septimus, in quo antea juxta Bedam ac Theophilum in octavo Kalend. April. Dominum resurrexisse narravimus. *Resurrectionem enim Christi in hoc anno octavo Kal. Aprilis sanctus Beda sic putat, propter supputationem iniquam cronicae* [107] *Eusebii, et post eam suam cronicam composuit ab incarnatione Domini, sicut ipse dicit.* Jacobo vero passo, in tronum ejus successit suus frater Simeon qui et Simon adsumitur. Hi fratres Domini dicuntur, quia mater eorum Maria, uxor Alphei, soror erat Mariæ, matris Domini. Quam Mariam Cleopæ dicit Johannes, vel quod Alpheus Cleopas, vel post natum Jacobum defuncto Alpheo Maria nupsit Cleopæ, cui Symeonem filium genuit; qui Cleopas fuit frater Josephi. [Hieronimus (*adv. Helvidium* Op. IV, II, p. 138) [108] : Ipsa etiam Maria est, que Jacobi minoris scribitur mater, fuit uxor Alphei et soror matris Domini; quam Mariam Cleopæ Johannes dicit, a patre, vel a gentilitate familiæ, vel alia causa, vel binomia fuit. — Fratres Domini appellantur filii materteræ ejus Mariæ, qui antea non credentes, postea crediderunt; vel unus eorum statim credidit alii diu non. Et hanc esse matrem Jacobi et Josetis, id est Maria Cleope, uxorem Alphei, hanc dictam Mariam Jacobi minoris; quæ est mater Jacobi et Joseph secundum Matheum.]

65. 7. [XLIII.] (HIER.) *Pius et Tupilianus.* Nero Rome cithara contendens.

66. 8. [XLIV.] (OROS. VII, 7) *Macrinus et Gallus.* Nero retibus aureis piscaretur, quæ funibus purpureis extrahebantur. Ante mensam Neronis fulmen cecidit.

67. 9. [XLV.] *Crassus et Bassus.* Marcus evangelista carne exuitur sancto die paschæ, 7 die Kalend. Maii, ut legitur in martirologio : « Marci evangelizæ nativitas 7 Kal. Maii. » — (EUSEB. *Hist. eccl.* II, 15, 16.) Hic discipulus et interpres sancti Petri apostoli, rogatus Romæ a fratribus, scripsit evangelium; quod quanto ceteris tardius inchoavit, tanto in longiora scribendo tempora porrexit. Ab initio enim evangelicæ predicationis, quod per Joannem factum, cepit, usque ad tempus quo apostoli predicavere pervenit. Quod cum Petrus audisset, probavit, et æclesiis legendum sua auctoritate edidit. Quo evangelio assumpto, idem Marcus, mittente Petro, perrexit in Ægyptum, et primum Alexandriæ Christum nuntians, constituit æclesiam. Erat autem tanta doctrina vitæque continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum suum cogeret. Cujus Petrus in prima epistola meminit (v, 13), Romam nomine Babilonis nominans : « Salutat vos quæ est in Babilone collecta, et Marcus filius meus. » Quique constitutis et confirmatis æclesiis per Libiam, Maricam, Hammonicam, Pentaopolim, Alexandriam atque Egyptum universam, ad ultimum tentus est a paganis [*Bedæ mart.*] qui remanserunt in Alexandria. Qui videntes eum missas facientem, die sancto pascha, 7 Kal. Maii, misserunt funem in collum ejus, et trahebant eum ad loca Bucoliæ quæ erant juxta mare sub rupibus, ubi erat æclesia constructa, defluebantque carnes ejus [in terram], ac saxa inficiebantur sangine. Vespere autem facto, misserunt eum in carcirem, ubi circa mediam noctem primo angelica vissitatione confirmatus est. At mane, dum tracheretur ad loca Bucoliæ, gratias agens [et dicens] « Domine, in manus tuas commendo spiritum meum, » obiit, et sepultus est in loco lapidis excissi cum gloria, a viris sanctis, octavo anno Neronis. Hæc in martirologio. Quod autem nostrum, non Ebreorum pascha celebravit, Marcus testis est, et etiam Beda super acta apostolorum ita' : « Constat jam apostolum Petrum Rome die dominico resurrectionis domini nostri Jesu Christi pascha celebrasse. Constat etiam hoc, evangelistam Marcum ab eo missum docuisse in Ægypto. » Hæc Beda

VARIÆ LECTIONES.

[105] *lege :* revclationem. [106] *Hæc sec. manu in marg. inferiore fol.* 105, *scripta sunt ibique sequuntur :* Beatus Petrus secundum gesta pontificum ordinavit duos episcopos, *etc. quæ infra ad a.* 71. *iterum scripta sunt.* [107] c *postea additum esse videtur* 1. [108] *in margine sec. manu. A verbis* fratres Domini *eadem manu, sed alio atramento.*

Digitized by Google

(*Retract.* ad. c. xxi). Quoniam igitur indictione decima incepit primus annus Neronis, in 22. anno post passionem, et indictione tertia, octavus ejusdem annus finitur, in anno 33. post passionem, in quo 7. Kal. Maii Dominico die pascha passus est Marcus, et pagani carnes ejus in terram radiebant, tamen adhuc spiritum retinens usque mane : nonne emicat, quod Christus 6. Kal. Aprilis resurrexit a mortuis? Pascha enim. 7. Kal. Maii non ante vel post predictum annum quam 92 annis habetur. — (Hier.) Post Marcum evangelizam primus Alexandrinæ æclesiæ ordinatur episcopus Anianus, qui prefuit annis 22.

68. 10. [xlvi] (Hier.) *Silanus et Paulinus.* Perseus obiit anno ætatis 29. Thereme [109] a Nerone ædificatæ quas Neronianas appelavit. Nero Rome in citarizarum agone contentens [110], cunctos superat. M. Anneus Lucanus Cordubensis poeta, in Pissoniana conjuratione deprehensus, brachium ad seqandas venas prebuit medico. Nero ut similitudinem Troiæ ardentis inspiciret, plurimam partem Romanæ urbis accendit. In Assiæ tres urbes terræ motu conciderunt, Laudacia, Hiarapolis, Colasse. Albino succedit Florus, sub quo Judei contra Romanos rebellaverunt. Junius Gallio, frater Senice, egregius declamator, propria se manu interfecit. Non est acta ante Neronem in suam presentem [111] defferente.

69. 11. [xlvii] (Hier.) *Censinus et Apulcius.* Duæ tantum sub Nerone provinciæ factæ, Pontus Polemiacus et Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto. Multi nobilium Rome a Nerone interfecti. Nero in Olympiade coronatur. Cericas, citharistas, tragœdos, aurigas vario certamine superans.

70. 12. [xlviii] (Hier.) *Capito et Rufus.* L. Annius Seneca Cordubensis, preceptor Neronis et patruus Lucani poetæ, incisione venarum et veneni haustu periit. Rursum Nero Sthimia, Phithia, Actia celebrans, inter cericas, tragœdos et citharizas coronatur. [Linus his consulibus passus 9. Kal. Octobris. Cletus corepiscopus successit annis 12, m...]

71. 13. [xlix] (Hier.) *Italicus et Turpilianus.* Nero in expensas centias centena milia decretu senatus annua subministrat. Nero cum ceteris viris insignibus et Octaviam uxorem suam interfecit, Cornutumque filosophum et preceptorem Persii in exilium fugat [112]. Musonius et Plutharchus filosofi clari. [Petrus, sicut in gestis pontificum habetur (*in quibusdam codd.*), Clementem episcopum consecravit, eique cathedram et omnem eclesiam disponendam commisit, dicens : « Sicut mihi gubernandi tradita est a domino meo Jesu Christo potestas ligandi solvendique, ita et ego tibi committo, ut ordinans dispositores diversarum causarum, per quos actus eclesiasticos profligatus, tu minime in curis seculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem et predicare populo vacare stude. » — Petrus [113] ordinavit duos episcopos, Linum et Cletum, qui presentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo vel supervenientium exhiberent. Beatus [114] autem Petrus ad orationem et predicationem populum erudiens vacabat.—(*Lib. pont.*) Linus fuit tempore Neronis, a consulatu Saturnini et Scipionis usque ad Capitone et Rufo consulibus; martirio coronatus et sepultus juxta corpus beati Petri in Vaticano, 9. Kal. Octobris. Cletus fuit temporibus Vespasiani et Titi, a consulatu Vespasiani [115] 7. in Domitiano [116] 5. usque ad Domitiano [117] et Rufo consulibus, passus et sepultus 6. Kal. Maii juxta corpus beati Petri in Vaticano. Clemens fuit temporibus Galbe et Vespasiani, a consulatu Tragali et Italici usque ad Vespasiano nono et Tito.

[*Cod. in marg.* Prima persecutio æcclesiæ.

72. 14. [l] (Hier.) *Silvanus et Otho.* [His consulibus, teste Cassiodoro, Nero Petrum et Paulum et sese interfecit.] L. Annius Melas, frater Senecæ et Callionis, bona Lucani poetæ filii sui a Nerone prometur. (Beda.) Primus Nero super omnia scelera sua etiam primam persecutionem in Christianos facit, in qua una die beatus Petrus crucifigitur et Paulus gladio ceditur, [anno 38. post passionem]. (Hier.) Contra Judeos, qui Cesti Florii avaritiam non ferentes rebellant, Vespasianus magister militiæ a Nerone transmittitur. Vespasianus multas urbes in Judea capit. Flavius Josephus scriptor historicus, dux belli Judeorum, cum a Romanis interficiendus esset, Vespasiano predixit de morte Neronis et ejus imperio.

Leo secundus, successor Agathonis papæ, in sua decretali epistola sic : « Si autem Petrus princeps apostolorum adjutores sibi scivit Linum et Cletum, non tamen potestatem pontificii, animas ligandi vel solvendi normam, eis tradidit; sed Clementi successori suo, qui sedem apostolicam post eum et potestatem pontificalem, tradenti sibi beato Petro apostolo, tenere promeruit. Linum nanque et Cletum nihil legimus umquam egisse ex pontificali ministerio potestative, sed quantum eis a beato Petro precipiebatur, tantum solummodo agebant. » Hæc Leo papa. — Clemens ergo papa primus post petitionem Romanam æclesiam tenuit, vel cum Lino et Cleto sicut cum Petro fuerat. Post Petrum, immo etiam cum Petro, primus papa sanctus Clemens Romanam regit æclesiam, ipso ita teste. Decretalis epistola Clementis Romani pontificis : « Clemens Romanæ æclesiæ presul, Jacobo karissimo Hierusolimarum episcopo (epist. 2, Labb. *Conc.* I. p. 59). Quoniam, sicut a beato Petro apostolo accepimus, omnium apostolorum principe et patre, qui claves regni celestis accepit, æqualiter tenere debemus de

VARIÆ LECTIONES.

[109] *lege :* Thermæ. [110] *lege :* contendens. [111] *lege :* presentiam. [112] fugati 1. [113] *Eadem supra leguntur* 1, *v. a.* 64. [114] Petrus vero *supra. a.* 64. [115] Vespani 1. [116] *lege :* et Domitiani. [117] usqué adōiano 1.

Digitized by Google

sacramentis quæ geruntur in sanctis, te ex ordine nos decet instituere. Tribus enim gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est presbytero, diacono et subministro; hi cum timore et tremore reliquias corporis Dominici debent custodire fragmentorum, neque putredo in sacrario, et neque agatur negligenter, nec portioni corporis et sanguinis Domini gravis inferatur injuria. Communio enim domini nostri Jesu Christi si negligenter agatur, et non curat admonere officia, gravi anathemate percutsus, pro judicio digna humiliationis plaga feriantur. Certe tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debent; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore et tremore clericorum consumantur. Qui autem residua corporis Dominici, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, nec putent sanctæ portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum defunditur. Si igitur mane Dominica pars porrigatur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserint; et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperum. Sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt sacramenta. De vassis sacris sane ita gerendum est: Altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendentur; quoniam non licet ea quæ in sacrario fuerunt male tractari; sed incendentur. Cineres quoque eorum in babtisterio inferantur, ubi nullus transitus habeatur, aut in pariete vel in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. Nemo per ignorantiam clericus palla mortuum credat obvolvendum, vel scapulas operiere diaconus velit, de his quæ fuerint in altare. Qui fecerit vel leviter, si diaconus, triennio et sex mensibus a Dominico erit altari, gravi percussus anathemate, removendus. Quod si clericos prespiter non admonuerit, 10 annis et 5 mensibus excommunicatus sit. Qui non docuit eos de his, et postea cum grandi humilitate matri reconcilietur ecclesiæ. Pallas vero et vela sanctuarii [118] diaconi cum humilibus ministris intra sacrarium lavent, ne forte pulvis Dominici corporis foras extra sacrarium male decidat, sindone foris delata, et erit hoc operanti peccatum; ideo in sacrario ministris precipimus cum omni diligentia custodire. Pelvis nova, munda, cui nihil aliud tangat ad Dominici altaris [cultum], ubi pallæ laventur. Vela autem non ipsa, sed in alia laventur. Precipimus etiam, ne extra ecclesiam sive laico de fragmentis oblationum ponatur ad mensam. Unde scis tu, qui passim sacrarii panes indignis impendis, unde nosti, si a mulieribus mundi sunt hi quibus impendis? Hinc et David, interrogatus ab Abimelech sacerdote, cum se mundum ante triduum profiteretur a muliere, panes propositionis manducavit.

A Ministri altaris prespeteri sive diaconi ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges suas reliquerunt. Quod si post ordinationem ministro contigerit propriæ invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrari portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem [accedat], aquam sacerdotum manibus porrigat, ostiam forinsecus claudat, minora gerat officia, urceum sane ad altare vel calicem non suggerat. Si forte quispiam prespiter sive diaconus sacrarii vel velum vendiderit, noverit se Judæ Scariothis suscepturum penam. » Et postea ita concludit Clemens: « His ergo bene parete [119] sententiis; ne quis hæc precepta minime credat implenda, et B judicii Dei ignis æterni tormenta sustineat, qui æclesiastici operis sacra neglexerit. Hæc ergo, frater Jacobe, de ore sancti Petri jubentis audivi. Si quis hæc precepta non integra custodierit, sit anathema usque ad adventum domini nostri Jesu Christi. Hæc precepta a sancto Petro apostolo accepi, et tibi, karissime frater Jacobe, insinuare curavi, ut servari omnia precipias sine macula. Si quis audierit te, utilis minister erit Jesu Christi. Qui autem non audierit te, immo loquentem Dominum per te, ipse sibi damnationem adquirit. Omnipotens Deus, karissime frater, sua te protectione custodiat, atque ad celestis remunerationem patriæ cum multiplici animarum fructu perducat. Deus te iterum iterumque incolomem custodiat, reverentissime frater. Amen. » C Alia decretalis epistola Clementis Romani episcopi, successoris Petri (epist. 3, ib., p. 53): « Clemens urbis Romæ episcopus, » et reliqua. Et infra sic: « De quibus et beatus Petrus, instructor et ordinator noster, » Et paulo post: « Hæc apostoli a Domino acceperunt et nobis tradiderunt. Hæc nos docemus, vobisque hæc omnibus absque reprehensione tenere et docere, quibus agendum est, mandamus. » Et post: « Dominus noster Jesus Christus mittens discipulos suos, precepit nobis, in quacumque civitate intraveritis, dicite: « Pax huic domui, » et reliqua. Alia epistola: « Clemens Romanæ urbis episcopus karissimis fratribus Julio et Juliano, » et reliqua. Alia epistola (*epist.* 5, ib., p. 64): D « Dilectissimis fratribus et condiscipulis Hierusolomis, cum karissimo fratre Jacobo episcopo habitantibus, Clemens episcopus, » et reliqua. Hæc dixit sanctus Clemens. — Sanctus ergo Clemens non tantum successor beati Petri fuit, sed etiam vivente Jacobo, novem annis ante passionem Petri, Romanam cathedram tenuit, juxta scripturam et deinde post Petrum 21, id est 12 cum Cleto vel cum Linio et Cleto, et 9 annos post eos, usque dum in exilium missus est. Si sanctus Clemens papa fuit tunc, quando decretalem istam epistolam sancto Jacobo conscripsit. Nullius autem legitur decretalis

VARIÆ LECTIONES.

[118] *ita* I. [119] parâte I[a]

Digitized by Google

epistola nisi papæ. Qui anni novem ejus imputantur, quasi post Cletum tantum ipsis solis cathedram teneret, et pretermittitur Ancletus papa secundus, post Petrum decem annis sedens, quia non possunt sub regibus subputari usque ad Trajanum imperatorem papæ quatuor. Jacobus enim in anno trigesimo post passionem, et Petrus 39, passus sit. Trajanus etiam in anno 70, post passionem regnare cepit. Sub quo passus est sanctus Clemens. Nullum autem gravi anathemate sententiæ percussisset sanctus Clemens, nec episcopali potestate sedis apostolicæ dicendo : « Sit anathema. »

Linus ex precepto beati Petri precepit (*H. pont.*), ne mulier invelato capite æclesiam intret. Cujus Paulus in epistola ad Thimotheum meminit (Adon. *Mart.*); qui etiam martirio 6. Kal. Decembris coronatur (*II Tim.* IV, 21). Romæ passi Processus, Martinianus, et 47 qui babtizati sunt a beato Petro, et in custodia Mamortini retrussi, Torpes, Marcellus, Apuleius ; in Alexandria Marcus evangelista octavo anno Neronis; Mediolanis Nazarus, Celsus; apud Maceriam Aquileiam Hermagoras episcopus, Fortunatus diaconus, cum Constantia.

Orosius prespiter sic (VII, 7) : « At vero Nero, postquam Galbam in Hispania imperatorem creatum ab exercitu cognovit, totus animo ac spe concidit; » siquidem Petro in urbe Roma interfecto et Christianis penarum diversitate laniatis, de Hispania ilico Galba surrexit. (Oros. Hier.) Cumque inde Nero incredibilia perturbandæ, immo ignominiosissime subruendæ rei publicæ mala moliretur, hostis a senatu pronuntiatus, et ignominiose fugiens, ad quartum ab Urbe lapidem, id est ad quartum miliarum, in suburbano libertini sui, inter Salariam et Numentanam viam, semetipsum occidit, ætatis 32. anno, in quo omnis familia Augusti consumpta est.

Romanorum 7. *Galba Servius, mox ut mortem Neronis comperit*, Romam venit. (Oros. VII, 8. *H. Rom.*) Qui cum antiquissimæ nobilitatis senator anno 63. ætatis esset, ab Hispanis et Gallis electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus est. Nam privata ejus vita insignis erat militibus et militaribus ac civilibus rebus, sæpe consul, sepe proconsule, frequenter dux gravissimis bellis. Hujus breve imperium bono cepit exordio, nisi propensior erat ad severitatem. Orosius sic (VII, 8) : « Cumque omni avaritia, sevitia segnitiaque offenderet, sibi Pisonem nobilem industriumque adolescentem in filium atque in regnum adoptavit. (*H. Rom.*) Cum quo insidiis Othonis in medio urbis Romæ foro capite truncatus est, mense septimo, septemque diebus sui imperii; et sepultusque est in suis ortis, qui sunt via Aurelia, non longe a Roma. » Hæc Orosius. Hic igitur regnavit usque mensem Julium, in anno 39. post passionem, juxta temporis rationem.

73. 1. [LI] (Hier.) *Vespasianus et Titus.* M. Favius Quintillianus Romam a Galba perducitur. (Oros.) *Romanorum* 8. *Lucius, qui et Otho, Galbæ et Pisone Romæ interfectis*, inter tumultus cedesque intravit imperium. (*H. Rom.*) Hic matre erat nobilior quam patre, neutro tamen obscuro; in privata vita mollis et Neronis familiaris, in imperio documentum sui non potuit ostendere. Nam cum Otho Galbam occidit, a Germanis Vitellius factus est imperator. (Oros.) Otho ergo cum mox creatum imperatorem in Gallia per Germanicas legiones Vitellium comperisset, bellum civile molitus est. Cum autem tribus primum levibus prelis, hoc est uno apud Alpes, alio circa Placentia, tertio circa locum quem Castoris vocant, contra Valentem et Cinna Vitellianos duces congressus victor exstetisset (Jos. *De bello. Jud.* V, 8, *H. Rom.*) quarto apud Betriacum preleio, cum advertisset suos vinci, cum ingentes tamen copias haberet, et petentibus militibus ne tam cito de eventu belli disperaset, dixit se tanti non esse, ut propter eum bellum civille oriretur. Anno 38. ætatis, imperii autem die 90, quam imperare ceperat, sese interfecit; hoc est usque in mense Octobrem, in eodem anno quo Galba occissus sit. Cui successit Vitellius.

Romanorum nonus rex Vitellius regnavit mensibus 8, *diebus* 8, usque octobrem mensem, in anno 40. post passionem.

74. 1. [LII] (Hier.) *Vespasianus* 2. *et Titus* 2. His consulibus, Cassiodoro teste, Vespasianus apud Judeam ab exercitu imperator apellatus est. (Oros.) Vitellius, occisso Othone, potitus imperio, cum suis Othonisque militibus ingenti gloria victor Romam advenit (*H. Rom.*) Hic familia honorata ortus magis quam nobili. Namque pater ejus non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gessit consulatus. Hic cum multo dedicore et gravi sevitia notabilis, precipue ingluvie et voracitate vitam humanam propriis malis aggravavit; quippe cum de die sæpe quarto vel quinto fertur epulatus. Notissime certe cena memoriæ mandata est, quam ei frater Vitellius exibuit, in qua super ceteros sumptus 2000 piscium et 7000 avium apposita traduntur. Hic cum Neroni similis esse vellet, et id adeo se preferret, ut etiam exsequias Neronis, quæ humiliter sepultæ erant, honoraret. (Oros.) Qui cum de Vespesiano comperit, primum molitus est deponere imperium; sed postea a quibusdam animatus, Sabinum, Vespasiani fratrem, nihil tum mali suspicantem, cum ceteris Flavianis in Capitolium compulit. Succensa itaque templo, et mixta simul flamma ruinaque, omnes in unum pariter interitum atque tumultum dedit. Post deficiente in Vespasiani nomine, et ab exercitu suo destitutus, appropinquantibusque jam hostibus trepidus, cum se in quandam proximam Palatio cellam contrusisset, turpissime inde protractus est, et per viam et Urbem pupliee nudus super terram, erecta coma et capite ei subjecto ad mentum, et passim fimum in os ejus conjectantibus carnificibus, in forum deductus est, et ad pectus ab omnibus oviis appetitus; postremo apud Gemonias

Digitized by Google

scalas graduum minutissimorum ictuum crebrisque compunctionibus, gladio stercore involuto, excarnificatus est, et inde unco tractus, in Tiberem projectus, commune etiam sepultura caruit. (*H. Rom. et* Oros.) Vitellius vero occissus est 3. die mensis Octobris, Josepho Judeorum historico teste et tunc vivente. (*De b. Jud.* v, 13.) Eusebius sic. « Galba 7. mense imperii sui in medio Romanæ urbis fore capite truncatur. (Hier.) Otho 3° regni sui mense apud Vetriacum proprio manu occubuit. Vitellius 8. mense sui imperii a Vespasiani ducibus occissus, in Tiberim projecitur. » Hæc Eusebius. Hoc autem tempus inter Neronem et Vespasianum nec Eusebius necque etiam Beda supputat. (Oros.) Multis autem et nefaris modis post (Jos. *l. l.*) complures dies a Vespasiani militibus, id est ab Antonio Primo et Martiano, qui Vitellium occiderunt, ducibus Vespasiani, adversum senatum populumque Romanum indiscreta cede sævitum est. (Oros.) Vespasianus autem (Jos. *ib.* VII, 9) cum Judeos in urbe Hierusolimorum, precipue ob diem festum paschæ congregatos, obsidione clusisset, cognita morte Neronis, hortatu plurimorum regnum [120] et ducum, maxime Josephi Judeorum ducis sententia — qui captus cum in vincula conjiceretur, constantissime dixit, sicut Suetonius refert, continuo se ab eodem Vespasiano sed imperatore solvendum,— imperium adeptus (Hier.), bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur. (Oros.) Sed cognita morte Vitellii, paulisper Alexandrie substitit. Titus vero ab exercitu pronuntiatus est imperator. Muros urbis universos solo coequavit. 600 milia Judeorum interfecta eo bello, Cornelius et Suetonis referunt. Josephus vero Judeus, qui ipse prefuit bello et apud Vespasianum post predictum imperium veniam gratiamque meruit, scribit, undecies centena milia gladio et fame perisse. Reliquias autem toto orbe dispersas, numero 900 milia, narratur. — Vespasianus et Titus imperatores appellati. (Cf. *Hier.*)

Romanorum 10. *Vespasianus secundum omnes regnavit annis* 9, *menses* 11, *dies* 22, hoc est usque Kalendas Octimbr. in anno 50. post passionem.

75. 1. [LIII] (Hier.) *Vespasianus* 3. *et Nerva.* Capitolium Rome incensum.

76. 2. [LIV] (Hier.) *Vespasianus* 4. *et Titus* 3. His consulibus a Tito, filio Vespasiani, Judea capta est. Ut Josepus dicit, undecies et centena milia fame et gladio perierunt et centum milia captivorum sunt venditi. Evangelium secundum Matheum : « Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur (*Matth.* XXIV, 2). » Hieronimus sic : « Juxta historiam manifestus est sensus, quia 42. anno post passionem, sub Vespasiano et Tito, ipso cum templo magnificentissimo civitas funditus est eversa, ita ut solo coequaretur. » Hæc hieronimus. In anno ergo 42. post passionem, hoc est cum anno passionis, in quo incepit Vespasianus annum 2, capta est Hierusalima, in diebus paschæ, Josepho teste et ibi presente. [Sanctus [121] quoque Spiritus per os David sic : « Quanta malignatus est inimicus in sancto, et gloriati sunt qui oderunt te in medio paschæ » et reliqua.] Cum enim noluerunt verti ad penitentiam, Domino eos exspectante per annos 40, dignum erat ut in tempore quo occiderunt Dominum etiam ipsi occiderentur. Pascha enim Hebreorum anno predicto contigit quarta feria, in qua congregati sunt omnes principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et concilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent (*Matth.* XXVI, 3, 4). Nostrum autem pascha 8. Kal. Aprilis, in quo crucifixerunt Dominum, in quibus Titus hisdem diebus capit civitatem, deinde templum incendit, muros urbis universos solo coequavit; et undecies centena milia gladio et fame periisse scribit Josephus Judeorum historicus et tunc presens, et centum milia captivorum vendita et 90 milia dispersa. Ideo autem tanta multitudo Hierusalem erat tunc, quia ex omni Judea ad templum in diebus azimorum confluebant (cf. *Oros.* et *Hier.*).

77. 3. [LV] *Vespasianus* 5. *et Titus* 4.

78. 4. [LVI] *Vespasianus* 6. *et Titus* 5.

[*Cod. in margine.* Quartus decennovenn. cyclus incipit indict. 15].

79. 5. [LVII] *Vespasianus* 7. *et Titus* 6. Vespasianus Capitolium edificare orsus est. In Alexandria facta est seditio. Achaia, Aliciarchodus [122], Bizantium, Samus, Trochia Celicia, Commagine, quæ liberæ antea et sub regibus amicis erant, in provincias redactæ.

80. 6. [LVIII] (Hier.) *Commodus et Rufus.* Colossus erectus est, altitudinis habens [pedes [123]] centum septem.

81. 7. [LIX] (Hier.) *Vespasianus* 8. *et Titus* [7]. Asconius Pedianus scriptor historicus clarus habetur, qui 73° etatis suæ anno captus luminibus, 12 postea annis in supremo omnium honore consenescit.

82. 8. [LX] (Hier.) *Vespasianus* 9. *et Titus* 8. Gabianus rethor [nomine [124]] celeberrime in Gallia docet.

83. 9. [LXI] (Hier.) *Silvanus et Verus.* Tres civitates Cipri terræ motu corruerunt. Lues ingens Rome facta, ita ut per multos dies in efemeridem 10 milia ferme mortuorum hominum efferentur.

84. 10. [LXII] (Hier.) *Domitianus et Messalianus.* Vespasianus colonias deduxit. Apollinaris episcopus ad Ravennam missus, passus. (Reg.) Vespasianus profluvio ventris in villa propria circa Sabinos obiit,

VARIÆ LECTIONES.

[120] lege regum. [121] *signo posito, summo in margine adscripta sunt, prima manu ut videtur,* 1. *Desunt* 2. [122] *lege* Lycia, Rhodus. [123] *post add. sec. manu* 1. [124] *add. rec. manu* 1.

Digitized by Google

69. ætatis anno. (HIER.) [Et Titus sibi successit, his consulibus, Cassiodoro teste.]

Romanorum 11. *Titus, filius Vespasiani, juxta historiam Romanam, regnavit annis* 2, *mensibus* 8, *diebus* 20, *hoc est usque Kal. Junii, in anno* 53. *post passionem Domini.*

85. 1. [LXIII] (HIER.) *Domitianus et Rufus.* Titus, filius Vespasiani, in utraque lingua disertissimus fuit et tantæ bonitatis, ut, cum quadam die recordatus fuisset in cena nihil se in illo die cuiquam prestitisse, dixerit : « Amici, hodie diem perdidi. » Mons Vesp.us ruptus, in vertice tantum ex se jecit [125] incendi, ut regiones vicinas et urbes cum hominibus exureret.

86. 2. [LXIV] (HIER.) *Domitianus* 3. *et Sabinus.* Titus Musonium Rufum philosophum de exilio revocat. Titus amphitheatrum Romæ ædificat, et in dedicatione ejus quinque milia ferarum occidit. Rome plurimæ ædes incendio concremantur. Titus ob insignem mansuetudinem delicias humani generis appellatus est. Titus obiit in villa, qua et pater, anno ætatis 42, imperii autem anno 2, mense 8, die 20, secundum historiam Romanam. Cui successit frater ejus junior Domitianus, [predictis consulibus, Cassiodoro teste].

Romanorum 12. *Domitianus regnavit annis* 15, *mensibus* 5, secundum [omnes], hoc est usque ad Kal. Novembris, in anno 68. post passionem. Sub quo hi consules.

87. 1. [LXV] (HIER.) *Domitianus* 4, *et Rufus.* Domitiani uxor augusta appellatur. [Cletus his consulibus passus est 6. Kal. Maii, secundum gesta pontificum.]

88. 2. [LXVI] (HIER.) *Domitianus et Dolabella.* Decreto senatus Titus inter deos refertur.

89. 3. [LXVII] (HIER.) *Domitianus* 6. *et Rufus* 4. Domitianus iunuchos prohibuit. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnatæ. [Linus papa ann. 11.]

90. 4. [LXVIII] (HIER. [126]) *Flavius et Trajanus.* Plurimos senatorum Domitianus in exilium mittit.

91. 5. [LXIX] (HIER.) *Domitianus* 7. *et Nerva.* Secundus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus constitutus Abilius, qui prefuit annis 15.

92. 6. [LXX] (HIER.) *Trajanus* 2. *et Gabrio.* Domitianus templum sine lignorum admixtione construxit. Primus Domitianus dominum et deum appellari se jussit. Nassamones et Daci dimicantes adversus Romanos victi. Cujus anno 6. Clemens papa in exilium missus, ut videtur, cum annis 9 et mensibus 2 et diebus 10 post Cletum cathedram teneret (*Lib. pont.*).

93. 7. [LXXI] (HIER.) *Domitianus* 8. *et Saturninus.* Duo menses aliter appellati, Septimber Germanicus et October Domitianus.

Ancletus papa post Petrum 2. *Clementi successit, annis* 10, *ipso ita teste :* Decretalis epistola Ancleti papæ (ep. 1, p. 63). « Ancletus, servus Christi Jesu, in sede apostolica, » et reliqua. Et infra : « Nullus, ut ait beatus Clemens, antecessor noster, » et reliqua. Alia (ep. 2, p. 68) : « Ancletus papa universis episcopis in Italia constitutis. Quoniam apostolicæ sedis debitam reverentiam erga me caritas vestra distribuit, » et reliqua. Et post : « Et ut a beato Petro principe sumus instructi, a quo et prespiter sum ordinatus, » et reliqua. « Provinciæ autem multo ante adventum Christi tempore divisserunt maxima ex parte; et postea ab apostolis et beato Clemente precessore [nostro] ipsa divisio est renovata, » et reliqua. Alia (ep. 3, p. 72) : « Ancletus, servus Jesu Christi, in apostolica sede a Domino constitutus, et a sancto Petro apostolorum principe prespiter ordinatus. Quoniam actenus de his a beato Petro apostolo et reliquis apostolis et beato Clemente nostro precessore et martire novimus statutum, denegare vobis minime possimus. Illi autem, qui in metrapoli a beato Petro, ordinante Domino, et precessore nostro, predicto sancto Clemente, sive a nobis constituti sunt, non omnes primates esse possunt, » et reliqua. Et post : « Aliæ autem primates civitates, quas vobis conscriptas in quodam tomo mittimus, a sanctis apostolis et a beato Clemente sive a nobis primates predicatores acceperunt. Hæc vero sacrosancta Romana et apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, dicens beato Petro apostolo : « Tu es Petrus, » et reliqua usque « Erunt soluta et in cœlo. » Adhibita est etiam societas in eadem Romana urbe beatissimi Pauli apostoli, vassis [127] electionis, qui uno die unoque tempore glorioso morte cum Petro, sub principe Nerone agonizans, coronatus est. » Et post : « Ait ergo apostolorum princeps beatus Petrus de sancto precessore nostro Clemente, plebibus predicando, docens eas qualiter ei obedire debirent eumque observare : « Si inimicus est alicui Clemens pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat : « Cum illo vos nolite amici esse; » sed prudenter observare debetis et voluntati ejus absque communione [128] obsecundare, et āre [129] vos separate ab eo cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his quibus ipse non loquatur, ut unusquisque, qui in hac culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei qui omnibus preest; et per hoc redeat ad salutem, cum obedire ceperit monitis presidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui extermi-

VARIÆ LECTIONES.

[125] jecti 1. [126] *Hoc anno prima manu in dextero margine adnotatur :* Vespasianus ann. IX. mensibus XI. diebus XX unus; *et ita in sequentibus imperatorum nomina et anni recensentur, qui ad annos vulgaris æræ in dextero parte positos pertinent.* [127] *i. e.* vasis. [128] *lege* commonitione. [129] *ita* 1. avertere vos ab eo *Edit.*

Digitized by Google

nare Dei ecclesiam volunt, » et reliqua. Hec Ancletus papa ait. Ancletum (123) vero omnino Eusebius prætermissit, quoniam Linus et Cletus, qui non fuerunt papæ, et Clemens atque Anacletus a passione Petri in ultimo anno Neronis usque ad Trajanum non possunt simul sub regibus stare. In loco annorum enim Clementis, quibus post Petrum cum Lino et Cleto, si simul post Petrum vivi fuerunt, vel cum Cleto tantum Clemens cathedram tenuit, Linus et Cletus sunt possiti; et in loco Ancleti papæ, qui post Clementem decem annis successit, Clemens possitus.

91. 8. [LXXII] (HIER.) *Silvanus et Priscus.* Quintillianus, ex Hispania Calagurritanus, primus Rome publicam scolam et salarium e fisco accepit et claruit.

95. 9. [LXXIII] (HIER.) *Asprenas et Clemens.* Domitianus plurimos nobilium in exilium mittit atque occidit; mathematicos et philosofhos Romana [130] urbe pepulit.

96. 10. [LXXIV] (HIER.) *Domitianus* 9. *et Clemens* 2. Multa opera in Roma facta, in quibus Capitolium, forum transitorium, divorum porticus, Isium ac Serapium, stadium, horrea piperaza, Vespasiani templum, Minerva Calchidica, odium, forum Trajani [131], thermæ Trajanæ et Ticianæ, senatus, ludus matutinus, mica aurea. [His consulibus Ancletus papa obiit, secundum gesta pontificum.]

97. 11. [LXXV] (HIER.) *Nerva* 2 *et Rufus.* Domitianus de Dacis et Germanis triumphavit. Domitianus tantæ superbiæ fuit, ut aureas et argenteas statuas sibi in Capitolio poni jussit.

98. 12. [LXXVI] (HIER.) *Fulvius et Ve:us.* Maxima virginum Vestualium Cornelia convicta stupri, juxta legem viva defossa est. Domitianus prohibuit vites in urbibus seri.

99. 13. [LXXVII] (HIER.) *Sabinus et Antoninus.* Et Joseppus vicessimum librum antiquitatum hujus temporis scribit. Domitianus multos nobilium perdidit et quosdam in exilium missit.

[*Cod. in marg.*, Persecutio secunda.]

100. 14. [LXXVIII] (HIER.) *Nerva* 3. *et Trajanus* 3. Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur; et sub eo apostolus Johannes in ferventis olei dolium ante portam Latinam Rome missus (REG., BEDA, HIER.), sed nihil lessus tamen, quia a corruptione carnis erat immunis; deinde in Pathmum insulam relegatus apocalipsin vidit, quam Hirenius interpretatus est. [His consulibus Clemens papa passus est, secundum gesta pontificum.]

101. 15. [LXXIX],[132] (HIER.) *Senecio et Palma.* [Domitianus rursum philosofos et mathematicos Romæ per edictum extrudit. Apollonius Tianius et Eufrates insignes philosophi habentur. Romæ 6 Kal. Mai natalis Ancleti papæ et martyris, sub Domitiano passi (BEDÆ *Mart.*), qui memoriam beati Petri construxit et compossuit, ubi episcopi reconderentur (*Lib. pont.*).

Evaristus papa 3. *annis* 10, *mensibus* 2.

102. 16. [LXXX] (HIER.) *Trajanus* 4. *et Fronto.* Domitianus eos qui de genere David erant interfici jussit, ut nullus Judeorum regni reliquus foret. Scribit Bruttius, plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martirium, inter quos et Flaviam Domicillam, Flavi Clementis consulis ex sorore neptem, in insulam Pontianam relegatam, quia se Christianam esse testata [133] est. (*H. R.*) Multa signa atque portenta Romæ et toto orbe facta. Domitianus suorum conjuratione occissus est in palatio, anno ætatis 35, et per vispiliones ignobiliter portatus, [et Nerva successit, his consulibus, Cassiodoro teste].

Romanorum 13. *Nerva, Josebio et Beda teste, regnavit anno* 1, *mensibus* 4, *diebus* 8, hoc est usque ad Kal. Martii, in anno 70. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

103. 1. [LXXXI] (HIER.) *Trajanus* 5. *et Ofitus.* Alaxandriæ 3. episcopus Cerdo annis 11. Senatus decrevit ut omnia quæ Domitianus statuerat in irritum deduceretur. Itaque multi quos injuste jecerat de exilio reversi, nonnulla bona propria reciperunt.

104. 2. [LXXXII] (HIER.) *Senecio* 2. *et Sura.* Aiunt et apostolum Johannem inter reversos de exilio solutum, Effhesum revertisse; in qua urbe et hospitiolum et amicos amantissimos sui habebat. (BEDA.) Evangelium quoque contra hereticos conscribit. Justus a Tiberiade Judeorum scriptor agnoscitur. (HIER.) Rome passus Eutices, Victorinus et Mauro; apud Amiterninam urbem Victorinus episcopus, frater Severini. (REG.) Nerva obiit in ortis Salustianis, 72. ætatis anno, cum jam Trajanum adoptasset in filium, [his consulibus, teste Cassiodoro]. (HIER.) Trajanus, Agrippine filius, in Gallis imperator factus, natus Italice in Hispania.

Romanorum 14. *regnavit Trajanus annis* 19, *mensibus* 6, *diebus* 15, *teste omne historico · hoc est usque Kalendas Septembris, in anno* 89. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

105. 1. [LXXXIII] (HIER.) *Trajanus* 6. *et Maximus.* Decreto senatus Nerva in deos relatus.

[*cod. in margine.* Ciclus sol. incipit.]

106. 2. [LXXXIV] (*cf. Beda.*) *Senecio* 3 *et Sura.* Hoc anno, id est 84° incarnationis secundum Dio-

VARIÆ LECTIONES.

[130a] romamana 1. [131] ni *post add.* 1. [132] *Inde ab hoc anno etiam papæ in dextero margine ponuntur qui ad hos annos pertinent, sed secunda manu* : 101. 79 : Cletus papa secundum Eusebium ann. 12. — 113. (91.) Clemens papa sec. Eusebium ann. 9. *etc.* [133] testa 1.

NOTÆ.

(123) Non Anacletum sed Cletum Eusebius tam in Chron. quam in Hist. eccl. prætermisit.

Digitized by Google

rissimum, in fine diei Dominici subsequente, 6 Kal. Januarii, posset Johannes dormire.

107. 3. [LXXXV] (HIER.) *Urbanus et Marcellus.* Hirenus [134] enim episcopus scribit Johannem apostolum usque ad Trajani tempora permansisse. Post quem discipuli ejus insignes fuerunt Papias Hierapolitanus episcopus et Polycarpus Zmirneus et Ignatius Antiochenus episcopus.

108. 4. [LXXXVI] (HIER.) *Condidus et Quadratus.* Trajanus de Dacis Scithis triumpavit.

109. 5. [LXXXVII] (HIER.) *Commodus et Cerealis.* Trajanus, victo rege Decibalo, Daciam facit provinciam.

110. 6. [LXXXVIII] (HIER.) *Senecio 4. et Sura* 3. Hiberius [135], Sarmatas Orozoenos, Arabas, Bosporanos, Colcos in fidem accepit, Seleuciam et Tesifontem, Babilonem occupavit et tenuit. In mare Rubro classem instituit, ut per eam Indiæ fines vastaret.

111. 7. [LXXXIX] (HIER.) *Gallus et Bradua.* Romæ aurea Domus incenditur. Hoc anno dominicus dies 6 Kal. Jan. contigit, quo forte sanctus Johannes obiit. [Decretalis epistola Evaristi papæ (ep. 2, *Conc.* p. 71) data est Gallo et Bradua viris clarissimis consulibus, sub quibus passus secundum gesta pontificum.]

112. 8. [XC] (HIER.) *Affricanus et Crispinus.* Terre motu quatuor urbes Asiæ subversæ, Elea, Mirina, Pitanæ, Cimæ, et Greciæ duæ Opitiorum et Oritorum.

113. 9. [XCI] (HIER.) *Crispinus* 2 *et Solenus.* Alexandrinæ ecclesiæ 4 episcopus ordinatus nomine Primus annis 11 Evaristus papa obiit 10 Kal. Jan.

114. 10. [XCII] *Pisso et Rusticus.*

Alexander papa 4 post Petrum annis 10, *mensibus* 5.

[*cod. ad marg.* Persecutio tertia.]

(BEDA, Eus. *Hist. eccl.* III, 132) Trajano Christianos persequente, Simon, qui et Simon, filius Cleopæ, qui post Jacobum Hierosolimis tenebat episcopatum, crucifigitur, omnibus mirantibus, et ipso judice, ut 120 annorum senex crucis suplicium pertulisset.

115. 11. [XCIII] (HIER.) *Trajanus et Africanus* 2. Ignatius quoque Antiocenæ [ecclesiæ] episcopus Romam perductus, bestiis traditus; post quem tertius constituitur episcopus Oron. Plinius Secundus, cum quandam provinciam, et in magistratu suo plurimos Christianorum interficisset, multitudine eorum perterritus, quæsivit de Trajano, quid facto [136] opus, et nuncians, et preter obstinationem non sacrificandi et antelucanos cœptus [137] ad canendum cuidam Christo ut Deo, nihil apud eos reperiri; preterea a[138] confederandam disciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia et his similia. Ad quem commotus Trajanus rescripsit, hoc genus quidem [139] inquirendos non esse, oblatos vero puniendos. Tertulianus refert in Apologetico. [Alexander papa constituit aquam sparsionis cum sale benedicto in habitaculis hominum spargi (*L. pont.*).]

116. 12. [XCIV] (HIER.) *Celsus et Crispinus.* Plinius Secundus Novocomensis orator et historicus insignis habetur; cujus plurima ingenia opera exstant.

117. 13. [XCV] (HIER.) *Asta et Piso.* Tres Galatiæ civitates terræ motu erutæ. Pantheon Romæ fulmine concrematum.

118. 14. [XCVI] (HIER.) *Messala et Pedon.* Post Justum æcclesiæ Hierosolimitanæ episcopatum 4 suscepit Zaceus.

119. 15. [XCVII] *Æmilius et Vetus.* Post [140] quem 5 Tobias; cui succedit 6 Benjamin, ac deinde 7 Johannes, 8 Mathathias; in cujus locum 9 constituitur Philippus.

120. 16. [XCVIII] (HIER.) *Niger et Apronianus.* Trajanus, Armeniam, Assiriam et Messopothamiam fecit provincias.

121. 17. [XCIX] (HIER.) *Clarus et Alexander.* Judai qui Lybie erant adversus cohabitatores alienigenas dimicant; similiter in Ægypto et in Alexandria; apud Cirinen quoque et Thebaiden magna seditione contendunt; verum gentilium pars superat in Alexandria.

122. 18. [C] (HIER.) *Adrianus et Salinator.* Judeis Messopotamiæ rebellantibus, precepit imperator Trajanus Lissiæ Quieto, ut provinciam exterminaret; et adversus quos Quietus aciem instruens infinita milia eorum interfecit. Ob hoc procurator Judeæ ab imperatore decernitur. Salaminam urbem Cipri, interfectis in ea gentibus, subvertere Judæi.

123. 19. [CI] (ADONIS *Mart.*) *Adrianus* 2 *et Rusticus.* Alexandri pape passio 5 Non. Mai., Rome via Numentana, ab Urbe miliario 7, cum Eventio et Theodolo presbeteris, sub Trajano imperatore, judice autem Auriliano decollatus; siquidem Adrianus non adhuc imperabat, sicut [140] in martirologio legitur.

Sixtus papa quintus, annis 10, *mensibus* 11. *Qui constituit in decretis ut sacra misteria* non tractentur nisi a sacris ministris, et ut intra actionem missarum « Sanctus, sanctus, sanctus » cantaretur et reliqua usque « Osanna in excelsis. » (*Cf. Lib. pont.*)

(REG.) Rome passi sunt Clemens et Alexander pape, Quirinus cum filio, Balbina, Sulpicius et Servilianus, Domitilla et Seraphia virgines, Nereus, Achilleus, Ignatius, Antiochenus episcopus, discipulus Johannis.

124. 20. [CII] (*Cass.*) *Servilius et Fulvius.* His consulibus, Cassiodoro teste, Trajanus apud Seleuciam Hesauria profluvio ventris obiit, anno ætatis 63. mense 9, die 4. Mensis autem 9 anni est secundum Latinos Septimber. (HIER.) Ossa autem Trajani in urnam auream conlata, et in foro sub columna posita, solusque omnium intra urbem sepultus.

VARIÆ LECTIONES.

[134] *Hæc cum a.* 106 *conjungenda sunt.* [135] *lege* Hiberos. *Cum præcedentibus conjungere debes.* [136] facto 1. *Scribendum erat cum Hieronimo:* opus esset, nuncians ei. [137] *lege* cœtus. [138] quidam 1? [139] *Cum a.* 118 *conjungenda sunt.* [140] sed 1?

Digitized by Google

Romanorum 15. *Adrianus secundum Romanam historiam regnavit annis* 21, *mensibus* 10, *diebus* 20, hoc est usque ad Kal. Augusti, in anno 111 post passionem Domini. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

125. 1. [CIII] (HIER.) *Verus et Auger.* Adrianus Italice in Hispania natus, consobrinæ Trajani filius fuit. Hadrianus Alexandriam a Romanis subversam publicis instauravit expensis. Hadrianus Trajani invidens gloriæ, de Assiria, Mesopotamia, Armenia, quas ille provincias fecerat, revocavit exercitum.

126. 2. [CIV] (HIER.) *Ariola et Pansa.* Hadrianus Judeos capit, secundo contra Romanos rebellantes. Senatus Trajanum in deos refert. Hadrianus eruditissimus in utraque lingua, sed puerorum parum continens fuit.

127. 3. [CV] (HIER.) *Paternus et Torquatus.* Adrianus reliqua tributa urbibus relaxavit, cartis pupilice ircensis; plurimos etiam tributis liberos prestitit. Plutarchus Cheroneus et Sextus et Agathobolus et OE. omnes philosophi insignes habentur.

128. 4. [CVI] (HIER.) *Gabrio et Apronianus.* Bellum contra Sauromatas gestum. Terræ motu facto, Nicomedia ruit, et Nicenæ [151] urbis plurimæ eversæ sunt, ad quarum instaurationem Hadrianus de puplico est largitus impensas.

129. 5. [CVII] (HIER.) *Assiaticus et Quintus.* Eufrates Stoicus philosophus moritur. Hadrianus in Libiam, quæ a Judæis vastata [152] fuerat, colonias deducit.

130. 6. [CVIII] (HIER.) *Verus et Ambiguus.* Hadrianus Atheniensibus leges petentibus ex Draconis et Solonis reliquorumque libris jura compossuit.

131. 7. [CIX] (HIER.) *Gallicanus et Titianus.* Cefissus fluvius Eleusinam inundavit, quem Adrianus [153] ponto [154] conjungens Athenis hiemem exegit.

132. 8. [CX] (HIER.) *Torquatus et Libo.* Hierosolimis 10 post Philippum constituitur episcopus Seneca. Post quem 14 Justus, cui succedit 12 Levi, post quem 13 Efres, 14 Jesses, 15 Judas. Hi omnes usque ad eversionem, quam ab Adriano perpessa est Hierusalem, ex circumcisione hi episcopi prefuerunt.

133. 9. [CXI] (HIER.) *Cellsus et Marcellinus.* Hadrianus sacris Eleusine initiatus, multa Atheniensibus dona largitur. Quadratus, discipulus apostolorum, et Aristides Atheniensis, noster philosophus, libros pro Christiana religione Hadriano dedere compossitos.

[*Cod. in marg.* Ciclus solis inc.]

134. 10. [CXII] (HIER.) *Pontianus et Rufus.* Et Serenus Granius legatus, vir adprimæ nobilitatis, litteras ad imperatorem missit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi innocentium hominum sanginem concedi et sine ullo crimine nominis tantum et secte reos fieri.

135. 11. [CXIII] (HIER.) *Auaurinus et Sergianus* Quibus [155] commotus Adrianus, Minutio Fundanæ proconsuli Asiæ scripsit, sine objectu criminum Christianos non condempnandos; cujus epistolæ usque ad nostram memoriam clarat exemplum. Imperator Adrianus pater patriæ appellatur.

136. 12. [CXIV] (ADON. *Mart.*) *Tebertus et Silanus.* Sixtus papa passus 8 Idus April.

(*Cf. Lib. pont.* ADON. *Mart.*, HIER.) *Thelesphorus papa* 6 *post Petrum, annis* 11. *Hic constituit ut* 7 *ebdomadas plenas ante pascha omnes clerici a carne jejunant et in nocte natalis Domini missæ celebrarentur et ut apud missam « Gloria in excelsis » cantaretur.*

Antiochiæ constituitur 4 episcopus Cornelius. Nicapolis et Cessarea terræ motu conciderunt.

137. 13. [CXV] (HIER.) *Sergius et Verus.* Antinous puer regis eximiæ pulcritudinis in Egipto moritur, quem Adrianus vehementer deplorans — nam in deliciis habuerat — in deos refertur; ex cujus nomine etiam urbs appellata est. Alexandrinæ æcclesiæ 6 episcopus prefuit Heumines annis 13.

138. 14. [CXVI] (HIER.) *Pompeianus et Atilianus.* Templum Rome et Veniris sub Adriano in Urbe factum est. Salvius Julianus perpetuum compossuit edictum.

139. 15. [CXVII] (HIER.) *Pompeianus* 2 *et Commodus.* Hadrianus Athenis hiemem exigens, Eleusinam invissit. Hadrianus cum insignes et plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit bibliothecamque extruxit.

140. 16. [CXVIII] (HIER.) *Lælius et Albinus.* Judei in arma versi, Palestinam depopulati sunt, tenente provinciam Tinio Rufo cui ad obprimendos rebelles Hadrianus missit exercitum. Favorinus et Polemo rethores insignes habentur.

141. 17. [CXIX] (HIER.) *Camerinus et Niger.* Basilides heresiarches in Alexandria commoratur, a quo Gnostici. Chochebas dux Judaicæ factionis, nolentes sibi Christianos adversus militem Romanum ferre subsidium omnimodis cruciatibus necat [156].

142. 18. [CXX] (HIER.) *Antonius et Presens.* Bellum Judaicum, quod in Palestina gerebatur, finem accepit, rebus Judeorum penitus oppressis; ex quo tempore etiam introeundi eis Hierosolimam licentia ablata est.

143. 19. [CXXI] (HIER.) *Antonius* 2 *et Presens* 2. Primum [157] Dei nutu, sicut prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus. Hierosolimæ primus ex gentibus constituitur Marcus, cessantibus episcopis his qui fuerunt ex Judeis, numero 15, a passione Domini per annos 107 [sicut Eusebius et Beda perhibent. Da igitur annos 34 Domini usque in passionem, fiunt 34 et 107, 141 anni, usque ad annum quo omnes Judei ex Hierusalem sunt projecti.]

144. 20. [CXXII] (HIER.) *Severus et Sylvanus.* Ælia ab Ælio Adriano condita est, in fronte ejus portæ

VARIÆ LECTIONES.

[151] *lege* vicinæ urbes. [152] vasta 1. [153] Adradrianus 2. [154] *lege* ponte. [155] *Ad unum præcedentem pertinent.* [156] necati 1. [157] *ita* 1. *sed conjungenda sunt cum* a. 142.

Digitized by Google

qua Bethelem egredimur sus scalptus [148] in marmore significans Romanæ potestati subjacere Judæos. Nonnulli a Tito Æliano, filio Vespasiani, exstructum arbitrantur. [Hieronimus [149] (*ep.* 49, *ad Paulinum*) : « Ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter 180, in loco resurrectionis Domini simulacrum Jovis, in crucis rupe statua [150] ex more [151] Veneris a gentilibus possita colebatur, estimantibus persecutionis auctoribus quod tollerent fidem nobis resurrectionis et crucis, si loca sancta per idola polluissent. »]

145. 21. [CXXIII] (ISID.) *Rufinus et Torquatus.* Hoc tempore erat Aquila Ponticus secundus interpres post septuaginta interpretes, [qui Scripturam de Hebreo transtulit]. Thelesforus papa passus Nonas Januar. (ADON. *Mart.*).

Hyginus papa 7 *post Petrum annis* 4. *Hic constituit clerum et distribuit ecclesiasticos gradus* (*cf. Lib. pont.*).

(AD. *Mart.* REC.) Rome passi sunt Sixtus et Thelesforus papæ, Getulius Sabina et Serafhia virgines ; apud Messcanam civitatem Apuliæ Eleutherius episcopus cum Anthia matre, Dionisius episcopus Ariopagita ; apud Tiburnam urbem Italiæ Simmphorossa cum septem filiis suis ; apud Athenas Quadratus et et Aristides clarescunt.

(CASS., *H. R.*) His consulibus Adrianus intercutis aquæ morbo apud Baias in Campania anno ætatis 61° [obiit], imperii autem anno 21, mense 10, die 20, sicut in Romana historia habetur. Cui successit Antonius Pius. Sub quo sequentes consules fuerunt, teste Cassiodoro. Orossius sic :

Romanorum Titus Antoninus cognomento Pius 15 *imperator* a Julio Cæsare, segregatis a numero principum Galba Othone et Vitellio, regnavit cum liberis suis Aurelio et Lucio viginti et non plenis tribus annis. Hæc Orossius (VII, 14). Mensibus item tribus, secundum Eusebium et Bedam, hoc est usque Kal. Novembr., in anno 134 post passionem Domini. Quia autem mos erat historicorum, ut imperatori deputarent annum in quo moriretur vel regno difficeret, ideo potest dici quod non plenis viginti tribus annis Antonius Pius regnavit, cum non usque in finem anni vixit.

146. 1. [CXXIV] (ISID.) *Torquatus* 2 *et Herodes.* [Iste Pius dictus, quia in omni regno Romano hominibus debita relaxavit.]

147. 2. [CXXV] (HIER.) *Avioa et Maximus.* [Inde] Antoninus pater patriæ appellatus.

148. 3. [CXXVI] (HIER.) *Antoninus* 3 *et Aurelius.* Sub Higino Romanæ urbis episcopo Valentinus hereticarches et Cerdo, magister Margionis, Romam venerunt.

149. 4 [CXXVII] (HIER.) *Gratus et Seleucus* Justinus filosophus librum pro nostra religione conscriptum Antonio tradidit. Yginus papa obiit 4 Idus Januarii (AD. *Mart.*).

Pius papa octabus post Petrum annis 15

150. 5. [CXXVIII] (*Lib. pont.*, BEDA.) *Antonius* 4. *et Aurelius.* Sub pio papa Hermes scribit librum qui dicitur Pastoris, in quo preceptum angeli continetur ut pascha die Dominico celebraretur.

151. 6. [CXXIX] (HIER.) *Largus et Messalianus.* Antiochiæ 5. constituitur episcopus Eros.

152. 7. [CXXX] (HIER.) *Torquatus* 3. *et Julianus.* Alexandriæ 7. episcopatum suscepit Marcus annis decem.

153. 8. [CXXXI] (HIER.) *Orfiscus et Priscus.* Valentinus hereticus agnoscitur et permanet usque ad Anicetum papam.

154. 9. [CXXXII] (HIER.) *Gabrio et Vetus.* Mesomedes Cretenensis chitaricorum carminum musicus poeta cognoscitur.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 8 decen. inc. ind. 1.]

155. 10. [CXXXIII] (ISID.) *Gordianus et Maximus.* Marcheon heresiarches agnoscitur.

156. 11. [CXXXIV] (HIER.) *Gabrio* 2. *et Romulus.* Taurus Beriticus Platonicæ sectæ philosophus clarus habetur.

157. 12. [CXXXV] (HIER.) *Presens et Rufus.* Arrianus philosophus Nicomidenasis agnoscitur.

158. 13. [CXXXVI] (HIER.) *Commodus et Lateranus.* Et Mamimus [152] Tirius. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus.

159. 14. [CXXXVII] (HIER.) *Verus et Sabinus.* Et [153] Basilides Scitopolitanus philosophi [154] illustres habentur

160. 15. [CXXXVIII] (HIER.) *Sylvanus et Augurinus.* Qui [155] Verissimi quóque cæsaris preceptores fuerunt.

161. 16. [CXXXIX] (HIER.) *Barbarus et Regulus.* Alexandriæ ecclesiæ 8. episcopus prefuit Celadion annis 14.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solaris inc., *et infra*, Quarta persecutio.]

162. 17. [CXL] (HIER.) *Tertullus et Sacerdos.* Cresens Cinicus agnoscitur, qui Justino, nostri dogmatis philosophi, quia se gulosum [155] et prevaricatorem coarguebat, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanginem fudit.

163. 18. [CXLI] (ISID.) *Quintillius et Priscus.* Gallianus medicus Pergamo genitus.

164. 19. [CXLII] (HIER.) *Verus et Bradua.* Pius papa obiit [5. Idus Julii [156].] (Cf. *Lib. pont Ad. mart.*)

Anicetus vava 9. *vost Petrum, annis* 11, *mensibus*

VARIÆ LECTIONES.

[148] suscalptus 1. [149] *leguntur sec. manu in margine f.* 113. *sine signo loci.* [150] statuta *corr.* statua 1. [151] *lege* marmore. [152] *lege* Maximus. *Hæc ad a.* 157. *pertinent.* [153] philophi 1. [154] *ita divisa sunt, sed pertinent ad a.* 158. [155] *post* philosophi *lacuna relicta, in marg. signo apposito ita expletur :* a se gulosum. [156] *post add. in margine, sed prima manu ut videtur,* 1.

Digitized by Google

4. Hic constituit ne clericus comam nutriret, juxta A precepturn apostoli.

165. 20. [CXLIII] (HIER.) *Antoninus* 5. *et Aurelius* 3. Sub Anniceto papa Policarpus Romam veniens, multos ab heretica labe castigavit, qui Valentini et Cerdonis fuerant nuper doctrina corrupti.

166. 21. [CXLIV] (BEDA). *Antoninus* 6. *et Aurelius* 4. Hierosolimarum episcopatum post [157] Marcum 17. suscepit Cassianus, post quem 18. Publius, cui successit 19. Maximus, 20 Julianus, 21. Gaianus, 22. Simmachus, 23. Gaius, 24. Julianus, 25 Capito.

167. 22. [CXLV] (HIER.) *Antoninus* 7. *et Aurelius* 5.

168. 23. [CXLVI] (CASS.) *Proconsul. Antoninus et Aurelius* [158]. Antonius Pius apud Lorum villam suam 12. ab Urbe miliaro moritur, his consulibus B teste Cassiodoro. Cui successerunt filii sui, id est Marcus Antoninus Verus et Lucius Annius et Antoninus Severus. Sub quibus hi consules fuerunt sequentes.

Romanorum 17. *Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Commodo post patrem regnavit annis* 19. *mense* 1, *hoc est usque Kal. Decembris in anno* 153. *post passionem.*

169. 1. [CXLVII] (HIER.) *Duo augusti consules.* Hi primum æquo jure imperium administraverunt, cum usque ad hoc tempus singuli augusti fuerunt.

170. 2. [CXLVIII] (HIER.) *Rusticus et Aquilinus.* Lucio cesari Athenis sacrificanti ignis in cœlo ab occidente in orientem ferri vissus est. C

171. 3. [CLXIX] (HIER.) *Lalejanus et Pastor.* Vologessus rex Parthorum vicinas sibi Romanas provincias depopulatus est.

172. 4. [CL] (HIER.) *Marcinus et Celsus.* Fronto orator insignis habetur, qui Antoninum Verum Latinis litteris erudivit. Seleucia Assiriæ urbs cum trecentis milibus hominum a Romanis capta.

173. 5. [CLI] (HIER.) *Orsitus et Pudens.* Apud Pissas Peregrinus philosophus, rogo ex [159] lignis compossuerat incensis, semetipsum projecit. Lucius cesar de Parthis cum fratre triumpavit.

174. 6. [CLII] (HIER.) *Pudens* 2. *et Pollio.* Alexandriæ æclesiæ 9. episcopus prefuit Agrippinus annis 12. Persecutione orta in Assia, Policarpus et Pionius D facere martirium, quorum scriptæ quoque passiones feruntur. Plurimi in Gallia gloriosse ob nomen Christi interfecti; quorum usque presentem diem condita libris certamina perseverant.

175. 7. [CLIII] (HIER.) *Verus et Quadratus.* Lues multas provincias occupavit, Roma ex parte occupata. Romani contra Germanos, Marcomanos, Quados, Sarmatas, Dacos dimicant.

176. 8. [CLIV] (AD. *Mart.*) *Apronianus et Paulus.* Anicetus papa passus 16. Kal. Maii.

Soter papa 10. *post Petrum annis* 9; *qui constituit ut nulla monacha pallam sacratam in æclesie contingeret, neque incensum poneret.*

(HIER.) Antiochiæ 7. [160] episcopus ordinatur [161] Theofilus cujus plurima ingenii operat exstant. L. imperator anno regni 9. sive, ut quidam putant, 11. inter Concordiam et Altinum apoplexi extinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.

177. 9. [CLV] (HIER.) *Priscus et Appollinaris.* Antonino imperatori inclito Asianus Sardens [162] appologeticum Christianis tradidit. Appollinaris Asianus Hieropolitanus episcopus insignis habetur.

178. 10. [CLVI] (HIER.) *Cethecus et Clarus.* [Decretalis epistola Soteri pape (ep. 2, *Conc.* p. 101) data est Cetheco et Claro viris clarissimis consulibus.] Dionissius episcopus Corinthiorum clarus habetur, et Pinnitus Cretensis vir eloquentissimus.

179. 11. [CLVII] (HIER.) *Severus et Herennianus.* Pseudoprofhetia quæ Catafrigas nominatur accepit exordium, auctore Montano et Priscilla Maximillaque insanis vatibus. Tatianus hereticus aguoscitur, a quo Engraticæ.

180. 12. [CLVIII] (HIER.) *Orfitus et Pluton.* Bardesanes alterius hereseos princeps notus efficitur. Oppianus Cilex poeta cognoscitur; qui æliutica miro splendore conscripsit. Tanta per totum orbem pestilentia fuit, ut pene usque ad internicionem Romanus exercitus deletus sit.

181. 13. [CLIX] (HIER.) *Severus et Pompeianus.* Imperator Antonius multis adversum se nascentibus bellis sepe ipse intererat, sepe duces nobilissimos destinabat.

182. 14. [CLX] (HIER.) *Gallus et Flaccus.* In [163] quibus semel Pertinaci et exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppressis, pluvia divinitus missa est; cum e contrario Germanos et Sarmatas flumina [164] persequerentur et plurimos eorum interficerent.

183. 15. [CLXI] (HIER.) *Pisso et Julianus.* Extant litteræ M. Aurelii gravissimi imperatoris, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbrii [165] discussam contestatur.

184. 16. [CLXII] (HIER.) *Pollio et Aper.* Atticus Platonicæ sectæ philosophus agnoscitur. Sotter papa obiit 11. Kal. Maii. (AD. *Mart.*)

(BEDA.) *Eleuterius papa* 11. *annis* 10, *mense uno.*

(HIER.) Lucius Britaniæ rex ab Eleuterio papa per epistolam Christianum se fieri impetrat. Antiochiæ 7. constituitur episcopus Maximus.

VARIÆ LECTIONES.

[157] *reliqua a.* 167. *scripta sunt.* [158] *Hoc anno in marg. sec. manu leguntur:* ut Beda dicit in historia Anglorum; *quæ quid sibi velint nescio. Beda l.* 4. *Marcum Antoninum Verum et Aurelium Commodum nominat; sed cf. a.* 201. [159] *lege* quem ex. l. c. incenso. [160] *lege* VI. [161] ordinator 1. [162] *lege* Sardensis. [163] *Pertinent ad. a.* 181. [164] *lege* fulmina. [165] *i. e.* imbri.

Digitized by Google

185. 17. [CLXIII] (HIER.) *Commodus et Quintillius.* Antonius Commodum filium suum consortem regni facit. Antonius cum filio de hostibus triumpavit, quos, per triennium apud Carnuntum habens statiua castra, vastaverat.

186. 18. [CLXIV] (HIER.) *Orfitus et Rufus.* Imperatores multis multa largiti sunt, et peccuniam, quæ fisco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro igne incendi precipiunt, ac ne quid bonitati deesset, seniores quasque leges novis constitutionibus temperaverunt. (REG.) Romæ passus Annicetus papa, Simmetrius presbiter, Felicitas cum septem filiis, Julius, Antonius, Eusebius, Potentianus, Peregrinus, Vincentius; apud Sebastem Armeniæ minoris multi martires sub Agricolo judice; apud Spoleatum Concordius; apud Smirnam Policarpus episcopus, discipulus Johannis, item Germanicus et Pionius; apud Apamiam Alexander et Gaius; apud Cretam urben Cortinæ Philippus episcopus; apud Pergamum urbem Assiæ Carpus episcopus, Papyrius diaconus, Justinus philosophus; apud Lugdunum Galliæ Hireneus episcopus cum multis, Fotinus episcopus ejusdem urbis, et Blandina cum aliis 68, Epipodius et Alexander; in Siria Corona et Victor; Mediolanis Faustus; Gabillone Marcellus; item in territorio Cabillonensi castro Trenorcio Valerianus; in Alexandria Tholomeus et Lucius [166].

187. 19. [CLXV] (HIER.) *Commodus* 2. *et Verus.* Antoninus post victoriam adeo in editione munerum magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuerit. Commodus a senatu augustus appellatur. Zmirna urbs Assiæ terre motu ruit; ad cujus instaurationem decennalis tributorum immunitas data est. Alexandriæ æclesiæ episcopatum sortitus est Julianus 10. annis 10. (CASS.) His [167] consulibus, teste Casiodoro, Antoninus in Pannonia morbo periit, anno ætatis 61; cui successit Commodus, filius suus. Sub quo sequentes consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Romanorum 18. *Commodus secundum omnes regnavit annis* 13, *mensibus item* 8, *juxta historiam Romanam, hoc est Kal. Augusti, in anno* 167. *post passionem.*

188. 1. [CLXVI] (HIER.) *Presens et Gordianus* Commodus de Germanis triumpavit.

189. 2. [CLXVII] (HIER.) *Commodus* 3. *et Rufus.* Templum Sarapidis Alexandrinæ incensum.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis inc.]

190. 3. [CLXVIII] (HIER.) *Mammertinus et Rufus.* Hirenus episcopus Lugdunensis insignis habetur.

191. 4. [CLXIX] (HIER.) *Commodus* 4. *et Victorinus.* Thermæ Commodiane Romæ factæ.

192. 5. [CLXX] (HIER.) *Marullus et Helianus.* Commodus Septembrem mensem nomine suo appellavit.

[*Cod. in marg.*, Ciclus decimus decennov. cicli magni inc. ind. nona.]

193. 6. [CLXXI] (HIER.) *Maternus et Bradua.* Hierosolimis 26. ordinatus episcopus Maximus; post quem 27. Antoninus, 28. Valens, 29. Dulcianus, 30. Narcissus, 31. Dius, 32. Germanio, 33. Gordius, 34 rursum Narcissus. Tantis apud Hierosoliman episcopis, non potuimus discernere tempora, eo quod usque in presentem diem episcopatus eorum annis minime salvarentur. (ep. 2, p. 101) In Capitolium fulmen ruit, et magna inflammatione facta, bibliotheca et vicina quaque ædes concrematæ. [Decretalis epistola Eleuterii papæ data est Materno et Bradua VV., id est viris venerabilibus, CC., id est clarissimis consulibus.]

194. 7. [CLXXII] (HIER.) *Commodus* 5. *et Gabrio.* Commodus multos nobilium interfecit.

195. 8. [CLXXIII] (HIER.) *Crispinus et Helianus.* Commodus et [168] spectacula populo Romano prebet insignia.

196. 9. [CLXXIV] (ISID.) *Fuscianus et Silanus.* Theodotio Effesius interpres tertius habetur.

197. 10. [CLXXV] (HIER.) *Duo et* [169] *Sillani.* Alexandrie 11. constituitur episcopus Demetrius annis 43. Commodus imperator, colossi capite sublato, suæ imaginis caput jussit imponi.

198. 11. [CLXXVI] (HIER.) *Commodus* 6. *et Septimianus.* Serapio 9. Antiochiæ episcopus ordinatus.

199. 12. [CLXXVII] (HIER.) *Apronianus et Bradua.* Incendio Romæ facto, palatium et edes Vestæ plurimaque Urbis pars solo coequatur. Eleuterius papa obiit 8. Kal. Junii. (AD. *Mart.*)

Victor 12. *papa annis* 10, *mens.* 16.

200. 13. [CLXXVIII] (p. 103.) *Commodus* 7. [170] *et Gravius.* Decretalis [171] epistoli Victoris papæ : « Victor Romane ac universalis æclesiæ archiepiscopus Theophlio episcopo et cunctis fratribus Alexandriæ Cristo famulantibus, salutem in Domino, » et reliqua. Hæc epistola data est 13 Kalendas Augusti, Commodo et Gravio viris venerabilibus clarissimis consulibus. (REG.) Multi in tempore hujus passi sunt ex his quos supra diximus. Sed propter similitudinem nominum imperatorum minime passiones discernuntur. Dicunt tamen quod Hirenius Lugdunensis episcopus sub isto passus.

201. 14. [CLXXIX.] *Commodus* [172] 8. *et Pertinax.* His consulibus, Casiodoro teste, Commodus strangulatur in domo Vestiliani; cui successit Pertinax. Sub quo hi consules fuerunt.

Romanorum 19. *Helius Pertinax secundum omnes*

VARIÆ LECTIONES.

[166] educius 1. [167] *in marg. sup. hac regione legitur :* Id. Ag. feria 2. *quæ nescio quo pertinent.* [168] ex 1. [169] *ita etiam Cassiodori codices.* [170] 7. *post add.* 1 [171] D. e. V. p. *scripta sunt a.* 199. [172] *Hoc anno iterum sec. manu in margine scriptum est :* ut Beda dicit in historia Anglorum ; *quæ ad res h. a. narratas spectare nequent.*

Digitized by Google

regnavit mensibus sex, hoc est usque Kal. Februarii, in anno 168. *post passionem.*

202. 1. [CLXXX] (HIER.) *Flaccus et Clarus.* Pertinax sexagenario major, cum prefecturam Urbis ageret, ex senatus consulto imperare jussus est. Pertinax, obsecrante senatu ut uxorem augustam et filium cessarem appellaret, contradixit; sufficere sibi testatur quod ipse regnaret invitus. (BEDA.) Victor papa, datis late libellis, constituit ut pasca die Dominico, sicut et precessor ejus Eleterius, a 14. luna primi mensis usque in 21. celebraretur. Cujus decretis Theophilus, Cesaree Palæstinæ episcopus adjuvavit. His consulibus, teste Cassiodoro, Pertinax occiditur in palatio, scelere Juliani jurisperiti.

(*H. R.*) *Romanorum* 20. *Salvius Julianus secundum historiam Romanam post Pertinacem* invassit rem publicam, vir nobilis et jure peritissimus, nepos Salvi Juliani, qui sub D. Adriano perpetuum composuit edictum. Orosius sic (VII, 16) : « Julianus, interfecto Pertinace, invassit imperium, sed mox a Severo apud pontem Mulvium bello civili victus, interfectus est, mense 7 postquam imperare ceperat; et ita inter [173] Pertinacem et Julianum unus annus asumptus. » Hæc Orosius. Et hoc est usque Kalendas Septembris, in eodem anno 169 post passionem.

(CASS.) *Romanorum* 21. *Severus, provincia Tripolitanus, natus oppido Lepti, regnavit annis* 18, *teste Cassiodoro, mensibus etiam* 3 secundum historiam Romanam, hoc est usque Kalendas Decembris, in anno 186 post [174] passionem. Sub quo hi consules fuerunt.

203, 1. [CLXXXI] (HIER.) *Severus et Albinus.* Severus, provincia Tripolitana oppido Lepti, solus ex Africa usque in presentem diem Romanus imperator fuit, et in honorem Pertinacis, quem Julianus occiderat, Pertinacem se cognominari jussit, [eo [175] quod super 18 annos suos 6 mensibus regnavit (HIER.). Clemens Alexandrinæ æclesiæ presbiter et Pantheus Stoicus philosophus in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.

204. 2. [CLXXXII] (ISID.) *Tertullus et Clemens.* Simmachus interpres quartus habetur. (JORD. *de r. s.*) [Samarites [176] quidam Simmachus Judeorum factus proselitus, divinas Scripturas ex Hebreo sermone in Grecam linguam transfudit, suamque condidit editionem.]

205. 3. [CLXXXIII] (HIER.) *Dexter et Priscus.* Narcissus episcopus Hierosolimarum et Theophilus Cesariensis, Policarpus quoque et Bacchilus Assiæ provinciæ episcopus insignes habentur.

206. 4. [CLXXXIV] (HIER.) *Lateranus et Rufinus.* Quæstione orta in Asia inter episcopos, an secundum legem Moisi 14. mensis pascha observandum est, Victor Romanæ urbis episcopus, et Narcissus Hierosolimorum, Policrates quoque et Hirenus et Bacchilus plurimique æcclesiarum pastores, quid probabile visum fuerit, litteris ediderunt; quarum memoria ad nos usque perdurat. Decretalis epistola Victoris papæ (ep. 2, p. 105) data Laterano et Rufino W. CC.

207. 5. [CLXXXV] (HIER.) *Scoturninus et Gallus.* Judaicum et Samaraticum bellum motum.

208. 6. [CLXXXVI] (HIER.) *Anulinus et Fronto.* Severus Parthos et Adiabenos superavit, Arabasque interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam provinciam fecerit.

209. 7. [CLXXXVII] *Severus* 2 *et Victorinus.* Ob [177] quæ Parthicus, Arabicus, Diabenicus, cognominatus est.

210. 8. (CLXXXVIII] (HIER.) *Fabianus et Mutianus.* Victor papa obiit [Kal. Ag. [178]]. Severo imperante thermæ Severianæ Antiochiæ et Romæ Septizonium exstructum.

(*Lib. pont.*) *Zepherinus* 13. *papa annis* 9, *qui constituit ut presentibus omnibus clericis et laicis fidelibus sive diaconus vel sacerdos ordinaretur, et a stantibus sacerdotibus missæ celebrarentur.*

[*Cod. in margine*, Persecutio quinta Ciclus 11. ind. 14.]

211. 9. [CLXXXIX] *Severus* 3. *et Antonius.* Quinta persecutione Severus persequitur Christianos.

212. 10. [CXC] (HIER.) *Geta et Plautianus.* Leonides, Origenis pater, gloriosa martiri morte transfertur.

213. 11. [CXCI] (HIER.) *Chito et libo.* Alexander ob confessionem Dominici nominis insignis habetur.

214. 12. [CXCII] (HIER.) *Antonius* 2. *et Getha* 2. Clemens multa et varia conscribit.

215. 13. [CXCIII] (HIER.) *Albinus et Ælianus.* Musanus nostræ philosophiæ scriptor agnoscitur.

216. 14. [CXCIV] (HIER.) *Aper et Maximus.* Clodio Albino, qui se in Gallia cessarem fecerat, apud Lugdunum interfecto,

217. 15. [CXCV] *Antonius* 3. *et Getha.* Severus [179] in Brittanos bellum transfert, ubi ut receptas provincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per 132 passuum milia a mare, ad mare duxit.

218. 16. (CXCVI] (HIER.) *Pompeianus et Avitus.* Tertullianus Afer, centurionis proconsularis filius, omnium [Ciclus solis inc] æcclesiarum sermone celebratur.

219. 17. [CXCVII] (HIER.) *Faustinus et Rufus.* Origenis Alexandriæ studiis eruditur.

220. 18. [CXCVIII] (HIER.) *Gentianus et Bassus.* Severus moritur Eburaici in Britannia; cui sucessit filius suus Caracalla. *Romanorum* 22. *Bassianus Antoninus, qui et Caracalla, regnavit secundum omnes annis* 7, mensibus item 2, juxta historiam Romanam,

VARIÆ LECTIONES.

[173] *in* 1? [174] *deest* 1. [175] *in margine apposita sunt prima manu.* [176] *imo in margine prima manu scripta sunt, signo loci adjecto.* [177] *pertinent ad a.* 208. [178] *post subscriptum est.* [179] *ad a* 216. *pertinent.*

Digitized by Google

hoc est Kal. Februarii, in anno 194 post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

221. 1. [CXCIX] (HIER.) *Duo et Aspri.* Antiochiæ 9. episcopus constituitur Asclepiades.

222. 2. [CC] (HIER.) *Antoninus et Balbinus.* Alexander 35. Hierosolimarum episcopus ordinatur, adhuc vivente Narcisso, et cum eo pariter ecclesiam regit.

223. 3. [CCI] (HIER.) *Messala et Sabinus.* Antoninus Carcalla cognominatus propter genus vestis, quod Romæ crogaverat; et e contrario Carcallæ ex ejus nomine Antoniane dictæ

224. 4. [CCII] (ISID.—JORD.) *Lætus et Cerealis.* In Hiericho quinta editio divinarum Scripturarum [inventa [180] est in dolio], cujus auctor non apparet.

225. 5. [CCIII] (HIER.) *Sabinus* 2. *et Venustus.* B Antonius Romæ thermas sui nominis ædificat. (BEDA.) Perpetua et Felicitas apud Kartaginem Africæ in castris bestiæ deputatæ pro Christo Nonas Martii.

226. 6. [CCIV] (HIER.) *Presens et Extricatus.* Antoninus tantæ libidinis fuit, ut novercam suam Juliam uxorem duxit.

227. 7. [CCV] (OROS.) *Antoninus V. C. conss.* Antoninus adversus Parthos expeditionem molitus est.

228. 8. [CCVI] (CASS.) *Adventus V. C. conss.* Iis consulibus Casiodoro teste Antoninus in Ordroena inter Edessam et Carras interficitur anno ætatis 43; [cui Macrinus successit.]

(*H. R.*) *Romanorum* 23. *Ophilus Macer, qui prefectus pretorio erat, cum filio Diadumeno imperator factus est, sed nihil memorabile* ex temporis brevitate C egit. Nam imperium unius anni et duorum mensium habuit, teste historia Romana; hoc est usque Kalendas Aprilis, in anno 195. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Casiodoro.

(HIER.) Antiochiæ 10. episcopus constituitur Phileius. Circensibus Vulcanaliorum Rome amphiteatrum incensum. Abgarus vir sanctus regnavit Edesse, ut vult Affricanus. Zeferinus papa obiit.

(*Lib. pont.*) *Calixtus papa* 14. *post Petrum annis* 5. Hic constituit quatuor temporum jejunium in anno fieri, propter habundantiam vini, frumenti et olei, juxta profhetiam.

229. 1. [CCVII] (CASS.—OROS.) *Antoninus et Sacerdos.* His consulibus Macrinus cum filio apud Ar- D chilaidem militare tumultu occiditur, quasi mense Februario; cui Marcus successit.

Romanorum 24. *Marcus Aurelius Antonius Caracellæ filius regnavit annis* 4, *mensibus quoque* 8 *juxta historiam Romanam; hoc est usque Kal. Decembris, in anno* 199. *post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Casiodoro.*

230. 1. [CCVIII] (HIER.) *Antoninus* 3. *et Comazon.* M. Aurelius, sacerdos Eliogabali templi, adeo impudice in imperio suo vixit, ut nullum genus obscenitatis omiserit.

231. 2. [CCIX] (ISID.) *Gratus et Seleucus V. C.* Sexta editio inventa est Necapoli.

[*Cod. in marg.* Ciclus 12. decennov. inc. ind. 2.]

232. 3. [CCX] (EP. 1, p. 109.) *Alexander et Antoninus aug.* « Calizus papa archipresbiteris, » et reliqua, data Antonino et Alexandro viris clarissimis consulibus, 11. Kal. Decembris, in qua epistola predictum constituit jejunium. Eliogabulum templum Romæ edificatum (HIER.). In Palestina Nicapolis, quæ prius Emmaus vocabatur, urbs condita est, legationis industria pro ea suscipiente Julio Affricano scriptore temporum.

233. 4. [CCXI] *Maximus et Helianus.* His consulibus Cassiodoro teste Antoninus Romæ occiditur tumultu militari, cum matre Simiasira.

(*H. R.*) *Romanorum* 25. *Alexander, Mammæ filius, secundum omnes regnavit annis* 13 *et aliquibus diebus;* hoc est usque Kalendas Januarii, in anno 212. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

234. 1. [CCXII] (HIER.) *Julianus et Crispinus V. C.* Alaxander Xerxem regem Persarum gloriosissime vicit. Calistus papa passus pridie Idus Octobris (*cf. Mart.*), sub Alexandro imperatore.

Urbanus 15. *papa annis* 9.

235. 2. [CCXIII] (HIER.) *Fuscus et Dexter V. C.* Alexander disciplinæ tam severus corrector fuit, ut quasdam tumultantes legiones integras exsauctoraverit.

236. 3. [CCXIV] *Alexander* 2. *et Marcellus.* « Urbanus papa, » et reliqua (*Conc.* I, p. 113), data Nonas C Septembres, Alexandro viro clarissimo consule.

237. 4. [CCXV] (HIER) *Annianus et Maximus.* Ulpianus jurisconsultus adsessor Alexandri insignissimus habetur.

238. 5. [CCXVI] (HIER.) *Albinus et Maximus. V. C.* Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ.

239. 6. [CCXVII] (HIER.) *Modestus et Probus V. C.* Geminus prespiter Antiochenus et Hipolitus et Beriilus episcopus Arabiæ Postrenus clari scriptores habentur.

240. 7. [CCXVIII] (HIER.) *Alexander* 3. *et Dion V. C.* Antiochiæ 11. constituitur episcopus Zebennius.

241. 8. [CCXIX] (HIER.) *Gratus et Seleucus V. C.* Alexandriæ ecclesiæ 12. episcopus ordinatur Heraclas annis 16.

242. 9. [CCXX] (BEDA.) *Pompeianus et Felicianus.* Alexander in matrem Mamea [181] quia pius fuit, et ob id omnibus amabilis. Urbanus papa, postquam multos nobilium ad fidem Christi perduxit, passus est sub Alexandro, 8. Kal. Junii (AD. *Mart.*), et sepultus est in cimiterio Pretextati.

Ponticianus 16. *papa annis* 5.

243. 10. [CCXXI] (HIER.) *Lupus et Maximus V. C.* Origines de Alexandria ad Cesaream Palestinæ transit.

VARIÆ LECTIONES.

[180] *post add. in marg.* prima manu [181] matra 1.

Digitized by Google

241. 11. [CCXXII] (BEDA.) *Maximus et Paternus.* Origenis Alexandriæ et in toto orbi clarus.

245. 12. [CCXXIII] (BEDA.) *Maximus et Urbanus.* Mamea, mater Alexandri, cum Origenem vellet audire, Antiochiam accitum, summo honore habuit. (REG.) Romæ passi Calistus et Urbanus papa, Cicilia virgo, Tiburcius, Valerianus, Galepodius presbiter, Austerius presbiter, Palmatius consul cum uxore et filiis, Simplicius senator.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

246. 13 [CCXXIV] (CASS.) *Severus et Quintianus.* His consulibus Alexander in Gallia, id est Mogontia, tumultu militari interficitur. [Decretalis epistola Pontiani papæ (*Conc.* I, p. 115 sqq.) data 10. Kal. Februarii, Severo et Quintiano VV. CC. SS.; et alia, data in Kal. Maii hisdem consulibus.]

(*H. R.*) *Romanorum* 26. *Maximinus regnavit annis* 3, *mense uno et paucis diebus*, hoc est usque Kal. Februarii, in anno 216. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

247. 1. [CCXXV] (HIER.) *Maximus et Affricanus.* Maximinus, primus ex corpore militari, sine senatus auctoritate, ab exercitu imperator electus est. (AD. *Mart.*) Pontianus papa cum Ipolito prespetero in Sardiniam insulam a Maximino deportatus est, ibique fustibus 12. Kal. Decembres mactatus; cujus corpus beatus Favianus papa reduxit et in cimiterio Calisti sepelivit.

Antherus 17. *papa mense uno.* Decretalis epistola Antheri papæ: «Karissimis atque dilectissimis fratribus Antherus papa,» et reliqua (*ibid.*, p. 119); data 13. Kalendas Aprilis (*cf. Mart.*) Maximino et Africano consulibus. [Et alia epistola (124) data Kal. Julii hisdem consulibus.] (*Lib. Pont.*) Antherus papa passus 3. Nonarum Januarii, et in cimiterio Calisti, via Appia sepultus.

Fabianus papa 18. *post Petrum annis* 16. Decretalis epistola Fabiani papæ: « Dilectissimis ubique catolicæ æcclesiæ communistris Fabianus papa salutem in Domino, » et reliqua (*ibid.*, p. 123). Et post: «Denique septem similiter diaconos ordinavimus, qui septem immanerent notaris et gesta martirum veraciter in intigro colligerent nobisque rimanda manifestarent. Quod etiam omnes vos agere monemus, ne in posterum aliqua ex his dubitatio fiat quæstioque oriatur,» et reliqua; data Kalendas Julii, Maximino et Affricano V. C. I.

[*Cod. in marg.* Sexta persecutio.]

248. 2. [CCXXVI] (HIER.) *Perpetuus V. C. cl. consu.* Maximinus 6. persecutionem facit adversus sacerdotes æclesiarum.

249. 3. [CCXXVII] (BEDA.) *Cornelius V. C.* [Maximinus persequitur ecclesiam, propter Christianam familiam Alexandri, cui successit, et Mameæ matris ejus, vel precipue propter Origenem presbiterum.]

[*Cod. in marg.* Ciclus decen. 13. inc. ind. 7.]

250. 4. [CCXXVIII] (CASS.) *Pius et Proculus.* His consulibus, Casiodoro teste, Maximinus Aquilegiæ[a] Pupieno occiditur; cui successit Gordianus.

Romanorum 27. *regnavit Gordianus annis* 6; *hoc est usque Kal. Februarii, in anno* 222. *post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.*

251. 1. [CCXXIX] (HIER.) *Gordianus et Aviola V. C.* Gordiano Romam ingresso, Pupienus et Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio occissi.

252. 2. [CCXXX] (BEDA.) *Sabinus et Venustus V. C.* Origenes contra quendam Celsum Epicurum philosophum, qui contra nos libros conscripserat, octo voluminibus respondit.

253. 3. [CCXXXI] (ISID.) *Gordianus* 2. *et Pompeianus* [Flavianus papa, testimonio Spiritus sancti, in specie columbæ super caput ejus descendentis, Romæ veniens, ordinatur episcopus; licet quidam hoc verius de Severino affirment.]

254. 4. [CCXXXII] (BEDA.) *Atticus et Pretextatus.* Origenes tam scribendi sedulus fuit, ut Hironimus dicit in quodam loco, 5000 librorum ejus se legisse meminiret.

255. 5. [CCXXXIII] (HIER.) *Arrianus et Papus.* Gordianus admodum adolescens, Parthorum natione superata, cum victor reverteretur ad patriam, fraude Philipi prefecti pretorii haut longe a Romano solo interfectus est.

256. 6. [CCXXXIV] *Peregrinus et Emilianus.* His consulibus, teste Cassiodoro, Gordiano milites tumulum ædificant, qui Eufrati fluvio imminet, ossibus ejus Romam revectis.

Romanorum 28. *Philippus cum Philippo filio secundum omnes regnavit annis* 8; *hoc est usque Kalendas Februarii, in anno* 250. *post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.*

257. 1. [CCXXXV] (HIER.) *Philippus et Titianus V. C.* Philippus Philipum filium suum consortem regni facit, primusque omnium ex Romanis imperatoribus Christianus fuit.

258. 2. [CCXXXVI] (HIER.) *Presens et Albinus V. C.* Regnantibusque Philippis millessimus annus Romanæ urbis expletur.

259. 3. [CCXXXVII] (HIER.) *Philippus* 2. *et Philippus, filius ejus.* Athlamos natali Romanæ urbis cucurrit ejusque agon mille annorum actus.

260. 4. [CCXXXVIII] (HIER.) *Philippus* 3. *et Philippus* 2. Philippus urbem cognominis sui in Tracia construxit.

261. 5. [CCXXXIX] *Æmilianus et Aquilinus.* His consulibus, Casiodoro teste, millessimus annus Romæ expletus est; ob quam solemnitatem innumerabiles bestias Philippus in circo magno occidit, ludosque in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus, populo pervigilante, celebravit. Quadraginta etiam missos natali Romanæ urbis cucurrerunt et agon mille annorum actus. Hæc Cassiodorus. Cum autem secundum Ebreos Olimpias prima posita est in anno primo Joathan, et in primo anno

NOTÆ.

(124) In conc. non legitur. Fabiani epistolam indicare videtur

Digitized by Google

Olimpiadis sextæ condita fuit urbs Roma, atque, sicut Hieronimus et Beda tractant, a prima Olimpiade usque in passionem Domini sunt anni 794, sublatis 20 annis, id est annis 16 Jothan atque 4 Achaz, qui sunt quinque Olimpiades, fiunt a conditione Urbis usque in passionem Domini anni 774; a passione Domini usque in annum postremum Philiphi sunt anni 229; fiunt simul a conditione Urbis ad obitum Philippi 1003 anni.

262. 6. [CCXL] (HIER.) *Decius et Gratus.* Alexandriæ 4 episcopus Dionisius annis 17. [His consulibus Fabianus papa passus 14 Kal. Februarii, secundum gesta pontificum. Cornelius papa successit.]

263. 7. [CCXLI] (CASS.) *Decius* 2. *et Rusticus.* His consulibus Philippus senior Verone, Romæ vero junior occiditur. Decius regnavit ann. octo. Decretalis epistola Fabiani papæ : « Dilectissimo fratri Hilario episcopus Fabianus salutem, » et reliqua (ep. 3, p. 128); data 17. Kal. Novembris, Africano et Decio viris vene. C. I. In martirologio sic : « Rome Fabiani pape natal. 13. Kal. Februarii (AD *Mart.*), qui cum 14 annis, mense 11, diebus 12 æcclesiæ preesset, passus est sub Decio [in principio sui imperii] et in cimiterio Calixti sepultus. » Beda sic (*Chr.*) : « Decius, cum Pilippos patrem et filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persequtionem movet, in qua Fabianus in urbe Roma martirio coronatur. Sedem sui episcopatus Cornelio reliquit, sed et ipse passus. »

Cornelius papa annis 2, *mensibus* 8, *minus* 5, *diebus.*

Decretalis Cornelii : « Carissimis atque dilectis Cornelius salutem, » et reliqua (ep. 1, p. 131); data 7. Idus Septembris, Decio et Maximo viris clarissimis consulibus. (alia) : « Cornelius episcopus in Domino salutem, » et reliqua (ep. 2, p. 132); data 11. Kal. Junii, Maximo et Decio viris clarissimis consulibus. In martyrologio ita : Romæ via Apia in cimiterio Calisti, 18. Kal. Octobris (AD *Mart.*) natalis sancti Cornelii papæ sub persecutione Decii cum prespeteris et diaconibus Gentuncellis exilio deputati [182]; ad quem confortandum multi Christianorum veniebant. Quo tempore beatus Ciprianus scripsit ei de Celerino lectore, quanta pro fide et Confessione Christi sustinuerit. Decius cessar audiens quia multi ei scribebant de beato Cipriano, rogavit eum sibi exhiberi. Exhibitus Decio interroganti, cur a Cipriano contra rem publicam literas accipisset, respondit : « Ego de corona Christi litteras accepi, non contra rem publicam. » Iratus Decius jussit, ut os ejus cum plumbatis cederetur, deinde ad templum Martis ut sacrificaret duceretur : quod si contempsisset, illic capite puniretur. Cumque duceretur, unus ex militibus nomine Cerealis rogare cepit beatum papam, ut visitaret uxorem ejus, quæ annis quinque paralitica jacebat. Ingressus autem in domum ejus, tenuit manum Salustiæ, et erexit eam dicens : « In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et sta super pedes tuos. » Quæ protinus erexit se, clamans et dicens : « Vere Christus est Dei Filius. » Et dixit beato Cornelio : « Baptiza me, nam per Christum te conjuro. » Et currens implevit vas aqua et attulit ei. Tunc misserunt se omnes milites ad pedes ejus, orantes se baptizari. Quos ut babtizavit, obtulit pro eis sacrificium laudis, et participati sunt omnes corpore et sangine domini nostri Jesu Christi. Audiens hec Decius, mittens tenuit omnes, et jussit ut cum beato Cornelio ducerentur ad sacrificandum, et, si nollent parere, capite plecterentur [183]. Ducti vero foras muros portæ Appiæ, expuentes in templum, decollati sunt una cum beato Cornelio, numero viginti unus. Sed et Cerealis cum uxore sua Sallustia 18. Kal. Octobris. Eadem vero nocte venit beata Lucina cum clericis et familia sua, et rapuit martirum corpora, et sepelivit ea in agro suo in cripta, in cimiterio Calisti. Cujus Lucinæ Cornelius sic commemorat decretalis epistola Cornelii papæ : « Carissimis atque dilectissimis fratribus, sanctæ æcclesiæ filiis, Cornelius episcopus. Decrevi vobis scribere quæ nunc temporis necessaria sunt sciri, » et reliqua (ep. 1, 11) Et post : « Quapropter rogo vos nobis congratulari, quia rogatu cujusdam devotæ feminæ ac nubilissimæ matronæ Lucinæ levata sunt corpora apostolorum Petri et Pauli de catatumbis; et primo quidem beati Pauli corpus levatum silentium [184] ac positum est in predio predictæ matronæ, via Ostensi, ad latus ubi decollatus est. Postea vero beati apostolorum principis Petri accepimus corpus, et concedenter possuimus illud juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum, in templo Apollinis, in monte Aureo, in Vaticano palatii Neroniani, tertia die Kalendarum Juliarum, » et reliqua. Hæc epistola data est 7. Idus Septimbris, Decio et Maximo viris clarissimis consulibus.

Postquam vero passus sit Cornelius, Lucius papa in tertio anno Decii incipiens, sedit mensibus 5, usque 4. Nonas Martii (cf. *Lib. pont.*), in initio anni quarti Decii, sub Valeriano prefecto (*Mart.*). Inde Stephanus papa sedit annis 3, mensibus 5, usque 4. Nonas Augusti, quo passus est sub Valeriano prefecto, in anno sexto Decii. Decretalis epistola Zefani papæ « Dilectissimo fratri atque familiario amico Hilario, Zefanus papa salutem, » et reliqua (ep. 1, p. 141); data 5. Non. Maii, Valeriano et Galliano viris clarissimis consulibus. Alia : « Zefanus sanctæ apostolicæ et universalis Romanæ æcclesiæ episcopus, » et reliqua (ep. 2, p. 145); data Non. Aprilis, Valeriano et Galliano viris clarissimis consulibus. (AD *Mart.*) In martirologio ita habetur : Rome in cimitirio Calisti natalis sancti Zefani papæ et martiris sub Valeriano et Galliano imperatoribus. Qui, cum persecutio seva grasaretur, congregato universo clero suo, hortatus est eos ut pro Christo coronam martirii alacriter susciperent. Ordinaverat tres presbiteros et septem diaconos et

VARIÆ LECTIONES.

[182] deputi 1. [183] plectentur 1? [184] *lege* silentio.

Digitized by Google

clericos decem, cum quibus de regno Dei assidue docebat. Divina autem gratia procurante, occurebant multi ex [185] gentilibus et honesti [viri], ut baptizarentur ab eo. Inter quos Nemereus tribunus cum omni domo sua, filiaque ejus Lucilla, quæ cæca per beatum Zephanum inluminata, et Olimpius alter tribunus cum uxore Exsuperia et filio Theodolo et ceteris qui crediderunt in sua domo, qui postea passi sunt. Celebrabat autem missas atque concilia per criptas martyrum. Factum est autem, ut Valerianus et Galleianus, persecutores nominis Christi, summo requirirent studio beatum Stefanum, ut eum vel clericos ejus diversis penis afficirent. Misserunt itaque multitudinem militum, et tenuerunt eum cum multitudine clericorum presbiterorum et diaconorum; qui veniens ad tribunal Valeriani, solus introvit; cui Valerianus ait: « Tu es Stepanus, qui rem puplicam conaris evertere et persuasionibus atque adhortationibus malis populum a deorum recedere cultura. » Beatus Zefanus: « Ego quidem non everto rem publicam, sed hortor, ut, derilictis demonis, qui adorantur in idolis, ad Deum vivum et redeant creatorem celi et terræ, et agnoscant Jesum Filium Dei vivi Deum esse, qui cum Patre et Spiritu sancto solus est sempiternus, ut non pereant cum diabulo in interitum sempiternum. » Valerianus tunc jussit eum duci ad templum Martis, et ibidem dictata [186] sententia capite truncari, si non adoraret nefandi Martis simulacrum. Perductus beatus Zefanus a militibus foras muros Appiæ portæ ad templum, levatis oculis ad cœlum dixit: « Domine Deus meus, pater domini nostri Jesu Christi, qui destruxisti turrem confussionis Babiloniæ, destrue nunc et hunc locum, ubi diabolica superstitione [187] per idolorum culturam animæ pereunt populorum. » Et statim facto frangore tonitrui cum terroribus coruscationum, corruit maxima pars templi, et milites pavefacti fugierunt. Beatus vero Zephanus perrexit cum omnibus Christianis ad cimiterium sanctæ Luciæ, et multis eos consolatus sermonibus, obtulit pro eis sacrificium Deo [188] offerentem. Quem intrepidum et constantem ante altaris sollemnia et cepta perficientem in eadem loco decollaverunt sede A. Nou. Augusti. (Ad *Mart.*) Cujus corpus Christiani populi sepilierunt in eadem cripta, cum ipsa sede, [ubi [189]] astans sangis effussus est, in loco qui appellatur hodie cimitirium Calisti. (cf. *Lib. pont.*) Hic constituit ut sacerdotes et levitæ vestes sacras in cotidiano usu non haberent, nisi tantum in ecclesia.

Post Stefanum Sixtus papa successit annis 2. Decretalis epistola Sixti papæ: « Sixtus episcopus Grato coepiscopo salutem, » et reliqua (ep 1, p. 179); data Kal. Septimbris, Valeriano et Decio viris venerabil. cl. consul. Item alia: « Dilectissimis fratribus per Hispaniarum provincias constitutis, Sixtus episcopus in Domino salutem, » et reliqua (ep 2, p. 181); data 17. Kalendarum Augusti, Valeriano et Decio viris clarissimis consulibus. (Ad *Mart.*) In martirologio sic: Decius imperator et Valerianus prefectus tenuerunt beatissimum senem Sixtum episcopum Romanum cum omni clero suo, et recluserunt eos in custodia puplica, et fuerunt ibi clausi multis diebus. Factum est autem ibi, ut Decius cesar et Valerianus prefectus juberent sibi beatum Sixtum episcopum cum clero suo presentari noctu intra civitatem in Tellude. Cui Decius cesar dixit: « Scis cur tentus et conventione publica nobis presentatus es? » Respondit beatus Sixtus: « Scio et bene scio. » Decius dixit: « Ergo si scis, fac ut universi sciant, et tu vivas et clerus tuus augeatur. » Beatus Sixtus respondit: « Vere feci et facio, ut clerus meus augeatur. » Cui Decius: « Ergo sacrifica diis immortalibus, et esto princeps sacerdotum. » ad hæc sanctus Sixtus. « Ego semper sacrificavi et sacrifico domino Deo Patri omnipotenti et domino nostro Jesu Christo Filio ejus et Spiritu sancto hostiam puram et immaculatam. » Tunc ex precepto Decii duxerunt milites eum ad templum Matris, ut sacrificaret; sed, contemnente sacrificare, reclusérunt eum in custodia privata, cum duobus diaconibus Felecissimo et Agapito. Cumque duceretur, his verbis cepit eum beatus Laurentius, archidiaconus compellere: « Quo progrederis sine filio pater? Quo, sacerdos sancte, [sine [190]] diacono properas? Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit tibi pater? Num degenerem probasti? Et experire certe utrum ministrum me elegeris. Cui commissisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, hic [191] sanguinis tui consortium negas. Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio discipuli detrimentum magistri. Quid, quod inlustrius prestantes viri in cæpulorum certaminibus qui supervincunt [192]? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum premisit, et tu, pater, ostende in filio virtutem tuam. Offer quem erudisti, ut judicii tui comitatu nobili pervenias ad coronam. » Tunc beatus Sixtus ait: « Non ego te derelinquo, filii, nec desero, sed majora tibi debent certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum suscipimus, te quasi juvenem gloriosior manet de tiranno [193] triumfus. Mox venies, flere desiste, post tridnum me sequeris. Inter sacerdotem et levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adjutorem quereres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi heri ditatem dimitto. Quid presentiam meam requiris? Helias Helesium reliquit et virtutem non abstulit

VARIÆ LECTIONES.

[185] et 1. [186] dicta 1? [187] superstione 1. [188] *Hoc loco plura verba ex martyrologii narratione omissa sunt, quæ ita desinunt:* sacrificium Deo offerentem. *Lege* huic. [189] ubi *post add.* 1. [190] sine *post add.* 1. [191] Hic 1: [192] quam suis vinc. *Mart.* [193] triamno 1.

Digitized by Google

Et dixit beatus Sixtus ad beatum Laurentium : « Accipe facultates vel tesauros æcclesiæ, et divide quibus tibi videtur. » Accepta potestate, Laurentius cepit per regiones curiose querere, ubicunque sancti clerici vel pauperes essent absconsi, et portans tesauros prout unicuique opus erat distribuit. Ergo post hæc beatus Sixtus reducebatur in Telludem ut audiretur, et cum eo diaconi Felicissimus et Agapitus; et sedente Decio et Valeriano, presentatus est beatus Sixtus. Ad quem Decius iracundia plenus ait: « Nos quidem consulimus senectuti tuæ, audi precepta nostra et sacrifica. » Respondit beatus Sixtus : « Miser, tu tibi consule, et noli blasfemare, sed age penitentiam de sangine sanctorum quem tu effudisti. » Tunc monente Valeriano jussit Decius, ut ducerentur ad templum Martis; et si nollent sacrificare, in eodem loco capite truncarentur. Educti vero foras murum portæ Apiæ, dixit beatus Sixtus ad templum Martis : « Destruet te Christus, filius Dei vivi. » Cum respondissent omnes christiani « Amen, » subito cecidit aliqua pars templi. Tunc beatus Laurentius cepit clamare : « Non me derilinquas, pater sancte, qui tesauros jam expendi quos tradidisti mihi. » Milites autem audientes de tesauris, tenuerunt beatum Laurentium archidiaconum, sanctum vero Sixtum et Felicissimum et Agapitum duxerunt in clivum Martis ante templum: et ibi decollati sunt 8 Idus Augusti. Noctu venerunt clerici et maxima pars christianorum, et collegerunt corpora sanctorum, et sepilierunt Sixtum in cripta in cimiterio Calisti in eadem via. Sanctos vero Felicissimum et Agapitum martyres sepilierunt in cimiterio Pretextati. Decollati sunt cum eis et alii quatuor, ut in gestis pontificialibus legitur, Januarius, Magnus, Vincentius et Stephanus subdiaconi. Passus est cum eis et beatus Quartus, ut scribit beatus [Cyprianus]. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus et doctus quidem prius philosophus, postea Christi discipulus fuit. Sedit autem anno uno, mensibus 10, diebus 23. Et si ergo sanctus Ciprianus, qui tunc presens erat, hæc scripsit, quis ea negat? Tentus itaque beatus Laurentius a militibus, et traditus Parthenio tribuno. (Ad. *Mart.*) Qui nunciavit Decio, quod Laurentius, qui haberet thesauros reconditos, archidiaconus Christi, in custodia teneretur; qui gavissus fecit eum presentari sibi, et auditum tradidit eum Valeriano prefecto, qui et ipse dedit eum in custodia cuidam Ipolito, et Ipolitus reclusit eum cum multis. Erat ibi homo, Lucillus nomine, cecus, ad quem sanctus Laurentius: « Crede in filium Dei dominum Jesum Christum, et babtizare, et illuminavit [194] te. » Respondit Lucillus: « Ego ipse desideravi babtizari in nomine domini nostri Jesu Christi. » Tunc beatus Laurentius catacizavit eum, et accepta aqua babtizavit et inluminati sunt oculi ejus. Hoc factum audientes multi ceci veniebant ad beatum Laurentium, et ponebat manum super eorum oculos et illuminabantur. Videns hoc Ipolitus [credidit], atque baptizatus est. Ex mandato ductus est beatus Laurentius ante conspectum Valeriani. Qui dixit beato Laurentio : « Jam depone pertinaciam, et da tesauros, quos apud te cognovimus esse reconditos. » Cui sanctus Laurentius : « Da mihi indutias biduo vel triduo, et profero tibi thesauros. » Ab eadem die collegit cecos, claudos et debiles pauperes, et abscondit in domu Hipoliti eos. Valerianus autem nuntiavit Decio, quod promissit datis sibi indutiis Laurentius thesauros. Completis ergo tribus diebus, presentavit se ipsum in palatio Salustiano; et dixit ei Decius : « Ubi sunt thesauri, quos pollicitus es presentari? » Beatus Laurentius, collecta multitudine pauperum, introduxit in palatium, et voce magna dixit · « Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquam minuuntur nec decrescunt, qui in singulis asperguntur et in omnibus inveniuntur. » Valerianus prefectus dixit : « Quid varias per multas? Sacrifica diis et obliviscere artes magicas, in quibus confidis. » Cui cum dixisset beatus Laurentius : « Quare vos choortat [195] diabulus, ut christianis dicatis sacrificare demonis,? » Decius iratus jussit eum expoliari et cedi cum scorpionibus. Qui dum cederetur, dicebat : « Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus est conjungere inter servos suos. Tu autem, miser, torqueberis insania tua et in furore tuo. » Tunc Decius : « Levate eum et date omne genus tormentorum, » et allatæ sunt lamminæ ferreæ [196] ante conspectum ejus et lecti et plumbati et cardi. Post vinctus catenis ductus est beatus Laurentius in palatium Tiberii, ut ibi gestis audiretur. Et sedit pro tribunali in basilica Jovis. (Ad. *Mart.*) Et presentato Laurentio, cum ei dixisset : « Sacrifica diis et noli confidere in thesauris quos habes absconditos, » beatus Laurentius libere respondit : « Vere confido et securus sum in thesauris meis. » Iracundia plenus Decius jussit eum nudum sentibus cedi. Qui dum cederetur, clamabat ad cessarem : « Ecce, misser, vel modo cognosce, quia triumpho de thesauris Christi et non sentio tormenta tua. » Ad hæc Decius fustes augeri et dare ad latera ejus lamminas ferreas ardentes jussit. Beatus Laurentius dixit : « Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo, qui accusatus non te negavi, interrogatus te dominum Christum confessus sum. » Et dum diutissime cum plumbatis cederetur, dixit : « Domine Jesu Christe, qui pro nostra salute dignatus es formam servi accipere, ut nos a servitio demonum liberares, accipe spiritum meum. » Et audita est vox : « Adhuc multa certamina tibi debentur. » Extentus in catasta et scorpionibus gravissime cessus, subridens et gratias agens dice-

VARIÆ LECTIONES.

[194] *i. e.* illuminabit. [195] *lege* coartat. [196] ferre *t.*

Digitized by Google

bat : « Benedictus pater domini nostri Jesu Christi, qui nobis donasti misericordiam, quam meriti non sumus, sed tu, Domine, propter tuam pietatem da nobis gratiam, ut cognoscant omnes circum circumastantes, quia] tu consolaris servos tuos. » Tunc unus de militibus, nomine Romanus, credidit domino nostro Jesu Christo, et dixit beato Laurentio : « Video ante [197] te hominem pulcerrimum stantem cum lintheo et extergentem membra tua. Adjuro te per Christum, qui te missit angelum suum, ne me derelinquas. » Levatus ergo beatus martir et solutus de catasta, redditus est Hipolito tum in palatio. Veniens autem Romanus offerens aquam, misit se ad pedes beati Laurentii ut babtizaretur. Qui benedicta aqua babtizavit eum. Quod factum audiens Decius, jussit eum sibi exhiberi cum fustibus. Non interrogatus clamare cepit : « Christianus sum, » et jubente Decio eductus foras muros portæ Salariæ decollatus est 5. Id. August. Cujus corpus noctu collegit Justinus prespiter et sepelivit in cripta, in agro Verano. Decius autem cesar pergit noctu ad termas juxta palatium Salustii, et exibitus est ei iterum sanctus Laurentius, et allata sunt omnia genera tormentorum, plumbati, fustes, lamminæ, ungues, lecluli, batuli. Et dixit beato martiri : « Jam depone perfidiam artis magicæ et dic nobis generossitatem tuam. » Cui beatus Laurentius : « Quoniam genus Hispanus sum, eruditus et nutritus Romanus, et a cunabulis christianus, sum eruditus omnem legem sanctam et divinam. » Et Decius : « Sacrifica diis, nam nox ista in te expendetur cum supliciis. » « Mea, inquit, nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescit. » Et cum cederetur lapidibus, os ejus ridebat, et confortabatur et dicebat : « Gratias tibi ago, qui tu es [Deus] omnium. » Allatus autem est lectus cum tribus costis, et expoliatus beatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream, et allati sunt batuli cum prunis. Et misserunt sub cratem ferream. Et cum furcis ferreis coartatus desuper, dixit Decio : « Ecce me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis, quia sacrificium Deo est spiritus contribulatus. » Carnifices tamen urgentes ministrabant carbones mittentes sub cratem, et desuper comprimentes eum cum furcis ferreis. Sanctus Laurentius dixit : « Disce, misser, quanta est virtus domini Dei mei ; nam carbones tui mihi refrigirium prestant; tibi enim æternum supplicium, quia ipse Dominus novit, quia accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago. » Et vultu pulcerrimo dicebat : « Gratias ago tibi, domine Jesu Christe, quia merui januas tuas ingredi. » Et emissit spiritum. Mane autem prima adhuc crepusculo rapuit corpus ejus Ipolitus, et condivit cum linthiaminibus et aromatibus; et hoc factum mandavit Justino prespitero. Tunc beatus Justinus et Ipolitus plorantes et multum tristes tullerunt corpus beati martiris, et venerunt in via Tiburtina in predium matronæ viduæ Ciriacæ, in agro Verano ; ad quam ipse beatus martir fuerat noctu, cui et linthium dedit, unde pedes sanctorum extersit. Et ibi jam hora vespertina sepilierunt eum 4. Id. August., et jejunaverunt agentes vigilias noctis triduo cum multitudine christianorum. Beatus autem Justinus prespiter obtulit sacrificium laudis, et participati sunt omnes ex eo. Eodem die Romæ militum sexaginta quinque tunc passi sunt, Claudius, Severus, Crescentios et Romanus, ipso die quo beatus [198], post tertium diem sancti Sixti. — Rome Idus Aug. natalis sancti Ipoliti martiris sub Decio imperatore et Valeriano prefecto. Hunc beatum Ipolitum vicarium sanctus Laurentius, cum apud eum esset in custodia, babtizavit. Qui de sanctis exsequis martiris post ad domum suam rediens, dedit pacem etiam omnibus servis suis et ancillis, et communicavit de sacrificio altaris beati Laurentii martiris. Et possita mensa priusquam cibum sumeret, venerunt milites et tenuerunt eum et perduxerunt ad Decium. Quæ videns Decius subridens dixit ei : « Numquid et tu magus efectus es, qui corpus Laurentii abstulisse diceris ? » Sanctus Ipolitus respondit : « Hoc feci, non quasi magus sum, quasi christianus. » Decius furore arreptus jussit ut cum lapidibus os ejus contunderetur. Et expoliavit eum veste, qua induebatur habitu christiano, et dixit ei : « Sacrifica diis, et vives, sin aliter, peries per tormenta sicut Laurentius. » Sanctus Ipolitus dixit : « Exemplum merear beati Laurentii martiris fieri, quem tu, misser, ausus fuisti ore polluto nominare. » Extensus igitur fustibus et cardis diu cessus est, donec cedentes defecerunt. Inde levatus a terra, jussit eum Decius vestiri militare veste, qua gentilis utebatur, et dixit ei : « Recole militiam tuam, et esto noster amicus, et in conspectu nostro utere [199] militiam pristinam, quam semper habuisti. » Cum beatus martir dixisset : « Militia mea hec est, christianum firmum militare, unde cupio ad celerem palmam cum fructu venire, » iracundia plenus Decius dixit Valeriano : « Accipe omnes facultates [ejus], et interfice eum crudeli examinatione. » Valerianus porro, exquesita omne facultate ejus, invenit in domu Ipoliti omnem familiam christianam, quam conspectu suo presentari fecit. Et jussit beatum Ipolitum foras muros portæ Tiburtinæ cum familia duci. Beatus Ipolitus confortabat omnes dicens : « Fratres, nolite metuere; quia ego et vos unum Dominum habemus. » Et decollati sunt promiscui sexus [200], numero 19. Beatus vero Ipolitus, ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, sic per carduetum et tribulos tractus, emissit beatum spiritum. Nocte venit beatus Justinus presbiter et collegit corpora et sepelivit in campo eodem, juxta nimpham, ad latus agri Verani, Id. Augusti.

A Decio imperatore hucusque papæ per annos

VARIÆ LECTIONES.

[197] in 1 ? [198] *supple* Laurentius. [199] ute 1. [200] sextus 1.

Digitized by Google

octo cathedram tenuerunt juxta cronicam Eusebii; quamdiu vero secundum martirologium sederunt, dicendum est. Decius regnavit annis 16. Fabianus papa passus 13. Kal. Februarii, in anno primo Decii. Inde Cornelius papa annis duobus, mensibus octo, passus 18. Kal. Octobris, in anno tertio Decii. Inde Lucius papa annis tribus, mensibus quinque, passus sub Valeriano prefecto, in anno septimo Decii, 4. Non. Martii. Zefanus papa annis septem, mensibus quinque, passus sub Valeriano prefecto, 4. Non. Augusti, in anno decimo quarto Decii. Sixtus papa duobus annis, passus 8. Idus Augusti, in anno 16. Decii. (cf. Reg.) Laurentius quoque et Agapitus, Felicissimus atque Ipolitus, passi sub Decio, si ecclesia non fallitur. Damnum ergo annorum 18. in cronicis Eusebii et Bedæ, ab anno 15. Tiberii, in anno 10. magni cicli, juxta historiam sacri evangelii ad cyclum Dionissii, implent isti anni 16 Decii et 2 anni Galerii, teste Isidoro episcopo, quod duobus annis regnavit. Quodsi autem aliquid his rationibus obsistit, ecce aliter resurrectionem Domini juxta historiam inquirimus [201].

Romanorum 29. *Decius secundum Orosium regnavit annis* 3, *mensibus* 3, *juxta Eusebium et Bedam atque Cassiodorum anno ab Urbe condita* 1004. *incipiens, et hoc est usque Kal. Maii, in anno* 252. *post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Casiodoro.*

[*Cod. in marg.*: 7. persecutio.]

264. 1. [CCXLII] (Hier.) *Gallus et Volusianus.* Decius Pannonia inferiore Budaliæ natus fuit. Decius [202], ob odium Philipporum, quos occidit, persecutionem christianorum movet. Fabianus papa passus 14. Kal. Februarii (*Mart.*).

Cornelius 19. *papa annis* 3, *mensibus* 5. [Antonius monachus Egipto docetur exortus.]

265. 2. [CCXLIII] (Hier.) *Africanus et Decius.* Antonius monachus in Ægipto nascitur. Paulus Tebius (Cass.) (125). His consulibus Decius lavacra publica ædificavit, quæ suo nomine appellari jussit.

266. 3. [CCXLIV] (Hier.) *Maximus et Decius.* Romæ amphiteatrum incensum. Alexandro Hierosolimorum apud Cessaream Palestinæ ob martirium interfecto, et Antiochiæ Babila, Mazabanus et Fabius episcopi constituntur. (*Mart.*) Cornelius papa passus 18. Kal. Octobris. (Reg.) Romæ passi Fabianus et Cornelius papa, Victoria virgo, Miniates; Antiochia Babillas episcopus; Apollonia civitate Leatus, Tirsus et Gallinicus; Hierosolima episcopus Alexander; Nazanzo Tripho; in Ægypti civitate quæ dicitur Tinius Phileas episcopus, Philoronus tribunus cum multis; in Sicilia civitate Catinensium Agatha virgo; in Perside Polocronius Babyloniæ Tesifontis episcopus; Pergen Pamphyliæ Nestor episcopus; in Corduba civitate Parmenius presbiter cum sociis; apud Circensem coloniam Marianus et Jacobus; in Thiro Anatolia et Audax; apud Affricam Nemosianus et Felix, Rogatianus presbiter et Felicissimus et Dioscorus cum sociis. (Hier.) Decius cum filio occiditur [in [203] Abruto Thraciæ loco, a Gothis in bello (Cass.)].

Romanorum 30. *Gallus cum filio Volusiano regnavit annis* 2, *mensibusque* 4, hoc est usque Kal. Septimbris, in anno 254. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

267. 1. [CCXLV] (Hier.) *Volusenus et Maximus.* Pestilens morbus multas totius orbis provincias occupavit, maximeque Alexandriam et Ægiptum, ut scribit Dionissius et Ciprianus de mortalitate testis est liber. Novatus, presbiter Cipriani, Romam veniens, Novatianum et ceteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius penitentes apostatas recepisset. Antiochæ 14. constituitur episcopus Demetrius.

Lucius 20. *papa* [*annis* [204] 3] *mensibus* 5. *Decretalis epistola Lucii papæ* : « Dilectissimis omnibus fratribus Lucius episcopus salutem in Domino, » et reliqua (*Conc.* p. 137); et post : « In hac sancta sede apostolica constituimus, ut duo presbiteri et tres diaconi in omni loco episcopum non desserant, propter testimonium ecclesiasticum, » et reliqua; data Kal. Aprilis, Gallo et Volusiano viris clarissimis ven. consulibus. [Lucius passus 8. Kal. Sept. secundum gesta.]

268. 2. [CCXLVI] (Hier.) *Valerianus et Gallienus.* [His consulibus Stephanus papa successit secundum gesta pontificum.] His consulibus Cassiodoro teste, Gallus et Volusianus, cum adversum Æmilianum, qui in Mosia res novas moliebatur, ex Urbe profecti essent, in Foro Flammini, sive ut alii putant Interamniæ, interfecti sunt. Æmilianus tertio mense invasse tirannidis extinctus.

Romanorum 31. *Emylianus, cum Gallum et Volutianum occidisset, imperavit mensibus* 3. (Beda.) Origenes anno 70° ætatis suæ obiit, et in urbe Tiri sepultus. (H. R.) Emilianus autem obscurissime natus erat atque etiam obscurius imperavit; siquidem Maurus erat, atque tertio mense sui imperii extinctus est; hoc est quasi mense Novimbre, in eodem anno quo occidit Gallum et Volusianum.

Romanorum 32. *Valerianus cum filio Galleiano regnavit annis* 15, hoc est usque Kal. Decembris, in anno 249. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

[*Cod. in marg.*: Ciclus 14. decenn. inc. ind. 10.]

VARIÆ LECTIONES.

[201] *Hoc loco ex codice* 3. *in editt. leguntur :* Marianus Scotus 22 annos plus aliis chronographis posuit ab incarnatione Domini, quos sub deficientibus regibus collegit, mensibus et diebus integris annis supervenientibus. [202] *in margine prima manu.* [203] *post addita prima manu.* [204] *litura deleta sunt.*

NOTÆ.

(125) Est Paulus Thebæus, Antonii præceptor; cf. infra a. 371. Grotefend

Digitized by Google

269. 1. [CCXLVII] (HIER.) *Valerianus* 2. *et Gallienus* 2. Valerianus in Retia augustus, Gallienus Rome a senatu cessar appellatus. [His consulibus Stephanus papa passus 4. Non. Aug. secundum gesta p. R. [205].]

[*Cod. in marg.*: 8. persecutio.]

270. 2. [CCXLVIII] (AD. *Mart.*) *Maximus* 2. *et Gabrio*. In martirologio sic : « Nativitas sancti Lucii papæ et martyris 4. Nonas Martii ; qui persecutione Valeriani et Galliani ob fidem Christi exilio religatus, et postmodum divino nutu ad æcclesiam suam redire permissus, martirium capitis obtruncatione complevit, possitus via Apia ad sanctum Sixtum. Sedit in episcopatu annis 3. mensibus 5.

Stefhanus papa 21. *post Petrum annis* 3, *mensibus* 5. [His conss. Sixtus papa successit.]

271. 3. [CCXLIX] (HIER.) *Valerianus* 3. *et Gallienus*. Ciprianus primum rethor, deinde presbiter, ad extremum Cartaginensis episcopus, martirio coronatur.

272. 4. [CCL] (HIER.) *Tuscus et Bassus V. C.* Valerianus persecutionem in christianos mittens, statim a Sapore Persarum rege capitur et cecatur, ibique servitute misserabile consenescit. [His conss. Sixtus papa passus secundum gesta pont.]

273. 5. [CCLI] (HIER.) *Emilianus et Bassus*. Sapor rex Persarum Siriam, Ciliciam, Capadociam depopulatur. (*Mart.*) Stephanus papa passus 4. Non. Augusti (*lib. pont.*).

Sixtus 22. *papa annis* 2. [His [206] cons. Dionisius papa successit 11. Idus Aug. usque 7. Kal. Jan. Claudio et Paterno cons.] [Decretalis [207] epistola Dionisii papæ (p. 183) data est 4. Non. Febr. Æmeliano et Basso VV. CC. SS.]

274. 6. [CCLII] (HIER.) *Secularis et Donatus*. Valeriano in Persas ducto, Gallienus nostris pacem reddidit (BEDA.). Theodorus, qui et Gregorius, Neocesareæ Ponti episcopus, inter cetera virtutum gloria, ut æcclesiæ faciendæ locus sufficeret [precibus], montem movit.

275. 7. [CCLIII] (HIER.) *Gallienus* 4. *et Gentienus*. Antiochiæ 15. constituitur episcopus Paulus Samosatenus. Sixtus papa passus 8. Idus Augusti (*Mart.*).

Dionisius 23. *papa annis* 6, *mensibus* 5. *Hic æclesias prespeteris et parrocias diocessis dedit et constituit.*

276. 8. [CCLIV] (HIER.) *Gallienus* 5. *et Victorinus*. Gallieno in omnem lasciviam desoluto [208], Germani Ravennam usque venerunt. Alamanni vastatis Gallis in Italiam transiere.

277. 9. [CCLV] (HIER.) *Albinus et Maximus*. Grecia, Macedonia, Pontus, Assia depopulata per Gothos. Quade et [209] Sarmatæ Pannonias occupaverunt.

[*Cod. in marg.*: Cyclus.]

278. 10. [CCLVI] (HIER.) *Gallienus* 6. *et Saturninus*, Germanis Hispanis [210] optinentibus terræ expugnata. Parthi Misopotamiam tenentes, Siriam incursaverunt.

279. 11. [CCLVII] (HIER.) *Valerius et Lucillus*. Alexandrinæ æclesiæ 14. episcopus ordinatur Maximus annis 9.

280. 12. [CCLVIII] (HIER.) *Gallienus* 7. *et Sabinillus*. Ordinatus decurio Palmirenus [211], ut ad Tessifontem castra poneret.

281. 13. [CCLIX] (HIER.) *Paternus et Archisilaus*. Hierosolimarum episcopatum tenet Himeneus. Dionissius papa obiit 6. Kal. Januarii. (*Mart.*)

(REG.) *Felix* 24. *papa annis* 4. — Romæ passi Stefanus et Sixtus papæ, Felicissimus et Agapitus et beatus Laurentius diaconi, Ipolitus, Eugenia virgo, Jovinus et Bassilius, Bassilla, Rufina et Secunda virgines, Tertullianus, Protus, Jacintus, Valerianus, Nemesius, Simpronius, et Olympius in Hispania urbe Tarracona; Verona Zenon episcopus et confessor, Fructuosus episcopus, Augorius et Eulogius diaconi; Cesarea Palestina Marinus; apud Affricam civitatem Turbuno; Lucernariæ Maxima, Donatilla et Secunda virgo; in territorio Cavillitano vico Mitanensi Privatus episcopus.

282. 14. [CCLX] (HIER.) *Paternus* 2. *et Marinus*. Galliæ Postumum et Victorinum et Tetricum civitates receptæ.

283. 15. [CCLXI] (H. R.) *Claudius et Paternus*. (Oros. VII, 24.) His consulibus, Cassiodoro teste, Gallienus Aureoli ducis sui [212] post 15 annos sui imperii, rem puplicam deserens et libidinibus serviens, occiditur. [Decretalis [213] epistola Dionisii papæ (p. 184), data est 5. Idus Sept. Claudio et Paterno VV. CC. SS.] [His consulibus Dionisius papa obiit 6. Kal. Jan. secundum gesta pontificum. Cui successit Felix papa.]

Romanorum 33. *Claudius regnavit anno uno, mensibus* 9, hoc est usque Kal. Septembris, in anno 251. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

284. 1. [CCLXII] (HIER.) *Antiochienus et Orbitus*. In Alaxandria Brachium, quod per multos annos fuerat obsessum, tandem destruitur. Claudius Gothos Illiricum et Macedoniam vastantes superat, ob quæ in curia clippeus ei aureus et in Capitolio statua aurea conlocata est.

285. 2. [CCLXIII] (cf. *Mart.*) *Valerianus et Bassus*. Felix papa passus 3. Kal. Junii [214], teste Beda. Iste decrevit missas celebrari supra memorias marti-

VARIÆ LECTIONES.

[205] g. p. R. *desunt* 1. [206] *in marg. iterum sec. manu scripium est* : His cons. Dionisius papa succ. secundum. [207] *hæc in inferiori margine f.* 125. *scripta sunt sine anni indicatione.* [208] deseluto 1. [209] ei 1 ? [210] *lege* Hispanias o. exp. Terracon. [211] *supple* collecta agrestium manu ita Persas cecidit. [212] *supple* fraude. [213] *in superiori f.* 125'. *margine scripta sine anni indicatione; cf. a.* 273. [214] *suprascriptum sec. manu* Januar.

Digitized by Google

rum. (cf. *lib. pont.*) Rome passi Felix papa; Marius cum Martha sua conjuge et filiis, 47 milites babtizati a papa Dionisio, Cirillia virgo; in Tarracina Campania civitate Felix presbiter et Eusebius. (Reg.) Valerianus et Bassus. His consulibus Claudius Sirmii obiit, Casiodoro teste (Cass.).

(H. R.) *Romanorum* 34. *Quintillius frater Claudii, ex consensu militum imperator factus est; qui consensu etiam senatus appellatus est augustus. Hic erat vir unice moderationis et civilitatis,* equandus vel preferendus fratri.

Eutichianus 25. *papa annis* 6. (cf. *lib. pont.*) Hic constituit, ut fruges super altare tantum favæ et uvæ benedicerentur, et ut nullus martyrem sine dalmatica aut colovio purpurato ulla ratione sepeliret. (Cass.) Quintillius 17. die sui imperii, teste Cassiodoro, Aquileiæ occiditur, hoc est usque Kal. Octobris, in eodem anno quo Claudius obiit.

Romanorum 35. *Aurelianus regnavit annis* 5, *mensibus* 6, hoc est usque Kal. Aprilis in anno 256. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

286. 1. [cclxiv] (Hier.) *Quietus et Voldumianus.* Antiochiæ æcclesiæ 17. ordinatur episcopus Timæus. Aurelianus, Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum, Gallias recepit.

287. 2. [cclxv] (Hier.) *Tacitus et Placidianus.* Zenobia apud Himmas haut longe ab Antiochia vincitur; quæ, occisso Ordinato marito, Orientis tenebat imperium; in qua pugna strenuissime adversum eam dimicavit Pompeianus dux cognomento Francus; cujus familia hodie quoque apud Antiochiam perseverat; ex cujus Euagrius, presbiter carissimus nobis, stirpe discendit.

[*Cod. in marg.:* Ciclus 15. decenn. inc. ind. 14.]

288. 3. [cclxvi] (Hier.) *Aurelianus et Capitolinus.* Eusebius Laodicenus episcopus insignis habetur. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus et Zenobia precesserunt equitibus. Tetricus corrector postea Lucaniæ fuit, et Zenobia in Urbe summo honore consenuit; a qua hodieque Romæ Zenobiæ familiæ nuncupantur. [His consulibus Felix papa passus secundum gesta pontificum 3. Kal. Jan.]

289. 4. [cclxvii] (Hier.) *Aurelianus* 2. *et Marcellus.* [His consulibus successit Euticianus papa secundum gesta pontificum.] Aurelianus templum Soli ædificat, et Romam firmioribus muris vallat. Primus a consulis [215] ab Auriliano institutus. Decretum Eutychiani papæ : « Karissimis fratribus Johanni et omnibus per Beticam provinciam constitutis episcopis, Eutichianus episcopus in Domino salutem, » et reliqua (p. 205); data 2. Idus Aprilis, Aureliano et Marcello viris clarissimis consulibus.

[*Cod. in marg.:* Nona persecutio.]

290. 5. [cclxviii] (Hier.) *Probus et Paulimus V. C.* Aurelianus cum adversum nos persecutionem movisset, fulmen juxta eum comitesque ejus ruit. (Ad. *Mart.*) Euticianus papa passus 6. Idus Decimbris, et sepultus in cimiterio Calisti. (Reg.) Rome passi Eutichianus papa, Theodora, Bassilides, Tripos, Mandalia; Linguinis passi sunt sancti Gemini; Leonio civitate Conon; Cessarea Capidociæ Mammes; apud Prenistinam urbem Agapitus; in civitate Salona Anastasius; apud Augustidunum Simfronianus; in territorio Vivariense loco qui dicitur Gentibus Andeolus subdiaconus, Andochius presbiter, Tirsus diaconus et Felix; in castro Duvone [216] Benignus presbiter.

291. 6. [cclxix.] *Probus* 2. *et Paternus* 2. [Eutichianus papa passus.] [Ab Eutichiano papa usque ad hos consules in anno 6. scribendum.] (Cass.) His consulibus, Casiodoro teste. Aurelianus in itineris medio inter Constantinapolim et Heracliam, in Cenofrurio viæ veteris occiditur.

(H. R.) *Romanorum* 36. *Tacitus post Aurilianum adeptus est imperium mensibus sex.* Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Probus 3. *et Paternus* 3. (Beda.) Anitolius natione Alexandrinus, Laodiceæ Siriæ episcopus, filosobhorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur. Cujus ingenii magnitudo de libro quem supra pasca compossuit et de decem libris arithmethicæ institutionis apertissime potest cognosci. Insania Manchiorum herissis exoritur.

Gaius 26. *papa post Petrum.*

(H. R.) His consulibus, Cassiodoro teste, Taccitus mense sexto sui imperii apud Pontum occissus est, hoc est quassi mense Septimbre.

Romanorum 37. *Florianus, omne teste historico, post Taccitum obtinuit imperium, qui tertio demum mense sui imperii apud Tarsum interfectus est; hoc est usque ad Kalendas Januarii in eodem anno quo Aurilianus occissus est.* Hic nec quicquam memoriæ dignum egit, tantum temporis brevitate sui imperii.

(H. R.) *Romanorum* 38. *Probus regnavit annis* 6. *mensibus* 4, *hoc est* usque Kalendas Maii, in anno 264. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

292. 1. [cclxx] (Hier.) *Messala et Gratus V. C.* Probus Gallias ab Arbaris [217] occupatas ingente virtute restituit.

293. 2. [cclxxi] (Hier.) *Probus* 4. *et Tiberianus.* Secundo anno Probi juxta Antiochenos 325. annus fuit, juxta Tirius 400, juxta Laodicenos 324, juxta Edessenos 589, juxta Ascolonitas 380. [Initium 86. jobelei secundum Ebreos; jobel autem apud Ebreos quinquagenarius annus nominatur. Itaque secundum supputationem Ebreorum, sicut dicit Eusebius in cronicis suis, ab Adam usque presentem, id est se-

VARIÆ LECTIONES.

[215] *lege* agon Solis. [216] *lege* Divone. [217] *lege* a barbaris.

Digitized by Google

cumdum annum Probi, fiunt 4200 anni, id est 4 jobelel, et 50 anni id est unus jobeleus. 40 jobelei ab Adam ad annum 50. Abrahæ ; et ab Adam usque ad annum 16. Tiberii 80 jobelei.]

Gaius 26. *papa annis* 15, *mensibus* 4.

294. 3. [CCLXXII] (HIER.) *Probus* 5. *et Victorinus.* Probus Gallos et Pannonios vineas habere permissit, Almamque et Ameum montem militari manu consitos provincialibus colendos dedit.

295. 4. [CCLXXIII] (HIER.) *Carus et Carinus.* Antiochiæ 18. constituitur episcopus Quirillus. Saturninus magister exercitus novam civitatem Antiochiæ orsus condere; qui postea imperium molitus invadere, Apamiæ occiditur. Decretalis epistola Euticiani papæ : « Dilectissimis fratribus episcopis per Siciliam constitutis Euticianus episcopus salutem, » et reliqua (Ep. 2, p. 207). Data 13. Kal. Oct. Caro 2, et Carino viris cl. c. teste Cassiodoro. [His cons. Euticianus papa passus 8. Kal. Ag. secundum gesta pontificum. His cons. Gaius papa successit 16. Kal. Januarii.]

296. 5. [CCLXXIV] (BEDA.) *Carus* 2. *et Numerianus.* Archilaus Mesopotamiæ episcopus librum disputationis suæ quam habuit contra Manchium exeuntem de Perside, Siro sermone compossuit; qui translatus a Grecis habetur a multis.

297. 6. [CCLXXV] (HIER.) *Diocletianus V. C. consul.* Alexandriæ 15. episcopus prefuit Theonas annis 19.

298. 7. [CCLXXVI] (HIER.) *Aristobolus V. C. cons.* His consulibus Probus tumultu militari apud Sirmium in turri quæ vocatur Ferrata occiditur.

Romanorum 39. *Carus cum filiis suis Carino et Numeriano* regnavit annis duobus, mensibus item duobus juxta historiam Romanam, hoc est usque Kal. Julii, in anno 266. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Casiodoro.

299. 1. [CCLXXVII] (HIER.) *Maximus et Aquilinus.* Carus Narbonensis cum, omni Parthorum regione vastata, Cochem et Thesifontem, nobilissimas hostium urbes, cœpisset, super Tigridem castra ponens, fulminis ictu interiit.

300. 2. [CCLXXVIII] (HIER.) *Diocletianus* 2. *et Maximianus.* Numerianus cum ob oculorum dolorem lecticula veheretur, insidiis Apri soceris sui occissus est, vix fethore cadaveris post aliquot dies scelere comperto. (REG.) Rome passi Crisantus et Daria, Claudius cum uxore Hilaria et filiis Jasone et Mauro, et 70 milites et reliqua. (HIER.) His consulibus Carinus prelio victus, apud Margum occiditur, [Decretalis [218] epistola Gaii papæ (l. l., p. 209 (126)] data Kal. Martii Diocletiano 2. et Maximiano VV. CC. SS]

Romanorum 40, *Diocletianus regnavit annis* 20, *hoc est usque Kalendas Julii, in anno* 287, *post passionem.* Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

301. 1. [CCLXXIX] (HIER.) *Maximianus* 2. *et Januarius.* Diocletianus, Dalmatæ scribæ filius, imperator electus, statim Aprum in militum contione percussit, jurans sine suo scelere Numerianum interfectum.

[*Cod. in marg.*: Ciclus solis incipit.]

302. 2. [CCLXXX] (HIER.) *Bassus et Quintianus.* Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum adsumpsit, qui multitudine rusticorum oppressa, quæ factione suæ Bacaudarum nomine indiderat, pacem Gallis reddidit.

303. 3. [CCLXXXI) (HIER.) *Diocletianus* 3. *et Maximianus* 3. Carus [219] sumpta purpura Brittanias occupavit.

304. 4. [CCLXXXII] (HIER.) *Tiberianus et Dio.* Narseus orienti bellum intulit. Quinquegentiani Affricam infestaverunt.

305. 5. [CCLXXXIII] (HIER.) *Anniballianus et Asclepiodatus.* Ægiptum Achilleus optinuit; ob quæ Constantius Galerius et Maximianus cessares adsumuntur in regnum. Quorum Constantius Claudi ex filia nepos fuit, [Maximianus] Galerius in Dacia haut longe a Serdica natus est.

306. 6. [CCLXXXIV] (HIER.) *Diocletianus* 4. *et Maximianus* 4. Diocletianus [221] etiam [ut] adfinitate [eos] conjungeret, Constantius privignam Herculi Theodoram accepit; ex qua etiam [postea] sex liberos, Constantini fratres, habuit.

[*Cod. in marg.*: Ciclus 17. ind. 3.]

307. 7. [CCLXXXV] (HIER.) *Constantius* [220] *et Maximus.* Galerius [221] filiam Diocletiani Valeriam. Ambo uxores quas habuerant repudiare compulsi sunt.

308. 8. [CCLXXXVI] (HIER.) *Tuscus et Anulinus.* Busiris [222] et Coptus contra Romanos rebellantes, ad solum usque reversæ sunt.

309. 9. [CCLXXXVII] (HIER.) *Diocletianus* 5. *et Constantius* 2. Carporum et Basternorum gentes in Romanum solum translatæ. Decretalis epistola Gaii papæ : « Dilectissimo fratri Felice episcopo Gaius salutem, » et reliqua (l. l., p. 209); data Kal. Martii, Diocletiano 5. et Constantio 2. V. Cl. consulibus (cf. *lib. pont.*). Gaius in hac epistola constituit, ut per omnes gradus æclesiasticos, id est acholitus, hostiarius, lector, exorcista, subdiaconus, diaconus, presbiter, primum ascenderet, si quis episcopus fieret. (AD. *Mart.*) Gaius papa passus 10. Kal. Maii, et sepultus in cimiterio Calisti [prescriptis consulibus, id est Diocletiano 5. et Constantio 2.].

Marcellinus 27. *papa annis* 8.

VARIÆ LECTIONES

[218] *in inferiori folii* 127. *margine sine anni indicatione scripta sunt.* [219] *lege* Carausius. [220] constatius 1. [221] *hæc cum a.* 305. *conjungenda sunt.* [222] bustris 1?

NOTÆ.

(126) De eadem sermo est quæ rectius a. 399, indicatur.

Digitized by Google

310. 10. [CCLXXXVIII] (HIER.) *Faustus et Gallus.* Primus Diocletianus adorari se ut Deum jussit, et gemmas vestibus calceamentisque inseri.

311. 11. [CCLXXXIX] (HIER.) *Diocletianus* 6. *et Maximianus* 6. Cum [223] ante eum omnes imperatores in modum judicum salutarentur, et clamidem tantum purpuream a privato habitu plus haberent. [His consulibus Marcellinus papa successit 3. Kal. Julii.]

312. 12. [CCXC] (cf. BEDA.) *Constantius* 3. *et Maximus* 3. [His persecutoribus intra 30 dies 7000 passi sunt.]

313. 13. [CCXCI] (HIER.) *Titianus et Nepotianus.* Alexandria cum omni Ægipto per Achilleum ducem [224] a Romana potestate discedens, 8. obsidionis mense a Diocletiano capta est.

314. 14. [CCXCII] (HIER.) *Constantius* 4. *et Maximus* 4. Itaque plurimi per totam Ægyptum gravibus proscriptionibus exilisque vexati, interfectis qui auctores perduellionis extiterant.

315. 15. [CCXCIII] (HIER.) *Diocletianus* 7. *et Maximianus* 7. Æclesiæ Hierosolimarum 37. ordinatur episcopus Zabdas. Post 10 annos per Asclepiotum prefectum pretorio Brittaniæ receptæ. Juxta Lingonas a Constantino cesare Alamannorum cesa.

[*Cod. in marg.:* Decima persecutio.]

316. 16. [CCXCIV] (HIER.) *Diocletianus* 8. *et Maximianus* 8. Galerius Maximianus, victus a Narseo, ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit. (cf. *lib. pont.*) Veturius magister militiæ christianos milites persequitur, paulatim ex illo jam tempore persecutione adversum nos incipiente, [his consulibus] Marcellinus papa ad sacrificandum ductus sacrificavit; sed postea pœnitentia ductus, capite truncatus est 6. Kal. Maii (AD. *Mart.*) cum Claudio et Quirino atque Antonino, et sepultus est post dies 35 in cubiculo, via Salaria, a Marcello prespetero e· diaconibus cum imnis.

Marcellus papa 28. *post Petrum annis* 5.

317. 17. [CCXCV] (HIER.) *Constantius* 5. *et Maximus* 5. Galerius Maximianus, superato Narseo, et uxoribus ac liberis sororibusque ejus captis, a Diocletiano ingenti honore suscipitur. Thermæ Romæ Diocletianæ factæ et Maximianæ Cartagini.

318. 18. [CCXCVI] (HIER.) *Constantius* 6. *et Maximus* 6. Æclisiæ Hierosolimarum 38. constituitur Thermon. Antiochiæ 19. prefuit episcopus Tirannus. Alexandrinæ æcclesiæ 16. post Theonam episcopus ordinatur Petrus, qui postea nono persecutionis anno gloriosissime martirium perpetravit.

[*Cod. in marg.:* Aperta persecutio per edictum (Primus annus persecutionis Diocletiani tyranni).]

319. 19. [CCXCVII] (HIER.) *Diocletianus* 9. *et Constantius.* Diocletianus et Maximianus augusti insigni p›mpa Romæ triumfarunt, antecedentibus currum e›rum Narsei conjuge, sororibus, liberis, et omni preda qua Parthos spoliaverunt. .erre motu horribili apud Tirum et Sidonem multa opera corruerunt et populus innumerabilis oppressus. 19 anno Diocletiani, mense Martio, in diebus paschæ, æclesiæ subversæ sunt; quarto autem anno persecutionis Constantinus regnare orsus.

320. 20. [CCXCVIII] (HIER.) *Diocletianus* 10. *et Maximus* 7. His consulibus, Cassiodoro teste, secundo persecutionis anno Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani, purpuram depossuerunt.

Romanorum 41. *Galerius Maximinus anno uno, hoc est* usque Kal. Julii, in anno 288, post passionem.

Decretalis epistola : « Marcellus papa dilectissimis fratribus universis episcopis per Antiochiam constitutis salutem, » et reliqua (ep. 1, p. 221); data Kal. Aprilis Maxentio et Maximiano V. C. consulibus. Alia decretalis : « Marcellus episcopus sanctæ catholicæ et apostolicæ æclesiæ urbis Romæ Maxientio, » et reliqua (Ep. 2, p. 223); et post : « Tu ergo, qui suades cultum dimittere divinum et a recta fide recedere diisque immolare, » et reliqua; data 16. Kal. Februarii Maxentio et Maximino V. Cl. consulibus (AD. *Mart.*). Marcellus, jubente Maximino imperatore, primo fustibus cessus et a facie ejus expulsus. Deinde audiens quod domum sanctæ Lucinæ, quam ipse proscriptione damnaverat, æclesiam faceret et in ea missas celebraret, in media civitate jussit in eadem eclesia planias sterni ad animalia catabuli, et ejusdem [225] stabuli episcopum ad servitium deputavit cum custodia puplica, ubi etiam post multos serviendo indutus cilicio, obiit 17. Kal. Februarii, et conditus aromatibus a Johanne presbitero et beata Lucina, sepultus est via Salaria in cimiterio Priscillæ.

Eusebius 28. *papa post Petrum ordinatur, qui sedit mensibus* 8 [obiit 6. Non. Octobr.].

(REG.) Sub hujus tempore inventa est crux Domini sub Constantio, patre Constantini Magni, ut in gestis pontificum Romanorum ita habetur (*lib pont.*) : « Sub his temporibus inventa est crux Domini 5. Non Maii, et babtizatus est Judas qui et Ciriacus dicitur. »

Mælciades papa 30. *post Petrum ordinatur qui sedit annis* 4. Iste decrevit ut die dominico vel feria 2. nullus fidelis jejunet, quoniam hos dies pagani quasi jejunio sacro celebrant.

321. 1. [CCXCIX] (BEDA.) *Maximinus et Severus V. C.* Tertio persequtionis anno, quo et Constantius Eburaci obiit, Maximinus et Severus a Galerio Maximiano imperatore cessares facti sunt; ex quibus Maximinus maleficia et stupra sua christianorum persequtionibus accumulat. Passus est ea tempestate Petrus Alexandriæ episcopus cum pluribus Ægypti episcopis, Lucianus quoque vir nobilis et

VARIÆ LECTIONES.

[223] *cum a.* 310. *conjungenda sunt.* [224] *in textu legitur* X; *suprascriptum est manu recentiore* ducem. [225] ejusdum 1.

Digitized by Google

continentiæ et eruditione moribus precipuus, Antiochenus presbiter et Timotheus Rome 10. Kalend. Jul. (Oros. VII, 25.) Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente vastari æclesias, affligi interficique christianos; decimo post Neronem loco, preceperunt. Quæ persecutio omnibus fere actis [226] diuturnior et immanior fuit; nam per 10 annos incendiis æclesiarum, proscriptionibus innocentium, cedibus martirum incessabiliter acta est. Secundo persecutionis anno Diocletianus ab invito exegit Maximiano, ut simul purpuram imperiumque deponerent, ac junioribus in rem puplicam substitutis, ipsi in privato otio consenescerent. (Beda.) Itaque sub una die Diocletianus Nicomedia, Maximianus Mediolani potestatem imperii simulque cultum depossuerunt. Secundo persecutionis anno Diocletianus Nicomedia, Maximianus Mediolani purpuram depossuerunt. Beda. Attamen cepta semel persecutio usque ad septimum Constantini annum fervere non cessat. Orosius [227] (l. l.): Galerius et Constantius augusti primum Romanorum imperium inter se divisserunt: Galerius Maximianus Iliricum, Assiam et Orientem. Constantius Italiam, Affricam et Gallias obtinuit. Sed Constantius vir tranquillissimus Gallia tantum Hispaniaque contentus, Galerio cæteris partibus cessit. Galerius duos cessares elegit, Maximum quem in Oriente constituit, et Severum, cui permisit Italiam; ipse in Illirico constitutus. Beda: Tertio anno persecutionis, quo et Constantius 16. sui anno Eboraci in Brittania obiit, Maximus et Severus a Galerio Maximiano cesares facti sunt. Orosius: Constantius in Brittania obiit, et Constantinum filium, ex concubina Helina creatum, imperatorem Galliarum reliquit (VII, 28). Constantino vero in Gallis strennuissime rem puplicam procurante, pretoriani milites Romæ Maxentium, filium Maximiani Herculei, qui privatus in Lucania morabatur, augustum nominant. Galerius augustus Severum cessarem adversum Maxentium Romam cum exercitu missit. Severus cum urbem obsideret, militum suorum scelere desertus et proditus et ex eo fugiens, Ravenne occissus sit. Herculius Maximianus persecutor, ex augusto tirannus, confirmatum jam imperio filium veste ac potestate regia spoliare conatus, conviciis autem ac tumultibus militum palam conterritus, in Galliam profectus est, ut Constantino genero suo eque dolis junctus, auferret imperium; sed per Faustam filiam detectus et proditus, quod dolum Constantino viro [228] suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur. (Hier.) Porro Galerius, occisso Severo, Licinium imperatorem creavit. (Oros. l. l.) Cumque persecutionem a Deocletiano et Maximiano missam ipse atrocibus edictis accumulavisset ac postquam per annos 10 omni genere hominum exhausit provincias, putrifacto introrsum pectore et vitalibus disolutis, cum ultra horrorem humanæ misseriæ etiam vermes eructaverat, neque medici ultra jam fetorem ferentes crebro jusu ejus occiderentur, et a quodam medico ei dicitur iram Dei esse penam suam et ideo incuratus: edictis latissimis christianos de exilis revocavit; ipse vero obiit. Constantinus pacem ecclesiis post decem annos quam a persecutoribus vexabantur indulsit. Deinde orto bello civille inter Constantinum et Maxentium, apud pontem Mulvium victus Maxentius occiditur. Hæc Orosius. Anni autem persecutionis sunt secundum cronicam Eusebii et Bedam usque ad annum 7. Constantini: hoc est annus 19. et 20. Diocletiani, annus Galeri et 6. Constantini; tertium enim annum persecutionis, quo et Constantius pater Constantini Eboraci obiit, Beda computat inter Diocletianum et Constantinum, quartum vero annum persecutionis sub Galerio et Severo et Maxentio in Roma, Constantino interim in Gallia imperante, cum precedente tertio anno persecutionis Issidorus episcopus Galerio computavit. (Reg.) Rome passi Gaius et Marcellus papa, Ciriacus diaconus, Largus, Smaragdus, Apronianus, Papias et Maurus, Claudius et Propedigna cum filiis, Gabinius presbiter, Castulus, Pancratius, Arthemius cum uxore et filia, Sebastianus, Marcus et Marcellianus, Marcellinus presbiter, Petrus exorciza, Tranquillinus, Nicostratus cum uxore Zoe, Primus et Felicianus, Claudius, Castorius, Victorinus, Simpronianus, Basiliscus, Faustinus et Beatrix, Tiburtius filius Chromatii, Simplicius, Susanna virgo, Johannes, Crispus, Geneseus, Felix et Audactus [229] Lucia, Geminianus, Sergius et Bachus, Chrisogonus, Saturninus et Sisinius, quatuor Coronati, Theodorus, Pontianus, Pretextatus [230] et Tharso; (Reg.) apud Spoletum Gregorius presbiter, Sabinus episcopus, Exuperantivus et Marcellus diaconi; apud insulas Parmarias Anastasia, Pamphilius presbiter, Eusebii Cesariensis episcopi necessarius, cujus vitam ipse tribus libris comprehendit; Antiochia Julianus et Basilissa; in Hispanis civitatibus Cesaraugusta Vincentius diaconus, in Barchibonia [231] Eulalia virgo, Cucufas, apud Gerundiam Felix; in Cumis Juliana virgo; apud Tirum Tirannio, Silvanus, Plenus atque Linus episcopi cum innumera multitudine; apud Sirmium Sirenus; Nicomedia Petrus et Lucianus [232] presbiter Antiocenus, Antimus episcopus [233], Pantaleon, Johannes Adrianus, Dortheus [234] et Gorgonius, Eleuterius; Smirne civitate Ilireneus episcopus; in Palestina civitate Gaza Silvanus; Mediolanis [235] Victor; apud Iliricum civitatem Siscia Quirinus episcopus; apud Tharsum Bonifatius, apud Aquileiam Felix et Fortunatus; apud Cili-

VARIÆ LECTIONES.

[226] ante actis *Oros.* [227] *in margine* 1. [228] *bis scriptum* 1. [229] Adauctus 2. [230] pretexatus 1. [231] Barcillona 2. [232] educianus 1? [233] 2. *add.*: Ermolaus presbiter cum aliis. [234] dorotheus 2. [235] mediolis 1. mediolano 2.

Digitized by Google

ciam [236] Vitus et Modestus cum Crescentia, Lucia virgo; in Britania Albanus [237]; apud Massiliam Victor; apud Augustam Afra in Retia provincia; Nicea Bithiniæ Theodota cum filiis; in Hispanis civitate Compluto Justinus et Pastor fratres; in Sicilia civitate Caten Epulus [238] diaconus; apud urbem Italiæ Pergamis Alexander; in civitate Calcedoniæ Eufemia; in Neapolim Campaniæ Januarius Beneventanæ episcopus, Sosius diaconus; in Mesentana civitate Faustus et Desiderius; in Palestina Peleus et Nilus episcopus; in Cizico Fausta et Evilassius; Agauno Mauricius cum sociis suis; Antiochia Cipri.nus episcopus cum Justina; apud Egeam civitatem Cosmus et Damianus; in Gallis castro Solodoro, quod est super Arolam fluvium, Victor et Urso; apud Coloniam Agripinam Gereon cum sociis; apud Tharsum Tracuus [239], Probus et Andronicus; in Venusia civitate Apuliæ Felix episcopus, Audax et Januarius presbiter; Suessionis civitas Crispinus et Crispinianus; apud Sidonem Zenobius presbiter; in territorio Aganensi Tiberius, Modestus et Florentia; in Scithia metrapoli Frigia Salaria Mennas; Antiochia Romanus; Alexandria Petrus episcopus; in Africa civitate Colonia Crispina virgo; in Tuscia Barbara virgo; in Hispanis Leocadia et Merita civitate Eulalia et Julia virgines. (Beda.) Tunc intra unum mensem 17 milia martyrum pro Christo passi sunt.

Romanorum 42. *Constantinus Magnus, Constantii filius ex concubina* Helina, ab anno 4. persecutionis incipiens, indictione 2, regnavit annis 30, mensibus 10, hoc est in anno 318. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Casiodoro.

322. 1. [CCC] (Hier.) *Pro consul. Diocletiani* 11. *et Maximi* 9. Maxentius, Herculii Maximiani filius, a pretorianis militibus Romæ augustus appellatur. Severus cessar a Galerio Maximiano contra Maxentium missus, Ravennæ interficitur. [Hic cons. Mellciades papa successit Non. Jul.]

323. 2. [CCCI] *Pro consul. Diocletiani* 12. *et Maximi* 10. Licinius a Galerio Carnuti imperator factus. Herculius Maximianus a filia Fausta detectus, quod dolum viro suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur. Quirinus episcopus Siscianus gloriosse pro Christo interficitur. Nam manuali mola ad collum ejus ligata, et ponte precipitatus in flumen, diutissime supernatavit; et conspectantibus [collocutus], ne sui terrerentur [240] exemplo, vix orans ut mergeretur obtinuit.

324. 3. [CCCII] (Hier.) *Maximus* 8. *et Licinius* (Oros.) Galerius Maximianus persecutor æclesiæ vermibus moritur.

325. 4. [CCCIII] (Hier.) *Constantinus* [241] 2. *Licinius* 2. Maximianus, persecutione in christianos facta, cum jam a Licinio puniendus esset apud Tharsum moritur. Mæltiades papa obiit 4. Idus Januarii (cf. *Mart.*).

Silvester 31. *papa annis* 20.

[*Cod. in marg.:* Ciclus decen. inc. ind. 7.]

326. 5. [CCCIV] (Beda.) *Constantinus* 3. *et Licinius* 3. (Hier.) [Petrus Alexandrinæ æclesiæ episcopus passus.] Alexandrinæ æclesiæ 17. ordinatur episcopus Achillus.

327. 6. [CCCV] (Hier.) *Volusianus et Annianus.* Maxentius juxta pontem Molvium a Constantino superatus occiditur.

328. 7. [CCCVI] (Hier.) *Constantinus* [241] 4. *et Licinius* 4. Bellum Cibalense adversum Licinium. Pax nostra a Constantino reddita post decem annos persecutionis. [Constantino a papa Silvestro baptizato, scripsit de Britania sibi sua mater Elena, ut negando Christum Judeos sequeretur. Tunc Constantino 4. et Licinio 4. consulibus, die Idus Agusti, congregati sunt cum Elena in Roma 120 sapientiores Judeorum, cum augusto Constantino et Silvestro papa 24 episcopi, et superati sunt Judei in omni scriptura divina.

329. 8. [CCCVII] (Hier.) *Sabinus et Rufinus.* Hierusolimorum 39. constituitur Macharius episcopus.

[*Cod. in marg.:* Ciclus solis incipit.]

330. 9. [CCCVIII] (Hier.) *Gallicanus et Bassus.* Diocletianus haut procul a Solonis in villa sua palatio moritur, et solus omnium inter deos privatus refertur.

331. 10. [CCCIX] (Hier.) *Licinius* 5. *et Crispus.* Crispus et Constantinus, filii Constantini.

332. 11. [CCCX] *Constantinus* 5. *et Licinius.* et [242] Licinius adulescens, Licini augusti filius, Constantini ex sorore nepos, cesares appellantur;

333. 12. [CCCXI] *Constantinus* 6. *et Constantius* quorum [242] Crispum filium Lactantius Latinis litteris erudivit, vir omnium suo tempore eloquentissimus.

334. 13. [CCCXII] *Crispus* 2. *et Constantius* 2. sed [243] adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessaris indiguerit.

335. 14. [CCCXIII] (Hier.) *Probinus et Julianus.* Licinius christianos de palatio suo pellit. Bassileus Amasiæ Ponti episcopus sub Licinio martirio coronatur.

336. 15. [CCCXIV] (Hier.) *Severus et Rufinus.* Alexandrinæ æclesiæ 18. ordinatur episcopus Alexander, a quo Arrius presbiter de æclesia ejectus multos suæ impietati sociat, ad quorum perfidiam coarguendam sinodus [318 episcoporum in Necea urbe Bithiniæ congregata, omnes hereticorum machinas omousii opossitione delevit.

337. 16. [CCCXV] (Oros. VII, 22.) *Crispus* 3. *et Constantius* 3. Constantinus prohibuit christianos occidi, paganorumque templa jussit claudi. (cf. *Vita* S. Mart.) [Sanctus Martinus natus.] [Sanctus[243]

VARIÆ LECTIONES.

[236] ciliam 1. Siciliam 2. [237] abanus 1. [238] Euplus 2. [239] *vel* Trachus 1. Taracus 2. [240] terrentur 1. [241] constantius 1. [242] *cum a.* 331 *conjungenda sunt.* [243] *alio loco in margine leguntur.*

Digitized by Google

Martinus nascitur Sabariæ Pannoniarum oppido, sed intra Italiam Ticini altus est.]

338. 17. [CCCXVI] (BEDA.) *Paulinus et Julianus.* Fides chatolica tractatur in sinodo 318 episcoporum in Nechea urbe Bithiniæ congregata contra Arrienos die mensis secundum Grecos Desii 19°, hoc est 17. Kalendarum Juliarum, consulatu Paulini et Juliani, teste Beda. Decretalis epistola sancti Silvestri papæ. (cf. *Lib. pont.*) Temporibus Silvestri papæ et Constantini piissimi augusti factum est magnum concilium in urbe Nicea Bithiniæ, et congregati sunt regulari ejusdem Silvestri papæ vocatione in id ipsum 318 episcopi chatholici, qui expossuerunt fidem integram, catholicam, immaculatam, et damnaverunt Arrium et Photinum Sabelliumque et sequaces eorum. (cf. AD. *Mart.*) Eodem quoque tempore, 13. Kalendarum Juliarum die, quando memoratum magnum concilium in Nicea congregatum est (cf. *lib. pont.*) canonica jam vocatione in urbe Roma congregavit et ipse Silvester cum consilio Constantini 277 episcopos, et damnavit predictos hereticos; et constituerunt, ut presbiter Arrianus resipiscens non susciperetur, nisi episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, et sacrosancto crismate per episcopalis manus impossitionem sancti Spiritus gratia, quæ ab hereticis dari non potest, confirmaretur; in qua etiam consensu et subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus crimen clerico nec clericus inferioris gradus ad superiorem id est presbetero episcopo inferret; et ut in puro lino corpus Christi offeratur, et crisma ab episcopo confici, et ut baptizatum liniat presbiter, et dalmaticis in æclesia uti, et ut pallio linostimo leva subdiaconorum tegeretur et reliqua multa.

339. 18. [CCCXVII] (HIER.) *Constantinus 7 et Constantius 4.* Constantinus, filius Constantini, cesar factus. Licinius Thessalonicæ contra jus sacramenti privatus occiditur.

340. 19. [CCCXVIII] (HIER.) *Constantius 5 et Maximus.* Nazarius rethor insignis habetur. Crispus, filius Constantini, Licinius junior, Constantiæ Constantini sororis et Licini filius, crudelissime interficiuntur.

341. 20. [CCCXIX] (HIER.) *Januarius et Justus.* Vicennalia Constantini Nicomedia acta et sequenti anno Romæ edita. *Hucusque historiam scribit Eusebius, Pamphili martyris contubernalis; cui nos ista subjecimus* [id. est Hieronimus] [345]. — In qua historia quæ Tripertita dicitur ita habetur (II, 18.): Helena crucem invenit duasque ejus partes suo filio missit. Quarum una in statua in foro Constantini super columnam pirphireticam possuit Constantinus, alteram vero argentea theca clausam in civitate custodivit (III, 6.) Arrius vero fictam fidem scribens, de exilio vocavit eum Constantinus, qui revertens sic Constantino juravit: « Si non credimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sicut ecclesia catholica credidit, judex noster sit Deus hic et in futuro. » Constantinus autem etsi inde gavissus sit, tamen eum aliosque hereticos [346] commonicare in æclesia non permissit, donec episcoporum de ipsis judicium fieret. (III, 10.) Constantinus autem interim malens Arrium probare, duxit eum ad palatium, jurejurando interrogans de Neceni concilii decretis. At ipse ficte suam sectam sub ala habens et sic juravit. Quoniam vero ipse dies sabbatum erat, precepit Constantinus crastino die dominico Arrium ad commonionem accipere. Tunc in aula a militibus Eusebii episcopi etiam Arriani honoratus, et per mediam civitatem honorabiliter et perspicuus conductus; cum vero venit ad forum Constantini, ubi pars illa crucis erat, tremefactus et confussus est Arrius. Et cum necessarium quessiset meatum, cum stercoribus et visceribus effudens, cito obiit.

342. 21. [CCCXX] (HIER.) *Constantinus 8 et Constantius 6.* Arbonius rethor in Affrica clarus habetur; qui cum Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis [347] compelleretur, neque ab episcopo impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversum pristinam religionem luculentissimos libros, et tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis fœdum [348] impetravit. Drepanam Bithiniæ civitatem in honorem martiris Luciani ibi condidit Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit. In Antiochia dominicum quod vocatur Aureum ædificare cœptum.

343. 22. [CCCXXI] (HIER.) *Constantius 7 et Simmachus.* Constantinus uxorem suam Pausiam [349] interficit. Donatus agnoscitur, a quo per Affricam Donatiani. Antiochiæ post Thirannum 20. ordinatur episcopus Vitalis; post quem 21. Filogonius; cui successit 22. Paulinus; post quem 23. Eusthathius. Quo in exilium ob fidem truso, usque in presentem diem.

344. 23. [CCCXXII] *Bassus et Ablabius.* Arriani [349] æclesiam optinuerunt, id est Eulalius, Eusebius, Eufronius, Placillus, Stefanus, Lentius, Eudoxius, Melitius, Euzotus, Dorotheus, rursus Melitius; quorum idcirco tempora non digessi quod eos hostes potius Christi quam episcopos judicem.

[*Cod. in marg.*: Ciclus decenn. incipit ind. 11.]

345. 24. [CCCXXIII] (HIER.) *Pacatianus et Hilarianus.* Juvencus presbiter, natione Hispanus, evangelia heroicis versibus explicat. (CASS.) Porphirius, misso ad Constantinum insigni volumine, exilio liberatur. [His consulibus civitas quæ prius Byzantium dicta est, mutato nomine, a Constantino Constantinopolis nominatur.]

346. 25. [CCCXXIV] (HIER.) *Dalmatius et Zenophilus.* Alexandriæ 19. ordinatur episcopus Athanasius. Dedicatur Constantinopolis omnium pene urbium nuditate. Metrorus philosophus agnoscitur.

VARIÆ LECTIONES.

[345] *post hæc quinque lineæ erasæ sunt.* [346] hereti 1. [347] sontis 1. [348] *lege :* fœdus. [349] *lege :* Faustam. [349] *conjungenda sunt cum a* 343.

Digitized by Google

347. 26. [CCCXXV] (HIER.) *Optatus et Palinus.* Edicto Constantini gentilium templa [subversa sunt]. (*V. S. Mart.*) [Sanctus Martinus cum esset decem annorum, invitis parentibus, utpote gentilibus, ad eclesiam confugit seque catecuminum [250] fieri postulavit.]

348. 27. [CCCXXVI] (HIER.) *Constantius et Albinus.* Constans, filius Constantini, provehitur ad regnum. Pestilentia et fame innumerabilis multitudo in Siria Ciliciaque [251] periit.

349. 28. [CCCXXVII] (AD. *Mart.*) *Nepotianus et Fecundus.* In martirologio : Pridie Kalendas Januarii natalis Silvestri papæ, qui sedit 23 annis, mensibus 10, diebus 11. Sedit autem ex die Kal. Februarii usque 2. Kal Januarii; et sepultus est in cimiterio Priscillæ, via Salaria, miliario 3. ab urbe Roma, 2. Kal. Januarii, [Constantio et Volusiano consilibus], et cessavit episcopatus diebus 15. Nota duos menses vacationis episcopatus a 4. Idus Decembris, quo Miliciades papa obiit, usque Kal. Februarii, quo Silvester sedit, et 15 dies postea, quod tempus pontificibus non imputatur. Si ergo ita temporis pontificum aliquid difecit, quorum natale annuatim celebratur, nonne multo magis tempus imperatorum ?

Marcus 32 *papa post Petrum ordinatur, qui sedit mensibus* 8, [predictis consulibus sedit, id est Nepotiano et Fecundo, successit Kal. Febr.]. In decret. : « Domino sancto et apostolici culminis dignitate venerando Marco sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis universalis eclesiæ papæ, Athanasius et universi Egiptiorum episcopi. Ad vos pervenisse non dubitamus, quanta et qualia ab hereticis et maxime ab Arrianis cotidie patimur, ut etiam vivere jam nos tedet. In tantum etiam nostra vastaverunt, ut nec ulla ustensilia nobis dimisserunt, libros nostros usque ad minimum incenderunt. Quapropter precamur, pater beatissime, quia non dubitamus apud vos plenaria esse Niceni concili exemplaria, ut illa nobis, quæ sanctæ recordationis predecessoris vestri Silvestri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando predictæ sinodo cum beatæ [252] memoriæ Alexandro, digno Deo pontifice nostro, id est Alexandrinæ civitatis episcopo, in diaconatus interfuimus officio, sub nostræ presentiæ testimonio, per beatos viros Victorem et Vincentium presbiteros, apostolicæ apocrisiarios, missa sunt predicto papæ Silvestro, cum astipulatione subnixa, capitula 70. Sane presentibus nobis 80 in memorata capitula tractata sunt sinodo, scilicet 40 a Grecis, Greca edita linga, et 40 a Latinis, edita Latine. Sed Visum est 318 patribus in predicto Spiritu sancto repletis concilio congregatis, et maxime jam dicto Alexandro et apostolicæ apocrisiaris, ut decem capitulæ adunarentur aliis atque congruis in locis insererentur, et ad formam 70 discipulorum vel 70 lingarum tanti et tam excellentis concilii fierent capitula, quæ omnem christianorum informarent orbem et omnes subsacerdotali et christiano nomine degentes una fides et una sacerdotalis atque clericalis regeret norma, nec quicquam a suo discordaret capite. Nunc ergo, qui, ut predictum est, inimici sanctæ Dei ecclesiæ, maxime Arrianis, a quibus codidie terimur et expugnamur et opprimimur, prefata 70 Niceni concilii capitula, quæ de prefata sinodo, jubente jam fato domino meo Alexandro, decreto omnium episcoporum attuli, quæ etiam coram omnibus recitavi atque transcripsi, sunt igne combusta : obtamus, ut a vestræ sanctæ sedis æclesiæ auctoritate percipere per presentes ligatos mereamur, » et reliqua (*Conc.* I, p. 553). — « Onnibus venerabilibus fratribus Athanasio et universis Ægiptiorum episcopis, Marcus sanctæ Romanæ apostolicæ sedis et universalis æclesiæ episcopus salutem. Doleo, fratres, et nimium contristor super afflictionem vestram » et reliqua (*Conc.* I, p. 555). « De capitulorum vestrorum [253] Niceni concilii, quibus vos interfuisse litteris vestræ fraternitatis significastis, a nostris, qui una vobiscum interfuerunt, diligentioribus requissivimus collucationibus, qui ita, ut vestræ testatæ sunt litteræ, omnem nobis ordinem exposuerunt et vestram epistolam per omnia veram esse testificati sunt; non ut nos aliquid sinistrum vestra ex parte arbitraremur, sed nos et vos illosque absque ulla in posterum titubatione unum sentire obtaremus, et sancta Romana ecclesia, quæ semper immacculata mansit et Domino jubente [254] et beato Petro opem ferente in futuro manebit, sine ulla hereticorum insultatione firma et immobilis omni tempore persistet. His ita peractis diligenter requirentes, in sancto nostræ et apostolicæ scrinio eadem quæ sanctæ recordationis predecessorii meo Silvestro sunt directa, septuaginta, sicut significastis, capitula inlesa invenimus. Ipsa enim vobis propter auctoritatem et scriptionem [255] tantorum patrum et ejus magni concilii minime missimus; sed per eadem coram apocrisiaris vestris alia similia, eundem numerum eademque [256] et ipsam subscriptionem continentia, vobis scribere et sub certa stipulatione mittere curavimus » et reliqua. Data est 9. Kal. Novembris, Nepotiano et Fecundo viris venerabilibus clarissimis consulibus. — Marcus obiit Non. Octimbris, et sepultus in cimiterio Balbinæ, via Adriatica, quod ipse insistens fecit. (ADON. *Mart.*)

Julius papa 33. *post Petrum ordinatur, qui sedit annis* 16, *mensibus* 9 [*Feliciano consule*].

350. 29. [CCCXXVIII] (HIER.) *Felicianus et Titianus.* Callocerus in Cypro res novas molitus, opprimitur. Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium literas mittit.

351. 30. [CCCXXIX] (HIER.) *Ursus et Polemius.* Tricennalibus Constantini Dalmatius cesar appellatur. Pater rethor Rome gloriosisime docet. Nazari rethoris filia in eloquentia patri coæquatur. Tiberia-

VARIÆ LECTIONES.

[250] catecuminu? 1. [251] Ciliaque 1. [252] bete 1. [253] *lege :* veritate. [254] juvante 2. [255] subscriptionem? [256] *supple :* verba.

Digitized by Google

nus, vir disertus, prefectus pretorio, Gallias regit. Eustathius Constantinopolitanus agnoscitur; cujus industria Hierusolimis martirium constructum est.

352. 31. [CCCXXX] (SULP. SEV.) *Constantius* 2 *et Constans.* (*Vita S. Mart.*) [Sanctus Martinus cum esset annorum 15, raptus et catenatus, sacramentis militaribus implicatus est, uno tantum servo comite. (c. 2.) Cum enim esset edictum a regibus, ut veteranorum filii ad militiam describerentur, prodidit Martinum pater suus, qui felicibus filii actibus invidebat. Triennium fere ante baptismum in armis fuit, sed innocens a vitiis. (c. 3.) Intra quos tres annos dimedio clamide induit Christum. (c. 2.) Ipse armatam militiam ab adolescentia inter scolares alas sub rege Constantio, dein sub Juliano cesare militavit.] (HIER.) Constantinus [257], extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomidensi episcopo baptistatus, in Arrianum dogma declinat. Quoque usque in presens tempus æclesiarum rapinæ et totius orbis est secuta discordia. Constantinus cum bellum pareret in Persas, in Acirone, villa publica juxta Nicomediam, moritur. Theodorus episcopus in tripertita historia sic' : Constantinus Nicomediam, in Achirone villa, postquam babtizatus sit ab Eusebio Nicomedense episcopo Arriano, etiam obiit. (cf. III, 13.) Obit [258] autem anno 66. ætatis, imperii 31, die 25. mensis Maii, his consulibus.

[OROSIUS sic.] *Romanorum* 43. *Constantius imperator anno ab Urbe* 1091. cum Constantino et Constante fratribus suis adeptus est imperium, quod 27 annis tenuit, hoc est usque in mensem Novembrem, in anno 345. post passionem, his consulibus, Cassiodoro teste.

353. 1. [CCCXXXI] (HIER.) *Acyndinus et Proculus.* Ablabius prefectus pretorio et multi nobilium occissi. Sapor rex Persarum, Mesopotamia vastata, duobus ferme mensibus Nisibin obsedit. Dalmatius cessar, quem patruus Constantinus consortem regni filis dereliquerat, factione Constantii patruelis et tumultu militari interimitur. Jacobus Nisibenus episcopus agnoscitur ; ad cujus preces sepe urbs discrimine liberata est.

354. 2. [CCCXXXII] (HIER.) *Marcellinus et Probinus.* Ex hoc loco impietas Arriani, Constantii regis fulta presidio, exiliis, carceribus et variis afflictionum modiis [259] primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis episcopos persecuta est. [Juliusque papa fuit in exilio menses decem ; sed post mortem Constantii ad sedem cum gloria revertitur]. (*lib. pont.*)

355. 3. [CCCXXXIII] (HIER.) *Constantius* 3 *et Constans* 2. Constantinus bellum fratri inferens, juxta Aquilegiam occiditur. Vario eventu adversum Francos a Constante pugnantur [260]. (SULP. SEV.) Multæ orientis urbes terre motu horribili conciderunt. [Sanctus [261] Martinus, cum esset annorum duodeviginti, baptizatus est, et transacto tribunatus sui tempore, renuntiaturum se seculo promisit; et pene biennium baptizatus nomine tantum militavit] (c. 3.) In decretali epistola beati Julii papæ ita habetur : « In nomine domini Dei salvatoris nostris Jesu Christi, imperantibus quoque Constantino et Constante augustis anno 4, sub die 8. Kalendarum Octobrium, indictione sexta, presidente sancto ac beatissimo Julio papa sedis apostolicæ urbis Romæ, propositis sacrosanctis et venerabilibus evangeliis, in æclesia domini Dei salvatoris nostri Jesu Christi quæ vocatur Constantina, resedentibus etiam viris venerabilibus pariterque cum eo audientibus, Benedicto Aquiliensi episcopo, Rufo sanctisimo Fartaniano episcopo, Agapito Ravennatis æclesiæ episcopo, Julio Medolanensis æclesiæ episcopo, Luciano Maurianense episcopo et reliquis cum eis centum ac decem et sex episcopis, Julius predictus sanctissimus urbis Romæ episcopus dixit, » et reliqua (*Conc.* I, p. 567). Annus itaque quartus Constantini imperatoris sexta erat indictione, qui est annus 28. Magni Constantini, juxta cronicam Eusebii vel Bedæ, incarnationis autem secundum Dionissium 333.

356. 4. [CCCXXXIV] (HIER.) *Placidus* [262] *et Romulus.* Audeus in Syria cœle clarus habetur; a quo heresis Audiena.

357. 5. [CCCXXXV] (HIER.) *Leontius et Salustius.* Franci a Constante sunt perdomiti, et pax cum eis facta. Hermogenes magister militiæ Constantinopoli tractus a populo, ob episcopum Paulum, quem regis imperio et Arrianorum factione pellebat. Antiochiæ dominicum Aureum dedicatur.

[*Cod. in marg.:* Ciclus solis incipit.]

358. 6. [CCCXXXVI] (HIER.) *Constantius* 4 *et Constans* 3. Macedonius artis plurimæ in locum Pauli ab Arrianis episcopus subrogatur; a quo heressis Macedoniana. Paulus crudelitate prefecti [263] Philippi nam fautor Macedonii partium erat — et Arrianorum insidiis strangulatur.

359. 7. [CCCXXXVII] (HIER.) *Amantius et Albinus.* Maximinus episcopus Triverorum clarus habetur *; a quo Athanasius Alexandriæ episcopus, cum a Constantio quereretur ad penam, honorifice susceptus est. Sapor Persarum rex christianos persequitur. Necessaria [264] in Ponto subversa, excepta æclesia et episcopo ceterisque qui ibidem reperti sunt.

VARIÆ LECTIONES.

[257] *alia manu, eadem quæ continuationem a.* 1126 — 1128. *scripsit, additur :* Hieronimus sic dicit. [258] Obit — consulibus *post* moritur *scripta, postea huc sunt relata.* [259] *i. e.* modis. [260] *Hoc loco nomina consulum sequentis anni et ut videtur etiam nota* Audeus — Audiena *scripta erant, sed erasa et secunda manu in margine suppleta sunt, Ita vero quæ sequuntur olim ad a.* 356 *pertinebant, nunc ad* 355. [261] *in inferiore margine sine anni indicatione scripta sunt secunda manu; cf. a.* 352. [262] *Hujus anni nota jam secunda manu scripta est ; vid. var. lect.* 260 *superius.* [263] prefecit 1. [264] *i. e.* Neocæsarea.

Digitized by Google

*et Martinus Moguntinus episcopus, quorum tempore Eufratu Colone[n]sis ereticus dampnatur *add. alia manu, eadem quæ primam scripsit continuationem.*

360. 8. [CCCXXXVIII] (HIER.) *Post consul. Amantii et Albini.* Titianus vir eloquens prefecturam [265] pretorio apud Gallias administrat. Athanasius ad Constantis literas Alexandriam redigitur.

361. 9. [CCCXXXIX] (HIER.) *Rufinus et Eusebius.* Dirrachium terre motu corruit, et tribus diebus ac noctibus Roma nutavit [266]. Plurimæque Campaniæ urbes vexatæ.

362. 10. [CCCLX] (HIER.) *Philippus et Sallia.* Magnis rei puplicæ expensis in Seleucia Siriæ portus efficitur. Rursus Sapor tribus mensibus obsidet Nisibin. Eusebius Emissenus, Arrianæ signifer factionis, multa conscribit.

363. 11. [CCCXLI] (HIER.) *Limenius et Catulinus.* Solis facta est defectio. Bellum Persicum nocturnum apud Singaram, in quo haut dubiam victoriam militum stoliditate perdidimus. Neque vero illum [267] Constantio ex novem gravis prœlis contra Persas bellum fuit. Nam ut alia obmittam, Nisibis obsessa, Bizabde et Amida captæ sunt. 40. Maxaminus post Macharium Hierosolimarum episcopus moritur. Post quem æclesiam Arriani invadunt, id est Cirillus Eutichius, rursus Cirillus Hireneus, tertio Cirillus Hilarius, quarto Cirillus; quorum Cirillus, cum a Maximo fuisset presbiter ordinatus, et post mortem ejus ei [268] ab Acacio episcopo Cesariensi et ceteris Arrianis episcopatus promitteretur, si ordinationem Maximi repudiaret, diaconus in æclesia ministravit; ob quam impietatem sacerdotii mercede pensatus, Heraclium, quem moriens Maximus in suum locum substituerat, varia fraude sollicitans, de episcopo in presbiterum regradavit.

[*Cod. in marg.*: Ciclus decenn. 19. inc. ind. 15.]

364. 12. [CCCXLII] (HIER.) *Sergius et Nigridianus.* Magnentio apud Augustodurium aripiente imperium, Constans haut longe ab Hispania, in castro cui Helenæ nomen est, interficitur, anno ætatis 30. Quamobrem turbata re puplica, Vetranio [269] Mursæ, Nepotianus Romæ imperatores facti [270]. Romæ populus adversus Magnentiacos rebellans, ab Heracliada senatore proditur. Nepotiani caput philo [271] per urbem circumlatum, multæque proscriptiones nobilium et cedes factæ.

365. 13. [CCCXLIII] (HIER.) *Post consul. Sergi et Nigridiani.* Vetranioni apud Naussum a Constantio regum insigne decretum. Magnentius Mursæ victus; in quo prelio Romanæ vires conciderunt. Gallus, Constantii patruelis, cesar factus.

366. 14. [CCCXLIV] (AD. *Mart.*) *Constantius 5. et Constans cæs.* Julius papa obiit pridie Idus Aprilis, et sepultus est via Aurelia, miliario [272] ab Urbe 3. in cimiterio Calepodii. Qui sub Constantino Arriano, filio Constantini, mensibus 10 projectus sit, sed post ejus mortem ad suam sedem reversus.

Liberius 34. papa post Petrum ordinatur, qui sedit annis 18.

367. 15. [CCCXLV] (HIER.) *Constantius 6. et Constans 2.* Gallus Judæos, qui interfectis per noctem militibus arma ad bellandum invasserant, opressit, cæsis [273] multis hominum milibus [274] usque ad innoxiam ætatem, et civitates eorum Diocesariam, Tiberiadem et Diospolim et plurima oppida igni tradidit. Nonnulli nobilium Antiochiæ a Gallo interfecti.

368. 16. [CCCXLVI] (HIER.) *Constantius 7. et Constans 3.* Magnentius Lugdoni in palatio propria se manu interficit, et Decentius, frater ejus, quem ad tuendas [275] Gallias cesarem miserat, apud Senonas laqueo vitam explet. Gennadius forensis orator insignis habetur. Minervius Burdigallensis rethor florentissime docet.

369. 17. [CCCXLVII] (HIER.) *Arbitrio et Lollianus.* Gallus cesar, sollicitatus a Constantino patrueli, cui in suspicionem ob egregiam indolem venerat, Histriæ occiditur. Silvanus Gallias res novas molitus, 28 die extinctus est. Victorinus rethor et Donatus grammaticus, preceptor meus [*i. e.* Hieronimi], Romæ insignes habentur; e quibus Victorinus etiam in foro Trajano meruit. Paulinus et Rodanus Galliarum episcopi in exilium ob fidem trusi.

370. 18. [CCCXLVIII] (HIER.) *Constantius 8. et Julianus.* Alchimius et Delfidius rethores in Aquitanica florentissime docent. Donatus, a quo supra Donatianos in Affrica dici memoravimus, Cartagine pellitur. Quidam sectatores ejus Montenses vocantur, eo quod æclesiam Romæ primam in monte habere cœperint. Eusebius Vercellensis episcopus et Lucifer ac Dionisius Caralitanæ et Mediolanensis æclesiæ episcopi, Pancratius quoque Romanus presbiter et Hilarius diaconus, distantibus in[ter] se ab Arrianis et Constantio damnantur exiliis.—Julianus, frater Galli, Mediolani cesar appellatur.

371. 19. [CCCXLIX] (HIER.) *Constantius 9. et Julianus 2.* Antonius monachus 105. ætatis anno in herimo moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebeo, miræ beatitudinis viro, referre; cujus nos exitum brevi libello explicavimus. Hilarius episcopus Pectavensis factione Saturnini Arelatensis episcopi reliquorumque qui cum eo erant Arrianorum ante triennium in Frigiam pulsus, libros de nostra religione componit. Reliquiæ [276] apostoli Timothei Constantinopolin invectæ. Sarmata, Armato et Macharius, discipuli Antoni, insignes habentur.

Liberius papa Romanæ ecclesiæ in exilium mittitur. [Quo in exilium ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arrianis fuisset in sacerdotium substi-

VARIÆ LECTIONES.

[265] prefectus an. 1? [266] natavit 1. [267] *lege :* ullum—gravius fuit. ullum— gravibus plus prosperum c. P. f. 2. [268] et 1? [269] vetranto 1. *hic et infra. Sæpissime t pro i scriptum est.* [270] facit 1. [271] *i. e.* pilo. [272] militario 1. [273] cessaris 1. [274] militibus 1. [275] tutendas 1. [276] Reliquæ 1.

Digitized by Google

tutus, plurimi perjuraverunt, et post annum cum A Felice ejecti sunt; quia Liberius tedio victus exilii et in heretica pravitate subscribens, Romam quasi victor intraverat. (Ad. *Mart.*) Felix autem depositus de episcopatu suo, habitavit in prediolo suo, via Portuensi, ubi obiit 4. Kal. Agusti.] (Hier.) Magnæ Alamannorum copiæ apud Argentoratum oppidum Galliæ a cessare Juliano oppressæ.

372. 20. [cccl] (Hier.) *Titianus et Cerealis.* Saraceni in monasterium beati Antoni irruentes, Sarmatam [277] interficiunt. Constantio Romam ingressio [278], ossa Andreæ apostoli et Lucæ evangelizæ a Constantinopolitanis miro favore suscepta.

Felix papa 35. *post Petrum ordinatur, qui sedit anno uno.*

373. 21. [ccccli] (Hier.) *Eusebius et Hipatius.* Nicomedia terræ motu funditus eversa, vicinis urbibus ex parte vexatis. Paulinus [279] Triverorum episcopus in Frigia exulans moritur. (cf. supra.) Evanthius eruditissimus grammaticorum Constantinopolin diem obiit, in cujus locum ex Africa Chrestus adducitur. — Liberius papa de exilio revertitur.

374. 22. [ccclii] (Hier.) *Constantius* 10. *V. C. conss.* Sinodus apud Ariminum et Seleuciam Isauria facta, in qua antiqua patrum fides decem primum legatorum, [dehinc omnium proditio damnata est]. Honoratus ex prefecto pretorio Galliarum primus Constantinopoli prefectus urbi factus. Gratianus, qui nunc imperator, nascitur. Hilarius [Pictaviensis episcopus] cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redit. Macedonius Constantinopoli pellitur. Omnes pene toto orbe æclesiæ sub nomine pacis et regis Arrianorum consortio polluntur.

375. 23. [ccclIII] (Hier.) *Julianus V. C. conss.* Constantinopoli æclesiarum maxima dedicatur. Meletius Sebastiæ Armeniorum [280] ab Acatio et Georgio episcopis Arrianis Antiochiam transfertur. Et post non grande temporis intervallum, cum presbiteros qui ab Eudoxio antecessore suo depossiti fuerant suscepisset, exilii justissimam causam subita fidei mutatione delusit.

376. 24. [ccclIV] (Hier.) *Faurus V. C. cons.* [Gallia per Hilarium Arminensis perfidiæ dolos damnat.]

377. 25. [ccclv] (Isid.) *Florentius V. C. cons.* [Heresis Antropomorphitarum in Syria et Macedonia et Constantinopoli oritur.]

378. 26. [ccclvi]. *Mamertinus V. C.*

379. 27. [ccclvii]. *Nevitta V. C.* [Theodorus episcopus in tripartita æclesiastica historia (IV, 50) sic: Constantinus [281] Mopscrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur, anno ætatis 45.] Constantinopolim veniens, tertia die mensis Novimbris obiit. *Romanorum* 44. *Julianus secundum omnes regnavit annis* 2, *mensibus* 8, *hoc est usque* Kal. Julii, in anno 348. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

380. 1. [ccclviii] (Hier.) *Julianus* 4. *V. C. conssul.* Juliano ad idolorum cultu converso blanda persecutio fuit, illiciens magis quam implens [282] ad sacrificandum; in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt. Georgio per seditionem populi incenso, qui in locum Athanassi ab Arrianis fuerat ordinatus, Athanasius Alexandriam revertitur. Eusebius et Lucifer de exilio regrediuntur. E quibus Lucifer, adscitis duobus aliis confessoribus, Paulinum, Eustachi episcopi presbiterum, qui se nunquam hereticorum communione polluerat, in parte chatolica Antiochiæ episcopum facit. B

381. 2. [ccclix] (Hier.) *Salustius V. C. conss.* Proheresius sofista Atheniensis, lege data ne christiani liberalium artium doctores essent, cum sibi specialiter Julianus concederet ut christianus doceret, scolam sponte deseruit. Æmilianus ob ararium [283] subversionem Dorosthori a vicario incenditur. Æclesiæ Antiochiæ clausæ, et gravissima imminentis persecutionis procella Dei voluntate sopita est.

382. 3. [ccclx] (Isid.) *Julianus* 5. *V. C. conss.* Julianus in odium Christi templum Hierosolimis Judeis reparare permissit, atque ex omnibus provincis Judei collecti nova templi fundamenta jecerent; sed subito nocte aborto terrimotu, saxa ab ima fundamentorum excussa, longe lateque sparsa sunt, igneusque globus ab interiore ede templi plurimos eorum suo prostravit incendio. Quo terrore reliqui pavefacti, Christum confitebantur inviti. Et ne hoc casu crederent factum, sequenti nocte in vestimentis cunctorum apparuit crucis signum. (Reg.) Romæ passi Piscus presbiter, Priscilianus, Benedicta femina, Pimenius presbiter, Gordianus, Demetria virgo, Johannes presbiter, item Johannes et Paulus, Faustus et Dafrosa; in Hostia Hilarianus Hierosolimorum episcopus, Quiriacus et Judas; Alexandriæ Gallicanus; Vercellis Eusebius episcopus; Aretia civitate Donatus episcopus; Antiochia Theodericus presbiter. (Hier.) Julianus in Persas profectus, nostrum post victoriam diis sanginem voverat; ubi a quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame et siti apostatam perdidisset exercitum et inconsultius a suorum erraret agminibus, ab ovio [284] forte hostium equite conto ilia perfossus interiit, anno ætatis 32. (cf. H. Trip.) Et cum missiset manum in vulnere, et [sanguinem] aspergeret in aerem, dixit: « Vicisti, Galilee, » id est Christe. (VI, 47.) Sic enim etiam christianos semper appellat [Galileos]. Obiit autem die 6 Kal. Julii. (Hier.) Et sequenti die Jo- C D

VARIÆ LECTIONES.

[277] sarmatatam 1. [278] *lege :* ingresso. [279] Paulinus — moritur *ma manu iterum in margine scripta.* [280] armentorum 1. *lege :* Armeniorum episcopus. [281] *hæc in loco raso manu sec.* [282] *lege :* impellens. [283] *lege :* ararum. [284] *i. e.* obvio.

Digitized by Google

vianus ex primicerio domesticorum imperator factus est [teste Theodoro episcopo (VII, 1) et Eutropio tunc vivente]. (*Vita* S. Elif.) [Sanctus [285] (127) Elifius, postquam presente Juliano cæsare decollatus est, quia deos adorare noluit, surrexit, et ambabus manibus per unum miliare portavit caput suum in montem excelsum; eique rupis albus gremium suum aperiens, concavum aptumque locum dedit super se sedenti. Mons autem dicitur mons sancti Elifii, in quo juxta predictum lapidem super sepulchrum ejus oratorium constructum est, inter Frumentosam et Grandim medius, ab utraque miliaribus senis, ab aquilone Tullensem urbem habens, ab austro vero Grandim tenens. Passus est autem in prato ameno in ripa fluminis nomine Vera 17. Kal. Nov.]

Romanorum 45. *Jovinianus secundum omnes regnavit mensibus* 8, *hoc est* usque ad Kal. Martii, in anno 349. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

[*Cod. in marg.:* Ciclus 20. decenn. inc. ind. quarta.]

383. 1. [CCCLXI] (HIER.) *Jovianus et Varronianus.* Joviuianus rerum necessitate compulsus, Nisibin et magnam Mesopotamiæ partem Sapori Persarum regi tradidit. Sinodus Antiochiæ Melitus et suis facta, in qua homousion omœoque [286] rejectis, medium inter hoc omœoeusion Macedonianum dogma vindicaverunt. [Homousion Patri dicitur Christus ob unitatem substantiæ divinæ cum Patre et Spiritu sancto.] (*H. R.*) Jovinianus crudelitate [287] sive odore prunarum, quas nimias adoleri jusserat, et nitore parietum recenti textura, quod grave quiescentibus fuit, Dedaste obiit, anno ætatis 34. Obiit autem 14. Kal. Martii, ut in predicta æclesiastica historia legitur (VII, 6). Post quem, cum exercitus venisset in Neceam Bithiniæ, 25. die mensis Februarii, Valentianum, tribunum scutariorum, e Pannonia, Cibalensis, appellavit augustum, qui fratrem Valentem [Constantinopolim] secum regere fecit (HIER.).

Romanorum 46. *Valenti*[*ni*]*anus cum fratre Valente regnavit annis* 11, *mensibus* 5, hoc est usque Kal. Octimbres, in anno 360. post passionem Domini. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

384. 1. [CCCLXII] (HIER.) *Valentinianus et Valens.* Valentinianus egregius alias imperator et Aureliano moribus similis, nisi quod severitatem ejus niniam interpretantur. Apollinaris Laodicenus episcopus multimoda nostræ religionis scripta componit.

385. 2. [CCCLXIII] (HIER.) *Gratianus et Dagalaifus.* Terræ motu per totam orbem facto, mare litus egreditur. Et Siciliæ multarumque insularum urbes innumerabiles oppressere. Procopius, qui apud Constantinopolim tirannidem invaserat, apud Frigiam Salutarem extinctus, et plurimi Procopianæ partis cesi atque proscripti. Liberius papa obiit 8. Kalend. Maii (cf. *Lib. pont.*).

Damasus 36. *papa post Petrum ann.* 19. (HIER.) *Et post non multum tempus Ursinus a quibusdam episcopus constitutus,* [Sicinium cum suis invadit, quo Damasianæ partis populo confluente, crudelissimæ interfectiones diversi sexus perpetratæ. Valens ab Eudoxio Arrianorum episcopo baptizatus, nostros persequitur]. (*Lib. pont.*) [In gestis pontificum sic: Felix, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit anno 1, mensibus 3, et reliqua. Hic declaravit Constantinum, filium Constantini, hereticum, et secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediense episcopo, juxta Nicomediam in Aquilone villa; et pro hoc declarato ab eodem Constantino agusto, filio Constantini agusti, capite truncatur 3. Idus Novembris, in civitate Corana; et exinde clerici eum rapientes, sepelierunt in basilica sua, quam fecit cum esset presbiter, 12. Kalend. Decembris, via Aurelia, in miliario secundo; et cesavit episcopatus diebus 38. Hic emit agrum circa eandem basilicam, et dedit eidem æclesiæ, quam fecit in via Aurelia. Fecit ordinationes in urbe Roma, per mensem Decembrem, presbiteros 21, diaconos 5, episcopos per diversa loca 19.]

[*Cod. in marg.:* Ciclus solis incipit.]

386. 3. [CCCLXIV] (HIER.) *Lubicinus et Jovinus.* Gratianus, Valentiniani filius, Ambianis imperator factus, [his consulibus, teste Cassiodoro]. Tanta Constantinopolim est orta tempestas, ut miræ magnitudinis decidens grando nonnullos hominum interfecerit. Apud Atrebatas lana e cœlo pluviæ mixta defluxit.

387. 4. [CCCLXV] (HIER.) *Valentinianus* 2. *et Valens* 2. Hilarius episcopus Pectavis moritur. Nicea, quæ sæpe antea corruerat, terræ motu funditus eversa. Libanius Antiochenus rethor insignis habetur.

388. 5. [CCCLXVI] (HIER.) *Valentinianus N. P. et Victor.* A Costantinopoli [288] a Valente reditur. Haitanaricus rex Gothorum christianos, persecutione commota, plurimos interfecit, et de propriis sedibus in Romanum expellit solum. Eusebius Vercellensis episcopus moritur

389. 6. [CCCLXVII] (HIER.) *Valentinianus* 3. *et Valens* 3. Constantinopoli apostolorum martirium dedicatur. Magna fames in Frigia, Lucifer, Caralitanus episcopus moritur, qui cum Gregorio episcopo Hispaniarum et Philonæ Libyæ nunquam se Arrianæ miscuit prävitati.

390. 7. [CCCLXVIII] (HIER.) *Gratianus* 2. *et Probus.* Maximinus prefectus annonæ maleficos ab impera-

VARIÆ LECTIONES.

[285] *Hæc sine anni indicatione in margine manu secunda scripta sunt.* [286] omocoque 1? *lege:* omousio anomœoque. [287] *lege* cruditate. [288] constantinopi 1. Agon Constantinopoli *Hier.*

NOTÆ.

(127) Cf. Vitam a Ruperto Tuitiensi scriptam ap. Surium, V, p. 246. Qui antiquiorem secutus est auctorem.

Digitized by Google

tore investigare jussus, plurimos Romæ nobilium ocidit. Valentinus in Britannia, antequam [tyrannidem] invaderet, oppressus. Presbiter iniquissime decollatur, quod Octavianum ex proconsule apud se latitantem perdere noluisset.

391. 8. [CCCLXIX] (HIER.) *Modestus et Arintheus.* Didimus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur, qui post quintum nativitatis suæ annum luminibus orbatur, elementorum quoque ignarus fuit. Illiricus [289] Equitius comes iniquissimus [290] tributorum exactionibus ante provincias, quas regebat, quam a barbaris vastarentur, erasit [291].

392. 9. [CCCLXX] (HIER.) *Valentinianus 4. et Valens 4.* Eunomius, discipulis Aetii, Constantinopoli agnoscitur, a quo heresis Eunomiana. Saxones cessi Debusone [292] in regione Francorum. Burgundiorum 80 ferme milia, quod nunquam antea, ad Renum descenderunt. Clearchus prefectus urbi Constantinopoli agnoscitur, a quo necesaria et diu exspectata votis aqua civitati inducitur. Alexandriæ 20 ordinatus episcopus Petrus, qui post Valentis interitum tam [293] facilis in recipiendis hereticis fuit, ut nonnullis suspicionem acceptæ pecuniæ intulerit [Sanctus Martinus anno 56 suæ ætatis, dominico die, quarto Nonas Julii, in archiepiscopatum Turonum Galliæ civitatis consecratur, in quo 26 annis sanctissime vixit. (S. SEV. *dial.* II. c. 5.) Tempore [294] quo primus episcopus datus est sanctus Martinus Valentinianus tum major rerum potiebatur. Noluit surgere ante Martinum, donec sellam regiam et nates regis ignis incendisset, et sic solio suo superbus rex excutitur, et Martino invitus assurgit.]

393. 10. [CCCLXXI] (HIER.) *Gratianus 3. et Equitius.* Melantius, nobilissima mulierum Romanorum et Marcellini quondam consulis filia, unito [295] pretore tunc urbano filio derelicto, Hierosolimam navigavit; ubi tanto virtutum precipueque humilitatis miraculo fuit, ut Teclæ nomen acceperit.

394. 11. [CCCLXXII] (HIER.) *Pro c. Gratiani 4. et Equitii.* Post Auxentii seram mortem Mediolani Ambrosio episcopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur. Aquilienses clerici quasi chorus beatorum habentur. Quia superiori anno Sarmatæ Pannonias vastaverunt, idem consules permansere. Theodorus sic (VIII, 1): Pior monachus ambulando edebat, ne sua carni placeret. Pambus noluit plus uno versu, id est « dixi custodiam vias meas » discere, dum ipsum compleret. Qui interroganti se de eodem versu sic respondit: « Vix 49 annis ipsum implere possum. » Qui rogante episcopo Athanasio, ut ab herimo secum veniret ad Alexandriam, flevit [de ornatu] mulieris. Macharius Ægiptius, Macharius [que] Alexandri. us. Æmonius cum Athanasio veniret Romam, nullum ibi vidit, nisi basilicam Petri et Pauli; qui ad episcopatum tractus, ne episcopus esset, suam abscidit aurem. Johannes pater trium milium monachorum. Serapion pater 10 milium monachorum. Dioscoros pater 100 monachorum, qui ante communionem conscentias singulorum fratrum pendebat. Theona 35 annis tacuit. Hellin ignem in sinu portabat. Helias 110 monachus presbiter in herimo, solus annis 70. Apellis faber ferrum ex fornace crudem trahens manu, nocte faciem demonis, fingentis se in forma mulieris pulcre, percussit. Isidorus suum clausit monasterium, intus habens necessaria. Apollo annis 40 in solitudine exteriore. Dortheus, cujus cibus erat panis 6 unciarum et unus fasciculus holeris et aqua. Piamon presbiter, cui aliquando offerenti corpus sacrum angelus circa altare apparuit, nomina absentium delens fratrumque presentium scribens. Marcus, cui angelus hora communionis Christi corpus reluit. Moises vassas fratrum nocte aqua implebat per 10 stadios vel 20 aut 30 trahens, qui quatuor latrones suum hospitium invastantes ligavit, crastino dorso eos in commune fratrum portaturus. Paulus pater 50 monachorum. Stephanus per annos 40 probatus et magno Antonio notissimus, deinde ita tribulatus, ut membra ejus abseiderentur. Julianus Accepsemas per 70 annos in cella reclusus nec vissus nec locutus tandiu. [Sanctus (128) Patricius nascitur in Britania insula ex patre nomine Calpuirn, presbiter fuit ipse Calpuirn [296] filius diaconi nomine Fotid. Mater autem erat Patricii Conchess, soror sancti Martini de Gallia. Sucat nomen in baptismate. Cothræge (129) diambæ icfoguā docet hartreb. Magonius a Germano, Patricius, id est pater civium a papa Celestino.]

395. 12. [CCCLXXIII] (H Trip. VIII, 11.) *Valens 5. et Valentinianus.* (HIER.) His consulibus Valentinianus contra ligatos Sauromatarum vehementi commotus furore, eruptione venarum, quod Grece appoplexis vocatur, fluxu sanginis 17. die mensis Septembris, ætatis anno 54, imperii autem 11, mense 5, Brigitione obiit.

Romanorum 47. *Valens cum Gratiano et Valentiano, filio fratris sui,* secundum omnes annis 4, hoc est usque Kal. Octobris, in anno 364. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

VARIÆ LECTIONES.

[289] ignarus. Fuit illiriricus 1. [290] *lege:* iniquissimis. — iniquissimus comes 2. [291] evasit 1? [292] de hassia 2. *lege:* Deusone. [293] jam 1. [294] *hæc in margine post addita* 1. [295] *lege;* unico. [296] Cal. 1.

NOTÆ.

(128) Quæ de sancto Patricio apud Marianum leguntur, quamvis cum aliis fontibus satis conveniant, ad certum auctorem referre nequeo.

(129) Cothraighe Patricii fuit nomen; v. carmen Hibernicum apud O'Connor Rer. Hib. SS. I, 1, p. XC. Reliqua non intelligo. Sed in carmine illo legitur: *Ceathar trebhc dia fognad* i. e. quatuor tribubus quia inserviit.

Digitized by Google

396. 1. [CCCLXXIV] (BEDA.) *Gratianus 4. et Merobaudes.* Valens, lege data ut monachi militarent, nolentes fustibus jussit interfici. Theodosius Theodossi postea Imperatoris pater, et plurimi nobilium occissi. (HIER.) Fotinus in Galatia moritur, a quo Footinianorum dogma judaicum [297]. Bassilius Cesseriensis episcopus Capadociæ clarus habetur, qui multa continentiæ et ingenii bona uno superbiæ malo perdidit.

397. 2. [CCCLXXV.] (HIER.) *Valens 6. V. C. conss.* Alamoinorum 30 circiter milia apud Argentarium oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani strata, Florentinus, Bonosus et Rufinus insignes monachi habentur. E quibus Florentinus tam missericors in egentes fuit, ut vulgo pater pauperum nominatus sit. Gens Hunorum Gothos vastat; qui a Romanis sine armorum depositione susceptí, per avaritiam Maximi ducis fame ad rebellandum coacti sunt. Superatis in congressione Romanis, Gothi funduntur in Tracia.

398. 3. [CCCLXXVI] (HIER.) *Valentinianus 11. V. C.* Valens de Antiochia exire compulsus, sera penitentia nostros de exilis revocat [298].

(HIER.) Lacrimabile bellum in Trachia, in quo, deserente equitum præsidio, Romanæ legiones a Gotis cinctæ, usque ad internicionem cessæ sunt. Ipse imperator Valens, cum sagitta saucius fugeret et ob dolorem sepe equo laberetur, ad cujusdam villulæ cassam deportatus est; (HIER.) quo persequentibus eum barbaris, et incensa domo, sepultura quoque caruit. *Hucusque Hieronimus.* (CASS.) [Cassiodorus sic: Cui successit in Oriente Theodosius, Theodosii filius, quem sibi in consortium regni Gratianus ascivit. Gratianus itaque cum quatuordecem regnaret annis, cum Theodosio regnat annis 6. Sub quo hi consules fuere. Anni ergo quatuordecem sunt, teste Cassiodoro, ab anno tertio Valentiniani, in quo Gratianus imperator factus est, Lubiciaio [299] et Jovino consulibus, usque in mortem Valentis et usque imperium secundum Gratiani.]

(PROSP.) *Romanorum 48. Gratianus cum fratre Valentiniano regnavit omne tempus annis sex*, hoc est usque Kal. Octobris, in anno 370 post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

399. 1. [CCCLXXVII] (PROSP.) *Ausonius et Olibrius.* Gratianus post mortem patrui Theothossium, Theodossi filium, in consortium adscripsit imperii; eique regnum tradit Orientis. Ea tempestate Priscillianus episcopus de Gallis ex Manicheorum et Gnosticorum dogmate heressim nominis sui condidit.

400. 2. [CCCLXXVIII] (PROSP.) *Gratianus 5. et Theodosius.* Ambrosius episcopus pro chatolica fide multa sublimiter rescripsit. [Ambrosius [300] clarus his consulibus.]

401. 3. [CCCLXXIX] (PROSP.) *Siagrius et Eucherius.* Martinus episcopus Turrinorum [301] apud Constantinopolim quintadecima die qua fuerat susceptus occiditur. (CASS.) [His consulibus, teste Cassiodoro, sanctus Martinus Turonicæ civitatis episcopus in Gallia clarus habetur.]

[*cod. in marg.*, Ciclum 21. decenn. inc. ind. octava.]

402. 4. [CCCLXXX] *Antoricus et Siagrius.* Sanctus Teophilus Alexandriæ episcopus computum centum annorum cursu Theodosio, [filio] Gratiani, dedicavit, [consulatu Antoni et Siagri incipiente]. (BEDA.) Sinodus centum quinquaginta patrum in Augusta urbe contra Macedonum, sub Damasso papa et Gratiano. (cf. AD. *Mart.*) Roma natalis sancti Damassi papæ 3. Idus Decembr., via Ardiatina, in basilica sua, qui sedit annis 18. (cf. *lib. pont.*) Hic constituit psaimos die noctuque per omnes æclesias decantari.

403. 5. [CCCLXXXI] (PROSP.) *Merobaudes 2. et Saturninus.* (CASS.) Arcadius, Theodossii imperatoris filius, appellatur augustus. Sanctus Martinus episcopus Turonum Galliæ civitatis clarus.

404. 6. [CCCLXXXII] (PROSP.) *Ricomer et Clearchus.* Honorius, Theodossi filius, nascitur.

(PROSP.) *Ursinus, qui et Siricius, 37. papa annis 15* [302].

His consulibus in Britania seditione [303] militum Maximus imperator est factus; qui mox ad Gallias transfretante, Gratianus Parisis Merobaude magistro militum proditione superatus, fugiens Lugduni captus atque occissus est. (BEDA.) Maximus Victorem filium suum consortem regni facit.

Romanorum 49. Theodosius, filius Gratiani, cum Valentiniano patruo suo regnavit annis 11, mensibus 4, hoc est usque [ad] Kal. Februarii, in anno 382. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

405. 1. [CCCLXXXIII] (PROSP.) *Arcadius et Bauto V. C.* Hieronimus presbiter hoc tempore in Betlehem toto jam mundo clarus habitavit, egregio ingenio et studio universæ æclesiæ serviens.

406. 2. [CCCLXXXIV] (HIER.) *Honorius et Euodius.* Priscilianus in sinodo Burdigalensi damnandum se intelligens, ad imperatorem Maximum pervolavit; auditusque Triveris ab Ebodio prefecto pretorio, gladio addictus est, cum Eutrotia, Delfi [304] rectoris conjuge, et Latretano aliisque erroris consortibus.

407. 3. [CCCLXXXV] (HIER.) *Valentinianus 3. et Eutropius.* Burdigalem quædam Priscilliani discipula, nomine Urbita, ob impietatis pertinatiam per seditionem vulgi lapidibus extincta est.

408. 4. [CCCLXXXVI] (HIER.) *Theodosius 2. et Cynegius.* Maximus tirannus a Valentiniano et Theodosio imperatoribus, in tertio ab Aquileia lapide, spoliatus indumentis regiis, sistitur et capite damnatur; cujus

VARIÆ LECTIONES.

[297] judaic 1. *lege:* inductum. [298] *Hoc loco in codice esse lacunam notarit Giesebrecht.* [299] Lubicini' et Jovin' 1. [300] *in margine* 1. [301] *desunt quædam. Sequentia ad regem Athanaricum referenda sunt.* [302] Damasus papa obiit 4. Id. Dec. *hoc loco deleta sunt.* [303] sedione 1. [304] Eutroti Adelfi 1.

Digitized by Google

filius Victor eodem anno ab Arbogaste est interfectus in Gallia *.

Alia manu in marg. add. : His temporibus sanctus Albanus martirizatur.

409. 5. [CCCLXXXVII] (HIER.) *Timasius et Promotus.* Itacius et Ursatius episcopi ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerunt, æclesiæ communione privantur.

410. 6. [CCCLXXXVIII] (BEDA.) *Valentinianus 4. et Neoterius.* Hieronimus librum de illustribus viris æclesiæ ad annum octavum Theodosii conscripsit. [Sanctus Patricius cum duabus sororibus suis, id est Lupuit et Tigris, venditur in Hiberniam. Sanctus quidem Patricius venditur ad regem nomine Miluc (130), filius nepotis Buain, in aquilone Hiberniæ, cujus porcorum pastor erat Patricius, et Victor angelus loquebatur sepe cum eo. Duæ vero sorores ejus venditæ sunt in Conælle Muirtemne *.]

* *Fol.* 141. *in marg. inf. iterum manu secunda scriptum est:* Sanctus Patricius genere Britus cum esset 16 annorum, venditur in Hibernia ad Milcon, regem Dalnaræde. Cui sex annis servivit, et ab angelo Victore semper consolabatur, de lapide quodam cum eo loquens, qui ibi manet; *ibique additur:* Hoc ante sex folia debuit scribi, *id est hoc loco.* — *Necnon f.* 144'.. *scripta sunt, quæ primum ad a* 475. *relata erant, jam vero signis erasis nulli anno certo adscribuntur:* Sanctus Patricius reddit massam auream domino suo per se. Cum enim dominus ejus noluit eum dimittere nisi pro massa aurea, servavit Patricius precepto Victoris angeli quidam porcorum quorum erat pastor, qui fodit masam. *Cf. a.* 416.

411. 7. [CCCLXXXIX] (cf. ISID.) *Titanus et Simmachus.* Johannes monacus anchorita clara habetur.

412. 8. [CCCXC] (PROSP.) *Arcadius et Rufus.* Valentianus ad vitæ fastidium nimia Arbogastis magistri militum austeritate perductus, laqueo apud Vienne periit. Arbogastes magister exercitus, mortuo Valentiniano, cujus exitu gravabatur, Eugenium in Gallia facit imperatorem.

413. 9. [CCCXCI] (BEDA.) *Theodosius* 3. *et Abundantius* 2. [A circio et ab aquilone Scotti et Picti vastant insulam Britanniam.]

[*Cod. in marg.*, Cielus solis inc.]

414. 10. [CCCXCII] (PROSP.) *Arcadius* 3. *et Honorius* 2. (CASS.) Johannes monacus, ornatus profhetiæ gratia, Theodosio consulente de eventu belli, quod adversum Eugenium movebat, victorem futurum predixit.

415. 11. [CCCXCIII] (PROSP.) *Olibrius et Provinus.* Theodossius Eugenium tirannum vincit et perimit. Agustinus, beati Ambrossi discipulus, multa facundia doctrinaque excellens, Ippone regione Africæ episcopus ordinatur. Claudianus poeta insignis habetur.

416. 12. [CCCXCIV] Theodosius imperator die 17. mensis Januarii, anno ætatis 60. Mediolani obiit, sicut in tripartita historia eclesiatica legitur [305]. (X, 50). [Cum sanctum Patricium noluit dominus suus dimittere, nisi pro massa aurea, servavit sanctus Patricius precepto Victoris angeli quidam porcorum, quorum custos fuit Patricius et pastor; qui fodit massam auream, quam sanctus Patricius domino suo pro se.]

Romanorum 50. *Arcadius, filius Theodosii, cum fratre Honorio secundum omnes regnavit annis* 14, *mensibus* 3, *hoc est usque Kal. Maii, in anno* 396. post passionem. Sub quo bi consules fuerunt.

417. 1. [CCCXCV] (ISIDOR.) *Arcadius* 4. *et Honorius* 3. Donatus Epiri [306] episcopus draconem ingentem necavit, expuens in ore ejus, quem octo juga boum ad locum incendi vix trahere potuerunt. Ideo incensus est, ne putredo ejus aerem corrumperet.

418. 2. [CCCXCVI] (PROSP.) *Cesarius et Atticus.* Concilium Cartaginis, ubi Ipponensis concilii statuta firmantur et inseruntur. [Sanctus Martinus nocte dominica obiit, Cesario et Attico conss.] (GREC. Tur.) (Sanctus [307] Martinus Turonum episcopus octoagesimo primo ætatis suæ anno, episcopatus vero vigesimo sexto, obiit media nocte dominica, Cesario et Attico VV. conss.]

419. 3. [CCCXCVII] (cf. *l. pont*) *Honorius* 4. *et Eutichianus.* Siricius papa obiit 9. Kal. Martii. *Anastasius* 38. *papa post Petrum sedit annis* 5. Hic constituit ut quottienscumque evangelia sacra recitantur, sacerdotes non sedeant, sed curvi stent.

420. 4. [CCCXCVIII] (PROSP.) *Manlius et Theodorus.* Cum hoc consulatum inierat Eutropius eunuchus, qui mox et honore et vita dejectus est. [Anno 4. Eugenius occiditur.]

[*Cod. in marg.*, Ciclus 22. ind. 12. incipit.]

421. 5. [CCCXCIX] (PROSP.) *Stillico et Aurelianus.* Gothi Italiam, Alaricho et Radagaiso ducibus, ingressi.

422. 6. [CCCC] (PROSP.) *Vincentius et Fravitus.* Johannes Constantinopolitanus et Theophilus Alexandrinus illustres episcopi habentur; et utrumque obscuravit discordia, quæ eo usque processit, ut Johannes a Theophilo oppressus, Pontum in exilium perurgetur; cum tamen communionem ejus maxima parte episcoporum, Romanæ pontificis exemplum secuta, servaverit.

423. 7. [CCCCI] (PROSP.) *Arcadius* 5. *et Honorius* 5. Pollentiæ adversus Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est.

424. 8. [CCCCII] (AD *Mart.*) *Theodosius augustus et Rumoridus.* Anastasius papa obiit 5. Kal. Maii.

VARIÆ LECTIONES.

[305] *in marg. add.* : ut Beda dicit in historia Anglorum. [306] epri... 1. [307] *hæc in margine leguntur.*

NOTÆ.

(130) Apud O'Connor, II, p. 84, dicitur Milcuon Dalaradiæ in Ultonia dynasta.

Digitized by Google

Innocentius 39. *papa annis* 13. *cathedram tenuit.* (4. *pont*) [Innocentius papa constituit in sabbato jejunium celebrari, quia in eo in sepulcro erat Dominus, et discipuli jejunaverunt.] [Sanctus Patricius cum esset 30 annorum, veniens Turoniam, tonditur a sancto Martino tonsura monachica, quia servilem tonsuram antea hucusque habuit. Deinde trans Alpes ivit in occidentalem partem australem Italiæ ad Germanum episcopum civitatis nomine Alsiodorus, et legit apud eum 30 annis divinam scripturam in insula nomine Alanensis.]

425. 9. [CCCCIII] (PROSP.) *Honorius* 6. *et Aristentus.* Cartaginense concilium habitum de Donatistis [Hir. (HIER., V. S. Paulæ) Sancta [308] et beata Paula obiit 7. Kal. Febr., tertia sabbati post solis occubitum, sepulta est 5. Kal. earundem, Honori augusto 6. et Aresthenio consulibus.]

426. 10. [CCCCIV] (PROSP.) *Stillicon et Antemius.* Ragadaisus, in Tuscia multis Gothorum milibus [309] cessis, ducente exercitum Stilicone, superatus et captus est.

427. 11. [CCCCV] (PROSP.) *Arcadius* 6. *et Probus.* Vandali et Alani Gallias, trajecto Reno, 3. Kal. Januarii ingressi.

428. 12. [CCCCVI] (PROSP.) *Honorius* 7. *et Theodosius* 2. Constantinus in Britania tirannus exoritur, et ad Gallias transit.

429. 13. [CCCCVII] (BEDA.) *Bassus vir V. conss.* Corpora propfetarum Ambacuc et Michehæ sanctorum revelat Deus.

430. 14. [CCCCVIII] (CASS.) *Philippus V. V. con.* Archadius imperator Constantinopoli obiit Kal. Maii, sicut in predicta historia æclesiastica legitur (x. 35).

Romanorum 51. *Honorius cum Theodosio, fratris sui filio, secundum omnes regnavit annis* 15, *hoc est usque Kal. Maii, in anno* 414. *post passionem.*

431. 1. [CCCCIX] (PROSP.) *Honorius* 8. *et Theodosius* 3. Wandali Hispanias occupaverunt. Attalus Romæ imperator factus, qui mox privatus regno Gothis cohesit [310].

432. 2. [CCCCX] (PROSP.) *Varan et Tertullus.* Roma a Gothis Alarico duce capta, et ob hoc solus fuit orientalium partium consul, quod et sequenti anno observatum.

433. 3. [CCCCXI] (PROSP.) *Theodosius* 4. *conss.* Constantinus apud Arelatense oppidum victus et captus; cujus filium Constantem, in Hispanis regnare orsum, Gerontius comes, in Maximum quendam tyrannidem transferens interemerat.

434. 4. [CCCCXII] (PROSP.) *Honorius* 9. *et Theodosius* 5. Maximo in Ispania regno ablato vita concessa est, eo quod modestia humilitatisque [311] minis affectati imperii [312] invidiam non mercebatur. Gothi a [313] rege Thaulfo Gallias ingressi. Eodem tempore Heros, vir sanctus et beati Martini discipulus, cum Arelatensi oppido episcopus presideret, a populo ejusdem civitatis, insons et nulli insimulationi obnoxius, pulsus est. In quo ejus locum Patroclus ordinatus, amicus et familiaris Constantii magistri militum; cujus per ipsum gratia querebatur. Inter episcopos regionis illius magnarum discordiarum materia fuit.

435. 5. [CCCCXIII] (PROSP.) *Lucius V. C. conss.* Lucio clarissimo viro consul. Hujus collega in consulatu Herodianus fuit, qui novarum in Affrica rerum reus, et honorem et vita amissit. Burgundiones partem Galliæ propinquam Reno optinuerunt. Jovinus et Sebastianus fratres, in Gallia regno arepto, perempti sunt. Hac tempestate Pelagius Bruto [314] dogma nominis sui contra gratiam Christi, Celestio et Juliano adjutoribus, exerit, multosque in suum errorem trahit, predicans unumquemque ad justitiam voluntate propria regi, tantumque accipere gratiæ, quantum meru[er]it, quia peccatum [Adæ] ipsum solum leserit. Unde et volentibus possibile sit, ut etiam posteros ejus obstrinxerit, omni carere peccato; omnesque parvulos tam insontes nasci quam primus homo ante prevaricationem fuit; nec ideo baptizandos ut peccato ex[sol]vantur, sed ut sacramento adoptionis honorentur.

436. 6. [CCCCXIV] (PROSP.) *Constantius et Constans.* Atthalus a Gothorum consilio et presidio [315] tyrannidem presumit in Gallias.

437. 7. [CCCCXV] *Honorius* 10. *et Theodosius* 6. [Anno septimo imperii imperatoris Honorii] consulatu jam Honorii decies et Theodosii sexies, incarnationis autem juxta Dionissium anno quadringentissimo 15, indictione 13, sanctus Lucianus presbiter Hierosolimis, in epistola quam scripsit de inventione beatissimi corporis protomartiris Stephani sanctorumque Gamalielis Nicodimi et Abidon (131) sicut sibi revelatum est a Domino, inter cetera etiam de ipso eodem anno manifeste demonstrarat ita : « Die parasceve, hoc est [feria] sexta, quæ est 3. Non. Decimbris, consulatu Honorii 10 et Theodosii 6. augustorum (cf. BEDA) » et reliqua. Regularibus ergo septem [mensis Decembris projectis, remanent concurrentes quatuor anni predicti, hoc est Kal. Decembris feria quarta, et 4. Non [316] Dec. feria quinta, et 3. Non. Decembris feria sexta, anno [7.] Honorii, consulatu predicto, quo corpora sacra a Domino sunt revelata. Scribsit ipsam revelationem Greco sermone ad omnium [æclesiarum] personam; quam Avitus presbyter, Hispanus genere,

VARIÆ LECTIONES.

[308] *hæc in inferiore margine fol.* 139[a]. *leguntur.* [309] *lacuna in codice* 1. [310] *hoc anno manu secunda in margine :* ut Beda dicit in historia Anglorum [311] *lege* : humilitas [312] affectati periit 1. [313] *lege* : rege Athaulfo. [314] *lege* : britto. [315] dio t. p. *jam manu sec. in margine, sed in linea erasa antea scripta erant.* [316] quat n̄ 1.

NOTÆ.

(131) V. Surii Acta SS. Aug. d. 3.

Digitized by Google

in Latinum vertit eloquium, et adjecta epistola sua, per Orosium orientalibus dedit (Beda). Qui Orosius ad loca sancta Hierusalem perveniens, quo cum Augustinus ad Hieronimum pro discenda animæ ratione miserat, reliquias sancti Stephani accepit, et patriam reversus, primus intulit occidenti. (Prosp.) [Athalus a Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus et presidio carens capitur. Ataulfus, a quodam socru vulneratus, obiit, regnumque ejus Wanlia, peremtis qui idem cupere intellegebantur, invasit. Pelagianis [317] a papa Innocentio predamnatis Afrorum vigore et maxime Augustini episcopi industria resistebatur [318].

438. 8. [ccccxvi] (Prosp.) *Theodosius* 7. *et Pallidus*. Placidam, Theodosii imperatoris filiam, quam Rome Gothi ceperant, quamque Ataulfus conjugem habuerat, Wanliam pacem Honori expetens, reddit, ejusque nuptias Constantius promeretur. (cf. *l. pont.*) Innocentius papa obiit 4. Kal. Augusti.

Zosimus papa quadragesimus post Petrum tenet cathedram annis 4.

439. 9. [ccccxvii] (Prosp.) *Honorius* 11. *et Constantius* 2. Honorius Romam triumpho ingreditur, preeunte currum ejus Attalo, quem libare [319] (132) vivere jussit exulem. — (Paschas. *epist.*) Dimidia posterior pars epistolæ Pascassini episcopi ad papam Leonem : « Non ergo nos dies una longius possita terreat, ne cum hoc vitamus incurramus errorem. Sicut tempore beatæ recordationis domini mei predecessoris vestri Zosimi anno consulatus Honorii augusti 11. et Constantii 2., tunc enim cum declinaretur ne 10. Kal. Maii die pascha teneretur, celebratum est 8. die Kal. April., id est pro embolismo communis est annus tentus, et error gravissimus est ortus, in tantum ut misterio certo, quia dono Spiritus sancti ministratur, hæc veritas probaretur ; quod propterea credidi exponendum, quia locus ipse etiam sancto atque a me venerando fratri meo diacono Libano notissimus est. Cujus misterii miraculum tale est. Quædam vilissima possessio Meltinas appellatur in montibus arduis et silvis densissimis constituta ; illic perparva atque vili opera constituta æclesia est. In cujus babtizerio nocte sacrosancta paschali babtizandi hora cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex sese repletur. Paucisque [320] qui fuerunt consecratis, cum deductorium nullum [habeat], ut aqua venerat, discendit. Tunc ergo, ut supradixi, sub sanctæ memoriæ domino quondam meo ac beatissimo papa Zosimo, cum apud occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cum presbiter secundum morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui babtizandi fuerunt, recesserunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ luciscebat in die dominica 10. die Kal. Maii, fons sacer hora competenti repletus est. Evidenti ergo miraculo claruit occidentalium partium fuisse errorem. Hec prout potui vel epistolaris brevitas passa est, jubente [apostolatu vestro, rescripsi]. »

[*Cod. in marg.* Ciclus 23. decenn. inc. indict. prima.]

440. 10. [ccccxviii] (Prosp.) *Honorius* 12. *et Theodosius* 8. Hoc tempore Constantius, servus Christi, ex vicario Romæ habitans, et pro gratia Dei devotissime Pelagianis resistens, factione eorundem multa pertulit, quæ illum sanctis confessoribus sociaverunt. Concilio apud Cartaginem habito 214 vel amplius episcoporum, ad papam Zosimum sinodi decreta perlata sunt ; quibus probatis, per totum mundum heressis Pelagiana damnata est. Valentianus, Constanti et Placidiæ filius, nascitur 5. Nonas Julias. Carthagis concilium contra Pelagianos. (cf. *l. pont.*) Zosimus papa obiit 7. Kal. Januarii.

441. 11. [ccccxix] (Prosp.) *Monaxius et Plinta*. Constantius pacem firmat cum Wanlia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania et quibusdam civitatibus confinium provinciarum.

Bonifatius papa 41. *post Petrum ordinatur, qui sedit ann.* 4.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solus inc.]

442. 12. [cccxx] (Prosp.) *Theodosius* 9. *et Constantius* 3. Constantius ab Honorio in consortium regni adsumitur. Hieronimus presbiter moritur, annô ætatis suæ nonagesimo primo. 11. Kal. Octobris.

443. 13. [cccxxi] (Prosp.) *Agricola et Eustachius*. Constantinus imperator obiit. (cf. *l. pont*) Bonifatius papa decrevit servum clericum non fieri nec obnoxium curiæ vel cujuslibet rei.

444. 14. [cccxxii] (Prosp.) *Honorius* 13. *et Theodosius* 10. Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Wandalos missus est, cui Castinus dux fuit ; qui Bonifacium, virum bellicis artibus preclarum, inepto et injurioso imperio ab expeditionis suæ societate avertit. Nam ille periculosum sibi atque indignum ratus eum sequi quem discordem superbientemque expertus esset, celeriter se ad portuna Urbis atque inde ad Affricam proripuit. Idque rei publicæ multorum [malorum] initium fuit. (cf. *l. pont.*) Bonifatius papa obiit 8. Kal. Novimbris.

445. 15. [cccxxiii] (Prosp.) *Marinianus et Asclepiodatus*. Placidia augusta, a fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honorio et Valentiano proficiscitur (Prosp).

Celestinus 42. *papa post Petrum annis* 9.

Honorius Romam obiit, et regnum ejus Johannes accepit [321].

VARIÆ LECTIONES.

[317] pelagianus 1. [318] resitebatur 1. [319] *i. e.* libere. [320] pacisque 1. [321] *hoc loco in marg. sec. manu*, ut Beda dicit.

NOTÆ.

(132) V. infra a. 466.

Digitized by Google

Romanorum 52. *Theodosius minor, Archadii filius, annis* 27, hoc est usque Kal. Maii, in anno 438. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt.

446. 1. [CCCCXXIV] (PROSP.) *Castinus et Victor.* Theodosius Valentinianum, amitæ suæ filium, cesarem facit, et cum augusta matre ad recipiendum occidentalem mittit imperium. Quo tempore Johannes, dum Affricam, quam Bonifatius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

447. 2. [CCCCXXV] (PROSP.) *Theodosius* 11. *et Valentin'a us.* Placidia augusta et Valentianus cesar mira felicitate Johannem tirannum opprimunt, et regium victores recipiunt, data venia Aetio, eo quod Uni, quos per ipsum Johannes acceperat, ejusdem studio ad propria reversi sunt. Castinus autem in exilium actus est, quia videbatur Johannes sine conibentia ipsius regnum non potuisse presumere. Valentianus decreto Theodossi augustus appellatur. Archilar, nobile oppidum Galliarum, a Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aetio non impunito acce lerent [822].

448. 3. [CCCCXXVI] (PROSP.) *Theodosius* 12. *et Valentinianus* 2. Patroclus Arelatensis episcopus a tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur. (PROSP.). Quod facinus ad occultam jussionem Felicis magistri militum referebatur, cujus impulsu, creditur, etiam Titus diaconus vir sanctus, Romæ peccunias pauperibus distribuens, interemptus est.

449. 4. [CCCCXXVII] (PROSP.) *Hierius et Ardabures.* Bonifatius, cujus intra Affricam potentia gloriaque augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam venire abnuebat, puplico nomine inlatum [823] est, ducibus Maborno [824] et Calvione et Saonece, cujus proditione Abortius [825] et Galivio, dum Bonifatium obsident, interempti sunt; moxque ipse a Bonifatio dolo detentus est atque occissus. Exinde gentibus quæ uti navibus [826] nesciebant, dum a certantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est; bellique contra Bonifatium cœpti in Signisvultum [827] cura translata est. Gens Wandalorum ab Hispania ad Affricam transit.

450. 5. [CCCCXXVIII] (PROSP.) *Felix et Taurus.* Nestoriusque Constantinopolitanus episcopus novum ecclisis molitur errorem inducere, predicans Christum ex Maria hominem tantum, non etiam [Deum] natum, eique divinitatem collatam esse pro merito. Cui impietati precipue Quirilli Alexandrini episcopi industria et papæ Celestini repugnavit auctoritas. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverunt, ab Aetio comite recepta.

451. 6. [CCCCXXIX] (PROSP.) *Florentius et Dionisius.* Felice ad patriam dignitatem provecto, Aetius magister militum factus est. Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, ecclesias Brittaniæ dogmatis sui insinuatione corrupit; sed ad actionem Palladi diaconi papa Celestinus Germanum Autisidiorensem episcopum vice sua mittit, et desturbatis hereticis, Britannos ad catholicam fidem redigit. (cf. *l. pont.*) Celestinus papa constituit, ut psalmi David centesimi quinquagesimi ante sacrificium antiphonatim decantarentur; nam antea epistola et sanctum evangelium recitarentur.

452. 7. [CCCCXXX] (PROSP.) *Theodosius* 13. *et Valentinianus* 3. Aetius cum Felicem cum uxore Paudussia et Grannitum diaconum... [827] (BEDA.) Sanctus Augustinus, ætatis anno 76. obiit 5. Kal. Septimbris, cum in clericatu vel episcopatu annos 40 compleret.

453. 8. [CCCCXXXI] (PROSP.) *Bassus et Antiochus.* Sinodus apud Effessum ducentorum sacerdotum. Nestorius cum heressim nominis sui et cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo turbabant [828] dogma, damnatur. Ad Scotos in Christum credentes ordinatus a papa Celestino Palladius, primus episcopus missus est. [Post ipsum] sanctus Patricius, genere Brittus, a sancto Celestino papa consecratur, [et] ad archiepiscopatum Hibernensem [mittitur]; ubi [per annos sexaginta] signis atque mirabilibus predicans, totam insolam Hiberniam convertit ad fidem.

454. 9. [CCCCXXXII] (PROSP.) *Aetius et Valerius.* Bonifacius ab Africa ad Italiam per Urbem venit, accepit magistri militum dignitatem; qui cum resistentem sibi Aetium in prelio superasset, paucos post dies morbo extinctus est. (cf. *l. pont.*) Celestinus papa obiit 6. Idus Aprilis.

Sixtus 43. *papa post Petrum annis* 8.

(PROSP.) Aetius vero, cum depossita potestate agro suo degeret, ibique eum quidam inimicus repentino incursu opprimere temptasset, perfugus ad Urbem, atque illinc ad Dalmatias, deinde per Pannonias ad Hunos pervenit, quorum amicitia auxilioque ussus, pacem principum atque interpolatæ potestatis optinuit.

455. 10. [CCCCXXXIII] (BEDA.) *Theodosius* 14. *et Maximus.* Eudoxia, uxor Theodosii imperatoris, ab Hierosolimis remeavit, beatissimi Stephani protomartiris reliquias, quæ in bassilica sancti Laurentii possitæ venerantur, secum deferens.

456. 11. [CCCCXXXIV] (BEDA.) *Aspar et Ariovindus.* Sixtus papa fecit bassilicam matris Domini, quæ ab antiquis Libere nominabatur.

457. 12. [CCCCXXXV] (PROSP.) *Theodosius* 15. *et Valentinianus* 4. Pax facta cum Wandalis, data eis ad habitandum Affricæ portio. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem, intra Gallias habitantem, Aetius bello obtinuit, pacemque ejus [829] supplicanti; qua non diu potitus est, siquidem illum Uni cum populo suo stirpe deleverunt.

458. 13. [CCCCXXXVI] (PROSP.) *Hisidorus et Senator.* Gothi pacis placita pertubant, et plura munici-

VARIÆ LECTIONES.

[823] *lege :* abscederent. [823] inaltum 1. [825] *lege :* Mabortio et Galvione, Mabortius et Galvio. 1. [826] insignis vultum 1. [827] *dimidia linea vacat.* [828] *lege :* juvabant. [829] ei s. dedit *Pr.*

Digitized by Google

pia vicina sedibus suis occupant, Narbonensi oppido maxime infesti. Quod cum diu obsidione fame laboraret, per Latorium comitem ab utroque periculo liberatum est; siquidem per singulos equites binis tritici modis advectis, strenuissime hostes in fugam vertit, et civitatem annona adjuverit.

459. 14. [CCCCXXXVII] (PROSP.) *Aethius et Sigisvultus*. Bellum adversus Gothos, Hunis auxiliantibus, geritur. In Affrica Gisiricus rex Wandalorum intra habitationis suæ limites volens catholicam fidem in Arrianam impietatem subvertere, quosdam nostrorum episcopos eotenus persecutus est, ut eos privatos jure basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, cum ipsorum constantiam nullis superbissimi regis terroribus cederent. Valentinianus augustus ad Theodosium principem Constantinopolim proficiscitur, filiamque ejus in matrimonium accepit. Eodem anno piraticam barbari exercuerunt. Per idem tempus quatuor Hispani viri, Archadius, Probus, Paschasius et Euticius, dudum apud Geisericum merito sapientiæ et fidelis obsequii clarique habebantur; quos rex ut copulatiores sibi faceret, in Arrianam sectam transire precepit. At illi hoc facinus constantissime respuentes, excitato in rapidissimam iram barbaro, primum proscripti, deinde exilio acti, ac postremum diversis mortibus interempti, illustri martirio mirabiliter occubuerunt. Puer autem, Paulillus nomine, frater Paschassi et Euticii, pro elegantia formæ atque ingeni admodum regi acceptus, cum a professione atque amore chatholicæ fidei nullis minis pertubari possit, diu fustibus cessus et ad infimam servitutem damnatus est; ideo, ut apparet, non interfectus, ne de superata peritia impii etiam illa ætas gloriaretur (cf. DIONYSII *epist* ap. Petav., p. 874). Sanctus Cirillus Alexandrinus episcopus ciclum nonaginta quinque annorum componit, incipiens ab anno 153. Diocletiani (133).

460. 15. [CCCCXXXVIII] (ISIDOR.) *Theodosius* 16. *et Faustus*. Diabolus, in speciem Moisi Judeis in Creta apparens, per mare pede sic ato ad terram repromisionis eos perducere repromittit, sed plurimis mersis et necatis, reliqui salvi facti, ad Christi gratiam convertuntur.

461. 16. [CCCCXXXIX] (PROSP.) *Theodosius* 17. *et Festus*. Hac tempestate Julianus Athelensis, jactantissimus Pelagiani erroris asertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem preferens, molitus est in communionem ecclesiæ irrepens. His insidiis Xistus papa diaconi Leonis ortatu vigilanter [occurens], nullum additum pestiferis conatibus patere permissit. Et ita omnes chatolicos de retectione fallacis bestiæ gauderet [330], quasi tunc primum superbissimam hereseos apostolicus gladius detruncavisset. Pax cum Gothis facta, cum eam post ancipitis pugnæ lacrimabile experimentum humilius quam unquam antea proposcisent. Actio rebus quæ in Gallea componebantur intento, Geisericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciatis diverso tormentorum genere [civibus, in ius suum] vertit. Nec ab æcclesiarum dispoliatione abstinens, quas et sacris vassis exinanitas et sacerdotum administratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula. (PROSP.) In universum capti[vi] populi ordinem sevus, sed precipue nobilitati et religioni infensus, ut non discerneretur, hominibus magis [quam] Deo bellum intulisse.

462. 17. [CCCCXL] (PROSP.) *Valentinianus* 5. *et Anatolius*. Defuncto Sixto episcopo, 40 amplius diebus Romana æclesia sine antistite fuit, mirabile pace atque patientiæ diaconi Leonis exspectans, qui tunc inter Aetium atque et Albinum amicitias integrandæ Galliæ detinebat. *Leo igitur, legatione puplica accitus, et gaudenti patriæ presentatus, 44. papa Romanæ æclesiæ consecratur, sedens per annos* 21. (cf. *l. pont*) Geisericus Siciliam graviter affligens, accepto nuntio Sebastiani, ab Hispania ad Affricam transito, celeriter Carthaginem redit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Cartagini incubuisset (PROSP.).

463. 18. [CCCCXLI] (PROSP.) *Cyrus vir clarissimus consul*. Theodossius imperator bellum contra Wandalos movet, Ariobindo et Ansila atque Germano ducibus cum magna classe directis, qui, longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri quam Affricæ presidio fuere.

464. 19. [CCCCXLII] (PROSP.) *Dioscorus et Eudoxius*. Hunis Tracias et Illiricum seva depopulatione vastantibus, exercitus qui in Sicilia morabatur, ad defensionem orientalium provinciarum revertitur. Cum Giserico autem et Valentiniano augusto pax confirmata, et certis spatis Affrica inter utrumque divissa est.

465. 20. [CCCCXLIII] (PROSP.) *Maximus* 2. *et Paternus*. Hoc tempore plurimos Manicheos intra Urbem latere diligentia papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos et oculis totius æclesiæ puplicatos, omnes dogmatis sui turpitudines damnare fecit et prodere, incensis eorum codicibus.

466. 21. [CCCCXLIV] (PROSP.) *Theodosius* 18. *et Albinus*. Hoc anno pascha [dominicum] celebratum est 9. Kal. Maii, nec erratum erat, quia in die 11. Kalend. earundem dies passionis fuit; ob cujus reverentiam natalis urbis Romæ sine Circensibus transit. — Incipit epistola Pascassini episcopi ad papam Leonem, jubentem sibi rescribi quæstione

VARIÆ LECTIONES.

[330] gaudere fecit *Pr.*

NOTÆ.

(133) Cf. etiam prologum et epistolam ipsius Cyrilli apud Petavium, p. 881.

Digitized by Google

orta [de eodem anno] : « Domino viro sancto atque beatissimo » ... (134) « Non nos dies una longius possita terreat » et reliqua, quæ in anno 11. [331] Honorii de hac epistola prediximus. Annus itaque 417. incarnationis secundum Dionissium est annus 9. [332] Honorii, et annus 414. incarnationis secundum Dionissium est annus [21. Theodosii].

467. 22. [CCCCXLV] (cf. *l. Pont.*) *Valentinianus* 6. *et Nonius.* Leo constituit in missa dicere « Sanctum sacrificium immaculatam hostiam; » et monachum non accipere velamen capitis benedictum ab episcopo, nisi prius fuerit virginitas ejus probata.

468. 23. [CCCCXLVI] (BEDA.) *Ethius* 3. *et Simmachus.* Brittani a Scotis et Pictis superantur. Quos subjectionem Romanis pro auxilio promittentes mis a legio liberans, Scotos a Brittania projecit; ac domum reversura precepit Brittanis, murum trans insulam inter duo maria statuere. Quo cispite magis quam lapide constructo, ut dicessere Romani, Scoti advecti in navibus, Brittanicos quasi maturam segitem obviantes sibi cædunt, calcant, devorant. Iterum petenti [333] auxilia Romani recurrant, et Scottos fugant, et cum Brittanis murum inter urbes saxo solidum a mare usque ad mare collocant, et in littore meridiani maris, unde hostes metuebantur, turres per intervalla ad prospectum maris statuunt. Recedente vero a Britania Romano exercitu, Scoti et Picti redeunt, et totam Brittaniam ab aquilone muro tenus et ipso interrupto capiunt. Brittani vero epistolam lacrimabilem ad Ethium, Romanæ potestatis virum, ter consulem, mittunt, anno 23. imperii Theodosii, sed nec auxilium impetrant. Revertuntur domum Scoti, et post non multum tempus reversuri Picti, extremam Brittaniæ patrem tum primum et deinceps inhabitaturi [334] detinent. Brittani autem unanimo consilio cum rege suo Vertigerno Anglos, quasi defensores patriæ, ad se invitandos elegerunt. Sed exceptos impugnatores senserunt, conficta occasione quod pro se militantibus Britones minus sufficientius stipiendia darent.

469. 24. [CCCCXLVII] (PROSP.) *Alibius et Asabures.* Euticies heressiarces Constantinapolis presbiter, fratus Theodossi augusti amicitiis, conatus est non perfectum hominem in Christo asserere [335]; contra quem Flavianus, ejusdem urbis episcopus, suscipiens, cum sacerdotibus suis damnatus est, auctore Dioscoro Alexandriæ urbis episcopo. Contra quem papa Leo missit episcopum, presbiterum et diaconum, qui injuriam passi Flavianum nuntiant in defensione chatholica per injurias gravissimas deffecisse.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

470. 25. [CCCCXLVIII] (PROSP.) *Postumianus et Zeno.* Theodossius imperator pro deffensione Euticetis Leonem papam Urbis ad se vocat. Qui dum ire vellet, a populo prohibitus, presbiteros et diacones direxit.

471. 26. [CCCCXLIX] (PROSP.) *Asturius et Protogenes.* Iterum vocati chatolici audiendi.

472. 27. [CCCCL] *Valentinianus* 6. *et Abienus.* Concilium in Ephesso (135) contra Eutichianum presbyterum, qui Constantinopolim monasterio celeberrimo presidebat, dicens Dominum tantum esse Christum, non hominem. In quo Hilarius diaconus cum Julio episcopo Putelano vice papæ Leonis missi fuerunt. Qui diaconus quia pro violata fide illic clamavit, pro anima sua latenter fugit [ad Romam) [336]. (PROSP.) Theodossius imperator cum magna pompa a Placidia et Leone cum omni senatu deductus est, et in mausoleo ad apostolum Petrum depossitus est. *

* *Hoc loco addit* 2 : Hujus Theodosii tempore, concilio apud Charthaginem ab impiissimo Honorico Wandalorum rege habito, [illus] Theonestus, cum alii sedibus quas suis episcopi pellerentur, a Philippis sedis suæ urbe depulsus, cum quatuor discipulis suis peregrinationis causa seu consolationis percipiendæ gratia Romam sub tempore Leonis papæ venit. A quo favorabiliter susceptus, et aliquandiu ibi commoratus, inde ad beatum Ambrosium Mediolanensem episcopum contendit. Ab ipso quoque caritative susceptus, Theodosio principi tunc ibi degenti per ipsum est præsentatus, et ab utrisque postremo in pace dimissus. Inde advenit Vindelicam primam Rhætiæ urbem Augustam, ubi et passus est unus ex discipulis ejus Ursus. Discedens ergo inde, venit ad Sigismundum regem Allobrogum, et ab eo Trevirensem Paulinum, indeque navigio urbem adit Mogontiacum. Ubi, contra hereticos fortissime sana dimicante doctrina, secundum reliquit discipulum Albanum, martirio verissime super nivem dealbatum.

Romanorum 53. *Marcianus secundum alios regnavit annis* 7. *juxta autem eum qui historia tunc conscripsit* (136) *annis* 8, *secundum historiam* Romanam annis 7, mensibus 2, hoc est usque quasi Kalendas Julii, in anno 445. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

473. 1. [CCCCLI] (PROSP.) *Marcianus et Adelfius V. C.* Pugna facta in Gallis inter Aetium et Atilanum regem Hunorum cum utriusque populi cede Attila fugatus est in Gallias superiores.

VARIÆ LECTIONES.

[331] *lege :* IX. [332] XI. *corr.* IX. 1. [333] petente 2. *ubi hæc, sermone valde mutato, et multis ex Bedæ hist. ecc. I, 12 sqq. additis, leguntur.* [334] inhabituri 1. [335] assere 1. [336] *Hoc loco novus annus incipiebat, sed jam numeri et consules erasi sunt.*

NOTÆ.

(134) Exstat in cod. Parisino, olim ut videtur Moguntino, impressa inter S. Leonis I. epp., n. 64. quam hic omittendam censuimus.

(135) Potius Chalcedone. Certum hujus loci fontem invenire non potui ; cf. Leonis, epp. 24, 29, 31.

(136) Prosperi Chronicon indicat, quale in cod. August. et Mogont. legimus.

Digitized by Google

474. 2. [CCCCLII] (BEDA.) *Herculanus et Asporacius.* Johannes babtista duobus monachis caput suum juxta Herodis habitaculum revelat; quod Emessam Fenice urbem cum magno honore perlatum est. Gens Anglorum sive Saxorum Brittaniam tribus longis navibus advechitur; totam pene insulam ab oriente ad occidentem subigit.

475. 3. [CCCCLIII] (ISID.) *Opilio et Vincomalus.* Sinodus Calcidonensis facta, ubi Eutiches et Dioscorus damnati. Sanctus Leo papa sic (*ep.* 61) : « De paschali observantia sanctæ memoriæ Theophilus ad augustum Theothosium seniorem scribens, per centum annos a primo prædicti principis consulatu degessit ordinem diei festi; cujus instructionis 74 nunc annus evolvitur, quo Opilione consule 2 Idus Aprilis celebrata est sacra solemnitas. B

476. 4. [CCCCLIV] *Agthius et Studius.* Unde [336] sequenti [337] anno Nonas Aprilis consequenter » et reliqua. Sed annus, qui erit 76, ut videtur discordat; siquidem in 8 die Kalend. Maii pascha constituitur, cum 15 Kalend. Maii, ut videtur, deberet fieri (PROSP.). Ordinatus episcopus Deogratias in basilica Fausti die dominica 8 Kalend. Novembris. Valentinianus augustus 11 Kal. Octobr. Ethium patricium et Boetium Kartagine (137) occidit.

477. 5. [CCCCLV] (PROSP.) *Valentinianus* 8 *et Antemius.* Valentinianus autem ab amicis Ethii 13 Kal. Aprilis [in campo Martio] occiditur (PROSP.). Maximus vero, vir gemini consulatus et patriciæ dignitatis, alia die 12 Kal. Aprilis, Romæ sumpsit imperium. Post mensem autem alterum, nuntiato ei C ex Africa Geserici regis adventu, multisque nobilibus popularibus ex Urbe fugientibus, cum Maximus, data abeundi cunctis licentia, trepidus vellet abscedere, 77 adepti imperii die a famulis Valentiniani delaniatus est, et membratim in Tiberim projectus, sepultura quoque caruit. Post hæc consecuta est multis digna lacrimis Romana captivitas, cum enim Urbem omni presidio vacuam Gesericus obtinuit, 4 Idus Julii, feria 3, occurrente sibi papa Leone episcopo sancto extra portas. Cujus supplicatio ita cum Deo agente linivit, ut cum omnia potestati ejus essent tradita, civitati sibi ab igne tamen et cede et supplicio abstineretur. Roma vero per 14 dies secura et libera scrutatione omnibus opibus D suis evacuata [338] est; multaque milia captivorum, prout cuique ætate vel arte placuerat, cum regina et filiabus ejus, Cartaginem abducta. Hoc anno, id est 455 incarnationis juxta Dionissium, pascha dominicum 8 die Kal. Maii recte celebratum est, ordinatione sancti Theophili [339]; quod sanctus papa post Leo 15 Kalend. Maii potius observandum protestaretur.

478. 6. [CCCCLVI] (CASS.) *Varan et Johannes.* Post Maximum Avitus in Gallias assumpsit imperium. [*Cod. in marg.* Cyclus 25 decenn. incipit indictione 9.] A

479. 7. [CCCCLVII] (CASS.) *Constantinus et Rufus.* Avitus Placentiæ depossuit imperium [340]; Marciano defuncto apud Constantinopolim, Leo Orientis, Majorianus Italiæ suscepit imperium [a]. Sub quibus hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

2 *hoc loco addit :* Hucusque chronica imperii, in cujus fine hec habentur : « Post consulatum Theodosii 17 et Festi Gisericus Wandalorum rex Cartaginem ingressus est 14 Kal. Novemb., in qua regnavit annis 27, mensibus 3, diebus 7. Post hæc regnavit Hunerix, filius ejus, annis 7, mensibus 10, dies 28; qui in fine anni septimi regni sui catholicæ ecclesiæ persecutionem movit, omnesque ecclesias clausit, et cunctos Domini catholicos sacerdotes cum Eugenio Carthaginensi episcopo exilio religavit, ipseque Domini judicio scatens vermibus vitam finivit. Post eum regnavit Guntamundus, Gentunii ejusdem Honorici fratris filius, annis 11, mensibus 9, diebus 11; qui tertio anno regni sui cimiterium sancti martiris Agilei apud Chartaginem katholicis dari præcepit, Eugenio Kartaginensi episcopo ab eodem jam de exilio revocato. Decimo autem anno regni sui ecclesias chatholicorum aperuit, et omnes Dei sacerdotes petente Eugenio Cartaginensi episcopo de exilio revocavit. Quæ ecclesiæ fuerunt clausæ annis 10, mensibus 6, diebus 5, hoc est ab octavo anno Honorici, id est ex die 7 Idus Februarii, usque undecimum annum regis Guntamundi die 9 Idus Augusti, in quo completi sunt supradicti anni 10, menses 6, dies 5. Qui memoratus Guntamundus rex postmodum vixit annos 2, mensem 1. Post quem regnavit Trasamundus, Gentunis filius, annis 26, mensibus 8, diebus 4. Ab exordio ergo imperii Aviti usque ad annum vigesimum sextum Trasamundi, a quarto decimo autem anno imperii et morte Valentis usque in annum vigesimum secundum Trasamundi anni sunt. . . . Post quem regnavit Hildiricus, filius Honorici, annos 8, dies 8. Qui in exordio regni sui Bonifacium episcopum apud Kartaginem in ecclesia sancti Agilei ordinari præcepit, et omnibus catholicis libertatem restituit. Quo regnante assumpta tyrannide Geilemer regnum ejus invasit, in quo fecit annos 3 et totidem menses, qui tanta homicidia scelestus commisit, ut nec parentibus parceret. Fiunt ergo ab exordio regni Giserici usque ad exitum Wandalorum anni....; ab interitu ergo Valentis, quod erat in quarto decimo anno regni ejus, usque ad supradictum tempus, sunt anni. . . Collecta ergo omnium summa annorum ab Adam usque ad Wandalorum perditionem fiunt 5753. — *Quæ omnia ex codice Prosperi Mogontino sumta sunt.*

Romanorum 54. *Leo secundum omnes regnavit annis* 17, *et hoc est usque Kal. Julii, in anno* 461 post passionem, his consulibus, teste Cassiodoro.

VARIÆ LECTIONES.

[336] *cum anno præcedenti conjungenda sunt.* [337] s. a. *bis leguntur* 1. [338] euacuta 1. [339] *codex pergebat :* quod sanctus papa Leo 15 Kal. Maii celebratum est ordinatione sancti Theophili, *sed jam erasa.* [a]) *Hoc loco novus incipiebat annus; sed numeri et consules erasi sunt.*

NOTÆ.

(137) Error ex Prosperi codice minus recte intellecto.

Digitized by Google

480. 1. [CCCCLVIII] (CASS.) *Leo Augustus et Majorianus Augustus.* Majorianus in Affricam movit procinctum.

481. 2. [CCCCLIX] (ISID.) *Ricimer et Patricius.* Alexandria et Ægyptus errore Dioscorii heretici languescit.

482. 3. [CCCCLX] (ISID.) *Magnus et Apollonius.* Heressis Acephallorum, Calchidonense concilium impugnantium, apparuit. Acepalli autem dicuntur, id est sine capite, quia auctor ejus non apparuit.

483. 4. [CCCCLXI] (JORD.) *Severinus et Dagalaifus* (CASS.) Majorianus juxta Dertonam civitatem 8 Idus Augusti occiditur, immissione Ricimeris; cui Severum, natione Lucanum, Ravenne succedere fecit in regnum. [Leo[341] papa obiit 4 Kal. Julii (AD. *Mart.*).]

484. 5. [CCCCLXII] *Leo* 2 *et Severus. Hilarius* 45 *papa consecratur* 2 *Idus Novembris, quod tenet annis* 7, *mensibus* 6.

485. 6. [CCCCLXIII] (BEDA.) *Basilius et Vivianus.* Theodorus episcopus civitatis, quæ Ciriæ dicitur, eo quod a Ciro rege Persarum condita, scribit de vera incarnatione dominica contra Eutichen et Dioscorum, qui negavit humanam carnem in Christo. Victorius[342], jubente papa Hilario, scripsit paschalem circulum 532 annorum.

486. 7. [CCCCLXIV] (CASS.) *Rusticus et Olibrius.* Beorgor rex Alanorum apud Pergamum a patricio Ricimere peremptus est.

487. 8. [CCCCLXV] (CASS.) *Armincricus et Basiliscus.* Severus Rome in palatio fraude Ricemeris veneno peremitur.

488. 9. [CCCCLXVI] (BEDA.) *Leo junior* 3 *consulatu.* Theodorus predictus episcopus Ciriæ scribit historiam æclesiasticam, quæ Tripertita dicitur (BEDA.), a fine librorum Eusebii, id est ab anno 20 Constantini Magni, usque ad tempus hujus Leonis imperatoris, quo et ipse episcopus obiit.

489. 10. [CCCCLXVII] (CASS.) *Puseus et Johannes.* Anthemius a Leone imperatore ad Italiam mittitur, qui tertio [ab] Urbe miliario, in loco Brontontas, suscepit imperium.

490. 11. [CCCCLXVIII] (CASS.) *Anthemius Augustus* 2 *conss.* Marcellinus occiditur in Sicilia.

491. 12. [CCCCLXIX] (CASS.) *Marcianus et Zeno V. C.* Arabundus imperium temptans, jussu Anthemi exilio [deportatur].

492. 13. [CCCCLXX] (CASS.) *Severus et Jordannes.* Romanus patricius, affectans imperium, [capitaliter] truncatur. Hilarius papa obiit 9 Kal. Martii.

Simplicius papa 46 *post Petrum, qui sedit annis* 15.

493. 14. [CCCCLXXI] (CASS.) *Leo augustus* 4 *et Probianus.* Aspar affectate tirannidis Constantinopoli a Leone imperatore occiditur.

494. 15. [CCCCLXXII] (CASS.) *Festus et Marcianus.* Patricius Reciner, Rome facto imperatore Olibrio, Anthemium, contra reverentiam principis et jus affinitatis, cum gravi clade civitatis extinguit; qui 40 die gloriæ suæ defunctus est. Olybrius autem mense septimo imperii vitam exigit.

495. 16. [CCCCLXXIII] (CASS.) *Leo augustus* 5 *conss.* Gundibado hortante, Glicerius Ravenne sumpsit imperium. Eodem anno Leo imperator nepotem suum Leonem consortem facit imperii.

496. 17. [CCCCLXXIV] (CASS.) *Leo junior augustus* 6 *conss.* Nepos Romæ Glicerio successit in regno. Leo imperator hoc anno obiit. Hec Cassiodorus Jordanis episcopus sic in cronica ab eo hoc tempore compossita, sic quoque (JORD.): Leo Leonem junio-
B rem, ex Ariagne filia nepotem suum in imperio ordinans orientali, anno 16 imperii sui obiit.

(JORD.) *Romanorum* 55. *Leo junior mox paucis mensibus puerile*, ordinante tamen patre, rexisset imperium, manu sua generum suum Zenonem coronans imperatoremque constituens, rebus humanis excessit. Zenon autem natione Isaurus, gener Leonis imperatoris, regnavit annis 17. Hec Jordanis episcopus, et hoc est juxta Romanam historiam quod Leo senior tamen regnavit annis 16 ac mensibus 6 (138), hoc est usque Kal. Januarii. — (cf. BEDA.) In eodem anno 16, quo Leo obiit, Theodricus (139) rex Romam obtinuit, tempore Leonis junioris.

C *Romanorum* 56. *Zenon regnavit secundum omnes annis* 17, hoc est usque Kal. Januarii, in anno 479 post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

497. 1. [CCCCLXXV] (CASS.) *Pro consul. Leonis aug. junioris.* Orestes, Nepote in Dalmatias fugato, filio Augustulo dedit imperium.

498. 2. [CCCCLXXVI] (CASS.) *Basiliscus* 2 *et Armatus.* Ab Odovacre Orestes et frater ejus Paulus occissi sunt; nomenque regis Odovacer assumpsit.

499. 3. [CCCCLXXVII] (ISID.) *Pro cons. Basilici et Armati.* Iste Zennon Leonem, augusti filium, interficere quesivit.

500. 4. [CCCCLXXVIII] *Ellus V. C. consul.* Sed[343] mater ejus pro eo alium forma similem optulit.

D 501. 5. [CCCCLXXIX] *Zenon aug.* 2 *conss.* Leonem[343] vero occulte clericum fecit.

502. 6. [CCCCLXXX] *Basilius junior conss.* Quique[343] in clericatu usque ad Justini tempora vixit.

503. 7. [CCCCLXXXI] (CASS.) *Placidus V. C. conss.* Odovacer in Dalmatiis Odviam vincit et perimit.

504. 8. [CCCCLXXXII] (cf. *l. pont.*) *Severinus V. C. conss.* Simplicius papa Acatium Constantinopolita-

VARIÆ LECTIONES.

[341] *Hæc sec. manu in loco raso.* [342] *Eadem iterum in marg. fol.* 145 *manu secunda scripta sunt.* [343] *cum a.* 499 *conjungenda sunt.*

NOTÆ.

(138) In Historia miscella 17 annis regnasse dicitur.

(139) De Odovacare loquitur Beda.

Digitized by Google

bum episcopum et Petrum Alexandrinum episcopum Eutichianos damnat.

505. 9. [CCCCLXXXIII] (Isid.) *Faustus V. C conss.* Corpus Barnabæ apostoli et evangelium Mathei ejus stilo scriptum reperitur, ipso revelante.

506. 10. [CCCCLXXXIV] (cf. *l. pont.*) *Theodericus et Venantius.* Apostolicus papa Simplicius obiit 6. Non. Martii.

Felix papa 47 post Petrum ordinatur, qui sedit annis 8.

507. 11. [CCCCLXXXV] (Beda.) *Simmachus V. C.* Honoricus rex Wandalorum Arrianus, in Affrica exulatis defugatisque plus quam 334 episcopis chatolicis, æclesias clausit, plebem varis afficit suppliciis; et quidem innumeris abscidens manus, linguas precidit, nec tamen loquellam chatholicæ confessionis eripere potuit.

508. 12. [CCCCLXXXVI] (cf. *l. pont.*) *Decius et Longinus.* Felix papa etiam damnavit Acatium et Petrum episcopos Euticihenos.

509. 13. (CCCCLXXXVII] (Cass.) *Boetius V. C. conss.* Odovacer, Fœba rege Rugorum victo captoque, regnum potitus est.

510. 14. [CCCCLXXXVIII] (Cass.) *Dynamius et Sifidius.* Theodricus rex intravit Italiam, [his consulibus, teste Cassiodoro].

511. 15. [CCCCLXXXIX] (Cass.) *Probinus et Eusebius.* Cui Odovacer ad Isontium pugnam parans, victus cum tota gente fugatus est. Iterum [eodem anno Verone] pugna vincitur Odovacer.

512. 16. [CCCCXC] (Cass.) *Faustus junior conss.* Theodricus ad Ducam fluvium Odovacrem vincit [tertio certamine], et Ravennam fugiens obsidetur.

513. 17. [CCCCXCI] (Cass.) *Olibrius junior conss.* Odovacer cum Erudis[344] egressus Ravenna nocte, ad pontem Candidiani a Theodrico memorabile certamine superatur. Tunc Wandali, pace suppliciter postulata, a Siciliæ solita depredatione cessarunt.

[Eodem anno Zeno imperator obiit.] [Sanctus Patricius Hiberniæ archiepiscopus, annorum 132 (122)[345], beatissimo fine obiit. Annorum 16 venditur, 6 annis in servitute, 40[346] in Romanis partibus, 70 (60)[347] annis in Hibernia predicavit (140).

Romanorum 57. Anastasius secundum omnes regnavit annis 27, hoc est Kal. Maii, anno 506 post passionem. Sub quo hi consules fuerunt.

514. 1. [CCCCXCII] (*H. R.*) *Anastasius Augustus et Rufus.* Hic duas naturas, id est humanitatis et dietatis[348], secundum Eutichium negavit [in Christo].

[*Cod. in marg.*, Ciclus decenn. 27 incipit ind. 2.]

515. 2. [CCCCXCIII] *Albinus V. C. consul. Gelasius papa 48 post Petrum, qui sedit annis 4, mensibus 10.*

516. 3. [CCCCXCIV] (Cass.) *Asterius et Presidius.* Teodricus rex Ravennam ingressus, Odavacrem [molientem] sibi insidias occidit.

517. 4. [CCCCXCV] (cf. *l. pont.*) *Victor V. C. conss.* Gelassius papa Menesium episcopum, a Felice papa damnatum, æclesiæ suæ restituit.

518. 5. [CCCCXCVI] (cf. *l. pont.*) *Paulus V. C. conss.* Gelasius papa libros contra Eutichen et Nestorium componit, et obiit 13. Kalend. Decembris.

519. 6. [CCCCXCVII] (Jord.) *Anastasius augustus 2. conss.* Anastasius imperator nullius meruit inimicorum suorum vindictam audire, sicut nec ipse æclesiæ jura servavit.

Anastasius papa 49 post Petrum, qui sedit anno 1, mensibus 6.

520. 7. [CCCCXCVIII] (Beda.) *Paulinus et Johannes.* Trasmundus Wandalorum rex chatolicas æclesias, et 225 episcopos exilio in Sardiniam missit. (*lib. pont.*) Anastasius papa obiit 5. Kal. Junii. [Anastasius papa voluit occulte revocare Achatium Constantinopolitanum episcopum damnatum, et non potuit; qui etiam divino nutu percussus est.]

521. 8. [CCCCXCIX] (*lib. pont.*) *Johannes V. C. Simmachus papa 50. post Petrum annis 15.* [Propter electionem Simmachi papæ et Laurentii Festus exconsul nobilissimus et exconsul Probinus ex parte Laurentii adversus Faustum exconsulem ceterosque ex parte Simmachi in medio Urbis cedes et homicidia fecerunt, clericosque multos occiderunt. Unde etiam sanctus Paschasius diaconus post mortem suam in pena positus erat, quia contra populum in electione Laurentii usque in finem vitæ suæ permansit; sicut in Dialogo legitur. (Greg. *Dial.* IV, 40.) Et hoc fuit peccatum minimum, id est culpa ignorantiæ, quia ipse putavit rectius coram Deo quod fecit, quam aliter.] [Simplicius papa fuit a consulatu Paulini usque ad consulatum Senatoris secundum [349].]

522. 9. [D] (Cass.) *Patricius et Hipatius V. C.* Rex Theodricus Romam venit; et senatum affabiliter tractat.

523. 10. [DI] (Cass.) *Avienus et Pompeius.* Theodricus Rex Romanæ plebi donavit annonas.

524. 11. [DII] (Cass.) *Avienus junior et Probus.* Rex Theodricus aquam Ravennam perduxit, [cujus formam sumptu proprio instauravit, quæ longis antea fuerat ad solum reducta temporibus.]

525. 12. [DIII] (Cass.) *Cætheus V. C. conss.* Virtute domini [regis] Theodrici, victis Vulgaribus, Sirmium recepit Italia.

526. 13. [DIV] (Beda.) *Theodorus et Sabinianus.*

VARIÆ LECTIONES.

[344] *lege* : Erulis. [345] CXXXII *corr.* CXXII 1? CXXII 2. [346] *numerus deletus esse videtur* 1. *deest* 2. [347] LXX. *corr.* LX 1? LX 2. [348] *ita* 1. [349] *ita alio loco in marg. sec. manu; supple* : gesta pontificum.

NOTÆ.

(140) De numeris cf. O'Connor, II, p. 124, n. 96; quem ex hoc loco suppleas velim.

Digitized by Google

Simmachus papa mu.ta æclesiarum [opera] a fundamentis creavit, vel prisca renovavit.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

527. 14. [DV] *Messala et Ariobinna.* Ad [350] beatum Petrum et beatum Paulum et beatum Laurentium pauperibus habitacula [construxit.]

528. 15. [DVI] *Anastasius augustus* 3. *et Venantius.* Et omni anno per Africam vel Sardiniam episcopis qui in exilio erant peccuniæ et vestes ministrabat.

529. 16. [DVII] (CASS.) *Venantius junior et Celer.* Thedricus contra Francos mittit exercitum.

530. 17. [DVIII] *Importunus V. C.* Qui [351] Gallias Francorum depredatione confusas, victis hostibus ac fugatis, suo adquessivit imperio.

531. 18. [DIX] (ISID.) *Boetius V. C. conss.* Apud Cartaginem Olympius [quidam] Arrianus in balneis sanctam Trinitatem blasfemat.

532. 19. [DX] *Felix et Secundinus.* Sed [352] statim, ignis jacula imminen e, visibiliter est combustus.

533. 20. [DXI] (ISID.) *Paulus et Muschianus.* Barnabas quoque quidam Arrianus episcopus dum contra regulam fidei quendam babtizans dixisset : « Babtizo te, Barrabas, in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto, » statim aqua, quæ fuerat ad babtizandum deportata, nusquam comparuit. Quod aspiciens qui babtizandus erat, confestim ad æclesiam chatolicam abiit, et babtismum Christi suscepit.

Iste [353] *annus nativitatis Domini secundum cursum solis et lunæ* 2. *continetur*

534. 21. [DXII] *Probus et Clementinus.*

[*Cod. in marg.* Ciclus 28. decenn. incipit ind. sexta.]

535. 22. [DXIII] (ISID.) *Senator V. C. conss.* Fulgentius episcopus in confessione fidei et scientia floruit.

536. 23. [DXIV] (CASS.) *Cassiodorus consul* sic : « Me etiam consule, in vestrorum laude temporum, adunato [clero vel] populo Romano, [æclesiæ] rediit optata concordia. »

537. 24. [DXV] (CASS.) *Florentinus et Anthemius.* Theodricus rex filiam suam Amalasuintam Eutarico viro glorioso copulavit, [Deo auspice]. [Simmachus papa obiit 14. Kal. Agusti.]

Hormisda papa 51. *post Petrum qui sedit annis* 8. [Hormisdas [354] prefuit a consulatu Senatoris usque ad consulatum Simmachi et Boethii.]

538. 25. [DXVI] (CASS.) *Petrus V. C. conss.* Eutharicus Cillica a senatu et plebe exceptus est ad consulatum.

539. 26. [DXVII] (cf. *l. pont.*) *Eutharicus Cillica et Justinus.* Hormista papa compossuit clerum psalmisque erudivit.

540. 27. [DXVIII] (*H. R.*) *Anastasius* 4. *V. C.* Hormista papa missit Ennodium Ticiniensem episcopum aliosque ad Anastasium imperatorem docendum. (JORD.) Anastasius vero spernens et hercsi favens Euthicetis, cum chatolicos insecutus est diversis partibus et partibus [355], inimicorum vallatus agminibus, sepe congemens, divino fulmine periit. Jordanis episcopus historiam tunc ita scripsit : Anastasius imperator merens et furens, major octogenario ætatis anno regnique 28, rebus humanis excessit. *

* *manus quæ continuationem an.* 1126-1128. *scripsit, addidit :* Sanctus Remigius Francos ad fidem Christi convertens, cum rege ipsorum Clodeveo baptizavit uno die tria milia. Clodoveus rex Francorum misit Romam sancto Petro auream coronam sub Hormista papa et Anastasio imperatore.

Romanorum 58. *Justinus senior* secundum historiam Romanam et Jordanem episcopum, qui tunc cronicam compossuit et vixit, imperavit annis 9, juxta autem Bedam tantum annis 8, hoc est usque Kal. Jan. in anno [514. post passionem].

541. 1. [DXIX] (*H. R.*) *Rusticus et Vitalis V. C.* Justinus nomen hereticorum cepit extingere, eorumque ubique æclesias catholice consecrari.

542. 2. [DXX] (JORD.) *Valerius et Justinianus.* Justinus Amantium prepossitum palatii et Andream cubicularium occidit, Misaelem et Ardaburem cubicularios Sardicam in exilium missit.

543. 3. [DXXI] (*lib. pont.*) *Simmachus et Boetius.* Hormista papa obiit 8. Idus Augusti, [his consulibus, secundum gesta pontificum, id est Maximo [356]. [Sancta [357] Brigita Scotta virgo in Hibernia obiit.]

544. 4. [DXXII] *Maximus V. C. consul. Johannes* 52. *papa annis* 2, *mensibus* 10, [his consulibus, secundum gesta pontificum].

545. 5. [DXXIII] (*H. R.*) *Opilo et Justinus agustus.* Theodricus autem, Arrianus imperator Italiæ, Johannem papam et cum eo Theodorum et Agapitum consulares viros, et Agapetum patricium ad Justinum imperatorem Constantinopolim, interminans, nisi dimitterentur heretici in pace sinere, ipse etiam omnes Italiæ gladio occidisset. (BEDA.) Johannes vero papa Constanstinopolim veniens, ad portam quæ vocatur Aurea, populorum turbis ei accurrentibus, in conspectu omnium roganti ceco lumen reddidit. (H. R.) Justinus autem imperator fletibus ligationum, pro certo imminente cede chatolicorum populorum motus, hereticos dimittere cessit. [Columcilli nascitur in Hibernia.]

546. 6. [DXXIV] (BEDA.) *Probus junior et Filoxenus conss.* Johannes vero papa cum rediens Ravennam venisset, Theodricus eum cum comitibus carceris afflictione peremit, invidia ductus, quia chatolicæ pietatis defensor Justinus eum honorifico

VARIÆ LECTIONES.

[350] *cum a.* 526. *conjungenda sunt.* [351] *cum a.* 529. *conjungenda.* [352] *cum a.* 531. *conjungenda.* [353] *prima manu in margine.* [354] *hæc in marg. manu secunda, quæ etiam signo indicavit, verba* Hormista — VIII. *ad a.* 535. *esse referenda.* [355] *ita* 1. [356] *ita secunda manus hæc ad a.* 544. *retulit.* [357] *hæc primum a.* 544. *scripta, post hæc sunt relata.*

Digitized by Google

suscepisset. (cf. *lib. pont.*) Quo anno, id est consulatu Probi junioris, etiam Simmachum patricium Ravennæ occidit. Johannes papa obiit 13. Kal. Junii; cujus corpus translatum est et sepultum in basilica sancti Petri apostoli. Hujus Johannis sanctus Gregorius papa in libro (III, 2; IV, 30) dialogorum meminit.

547. 7. [DXXV] (BEDA.) *Olibrius V. C. consul.* (H. R.) Theodricus autem anno sequente subita morte Ravennæ periit. Gothi autem Athalaricum, ex Theodrici regis [358] natum, cum matre ejus sibi preficiunt. (BEDA.) Heldericus Wandalorum [rex] episcopos ab exilio reverti et æclesias instaurare precepit, post annos 74 hereticæ profanationis. (ISID.) Post Transamundum Hildericus, ex Valentiniani imperatoris captiva filia genitus, Wandalorum regnum suscepit. Qui sacramento a Transamundo adstrictus, ne catholicis in regno suo consuleret, antequam regnum susciperet, episcopos ab exilio reverti jussit, eisque æclesias reformari precepit.

Felix 53. *papa annis* 4, *mensibus* 2.

Acephalorum heresis abdicatur [dicentes, Paulum apostolum in epistolis suis precepisse feminas debere fieri diaconas, quia eas commemorat post diaconos]. (*lib. pont.*) [Olibrio cons. Johannes papa sepultus est 6. Kal. Jun.]

548. 8. [DXXVI] *Maburtius conss.* [Mab. cons. Felix successit.] Hoc anno Dionisius computum suum incepit, ita dicens inter cætera (Epist. 2, ap. Pet., p. 877) : « Presentis anni monstremus exemplum; indictio quippe quarta est et lunaris ciclus 11, decennovennalis 14. Et quia endieadis 6. est annus, eum embolismum esse necesse est. A 15. itaque luna preteriti festi usque ad 14. presentis quot dies sunt, diligentius inquiramus, et inveniemus procul dubio quando pascha celebrare debemus. Transacto anno, per indictionem 3. paschæ 14. lunam 9. die Kalend. Aprilis, id est 24. mensis Martii fuisse, quis dubitat? » et reliqua. Et paulo ante dicit (Epist. 1, ib., p. 874) : « Hoc monemus quod ciclus iste 95 annorum, quem fecimus, non per omnia in se ipsum revertitur, et ideo post expletionem 95 annorum non ad 5. ciclum sancti [Cirilli], qui incepit ciclos suos ab anno 153. Diocletiani, quorum 5. ciclum nobis necessario prepossuimus, sed ad nostrum primum ciclum, quem nos ab anno 248. ejusdem Diocletiani, incepimus, lector incurrat » et reliqua. (BEDA.) Benedictus abbas virtutum gloria claruit, quas sanctus Gregorius in dialogo conscripsit. (ISID.) Justinus Constantinopolim Justinianum, sororis suæ filium, ante quartum mensem obitus sui imperatorem faciens, obiit.

Romanorum 59. *Justinianus, omne teste historico, regnavit annis* 38, hoc est usque Kalendas Jan., in anno 552. post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

549. 1. [DXXVII] (ISID.) *Justinianus augustus* 2. *consul.* Bilizarius patricius de Persis mirabiliter triumpavit.

550. 2. [DXXVIII] (ISID.) *Decius V. C. consul.* Bilizarius a Justiniano in Affricam missus, Wandalorum gentem delevit.

551. 3. [DXXIX] (cf. *lib. pont.*) *Lampadius et Orestes viri clarissimi consules.* [His consulibus Felix papa obiit 4. Id. Oct.]

Bonifatius papa 54. *post Petrum annis* 2. [Bonifacius papa obiit die 18. Oct. consulatu Lampadii secundum [359].]

552. 4. [DXXX] (BEDA.) *Pro cons. Lampadii et Orestis iterum.* Corpus sancti Antonii monachi a Deo revelatum Alexandriam deffertur, et in æclesia beati Johannis babtistæ humatur.

553. 5. [DXXXI] *Iterum pro cons. Lampadii et Orestis viri clarissimi consules.*

(Cf. *lib. pont.*) *Mercurius papa* 55. *annis* 2. [His consulibus Bonifatius obiit 17. die mensis Octobris. Mercurius, qui et Johannes, papa obiit 6. Kal. Jun. p. c. iterum Lampadii.]

Hucusque ciclus magnus paschalis 532 annorum protenditur, in cujus anno 13. dominus noster Jesus Christus passus 8. die Kal. Aprilis, luna 15, atque 6. Kal. April., luna 17, a mortuis resurrexit anno 18. imperii Tiberii cesaris juxta historiam evangelii.

Cyclus magnus paschalis solaris et decennovennalis simul incipiunt.

554. 6. [DXXXII] (P. D. II, 25.) *Justinianus augustus* 3. Justinianus leges Romanorum multis libris nimis prolixe et inutili dissonantia intra duodecim libros coartavit in unum librum, quem Codicem Justinianum nominari precepit. Sanctus Beda sic (BEDA) : « Dionisius paschales scribit circulos, incipiens ab anno dominicæ incarnationis 532, qui est annus 248. Diocletiani, post consulatum Lampadi et Orestis; quo anno codex Justinianus orbi promulgatus est. » Hec Beda. Cum ergo supputando a Diocletiano usque ad ciclum Dionissi dicit Beda primum annum cicli Dionissi ipsum fuisse annum 248. Diocletiani post consulatum Lampadii et Orestis, satis quod verum est ostendit, annum primum cicli Dionissi 6[um] esse Justiniani. Ex ipso itaque primo anno cicli Dionissi, id est 6[o] anno Justiniani, numerando supra versus usque ad Diocletianum juxta cronicam Eusebii vel Bedæ supputemus, atque inde [360] iterum usque ad ciclum Dionissi secundum scripturam divinam apostolicosque viros, qui tunc temporibus ipsis etiam de ipsis annis bene disputaverunt, non tantum ut ostendimus mendacium cronicarum, sed ut defendamus sacratissimam veritatem evangelicam virosque catolicos æclesiæ, qui post evangelium perhibent dominum nostrum Jesum Christum 6. Kal. April. luna 17. a mortuis resurrexisse, id est Hieronimum et Augustinum. Victorius etiam ad Hilarium papam sic (ap. Petavium) : « Primo vero

VARIÆ LECTIONES.

[358] *supple* : filia. [359] *supple* gesta pontificum. [360] idem 1°

Digitized by Google

azemorum die dominus noster Jesus Christus cenans cum suis discipulis, postquam sui corporis et sanguinis sacramenta patefecit, ad montem oleveti, sicut evangelia sancta testantur, progressus, ibique detentus est a Judeis tradente discipulo. Dehinc sexta feria subsequente, id est 8. die Kal. April., crucifixus est, et sepultus tertio die, hoc est 6. die Kal. Aprilis, dominico die resurrexit a mortuis » et reliqua. Cassiodorus quoque senator expossitorque sacri psalteri in sua cronica sic : « His consulibus dominus noster Jesus Christus passus est 8. die Kal. April., et deffectio solis facta est, qualis antea vel postmodum nunquam fuit, » et reliqua. — Ab ipso ergo primo anno cicli Dionisii regnavit Justinianus annis 5 usque in annum 527. incarnationis secundum Dionissium. 13. Inde Justinus senior regnavit annis 8 usque in annum 519. incarnationis secundum Dionissium. 40. Inde Anastasius regnavit annis 27 usque in annum 492. incarnationis secundum Dionissium. 57. Inde Zeno regnavit annis 17 usque in annum 475. incarnationis secundum Dionissium. 74. Inde Leo regnavit annis 17 usque in annum 458. incarnationis secundum Dionissium. 81. Inde Marcianus regnavit annis 7 usque in annum 451. incarnationis secundum Dionissium. 108. Inde Theodossius regnavit annis 27 usque in annum 424. incarnationis secundum Dionissium. 123. Inde Honorius regnavit annis 15 usque in annum 409. incarnationis secundum Dionissium. 136. Inde Archadius regnavit annis 13 usque in annum 396. incarnationis secundum Dionissium. 147. Inde Theodossius regnavit annis 11 usque in annum 385. incarnationis secundum Dionissium. 153. Gratianus annis 6 usque in annum 379. incarnationis secundum Dionissium. 157. Inde Valens regnavit annis 4 usque in annum 375. incarnationis secundum Dionissium. 168. Inde Valentinianus regnavit annis 11 usque in annum 364. incarnationis secundum Dionissium. 169. Inde Jovianus regnavit mensibus 8 usque in annum 363. incarnationis secundum Dionissium. 171. Inde Julianus regnavit annis 11 mensibusque 8 usque in annum 361. incarnationis secundum Dionissium. 195. Inde Constantinus regnavit annis 24 usque in annum 337. incarnationis secundum Dionissium. 226. Inde Constantinus Magnus regnavit annis 31 usque in annum 306. incarnationis secundum Dionissium. Ab anno vero persequtionis quarto Constantinus regnare incepit juxta cronicam Eusebii vel Bedæ. 227. Tunc annum tertium persequtionis, quæ in anno 19° Diocletiani incepta est, [deputant nulli]. Quem annum Isidorus episcopus cum multis aliis etiam cum anno altero Galerio Maximiano [conscripsit. 247.]. Inde Diocletianus regnavit annis 20 usque in annum 285. incarnationis secundum Dionissium. Usque autem in annum 289. incarnationis juxta cronicam Eusebii vel Bedæ, hoc est 4 annis plus. Ita et sic cronica Eusebii vel Bedæ de annis incarnationis contradicunt sancto evangelio. Inter Diocletianum autem atque ciclum Dionissi per ciclos 13 decennovennales desunt 7 anni. Quos sic juxta divinam scripturam possumus bene investigari. Diocletianus enim in anno 278. incarnationis secundum Dionissium incipiens, regnavit 20 annos. In cujus anno 19, id est in anno 287. incarnationis juxta Dionissium, in quo 5. Kal. April. pascha contegit, convenit hoc, quod in cronica sua ita dicit Eusebius : « Anno 19. Diocletiani mense Martio in diebus paschæ ecclesiæ [subversæ sunt]. » (Hier.) Quarto autem persecutionis anno Constantinus regnare orsus est. Secundo persecutionis anno Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram depossuerunt. Apparet ergo quod unus annus erat int r Diocletianum et Constantinum; duo autem anni secundum multos, quos Galerius gener Diocletiani regnavit. Galerius ergo regit tertium persequtionis annum, incipiens in anno 19° Diocletiani et terminans in anno primo Constantini, id est in anno 299. incarnationis secundum Dionissium. Constantinus itaque in anno 4. persequtionis incipiens, regnavit 30 annis, mensibus 10, usque in annum 330. incarnationis secundum Dionissium, in quo indictione tertia obiit 25. die mensis Maii. Inde Constantinus teste Orosio regnavit annis 27 usque in annum 357. incarnationis secundum Dionissium. In decretali epistola sancti Julii papæ apostolicæ sedis tunc ita veritas intimatur : « In nomine domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, imperantibus quoque Constantino et Constanto augustis anno 4°, sub die 8° Kalendarum Octobris, indictione 6., » et reliqua, sicut supra (*v.* col. 702). Constantinus vero obiit tertio die mensis Novimbris, [sicut] in tripertita historia [ecclesiastica] legitur. Si autem Constantius regnavit 27 annos secundum Orosium, aut si Valentinianus et Valens annos 17 et Gratianus 7 vel Archadius annos 13 regnaverunt, sicut in cronica Issidori episcopi vel in expossitione Melliti habetur, non certum secundum scripturam divinam invenitur. Quod [861] [autem] annus 4^us^ Constantini et Constantis, qui est annus 333. incarnationis secundum Dionissium, erat indictione sexta, atque annus 9^us^ Honorii consulatus sui 11. et Constanti 2, quem finivit in anno 417. incarnationis secundum Dionissium, indictione 15. erat, secundum scripturam dubitandum non est. Intra quos duos annos per 4 decennovennales ciclos 4 anni desunt. Julianus ergo in anno 80. Diocletiani incipiens, regnavit annis duobus, mensibus 8, obiit 6. Kal. Julii in anno 360. incarnationis secundum Dionissium 83. Jovianus in anno 83. Diocletiani incipiens, regnavit mensibus 8, obiit 14. Kal. Mart. in 361. incarnationis secundum Dionissium. [84 [862]]. Valentinianus in anno 84. Diocletiani incipiens, regnavit annis 11, mensibus 5, obiit 17. die mensis Septimbris, in anno 372. incarnationis

VARIÆ LECTIONES.

[861] Quia 2. [862] *ita in margine* 1.

Digitized by Google

secundum Dionissium [365]. Valens in anno 93. Dioc-
letiani incipiens, regnavit annis 4, usque in annum
376. incarnationis secundum Dionissium. 95. [99b].
Gratianus in anno 99. Diocletiani incipiens, regnavit
annis 6, usque in annum 382. incarnationis secun-
dum Dionissium. Theodossius in anno 105. Dioc-
letiani incipiens, regnavit annis 11, obiit die 17.
mensis Januar. in anno 393. incarnationis secundum
Dionissium. Archadius in anno 116. Diocletiani in-
cipiens, regnavit annis 14, obiit Kal. Maii anno 408.
incarnationis secundum Dionissium. Honorius in anno
131. Diocletiani incipiens, regnavit annis 15, usque
in annum 423. incarnationis secundum Dionissium.
Hujus anno 9, quem finivit 417 incarnationis (*v. a.*
439) secundum Dionissium, cum 10. Kal. Maii de-
beret, pascha celebratum est 8. Kal. April. Sed
hora babtizanti [366] aqua non venit in baptisterio;
ideoque babtisma non actum erat ipsa nocte. Illa
autem nocte, quæ lucebat in die dominico 10. Kal.
Maii, fons sacer ex sese repletus est hora babti-
zandi. Hoc autem actum est in fine anni noni Hono-
rii. Theodosius in anno 146. Diocletiani incipiens, re-
gnavit annis 17, usque in annum 450. incarnationis
secundum Dionissium. Ita in libris legitur, testifi-
cante sancto Prospero, qui in ipso etiam tempore
partem ad cronicam Eusebii addit: « Hoc anno, id
est 21. anno Theodosi, pascha celebratum est 9.
Kal. Maii, ut supradictum est (*col.* 725, *a.* 466).
De hoc quoque, id est ipso anno, Paschasinus epi-
scopus scribit ad papam Leonem, ut supra. » Ipse
autem est annus 8. decennovennalis cicli, qui est
444. annus incarnationis juxta Dionissium, in quo
finitus est annus 21. Theodosii. Marcianus in anno
174. Diocletiani incipiens, regnavit annis 7, mensi-
bus 2, secundum historiam Romanam, hoc est usque
Kal. Julii in anno 457. incarnationis secundum Dio-
nissium (*v. a.* 477). Prosper ita iterum: « Anno 5.
Marciani capta erat Roma 4° die Idus Julii. Eodem-
que anno pascha celebratum est 8° die Kal. Maii,
ordinante episcopo Alexandrino Theophilo, » et re-
liqua. « Quod pascha sanctus papa Leo 15. Kal.
Maii celebrandum potius protestaretur, » et reliqua.
Sanctus autem Theophilus pascha 8. Kal. Maii in anno
465. incarnationis secundum Dionissium recte con-
stituit, cum nec in annis 30 antea neque in annis 10
postea celebratum est pascha 15. Kal. Maii. Novis-
simus itaque cicli decennovennalis est annus nonus
Honorii... [365] et quintus Marciani. Leo in anno
180. Diocletiani incipiens, regnavit annis 17, usque
Kal. Julii in anno 474. incarnationis secundum
Dionissium. Leo junior regnavit mensibus 6, hoc
est usque Kal. Jan., in eodem anno obitus Leonis
senioris. 180. Zeno in anno 198. Diocletiani inci-
piens, regnavit annis 17, usque ad annum [492.]
incarnationis secundum Dionissium 198. Anastasius
in anno 215. Diocletiani incipiens, regnavit annis
27, usque ad annum 518. incarnationis secundum
Dionissium. Justinus senior in anno 242. Diocletiani,
regnavit annis 8, usque ad annum 526. incarnatio-
nis secundum Dionissium. Justinianus in anno 250.
Diocletiani incipiens, regnavit annis 5, usque ad
primum annum ciclorum Dionisii, qui est annus 255.
Diocletiani juxta predictam rationem sanctorum
virorum, non annus 248. secundum [cronicas, iniquas] 250. Certum est enim, annum quartum Con-
stantini et Constantis, qui est annus 333us incar-
nationis secundum Dionissium, indictione 6. conste-
tisse [teste sancto Julio papa [368] etiam tunc ipsam
rem scribente]. Annum [367] etiam nonum Honorii,
qui est annus 417us incarnationis secundum Dionis-
sium, indictione 15a, consulatu Honorii undecies et
Constantii bis, teste Paschassino episcopo cum
sancto Leone papa. Annum iterum vigesimum pri-
mum Theodosi, qui est annus 444us incarnationis
secundum Dionissium, indictione 12a, teste eodem
episcopo Paschassino cum sancto papa Leone. An-
num quoque quintum Marciani indictione 8a, qui
est annus 455us incarnationis secundum Dionis-
sium, teste etiam sancto Leone papa, ut supra.
Annus itaque quartus Constantinorum sexta erat
indictione, scribente sanctissimo Julio papa. In anno
nono Honorii pascha erat 10. Kal. Maii, teste epi-
scopo Paschassino cum sancto Leone papa. In anno
21. Theodosii pascha erat 9. Kal. Maii, teste Pa-
schassino episcopo cum sancto Leone papa. In anno
quinto Marciani pascha erat 8. Kal. Mart. A nullo
vero papa vel episcopo mittitur epistola vel decre-
talis epistola scribitur, nisi ipse sciat [369] quid in ea
scribit vel mittit.

555. 7. [DXXXIII] *Agapitus papa* 56. *post Petrum.*

(*H. R.*) Interea Athalaricus rex Gothorum 8 annis
imperans, obiit. Cujus mater Amalsuinda Theodatum
sociavit sibi in regnum, quam Theodatus post dies
aliquos strangulari in balneo precipit. Quia vero ipsa
vivens se suumque filium Justiniano imperatori com-
mendavit, ideo Justinianus imperator ad Theodatum
iratus erat. Theodatus autem, ut imperator hoc
ei dimitteret, misit ad eum Constantinopolim papam
Agapitum. Agapitus vero imperatorem in heresi
Eutichetis corruentem convertit ad fidem. Anthi-
mum quoque Constantinopolitanum episcopum, pre-
fatæ heresis defensorem, duas naturas in Christo
negantem, in exilium coegit, et Mennam in loco ejus
episcopum consecravit (cf. *l. pont.*).

556. 8. [DXXXIV] Agapetus vero papa ibi Constan-
tinopoli obiit 10. Kal. Maii, [Rome [369] sepultus 12.
Kal. Octobris].

Silverius papa 57. *post Petrum anno* 1, *mensibus* 2.

VARIÆ LECTIONES.

[365] *hoc loco* LXXXIIII. *scriptum erat sed deletum est* 1. [366] baptizandi 2. *et ita legendum est.* [365] si similiter? *deest* 2. [366] papo papa 1. [367] *codex jam secunda manu pergit.* [368] sciat 1. [369] *Quæ uncis inclusimus jam eadem (secunda) manu sed post a in margine scripta sunt.*

Digitized by Google

(*H. R.*) Interea ad Africam, quam multis annis Wandali possidebant, a Justiniano cum exercitu Bilisarius patricius missus est, et Wandalorum gentem delevit. (Beda.) Cartago quoque anno excessionis suæ 96. recepta est, pulsis devictisque Wandalis, et rege eorum Gelismero [370], prelio victo et capto, Constantinopolim miso. Cartago vero recessit anno 439. incarnationis juxta Dionisium, Theodosi junioris 16. (*H. R.*) Agapito vero mortuo, misit Justinianus imperator Bilisarium patricium contra Theodatum. Qui cum moram apud Siciliam fecisset, Theodatus obiit. Cui Wittigis successit. Bilisarius vero videns sibi incongruum tempus bellandi, intra urbem Romam se munivit. Wittigis autem cum Gothis Romam per annum obsident, et Romanorum omnia igne et ferro, etiam reliquias de tumulis sanctorum ita diripiunt, ut matres membra natorum pre fame eo anno comederent.

557. 9. [DXXXV] (*H. R.*) Tunc statim precepto Teodoræ augustæ, consentiente Justiniano imperatore, papam Silverium, quia Anthimum hereticum Constantinopolitanum episcopum, ab Agapito papa expulsum, noluit recuperare, Bilisarius licet nolens expulit ad Pontiam insulam, in qua obiit 12. Kal. Julii (cf. *l. pont.*).

558. 10. [DXXXVI] *Vigilius papa* 58. *post sanctum Petrum sedit annis* 18, *mensibus* 6.

559. 11. [DXXXVII] (*H. R.*) Bilisarius vero Witigisum bello captum Constantinopoli secum perduxit ad imperatorem Justinianum.

561. 13. [DXXXIX] (*H. R.*) Bilisarius iterum ad Africam exercitu venit.

562. 14. [DXL] (*H. R.*) Bilisarius Gunarum regem Wandalorum occidit.

563. 15. [DXLI] (*H. R.*) Bilisarius Wandalos rei publicæ substravit.

564. 16. [DXLII] (*H. R.*) Bilisarius Romam veniens, crucem auream librarum centum et [371] gemmis pretiosissimis ornatam, suis victoriis inscriptam, beato Petro per manus papæ Vigilii obtulit [543].

566. 18. [DXLIV] Anno [372] 13. magni cicli paschalis, id est 18. Justiniani, annus dominicæ passionis 2. continetur, non antea, id est anno passionis primo et modo secundo. A passione igitur Christi usque in predictum annum [habetur ciclus) magnus paschalis numero 532 annorum.

568. 20. [DXLVI]. [His [373] temporibus in Affrica rex Arrianus Wandalorum episcopis qui neque verbis neque muneribus sibi in Arriana pravitate consensissent, silentium imposuit. Qui tamen in defensione æclesiæ non tacentes, ne consensisse illo viderentur, lingas eorum radicitus rex abscidit. Sed episcopi loquentes formabant verba postea tam bene quam antea cum linguis, dicentes : « Ecce sine linguis loquimur modo tam bene sicut et prius. » Unus autem eorum, cum in luxuria lapsus fuit, mutus deinde effectus.

570. 22. [DXLVIII] (*H. R.*) Capto [374] Wittigiso rege, Gothi trans Padam Hilldebaldum sibi regem constituunt; eodemque anno occiditur. Cui Ærarius successit, et ante annum occisus est.

573. 25. [DLI].

[*Cod in marg.*, Ciclus decennov. 2. incipit indict. 14.]

574. 26. [DLII] (*H. R.*) Baduila, qui et Totila, Ærario successit.

575. 27. [DLIII] (*H. R.*) Vigilius vero papa, ob eandem causam qua et decessor ejus Silverius, indignatione augustæ per Antimum Scribonem Constantinopolim perductus, indeque in exilium actus; (*lib. pont.*) [deinde revocatus ad Romam, venit Siciliam, in civitate Siracusa obiit, et sepultus est Rome via Salaria juxta Marcellum].

576. 28. [DLIV] *Pelagius papa* 59. *annis* 11, *mensibus* 11.

577. 29. [DLV] (*H. R.*) Totila [375] cum Gothis totam Italiam invadit; exinde per Campaniam virique Dei Benedicti abbatis cenobium iter faciens, Romam obsidionibus circumcludit [376]. Et tunc famis pene similis precedenti contigit.

579. 31. [DLVII] (*H. R.*) Fessis autem et non valentibus Romanis mœnia tueri, Totila porta Hostiensi urbem intrat [indictione 13ª, secundum gesta pontificum]. Qui nocte capiens urbem, ut parceret Romanis, tubas sonari precepit, ut Romani vel paululum inimicorum rabiem devitarent; et aliquantulum temporis cum eis quasi pater cum filiis habitavit. Hanc illi, ut datur conjici, animi benignitatem, qui nimiæ antea crudelitatis fuit, beati patris Benedicti, quem [cum modo Romam venire vellet] audierat, monita contulit, quando Totilam increpavit, et de sua morte sibi predixit post novem annos (cf. Greg. *Dial.* II, 15.)].

580. 32. [DLVIII] (cf. *l. pont.*) Pelagius papa æclesiam beati Philippi et Jacobi incepit construere.

581. 33. [DLIX] [P. D. II, 25.) Rome Cassiodorus prius consul, inde senator, postea monachus clarus habetur.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

582. 34. [DLX] (Ibid.,) Arator subdiaconus acta apostolorum versibus exametris Rome exaravit.

583. 35. [DLXI] (Bed). Victor Capuanus episcopus librum de pascha scribens, Victorii arguit errores.

584. 36. [DLXII] Vir sanctissimus Herculanus nutritor meus Perusinæ civitatis episcopus fuit; qui ex precepto Totilæ regis Gothorum super murum sue civitatis truncatus est, et reliqua. Hec dixit sanctus Gregorius (*Dial.* IV, 13).] His item temporibus bea-

VARIÆ LECTIONES.

[370] *vel* Gelesmero? [371] *a.* 569. *hæc scripta sunt.* [372] *hoc anno et a.* 567-569. *hæc scripta sunt.* [373] *hæc in margine superiore f.* 150'. *scripta ad hunc annum signo jam abscisso relata fuisse videntur.* [374] *hæc a.* 570-572. *scripta sunt.* [375] *a.* 577. *et* 678. *scripta.* [376] circumludit. 1.

Digitized by Google

tus pater Benedictus et prius in loco qui Sublacu A dicitur, qui ab urbe Roma 40 miliaribus abest, et postea in castro Casiani, quod Aurum appellatur, magnæ vitæ meritis et apostolicis [377] virtutibus effulsit (P. D. II, 26). [Sic sanctus Gregorius in dialogo, libro secundo capitulo 14. et 15. perhibet.]

585. 37. [DLXIII] [Columcille egit cath Culi dremne (141).]

586. 38. [DLXIV] (P. D. II, 23). Prescianus grammaticus apud Constantinopolim clarus (*lib. Pont.*). [Pelagius papa obit. 6 Non. Martii.] [*Quod autem his temporibus vixit sanctus Gregorius, in libro* III *dialogorum cap.* 11. *ipse ita perhibet* : « *Vir quoque vitæ venerabilis Cherbonius Populonii episcopus magnam in diebus nostris sanctitatis suæ probationem dedit. Nam cum hospitalitatis studio valde esset intentus, quia milites in hospitio suo abscondit, ne occiderentur a Gothis, Totila perfidus rex Gothorum eum in loco nomine Merulis, ubi cum exercitu suo sedebat, immanissimo ursui, homines crudeliter manducanti, in medio coram omnibus deputavit. Ursus vero pedes episcopi ovili mansuetudine lambebat* » *et reliqua.*]

Romanorum 50. *Justinus minor regnavit annis* 11, *hoc est quasi usque Kal. Januarii in anno* 563. *post passionem Domini.*

587. 1. [DLXV] *Joannis papa* 60. *post Petrum annis* 13. [Columcilli de Hibernia predicaturus in Britannia cum esset 42 annorum (142); predicavit vero postea 33 annis.]

588. 2. [DLXVI] (*H. R.*) Narsis patricius ad Italiam veniens, Totilam occidit, totamque Italiam ad rem publicam reduxit.

589. 3. [DLXVII] (BEDA.) Qui deinde per invidiam Romanorum, pro quibus multa contra Gothos laboravit, accusatur apud Justinum et conjugem ejus Sophiam, quod servitio premeret Italiam, recessit Neapolim Campaniæ, et Langobardos introduxit in Italiam.

590. 4. [DLXVIII] (ISID.) Lewigillus rex Gothorum quasdam Hispaniæ regiones sibi rebelles in potestatem regni sui superando redigit.

591. 5. [DLXIX] (BEDA.) Johannes papa æclesiam Philippi et Jacobi, quam predecessor ejus Pelagius ceperat, perficiens dedicavit.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 3. decennov. incipit indictione 3.]

592. 6. [DLXX]

593. 7. [DLXXI] Germanus Parisiorum episcopus obiit.

594. 8. [DLXXII] (P. D. II, 13). Fortunatus poeta in Gallis clarus habetur.

595. 9. [DLXXIII] (ISID.) Armenii fidem Christi suscipiunt.

596. 10. [DLXXIV] Redemptus Ferentinæ civitatis episcopus clarus, ut in dialogo legitur (III, 38).

597. 11. [DLXXV] (P. D. III, 11). Justinus imperator amentia obiit.

Romanorum 61. *Tiberius Constantinus regnavit annis* 7, *usque in annum* 561. *post passionem Domini.*

598. 1. [DLXXVI] (BED.) Gregorius tunc apocrisarius in Constantinopolim, et post papa, in Job expositionem condit. [Johannes papa obiit 3. Id. Julii, eodem tempore quo Narsis obiit (*lib. pont.*).

599. 2. [DLXXVII] *Benedictus papa* 61. *annis* 4, *mensibus* 2.

600. 3. [DLXXVIII] (BEDA.) Gregorius Eutichium Constantinopolitanum episcopum Tiberio presente convicit, ita ut Tiberius librum Eutici de resurrectione destruens suis catholicis allegationibus, deliberaret flammis cremari debuisse. Scribebat autem id Eutichius, corpus nostrum in resurrectione impalpabile et ventis aerique subtilius esse futurum, contra illud dominicum : « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habent, sicut me videtis habere (*Luc.* XXIV, 39). » (*Greg. Dial.* III, 28). [Langobardi 15. anno ante dialogum 40 rusticos captivos occiderunt, quia immolaticia cum eis non manducaverunt, aliosque captivos decollaverunt, quoniam caput capræ cum eis non adoraverunt.]

601. 4. [DLXXIX] (BEDA). Gens Langobardorum, comitante fame et mortalitate, omnem rege Albuino invadit Italiam, ipsamque Romam vastatrix obsidet urbem.

602. 5. [DLXXX] (cf. *lib. pont.*). Denique cum, vastantibus omnia per circuitum Langobardis, fames habundaret, multa milia frumenti navibus Benedictus papa (143) ab Egipto dirigens, Romam sub studio misericordiæ relivavit.

603. 6. [DLXXXI] (ISID.) Gothi per Erminigildum, Levigildi regis filium, bifarie divisi, mutua cede vastantur. [Benedictus papa obiit 2. Kal. Agusti (*lib. pont.*).]

604. 7. [DLXXXII] *Pelagius* 62. *papa annis* 10, *mensibus* 2. [Sanctus Gregorius papa in dialogo sic (IV, 26) : « In monasterio meo ante decennium Gerontius monachus, gravi infirmitate depressus, somniavit abbatos et clarissimos viros in meum monasterium de superioribus descendisse. Cui unus eorum ait : « Ad hoc venimus ut de monasterio Gregorii quosdam fratres in militiam mittamus. » Ad quem alter ait : « Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum aliosque atque hunc Gerontium. » Qui ita obierunt. »]

VARIÆ LECTIONES.

[377] *reliqua a.* 585. *scripta sunt.*

NOTÆ.

(141) *Cath culi dremne* i. e. prælium Culedrevnense ; v. Tigernachi ann. ap. O'Connor, II, p. 142.

(142) V. Tigernachi ann. l. l. p. 143, et notam p. 144.

(143) In libro pontificali hæc de Justino imperatore narrantur.

Digitized by Google

Romanorum 62 *Mauricius regnavit annis* 21, *mensibus* 4, *hoc est usque Kal. Maii, in anno* 592 *post passionem Domini.*

605. 1. [DLXXXIII] (P. D. III, 20.) Pelagius papa sine jusione Mauricii ordinatus est, eo quod Langobardi Romam per circuitum obsiderent, ita ut nullus foris progredi posset.

606. 2. [DLXXXIV] (BEDA.) Sauci [878] a Levigillo rege obtentis [879] Gothis subjeciuntur.

607. 3. [DLXXXV] (BEDA.) Hirminigilldus [880], Levigilldi Gothorum regis filius, ob fidei catholicæ confessionem inexpugnabilem a patre Arriano regno privatus, in vinculis et in carcerem projectus est; ad extremum nocte sancta Dominicæ resurrectionis, securi in capite percussus, regnum celeste pro terreno rex et martyr possidere promeruit. Cujus frater Richardus, mox ut regnum post patrem accepit, omnem Gothorum cui præerat gentem, instante Leandro Hispalitano episcopo, qui et Hirminigildum docuerat, catholicam convertit ad fidem.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

610. 6. [DLXXXVIII] (P. D. III, 20.) Pelagius papa Heliæ Aquiliensi episcopo, nolenti tria capitula Calchidonensis synodi suscipere, epistolam satis utilem misit, quam sanctus Gregorius adhuc diaconus conscripsit.

[*Cod. in marg.*, Ciclus quartus decenn. ind. 7. incipit.]

611. 7. [DLXXXIX] (cf. P. D. IV, 49.) (*Vita S. Columb.*) Sanctus [881] pater Columbanus ex Hibernia insula Scotorum cum sancto Gallo aliisque probatis discipulis venit in Burgundiam, ibique, permittente Theodrico rege, monasterium quod Luxovium dicitur edificavit. Exinde a Brundichilda fugatus, Almaniam ingreditur, ubi sanctum Gallum reliquit. Ipse vero in Italiam transiens, monasterium quod Bovium dicitur edificavit; ubi multorum pater monachorum exstitit.

614. 10. [DXCII] (P. D. III, 23.) Hoc tempore 16 Kal. Novembris novum diluvium factum est, ut flumen Tiberis super muros urbis Romæ influeret; et alveum ejusdem flumenis, cum multa serpentium multitudine, draco miræ magnitudinis per urbem usque ad mare descendit. Quam inundationem pestilentia quæ dicitur inguinaria statim secuta est, ut pauci de multitudine viverent, in qua primitus Pelagius papa obiit [8 Idus Februarii].

615. 11. [DXCIII] (P. D. III, 24.) *Gregorius* 63 *papa sedit annis* 13, *mensibus* 6. Qui in hac tribulatione a cunctis electus; qui cum letaniam septiformem ordinavit, una hora, dum Deum deprecarentur, subito 80 obierunt. Septiformis autem letania ideo dicitur, quia in septem ordinibus populus erat positus, primo ordine clerus, secundo abbates cum monachis, tertio abbatissæ cum suis, quarto infantes, quinto omnes laici, sexto viduæ, septimo conjugatæ feminæ.

616. 12. [DXCIV] (ISID.) Avares contra Romanos dimicantes, auro magis quam armis peluntur. [Gregorius in dialogo sic (IV, 55); « Ante hoc triennium in meo monasterio monachus nomine Justus et medicus ante obitum suum germano nomine Copioso, sibi etiam servienti, tres aureos occulte habere innotuit, quos super eum in sterculinio sepelire fecimus, » et reliqua. « Eodem anno monachus cum a nobis fuisset sepultus, vocavit Johannem monachum, qui nobis abscedentibus apud sepulchrum permansit, et pallens et tremens nobis indicavit, et post dies 10 obiit. »]

617. 13. [DXCV] (BEDA.) Gregorius papa anno Mauricii imperii 13, indictione 13, synodum episcoporum 24 ad corpus beati Petri apostoli congregans de necessariis æclesiæ decernit [882]. (GREG. D. III, 30.) [Biennio ante dialogum æclesia Arrianorum juxta Romam in loco nomine Subura cum catholico consecraretur, introductis in eam sancti Sebastiani et sanctæ Agathæ reliquiis, diabolus in figura porci per populum extra pertransivit. Post paucos autem dies nubes celitus descendens totam miro odore replevit æclesiam.]

618. 14. [DXCVI] (P. D. IV, 18.) Cenobium sancti Benedicti abbatis a Langobardis noctu invaditur. Monachi Romam petierunt, codicem secum sanctæ regulæ et pondus panis ac mensuram vini deferentes.

619. 15. [DXCVII] (cf. *lib. pont.*) Gregorius adjecit in missa « Diesque nostros » usque « grege numerari per. » [Sanctus Gregorius, quinquennio postquam alveum suum Tiberis flumen egressus est, et super muros urbis Romæ influeret, Dialogum compossuit, ipso teste in libro tertio, capite 19 (*Dial.* III, 19).] [Gregorius sic in dialogo (III, 16) : « Nuper quoque in parte Campaniæ vir valde venerabilis Martinus in monte Narsico solitariam vitam duxit. Hic catena sibi [883] ferrea pedem ligavit, eamque saxo ex altera parte affixit, ne longius exiret. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, cujus memoriam superius feci, ei per discipulum suum mandare curavit : « Si servus Dei es, non te teneat « catena ferri, sed catena Christi. » Ad hanc vocem Martinus catenam solvit, et nunquam postmodum plus longitudine catenæ exibit. Redeptus Ferentinæ civitatis episcopus, qui ante hos fere 7 annos obiit, mihi adhuc in meo monasterio posito dixit quod tempore predecessoris mei Johannis papæ Yuticius martyr, dum dormiret, juxta sepulchrum ejus sili ait : « Redempte vigilas? » Cui respondeo : « Vi-

VARIÆ LECTIONES.

[878] *lege :* Suevi. [879] *lege :* obtenti. [880] *hæc a.* 607—609 *scripta sunt.* [881] *a.* 611—613 *scripta.* [882] *deest* 1? 2. *hoc loco addit :* Inter quæ etiam hæc : « In sancta Romana ecclesia, cui divina dispensatio præesse me voluit, *etc. quæ in codice* 1 *fol.* 170, *post addita sunt; v. supra p.* 490. *n.* 42. [883] *bis scriptum* 1.

Digitized by Google

« gio. » Et ait ter : « Finis venit universæ carni. » Mox Langobardi istam terram intrantes finem ei fecerunt. »]

620. 16. [DXCVIII] (BEDA.) Idem, missis Britanniam Augustino, Mellito et Johanne aliisque pluribus cum eis monachis timentibus Deum, ad Christum Anglos convertit. [Columbanus obiit.]

621. 17. [DXCIX] (BEDA.) Et quidem Edilberctus cum credidisset cum sua gente Cantuariorum cui preerat proximisque provinciis, etiam episcopum doctoremque suum Augustinum et ceteros antistites episcopali sede donabat. Porro gentes Anglorum ab Aquilone Humbri fluminis sub regibus Ælle et Edilfrido sitæ necdum verbum vitæ audierant.

622. 18. [DC] (BEDA.) Gregorius [384] 18° anno Mauricii, indictione 4, scribens Augustino, eo tem modo Lundoniæ quoque et Eboraci episcopis, accepto a sede apostolica pallio metropolitanos esse debere decernit. In vita Gregorii sic (VII, 63) : « Apostolos ad missam cantandam nihil aliud leginus nisi tantum orationem Dominicam. »

625. 21. [DCIII] (P. D. IV, 27.) Mauricius imperator cum filiis suis, Theodosio, Tiberio et Constantino, a Foca, qui fuit strator Prisci patricii, occiditur. *Si sanctus pater abbas Benedictus, sicut sui scribunt* (144), *12 Kal. Aprilis sabbato sancto paschæ obiit, in hoc anno videtur obisse. Nisi enim in anno* 96 *ante istum annum, obitus ejus ita non habetur; qui tunc, si natus, valde parvus fuit ; in hoc autem anno ætatis suæ plus minusve* 90 *obisse posset.*

Romanorum 63 *Focas regnavit annis* 8, *usque Kal. Maii, in anno* 600 *post passionem Domini.*

626. 1. [DCIV] Imago Focæ 7 Kalend. Maii, indictione 7, Romam delata est, sicut in vita sancti Gregorii legitur (IV, 20); et postquam a clero et senatu acclamatum est eis in basilica Juli, jusu sancti Gregorii in basilica sancti Cesarii Lateranensi palatio constituto ponitur.

627. 2. [DCV] (cf. *l. pont.*) Sanctus Gregorius papa obiit 4 Idus Martii, indictione 8.

628. 3. [DCVI] *Sabinianus* 64 *papa anno* 1, *mensibus* 10.

[*Cod. in marg.*, Ciclus decenn. 4 explicit indictione 11.]

629. 4. [DCVII] (*l. pont.*) [Sabinianus papa obiit 6 Kal. Martii.] (ISID.) [Preterini et Benedicti per Orientem vel Egiptum civile bellum faciunt, ac sese mutua cede prosternunt.]

630. 5. [DCVIII] (cf. *l. pont.*) *Bonifatius* 65 [385] *papa mensibus* 10. Hic impetravit a Foca cæsare, ut sedes apostolica Romana caput esset æclesiæ, cum antea Constantinopolis primam se omnium scribebat (*l. pont.*). [Hic constituit in ecclesia beati Petri, cum episcopis 72, presbiteris 35, diaconibus et omni clero, sub anathemate, ut nullus pontifice viven'e aut episcopo civitatis suæ presumat loqui aut parles sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus; adunato clero et famulis æcclesiæ, tunc electio fiat.] Bonifatius papa obiit 3 Idus Decembris.

631. 6. [DCIX] *Bonifatius* 66. [386] *papa annis* 6, *mensibus* 9.

632. 7. [DCX] (P. D. IV, 37.) Iste obtinuit a Foca ut in veteri fano quod Pantheum vocabatur, et a Domitiano imperatore constructum, ecclesiam omnium sanctorum consecrari, ubi omnium deorum cultus agebatur.

633. 8. [DCXI] (*Ibid.*) Persæ contra rem publicam gravissima bella gerentes, multas Romanorum provincias, et ipsam Hierosolimam auferunt, et destruentes ecclesias, sancta quoque profanantes, inter ornamenta sanctorum vel communium locorum etiam vexillum Dominicæ crucis abducunt. Heraclius, qui Africam regebat, Focam vita privavit.

Romanorum 64 *Heraclius regnavit annis* 27, *hoc est usque Kal. Mai in anno* 627 *post passionem Domini.*

634. 1. [DCXII] (BEDA) Anastasius [387] Persa monachus, postea nobiliter pro Christo passus. Qui natus in Perside, magicas a patre artes puer discebat. Sed ubi a captivis christianis nomen Christi salvatoris acceperat, in eum mox toto animo conversus. [Bonifatius papa obiit 8 Kal. Junii.] (*lib. pont.*)

637. 4. [DCXV] *Deusdedit, qui et Theodatus*, 67 *papa annis* 4.

638. 5. [DCXVI] (BEDA) Anastasius [388] vero, relicta Perside, Calcedoniam Hierapolimque, Christum querens, ac deinde Hierosolimam petit; ubi baptizatus 4 ab eadem urbe miliario, monasterium abbatis Anastasi intravit, in quo 7 annis regulariter vixit. Qui cum Cesariam Palæstinæ orationis gratia venisset, captus a Persis et multa diu verbera inter carceres et vincula a Marzabana duce perpessus, tandem mittitur Persidem ad regem eorum Chosronem, a quo tertio per intervalla temporis verberatus, ad extremum una suspensus manu per tres horas diei, sic quidem decollatus, cum aliis 70 martyrium complevit. Mox tunica ejus indutus quidam demoniacus curatus est. Interea superveniens cum exercitu Heraclius princeps, superatis Persis, christianos qui erant captivati reduxit gaudentes. Reliquiæ beati martiris Anastasii primo monasterium suum, deinde Romam advectæ, venerantur in monasterio beati Pauli apostoli, quod dicitur ad Aquas Salvias.

640. 7. [DCXVIII] (*lib. pont.*) Papa Deusdedit constituit secundam missam in clero. Eodem tempore factus est terre motus major, mense Augusto, in-

VARIÆ LECTIONES.

[384] *hæc a.* 622—624 *scripta sunt.* [385] LXIV. 1? [386] LXV. 1? [387] *hæc a.* 634 — 636 *scripta sunt.* [388] *hæc a.* 638 — 648 *scripta sunt.*

NOTÆ.

(144) Vitam S. Mauri indicare videtur; cf. Mabillon, Acta I, p. CXII.

Digitized by Google

dictione 6. Post hec secuta est clades in populo, id est percussio scabiarum, ita ut nullus poterat mortuum suum cognoscere; et obiit 6 Id. Nov. papa Deusdedit.]

641. 8. [DCXIX] *Bonifatius* 68 *papa sedit annis* 5.

645. 12. [DCXXIII] (*lib. pont.*) [Bonifatius obiit 8 Kal. Novembris. Hic constituit ut nullus trachatur de æclesia.]

646. 13. [DCXXIV] *Honorius* 69 *papa annis* 12. [*cod. in marg.* Ciclus decenn. 6 incipit indict. 15.]

649. 16. [DCXXVII] (BEDA.) Anno [388] Heracli 16. indictione 15, Eduinus rex Anglorum in Brittania Transhumbranæ gentis ad aquilonem, predicante Paulino episcopo, quem misit de Cantia archiepiscopus Justus, verbum salutis cum gente sua suscepit. Anno autem 11 regni sui, adventus vero Anglorum in Brittaniam plus minus anno 230, hoc gessit. Ipse autem dedit Paulino sedem episcopatus Eburaci. Cui regi in auspicium venturæ fidei et regni cœlestis potestas terrena crevit; totam enim Brittaniam primus omnium Anglorum sub se subjecit.

654. 21. [DCXXXII] (BEDA.) Eo [389] tempore errorem 14 annorum in observatione paschæ apud Scottos exortum, Honorius papa per epistolam redarguit; sed et Johannes, qui successori ejus Severino successit, idem arguebat. Cum enim adhuc esset electus in pontificatum, pro eodem pascha eis scribit. Johannes quoque et pro Pelagiana heresi, quæ apud eos reviviscebat, scripsit.

657. 24. [DCXXXV] (*lib. pont.*) [Honorius papa obiit 4 Id. Octobris; et cessavit episcopatus anno 1, mensibus 7, diebus 17.]

Severinus 70 *papa anno uno.* [Severinus papa obiit 4 Nonas Augusti.] (*lib. pont.*)

658. 25. [DCXXXVI] *Joannes* 71 *papa anno* 1, *mensibus* 10.

659. 26. [DCXXXVII] (ISID.) Judei in Hispania christiani efficiuntur. Sisibutus enim, Gothorum gloriosissimus rex, plurimas in Hispania Romanas provincias et Romanæ militiæ urbes sibi bellando subjecit, et Judeos sui regni subditos ad fidem Christi convertit.

660. 27. [DCXXXVIII] (*lib. pont.*) [Joannes papa obiit 4 Idus Octobris.] (P. D. IV, 51.) Heraclius Constantiopolim obiit.

Romanorum 65 *Heraclonas, filius Heracli, cum Martina regnavit annis* 2, *usque in annum* 629 *post passionem.*

661. 1. [DCXXXIX] (BEDA.) *Theodorus* 72 *papa annis* 6, *mensibus* 6. Cyrus Alexandriæ, Sergius et Pirrus regiæ urbis episcopi, acefalorum heresim instaurantes, unam operationem in Christo divinitatis et humanitatis, unam voluntatem dogmatizant. A E quibus Pirrus his temporibus sub Theodoro papa Romam veniens ex Affrica, ficta, ut post apparuit, penitentia obtulit eidem papæ, presente cuncto clero et populo, libellum cum sua subscriptione, in quo condemnarentur omnia quæ a se vel a decessoribus suis scripta vel acta sunt contra catholicam fidem. Unde et benigne susceptus est ab eo quasi regiæ pontifex civitatis. Sed quia reversus domum repetiit errorem domesticam, memoratus papa Theodorus, advocatis cunctis sacerdotibus et clero in æclesiam beati Petri apostoli, condemnavit eum sub vinculo anathematis.

662. 2. [DCXL] His temporibus Hisidorus Hispaniensis episcopus clarus habetur.

Romanorum 66 *Constantinus, filius Heracli, re-* B *gnavit mensibus* 6, *quasi usque Kalend. Novembris anno* 629 *post passionem.*

(BEDA.) Pirri successor Paulus non tantum vesana doctrina, sicut decessores ejus, sed et aperta persecutione catholicos cruciat; apocrisiarios sanctæ ecclesiæ Romanæ, qui ad ejus correctionem missi fuerant, partim carceribus, partim exiliis, partim verberibus afficiens. Sed et altare eorum in domo Placidiæ sacratum in venerabili oraculo subvertens diripuit, prohibens eos ibidem missas celebrare. Unde et ipse, sicut precessores illius, ab apostolica sede justa depositionis ultione damnatus est.

Romanorum 67 *Constantinus, filius Constantini,* C *regnavit annis* 28, *usque in annum* 657 *post passionem.*

663. 1. [DCXLI] (BEDA.) Hic [391] deceptus a Paulo, sicut Heraclius avus ejus a Sergio predicto episcopo; exposuit enim iste typum contra catholicam fidem; nec unam nec duas voluntates aut operationes in Christo diffiniens esse credendas, quasi nihil velle vel operari credendus sit Christus.

666. 4. [DCXLIV] (cf. *l. pont.*) Theodorus papa obiit 2 Idus Maii.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

667. 5. [DCXLV] *Martinus* 73 *papa annis* 6, *mensibus* 2.

668. 6. [DCXLVI] [*cod. in marg.*, Ciclus 7 decenn. incipit indict. 4.]

669 7. [DCXLVII] (BEDA.) Martinus [392] vero papa D propter predictam heresim congregavit Romæ sinodum 105 episcoporum; in qua sinodo damnavit sub anathemate Circum, Sergium, Pirrum et Paulum, hereticos præfatos episcopos. Facta est autem synodus præfata anno imperii Constantini 9°, mense Octobrio, indictione 7. (cf. *l. pont.*) Et post hæc missus ab imperatore Theodorus exarchus, tulit Martinum papam de æclesia Constantiniana, perduxitque eum Constantinopolim, et inde relegatus Cersonam Liciæ provinciæ, ibidemque 4 Idus Novembris obiit; et multis virtutum signis refulget.

VARIÆ LECTIONES.

[388] *hæc a.* 649 — 653 *scripta sunt.* [389] *hæc a.* 654 — 659 *scripta.* [391] *hæc a.* 663 — 665 *scripta sunt.* [392] *a.* 669 — 672 *scripta.*

Digitized by Google

673. 11. [DCLI] *Eugenius* 74 *papa annis* 2, *mensibus* 10.

674. 12. [DCLII] (cf. *l. pont.*) Eugenius papa obiit 4 Nonis Januari.

675. 13. [DCLIII] *Vitalianus* 75 *papa annis* 14, *mensibus* 6.

676. 14. [DCLIV] (BEDA.) Constantinus princeps, Vitaliano papa nuper ordinato, misit beato Petro apostolo evangelia aurea, gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata.

682. 20. [DCLX] (BEDA.) Ipse [393] vero post aliquot [394] annos venit Romam, [5 die mensis Juli, feria 4, indict. 6].

683. 21. [DCLXI] Tunc [393] obtulit [dominico die] super altare sancti Petri pallium auro textile.

684. 22. [DCLXII] Et [393] toto exercitu cum cæreis ecclesiam intravit.

685. 23. [DCLXIII] Hoc [393] vero factum est per indictionem 6, anno 23 imperii Constantini principis.

686. 24. [DCLXIV] Sequente [393] anno facta est eclipsis solis, quam ætas nostra meminit, quasi hora 10 diei 5 Non. Mai. [BEDA.]

687. 25. [DCLXV].

[*Cod. in marg.*, Ciclus decenn. octavus incipit indict. 8.]

688. 26. [DCLXVI] (BEDA.) Theodorus archiepiscopus et Adrianus abbas, vir æque doctissimus, a Vitaliano missi Brittaniam, plurimas æclesias Anglorum doctrinæ æclesiasticæ fruge fecundarunt.

689. 27. [DCLXVII] (*l. pont.*) Cum itaque Constantinus obtulit pallium, mansit in Roma dies 12. Inde indictione 7 Siciliam ingressus, in qua mansit usque indictionem 12.

690. 28. [DCLXVIII] (*l. pont.*) In qua indictione in Sicilia a suis [15 die mensis Julii] in balneo occisus est. Et non longe post Vitalianus papa obiit [6 Kal. Februarii].

Romanorum 68 *Constantinus, filius Constantini superioris, regnavit annis* 17, *usque in annum* 674 *post passionem.*

691. 1. [DCLXIX] (*l. pont.*) *Adeodatus* 76 *papa post Petrum annis* 4, *mensibus* 2 [obiit 6 Kal. Jul.].

692. 2. [DCLXX] (BEDA.) Sarraceni Siciliam invadunt; qui [395], preda nimia secum ablata, mox Alexandriam redeunt.

694. 4. [DCLXXII] Hic Constantinus princeps sextam synodum instituit.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

695. 5. [DCLXXIII] (*l. pont.*) *Conus papa* 77 *post Petrum anno* 1, *mensibus* 6 [obiit 3 Id. Apr.].

696. 6. [DCLXXIV] Hibernia insula sanctorum sanctis mirabilibus perplurimis sublimiter plena habetur.

697. 7. [DCLXXV] *Agatho papa* 78 *post Petrum annis* 2, *mensibus* 7.

698. 8. [DCLXXVI] (BEDA.) Agatho papa, ex rogatu Constantini, Heracli et Tiberii principum piisimorum, misit in regiam urbem legatos suos, in quibus erat Johannes, Romanæ æclesiæ tunc diaconus, non longe post episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei æcclesiarum. Qui benignissime suscepti a reverentissimo fidei catholicæ defensore Constantino jussi sunt, remissis disputationibus phisolophicis, pacifico conloquio de fide vera perquirere, data eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum quos petebant libellis. Adfuerunt autem et episcopi centum quinquaginta, presidente Georgio patriarcha regiæ urbis et Antiochiæ Machario. Et convicti sunt, qui unam voluntatem et operationem astruebant in Christo, fallsasse Patrum catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu, Georgius correctus est, Macharius vero cum suis sequacibus simul et precessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pirro, Paulo et Petro, anathematizatus, et in locum ejus Theophanius abbas de Sicilia Antiochiæ episcopus factus. Tantaque gratia legatos catholicæ pacis comitata est, ut Johannes Portuensis episcopus, qui unus erat ex ipsis, dominica octavarum paschæ missas publicas in æclesia sanctæ Sophiæ coram principe et patriarcha Latine celebraret. Hæc est sexta sinodus universalis Constantinopoli celebrata, et Greco sermone conscripta, temporibus Agathonis papæ, exsequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis et episcopis 150 residentibus. Prima enim universalis sinodus in Nicea congregata est contra Arrium 318 Patrum, temporibus Silvestri papæ, sub Constantino Magno. Secunda in Constantinopolim 150 Patrum, contra Macedonium et Eudoxium, temporibus Damasi papæ et Gratiani principis, quando Nectarius eidem urbi est ordinatus episcopus. Tertia in Epheso 200 Patrum, contra Nestorium Augustæ urbis episcopum, sub Theodosio Magno principe et papa Cælestino. Quarta in Calcedone Patrum 630, sub Leone papa, temporibus Marciani imperatoris. Quinta item in Constantinopoli, temporibus Vigili papæ, sub Justiniano principe, contra Theodorum et omnes hereticos. [**] Sexta hæc.

[Agatho papa obiit 4 Idus Januarii.] (*l. pont.*) [Tempore Agathonis papæ, indictione 8, luna eclipsin pertulit die 18 mensis Jun.]

In margine hæc leguntur (*l. pont.*) : Qui in urbem regiam, id est Constantinopolim, ingredientes, die 10 mensis Novembris, indictione 9ª, die 18 mensis Novembr., die dominico, ad processionem imperatoris Constantini honorifice vocati sunt. Die 17 autem mensis Februarii, die dominico, interrogatus est patriarcha Gregorius de fide catholica.

[**] *fol.* 154, *in superiori margine hæc leguntur*.

VARIÆ LECTIONES.

[393] *hæc* (*a.* 676 — 686) *diversis annis scripta conjungenda esse patet.* [394] aliqut. 1. [395] *hæc a.* 693 *scripta sunt.*

Digitized by Google

Arrius dixit Patrem majorem, Filium minorem, Spiritum sanctum creaturam esse. Machedonius negabat Spiritum sanctum. Nestorius dixit sanctam Mariam non Dei, sed hominis tantum genitricem esse. Euthicens Constantinopolitanus abbas dixit Christum per humanam assumtionem non ex duabus existere naturis, sed solam in eo divinam naturam manere. Theodorus dixit alium esse Deum verbum, et alium esse Christum, et Mariam non Dei esse matrem. Macharius vero Constantinopolitanus episcopus dixit unam voluntatem et operationem in Christo esse.

699. 9. [DCLXXVII] (*l. pont.*) *Leo papa* 79 *mensibus* [396] 11. [Leo papa obiit 5 Non. Julii; et cessavit episcopatus mensibus 11. Hoc tempore Leonis papæ, die 16 mensis Aprilis, indictione 11, luna eclipsin pertulit, post cenam Domini, nocte pene tota in sanguineo vultu elaboravit, donec post gallicantum cepit paulatim delimpidare et in suo reverti.]

700. 10. [DCLXXVIII] Sanctus Beda presbiter, Anglicus compotator, his temporibus clarus habetur.

701. 11. [DCLXXIX] *Benedictus papa* 80 *annis* 4, *mensibus* 10.

702. 12. [DCLXXX] (cf. *l. pont.*) Iste ab ineunte ætate in æclesia militavit, et paupertatis amator semper pro Christo extitit.

703. 13. [DCLXXXI] (BEDA) Sancta [397] virgo Edilthrida, filia Annæ regis Anglorum cum magnificis tribus viris fuit conjuncta; post 12 annos thorum incorrupta servavit maritalem. Post reginam accepto in construendum monasterium loco qui et Eilge dicitur, abbatissa et nutrix sanctarum virginum virgo consecratur. Cujus caro post 16 annos sepulturæ, et vestis qua involuta erat, incorrupta repperitur.

706. 16. [DCLXXXIV] (cf. *l. pont.*) Benedictus papa obiit [post dies paschæ] 8 Idus Maii, et sepultus apud beatum Petrum.

707. 17. [DCLXXXV] (*l. pont.*) *Joannes* 81 *papa anno* 1, *mense* 1. [Hujus tempore regnavit Justinianus, augusto mortuo patre, in initio mensis Septembris, indictione 14. Johannes papa obiit 4 Non. Augusti.]

Romanorum 69 *Justinianus minor, filius Constantini, annis* 10, *usque in annum* 684 *post passionem.*

708. 1. [DCLXXXVI] (BEDA.) *Conon* 82 *papa anno* 1 *mensibus* 11.

709. 2. [DCLXXXVII] Sanctus Kilianus Scottus, de Hibernia insula natus, Wirziburgensis episcopus, clarus habetur. [Conon papa obiit 21 die Septembris.]

710. 3. [DCLXXXVIII] (*l. pont.*) *Sergius* 83 *papa annis* 13, *mensibus* 9. Pipinus, Ansgisi, Arnolfi filius, regit Francos annis 27.

711. 4. [DCLXXXIX] (BEDA) Justinianus [398] constituit pacem cum Sarracenis decennio terra marique; sed et provincia Affrica subjugata est Romano imperio, quæ erat detenta a Sarracenis, ipsa quoque Cartagine ab eis capta et destructa.

712. 5. [DCXC] (*l. pont.*) [Sergius papa constituit ut tempore confractionis Dominici corporis Agnus Dei a clero cantaretur.]

714. 7. [DCXCII] (BEDA.) Justinianus Sergium papam, qui erratice suæ sinodo, quam Constantinopolim fecerat, favere et subscribere noluisset, misso Zacharia protospatario suo, jussit Constantinopolim deportari; sed [399] prevenit militia Ravennatæ urbis vicinarumque partium jussa principis nefanda, et eundem Zachariam contumeliis et injuriis ab urbe Roma pepulit.

716. 9. [DCXCIV] (BEDA.) Sergius papa ordinavit venerabilem virum Vilbrordum, cognomine Clementem, Fresonum genti episcopum, de Brittania natum, genere Anglicum.

717. 10. [DCXCV] (BEDA.) Justinianus ob culpam perfidiæ regni gloria privatus, exul in Pontum secedit.

Romanorum 70 *Leo regnavit annis* 3, *usque in annum* 686 *post passionem Domini.*

718. 1. [DCXCVI] (BEDA.) Papa Sergius in sacrario beati Petri apostoli capsam argenteam, quæ in angulo obscurissimo diutissime jacuerat, et in ea crucem diversis ac pretiosissimis lapidibus adornatam, Domino revelante, reperiit; de qua tractis quatuor petallis, quibus gemæ inclusæ erant miræ magnitudinis, portionem ligni salutiferi Dominicæ crucis interius repositam inspexit. Quæ ex tempore illo annis omnibus in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, die exaltationis ejus ab omni osculetur atque adoratur populo.

719. 2. [DCXCVII] (BEDA.) Reverentissimus æcclesiæ Lindisfranensis in Brittania ex anchorita antistes Cudberctus totam ab infantia usque ad senium vitam miraculorum signis inclitam duxit. Cujus dum 11 annos maneret corpus humatum, incorruptum post hæc quasi hora eadem defuncti simul cum veste qua tegebatur inventum est

720. 3. [DCXCVIII] (P. D. VI, 13) Tiberius, contra Leonem insurgens, regnum ejus invasit, eumque, quamdiu ipse regnavit, in eadem civitate in custodia tenuit.

Romanorum 71, *regnavit Tiberius annis* 7, *usque in annum* 694 *post passionem Domini.*

721. 1. [DCXCIX] (BEDA.) Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei quintum concilium universale suscipere diffidit, donec, salutaribus beati papæ Sergi monitis instructa, et [400] ipsa hunc cum ceteris Christi æclesis adnuere consentit.

722. 2. [DCC]

VARIÆ LECTIONES.

[396] *ante* mensibus *scriptum sed deletum est* . anno uno. [397] *hæc a.* 703 — 705. *scripta sunt.* [398] *a.* 711 —713 *scripta.* [399] *hæc a.* 715 *scripta.* [400] *hæc a.* 722 *scripta.*

Digitized by Google

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

723. 3. [DCCI] (*l. pont.*) Sergius papa obiit 5 die Idus Septenbris [indictione 14].

724. 4. [DCCII] *Johannes* 84 *papa annis* 3, *mensibus* 3.

[*Cod. in marg.*, Ciclus decenn. 10 incipit ind. 1.]

725. 5. [DCCIII] Beda presbiter in libro de temporibus, in anno quo eum condidit, et ita perhibet (c. 14) : « Si vis nosse quot sunt anni ab incarnatione Domini juxta Dionisium, scito quot fuerint ordines Indictionum; utpote in presenti anno 5 Tiberii 46. Hos multiplica per 15, fiunt 690; adde semper regulares 12, quia 4 indictione secundum Dionisium natus est Dominus, et indictionem anni illius cujuscumque volueris, utpote in presente unam, fiunt 703; isti sunt anni nativitatis Domini juxta Dionisium. » Hæc Beda.

726. 6. [DCCIV] (BEDA.) Gisulfus, dux gentis Langobardorum Beneventi, Campaniam igne, gladio et captivitate vastavit; eumque non esset qui ejus impetu resisteret, apostolicus papa Johannes, qui Sergio successerat, missis ad eum sacerdotibus ac donariis perplurimis, universos redemit captivos, atque hostes domum redire fecit. Johannes papa obiit indictione 3 secundum gesta pontificum (*l. pont.*).

727. 7. [DCCV] (BEDA.) *Johannes* 85 *papa annis* 2, *mensibus* 8. Johannes papa inter multa opera inlustrium fecit oratorium sanctæ Dei genitrici opere pulcherrimo, intra ecclesiam beati Petri apostoli. Herebertus rex Langobardorum multas curtes et patrimonia Alpium Cottiarum, et quæ quondam ad jus pertinebant apostolicæ sedis, sed a Langobardis multo tempore fuerant ablata, restituit juri ejusdem sedis, et hanc donationem aureis scriptam litteris Romam direxit.

Romanorum 72 *regnavit Justinianus II cum Tiberio filio suo annis* 6, usque in annum 700 post passionem.

728. 1. [DCCVI] (BEDA.) Hic auxilio Interpelli regis Vulgarorum regnum recipiens, occidit eos qui se expulerant patricios, et Leonem, qui locum ejus usurpaverat, necnon et successorem ejus Tiberium, [tempore Johannis papæ, secundum gesta pontificum]. Gallinicum vero patriercham erutis oculis misit Romam, et dedit episcopatum Cyro, qui erat abbas in Ponto, eumque alebat exulem. [Johannes papa obiit 15 Kal. Novembris, indictione 6.]

729. 2. [DCCVII] (*l. pont.*) *Sisinnius* 86 *papa post Petrum mense uno.* [Sisinnius papa obiit 8 Id. Novembris (*l. pont.*).]

750. 3. [DCCVIII] *Constantinus* 87 *papa annis* 7, *mense* 1.

731. 4. [DCCIX] Justinianus Constantinum papam ad se venire jubens, honorifice suscepit ac remisit, ita ut eum die dominica missas sibi facere jubiens, communionem de manu ejus acceperit, quem prostratus in terra pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta æclesiæ privilegia renovavit.

732. 5. (BEDA.) Qui [601] cum exercitum mitteret in Pontum, multum prohibente papa apostolico, ad comprehendendum Philippicum quem ibi requerat, conversus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum ibidem imperatorem.

733. 6. [DCCX] Reversusque [601] cum eo Constantinopolim, pugnavit contra Justinianum, ad 12[um] ab urbe miliarium, et victo atque occiso Justiniano, regnum suscepit Philippicus.

(*l. pont.*) [Constantinus [602] papa jusu imperatoris Justiniani, die 5 mensis Octobris, indictione 9, egressus de Roma, venit Ydronto, ubi moras fecit, quia hiems erat. Justinianus autem imperator a Nicea Bithiniæ precepit papæ ut Nicomediam veniret oviam regi a Nicea venienti; ubi papa et rex simul convenierunt. Papa de Nicomedia egressus, 24 die mensis Octobris, indictione 10, Romam intravit; deinde post menses 3 audivit quod Philipicus Justinianum occidit.]

Romanorum 73 *regnavit Philippicus anno uno*, *mensibus* 6, usque in annum 702 post passionem Domini.

734. 1. [DCCXII] (BEDA.) Hic ejecit Cyrum de pontificatu, eumque ad gubernandum abbatis jure monasterium suum Pontum redire precepit. Idem Constantino papæ misit litteras pravi dogmatis, quas ille cum apostolicæ sedis concilio respuit. Et hujus rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ acta sex sanctarum synodorum universalium continerent. Nam et hujusmodi picturas, cum haberentur in urbe regia, Philippicus jusserat auferri. Statuitque populus Romanus, ne heretici imperatoris nomen aut cartas vel figuram solidi susciperent; unde nec ejus effigies in æclesia introducta est, nec nomen ad missam prolatum.

735. 2. [DCCXIII] (P. D. VI, 34) Contra hunc Anastasius insurgens, regno oculisque eum privavit.

Romanorum 74 *regnavit Anastasius annis* 3 *usque in annum* 7 *post passionem Domini.*

736. 1. (DCCXIV) (BEDA.) Iste litteras Constantino papæ Romam per Scholasticum patricium et exarchum Italiæ direxit, quibus se fautorem catholicæ fidei et sancti sexti concilii predicatorem esse dixit. [Constantinus papa obiit 6 Idus Januarii (*l. pont.*)]

737. 2. [DCCXV] *Gregorius* 88 *papa annis* 18, *mensibus* 10. Hic erat vir castus et sapiens, qui Bonifacium, patre atque etiam matre Scottum, ordinavit episcopum ad sedem Mogontinum, et per eum in Germania verbum salutis predicavit, gentemque illam in tenebris sedentem evangelica luce inlustravit. (*l. pont.*). [Iste enim Bonifatius de Hibernia missus est cum Willebrordo Anglico episcopo, ut

VARIÆ LECTIONES.

[601] *cum. a.* 731 *conjungenda.* [602] *hæc in margine sine anni indictione* 1.

Digitized by Google

in vita ejus Wil. legitur [403] (145)] [Gregorii papæ tempore, indictione 14, visa est luna cruentata usque ad mediam noctem. (*l. pont.*) Qui Gregorius fuit temporibus imperatorum Anastasi et Theodosi et Leonis.] Pipinus, filius Ansgisii Anchisæ Trojani nom ne appellatus. Apud Gallias Francorum regnans, obiit. Cui Carolus, qui et major domus, filius ejus, in regno successit per annos 27, usque ad filios suos Carolomannum et Pipinum primum imperatorum Francorum. (Beda.) Liutbrandus rex Langobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Hereberctus rex fecerat et ille repetierat, ammonitione venerabilis papæ Gregori confirmavit. Ecberctus vir sanctus de gente Anglorum et sacerdos monachica vita et peregrinus exornans, plurimas Scotticæ gentis provincias ad canonicam paschalis temporis observantiam, a qua diutius aberraverant, pia predicatione convertit, anno ab incarnatione Domini juxta Dionisium 716.

738. 3. [DCCXVI] (cf. *l. pont.*) Gregorius [404] papa constituit ut in quadragesimali tempore jejunium atque missarum celebritas fieret quod ante eum non erat.

Romanorum 75 *Theodosius regnavit anno uno, usque in annum* 705 *post passionem Domini.*

739. 1. [DCCXVII] (P. D. VI, 36.) Anastasius augustus cum clasem in Alexandriam contra Sarracenos direxit exercitus, dimidio itinere revertitur, et Theodosium imperatorem facit, coactumque eum in solio imperii confirmavit. Qui deinde apud Nicenam civitatem gravi prelio vicit Anastasium, in quo septem milia de exercitu ceciderunt. Capto autem Anastasio, datoque sibi sacramento, clericum fieri ac presbeterum fieri fecit ordinari. Theodosius vero, ut regnavit, cum esset catholicus, mox in regia urbe imaginem illam venerandam, in qua sanctæ sex synodi erant depictæ, et a Philippico fuerat dejecta, pristino in loco erexit. (Beda.) Tiberis fluvius alveum suum egressus [indictione 15] multa Romæ fecit exitia, ita ut in via Lata ad unam et semis staturam excresceret, atque a porta sancti Petri usque ad Pontum Molvium aquæ se descendentes conjungerent. Mansit autem diebus 7, donec, agentibus letanias crebras civibus, demum die revertitur. Beda sic : « Multi Anglorum de Brittania Romam venerunt, inter quos etiam reverentissimus abbas meus Ceolfridus, annos natus 74, cum esset presbiter annis 47, abbas autem annos 35, ubi Lingonas pervenit, obiit, et in æcle ia Geminorum martirum sepultus est ; qui inter alia donaria misit æclesiæ sancti Petri Pandectem a beato Hieronimo in Latinum Hebreo vel Greco fonte translatum. » *Romanorum* 76 *regnavit Leo annis* 9, *et inde annis* 15 *usque ad Pipinum Francorum primum imperatorem hoc est usque in annum* 729 *post passionem Domini.*

740. 1. [DCCXVIII]

741. 2. [DCCXIX] (Beda.) Sarraceni [405] cum immenso exercitu Constantinopolim [civitatem] triennio obsident, donec civibus multa instantia orationum ad Deum clamaverunt. Tunc plurimi Sarracenorum fame, frigore et pestilentia perierunt. Saraceni vero pertæsi obsidionis abscedunt. Qui inde regressi, Vulgarorum gentem, quæ est super Danubium, bello adgrediuntur. Ab hac quoque victi refugiunt, ac naves repetunt suas [406].

[*Cod. in marg.*, Ciclus undecimus decennov. ind. 5 incipit.]

741. 3. [DCCXXII]

745. 6. [DCCXXIII] Juramentum sancti Scotti archiepiscopi Bonifatii (*conc.* III, p. 1857), in ecclesia sancti Petri apostoli coram papa Gregorio II, imperatoris Leonis anno 6, sed et Constantini imperatoris filii ejus.]

747. 8. [DCCXXV] Hoc [407] anno Beda computator minorem compoti librum componit, ipso ita teste : « Si vis nosse per annos singulos quot sunt epactæ, sume annos Domini juxta Dionisium, quot fuerint, utputa in presenti octava indictione 725, partire per decem novem decies novies triceni quingenti septuaginta, decies novies octoni centum quinquagies dupondius, remanent tres; hos item multiplica per decem, fiunt triginta tres; tolle triginta, remanent tres ; isti tres sunt epactæ presentis anni. » Hæc ait Beda (*De temp. rat.*, c. 50).

749. 10. [DCCXXVII] Alia epistola ejusdem (146) papæ Gregorii secundi ad Bonifatium (*conc.* III, p. 1858), data 10 Kal. Decembris, imperii Leonis anno 10, sed et Constantini regni anno 8, indictione decima, et reliq.

[*Cod. in marg.*, Ciclus solis incipit.]

750. 11. [DCCXXVIII] (*l. pont.*) [Langobardis [408] indictione 11 pervasum est Sutrinse castellum, et quadraginta diebus possessosum ab eis, donec Gregorii papæ continuis scriptis et donationibus dimiserunt. Mense Januarii, indictione 12, plus diebus stella quæ Antifer dicitur apparuit in occidua, radiens in aquilone et ad medium cœlum, tempore Gregorii papæ.]

753. 14. [DCCXXXI] (*l. pont.*) [Gregorius papa obiit 3 Idus Februarii, indictione 14, Leone et Constantino imperatoribus.]

754. 15. [DCCXXXII] *Gregorius* 89 *papa annis* 11.

755. 16. [DCCXXXIII] (Beda.) Sarraceni vero pre-

VARIÆ LECTIONES.

[403] *hæc in inferiore margine fol.* 155, *ubi sequuntur :* Constantinus papa jusu, *etc. quæ supra a.* 733 *posuimus ; deinde :* Gregorii, *etc.* [404] *eadem a.* 757 *post* inlustravit *scripta erant, sed nunc erasa.* [405] *hæc a.* 741—747 *scripta.* [406] *hæc a.* 747. *Pergunt a.* 755. [407] *hæc a.* 747—753 *scripta.* [408] *summo in margine fol.* 156, *sine anno.*

NOTÆ.

(145) V. vitam Bonifacii auct. Willibrordo c. 6.

(146) Sc. ejus qui an. 745 nominatus est.

Digitized by Google

dicti (147) cum altum peterent, ingruente subita tempestate, plurimi etiam mersi sunt ex ipsis et necati. Plurimæ [609] enim naves eorum merse et confractæ erant per litora.

757. 18. [DCCXXXV] (BEDA.) Liuthrandus [610] vero rex Langobardorum audivit quod Sarraceni loca sancta corrumperent. Audivit quod, depopulata Sardinia, etiam loca illa fedarent ubi ossa sancti Augustini episcopi propter vastationem barbarorum olim translata et honorifice fuerant recondita. Misit ergo, et dato magno pretio accepit, et transtulit ea in Ticinis, ibique cum debito tanti patris honore recondidit.

759. 20. [DCCXXXVII] *Beda computator obiit 2 Kal. Jan.*

760. 21. [DCCXXXVIII] (cf. *l. pont.*) Gregorius predictus papa constituit in missa : « quorum solennitas hodie [611] » et reliqua usque « largitor admitte per Christum dominum nostrum. » (*A. Hersf.*) [Initium Herolvesfeld.]

762. 23. [DCCXL] (*l. pont.*) Ipse vero obiit 4 Kal. Dec. sepultusque est in æclesia beati Petri. [Epistola tertii Gregorii ad Bonifacium Scottum Mogontinum archiepiscopum (*Conc.* ed. Mansi XII, p. 285), data 4 Kal. Novembris, Leonis imperii anno 23, et Constantini filii ejus 20, indictione 8.] (*l. pont.*) [Gregorius [612] tertius fuit temporibus Leonis et Constantini imperatorum, ea persecutione grassante quæ per ipsos mota est ad depositionem et destructionem sacrarum imaginum domini nostri Jesu Christi et sancte Dei genetricis et sanctorum apostolorum omniumque sanctorum et martirum et confessorum, pro quibus papa, ut ab hoc resipiscerent ac removerentur errore, misit instituta apostolicæ sedis per Georgeum presbiterum, qui cum ea ob metum imperatoribus Constantinopolin non reddit, iterum de Roma a papa ad regiam urbem directus, secundo eadem dedit, quæ scripta in parte in Sicilia insula retinuit, non ultra ad Constantinopolin permisit, et portatorem exilio per annum relegavit. Unde papa in concilio 23 episcoporum cum presbiteris et diaconibus et cuncto clero et nobilibus, etiam consulibus et reliquis christianis plebibus, coram corpore beati Petri apostoli statuit (*l. pont.*) ut, si quis deinceps antiqua consuetudinis apostolice tenentis fidelem usum contemnens contra easdem imagines depositor atque destructor et profanator vel blasphemus extitit, sit extorris a corpore et a sanguine domini nostri Jesu Christi vel totius Ecclesiæ unitate et compage; quod et subscriptione sua sollempniter confirmavit cum omni concilio. Quæ sinodalia pro erigendis sacris imaginibus per Constantinum defensorem misit imperatoribus, quæ similiter tenuerunt et portatorem in carcerem per annum tenuerunt et tunc cum injuris remiserunt, sed et tota Romana provincia pro erigendis imaginibus supplicationis scripta unaniniter ad eosdem imperatores direxerunt per Sergium patricium et straticum insulæ Ciciliæ, [613] quibus imperatores scripta rapuerunt, et portatores 8 mensibus tenentes, cum exprobris et injuris remisserunt. Iterum papa per Petrum defensorem ad regiam urbem tam Anastasio pervasore sedis Constantinopolitanæ quamque imperatoribus Leoni et Constantino.]

[*Cod. in marg.*, Ciclus decennovenn. 12 incipit ind. 9.]

763. 24. [DCCXLI] Karolus, filius Pipini, qui et major domus dictus, rex Francorum obiit. [Leo imperator obiit. Constantinus filius ejus successit.]*

* *hoc anno in margine etiam hæc leguntur :* [Rome est ecclesia sanctæ Mariæ quæ vocatur ad Mart.]

Romanorum [614] 77 *regnavit Pipinus, filius Karoli, Francorum primus imperator, annis* 27, usque in annum 755 post passionem Domini.

764. 1. [DCCXLII] (*l. pont.*) [Gregorius papa obiit 4 Kal. Dec., indictione 10.]

Zacharias 90 *papa ann.* 11

765. 2. [DCCXLIII] Sanctus Bonifatius Mogontinus archiepiscopus clarus habetur. [Epistola Zachariæ papæ ad Bonifatium (*conc. III*, p. 1882), data Kal. April., 24 anno regni Constantini, sed imperii ejus anno 2, indictione 11 et reliqua. Epistola Zachariæ papæ ad Bonifacium Scottum archiepiscopum Moguntinum (*Ibid.*, p. 1906), data Nonas Januarias, regni Constantini anno 28, imperii ejus anno 6, indictione 15. Alia epistola Zachariæ papæ ad Bonifacium Scottum archiepiscopum Moguntinum (*Ibid.*, p. 1909), data Kal. Maii, anno 29 regni Constantini patris ejus, id est imperii anno 7, indictione 1. Alia epistola Zachariæ papæ ad Bonifacium (*Ibid.*, p. 1915), data 2 Non. Novembris, Constantini anno 32, patris ejus anno 11, indictione 5.]

766. 3. [DCCXLIV] (cf. *A. Hersf.*, *Fuld.*) Sanctus Bonifatius Fuldam monasterium in solitudine Bochonia inchoavit.

767. 4. [DCCXLV] (cf. REG.) Carolomannus rex, frater imperatoris, cum fratre tractat seculum dimittere.

768. 5 [DCCXLVI] (*A. Aug.*) Carolomannus imperium permittens, Almaniam ingreditur.

769. 6. [DCCXLVII] (*A. Hersf.*) Carolomannus pergens Romam, tonsoratur a papa Zacharia. (EINH. c. 2) [Carolomannus Rome in monte Soracte apud ecclesiam sancti Silvestri constructo monasterio cum fratribus secum ad hoc venientibus per aliquot annos perfruitur. Sed ob insolentiam Francorum Ro-

VARIÆ LECTIONES.

[609] *hæc a.* 756. [610] *a.* 757 — 759 *scripta.* [611] *hæc a.* 761. *scripta.* [612] *hæc in margine scripta* 1. [613] *Inde ab hoc anno V. Cl. Heyse codicem cum edito contulit ; qui notas marginales de cyclis etc. minus accurate indicasse videtur. Orthographium quoque non semper emendavit*

NOTÆ.

(147) V. an. 741.

Digitized by Google

mam visitantium, qui eum vetud dominum quondam suum preterire nolebant, ad monasterium sancti Benedicti situm in castro Casino secessit, ubi postea regulariter vixit.]

770. 7. [DCCXLVIII] (*A. Hersf.*) Grifo fugit in Saxoniam ob metum imperatoris [616].

771. 8. [DCCXLIX] (*A. Hersf.*) Grifo iterum de Saxonia revertitur.

772. 9. [DCCL] (*A. Hers.f*) Pipinus decreto Zachariæ papæ a Bonifatio Mogontino archiepiscopo unguitur in imperatorem, et deinde ob id post papam secundus habetur episcopus Mogontinus [618] (ib. *a.* 746).

773. 10. [DCCLI] (*A. Hersf*) [Burgardus primus episcopus Wirtiburgensis consecratur, et sedit ann. [616] 40 [617] (*A. Hersf.*).]

774. 11. [DCCLII] (*l. pont.*) Grifo obiit. Zacharias papa obiit Id. Mart., indictione quinta.

775. 12. [DCCLIII] (*A. Hersf.*) *Stephanus* 91 *papa post Petrum annis* 5, *mense* 1. (cf. REG.) Stephanus papa et Carlomannus predictus monachus a monte Casina venerunt ad Pipinum in Franciam, petentes defensionem contra Haistulfum regem Langobardorum.

776. 13. [DCCLIV] (*A. Hersf*) Unxit autem Stephanus duos filios Pipini Carolomannum et Karolum Magnum in imperatores 5 Kal. August. (*l. pont.*) Stephanus [618] papa venit de Roma 14 die mensis Octobr., indictione 7, et 15 die mensis Novembr., cum licentia Astulfi regis Langobardorum de civitate Papia indictione 7, ad Franciam venit, ubi in loco nomine Ponticone Pipinum invenit, qui die 6 mensis Januar. papæ promisit omne quod petivit; et post dies unxit papa Pipinum cum duobus filiis suis reges Francorum. Tunc in monasterio in Francia Carolomannus monachus obiit. Pipinus et Stephanus papa, occisis Langobardis bello et fugato Aistulfo rege eorum, 8 Idus obsedent civitatem Papiam. Item Aistulfus obsides dedit. Iterum Pipinus contra Aistulfum Langobardos intrat. Papiam civitatem obsedit, et Aistulfus obsedes reddit.]

777. 14. [DCCLV] (*A. Hersf.*) Sanctus Bonifatius archiepiscopus adnuntiens verbum Dei in Fresia [619], passus est cum aliis martiribus Non. Junii (REG.).

778. 15. [DCCLVI] (*A. Hersf.*) Lullus archiepiscopus post Bonifatium successit annis 32.

779. 16. [DCCLVII] (*A. Hersf.*) Organum primitus venit in Franciam, missum a Constantino rege Greciæ Pipino imperatori. — [Aistulfus [620] rex Langobardorum obiit; cui Desiderius dux succesit.] [Stephanus [620] papa obiit 5 Kal. Maii, indictione 10 (*l. pont.*) Cui successit germanus ejus Paulus, tempore Leonis et Constantini imperatorum]

780. 17. [DCCLVIII] *Paulus* 92 *papa post Petrum annis* 10, *mense* 1.

781. 18. [DCCLIX] (*A. Aug.*) Pipinus imperator in Saxoniam ingreditur.

782. 19. [DCCLX] (*A. Aug.*) Pipinus in Vascones ingreditur.

783. 20. [DCCLXI] (EINH. c. 6.) Pipinus imperator Italiam intravit, et bellum contra regem Langobardorum Haistulfum suscepit.

784. 21. [DCCLXII] (*Ibid.*) Pipinus [621] Haistulfum regem paucorum dierum obsidione apud Ticenum compulit, et obsides dare et recepta a Romanis oppida atque castella restituere et ut reddita non repeterentur sacramento fidem facere.

787. 24. [DCCLXV] (*A. Hersf.*) Hiemps grandis et valde etiam durissimus.

788. 25. [DCCLXVI] (*A. Hersf.*) Gordogangus episcopus corpora sanctorum Gorgoni et Nazarii in Franciam Roma advexit.

789. 26. [DCCLXVII] (EINH. c. 3.) Pipinus, finito Aquitanico bello, contra Waifarium ducem Aquitaniæ ab eo suscepto, per continuos 9 annos gesto, Turonis ad Sanctum Martinum causa orationis perrexit (REC.).

790. 27. [DCCLXVIII] (EINH. c. 3.) Inde egressus, Parisius ad Sanctum Dionisium vix perveniens, ibi morbo aquæ intercutis 9 Kal. Octobr. obiit, et sepultus. — (*l. pont.*) [Paulus [622] papa obiit in æstate, et cessavit episcopatus anno 1, mense 1; quo Constantinus laicus transgressor apostolicæ sedis invasor extitit. Idem [indictione [623]] 6, mense Julio depositus est, et Stephanus papa successit, et quæsivit episcopos peritos a Pipino imperatore, qui judicarent Constantinum in synodo. Nuncii papæ venerunt ad Karolum et Carlomannum, quia interim Pipinus obiit, et Constantinus papa cæcatus est. Facto igitur concilio in basilica salvatoris domini nostri Jesu Christi juxta Lateranis Rome, combusserunt omnes sacerdotes Constantinum in medio presbyterii ipsius ecclesiæ, alapis ejus cervicem cædere prius facientes in ecclesia; sicque combustus est (*l. pont.*) Clerus et populus et papa clamabant kyrieeleyson, et statuerunt ut omnes consecrationes ejus iteratæ [624] fuissent preter baptisma et chrisma. Rogavit autem papa Constantinus Constantinum et Leonem augustos magnos imperatores, deprecans eorum imperialem clementiam, ut in ipsis Greciæ partibus Paulum exilio mancipatum retineri precepissent. — Antequam [625] mortuus esset Paulus papa, ilico Toto dux Nepesinæ civitatis et Passinus et Paschale [626] germanum suum Constantinum laicum fecerunt papam, et comminando invite Georgio episcopo, compulerunt eum orationem clericatus eidem Constantino

VARIÆ LECTIONES.

[616] i. Pipini 3. [617] usque in hodiernum diem *add.* 3. [618] *superscr.* 1. [617] IX. 3. [618] *hæc in marg. superiore* 1. [619] frisea 3. [620] *hæc in marg.* 1. [621] *hæc a.* 784—786 *scripta; et similiter etiam in sequentibus auctor sæpius quæ ad unum annum pertinent pluribus scripsit.* [622] *hæc in marg. a.* 787 *vel* 788. 1, *a.* 789. 3. *desunt* 2. 2'. 2''. [623] *deest* 1. *qui* Idem *pro* indictione *scripsisse videtur.* Idem Constantinus VI[a] feria 3. [624] *ita* 1. irritæ 2. 3. [625] *hæc in marg. post locum ad a.* 732 *relatum leguntur. Anno* 789 (767) 3. *Desunt* 2. 2'. 2''. [626] *lege:* Paschalis.

Digitized by Google

tribui ; sicque clericus factus est, et alio die secunda feria subdiaconus et diaconus illucescente die ab eodem episcopo factus, et dominico die sequenti in basilica beati [627] Petri cum armata multitudine a Georgio Penestrinæ episcopo et Eustadio Albanense et Citonato Portuense episcopis tribus pontifex consecratus est ; qui consecravit episcopos 8, presbyteros 8, diaconos 4 et reliqua per annum et mensem.]

Romanoram 78 *regnavit Karolus Magnus, filius Pipini, annis* 46 *mensibus quatuor.*

791. 1. [DCCLXIX] *Stephanus* 93 *papa annis* 4.

792. 2. [DCCLXX] (EINH.) Mortuo autem Pipino rege, Franci generali conventu totum regnum inter filios ejus Karolum et Carlomannum æque diviserunt, et Karolus partem patris eorum [628] Pipini, Carolomannus vero partem patrui [629] eorum Carlomanni susB cepit. (REG.) Carlomannus autem post administratum biennio regnum in villa Salmoniaco obiit, 2 Non. Octobr., et Karolus in toto regno rex constituitur.

Adrianus 94 *papa annis* 23.

795. 5. [DCCLXXIII] (EINH. c. 5, 6.) Karolus, Hunoldo, qui post mortem Wafari bellum Carolo conabatur, fugato, et Aquitania subjecta rogatu Adriani papæ in Italiam perrexit.

796. 6. [DCCLXXIV] (*Ibid.*) Karolus Desiderium regem Langobardorum longa obsidione fatigans, in dicionem suam suscepit ; filiumque ejus Adelgisum, in quo omnes spem inclinabant, ab Italia compellit, atque Italiam totam subegit ; et omnia a Langobardorum regibus erepta tam Romanis quam Adriano C papæ restituit, et tunc primum Romam pervenit sabbato sancto pasche (cf. *l. pont.*).

797. 7. [DCCLXXV] (EINH. c. 7, 8.) Subjecta Italia, Saxonicum bellum, biennio ante Italicum inceptum, repetitum est et per 33 annos permansit. Quorum Saxonum Karolus 10 mll'a hominum captivorum cum uxoribus et parvulis dispersit.

799. 9. [DCCLXXVII] (EINH. c. 9.) Karolus Hispaniam subjecit, et incolumi exercitu revertitur.

800. 10. [DCCLXXVIII] (EINH. c. 10.) Domuit et Britones, qui in occidente Galliæ super litus residebant.

[*Cod. in marg.* Ciclus decennov. 14 incipit indict. 2.]

801. 11. [DCCLXXIX] (*A. Aug.*) Karolus iterum in Saxoniam ; et fames magna mortalitasque in Francia. D (cf. *A. Hersf.*) Sanctus Sturmi abbas primus Fuldensis obiit 16 Kal. Novemb.

802. 12. [DCCLXXX] Cui successit Baugolfus abbas.

803. 13. [DCCLXXXI] (*A. Aug.* Karolus Saxoniam capit.

804. 14. [DCCLXXXII] (*A. Hersf.*) Karolus secundo Romam perrexit, ibique baptizatus est filius ejus Carlomannus, quem Adrianus papa mutato nomine vocavit Pipinum.

805. 15. [DCCLXXXIII] (*A. Hersf.*) Hiltigart regina A obiit, tres filios, Carolum, Pipinum et Ludovicum, Carolo relinquens. (cf. THEG. c. 2.)

806. 16. [DCCLXXXIV] (*Ibid.*) Post quam Karolus Fastradam sibi sociavit in conjugium.

807. 17. [DCCLXXXV] (*A. Hersf.* (Q.)) Conjuratio Hardradi et Orientalium.

808. 18. [DCCLXXXVI] (*A. Hersf.* (Q.)) Karolus pergit Italiam, qui matrem suam Berhatradam in basilica apud Sanctum Dionisium juxta patrem Pipinum humavit cum magna gloria. (EINH. c. 18.) Karolus tertio Romam perrexit, et signa crucis in vestibus hominum apparuerunt. (*A. Hersf. Aug.*) Lullus archiepiscopus Mogontinus obiit 17 Kal. Nov. hora diei secunda. Richolfus sibi successit annis 27. * [Richolfus [630] ordinatur in episcopum Mogontiæ B 4 Non. Mart. in die dominico in monasterio beati Petri quod est Frislar (*A. Hersf.*).] Sanguis e cœlo et de terra profluxit.

* qui basilicam sanctissimi martiris Albani a fundamentis inchoavit, mirifico opere perfecit, et interius exteriusque [631] ditavit. *addunt* 2. 2*. 2**.

809. 19. [DCCLXXXVII] (*A. Hersf.*) Karolus a Roma pergit in Beneventum ad Sanctum Benedictum, et per Alamaniam venit ad Bajoariam.

810. 20. [DCCLXXXVIII] (*A. Aug.*) Bajaria capta est, Tasilo duce ejus deposito.

811. 21. [DCCLXXXIX] (*A. Hersf.*) Karolus Sclavos qui dicuntur Vulzi [632] subegit.

812. 22. [DCCXC] (*A. Hersf.* (L.)) Basilica sancti C Bonifacii Fuldense monasterium fundatur.

813. 23. [DCCXCI] (*A. Hersf*) Karolus perrexit Pannoniam [633].

814. 24. [DCCXCII] (*A. Hersf.*) Karolus Avaros subegit, et Hunorum regnum vastat: (*A. Aug.*) [Anno [634] 20 Adriani papæ mense Decembr., indictione 15, fluvius Tiberis per campestra intumescens, portam quæ dicitur Flaminia a fundamentis usque ad arcum evellit, qui [635] tres fulcidas eam deduxit et muros transcendit in aliquibus ad portam beati Petri, et ad pontem Molvium aque descenderunt per triduum (*l. pont.*).]

815. 25. [DCCXCIII] (*A. Hersf.*) Conjuratio Pipini filii sui contra Karolum patrem suum. Qui consilio detecto tonsuratur, et sociorum ejus alii decollantur D atque alii suspenduntur.

816. 26. [DCCXCIV] (*A. Hersf.*) Heresis Filiciani [636] in synodo apud Franconofurd habita damnatur. (EINH. c. 18.) Fastrada regina, de genere Germanorum, obiit* ; post quam Karolus Liutgardam duxit Alamanniam.

in monasterio sancti Albani ad aquilonalem plagam ante altare sanctæ Dei genitricis sepulta est. *addunt.* 2, 2*, 2**, et apud sanctum Albanum sepelitur. *addit etiam* 3.

817. 27. [DCCXCV] (*Ib.* et c. 19.) Adrianus papa

VARIÆ LECTIONES.

[627] *deest* 1 ? [628] ejus 1 ? 3. [629] patruus 1. [630] *in marg.* 1. *In* 2. *a.* 320, *leguntur.* [631] exterius *deest* 2 ? [632] wilzi 3. [633] per annoniam 3. [634] *in marg.* 1. *Desunt* 2. 2**. [635] qu 1. qui vocatur *Lib. pont.* [636] *lege :* Feliciana

Digitized by Google

obiit in nativitate Domini ; quem velud fratrem aut carissimum filium planxit Karolus. [Adrianus [437] papa obiit 7 Kalend. Januarii, indictione 4 (*l. pont.*)] A

818. 28. [DCCXCVI] *Leo* 95 *papa annis* 20, *mensibus* 6.

819. 29. [DCCXCVII] (REG.) Romani Leonem papam letania majore captum excæcaverunt, et linguam ejus radicitus absciderunt. Qui in custodia missus, noctu per murum evasit, et ad legatos Karoli Wirundum abbatem et Winegesium Spolitanorum ducem veniens, Spoliatum [438] ductus est; et ad regem Karolum in Saxoniam apud Baderbrunnam, presente Richolfo episcopo Mogontino, pervenit, a quibus summo honore susceptus est. Karolus unguitur in imperatorem a papa Leone.

820. 30. [DCCXCVIII] (*Cod. in marg.*), 15 ciclus decennovennalis incipit indictione sexta.) B

821. 31. [DCCXCIX] (EINH. c. 26.) Karolus legendi et psallendi disciplinam diligentissime emendavit.

822. 32. [DCCC] (EINH. c. 28.) Karolus quarta vice Romam cum papa Leone pergit propter reparandum qui nimis conturbatus erat ecclesiæ statum, et ibi totum hiemem transegit.

823. 33. [DCCCI] (*A. Hersf.*). Karolus etiam eo tempore a Romanis augustus appellatus est.

824. 34. [DCCCII] (*A. Hersf.*) Amarmurmulus rex Persarum elefantem et alia munera misit regi Karolo.

825. 35. [DCCCIII] (*A. Hersf.*) Karolus pontem 500 passuum longitudinis trans Renum Moguntiacum [439] construxit; tanta enim ibi est fluminis latitudo (EINH. c. 17). C

826. 36. [DCCCIV] (*A. Hersf.*) Leo papa venit in Franciam.

827. 37. [DCCCV] (*A. Hersf.*) Karolus, filius Karoli imperatoris, Bohemios vastat, Lechonem, regem eorum occidens. [Ecclesia [440] Sancti Albani hoc anno dedicatur', hoc est 805, indictione 13.]

dedicatur hoc anno Kal. Decemb., indictione 13, qui est annus vigesimus Richolfi post acceptum episcopatum, octavus autem [441] postquam episcopus est consecratus. 2. 2'. 2''.

828. 38. [DCCCVI] (*A. Hersf.*) Primus annus endicadis. Mortalitas maxima orta [442] est in monasterio Fuldensi, ita ut plurimi ipsorum monachorum morerentur. D

829. 39. [DCCCVII] (EINH. c. 26.) Karolus religionem christianam, qua ab infantia fuit imbutus, sanctissime et cum summa pietate coluit; circa [443] pauperes sustentandos et elemosinam devotissimus erat (EINH. c. 27).

832. 42. [DCCCX] (EINH. c. 22.) Karolus, antequam deciderat [444], per quatuor annos crebro febribus correptus.

Pippinus, filius imperatoris Karoli, obiit (*ex Theg. c.* 5). Maxima mortalitas boum totam pene vastavit Europam. (*cf. A. Weiss.*) *addunt* 2. 2'. 2''.

833. 43. [DCCCXI] (EINH. c. 33.) Karolus, regni in Francia 43, in Italia autem 36, imperii anno 11, indictione 4, thesauros et vestes cæteraque omnia divisit per tres partes. Quarum [445] duas partes per viginti unam partem [446] totidem metropolitanis civitatibus, quæ in regno ejus noscuntur [447], partitus est; quarum nomina hæc sunt: Roma 1, Ravenna 2, Mediolanum 3, Forum Julii 4, Gradus 5, Colonia 6, Moguntiacus 7, Juvavum, quæ et Salzburg 8, Treverus [448] 9, Senones 10, Vesontio 11, Lugdunum [449] 12, Rotomagus 13, Remis 14, Areles 15, Vienna 16, Darantasia [450] 17, Ebrodunum 18, Burdigala 19, Turones 20, Bituriges 21. Unusquisque autem metropolitanus episcopus unam partem suæ ecclesiæ et duas suffraganeis suis dare debuit. Tertia vero pars vel usque ad obitum ejus, vel usque dum vellet carere, in usu cottidiano haberetur''; cujus tunc prima pars predictis metropolitaneis episcopis ad easdem predictas partes adderetur, altera filiis et filiabus et nepotibus, tertia pauperibus, quarta servis et ancillis distribueretur. Precium librorum suorum, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, pauperibus erogare precepit.

Karolus, primogenitus imperatoris, obiit (*ex Theg. c.* 5). Ipse vero imperator K. *addunt* 2. 2'. 2''.

dum usu cott. c. v. mansit, ipsaque postremo quatuor divisionibus secata est. Prima pars addita est ad viginti et unam supradictas, altera cessit filiis et f. et n., tertia pauperibus distributa est, quarta servis et ancillis palatio famulantibus. Ad tertiam vero partem addita sunt vasa atque utensilia ex ære et ferro aliisque metallis cum armis et vestibus et omnis suppellex ad varios usus, ut sunt cortinæ, stragula, tapetia, filtra, coria, sagmata, ut erogatio elemosinæ ad plures pervenire potuisset. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, quod per hereditatem sibi venit, integrum servari decrevit, exceptis si qua ipsæ eidem [451] capellæ in vasis aut libris addidisset, quæ qui vellet emeret. Horum ergo precium atque librorum, q. m. c. in b. s. habuit, pauperibus erogatur. (*ex Einh.*) 2. 2'. 2''.

835. 45. [DCCCXIII] (cf. EINH. c. 17.) Pons apud Mogontiacum, quem per decem annos ingenti labore et opere mirabili de ligno Karolus construxit', anno primo antequam obiit, tribus horis conflagravit, nec quidem una ex eo astula remansit. Pons'' predictus apud Mogontiam erat trans Renum, quem, quia de eo latrones noctu, hominibus in Renum projectis, rapiebant predam, Richolfus Mogontinus episcopus comburi precepit. (*A. Hersf.*) Richolfus Mogontinus episcopus obiit, Haistolfus post eum

VARIÆ LECTIONES.

[437] *in marg.* 1. [438] spoletum 3. [439] moguntiaci 3. [440] *in marg.* 1. [441] a. o. 2. [442] morta 1. [443] *ad a.* 831. 1. [444] decederat *corr.* decid. 1. [445] *ad a.* 856. 1. [446] partē 1. 3. [447] esse n. 3. [448] treueris 5. [449] lugdunus 3. [450] datrantasia 1. drantasia 3. [451] c. e. 2.

Digitized by Google

successit annis 11. (Einh. c. 30.) Karolus, circa Kalendas Novembris, habito generali conventu, vocavit de Aquitania ad se Ludowicum filium suum, et cum eum moneret, die dominico precepit ei ut propriis manibus suis de magno altari Aquisgrani coronam imperii capiti suo superponeret, qui donatis magnis muneribus Aquitaniam perrexit. Karolus** cum Aquisgrani hiemaret, mense Januarii febre correptus est, in quo 5 Kalend. Februarii, hora diei 3, indictione 7, 72 anno ætatis, [incar. 814 [482]] obiit (Einh. c. 31); et ibi Aquisgrani eadem die in basilica Salvatoris sanctæque Dei genitricis, quam ipse ex fundamento mirifico opere constraxit, sepultus est.

* ita ut perpetuo durare posse videretur *add.* 2. (2°?) 2°°.

** Pontem autem ipsum Richolfus episcopus dicitur jussisse incendere propter latrocinia quæ noctibus in eo exercebantur, dum homines spoliati in flumen [483] ipsum jacti necabantur; sed Einhardus, qui vitam Karoli istius scripsit, hoc fortuitu refert contigisse. 2. 2°. 2°°.

Imperator vero mense Januario post balneum febre corripitur. In quo cum septem dies laborasset, septimo die, accepto corpore et sanguine Domini, ut confirmaret exitum suum, laboravit ipso die et nocte sequenti. Sequenti vero die luce adveniente sciens quod facturus erat, manu dextera ut potuit signo sanctæ crucis totam corpus suum signavit, deindeque colligens pedes, et [484] brachia super corpus extendens, clausis oculis hunc versum psalens : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum » in senectute bona obiit, *etc.* 2. (2°?) 2°°. (*ex Thegan. c.* 7.)

Romanorum 79 *Ludowicus regnavit annis* 26, *mensibus* 11 *usque* ....

836. 1. [DCCCXIV] (Theg. c. 13.) Ludowicus omnem injustitiam sui regni inquirens restauravit.

837. 2. [DCCCXV] (*A. Iersf.*). Baugolfus abbas Fuldensis obiit, 8 Idus Julii. Jussumque est ut omnes monachi cursum sancti Benedicti cantarent. Ratgerus abbas annis 5.

838. 3. [DCCCXVI] (Theg. c. 15, 16.) Ludowici exercitus Sclavos superant, et Leo papa obiit.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 16 decennovennalis incipit indictione 10.]

839. 4. [DCCCXVII] (Theg. c. 16, 17.) *Stephanus* 96 *papa annis* 2 [485], *mensibus* 7. Stephanus papa, obviante Ludowico in campo magno Remensium, sequenti die dominico coram omni populo ante missam unxit eum in imperatorem, et auream coronam miræ pulchritudinis, cum preciosissimis gemmis mirabiliter ornatam, portatam de Roma secum, imposuit super caput ejus, aliamque coronam auream capiti Irmingardæ reginæ, nominans eam augustam.

840. 5. [DCCCXVIII] (*Ib.*) Stephanus vero papa, postea donatus magnis muneribus et honesto in itinere servitio, ad Romam a rege dimissus, et non longe post obiit.

841. 6. [DCCCXIX] (*A. Iersf.*) Dedicatur monasterium Sancti Bonifatii Fulda Kal. Nov.

842. 7. [DCCCXX] Ratgerus abbas Fuldensis obiit 8. Idus Dec. Egil abbas successit annis 5.

Paschalis 97 *papa annis*..... [486]. (*A. Iersf.*) Ludowicus imperator Britanniam subegit, ducem ejus Murcomannum occidens. Inde regrediens Irmingardam reginam febricitantem invenit, quæ paulo post inde obiit (Theg. c. 25).

843. 8. [DCCCXXI] (*A. Iersf.*) Ludowicus imperator Judit, filiam Hwelfi ducis Bajoariæ, reginam sibi sociavit, et Ingulenheim villa regia generale placitum suum habuit (Theg. c. 26).

844. 9. [DCCCXXII] (Theg. c. 27.) Ludowicus imperator per exercitum suum orientales Sclavos vastat, ducem eorum nomine Liduit fugato.

845. 10. [DCCCXXIII] (Theg. c. 28.) Ludowicus imperator primogenito filio suo Lothario, placito generali habito, filiam Hugi comitis conjunxit [487].

846. 11. [DCCCXXIV] (Theg. c. 29.) Ludowicus imperator de placito generale Attiniaco [488] palatio Lotharium filium cum conjuge sua Irmingarde in Italiam direxit, indeque Franconofurt venit, et natalem Domini celebravit. Paschalis papa obiit.

(*A. Iersf.*) *Eugenius* 98 *papa annis* 3. Haistolfus episcopus Mogontinus obiit.

847. 12. [DCCCXXV] (*A. Iersf.*) Otgarius episcopus ann..... * (Theg. c. 31). Ludowicus imperator vastat Britanniam.

* Qui cum ad Italiam ob discordiam filii ab imperatore cum aliis directus Papiam venisset, quidam clericus cum [489] reliquiis [490] sancti Severi [491] Ravennæ urbis episcopi necnon uxoris ejus Vincentiæ filiæque ejus Innocentiæ, quas furto abstulerat, ad eundem Otgarium se contulit et ei quid egisset innotuit. Otgarius autem gaudens easdem reliquias suscepit, et eas Mogontiacum secum adduxit, atque in monasterio sancti Albani sanctam Vincentiam ad australem plagam, sanctam vero Innocentiam ad aquilonalem posuit, sanctum vero Severum juxta altare sancti Albani, cujus postea reliquias ad Erphesfurt transtulit. *addunt* 2. 2°. 2°°. (cf. *Lamb. a.* 836.)

848. 13. [DCCCXXVI] Egil abbas Fuldensis obiit. 14 Kal. Jul. Rabanus successit annis 20. Ludowico imperatori Aquis legati Vulgarorum munera portant (Theg. c. 32).

849. 14. [DCCCXXVII] (Theg. c. 33.) Ludowicus imperator Ingilenheim Herioltum de Danais [492] de fonte baptismatis, et uxorem ejus regina Judith elevavit. Cui cum magnam Fresonum partem dedit, donis honorificis cum legatis suis cum dimisit.

Valentinus 99. *papa.*

850. 15. [DCCCXXVIII] (Theg. c. 34.) Ludowicus

VARIÆ LECTIONES.

[482] *erasa* 1. *desunt* 3. [483] fl. projiciebantur 2°. [484] ad 2? [485] X. 2. 2°. *corr.* II. 1. *numerus erasus* 3. [486] *ita* 1. VII. *e corr.* 3. a..... *desunt* 2. 2°°. *ubi hæc ad a.* 841. 840 *referuntur.* [487] conjuxit 1. [488] attihco 1. [489] *deest* 2. 2°°. [490] *deest* 2? [491] danis 1.

Digitized by Google

imperator dirigens exercitum contra Sarracenos obiam [462], fugavit eos.

851. 16. [DCCCXXIX] (*Ib.*) Ludowicus de Ingelenheim post generale placitum venit Commarciacum.

852. 17. [DCCCXXX] (THEG. c. 35.) Ludowicus Wormatia Karolo, filio Judit et suo [463], terram Alamanicam et Rediciam et partem Burgundiæ dans coram filiis suis Luthorio, Ludowico et Pipino, qui tres germani sunt indignati inde. Corpora sanctorum Valentini, Senesii in Augeam insulam 5 [464] Idus Apr. venerunt.

853. 18. [DCCCXXXI] (THEG. c. 36.) *Gregorius papa* 100. Judith[a] regina, quasi violata a duce Bernhardo, et [465] imperatoris sacro fonte baptismatis filio, a primatibus regni velata est et in monasterium missa. Fratres etiam reginæ Cuonradum et Rudolfum tondentes et in monasterium mittentes; quos in Novio super flumen Valum cum veritate superavit rex, reginam [466], Aquis obviam ei venientem, jubente papa Gregorio, accepit [467] (THEG. c. 37).

[a] Ludovicus imperator de Aquisgrani palatio venit ad Compendium, ibique filius ejus Pippinus cum multis perfidis venit ei obviam, volens eum de regno expellere; sed equivocus imperatoris filius ei [468] contradixit. Dicebant autem illi perfidi, Judit reginam violatam esse a quodam duce Bernhardo, qui erat de stirpe regali, mentientes omnia. Sicque vi velantes eam in monasterium miserunt; similiterque fratres, *etc.* 2. (*ex Theg. c.* 36.)

854. 19. [DCCCXXXII] (THEG. c. 38.) Bernhardus dux in palatio Theodonis coram rege et filiis suis purgavit se, cum nullus vel armis eum culpabilem cum regina fecisset.

855. 20. [DCCCXXXIII] Filii regis temptaverunt regnum, patrem dehonorantes.

856. 21. [DCCCXXXIV] Ludowicus imperator a [filiis [469]] suis, id est Pipino, Ludowico et Lothario, imperio privatur; obviam ei venientes cum Gregorio papa in campo magno, qui est inter Argentoriam et Basiliam. (THEG. c. 42.) Tunc separantes reginam ab eo et mittentes eam in Italiam in civitatem Tartunam, Pipinus in Aquitaniam, Ludowicus in Bajoariam perrexit. Lotharius vero patrem ad Compendium palatium et inde Aquisgrani conduxit, et in custodia inclusit, et ibi celebravit natale Domini, patre adhuc incluso.

857. 22. [DCCCXXXV] (THEG. c. 48.) Post vero epiphaniam Lothorius, quia contra eum cum patre erat Ludo[wicus, compellit patrem secum ire ad Compendium. Quos cum multitudine secutus [470]] est Ludowicus; et cum propre esset, fugiens Lothorius, patrem Ludowicus conduxit ad sedem regalem Aquis, et ibi pariter pascha celebraverunt.

858. 23. [DCCCXXXVI] [*Cod. in marg.*, Ciclus 17 decennovennalis incipit indictione 14.]

860. 25. [DCCCXXXVIII] (*A. Aug.*) Paulo [471] diaconus palatii lapsus est in judaismum.

861. 26. [DCCCXXXIX] (*A. Aug.*) Eclipsis solis 3 Non. Mai inter 8 et 9 horam in vigilia ascensionis Domini.

862. 27. [DCCCXL] (REG.) Ludowicus imperator dum filium suum Ludowicum trans Renum persequeretur, morbo gravatur, et in navim per Moin in Renum deducitur, vix in insula Ingelheim perveniens, obiit ibi 11 Kal. Junii, et inde in mense Martio asportatus in basilica sancti Arnolfi sepultus, statimque Lothorius Italia egressus imperium arripuit. *Romanorum* 80 *Lothorius regnavit annis* 15.

863. 1. [DCCCXLI] (REG.) Ludowicus vero et Carolus paterno regno privati, apud Fontaniacum fratrem Lotharium bello vincunt.

864. 2. [DCCCXLII] (REG.) Tres [472] supradicti fratres regnum Francorum inter se diviserunt: Carolus occidentem a Britannico oceano tenet usque ad Mosam fluvium; (REG.) Ludowicus orientem, id est omnem Germaniam usque Reni fluenta et nonnullæ civitates [trans [473] Renum cum adjacentibus pagis ob copiam vini]; Lotharius vero primogenitus et imperator medium inter utrosque regnum tenuit totamque Provinciam et omnia regna Italiæ cum ipsa Roma. Ab hoc Lothorio regnum Luthorium [474] hactenus nominatur.

866. 4. [DCCCXLIV] *Sergius* 101 *papa.*

868. 6. [DCCCXLVI] (*A. Hersf.*) Otgarius [475] episcopus Mogontinus obiit. Rabanus abbas Fuldensis successit annis 9.

869. 7. [DCCCXLVII] Hatto abbas ad Fuldam post Rabanum [476] successit annis 15.

873. 11. [DCCCLI] (REG.) Irmingardis regina, conjunx Lothorii, obiit. Regina [477] vero reliquit tres filios Ludowicum, Lutharium et Carolum.

875. 13. [DCCCLIII] *Leo papa* 102 *post Petrum.*

876. 14. [DCCCLIV]

[*Cod. in marg.*, Ciclus decennovennalis explicit indictione 2 [478].]

877. 15. [DCCCLV] (cf. *A. Hersf.*) Rabanus episcopus Mogontinus obiit feria 2. Non. Febr. Carolus episcopus successit 8 annis. Basilica Sancti Kiliani concrematur. Luthorius imperator, convocatis primoribus regni, imperium inter filios suos divisit. (REG.) Ludowico quidem Italiam tradidit, eumque imperatorem nomine suo appellari fecit; Lothario vero regnum, quod ex suo nomine vocatum est, concessit; Carolo autem juniori ipsorum [479] Provinciam mandavit. Qui ita disponens seculum reliquit, et in Prumia monasterio veniens, postquam habitum sanctæ conversationis monachorum suscepit, eodem anno 3 Kal. Octobris obiit.

VARIÆ LECTIONES.

[462] *i. e.* obviam. [463] f. suo ex i. regina 2. f. suo et i. r. 3. [464] VI. 2. [465] *deest* 3. B. qui erat de stirpe regali 2. 2°. (2°?) [466] regnā 1. [467] præcepto Gregorii papæ aliorumque episcoporum justo judicio suscepit 2. (2°?) (2°?) [468] ejus 2? [469] *deest* 1. [470] *hæc desunt* 1. [471] paudo 3. [472] *a.* 861-872 *scripta* 1. [473] *desunt* 1? [474] lotringun 3. [475] otgar. 1. [476] raban' 1. [477] *hæc a.* 874 *scripta.* [478] tertia 2. [479] hessorum 2. 2°.

Digitized by Google

Rc m rum 81 *Ludowicus, qui et Lothorius* (148), *regnav.. annis* 15.

878. 1. [DCCCLVI.]

[*Cod. in marg.*, Annus secundus cicli 18 decennovennalis indictione quarta.]

879. 2. [DCCCLVII] *Benedictus* 103 *papa post Petrum.*

880. 3. [DCCCLVIII] (*A. Aug.*) Folcwinus [480] abbas obiit.

881. 4. [DCCCLIX] (*A. Aug.*) Waldarius [481] abbas post ipsum successit.

882. 5. [DCCCLX] (*A. Aug.*) Meginradus hierimita martyrizatus est.

883. 6. [DCCCLXI] Hatto abbas Fuldensis obiit pridie Idus Aprilis.

884. 7. [DCCCLXII] Thiodo abbas post eum successit annis 13.

885. 8. [DCCCLXIII] (*A. Hersf.*) Carolus episcopus Mogontinus obiit. Liutbertus episcopus successit 26 annis.

Sanctus Nicolaus papa 104.

886. 9. [DCCCLXIV] (*A. Aug.*) Walterus [482] abbas obiit. Hecco post eum successit. (REG.) Lothorius [483] imperator, quod Thietbirgam reginam uxorem legittimam recusare vellet, quam exosam habebat propter Waldradam suam concubinam, quam, cum adolescens esset, in domu paterna nimio diligebat amore, non parva res inde [484] evenit. Fratres [484] ergo reginæ hoc ad Nicolaum papam Romam deducunt. Inde Nicolaus papa Arsenium episcopum, apocrisiarium et consiliarium suum, vice sua in Franciam anno isto direxit. Qui cum venisset, convocato episcoporum conventu, antequam protinus anathematis gladio feriretur, necessitate constrictus Lotharius, vellet nollet, reginam in matrimonium recepit; interposito jurisjurandi sacrificio, ne eam a se separaret, neque ipsa vivente aliam super eam induceret. Sed postea projecta regina, et Waldrada pro ea inducta, sanctus Nicolaus 4 Non. Februarii in purificatione sanctæ Mariæ, Waldradam anathematis sententia ab omni consortio sanctæ ecclesiæ excommunicavit.

890. 13. [DCCCLXVIII] (*A. Aug.*) Cometa visa est manifestissime hoc anno.

891. 14. [DCCCLXIX] (*A. Aug.*) Sanctus Nicolaus papa obiit 8 Idus Decembris. Ictus fulminis Kal. Jul. hora 10.

892. 15. [DCCCLXX] (REG. *an.* 868.) *Adrianus* 105 *papa annis* 3. Lothorius autem cum audivit mortem Nicolai papæ, misit ad papam Adrianum, rogans ut cum gratia eum suscipisset. Cui papa rescribens dixit, si se immunem ab objectis predictis sciret, ut ad appetitam benedictionem sancti Petri perveniret; si culpabilem, ut condigna remedia penitentiæ susciperet, nihilominus sine dilatione veniret. (REG. *an.* 869.) Qui cum Romam pervenisset, ab Adriano papa honorifice susceptus est. Qui cum a papa interrogatus est, si precepta sancti Nicolai, immo beati Petri, et jusjurandum Dominici corporis observaret, respondit se ita observasse omnia ac si divinitus sibi essent imperata. Quod etiam proceres ac optimates sui cum eo contestificaverunt. Cui papa dixit: « Oportet te ergo, fili karissime, corpus Christi nobiscum participare, ut per hanc participationem membris Christi, unde abscisus videbaris, in corpore inseri merearis. » Papa itaque, cantata missa, hora communicationis accipiens corpus Christi in manibus suis, dixit Lothario: « Si innexus es a predictis, remissio sit tibi hæc communicatio; sin autem, nequaquam sumere presumas, ne forte ad judicium et condemnationem tibi perveniat. » Rex autem captus mente, obduratus pariter et obcæcatus, absque retractione communicavit. Deinceps papa ad sequaces et fautores regis dixit singulis: « Si in adulterio predicto cum rege tuo non communicasti, hæc communio corporis Christi sit tibi in vitam æternam. » Nullus autem in hoc scelere regi consentiens [qui [485]] communicavit, post annum vixit. Lotharius vero imperator Roma egressus, morbo corripitur, et perveniens Placentiam civitatem, obiit 6 Idus Augusti. Inde etiam et in populo mortalitas maxima acta est. (REG. *a.* 870.) Cujus regnum Ludowicus et Karolus senior, duo fratres ejus, in loco Marsana juxta Mosam, una cum proceribus et optimatibus [486] suis, æquis partibus inter se diviserunt. Karolus ad Heristellium perrexit, cujus palatium ei acciderat.

Romanorum 82 *Ludowicus* (148), *filius Lotharii vel Ludowici, regnavit annis quatuor.*

893. 1. [DCCCLXXI] (REG. *A. Aug.*) Ludowicus vero ad Aquis palatium redivit. Hecco abbas obiit; Ruadho successit.

894. 2. [DCCCLXXII] *Adrianus papa obiit. Johannes* 106 *papa successit annis* 12.

895. 3. [DCCCLXXIII] (*A. Aug.*) Ictu fulminis Wormatia comburitur. (REG. *an.* 871, 872.) Ludowicus imperator Romam veniens, ibique conventum celebrans coram papa Johanne, Adalgisus dux Beneventanus, Grecorum persuasionibus corruptus, et contra Ludowicum imperatorem manum elevans, a senatu tyrannus atque hostis rei publicæ proclamatur, bellumque contra eum decernitur. Thiodo abbas Fuldensis obiit 7 Idus Ag. Sigehart 22 annis.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 19 decennovennalis incipit indictione 7.]

VARIÆ LECTIONES.

[480] *desunt* 2. 2[*]. [481] *desunt* 2. 2[*]. [482] Lothor'. 1. [483] indie 1. [484] Fratres — excommunicavit *scripta sunt ann.* 887—890. [485] *deest* 1. [486] obtimtimtibus 1.

NOTÆ.

(148) Marianus Ludovicum imperatorem et Lotharium regem non recte discernit, ideoque illum huic successisse dicit.

Digitized by Google

896. 4. [DCCCLXXIV] (REG.) Ludowicus imperator cesar Italiæ obiit, et Karolus senior rex Galliæ Romam perrexit.

Romanorum 83 *Karolus regnavit annis* 2.

897. 1. [DCCCLXXV] (REG.) Karolus ergo Romam perveniens, datis Johanni papæ et Romanis magnis muneribus, imperator factus est. (REG.) Ludowicus rex, frater Karoli, apud Franconfurt palatium obiit 5 Kal. Septembr., sepultusque est in monasterio Sancti Nazarii Loraszam; qui ex regina nomine Hemma tres filios habuit, id est Carlomannum, Arnolfi patrem, et Ludowicum Karolumque juniorem, postea imperatorem. Karolus vero senior et imperator audiens mortem fratris sui, ad Aquis palatium; et ubi paucis diebus moratus, ad Coloniam inde est profectus. Carlomannus vero, primogenitus Ludowici, fines Italiæ intravit, quia Karolus senior inde recedit. Karolus autem, frater ejus, in Almania morabatur. Porro Ludowicus, qui ad obitum patris fuit, apud Franconafurt, principalem sedem orientalis regni, residebat. Qui quoque Karolum seniorem 8 Idus Octobr. bello in pago Meginense[487] nomine Ripuaria, non longe ab Andrenaco castello juxta Renum, pugnantem 50 amplius milibus contra se, superavit. Deinde tres fratres in loco qui dicitur Sualifelt inter se regnum paternum diviserunt. Carlomannus Bajoariam, Pannoniam, Carnutum et regna Sclavorum Behemensium; Ludowicus orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Fresiam et partem regni Lothorii; Carolus Almaniam et aliquas civitates ex regno Lotharii tenuit.

898. 2. [DCCCLXXVI] (REG.) Carolus autem imperator Romam secundo profectus est, et ab urbe Roma in Bracham reversus, Bosoni germano suo, Richildis reginæ [filio[488]], Irmigardam, filiam Ludowici imperatoris, cum maxima gloria uxoravit, deditque ei Provinciam; et corona capiti ejus imposita, regem eum jussit appellari. Et inde evolutis diebus paucis, Papiam ingreditur. In qua cum publicam rem disponeret, repente nunciatum est ei Carlomannum cum ingenti armatorum multitudine Langobardorum regna introisse. Qui mox pavore solutus, Ticianum[489] Padumque pertransiit, et summo annisu in Gallias repeditare contendit. Sed priusquam Alpium preminentia juga angustaque itinera attingeret, ægritudine tunditur, de qua protinus 2 Non. Octobr. obiit. Cujus corpus sui in feretro extra Italiam levaverunt; sed ob intolerabilem fœtorem ejus compulsi sunt illud terræ commendare. Post autem aliquantos annos ossa ejus translata sunt, et Parisius in monasterio sancti Dionisii honorifice sepulta.

899. 1. [DCCCLXXVII] (REG.) Post[490] Carolum regnavit filius ejus Ludowicus, qui etiam appellabatur Balbus, eo quod impeditioris esset eloquii, annis duobus.

900. 2. [DCCCLXXVIII] (REG.) Ludowicus Balbus obiit, tres filios relinquens, duos, id est Ludowicum et Carlomannum ex puella nomine Ansgrad, pro qua interdicta a Carolo patre suo, quia sine consilio suo uxoravit eam, pater sibi uxorem Adalheid conjunxit; quæ post mortem viri genuit filium nomine Avi, id est Karolum. Eclipsis solis, 4 Kal. Novembris (*A. Aug.*).

[Johannes[491] papa dum pro quibusdam oppressionibus eclesiarum in partes Galliarum anno incar. 878, ind. 12, 3 Idus Ag. sinodum 31 episcoporum in eclesia Sancti Petri Tricasina[492].]

Romanorum 84 *regnavit Karolus junior*[493] *annis* 10 *post primum introitum ejus in Italiam.*

901. 1. [DCCCLXXIX] (*A. Aug.*) Karolus junior, filius Ludowici, Italiam primum intravit, frater Carlmani[494] et Ludowici.

902. 2. [DCCCLXXX] (REG.) Boso, germanus Karoli senioris, occupare regnum nitens, a filiis Balbi persecutus et fugatus in vita sua.

903. 3. [DCCCLXXXI] (REG.) Carlomannus major rex Bajoariæ, pater Arnolfi, obiit paralisi 7 Non. April., sepultusque est Hodingas in Bajoria. Ludowicus vero, frater ejus, possidens suum regnum, concessit Arnolfo Carantanum, quod ei pater pridem dedit.

904. 4. [DCCCLXXXII] (REG.) Karolus junior de Almania egressus, Langobardorumque fines possidens, in paucis diebus totam Italiam accepit, et Romam perveniens, a papa Johanne et senatu favorabiliter acceptus et cum magna gloria oleo consecrato unctus, imperator creatur.

905. 5. [DCCCLXXXIII] (REG.) Ludowicus rex, frater imperatoris, obiit Franconafurt 13 Kalend. Septembr., sepultusque est Lorozam in cenobio, ubi et pater ejus.

906. 6. [DCCCLXXXIV] (REG.) Ludowicus, filius Balbi, obiit apud Sanctum Dionisium, ubi et sepultus. Cujus regnum Carlomannus, frater ejus, tenet. Bertulfus Trevirorum episcopus obiit 4 Idus Febr. Cui successit Rabbodus 6 Idus Aprilis, qui etiam Ruodbertum episcopum Metensis ecclesiæ consecravit 10 Kalend. Mai.

907. 7. [DCCCLXXXV] *Marinus* 107 *papa.*

908. 8. [DCCCLXXXVI] (REG.) Carlomannus, filius Balbi, obiit, et sepultus apud Sanctum Dionisium cum fratre et avo.

909. 9. [DCCCLXXXVII] (REG.) *Agapitus* 108 *papa.* Karolus imperator corpore et animo cœpit ægrotare. Mense Novembri circa transitum sancti Martini Triburas veniens, conventum convocat. Tunc cernentes obtimates regni imperatorem non modo

VARIÆ LECTIONES.

[487] moinense 2. 2**. [488] *deest* 1. [489] *lege :* Ticinum. [490] Romanorum post 2. [491] *in marg. desunt* 2. 2**. [492] tritusina 1? [493] cum distortis cruribus *add.* 3. [494] carluni 1.

Digitized by Google

solum [495] viribus corporis sed etiam animi defecisse, Arnolfum, Cariomanni filium, ultro in regnum attrachunt [496], et ab imperatore in triduo ita deficiunt, ut cum ipso vix aliquis remaneret, qui ei saltim officia humanitatis impenderet. Cibus tantum et potus ex Liuberti episcopi Mogontini sumptibus prestabatur. Cui supplicanti Arnolfus nonnullos in Almania fiscos concessit.

Romanorum 85 *regnavit Arnolfus annis* 12.

910. 1. [DCCCLXXXVIII] (REG.) Arnolfus, compositis in Francia feliciter rebus, in Bajoariam revertitur.

(REG.) *Adrianus* 109 *papa.* Karolus imperator obiit 2 Idus Junii, sepultusque est in Augia insula.

911. 2. [DCCCLXXXIX] (cf. *A. Hersf.*) Liutbertus episcopus Mogontinus obiit 13 Kal. Mart. Sunderoldus successit annis 2. (REG.) Mortuo autem Karolo, quædam pars populi Italici Berngarium, filium Eberhardi, qui ducatum Forojulianorum tenebat, regem sibi statuit; quidam vero Widonem, filium Lamberti, ducem Spolitanorum, regia dignitate decernunt sublevandum. Sed post tantas strages inter eos factas Wido victor existens, Berngarium regno expulit.

912. 3. [DCCCXC] *Basilius* 110 *papa.*

* Sanctus Edalricus Augustensis episcopus nascitur. *addunt* 2. (2° ?) 2°°.

913. 4. [DCCCXCI] (*A. Aug.*) Sunderoldus episcopus Moguntinus Wormatiæ sabbato 6 Kalend. Julii a Nordmannis occisus (REG.).

914. 5. [DCCCXCII] (cf. *A. Hersf.*) Hatto episcopus successit annis 21, mensibus 8.

915. 6. [DCCCXCIII] *Stephanus* 111 *papa.*

[*Cod. in marg.*, Ciclus 20 decennovennalis incipit indictione 11.]

(REG.) Arnolfus rex cum valida manu et forti exercitu Langobardorum terminos intravit, et usque [497] Placentiam pervenit. Inde conversus per Alpes Penninas Galliam intravit, et Sanctum usque Maurium [498] pervenit. Sigehart abbas Fuldensis obiit Non. Sept. Huogi abbas successit annis 24.

917. 8. [DCCCXCV] (REG.) Wido, qui nomine imperatoris Italiam regebat, obiit. Lantbertus, filius ejus, regnum obtinens, Romæ diadema imperii a papa sibi imponi [499] fecit.

918. 9. [DCCCXCVI] (REG.) Sinodus 96 episcoporum cum abbatibus probatisque multis clericis Triburas in monasterio residentes, contra plerosque seculares, qui episcopalem auctoritatem minuere temptaverunt, plurima decreta super statum Ecclesiæ sanctæ scripta roboraverunt.

(REG.) *Formosus* 112 *papa.* * Arnolfus rex Wormatiam venit, ibique obtimatibus omnibus regni A sui sibi occurrentibus, conventum publicum celebravit. In quo, omnibus collaudantibus, Zuendiboldum filium suum regno Lotharii prefecit. Deinde secundo Italiam Arnolfus ingressus, Romam pervenit, et urbem cum consensu Formosi papæ armis cepit; quod retro ante nativitatem Domini tempore semel fecerunt [a]. Mater autem Lamberti, quæ ad presidium [500] filio relicta fuerat, cum suis latenter aufugit. Arnolfus vero Urbem ingressus, cum magno honore a Formoso papa susceptus, et ante confessionem sancti Petri unctus et coronatus imperator creatur. Eodem autem anno Lambertus nomine imperator [501] obiit; et Ludowicus, filius Bosonis, fratris Karoli senioris, a Langobardis invitatus, a Provincia egressus, Italiam intravit.

B * *Alia manu in superiori margine legitur :* Formosus papa Hattoni Mogontino archiepiscopo : « Litteras sanctitatis tuæ benigne suscepimus et petitionem tuam in his quæ ad rem pertinent habentes accommodamus. Nam pallei usum concedimus, monentes et protestantes ut non id ad seculi pompam tibi largitum arbitreris, » et reliqua.

919. 10. [DCCCXCVII] (REG.) Zuendiboldus, hortatu Arnolfi patris sui, Odonis comitis filiam, nomine Odam, post pascha sibi uxorem sociavit.

Bonifatius [502] *papa* [503] diebus 15. *Stefanus papa anno* 1, *mensibus* 3.

920. 11. [DCCCXCVIII] (REG.) In Italia inter Ludowicum, filium Bosonis, et Berngarium multa certamina gesta sunt. Sed tandem Ludowicus fugans C Berngarium, Romam ingreditur, ubi a papa coronatus, imperator nominatur.

921. 12. [DCCCXCIX] (*A. Aug.*) Ungarii Italiam multum vastant. Arnolfus imperator obiit 3 Kalend. Decembris, sepultusque est in Odingas, ubi et pater ejus jacet. (REG.)

Romanus 117 [504] *papa mensibus* 4.

Romanorum 86 *regnavit Ludowicus annis* 12.

922. 1. [CM] (REG.) *Theodorus* 118 *diebus* 20. Ludowicus, filius Arnolfi, 2 Non. Febr. anno ætatis suæ septimo, quem ex legittimo matrimonio genuit Arnolfus, proceres et obtimates regni regem super se constituunt, et coronatum regisque [505] ornamentis indutum, ad Foracheim congregati in unum, in D fastigio regni elevant.

923. 2. [CMI] (*A. Aug.*) Kindiboldus rex, filius Arnolfi, occiditur.

Johannes 119 *papa annis* 2 *sedit.*

924. 3. [CMII] (REG.) Stephanus comes, frater Walonis, cum in secessu residens nocturnis horis alvum purgaret, sagitta per fenestram percutitur. Inde [506] eadem nocte extingu tur.

925. 4. [CMIII] *Benedictus* 120 *papa annis* 3, *mensibus* 5.

VARIÆ LECTIONES.

a

[495] *ita* 1. solummodo 3. [496] attrchunt 1. [497] *reliqua a.* 916 *scripta.* [498] *ita* 1. maurum 3. mauritium 2. [499] poni 1? [500] fecerat 3. [501] imperatoris *ed. De codicum lectione nihil notatum est.* [502] *a.* 919 *vel* 920. *in marg.* [503] 113. papa 2. 2°. *et ita in seauentibus.* [504] CXV, *etc.* 2. [505] *i. e.* regiisque. [506] *hæc a.* 925 *scripta.*

Digitized by Google

926. 5. [CMIV] (REG.) Focho Remorum episcopus a quodam satellite Balduini comitis, nomine Winimaro, occisus est. Cui successit Heriveus, qui cum multis aliis episcopis eundem Winimarum pro tanto scelere perpetuo anathemate excommunicavit.

927. 6. [CMV] (REG.) Ludowicus, filius Bosonis, qui sortitus est nomen imperatoris, Berngarium de Italia expellens, totum illud regnum posidet. Qui de securitate presumens, absoluto exercitu, cum paucis Veronam ingressus est, adhortante Adalardo predictæ civitatis episcopo. Quod cum cives summa festinatione Berngario, qui tunc in Bajoaria exulabat, promittentes et portas civitatis sibi aperiri pronunciantes; Ludowicum Berngarius regno oculisque privans, regnum Italiæ obtinuit. *Leo* 121. *papa diebus* 57.

928. 7. [CMVI] (REG.) Cuonradus comes, pater Cuonradi junioris, 3. Kal. Martii bello occiditur in Hessia, in loco qui dicitur Friteslar, ab Adalberto comite. Eodem anno mense Julii Ludowicus rex conventum generalem celebravit apud Triburias villa regia, et in castro quod Terasso dicitur obsidione cinxit Adalbertum, et decollavit 5. Idus Septembris. *Christophorus* 122. *papa mensibus* 4.

929. 8. [CMVII] (*A. Aug.*) Bajoarii ab Ungariis interficiuntur. *Sergius* 123. *sedit annis* 7, *mens.* 3, *dies* 16.

930. 9. [CMVIII] (*A. Aug.*) Ungarii Saxoniam et Turingiam vastant.

931. 10. [CMIX] (*A. Aug.*) Ungarii Alamanniam vastant.

932. 11. [CMX] (*A. Aug.*) Franci ab Ungariis aut occisi sunt vel fugati.

933. 12. [CMXI] (*A. Aug.*) Ludowicus rex obiit, et Cuonradus in regem elevatur.

Romanorum 87. *regnavit Cuonradus annis.* 7.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 21. decennovennalis incipit indictione 15.]

934. 1. [CMXII] (*A. Hersf.*) Hatto episcopus Mogontinus obiit. Herigerus successit, annis 14, mensibus 6.

935. 2. [CMXIII] (*A. Aug.*) Ungarii Alamanniam vastant, et juxta Ina flumen a Bajoariis et Alamannis occissi sunt.

936. 3. [CMXIV] (*A. Aug.*) Hiemps magna nimis et durus. (*A. Aug.*) *Anastasius* [807] *annis* 2, *mensibus* 2.

937. 4. [CMXV] (cf. *A. Hersf.*) Ungarii totam Alamanniam igne et gladio et Turingiam vastant, venientes usque ad Fuldam.

938. 5. [CMXVI] (*A. Aug.*) Erchanger et Bertolt decollati sunt. *Lando papa mensibus* 5.

939. 6. [CMXVII] (*A. Aug.*) Ungarii per Alamanniam in Alsatiam et usque ad fines regni Lothorii venerunt. *Joannes papa annis* 14, *mensibus* 2, *diebus* 3.

940. 7. [CMXVIII] Huogi abbas Fuldensis obiit 6. Idus Jun. Helmfrid successit anno 1. (*A. Aug.*) Cuonradus rex obiit 10. Kalend. Januarii, sepultusque est in Fulda monasterio juxta altare [sanctæ [808]] Crucis.

Romanorum 88. *regnavit Heinricus annis* 17.

941. 1. [CMXIX] Helmfrid abbas obiit 8. Idus Decemb.

942. 2. [CMXX] Haicho abbas successit annis 6.

945. 5. [CMXXIII] (*A. Aug.*) Pretiosissimus thesaurus sanguinis Domini venit in Augiam 6. Idus Novembris. Forte ille sanguis, qui de imagine Christi confluxerat, cum a Judeis patiebatur eadem quæ et Dominus passus ab eis.

947. 7. [CMXXV] Haicho abbas Fuldensis obiit 4. Kal. Junii.

948. 8 [CMXXVI] (*A. Aug.*) Hiltibertus abbas ad Fuldam successit annis 4. Ungarii [809] totam Franciam, Alsatiam, Galliam et Alamanniam igne et gladio vastant

949. 9. [CMXXVII] Herigerus episcopus Mogontinus obiit Kalend. Decembris.

950. 10. [CMXXVIII] Hiltibertus abbas Fuldensis successit annis 9, mensibus 5. Cui successit Hadamarus abbas tertius [810] decimus ad Fuldam annis 28. [*Cod. in marg.*, Ciclus 22. decennovennalis incipit indictione 4.]

953. 13. [CMXXXI] Heinricus rex regem Obritorum et Nortmannorum elicit christianos.

Leo [811] *papa mensibus* 7.

954. 14. [CMXXXII] (*A. Aug.*) *Stephanus* [811] *annis* 2, *mensibus* 2.

956. 16. [CMXXXIV] (*A. Aug.*) Ungarii ab exercitu regis Heinrici occisi sunt et multi quoque ex ipsis comprehensi sunt.

957. 17. [CMXXXV] *Joannes* [811] 126. [812] *papa mensibus* 4.

958. 18. [CMXXXVI] Hiltibertus episcopus Mogontinus obiit 2. Kal. Jun. Fridricus successit 17 annis. (*A. Aug.*) Heinricus rex obiit 7. [813] Non. Juli; et Otto, filius ejus, in regnum constituitur.

Leo [811] 127. [814] *papa annis* 3, *mensibus* 6, *diebus* 10.

Romanorum 89. *regnavit Otto annis* 36. *mensibus* 10.

959. 1. [CMXXXVII] (*A. Aug.*) Monasteria sanctorum Scottorum, sancti Galli et sancti Bonifacii, igne consumuntur. Ungarii per orientales Francos et Alamanniam, multis civitatibus igne et gladio consumptis, juxta Wormatiam Reno transito, usque ad mare oceanum regnum Galliæ devastaverunt, et per Italiam redierunt.

960. 2. [CMXXXVIII] (*A. Aug.*) Otto de Bajoariis sibi resistentibus rediit. Frater ejus Heinricus comprehensus est ab Eberhardo. Illo autem liberato,

VARIÆ LECTIONES.

[807] papa 122. *et ita in seqq.* 2. 2ᵉ. [808] *deest* 1? [809] *hæc primum ad a.* 938 (935). *scripta erant, sed nunc relata* 1. [810] tert. 1. [811] *in* 1. *hi papæ in margine a.* 951—958. *leguntur; in* 2. *a.* 951. 956. 957. 958. [812] CXXVII. 2. 2ᵉ, *qui suo ordine pergunt.* [813] *lege* : VI. [814] CXX. 1. CXXVIII. 2. 2ᵉ

Digitized by Google

Eberhardum misit in exilium, atque iterum Bajoarias invasit cum exercitu, omnesque sibi subdidit nisi tantum unum Arnolfi filium. Interim magna pars Ungariorum a Saxonibus occisa est. A

961. 3. [CMXXXIX] (*A. Aug.*) Otto in Lotheringos ibat usque ad Caprimontem [515]. *Stefanus papa* [516] *annis* 3, *mensibus* 3, *diebus* 15.

962. 4. [CMXL] (*A. Aug.*) Interea Ludowicus rex Galliæ invasit Alsatiam.

963. 5. [CMXLI] Tunc Otto revertens, venit ad Prisacam et obsedit eam, et Ludowicus discessit. *Marinus* [517] *papa* 130 *annis* 3, *mensibus* 6, *diebus* 14.*

* Hujus papæ tempore sanctus Udalricus Romam venit, et ab eodem mortem episcopi sui Adalberonis audiens, simul etiam se episcopum futurum agnovit. Sed Hiltine post Adalberonem quindecim annis ecclesiæ Augustensi præfuit, moxque sanctus Udalricus in episcopatu successit. *add.* 2. 2°. 2°°. (*ex vita S. Udalrici.*) B

964. 6. [CMXLII] Interim Eberhardus dux occisus, et Gisilbertus dux in Reno submersus.

965. 7. [CMXLIII] Otto dux obiit; cui Cuonradus successit.

966. 8. [CMXLIV] (*A. Aug.*) Otto rex in Luthoringos cum exercitu exivit; et [518] omnes suo subjugavit imperio. Sed [518] Metensis episcopus resistebat. Heinricus [518] vero, frater regis, projectis armis, venit ad eum.

968. 10. [CMXLVI] *Agapitus* [519] *centesimus trigesimus tertius papa sedit annis* 10, *mensibus* 6, *diebus* 10. C

972. 14. [CML].

[*Cod in marg.*, Ciclus 23, decennovennalis incipit ind. 8.]

974. 16. [CMLII] (*A. Aug.*) Per loca Germaniæ Galliæque plurima terræ motus magni facti sunt.

975. 17. [CMLIII] (*A. Aug.*) Mogontia civitas ab Ottone rege obsessa est.

976. 18. [CMLIV] (*A. Aug.*) Vullihelmus [520], filius Ottonis regis, sic: « Anno dominicæ incarnationis 954, indictione 12, beatæ memoriæ dominus Fridericus, sanctæ Mogontiacensis ecclesiæ archiepiscopus, 8. Kal. Novembr. obiit. Eodem vero anno ego Willihelmus, tantæ successionis indignus, loco ejus cum consensu cleri et populi ejusdem sanctæ sedis, 16. Kal. Januar., ipsoque die pace [521] inter regem Ottonem et filium ejus Liudolfum facta, in loco Aranstedi, sum electus, et in die 9. Kal. Januar. Mogontiæ ordinatus. » Hæc ait Willihelmus episcopus, filius Ottonis imperatoris. D

977. [CMLV] 19. Ludolfus, filius Ottonis imperatoris, obiit*.

* et sepultus est in choro monasterii sancti Albani Mogontiæ. *add.* 2. (2°?) 2°°.

978. [CMLVI] 20. *Johannes* 134. *papa de regione Violata ex patre Alberico principe Romanorum successit indictione quarta decima.* Hadamarus abbas Fuldensis, qui monasterium Fulda magnifico opere construxit, obiit 8. Kal. Jun. Hatto, filius sororis suæ, successit annis 11 mensibusque octo.

983 [CMLXI] 25. Otto rex unguitur in imperatorem ab Johanne papa.

985. [CMLXIII] 27. Romanus rex Grecorum multum pius et laudabilis obiit. Nicaphorus post ipsum successit.

987. [CMLXV] 29. [*Johannes* [522] 113. *papa*. De his papis dubitamus.]

988. [CMLXVI] 30. Eberhardus comes obiit.

990. [CMLXVIII] 32. Otto, filius [523] Ottonis imperatoris, a Johanne papa ante altare sancti Petri cum patre suo coronatus est. Vullihelmus episcopus Mogontinus obiit 6. Non. [524] Mart. * Hatto abbas Fuldensis successit. annis 2. Wernerus [525] abbas ad Fuldam successit.

* et sepultus est ante altare sancti Stephani in monasterio sancti Albani in Mogontia. *add.* 2. (2°. 2°°?); obiit et apud Sanctum Albanum sepelitur. 3.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 24. decennov. incipit ind. 12.]

991. [CMLXIX] 33. Nicaphorus rex Grecorum et senex cum timuisset a filiis suis projici, voluit eunuchizare eos. Tunc vero mater eorum regina, quia per nullum aliud ingenium filios liberare potuit, Johanni suasit regem occidere et imperare. Johannes itaque occulte cum funibus intravit per fenestram in palatium, et occisso rege, ita egressus est et imperavit.

992. [CMLXX]. 34. Hatto episcopus Mogontinus obiit 6. Kal. Mai. Ruobbertus episcopus successit annis 6, mensibus 9.

995. [CMLXXIII] 37. Otto imperator obiit Non. Mai, [et [526] sepultus est apud Magedeburc [527].]

Romanorum 90. *regnavit Otto annis* 10, *mensibus* 7.

[*Stephanus* 114. *papa.*]

996. [CMLXXIV] 1.

997. [CMLXXV] 2. Ebergerus archiepiscopus Coloniensis immolavit Scottis in sempiternum monasterium sancti Martini in Colonia. Quibus primum primus abbas preerat Minnborinus [528] Scottus annis 12.

998. [CMLXXVI] 3. Ruobbertus episcopus Mogontinus obiit Idibus Januar. Willigisus [529] episcopus successit annis 34, mensibus 6.

1003. [CMLXXXI] 8. [*Stephanus* 115. *papa.*]

VARIÆ LECTIONES.

[515] bokkesberg *superscr.* 2. 2°. [516] 129. papa 2. [517] *in marg.* 1. *fortasse ad a.* 964 [518] *hæc a.* 967—969. *scripta sunt* 1. Heinricus *etc. etiam* 2. *a.* 969. *habet.* [519] *hæc a.* 970. *scripta, postea huc relata sunt* 1. [520] V. f. o. r. sic *a.* 974. *scripta sunt* 1. *desunt* 2. (2°?) 2°°. [521] pacem *ed. De codd. nihil notatum est.* [522] *hæc in margine* 1. papa CXXXIII. 2. *et ita deinceps.* [523] fil'1. [524] VIII. 1? *legi putarim*: VI. N. [525] Werinherus 2. [526] *alia manu add.* 1.. [527] maideburg 2. [528] minnborinus 1. [529] *a.* 1005. *scripta.*

Digitized by Google

1006. [CMLXXXIV] 11. Otto imperator junior obiit 7. Idus Decembris [Roma [830]].

Romanorum 91. *filius secundi Otto tertius regnavit annis* 18, *mensibus* 2.

1007. [CMLXXXV] 1.

1008. [CMLXXXVI] 2. Minnborinus abbas Scottorum monasterii sancti Martini in Colonia obiit 15. Kal. Aug. Kilianus abbas Scottus successit annis 16.

1009. [CMLXXXVII] 3. Villigisus [831] archiepiscopus Mogontinus dedicavit ecclesiam in Turnilaun (149), Wigero [832] comite rogante. Qui Wigerus mox eandem ecclesiam, quæ etiam Dorlon nominatur, cum omnibus quæ in eadem marchia habuit, post obitum suum sancto Martino et episcopo Mogontino contradit.

1010. [CMLXXXVIII] 4.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 25. decennovennalis incipit indictione prima.]

1012. [CMXC] 6. [*Marinus* 116, *papa.*]

1020. [CMXCVIII] 14. [*Agapitus* 117. *papa.*]

1024. [MII] 18. Otto tertius imperator obiit 10. Kalend. Februarii, sepultusque est Aquisgrani.

Romanorum 92. *regnavit Heinricus annis* 22.

Heinricus secundus die dominico 7. Idus Juni electione populi laudatus est Mogontiæ in regem. Quique ipso eodem die ab archiepiscopo Mogontino Willigiso ante altare sancti Martini confessoris consecrando in regem Mogontiæ coronatus.

1025. [MIII] 1. Kilianus abbas Scottorum sancti Martini Coloniæ 19. Kal. Januar. obiit [*Octavianus* 118. *papa*]

1026. [MIV] 2. Helias Scottus post eum successit annis 20.

1029. [MVII] 5.

[*Cod. in marg.* Ciclus 26. decennovennalis incipit indictione 5.]

1031. [MIX] 7. Brun episcopus [martirizatus [833] est]. [*Leo* 119. *papa.*]

1033. [MXI] 9. Willigisus episcopus Mogontinus obiit feria 6. 7. Kal. Mart. Ercanbaldus abbas Fuldensis successit annis 10, mensibus 6.

1036. [MXIV] 12. Brian [834] rex Hiberniæ parasceve paschæ feria 6. 9. Kal. Mai manibus et mente ad Deum intentus occiditur ; (150) cui successit Donchad filius suus annis 51, nec quartam partem Hiberniæ regnavit.

1039. [MXVII] 15. [*Benedictus* 120. *papa.*]

VARIÆ LECTIONES.

[830] *in marg. superscr.* 1. et jacet in Roma 2 (2° ?) 2°. [831] *hæc a.* 1013. 2. *a.* 1012. 2°. [832] uuikkero 2. [833] *hæc desunt* 1. [834] *hæc desunt* 2. (2° ?) 2°

NOTÆ.

(149) Joh. Maur. Gudenus, Hist. Erfurt., lib. I, § V, p. 18, sic explicat : « Hic multas ædes sacras erexit, collegiatam etiam ecclesiam in majori Dorla liberaliter fundavit, post quatuor et quod excurrit sæcula Saltzam translatam. » STRUVE.

(150) v. Ann. Inisfalenses, apud O'Connor SS. R. Hib., II, p. 60, sqq. ; Ann. quatuor magistrorum, ibid., III, p. 552. — Hoc loco catalogum regum Hibernicorum exhibendum duxi, qui fol. 15 codicis scriptus est : *Hi sunt flathi* (*a*) *Hiberniæ, qui ex dimedia parte ei, id est do leth Chuinn* (*b*), *regerunt, o Chunn cetchatach* (*c*) *co*
Fland mac Mailsechnaill.
Conn Art Cormac (*d*) *ann.* 60.
Corpri (*e*) *mac Cormaic ann.* 30.
Fiache Multach letan ann. 25.
Muredach Tirech ann. 4.
Euchu (*f*) *Mugmedoin ann.* 25.
Conlæ Uoiss (*g*) *ann.* 4.
Niall ann. 27.
Nathi (*h*) *ann.* 60.
Lægære (*i*) *mac Nell ann.* 66.
Aillill Molt mac (*j*) *Nathi ann.* 20.
Lugæd mac Lægære ann. 23.
Murchertache macc Ercca (*k*) *ann.* 20.
Tuathal Mailgarb ann. 18.
Diarmæt mac Fergusa ann. 20.
Fergus et Donnall da mac Muircertaig meic Ercca (*l*) *ann.* 30.
Muiredach (*m*) *Munderg ann.* 12.
Anmire mac Setnai ann. 4.
Baitan mac Muirchertaig et Echoid mac Donnæll meic Murchertaig ann. 4.
Bætan (*n*) *mac Murchada ann.* 16.
Anmire (*m*) *ann.* 7.
Colmanbec (*m*) *mac Diarmata et Æd mac Aumerech* (*o*) *ann.* 13.
Suibni (*m*) *mac Colmanmoir ann.* 3.
Æd Slane mac Diarmata ann. 4.
Æd Alaeinn mac Donnaill ann. 7.
Œngus (*m*) *mac Colmain ann.* 9.
Suibni md (*p*) *mac Fachtna ann.* 7.
Donnall mac Æda ann. 35.
Conall et Cellach da mac (*q*) *Mailcoba ann.* 15.
Bladmecc et Diarmait da macc (*q*) *Æda Slane ann.* 9.
Sechnasach mac Bladmecc ann. 5.
Cendfœlad mac Bladmecc ann. 4.
Finnachta mac Dunchada ann. 18.
Longseck mac Œngusa ann. 9.
Congal mac Fergussa ann. 7.
Fergal mac Mæleduin ann. 12.
Fogartag mac Cernaig ann. 2
Cinaid mac Isigalaig (*r*) *ann.* 4.
Flaitbertach mac Longsig ann. 6.
Æd mac Fergæl ann. 10.
Donnall mac Murchada ann. 20.
Niall mac Fergæle ann. 15.

(*a*) *i. e. imperatores, reges.*
(*b*) *i. e dimidi Conni ; v. Ann. Inisfaldenses* (a. 201.) *apud O'Connor I. p.* 7.
(*c*) *i. e. Connus centum prœliorum ; v. l. l.*
(*d*) *Tres reges sunt, Connus, Arturus, Cormacus.*
(*e*) *v. Ann Tigernachis l. l. p.* 48.
(*f*) Euchu *corr.* Echu *cod. Lege ;* Eocha.
(*g*) Roiss *cod.?* uais *sive* uois *i. e. illustris.*
(*h*) *Vulgo* Dathi, *sed in aliis quoque chronicis* Nathi *dicitur ;* v. O'Connor II p. 81.
(*i*) *cf. catalogum regum Hiberniæ antiquissimum ; quem ex omnibus annalibus et scriptoribus metricis antiquis simul collatis* O'Connor *desumpsit I. Bp. nunc. p. LXXV, seq. Incipit a Laogeire mac Neill,*
(*j*) *m cod. sæpius.*
(*k*) Cercea *corr.* ercca. « *Dictus a matre M. mac Earca* » O'Connar *l. l.*
(*l*) « *i. e. Fergusius et Donaldus duo filii Murcertachs filii Ercæ.* » O'Connor *p. LXXVII.*
(*m*) *Hic deest ap. O'Connor l. l.*
(*n*) *Differt catalogus ap. O'Connor.*
(*o*) Aiumerech O'Con.
(*p*) « Suibhne Meann *i. e. Sulneus illustris* » O'Con.
(*q*) *i. e. duo filii.*
(*r*) Iorgalaigh. O'Con.

Digitized by Google

1042. [MXX] 18. Benedictus papa, presente et audiente Heinrico imperatore, Richardo etiam abbate viro reverentissimo, sedis sancti Bonifatii, publicam cantavit missam apostolorum Philippi et Jacobi super altare et sancti Bonifatii. . .[838] in Fulda Kal. Mai.

1043. [MXXI] 19. Erkanbaldus episcopus Mogontinus obiit 16. Kal. Sept.

1044. [MXXII] 20. Aribo successit episcopus annis 9, mensibus 6.

1045. [MXXIII] 21. [Eclipsis [839] solis hora nona verno tempore.]

1046. [MXXIV] 22. Benedictus papa obiit 7. Idus April. Heinricus imperator obiit 2. Idus Julii, sepultusque est Bamberg [840]. *Johannes papa.* [*Johannes* 121. *papa.*]

Romanorum 93. *regnavit Cuonradus, Francus genere, annis* 15.

1047. [MXXV] 1.

1048. [MXXVI] 2.

[*Cod. in marg.*, Ciclus 27, decennovennalis incipit indictione 9.]

1050. [MXXVIII] 4. [Ego [841] miser Marianus in peccatis fui in hoc anno natus.]

1053. [MXXXI] 7. Aribo episcopus Mogontinus obiit feria 3. 8. Idus April.

1054. [MXXXII] 8. Sanctus Bardo successit annis 20, baculum 3. Kal. Juni die pentecostes accipiens.

1055. [MXXXIII] 9. [Bardo [842] episcopus ab Johanne papa indictione 15. mense Januar. pallium accepit.]

1056. [MXXXIV] 10. Mœlcoluim [843] (151) rex Scotiæ obiit 7. Kal. Decembr. Donchad, filius filiæ (152) ejus, sibi successit annis 5, mensibus 9.

1058. [MXXXVI] 12. Propter religionem districtam disciplinamque nimiam et propter aliquos Scottos, quos secum habebat Helias Scottus abbas, qui monasterium sancti Pantalionis et sancti Martini in Colonia pariter regebat, Piligrinus Coloniensis episcopus, invidiis [844] viris instigatus, Heliæ ait, nisi usque dum ipse Piligrinus de curte regia revertisset, nec Helias neque alius Scottus in monasterio Pantalionis fuisset. Tunc Helias atque alii Scotti quibus episcopus dixit condixerunt : si Christus in ipsis fuit peregrinis [845] ne umquam omnino ad Coloniam virus venisset de curte episcopus Piligrinus. Et ita Dominus complevit ; atque Helias duo monasteria regnavit.

1059. [MXXXVII]. 13. Piligrinus [846] episcopus Coloniensis obiit 8 Kal. Sept. Herimannus episcopus successit annis 19. [Brun [847] episcopus Wirziburgensis obiit.] Sanctus archiepiscopus Bardo, præsenti Conrado imperatore, indictione 5, quarto die Idus Novembr., feria quoque quinta, in qua feria crisima [848] consecratur et multa etiam sancta et bona opera perficiuntur, in qua equidem dominus noster Jhesus Christus in corpus suum panem et in sanguinem suum vinum nobis sanctificavit, quique est dies honorabilior totius ebdomadæ post diem dominicum, consecravit monasterium sancti Martini, sedis Mogontiacensis archiepiscopatus, immo omnium Francorum, in honore sancti Martini episcopi et confessoris, cum multis episcopis atque venerabilibus viris.

1061. [MXXXIX] 15. Cuonradus imperator obiit 2. Idus Juni, sepultusque est Spira. Richardus abbas Fuldensis felicis memoriæ obiit 13. Kal. Aug. Hic [849] etiam multos sanctos Scottigenæ gentis viros in commune fratrum habebat, atque caminatam et dormitorium ipsis seorsum simul et inter fratres subministrabat sicut pater. Cui successit Sigiwart abbas.

Romanorum 94. *regnavit Heinricus, filius Cuonradi imperatoris, annis* 17.

1062. [MXL] 1. Donnchad [850] rex Scotiæ in autumno occiditur [19. [851] Kal. Sept.] a duce suo Macbethad mac Finnloech, cui [852] successit in regnum annis 17 (153).

1064. [MXLII] 3. Helias Scottus abbas obiit 3. Idus Aprilis, vir prudens et religiosus, et ideo monasterium sancti Pantalionis cum suo, id est sancti Martini, sibi datum est. Ipse obtinuum missalem librum monachi etiam Franci, sine licentia conscriptum, in commune monachorum in monasterio sancti Pantalionis igne comsumpsit, ne alius sine licentia conscriberet aut tale aliquid fecisset. Cui successit Majobus [853] Scottus, virgo patiens et sapiens, annis 18.

1065. [MXLIII] 4. Animchadus Scottus monachus et inclusus obiit 3. Kal. Februarii in monasterio Fuldensi. Super cujus sepulchrum visa sunt lumina

VARIÆ LECTIONES.

[838] *vocabulum erasum est* 1. [839] *alia manu add.* 1. [840] in Babonis monte i. Babenberch 2. [841] *alia manu add.* 1. [842] *hæc in marg. prope a.* 1047. *leguntur, desunt* 2. 3. [843] *hæc desunt* 2. (2°?) 2ª. [844] invidiosis 3. quorundam invidorum monachorum de monasterio S. Pantaleonis 2. [845] peregrinus t. [845] pilgrinus 1? [846] *in marg.* 1. *a.* 1057. 2. [847] *lege* : crisma. [848] *sequentia desunt* 2. [849] *hæc desunt* 2. [850] *in marg.* 1. [851] *lege* : qui. [852] *ita* 1. *hic et a.* 1083. — Majolus *rell.*

NOTÆ.

Donnchad mac Donnæl ann. 18.
Æd mac Neil ann. 22.
Conchobor mac Donnchada ann. 19.
Niall mac Æda ann. 13.
Mælsechnæl ann. 13.
Æd macc Nel ann. 14.
Flann mac Moilsechnaill (*a*).

(*a*) *Qui a.* 916. *obiisse dicitur; O'Connor p. LXXIII.*

(151) i. e. Malcolmus, Hibernice *Mælcolaim*. De quo v. Tigernachi Ann., h. a., l. l, II, p. 284.

(152) quæ dicebatur Beatrix ; v. ibidem, p. 288, n. 48.

(153) V. notam ad Ann. Tigernachi, ap. O'Connor II, pag. 288.

Digitized by Google

et psalmodia audita. Super quem ego Marianus Scottus 10 annis inclusus, super pedes ejus stans cotidie cantavi missas. Willihelmus monachus et presbiter conversus clericus et sapiens, districtius et religiosior omnium monachorum Fuldensium, sicut nos vidimus, Animcadum rogavit ut se benedîceret. Eadem vero ipsa nocte, sicut mihi incluso super Animcadum confirmavit, somniavit Animcadum in suo sepulchro stantem nimio fulgore candentem, et extensa sua manu se ab eo benedici. Cumque etiam fossa sepulchri mei juxta latus ejus in nocte nondum completa permaneret aperta, totam ipsam noctem mellifluo odore scilicet conduxi. Qui quia cum licentia senioris sui nomine Corcram in insola Kelta caritatem fratribus fecit, paucis vero remanentibus post alios exeuntes potumque petentibus, ipse sine licentia prebuit, et inde etiam tunc sicut primum potum seniori misit. Ideo die crastino non tantum de insola Kelta, sed de tota Hibernia ipsum senior projecit; quod humiliter complevit. Ita Tigernach [881], (154) Borchecb mihi culpabili in aliqua levi culpa pronuntiavit.

1066 [MXLIV] 5. *Benedictus papa Johannem successit.* Hic cum papatiam suam vendisset [882], Heinricus imperator perrexit Romam, et pro eo Clementem constituit papam, cum ex ore sancti Petri in Simone mago emtor pariter et venditor spiritualis gratiæ sunt anatemati.

[*Cod in marg.*, Ciclus 28. decennovennalis incipit indictione 13.]

1067. [MXLV] 6.

1068. [MXLVI] 7. *Clemens* 1... [883] *papa post beatum Petrum.*

1069. [MXLVII] 8. *Clemens papa obiit* 7. *Idus Octobris. Bepo papa, qui et Damasus, successit.* Nix in occidente in tantum ut silvas fregisset.

1070. [MXLVIII] 9. *Bobbo papa obiit. Leo papa* 1... *post Petrum, successit annis* 6.

* Iste est Leo ille qui novum cantum de sancto Gregorio Magno fecit. *addit* 2.

1072. [ML] 11. Rex Scottiæ Macbethad Romæ argentum pauperibus seminando distribuit.

1073. [MLI] 12. Sanctus Bardo episcopus Mogontinus obiit 4. Idus Junii.

1074. [MLII] 13. Liuboldus episcopus successit annis 8, mensibus 4. Ego Marianus seculum reliqui.

1075. [MLIII] 14. Aed clericus [884] barbosus in Hibernia vir valde famosissimus et miræ religionis — ipse enim feminas et puerulos more clericorum coronando [885] tondebat, et coronas non velataque capita feminas conversas debere predicabat, earumque scolam et puellarum, puerorum et laicorum multam habebat — ob id de Hibernia projectus.

1076. [MLIV] 15. Leo papa obiit 16. Kal. Mai.

1077. [MLV] 16. *Victor papa* 1... *post Petrum successit annis* 3.

1078. [MLVI] 17. Herimannus episcopus Coloniæ obiit in quadragesima [886]. Anno episcopus successit. Ego Marianus peregrinus factus pro regno cœleste, patriam motuavi [887], et in Colonia 5. feria, Kal. Augusti, monachus effectus. Heinricus imperator obiit 3. Non. Octobris, sepultusque est Spira, ubi et pater ejus jacet.

Romanorum 95. *regnavit Heinricus, filius Heinrici imperatoris, annis* 10.

1079. [MLVII] 1. Victor papa obiit 5. Kal. Ag. [Macfinlæg [888] (155) occiditur in Augusto. Lulag successit et occiditur in Martio; cui Moelcol (156) successit.] — Moelcoluim (156), filius Donchæd, regit Scottiam. — [Donchad [889] (157) regnavit annis 5, hoc est a missa sancti Andreæ ad eandem et insuper ad nativitatem sanctæ Mariæ. Inde Macfinleg regnavit annis 17 ad eamdem missam sanctæ Mariæ. Lulach a nativitate sanctæ Mariæ ad missam sancti Patricii in mense Martio regnavit. Inde Moelcoluim regnavit annis 20 usque ad missam sancti Patricii.]

1080. [MLVIII] 2. *Stephanus papa* 1... *successit.* Badæbrunna civitas cum duobus monasteriis, id est episcopatus et monachorum, feria 6. ante palmas igne consumitur. In monasterio autem monachorum erat Paternus nomine monachus Scottus, multisque annis inclusus, qui etiam combustionem prenuntiabat, ambiens martirium pro nullo foris exivit, sed in sua clausola combustus per ignem pertransivit in refrigerium. De cujus etiam sepulchro quædam bona narrantur. Ipsis vero statim diebus, feria 2. post octavas paschæ, exiens de Colonia causa claudendi cum abbate Fuldense ad Fuldam, super mattam in clausola ipsius, ubi supra eamdem mattam combustus et passus est, ego oravi. — Stephanus papa obiit 4. Kal. April. *Nicolaus papa.* — Ecbertus abbas Fuldensis, feria tertia, hora septima, 15. Kal. Decembris obiit. Sigfridus successit in nativitate Domini anno 1.

1081. [MLIX] 3. Ego Marianus indignus cum Sigfrido abbate Fuldensi juxta corpus sancti Kiliani martiris Wirziburc consecratus ad presbiteratum, sabbato medie quadragesimæ [890], 3. Idus Martii, et feria 6. post ascensionem Domini, pridie Idus Maii, inclusus in Fulda per annos 10. Liuboldus episcopus

VARIÆ LECTIONES.

[881] *ita* 1. [882] emisset 2. [883] 143. *suo ordine pergens* 2. [884] Ædericus 3. [885] do 1. [886] quadragesimo anno 1. [887] *i. e.* mutuavi. [888] *hæc in marg.* 1. *desunt* 2. (2°?) 2°° [889] *sequentia in marg. inf.* [890] quadragesimæ 1.

NOTÆ.

(154) Fortasse Tigernachus ille rerum Hibernicarum scriptor, quem Mariani temporibus vixisse constat; cf. O'Connor SS. 1, Prolegomena, p. CLXXIII.

(155) v. ann. 1062.

(156) i. e. Malcolm.

(157) v. ann. 1056, 1062, et carmen de regibus Scottiæ apud O'Connor 1, Proleg. 1, p. CXXX.

Digitized by Google

Mogontinus obiit feria 3. 7. Idus Decembris; cui Sigfridus successit.

1082. [MLX] 4. Sigfridus Fuldensis abbas dominico die natalis Domini de Fulda ad regiam curtem exiens, baculum Mogontini archiepiscopatus feria sexta in epiphania accepit, papæ etiam tunc Nicolai legato Alexandro, qui non longe postea papa effectus est, hoc idem in curte regia annuente. Witratus decanus Fuldensis post eum in Fulda abbas successit ann. 10. Nicolaus papa obiit. *Alexander papa* 1... *successit annis* 10.

1083. [MLXI] 5. Majobus abbas Scottorum Coloniæ obiit. *

[* Foillanus post eum successit. *addunt* 2. 2*. 2**.]

1085. [MLXIII] 7. *

[* Ciclus solaris et decennovennalis simul incipiunt. *add.* 2. (2*. 2**?)]

1086. [MLXIV] 8. Ciclus magnus paschalis [tertio [561]] incipit indictione secunda. Multi divites et pauperes cum Mogontino archiepiscopo, Trajectensi episcopo, Rambergensi episcopo et Radisbonensi episcopo, post transitum sancti Martini, Hierusalem plus 7 milibus perrexerunt. Ubi vero episcopi sedebant, dorsalia pallia pendebant, scutellas et vasa aurea et argentea habebant; ex quibus gloriose comidebant pariter et bibebant.

1087. [MLXV] 9. Arabitæ vero fama pecuniæ congregati, multosque predictorum in parasceve occidentes (*Mart.* 25), cum non sustinuerunt, in quoddam [562] castellum vacuum Carvasalin nomine nostri fugerunt; quod claudentes, lapidibus et fustibus defenderunt se contra jacula Arabitarum querentium cunctam peccuniam eorum vel vitam pariter et peccuniam. Tunc unus bonus miles nullo modo prohibitus a sepulchro Domini, nudus foris exivit. Arabitæ vero eum statim extendentes in modum crucis sopinum, manibus ipsi et pedibus transfixis in terram clavibus supertectum ventris intra duo latera, et cooperta viscerum ab imo ventris usque gutur super faciem ejus projecientes, scrutaverunt, qualiter humana viscera habentur; deinde eum membratim dividentes, dux ipsorum primum lapidem super eum et unusquisque post illum projecit. Tunc nostris omnibus de castello intuentibus, dixerunt: *Vos ita eritis, si totam peccuniam nobis non traderitis.* Cum autem nostri promiserunt dare totam suam peccuniam nisi victum, usque ad christianos ducem Arabitarum cum viris 16 totidemque gladiis intromiserunt. Qui cum vidisset episcopos glorioses cum multis militibus, et dorsalia pallia pendentia et cetera, sicut consuetudinis est paganorum reos tenere, extendit corrigiam circa collum Bambergensis episcopi, quasi domini nostrorum magnitudine et pulchritudine corporis ejus, et ait: *Tu et ista tua omnia mea erunt.* Episcopus vero per interpretem ait: *Quid mihi facies?* Et ille dixit: *Istum pulchrum sanguinem gutturis tui sugam, et suspendam te sicut unum canem ante castellum.* Tunc episcopus, prehenso capite ejus, uno colapho [563] percutiens ducem in terram; omnes alii ligati sunt. Qui vero foras erant audientes ista, irruerunt supra castellum. Sed isti ligati supra murum sub gladiis suis contra jacula suorum suppositi, rogaverunt filios et amicos suos, qui ceteros prohibuerunt. Inde bellum inter latrones actum est, cum multi eorum elegerunt peccuniam, multi patres et amicos suos. Feria vero 2 post pascha (*Mart.* 28) rogantes eum alii qui evaserunt, venit dux de Ramula cum multa manu, et fugans Arabitas, accepit quingentos bisantios aureos [id [564] est denarios magnos], captivumque ducem Arabitarum, inimicum multo tempore regis Sarracenorum; et duxit christianos Hierusalem, et inde ad navem. Dominus autem vento prospero portans eos usque ad christianos; nec duo milia de septem milibus reversi sunt. — Nial [565] mac Eochoda (158) rex Ulad obiit Id. Novembris. — Grifri rex Britannorum obiit in autumno. — Donnchad (159), filius Briain, rex de Hibernia atque Echmarcach (160) rex Innarenn [566], viri inter suos non ignobiles, Romam venientes obierunt.

1088. [MLXVI] 10. Donnchad [567] oa Mathgamna ri Ulad (161) in templo Bennchuir (162) verno tempore occiditur. Domnnall oa Loigsig ri Arad (163) iceneol eogæn. ifeltigernæg cluana ejus occissus. Hetbartus rex Anglorum plus 30 annis regnans, obiit in natale Domini.

1089. [MLXVII] 11. Araldus sibi successit. Araldus autem, qui et Arbach vocabatur [568], rex Nordmannorum, minus mille navibus venit mense Septembri, Anglicam terram regnaturus. Qui Eburaci in autumno plus quam mille laicorum centosque presbi-

VARIÆ LECTIONES.

[561] *deest* 1? [562] quotam 1. [563] colopho 1. [564] *superscriptum* 1. [565] *hæc desunt* 2. *ut reliqua quæ ad reges Hibernicos spectant.* [566] inarenn 1. *quod nescio an recte explicarim.* [567] Haraldus Harfager autem 2. Harmuch autem 2**. Harwich *Sig.* [568] *i. e.* aciebus.

NOTÆ.

(158) I. e. Niallus filius Eochodi rex Ultoniæ, et quo cf. Ann. quatuor magistr., a. 1062; Ann. Ultonienses a. 1063.

(159) De quo v. a. 1036 (1014). Hujus peregrinationis Tigernachi aliique Hibernici Annales a. 1064 mentionem faciunt.

(160) Eachmarcach rex alienigenarum in Ann. Tigernachi a. 1052 nominatur. Hoc anno obiisse dicitur, Ann. Ulton. IV, p. 342.

(161) I. e. rex Ultoniæ; v. Ann. quatuor magist. III, p. 624.

(162) *Bennchair* l. l. dicitur, *Benncoir* in Ann. Ulton. h. a.

(163) I. e. Donaldus O'Loi (n) gsig rex (Dal) aradiæ. . . . . ; v. Ann. Tigernachi, Ann. quat. mag. et Ulton. h. a.

Digitized by Google

terorum bello occidit de Anglis. Araldus vero rex Anglorum cum septem acibus [869] belli statim pervenit, et cum Araldum imparatum absque loricis et ceteris ejusdem rei invenisset, bello occidit, mense Octobr. Willihelmus vero, qui et Bastart, cum Francis intrant interim Anglos; qui cum statim bello occidisset Araldum regem Anglorum, regit Anglos. [Hoc [870] anno cometæ stella visa est.]

1090. [MLXVIII] 12. Duo papæ in Roma, id est episcopus Parmensis, qui expulsus, et Lucensis, qui papa effectus. — Murchad Sciath guerr (164) oa Briaen occiditur mense Sept.

1091. [MLXIX] 13. Murchad oa Mcelnambo oa Briaen obiit verno tempore (165). — Ego miser Marianus, jusione episcopi Mogontini et abbatis Fuldensis, feria 6 ante palmas, 3 Non. Aprilis (*Apr.* 3), post annos 10 meæ inclusionis solutus, de clausola in Fulda ad Mogontiam conductus. Dedicatio capellæ clausolæ monasterii sancti Martini in Mogontia in honore sancti Bartholomei apostoli 6 Idus Julii, feria 6 (*Jul.* 10), sanctorum septem fratrum in festivitate. In qua clausola eodem die ego Marianus pro peccatis meis secundo includor. Consecratio novi monasterii sanctæ Mariæ in Mogontia. 9. Kal. Decembris (*Nov.* 23), feria secunda, die sancti Clementis.

1092. [MLXX] 14. Scottis et Francis vastantibus Anglos, disperguntur et fame moriuntur carnemque humanam manducare et ad hoc homines occidere condire coguntur atque suspendere.

1093. [MLXXI] 15. Unus clericorum, Carolus nomine, more Simonis magi [870], qui donum spirituale pro precio rogavit ab apostolis, a rege Heinrico comparavit episcopatum civitatis Constantiæ. Qui in conventiculo episcoporum et abbatum in monasterio sancti Martini Mogontiæ, in assumptione sanctæ Mariæ facto (*Aug.* 15), a Sigfrido archiepiscopo Mogontino coram rege Heinrico culpatus, quia per ostium Domini [871] non intravit, absque baculo a conventiculo exivit; deinde post annum non vixit.

1094. [MLXXII] 16. Diarmait (166) rex Lagen. 8. Idus Febr. feria secunda occissus Cuulad (167) oa Flathræ feria sexta 4. Idus Febr. occiditur. — Sigfridus episcopus Mogontinus 5. Idus Sept. (*Sept.* 9), die dominico, quasi causa orationis in Galitiam ad Sanctum Jacobum perrexit. Cum autem monasterium monachorum quod est Cluaneca dominico die ante missam sancti Michaelis (*Sept.* 23) esset, in[872] trans claustrum respuit seculum. Sed dum mercenarii Mogontinuæ episcopatum comparare vellent precio, Sigfridus in obedientia [873] sancti Benedicti, quam abbati deberet, violenter compulsus, Mogontiam 8. Idus Decembris rediit.

1095. [MLXXIII] 17. In hoc anno omnia juxta cursum solis et lunæ habentur sicut in anno 15. Tiberii, in quo baptizatus est Dominus, id est dies baptismatis 8. Idus Januarii, epiphaniæ die dominico, et crastino die feria 2. initium jejunii Domini; 15. Kal. Martii, in die 40. sui jejunii, 6. feria, victoria ejus de diabolo superato in gula et vana gloria atque avaritia, in quibus diabolus primum Adam in eadem feria prostravit. A baptismate itaque Domini in anno 15. Tiberii hocusque duo magni cicli, hoc est mille sexaginta quatuor anni. — Conchobor (168) oa Maelsechnaell rex Midi 9. Kal. April. dominico die palmarum occiditur. — *Alexander papa obiit dominico die, 11. Kal. Mai. Illdibrandus Romanus archidiaconus successit.*

1096. [MLXXIV] 18. Papa predictus decrevit precepto Petri apostoli et sancti Clementis, ut supra, et canonibus patrum per bannum Dei, Petri et Pauli et suum, synodali judicio multorum episcoporum, et contradicens interdixit presbiteris, diaconibus omnibusque clericis, uxores habere et omnino cum feminis habitare, nisi cum eis quas regula vel Nicena synodus concessit. Decrevit quoque ut sub sententia sancti Petri cum Simone damnaretur non solum emptor et venditor cujusque consecrationis officii ecclesiastici, id est episcopatus, presbiteratus, diaconatus, preposituræ, decanatiæ, ecclesiæ vel decimationis, sed socius transgressoris. Dominus enim dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Unde de predicta synodo legati papæ missi ad Heinricum regem Romanorum, id est duo episcopi cum regina, regis ejusdem matre, ut et universali synodo coram rege, communi omnium episcoporum interdictu, feminas separarent a clericis, et maxime a presbiteris; noluerunt esse in pascha cum rege in civitate Bamberg (*Apr.* 20), nec [nec Ed. Patr.] cibum vel societatem Hermanni ejusdem civitatis episcopi, qui olim comparavit episcopatum et servivit regi in hoc pascha, haberent. — [Dunatus [874], episcopus Dulin [875] (169), obiit Idus Mai.]

1097. [MLXXV] 19. Cum quidam [876] clerici sub sententia interdicti apostolici libentius esse voluerunt, quam feminas et uxores carere, ut vel per alios castigarentur, decrevit papa synodica legatione etiam hoc anno, ut predicto anno nullus christianus audiret missam conjugati presbiteri. — 17. Kal. Aug. obiit Widradus abbas Fuldensis.

[876] Ruozelinus post eum successit. *addunt* 2. 2[a].

VARIÆ LECTIONES.

[869] *in marg.* 1. [870] *glossa in* 1 : Psal. in te, Domine, speravi. Symon autem magus in Samaria, ubi credidit et baptizatus fuit, hanc comparationem ab apostolis voluit. [871] dum 1. [872] obidendentia 1. [873] *in marg.* 1. [874] *vel* tulini? 1. [875] quidem 1.

NOTÆ.

(164) Epitheton est, quod vertitur « scuti brevis; » v. Ann. quat. mag. III, p. 628.

(165) V. Ann. laud. a. 1070, ubi filius Diarmitii filii Malnambi dicitur.

(166) V. Ann. Tigernachi, p. 308, quat. mag., p. 633.

(167) V. ibid., p. 635.

(168) V. Ann. laud., h. a.

(169) i. e. Dunanus archiepiscopus Dublinii.

Digitized by Google

1098. [MLXXVI] 20. In [876] hoc anno dominica pas- A sio secundum cursum solis et lunæ tertio habetur, hoc est a passione Christi duo magni cicli, id est 1064 anni.

Octoginta [877] ducenti necnon milia quinque
Constant omnes anni tempus usque hoc Adam.
Multum (170) ob excerptos legimus barbaricos
Reges justificandos gestaque turbida egenos.
parvum
Collige litteram anteriorem, volvito summam,
Existat numeratus auctor; intra require,
sc. librum
Rectus omnes me tulit in novum ordine laudis.

1099. [MLXXVII] 21. In concilio 24 episcoporum, abbatum multorumque clericorum, Vurmatia [878] mense Martii facto (171), presente Heinrico rege, decretum est ut bannum Illibrandi [879] papæ nullus B curaret, nec papa esset. Papa vero regem cum suis in quadragesima tribus excommunicavit causis, ob infamiam peccatorum suorum, et unitatem suam cum simoniacis, et hanc scisuram ecclesiæ inter papam et alios. Inde causa quasi justa primates regni quasi excommunicato [880] contradicunt regi, temptantes eum projecire regno. — [Bilis [881], militum Boponis et Gotobaldi frater, Wirziburg sancti Kiliani canonicus [882], moribus et etate et cantatione laudabilis, in choro multum utilis, dum Decembr. mense jacuit mortuus clamans et gemens de terroribus et minationibus et calumnis presentis diaboli, ob suam cantationem misserabiliter laboravit; non enim vacua vociferatione falsaque litterarum multarum adjactione [883] super unam litteram vel pulchritudine soni, sed corde trito per intenta verba placatus Deus. Quod igitur quasi angelus. . . . . [884] pulchre semper in choro cantavit, moriturus a diabolo carpitus acriter [885] audivit.]

1100. [MLXXVIII] 22. Heinricus ergo rex et Illibrandus papa convenientes mense Martio (172) in Longobardia, rex a papa solutionem banni, papa vero sedem apostolicam a rege accepit. Convenientes autem Suavi et Saxones et Walp dux Boariorum, episcopi septem de Saxonibus et alii sex, Pataviensis, Salsabogiensis, Wirziburgiensis, Vurmatiensis et Mogontiensis episcopi, juxta Bambere [*in marg.* Forkem.] dominica tertia (173) quadragesimæ, Rodulfum ducem Suævorum super se constituunt, et dominica mediæ quadragesimæ (*Mart.* 26). Mogontia ungunt in regem, viasque Alpi montis contra Heinricum munium. Hæc cum cognovit Heinricus, per Aquileiam Radisbonam post pacha pervenit, et ad Rodulfum in Suaviam contra se certare temptantem festinavit. Cum vero Rodulfus fugit, Heinricus Suaviam predavit. Convenientes quoque circa Renum inter Mogontiam et Wormatiam mense Aug. pugnare prohibiti. Conventione quoque in eodem loco facta in Kal. Nov. (*Nov.* 1.), Rodulfus Heinrico oviam non venit [886]. Heinricus Suaviam [887] predavit et castella per hiemem fregit.

1101. [MLXXIX] 23. *Gregorius* [888] (174) *papa*, qui et Illibrandus episcopus, *servus* [889] *servorum Dei, per totum Italicum regnum et Teutonicorum* [890], *debitam sancto Petro obedientiam exhibentibus apostolicam benedictionem. Si qui sunt presbiteri vel diaconi vel subdiaconi, qui jaceant in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei et auctoritate sancti Petri introitum ecclesiæ, usque dum peniteant et emendent. Si qui vero in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum officium eorum auscultare presumat; quia benedictio illius vertitur in maledictionem, et oratio in peccatum, testante Domino per prophetam, « Maledicam, inquit, benedictionibus vestris. »* Heinricus rex in pentecosten Mogontiæ deponit Illibrandum papam (*an.* 1080, *Mai* 31), et Vugbertum Ravennæ episcopum in nativitate Johannis (*Jun.* 24) baptistæ Pressea [891] (175) episcopatu pro eo facit papam. Rodolfum quoque regem Saxonum occidit bello Merseburc, ubi et sepultus Idus Octobr. Mogontia cum muris Kal. Decembr. terre motu ita concussa, ut in monasterio sancti Victoris quasi dimedio miliario a Mogontia mortuum terra sursum cum feretro proiceret.

1103. [MLXXXI] 25. Heinricus rex a pentecosten diebus quadragesima Romam contra Illibrandum papam expugnat (*Mai.* 23 *Jun.*), non intrare petivit [892]. Mogontia civitas intra octavas pentecosten ex parte majore et monasterium episcopale aliaque tria monasteria igne consumta (*Aug.*). Suevi in autumno Cuonradi fratrem Herimannum, Heinrici de Lacha [893] fratris filium, pro Rodulfo faciunt regem, et in nativitate Domini in Saxonia ungitur in regem.

VARIÆ LECTIONES.

[876] *Marianus hæc adjecit antequam a.* 1096. (1074.) *sqq. historiam scripsit, hisque chronicon primum finiisse videtur.* [877] Ab Adam usque hunc annum sunt annorum milia quinque et insuper ducenti octoginta 2 2ᵉ. *Reliqua desunt.* [878] urmatia 1. *et infra.* [879] illibrani 1. [880] exconicacato 1. [881] *in magine* 1. *desunt rell.* [882] canonze' 1. ? [883] *i. e.* adjectione. [884] *legi nequit* 1. [885] *non plane constant.* carpit˜ acrit˜ *esse videntur.* [886] *cod.* 2. *apogr. Vrat. addit :* Anno Coloniensis episcopus obiit. [887] pav am 1. [888] Gregorius —vestris *in codd.* 2. (2ᵉ ?) 2ᵉ. a. 1097 (1075). *post* presbiteri *leguntur, et certe ad hunc vel ad a.* 1074. *pertinent; cf. n.* 54. [889] *deest* 1. [890] teutonorum 1. [891] preslea 2. [892] *lege* : potuit. [893] Lacha 1.

NOTÆ.

(170) De hoc loco v. præfationem, p. 484, n. 19.

(171) Januarii, a. 1076; v. Legg., II, p. 48.

(172) Januar. a 1077.

(173) i. e., Mart. 12, rectius Mart. 13.

(174) v. Mansi, XX, p. 433 ex Gerhohi Reicherspergensis expositione Psalmorum. Refert hæc ad a. 1074.

(175) i. e. Brixia.

Digitized by Google

1104. [MLXXXI] 26. Prima paschalis lunæ 4 Non. Aprilis toto orbi apparuit, cum 2 Non. Aprilis esse deberet. Multa [595] homicidia et predationes inter Heinricum regem et Illibrandum papam, ita ut in nocte palmarum multi sunt occisi [596] (*Apr.* 17).

CONTINUATIO PRIMA.

Ex codice Romano.

1105. [MLXXXIII] (*A. Wirzb.*) Roma capta est a Heinrico rege, et pestilentia magna facta est.

1106. [MLXXXIV] Heinricus imperator de Italia revertitur, et Augusta ab eo obsidetur et capitur. Sigefridus archiepiscopus obiit.

1107. [MLXXXV] Heinricus imperator Saxoniam vastat. Synodus Moguntiæ apud Sanctum Albanum habetur. Meginhardus Werzeburgensis episcopus constituitur. Obierunt Gregorius papa, qui et Hiltibrant, Dietmarus Wormatiensis episcopus, Hermannus palatinus comes.

1108. [MLXXXVI] Bellum juxta Bleihefelt committitur 3 Idus Aug. Hermannus nomen regis deposuit et ipse mox perit. Werzeburg a Saxonibus capta est et mox ab imperatore recepta.

[1109. [MLXXXVII] Bertha imperatrix obiit.

1110. [MLXXXVIII] Wezel Moguntinus archiepiscopus et Meginhard Werzeburgensis episcopus obierunt. Buggo episcopus Halberstatensis Gozlariæ occiditur. Bellum juxta Glicho castellum in Turingia juxta Erphesfurt situm inter imperatorem Heinricum [597] et Eggibertum marchionem in vigilia Domini die dominica, in quo Burchardus Losanæ episcopus occisus est. Obierunt episcopi Sigewinus Coloniensis, Otto Radisponensis. Constituuntur episcopi Ruothardus Mogonciensis, Hermanus Coloniensis, Ensehardus Werzeburgensis.

1112. [597] [MXC] Imperator Italiam petit. Obierunt Huozmannus episcopus Spirensis, Hermannus Metensis, Liudolfus dux et Berhtolfus dux, filius Rudolfi. Eggibertus marchio occisus est. Adelbero episcopus Wirzeburgensis obiit.

1113. [598] [MXCI] Mahthildis de Longobardia imperatori rebellat.

1115. [MXCIII] Fratislaus dux Boemiæ in venatu repente de equo cadens, subitanea morte discessit.

1117. [MXCV] Ladislaus rex Pannoniæ vir piæ memoriæ, item Liupoldus marchio et Heinricus palatinus comes obierunt.

1123. [MCI] Cuonradus, filius imperatoris, in Longobardia veneno periit. Obierunt archiepiscopi Engelbertus Trevirensis et Liemarus Premensis.

1124. [MCII].

[*Cod. in marg.* : Ciclus decennovennalis indictione 10. incipit.]

1126. [MCIV] Heinricus [599] rex a patre suo propter excommunicationem recedens, catholicorum suscepit patrocinium.

1127. [MCV] Heinricus rex et Mogontinus archiepiscopus R. (176), imperatore tenente Mogontiam, usque ad castellum cum exercitu venerunt, et frustrati abierunt. Nourinberg capitur. Pater a filio Radispone mirabiliter superatur.

1128. [MCVI] Crux, lancea, corona et cætera regni insignia filio coram principibus regni traduntur.

1155. [MCLXXIII] In [600] hoc anno 4 Non. Aug. hora diei quasi nona eclipsis solis facta est tanta, ut stellæ videri possent in cælo.

CONTINUATIO SECUNDA.

Ex codice Lond.

1105. [MLXXXIII] 27. Heinricus urbem Romæ infregit et cepit, Wicbertum [601] in sede apostolica constituit. Hiltebrandus vero Beneventum adiit, ubi usque ad obitum suum deguit. Heinricus vero [602] in Teutonicam patriam rediit.

1106. [MLXXXIV] 28. Hildebrandus [603] obiit (177).

VARIÆ LECTIONES.

[596] reliqua desunt 2. [595] *Eadem manu statim additum est in inferiori fol.* 166 *parte :* Obiit Marianus inclusus; *postea lineæ ductæ, anni scripti et brevis continuatio addita est.* [596] Heinric' *cod.* [597] 1111. *corr.* 1112. *cod.* [598] 1112. *corr.* 1113. *cod.* [599] *reliqua alia coæva manu scripta sunt.* [600] *hæc alia manu addita sunt. Numeri usque ad a.* 1335 (1315.) *scripti in ultimis codicis foliis leguntur.* [601] wibbertum *c.* [602] rex *Flor.* [603] II. papa *apogr. Vrat.*

NOTÆ.

(176) Ruothardus.

(177) a. 1085.

Digitized by Google

Florentius ita : Apostolicus papa Hildebrandus in extremis suis ad se vocavit unum de 12 cardinalibus, quem diligebat nimium, et confessus est omnipotenti Deo et sancto Petro et toti ecclesiæ, valde se peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum erat commissa, suadenteque diabolo contra genus humanum odium et iram incitasse. Postea vero sententiam, quæ in orbe terrarum effusa est, pro augmento christianitatis se cepisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem suum ad imperatorem et ad totam ecclesiam, ut optarent illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, et tacito induebat se angelicam vestem, et dimisit ac dissolvit vincula bannorum omniumque suorum imperatori et omni populo christiano, vivis et defunctis, clericis ac laicis, et jussit eos abire de domo Theodorici, et amicos Henrici ascendere, teste Moguntino archiepiscopo, nec multo post obiit. — *Hæc in primo codicis 2. folio ita leguntur :* Volumus vos scire, qui ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod apostolicus Hiltebrandus nunc in extremis suis ad se vocavit unum de 12 cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, et confessus est omnipotenti Domino et sancto Petro ac toti ecclesiæ valde[se]peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum erat commissa. Suadente diabolo contra humanum genus odium et iram incitasse. Postea vero sententiam, quæ in orbem terrarum effusa est, pro augmento christianitatis cepisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem suum ad imperatorem et ad totam ecclesiam, ut optarent illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat. Et tam cito induebat se angelicam vestem, et dimisit ac dissolvit vincula bannorum omnium suorum imperatori et omni populo christiano et defunctis clericis ac laicis, et jussit suos abire de domo Theoderici, et amicos Heinrici ascendere. Teste Mogontino archiepiscopo. *Hæc etiam in codice Gemblacensi extitisse videntur, ex quo ea recepit Sigebertus* (178).

1107. [MLXXXV] (178) 29. Heinricus [605] Saxones bello vicit, patriam obtinuit, eosque sibi jurare et obsequi coegit; sed postquam exercitum dimisit, Saxones occulte ceperunt congregari adversus imperatorem Heinricum [606], dolo volentes eum occidere. Ille autem, dolo comperto, declinavit insidias eorum, egrediendo de illa provincia.

1108. [MLXXXVI] 30. Heinricus [606] juxta Wirzeburgum Suevis et Saxonibus bello congressus et quorundam suorum perfidorum, in ipso conflictu se ad hostem [607] convertentium, presidio destitus, a quodam etiam collaterali suo in vertice ense percussus, dedit se cum paucis in fugam. Hostes vero insecuti usque ad urbem predictam, ceperunt eam, et episcopum Alberonem a [608] Heinrico ob perfidiam expulsum ibidem restituerunt, expulso Mainardo [609] episcopo ibidem a [608] Heinrico constituto. Paulo post Heinricus eandem urbem congregato exercitu obsedit et cepit, episcopoque Alberoni, quia suus erat patrinus, concessit, ut remaneret sibi fidelis et episcopus urbis. Illo autem nolente Heinrico subesse, Heinricus, quia nimium pius erat, liberum illum permisit abire. — Wilelmus rex Angelorum [610] fecit describi omnes totius Angliæ possessiones in agris, in hominibus, in animalibus omnibus, in omnibus mansionibus a majori usque ad minimam [611] et in omni censu, qui ex omnium terris posset reddi; et vexata est terra multis cladibus inde procedentibus.

1109. [MLXXXVII] 31. Wilelmus rex Anglorum obiit 5 Idus Septembris; Wilelmus, filius ejus, unctusque est [612] in regem 4 Non. Octobris [613].

EX FLORENTII WIGORNIENSIS HISTORIA.

1113. [MLXXXXI] 35..... Erant duo, ut in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani pontifices, a se invicem discordantes et ecclesiam Dei inter se divisam post se trahentes : Urbanus scilicet, qui prius

VARIÆ LECTIONES.

[605] H. rex *Fl.* [606] imperatorem. Heinricus 2. [606] H. rex *Fl.* [607] hostes *Fl. apogr. Vr. e corr.* [608] ab *Fl.* [609] menandro *Fl.* [610] *deest Fl. qui hæc aliter expressit; et reliqua omisit.* [611] *deest apogr. Vr.* [612] *deest apogr. Vr.* [613] *anni scripti sunt usque ad* 1122 (1099).

NOTÆ.

(178) Cf. Hirsch., De Vita Sigiberti, p. 139 — 143. Bethmann SS., VI, p. 365. — Hoc loco adjiciam brevem narrationem, primum a Mabillonio (Ann. Bened., V, p, 214), post a me ex codice Laudunensi descriptam (Arch. VII, p. 220) : *Episcopus Augustidunensis* (Agano) *post biennium rediens ab Hierosolimis interfuit depositioni domni pape Gregorii, et asserit, ante octo dies diem et horam obitus predixisse, nec omnino lectulo decubuisse, sed ipso die sui transitus ecclesiam adiit, allocutusque publice cum clero populum totius Salerne urbis, primo de credulitate corporis et sanguinis Domini nostri, deinde de intentione totius sui operis, imposita sibi stola, absolvit cunctos quoscunque modo a se anathematizatos, ac post incedens genibus et manibus, altare adiit, viaticum corporis et sanguinis Domini inde sumens, sicque domum reversus, hora qua predixerat obiit, predicto pontifici superponens totum suæ sepulture officium, etiam divisionem modice quam habebat substantiæ.* — Denique etiam quæ in codice Udalriceo, n.CLXVI leguntur addenda sunt : *Piæ memoriæ dominus Gregorius papa septimus cum apud Salernum infirmitate, qua mox obiit, ægrotare cœpisset, astiterunt ei cardinales Romani aliarumque civitatum episcopi, viri religiosi, sciscitantes ab eo, quem sibi in episcopatu subrogari vellet illis indicare dignaretur. At ille secum pauca cogitans, tandem illis hæc verba dedit :* « *Quemcumque horum trium habere possitis, videlicet Lucensem episcopum vel Hostiensem vel Lugdunensem, hunc in episcopum eligite.* » *Item de excommunicatis requisitus, respondit :* « *Præter Heinricum regem dictum et Wigbertum Ravennatem archiepiscopum et alias principales personas quæ consilio vel auxilio fuerent impietati vel nequitiæ illorum, omnes in vice apostolorum Petri et Pauli absolvo et benedico, et quicumque me hanc potestatem habere credet indubitanter.* » *Hæc autem ultima ejus verba fuerunt :* « *Dilexi justitiam et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.* »

Digitized by Google

fuerat vocatus Odo, episcopus Hostiensis; et Clemens, qui Wibertus appellatus fuerat, archiepiscopus Ravennensis. Quæ res, ut de aliis mundi partibus sileamus, per plures annos ecclesiam Angliæ in tantum occupavit, ut ex quo Gregorius, qui et Hildebrandus, defunctus fuit, nulli loco papæ usque ad hoc tempus subdi vel obedire voluerit. Urbanum pro vicario beati Petri Italia Galliaque jam receperat.....

1118. [MXCVII] 40..... Urbanus papa venit in Galliam, et apud Clarum montem quadragesimali tempore synodo celebrata, ad Turcas, Sarracenos, Turcopolos aliosque paganos debellandos, Hierusalem proficisci hortatus est christianos. Cujus hortatu mox in ipsa synodo comes Sancti Egidii Raimundus, et cum eo multi alii cruce Christi signati, peregrinationem se pro Deo subituros et quod suaserat peracturos spoponderunt. Quibus auditis, de Italia, Germania, Gallia, Anglia, cæteri christiani ad eandem profectionem certatim se paravere. Quorum duces et primates extitere Podiensis episcopus Aimerus, Hostiensis episcopus cum aliis episcopis quam pluribus, Petrus monachus, Hugo Magnus, Philippi regis Francorum germanus, dux Lotharingensis Godefridus, Carnotensis, comes Sthephanus, Normannorum comes Robertus, Flandrensis comes Robertus, duo germani Godefridi ducis comes Eustachius Bononiensis et Baldwinus, prædictus comes Reimundus, Boemundus, Roberti Guiscardi filius....

1120. [MXCVIII] 42 .... Antiochia civitas a christianis 3. Nonas Junii, feria quarta, capta est. In qua paucis diebus transactis lancea, qua mundi Salvator in crucis patibulo pendens vulneratus fuit, Andreæ apostolo sanctorum mitissimo revelante, in ecclesia sancti Petri apostoli inventa est. Cujus inventione christiani animati. 4 Kal. Julii, feria secunda, secum illam deferentes, de civitate exierunt, et cum paganis prælio commisso, Curbaranum, principem militiæ soldani Perſiæ, et Turcos, Arabes, Sarracenos, Publicanos, Azimatos, Persas, Agulanos et alias multas gentes in ore gladii fugantes, multis milibus ex eis occisis, Dei virtute plenam victoriam habuerunt. Splendor insolitus per totam fere noctem 5 Kal. Octobris emicuit...., Rogerus dux Apuliæ, adunato grandi exercitu, Capuanam civitatem a sua ditione resilientem obsedit. Urbanus papa, comitante secum Dorobernensi archiepiscopo Anselmo, ut illi mandarat, ad concilium quod apud Barum Kal. Octobris celebrari constituit, profisicitur. In quo concilio plurima de fide catholica ab apostolico diserta sunt facunda oratione. Ubi etiam mota quæstione ex parte Græcorum, evangelica auctoritate probare volentium, Spiritum sanctum processionem non habere nisi tantum a Patre, præfatus Anselmus sic de negotio tractavit, disseruit, absolvit, ut in ipso conventu nemo existeret, qui non inde sibi satisfactum consentiret.

1121. [MXCIX] 43. Urbanus papa tertia hebdomada paschæ magnum concilium tenuit Romæ. In quo recisis recidendis et statutis statuendis, in adversarios sanctæ ecclesiæ excommunicationis sententiam in omnes laicos investituras ecclesiarum dantes, et omnes easdem investituras de manibus illorum accipientes, necnon omnes in officium sic dati honoris hujusmodi consecrantes, cum toto consilio papa intorsit. Eos quoque anathematis vinculo colligavit, qui pro ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt, dicens, nimis execrabile videri, ut manus, quæ in tantam eminentiam excreverant, ut, quod nulli angelorum concessum est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent et eundem ipsum pro redemptione et salute totius mundi summi Dei patris obtutibus offerant, in hanc ignominiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obscœnis contactibus inquinantur, sive rapinis ac injustæ sanguinum effusioni addictæ commaculantur. *Fiat, fiat*, ab omnibus est clamatum; et in his concilium consummatum est. Post hæc archiepiscopus Lugdunum perrexit...

Idus Julii, feria quinta Hierusalem a Christianis capta est, et post hæc 11 Kal. Augusti, eadem feria, Lotharingensis dux Godefridus ab omni exercitu in regem est electus. — Urbanus papa 4 Kal. Augusti, feria quinta, obiit. — Christiani cum Amiraviso, principe militiæ et secundo in potestate totius regni regis Babyloniæ, ante civitatem Ascalonam 2 Idus Augusti, eadem feria, bellum habentes maximum, Christo largiente, potiti sunt victoria.— Paschalis, vir venerandus, qui ab Hildebrando papa presbyter fuerat ordinatus, a Romano populo Idib. Augusti electus, die sequenti, id est 19 Kal. Septemb., feria prima, in papam est consecratus...

1122. [MC] 44. Clemens papa, qui et Wibertus, obiit...

Interea Hierusalem domum redierunt comites Robertus Flandrensis et Eustachius Bononiensis primitus; dein Normannorum comes Robertus cum uxore, quam sibi in Sicilia desponsaverat, repatriavit...

1123. [MCI] 43. Filius Eustachii senioris comitis Bononiensis, Godefridus rex Hierosolymorum, qui præpotens exstiterat dux Lotharingensium, diem clausit ultimum, et in ecclesia Golgothana sepultus requiescit. Cujus post obitum christiani unanimi consilio ejus germanum sibi in regem elegerunt Balduinum.

1128. [MCVI] 48... Quo anno facta est nimis execrabilis contentio inter imperatorem de Alemannia et filium ejus...

Romanorum 96. Henricus quartus obiit, cui filius suus Henricus succedens, regnavit annis 19...

1132. [MCX] 4. Rex Anglorum Henricus filiam suam Henrico regi Teutonicorum dedit in conjugem...

1133. [MCXI] 5. Henricus rex Teutonicorum Romam venit, Paschalem papam cepit et in custodia posuit, sed postmodum ad pontem viæ Salariæ, ubi pa-

Digitized by Google

chalem festivitatem in campo celebraverunt, pacem cum eo fecit. Hoc autem modo reconciliatio inter regem et dominum papam facta est, et hoc est juramentum regis (179) : *Ego Henricus rex liberos dimittam 4 vel 5 feria proxima dominum papam et episcopos et cardinales, et omnes captivos et obsides, qui pro eo vel cum eo capti sunt, securos produci faciam intra portas Transtiberinæ civitatis, nec ulterius capiam aut capi permittam eos qui in fidelitate domini papæ Paschalis permanent, et populo Romano et Transtiberinæ et insulæ civitatis pacem et securitatem servabo, tam per me quam meos, et in personis et in rebus, qui mihi pacem servaverint. Dominum papam Paschalem fideliter adjuvabo, ut papatum quiete et secure teneat, patrimonia et possessiones Romanæ ecclesiæ, quæ abstuli, restituam, cuncta quæ habere debet more antecessorum meorum recuperare et tenere adjuvabo bona fide, et domino papæ Paschali obedientiam, salvo honore regni et imperii, sicut catholici imperatores catholicis pontificibus Romanis. Hæc omnia observabo bona fide, sine fraude et malo ingenio. Et isti sunt juratores ex parte ipsius regis : Fredericus Coloniensis archiepiscopus, Gebehardus Tridentius* [614] *episcopus, Burhardus* [614] *Monasteriensis episcopus, Bruno Spirensis episcopus, Albertus cancellarius, comes Heremannus, Fredericus comes palatinus, Berengarius comes, Bonifacius martio* [614], *Albertus comes de Blandriaco, Fredericus comes, Godefridus comes, Warnerius martio* [614].

Dominus (180) *papa Paschalis* 156 *concedet domino regi Henrico et regno ejus, et privilegio suo sub anathemate confirmabit et corroborabit, episcopo vel abbate libere electo sine symonia assensu regis, quod dominus rex eum annulo et virga investiat. Episcopus autem vel abbas a rege investitus, libere accipiat consecrationem ab episcopo ad quem pertinuerit. Si quis vero a clero et populo eligatur, nisi a rege investiatur, a nemine consecretur, et archiepiscopi et episcopi libertatem habeant consecrandi a rege investitos. Super his etiam dominus papa Paschalis non inquietabit dominum regem Henricum, nec ejus regnum et imperium. Dominus papa Paschalis non inquietabit dominum regem Henricum, nec ejus imperium vel regnum, de investitura episcopatuum vel abbatiarum, neque de injuria sibi illata et suis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac causa, et penitus in personam regis Henrici nunquam anathema ponet, nec remanebit, in domino papa, quin coronet eum, sicut in ordine continetur, et regnum et imperium officii sui auxilio eum tenere adjuvabit pro posse suo, et hæc adimplebit dominus papa sine fraude et malo ingenio. Hæc sunt nomina illorum episcoporum et cardinalium, qui præcepto domini papæ Paschalis privilegium et amicitiam sacramento confirmaverunt domino imperatori Henrico : Petrus Portuensis episcopus, Centius Sabiniensis episcopus, Robertus cardinalis Sancti Eusebii, Bonifacius cardinalis Sancti Marci, Anastasius cardinalis Sancti Clementis, Gregorius cardinalis Sanctorum apostolorum Petri et Pauli, item Gregorius cardinalis Sancti Grisogoni, Joannes cardinalis Sanctæ Potentianæ, Rhizus cardinalis Sancti Laurentii, Rainerus cardinalis Sanctorum Marcellini et Petri, Vitalis cardinalis sanctæ Balbinæ, Dunzo cardinalis Sancti Martini, Theobaldus cardinalis Joannis et Pauli, Joannes diaconus Sanctæ Mariæ in schola Græca.*

Paschalis (181) *episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Henrico Teutonicorum regi et per Dei operis gratiam Romanorum imperatori augusto salutem et apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctæ Romanæ ecclesiæ singulariter cohærere dispositio divina constituit. Prædecessores vestri probitatem cum prudentiæ amplioris gratia ac Romanæ urbis coronam et imperium consecuti sunt. Ad cujus videlicet coronæ et imperii dignitatem tuam quoque personam, fili carissime Henrice, per nostri sacerdotii ministerium majestas divina provexit. Illam igitur dignitatis prærogativam, quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus, catholicis imperatoribus, concesserunt et privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, et præsentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui episcopis vel abbatibus, libere præter violentiam et symoniam electis, investituram virgæ et annuli conferas. Post investitionem vero canonice consecrationem accipiat ab episcopo, ad quem pertinuerit. Si quis autem a clero et populo præter tuum assensum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur. Sane episcopi vel archiepiscopi libertatem habeant, a te investitos episcopos vel abbates canonice consecrandi. Prædecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum episcoporum maxime vel abbatum prædiis oporteat communiri, et post plures dissensiones, quæ electionibus sæpe contingunt, regali oporteat majestate compesci. Quam ob rem prudentiæ et potestativæ curæ debes solicitus imminere, ut Romanæ ecclesiæ celsitudo et cæterarum salus præstante Domino beneficiis et servitiis conservetur. Si qua agitur ecclesiastica vel secularis persona hanc nostræ concessionis paginam temerario ausu pervertere temptaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honoris quoque ac dignitatis suæ periculum patiatur. Observantes autem misericordia divina custodiat, et personam potestatemque tuam ad honorem suum et gloriam feliciter imperare concedat.*

Iis conventionibus et juramentis inter dominum papam et regem in paschali festivitate facta est

VARIÆ LECTIONES.

[614] *ita ed.*

NOTÆ

(179) V. Mon. Legg., II, p. 72.
(180) V. ibid. p. 71.
(181) V. ibid. p. 72.

Digitized by Google

concordia. Deinde Romam Idus Aprilis rex venit, quem papa, in ecclesia sancti Petri missam celebrans, in imperatorem consecravit, et ei suisque omnibus absolutionem fecit, et omnem injuriam sibi factam condonavit..

1134. [MCXII] 6. Anno pontificatus domini papæ Paschalis secundi 13, indictione 5, mense Martio, 15 Kal. Aprilis, celebratum est concilium Romæ Lateranis in basilica Constantiniana (182). In quo cum dominus papa resedisset [615] cum archiepiscopis et episcopis et cardinalibus et varia multitudine clericorum et laicorum, ultima die concilii, facta coram omnibus professione catholicæ fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit: *Amplector omnem divinam Scripturam, scilicet veteris ac novi testamenti, legem a Moyse scriptam et a sanctis prophetis. Amplector quatuor evangelia, septem canonicas epistolas, epistolas gloriosi doctoris beati Pauli apostoli, sanctos canones apostolorum, quatuor concilia universalia sicut quatuor evangelia, Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense; Antiochenum concilium et decreta sanctorum patrum Romanorum pontificum, et præcipue decreta domini mei papæ Gregorii septimi et beatæ memoriæ papæ Urbani. Quæ ipsi laudaverunt, laudo. Quæ ipsi tenuerunt, teneo. Quæ confirmaverunt, confirmo. Quæ damnaverunt, damno. Quæ repulerunt, repello. Quæ interdixerunt, interdico. Quæ prohibuerunt, prohibeo. In omnibus et per omnia in his semper perseverabo.* Quibus expletis, surrexit pro omnibus Girardus Engolismensis episcopus, legatus in Aquitania, et communi assensu domini papæ Paschalis totiusque concilii coram omnibus legit hanc scripturam: *Privilegium illud, quod non est privilegium, sed vere debet dici pravilegium [616], pro liberatione captivorum et Ecclesiæ a domino papa Paschali per violentiam regis Henrici extortum, nos omnes in hoc concilio cum domino congregati, canonica censura et ecclesiastica auctoritate judicio sancti Spiritus damnamus, et irritum esse judicamus, atque omnino quassamus, et ne quid auctoritatis et efficacitatis habeat, penitus excommunicamus; et hoc ideo damnatum est, quia in eo privilegio continetur quod electus canonice a clero et populo a nemine consecretur nisi prius a rege investiatur, quod [617] est contra sanctum Spiritum et canonicam institutionem.* Perlecta vero hac carta, acclamatum est ab universo concilio: *Amen, fiat, fiat,* Archiepiscopi cum suis suffraganeis qui interfuerunt hi sunt: Joannes patriarcha Veneticus, Sennes [618] Capuanus, Landulfus Beneventanus, Amalphitanus, Rogitanus, Hidrontinus, Brundusinus, Capsanus, Girontinus, et Græci, Rosanus et archiepiscopus Sanctæ Severinæ. Episcopi vero Centius Savinensis, Petrus Portuensis, Leo Ostiensis, Cono Prenestinus, Gerardus Engolismus, Calo Leonensis, legatus pro Bituricensi et Viennensi archiepiscopis, Rogerus Vulturnensis, Gaufridus Senensis, Rollandus Populoniensis, Gregorius Terracinensis, Gulielmus Trojanus, Gibinus Siracusanus, legatus pro omnibus Siculis, alii fere 100 episcopi. Siguinus et Joannes Tusculanus episcopi, cum essent Romæ illa die, concilio non interfuerunt. Qui postea, lecta damnatione privilegii, consenserunt et laudaverunt...

1136. [MCXIV] 8. Henrico Romanorum imperatori Matildis, filia regis Anglorum Henrici, 8. Idus Januarii, Moguntiæ desponsata, et in imperatricem est consecrata...

1137. [MCXV] 9. Hoc anno hiems extitit asperrima, ita ut omnes fere per Angliam pontes glacie frangerentur. Imperator Henricus, postquam Coloniam diu obsedisset (183) et multos suorum campestri prælio perdidisset, pacem apud civitatem Nussam [619] juramento fecit...

1139. [MCXVII] 11... Apud Lumbardiam magno terræ motu facto, et, ut testati sunt qui novere, 40 dierum spatio durante, plurima domorum ædificia corruere. Et, quod visu dictuque constat mirabile, villa quædam pergrandis mota est repente de statu proprio, jamque ab omnibus longe remoto consistere cernitur loco. Mediolani dum patriæ dignitatis viri de re publica tractantes sub una residerent turri, auribus omnium vox foras insonuit, unum ex illis nomine vocans et festinato exire rogans. Quo tardante, persona quædam coram apparuit, quæ vocatum virum ut egrederetur prece obtinuit. Exeunte illo, turris repente cecidit et omnes qui ibidem aderant casu mirabili oppressit (184).

VARIÆ LECTIONES.

[615] redisset *ed.* [616] privilegium *ed.* [617] quod non est *ed.* [618] Semies *ed.* [619] missam *ed.*

NOTÆ.

(182) V. Ekkehardum SS. VI. p. 246, et quæ ibi notavi.

(183) V. Ekkehardum a. 1114 ex.

(184) In continuatione anonymi nonnisi pauca de Lothario imperatore, quem a. 1125 Leodegarium dicit, papisque Anacleto et Innocentio a. 1137, de Saxonibus Turingorum victoribus (ex Widukindo?) a. 1138, de miraculo in Prumiensi monasterio acto a. 1138 notanda sunt; quæ hic exscribere juvat.:

1139. *Fluctuabat adhuc jam annis 7 Romana 1137 sedes propter papatum duorum, Gregorii scilicet, qui et Innocentius, et Petri, qui et Leo. Quorum causa inter Lotharium Romanorum imperatorem et Rogerum Apuliæ ducem exortum fuit bellum. Divitiis pleni ambo hi. Unus religione et dignitate superior vel excellentior; alter in confusionem sui auro præstantior. Imperialis tamen sublimitas, ut dignum et justum est, omni regiæ dignitati præstat in omnibus. Ambo Romæ prædictos constituerunt episcopos episcoporum; Lotharius Gregorium canonice electum, Rogerus Petro Leoni Romanæ urbis concessit papatum. Verum hac inter eos dissensione cardinalium auctoritati et præfectoriæ dignitati displicente, amore pecuniæ nunc Gregorium in Petri expulsione, nunc Petrum Gregorii exclusione, in apostolicam sedem recipiunt. Constitutus denique a Lothario Gregorius apostolicam regit sedem; electus a Rogero velut alter papa Lateranis sedit, antiqui Petri Leonis soboles Petrus Leo; quo utrosque si stimula-*

Digitized by Google

LANDULFUS SENIOR

CLERICUS MEDIOLANENSIS.

LANDULFI HISTORIA MEDIOLANENSIS.

EDIDERUNT L. C. BETHMANN ET W. WATTENBACH.

(Apud PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. VIII, pag. 32.)

NOTITIA IN LANDULFUM.

ÆTAS, NATALES, PATRIA, RES GESTÆ, SCRIPTA.

Ecclesiæ Mediolanensis discidium post Arnulfum alterum ad scribendum excitavit Landulfum, qui eidem cum illo parti favit, sed multo acerbius scripsit, nec sententiam quantum scimus postea mutavit; partium magis quam veritatis studio ductus, et cæco nonnunquam furore abreptus. Nomen codicum subscriptiones indicant, et littera *L.* in præfationis exordio nominis loco posita. Genus latet, sed populo magis quam nobilitati eum favisse, bene jam animadvertit comes Giulini (1); nam et in enarrandis pugnis quæ versus a. 1045 inter utrosque exarserunt, A popularem se ostendit, et, Widonem laudans archiepiscopum, acerbe invehitur in clericos quibus hic propter generis humilitatem invisus erat. Clericum se fuisse et ipse III, 1, indicat (2), et scribendi genus rerumque ecclesiasticarum scientia comprobat; epistola autem operi præmissa ad ecclesiæ Mediolanensis archipresbyterum, locum ei inter ordinarios assignare videtur. De tempore quo scripsit, nihil certi nobis traditum est. Si fides est codicibus, archipresbyteri illius nomen ab littera *L.* incipiebat; sed nullius per eos annos mentionem inveni,

dignitatis ambitio, neuter placens Deo. Quæ cum fiunt in mundo, Dei servantur judicio, cujus judicia abyssus multa. Causa tantæ dissensionis, in capite omnium per orbem ecclesiarum Romæ quam plurimis annis habitæ, communi principium consilio statuitur dies, quo inter Romanos et Apulienses duellum fiat, et Deus omnipotens judex omnium cui disposuerit victoriam tribuat. Congregato exercitu fere innumerabili, Lotharius imperator, licet infirmitate positus castrametatus est in Apulia. Rogerus multorum millium peditum et equitum multitudine constipatus occurrit. Pugnatum est utrinque. Deo autem sic disponente, imperator cum suis vincens triumphat, Rogerus cum suis victus fugam iniit. Cujus regia corona, quam sibi fecerat ut rex coronaretur, auro præfulgida, insidiose tamen reperta, in donum acceptabile imperatoriæ traditur excellentiæ. Qui repatrians, non multo post regnum cum vita amisit...

1160. 1. *Romanorum* 99. *Conradus, dux* 1138. *Bavariorum, nepos Henrici superioris, qui habuit in imperatricem filiam regis Anglorum Henrici, regnavit annis* 12. *Olim temporis gens quædam ab aquilonali parte veniens, Turingiam terram incolendam penetravit. Cujus terræ incolæ, ut ipsius exteræ terræ populus expetiere, haud modicam sui incolatus portionem illi concessere. Crevit populus et multiplicatus est nimis. Longo elapso tempore, debitam Turingis abnegant deditionem. Qua de re cum armis, ut moris est eidem genti, convenitur utrinque ut debitum exigatur et persolvatur Id sane semel et iterum, sine vulnere tamen, agebatur, tertio sine armis ab utraque parte sub pacis fœdere convenire decernitur. Exterorum plurima multitudo seuticus imbecillitatem Turingorum, et nec consilio nec* B *fortitudine bene regi terram illorum, conveniunt; statuto die condicto placito se ingerunt, in cautelam et tutelam sui longos cultros invaginatos in abscondito secum gerentes. Non pacis consensu, sed in dissensione magna placitatum est. Quid multis? Turingi vincuntur, extera gens et effera triumphat. Num longorum cultrorum jam evaginatorum exercitio fit in Thuringis non modica sanguinis effusio. De terra et de cognatione sua Turingi propelluntur incolæ ignominia; fere tota terra illorum cedit, quibus rotalis arriserat fortuna in victoria. Mutato denique nomine, quæ ad id tempus Turingia, ex longis cultellis sed victoriosis postmodum vocata est, non Saxonia, sed Anglico elemento Sexonia... Defuncto sedis apostolicæ invasore Petro Leone anno 9 invasionis suæ, venerabilis papa Gregorius, qui et Innocentius, sanctam regens ecclesiam, ad satisfactionem venientes cunctos qui in parte Petri contra eum tenuerant suscepit. Et pacificatis omnibus, die paschali Romæ consecravit in episcopum Ostiensis ecclesiæ Albericum abbatem Verzeliensis ecclesiæ. Fama volat per circuitum hoc factum miraculum. — In archiepiscopatu Treverensi cœnobium nobile situm est, quod* C *Brumia dicitur, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli dedicatum, ab antiquis temporibus a Pipino, rege Francorum, patre Caroli Magni, fundatum, in quo talis novitas rei ab omnibus ibidem conversantibus accidisse refertur. Quodam mane,* etc. Diabolum in cella vinaria deprehensum monachum fecerunt; sed postea » *cum eum monachili habitu spoliarent, inter manus eorum ut fumus evanuit.*»

(1) Mem. di Milano III, 363.

(2) Verbis *mei animi vel ordinis.*

Digitized by Google

in quem hoc conveniret. Patet tamen locus inter Anselmum qui a. 1100 invenitur (3), et Olricum qui a. 1110 electus est. Neque vero ultra hunc annum descendere possumus, cum post Heriberti mortem (1045) quæ sui ipsius temporibus evenerint se scripturum esse spondeat II, 34, multis quassatum tribulationibus quasi ipse cum ordine suo sit perpessus (4). Non tamen, ut Arnulfus, inter ipsas res gestas scripsit, quamvis mirum sit eum nusquam mentionem fecisse rerum memoria præcipue dignarum quæ post a. 1085 acciderunt, et carmen libro II præmissum inter medias turbas illas scriptum esse videatur. Nam comites duos majores sedis Ambrosianæ oberrantes, quos ibi commemorat, Gotofredum et Attonem esse suspiceris, itaque his viventibus eum scripsisse. Sed de neutro quando obierit compertum habemus, et eadem partium studia per longa tempora Mediolanenses adhuc exercuisse, ex Landulfi a S. Paulo Historia discimus. Misera quam deplorat cleri Ambrosiani conditio, bene convenit temporibus Grosolani, qui per a. 1102-1112 sedem illam perturbavit, ut ait auctor Catalogi mox edendi. Nihil in Landulfi nostri opere legitur quod non eodem omnia tempore scripta esse probet; deduxit autem eam ad annum usque 1085, et III, 30, rei meminit quæ secundo Anselmi IV anno evenit, i. e. 1099 vel 1100. Quod cum postea addidisse potuerit, alia causa accedit quæ jam de rebus satis remotis eum scripsisse prodat. Nam cum temporum ordinem ubique prorsus neglexerit, vel in iis quæ in extremo opere tetigit, fœdissime omnia perturbavit. Tedaldum enim, qui a. 1075 archiepiscopus factus est, ante electionem prælio adfuisse narrat, quo Heinricus rex Saxones devicerit; in eodem autem prælio Rodulfum regem occisum esse refert. Nec multo melius sequentia ordinavit. Quare mihi quidem verisimile esse videtur Landulfum senem jam factum, cum adversariorum factio dudum prævaluisset, animi ægritudinem solari voluisse expositione causarum quæ clerum de statu suo dejecerant. Eas enim memoriæ suæ (5) firmiter inhærere ait, nunc vero ad posterorum tutelam litteris sese esse consignaturum. Id unum mireris, quod talia dirigere licuerit ad archipresbyterum prævalente parte pontificia electum. Neminem adhuc tantas res scribendas sibi sumpsisse queritur, unde Arnulfi opus eum latuisse apparet. Ipse autem reminiscens, ut ait (6), e quanta magnitudine quantisque honoribus clerus cecidisset, sedule omnia contulit quæ priscam ejus magnificentiam illustrare possent, deinde a Walperto continuam narrationis seriem exorsus est. Postremorum ipse testis fuit, alia a videntibus comperuit (7), ea autem quæ ante annum 1045 acciderunt, multo sudore multoque labore, antiquos sciscitando omnes se reperisse asserit, et civitatum Italiæ totius librorum paginas rimando esse scrutatum (8). Ex his igitur ipse indicat, præter Scripturam sacram et Ambrosii, Augustini, Gregorii Magni opera theologica, quorum locos largissime affert, Paulini Vitam Ambrosii (9), Gregorii Registrum (10) et Dialogos (11), librum De situ urbis Mediolani cum Vitis primorum pontificum (12), et Pontificale Romanorum Gestaque Longobardorum (13); sed ad hæc ablegat potius lectores quam ut ipse ex iis hauserit; versus præterea basilicæ Nazarianæ et cenotaphio Frontonis inscriptos (14). Verum præter hæc II, 8, commemorat librum qui Genuæ inventus sit, eundem ni fallor quem in fine prologi verbis admodum obscuris designat. Ex hoc igitur libro narrationes fabulis plenas de priscis Ecclesiæ Mediolanensis fatis, quibus prima operis pars referta est, videtur hausisse. Verum etiam singulos earum auctores discimus ex inscriptionibus capitum: ipsum Ambrosium, Datium, Constantium, Benedictum, Thomam, episcopos Mediolanenses. Sed harum inscriptionum fides admodum est incerta. Codicum quos novimus nullus excedit sæc. XIV, eorumque maxima est in titulis capitum diversitas. Is quem *B.* vocamus, capiti III, 30, titulum apposuit, a Landulfo certe non scriptum, sed etiam *A*, II, 39, præbet inscriptionem quam a posteriore aliquo profectam esse equidem habeo persuasum. Jam vero auctores illos quos in solis capitum titulis ascriptos invenimus, parum verisimile videtur, nusquam a Landulfo in ipso verborum contextu fuisse commemoratos — ut commemoravit Gregorium — si tam locupletes vel habuisset vel finxisset. Itaque in eam omnino inclino sententiam, Landulfum aliquoties quidem indiculos capitibus ascripsisse, cæteros autem a posterioribus esse adjectos. Et primum quidem quod c. I, 11, a B. Ambrosio esse dicitur, manifesto absurdum est. Quod I, 4, *Sermo Constantii* inscribitur, ortum esse apparet ex verbis initio c. 8 male intellectis. Benedictum autem II, 15, ipse ascripserit, cum hic in ipsa oratione nomen indicet, quæ tamen multo post eum tempore composita est. Capita vero I, 10-14, quæ *Sermo B. Thomæ* inscribuntur, inveniuntur etiam in codice sæc. XIII, quem Novum Beroldum vocant, sed

(3) Inde ab a. 1096 post Gothefredum qui a. 1095 subscripsit; v. Giulini IV, p. 301, 328, 427, 539, 544, 545. Olricus ann. 1120 archiep. factus est. 1128, Oct. 18, Tetaldus de Landriano commemoratur, quem 1148 Obertus s. Obizius excepit. Sed fortasse archipresb. *L.* non inter ordinarios quærendus erit, etsi verba repugnant.

(4) III, 1.

(5) Siquidem ita interpretari licet *tabulas carnales* III, 1.

(6) II, 34.

(7) III, 19.

(8) III, 2. Cf. prologum.

(9) I, 1; II, 15; III, 12, 30.

(10) III, 6, 9.

(11) III, 7.

(12) II, 2. 15. Editus est in SS. Rer. It. Vol. I^b.

(13) II, 2, et inscriptio c. 15. Pauli Historiæ nihil eorum inest quæ c. 2 narrat; sed fortasse codicem habuit in fine auctum.

(14) I, 6; II, 3.

Digitized by Google

auctoris nomine non inscripta. Thomam autem archiepiscopum ea scribere minime potuisse, nemo qui ea legerit ambiget. Solus igitur restat Datius, cui capita 1, 2, 4, 12, 13, tribuuntur; at falso, ut dudum probaverunt VV. DD. Muratorius (15) et Fumagalli (16). Datii Landulfus meminit, sed ne verbum quidem de scriptis ejus profert (17). Itaque nulla ejus culpa evenisse arbitror ut non solum illa capita, sed totum opus miro quodam errore Datio isti tribuerentur. Codici *B*. Franciscus Castellus a. 1574 inscripsit: *Chronica Datii archiepiscopi Mediolani nuncupata* (18), et recte quidem, cum eam jam initio sæc. XIV hoc nomine vocitatam fuisse constet. Nam Galvaneus de la Flamma inter auctores suos nominat Datium et Arnulphum (19), et Datium testem advocat ubi res ex Landulfi historia sumptas affert. Circa idem tempus codices nostri scripti sunt, qui Datio archiepiscopi nomen tribuunt. Sequenti sæculo auctor Vitæ Mathildis verba Landulfi profert e « libro qui Darius appellatur » (20). Datium etiam Bernardinus Corius eum appellat. Unde hæc appellatio orta sit, prorsus obscurum est. Nusquam præterea verbum fit de scriptis hujus Datii, nisi quod in Gestis Pontificum (21) et in Historia miscella (22) pauca verba ei tribuuntur, quæ ex epistola quadam sumpta esse videntur. Itaque, ut equidem existimo, Landulfus res usque ad II, 35 narratas partim ex scriptionibus quas invenit, sed ut erant ab auctoribus ipsi incognitis compositæ, nullis auctorum nominibus appositis, partim ex narrationibus quæ vulgo ferebantur, composuit; carmen de Alberto rege vel scriptum vel adhuc a popularibus suis decantari solitum, eum interposuisse arbitror. In continua post Walpertum narrationis serie librorum ope caruisse videtur, referens quæ audiendo compererat, donec res attingeret quas ipse videndo cognoverat. Verum et in his et in illis admodum licenter versatus, multa amplificasse et in majus auxisse videtur (23), inter quæ præcipue censendæ sunt orationes passim insertæ, quas nescio utrum ipse sibi confinxerit, an ab aliis acceptas receperit: nam ita revera habitas esse quis credat? Temporum ordinem nusquam curavit, et partium studio cæcatus a veritate sæpissime discedit, ut in rerum historia condenda vix eo uti possimus, certe singula quæque accuratissime debeamus examinare.

Sermone utitur negligenti et ad grammaticæ regulas minime castigato, qui in codicibus nostris etiam multo magis depravatus est. Ii enim recentes sunt, et ex uno omnes fluxerunt, jam mutilo, nam lacunæ extremorum capitum omnibus quæ novimus manuscriptis sunt communes. Neque ex Galvanei de la Flamma verbis eum emendare possumus, quum is verba Landulfi raro tantum servaverit. Vitæ Arialdi, cujus auctor aliqua Landulfi capita in compendium redegit, non major est utilitas. Loci autem Ambrosii et aliorum scriptorum quos affert, cum aliis exemplaribus collati ostendunt verba in codicibus nostris admodum esse vitiata (24), sed corrigere nihil ausus sum, cum auctoris ipsius negligentia eisdem locis manifesta appareat, qui e. g. eumdem Gregorii locum ter attulit (25), sed semper ita corruptum, ut sensu careat. Etiam Scripturæ sacræ locos, quos ex memoria laudavit, ita nonnunquam mutavit ut vix eos agnoscas; aliquot frustra omnino quæsivi. Sed libros quibus usus est ab aliis exemplaribus aliquantum diversos fuisse apparet, alios pseudepigraphos fuisse, in quibus e. g. Augustini verba de ranis III, 8, invenit.

Editio hactenus unica in Muratorii SS. Rerum Ital. vol. IV per Horatium Blancum curata est ad duos codices metropolitanos, quorum alter jam periit (26). Muratorius antea in usum suum descripserat recentius bibl. Ambrosianæ apographum, quod ex alterutro illorum fluxisse existimabat (27). Eum Bethmannus noster secutus est, et præ apographi ejus (A') fide Blanci textum minoris æstimavit. Sed mihi cum aliquas lectiones ex cod. A. apud Blancum allatas (28) a cæteris plane diversas esse animadverterem, hoc non ita certum visum est; itaque Blanci varias lectiones, etsi in textum eas recipere raro ausus sim, tamen afferendas esse duxi, initio omnes, deinde quæ majoris momenti essent. Sed ipsam nunc proferamus codicum descriptionem, qualem nobis Bethmannus transmisit:

[A.] Codex olim ecclesiæ metropolitanæ Mediolanensis, idem quem in Arnulfi historia 5 signavimus, jam deperditus, ex duobus tantum ejus apographis cognosci potest; sunt quidem hæc:

A. Cod. Ambrosianus n. 128. sæc. XVII, quem in Arnulfo B 1, vocavimus, Arnulfum ex Ambrosiano n. 89 descripsit, Landulfum ex A. In capitum titulis ab A'' B adeo recedit, ut eos de suo fecisse videatur (29). Usus eo fuit Muratorius. Ex ipso descri-

(15) In appendice Anecdot. Vol. I, et præf. ad Landulfum.
(16) Antichità Longobardico-Milanesi III, 333.
(17) Quinimo I, 12, dicit se post expositos Ecclesiæ ordines jam de catechumenis narraturum esse: *secundum ordinem quem vidi cordeque cognovi et a fidelibus comperi*. Quæ verba si cum prologo contuleris, Landulfum, non Datium loqui, minime dubitabis.
(18) V. Murat. Anecd. I, 236.
(19) *Apud sanctum Nazarium*. Manip. Florum c. 1.
(20) Leibnitii SS. Rer. Br. I, 694. Hoc Horatii Blanci adnotationi debemus.
(21) V. Sylverii.
(22) L. XVI, p. 107. MURAT.
(23) Exemplo sunt verba II, 2, 15, e libro De situ Mediolani petita, quibus multa ipse adjecit.
(24) E. g. Ambrosii II, 3; III, 24, 26.
(25) II, 3, 35; III, 23. Ambrosii testimonio quomodo abusus sit, v. III, 30.
(26) Utrumque etiam Puricellus novit, De sanctis mart. p. 14. Sed usus est cod. B, unde multa protulit.
(27) SS. IV, pag. 51.
(28) II, 19, 20, 35.
(29) Mihi potius si qui ex his genuini sunt, in hoc cod. servati esse videntur, ut II, 15, 34; III, 1, 4, 7, 19, 31.

Digitized by Google

ptus est cod. bibl. Breræ A, F, X, 6, chartac., fol., sæc. XVII. inc., nil nisi Landulfum continens.

A**. Cod. serenissimi ducis Littæ Mediolanensis, a. 1703, quem in Arnulfo 5* appellavimus; in Landulfo proxime ad A* accedit, exceptis titulis, in quibus plerumque cum B convenit.

B. Cod. olim metropolitanus, jam Ambrosianus, n. 89, sæc. XIV, multum ab A recedit, præcipue in priori parte, eo quod nunc singulas voces, nunc plures omittit, imo integras sententias et vero capita in brevius contrahit. Capitum titulos quos rubro scripsit, nonnunquam de suo mutavit; aliquoties etiam rubro notas margini adscripsit.

Hæc Bethmannus, qui textum potissimum ad fidem cod. A* correctum nobis transmisit, scribendi A ratione cod B retenta (30). Eam servavi, cum Landulfi morem nesciamus, et nonnullis locis, qui dubii manent, proderit librariorum scribendi rationem præ oculis habere. Locis ex Ambrosii cæterorumque scriptis interspersis varias lectiones apposui editionum recentiorum, ex quibus manifesto prodit quam male verba a librariis habita sint. Titulos capitum, ubi non necessarii sunt, inter varias lectiones rejeci, cum plurimos postea adjectos esse appareat, et veros certa ratione distinguere non valeamus. De rebus autem pauca tantum adnotavi, cum præsto sit ad comparationem Arnulfi Historia, plurimorum autem adeo incerta sit fides, ut quid inter fabulas veri lateat exquirere longioris sit disputationis.

W. WATTENBACH.

(30) In primis *e* et *i*, *s* et *ss*, *sc* sæpe inter se commutantur. Hæc et alia in codicibus in Italia scriptis mature jam invaluisse, ostendit e. g. cod. nunc B Vindobon. s. IX, de quo v. Annales nostros VII, 275.

IN LANDULPHI HISTORIAM

PROLEGOMENA LUDOVICI ANTONII MURATORII.

(*Script. ital.*, tom. IV, pag. 49.)

Qui nunc prodit in lucem *Landulphus senior*, Mediolanensis historicus, difficile gratiam inibit a delicatis lectoribus, ubi ejus vitia maculasque detegant. Attamen ipsum innuere has ipsas maculas lectoremque mature præmunire contra calumnias, ignorantiam, et dicacitatem scriptoris, ita, ni fallor, exarmabit ejus alioqui fatuum venenum, ut neminem futurum putem qui ab illo sibi in posterum timeat. Nempe historicus iste, cujus Chronicon ad annum fere 1085 deductum est, vixit Gregorii VII P. M. temporibus, et certe ante annum 1100 a Christo nato floruit. In ejus patria, hoc est Mediolani, clericorum mores non parum depravati tunc erant, nonnullis Simoniæ crimine infectis, aliis sacram continentiam servare nolentibus. Illic propterea presbyterorum præcipue, cæterorumque clericorum nuptiæ in usu erant, nullaque habebatur ratio ecclesiasticæ disciplinæ, quæ sane ab ipso apostolorum ævo, in Occidentalibus saltem Ecclesiis, ad ea usque tempora obtinuerat. Neque unus tunc Mediolanensis clerus hac labe infectus. Ut alias urbes præteream, Romam ipsam eo successu divexabat hic morbus, ut Stephanus papa IX, anno 1057, *crebris synodis clerum Urbis populumque convenire, maximeque conjugiis clericorum et sacerdotum tollendis insistere* coactus fuerit, id testantibus Leone Ostiensi, Petro Damiani, Baronio et aliis. Et plurimus quidem labor summis pontificibus, nimirum laudato Stephano IX, Nicolao II, Alexandro II et Gregorio VII, præsertim ut in Mediolanensi Ecclesia restauretur collapsa ex hac parte disciplina, ut in libro De SS. martyribus Arialdo et Herlembaldo fusissime olim ostendit eruditus vir Joannes Petrus Puricellius.

His ergo temporibus Mediolani degebat et hanc Historiam adornabat Landulphus noster, et ipse fortasse sacerdos conjugatus, certe conjugati sive concubinarii cleri patronus acerrimus. Quare nil mirum si illius libros occupet cum enormis maledicentia in Romanos pontifices, tum in quoscunque probos incontinentiæ infestos mira petulantia, recurrente sive opportune sive importune variis in locis pravæ consuetudinis tutela, aliorumque contra sentiendum accusatione. Et quid aliud exspectes ab homine his affectibus mirum in modum perturbato? Erit proinde prudentis ac eruditi lectoris contemnere ac ridere quæcunque is liberaliter effutit in viros sanctissimos, atque in ipsam Romanam Ecclesiam, cui honor perpetuo deferendus, et a qua succedere gravissimum in oculis Dei piaculum est.

Quid? quod et Landulphum ignorantia non levis, et impudentia non vulgaris denigrat. Lege capitulum *De monogamis sacerdotibus*, ubi S. Ambrosium aut fingit, aut inepte credit addictum matrimoniis sacerdotum, eumque illa scribentem inducit, quæ profecto aut in libris sanctissimi antistitis nequaquam occurrunt, aut alio sensu occurrunt, cum alioqui certum sit agnovisse Ambrosium non uno in loco sacerdotibus nefas esse liberis operam dare. Sunt ejus verba apertissima lib. I, cap. 1, De Offic.: *Inoffensum autem exhibendum et immaculatum ministerium, nec ulli conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integri corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis.* Reliqua lege, atque ibi notas Mabillonii. Tum in epistol. 63, ad Vercellensem Ecclesiam, class. I, num. 62: *Hæc*, inquit, *posui, quæ cavenda acceperim. Virtutum autem magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui unius uxoris virum præcipiat esse, non quo exsortem excludat conjugii (nam hoc supra legem præcepti est) sed ut conjugalis castimonia servet ablutionis suæ gratiam; neque iterum ut filios in sacerdotio creare apostolica invitetur auctoritate, habentem enim dixit filios, non fare entem.*

Porro in aliis quoque non paucis locis vacillare videas Landulphi fidem. *Querimonia B. Benedicti archiepiscopi Mediolanensis super Papiensis episcopi consecratione*, quæ hic habetur, jamque edita a me fuerat tom. I Anecdotor., cap. 5 Appendicis, oratio est eidem archiepiscopo afficta, ut ibidem ostendi cap. 7. Similes orationes aliis hominibus hic scriptor pro suo ingenio supponit, quo suas opiniones, quasquam interdum futiles, sub alieno nomine venditet, ut nihil dicam de miraculis et visionibus ni facilitate in suorum gratiam ab ipso commentatis, sive, ut rectius loquar, conflictis. Quod tamen mirere magis, non in eruditione tantum ecclesiasti ineptit Landulphus, sed in ipsarum etiam rerum

Digitized by Google

narratione, quæ non multis sæculis aut annis ante ejus tempora contigerant. Omnium maxime dignum est animadversione, quod ille tradit de Lamberti imperatoris regno ac ætate. Si eidem credimus scribenti lib. II, cap. 3, regnavit Lambertus in Italia sæculo Christianæ æræ sexto; postquam enim ejus mortem narravit Landulphus, continuo ita loqui pergit: *Qua tempestate cum venissent in Italiam dirissimi Longobardi*, etc. At nemo nescit Lambertum Italiæ regem et imperatorem ad finem usque, sæculi noni vixisse, et necatum ann. Christi 898, hoc est, ne duobus quidem sæculis ante Landulphum nostrum, ut vix assequi possis quomodo in re tam illustri cæcutire potuerit aliquo modo proximus eorum temporum scriptor. Alios id genus errores prætermitto, qui saltem oscitantiæ non levis hunc historicum arguunt, uti et ejus stylum dimitto, in quo solecismi, nedum barbarismi, ad satietatem abundant, quos omne difficile unis librariis tribuas.

Sed jam audire mihi videor percunctantem, cur ergo scriptorem imperitum, et sublestæ fidei, et injurium Romanis pontificibus, evulgare velim, quem æquius foret in sua oblivione sepultum derelinquere? Pro me responsum dabunt qui in eruditionis antiquæ penetralibus versati, optime norunt quanti bonarum litterarum interest has etiam qualescunque historicæ antiquitatis quisquilias in publicum efferri. Jam exploratum est lacrymabili scriptorum Italicorum inopia laborare media illa sæcula, quibus omnem fere scientiarum ac artium usum, apud nos potissimum, ignorantia ac barbaries eripuerat. Hinc nostræ ætatis querelæ, quod monumentis careamus eorum temporum, et ingens nox in historia Italica nunc occurrat, ad quam depellendam si quis se conferat, vetustis codicibus atque archivis diligenter excussis, tum ei gratiæ multæ debentur ab eruditis. Quamvis enim non raro sæculorum illorum historici ineptiant, dum res gestas aliquantulum ab ætate sua dissitas referunt, cujus vitii non injuria illos arcessit Godefridus Guilielmus Leibnitius in Introduct. ad Collect. Histor. de Reb. Brunsvicens., attamen illud plerumque præstant ut res proximas, sive præsentes, fideliter exprimant, et cum reliquis collati ad remotiora quoque facta aut confirmanda, aut uberius explicanda inserviant. Admistam nimirum cum fabulis ac erroribus nonnullis multant rerum veritatem habent, quam deinde secernere est acuti prudentisque critici. Ipsa eadem quæ de Lamberto narrat Landulphus, ut a chronologicis calculis nimium quantum abhorreant, Theodeberti tamen Francorum regis tempora facile designant; atque hinc tantummodo discimus quæ de Lamberti gestis ac morte in Mediolanensi urbe traditio foret post centum circiter et octoginta annos ab illius interitu. Quæ autem ad Landulphi tempora accedunt, quis neget quin ad historiam elucidandam conferre aliquid possint? Atque illud in primis animadvertat velim quod ille habet lib. II, cap. 16, ubi Ottonem tertium Augustum ait, *a consilio conjugali, mortua conjuge, ex qua sibi filium masculum minime genuerat, alienum*, nuptias tandem procurasse cum filia imperatoris Constantinopolitani. Narrat Godefridus Viterbiensis ab Ottonis III conjuge Maria sollicitatum ad turpes amplexus comitem quemdam Mutinensem, qui a tanto facinore abhorrens, ac propterea ab impia regina accusatus de vi illata, capite multatus est. Cum vero comitis mortui innocentiam ejus uxor apud Ottonem judicio ignis facto sustinuisset, reginam conjugem Otto publico supplicio sustulit. Rem tantam a nullo coævo scriptore narratam sunt qui falsi arguant, atque inter alios clariss. Pagius in Critic. Baron. ad annum 998, n. 17, in hanc sententiam descendit, scribens: *Otto III nunquam uxorem duxit.* At Landulphus noster, ab Ottonis III temporibus non multum remotus, Augusto huic conjugem vere fuisse testatur. Quidni hac in re eidem fides adjungatur? Certe, his auditis, non continuo ad fabulas Godefridi narrationem amandare ausis.

Quod est ad Landulphi animum contra ipsos pontifices maximos exasperatum et iniquum, tanta non videtur pœna damnandus, ut in deplorabili scriptorum ejus ætatis penuria frandanda sit hoc fetu litteraria respublica. Quid enim, rogo, cathedra Petri aut Ecclesia catholica ab hujusmodi inepto scriptore sibi metuat, cum potius in laudem pastorum, quorum zelus Mediolanensem Ecclesiam pristino olim decori restituit, Landulphi maledicentia vergat? Ea demum veritatis bonæque causæ fiducia esse debet atque securitas, ut male, quantum puto, de Ecclesia Romana mereretur, quicunque aspero solum supercilio ejus inimicos proscribere vellet, et nihil vel tantillum a nostris opinionibus diversum ex antiquitate evulgari pateretur. Sibi paveat, lucemque evitet, qui reum se esse sentit. Et propterea moleste non tulerunt ecclesiasticæ reipublicæ proceres, quod ipsorum veterum hæreticorum opuscula nonnulla in lucem prodirent, dum una cum veneno remedia quoque conjungerentur. Historicos alios, et quidem non paucos, habemus Landulpho similes, atque iis liber est cursus per eruditorum manus. Nostris etiam temporibus, non dissentiente Roma, luci reddita est ex bibliotheca Estensi, et hic etiam tom. II recusa, Ravennatum episcoporum Historia, olim ab Andrea Agnello concinnata, et a cl. V. Benedicto Bacchinio illustrata, quamquam non dissimilia a Landulpho nostro exhibeat. Nempe hæc omnia eo titulo toleranda, quod ad historiam accuratius et verius pertexendam conducant.

Nunc restat ut de Historia ipsa, illiusque auctore, alia quædam tradamus, eruditis fortasse gratiora. Exemplar ms. unde ego olim descripsi, in Ambrosiana bibliotheca asservatur, manu recentiori exaratum. Illud vero efformatum ex altero e duobus mss. codicibus, qui in bibliotheca capituli metropolitani Mediolanensis exstant. Duo, inquam, illic codices mss. occurrunt, ambo multis ante sæculis exarati. Unus ex iis complectitur præter Landulphi Historiam, quam nunc edimus, Arnulphi quoque Chronicon, quod itidem protulimus, et Catalogum Mediolanensium antistitum, ad Galdinum usque deductum, qui anno Christi 1176 e vivis abiit. Iisdem characteribus cuncta ibi scripta; quare codicis ætatem facile intelligas. In altero codice ms. leguntur eædem Landulphi et Arnulphi Historiæ, characterum forma non dissimili a scriptura codicis primi, quibus addita est Historia Landulphi a Sancto Paulo in Collectione nostra itidem evulganda. At in fronte secundi hujus codicis hic titulus occurrit, manu tamen recentiori scriptus: *Chronica Datii archiepiscopi Mediolani nuncupata.* Nunc ergo animadvertendum celebrem inter eruditos controversiam versari, num videlicet auctores hymni *Te Deum laudamus*, fuerint sancti episcopi Ambrosius et Augustinus. Qui hanc tuentur sententiam, testimonio potissimum utuntur sancti Datii archiepiscopi Mediolanensis, qui sub Justiniano imperatore floruit, ejusque rei fidem facit. Sanctum vero Datium cujusdam chronici auctorem fuisse tradunt Gualvaneus Flamma, Corius, Alciatus, aliique cum veteres tum recentes rerum Mediolanensium scriptores, imo ex eodem Chronico ii se multa desumpsisse testantur. Atque his præcipue documentis sententiam suam de auctoribus laudati hymni tuebatur olim P. Eustachius a S. Ubaldo, Disquisitione in hocce argumentum edita. Neque porro juvat aliorum inire numerum, qui de Datio ejusque Chronico mentionem fecere. Sed non prætereundus cl. vir Joannes Mabillonius, qui cum sibi innotuisset reperiri in metropolitana bibliotheca hujus chronici ms. exemplar, ea de re interrogavit per litteras Antonium Mariam Pusterlam, cujus etiam responsa edita ab ipso Mabillonio fuere in Analect. vet. tom. I, pag. 3.

Digitized by Google

Ego vero hanc eamdem quæstionem agitandam suscepi tom. I Anecdotor., pag. 221, ibique *Propempticon* inscribens memorato P. Eustachio a S. Uhaldo *de antiquo Jure metropolitæ Mediolanensis in episcopum Ticinensem*, cap. 6, contendebam *Chronicon Datii* Mediolanensis archiepiscopi, ab historiographis non paucis laudatum, nihil aliud esse quam hoc ipsum *Landulphi Chronicon*, nunc a me publici juris faciendum; nulla autem satis firma ratione probari, chronicon aliquod a vetustissimo illo archiepiscopo Datio conscriptum; quare excidere aut nutare argumentum ex ejusdem sancti Datii auctoritate et antiquitate petitum pro auctoribus hymni *Te Deum*. Cæterum constare ad sanctum Datium referri non posse Historiam sub nomine *Datii* a Flamma, Corio, Alciato aliisque commemoratam, quando hic nimium multa, imo pleraque habentur, quæ longe post tempora Datii contigere, et ad ævum usque descendunt quo Landulphus noster floruit. Male habuit P. Eustachium hujusmodi opinio mea; quare inscripta mihi *Præfatione* Dissertationis *De metropoli Mediolanensi*, editæ Mediolani an. 1699, persuadere mihi aliisque conabatur, parum solide a me negari, quodpiam Chronicon a *S. Datio* scriptum; neque enim quia in Landulphi Historia leguntur quæ a Datii Chronico se exscripsisse fatentur nonnulli, continuo inferendum eumdem cum Datii fetu esse Landulphi librum. Non exstare quidem fatebatur ille historiam a S. Datio conscriptam; at exstitisse aut existere olim potuisse, quam in suum opus derivarit Landulphus. Puricellium censere alium a Landulpho fuisse Datium, et hunc post medium sæculum a Christo nato undecimum scripsisse; Landulphum vero ejus æqualem eodem tempore similia litteris mandasse. Porro diversam a postremi hujus Datii Chronico esse Landulphi Historiam, inde apparere quod Gualvaneus Flamma, Corius et Alciatus quædam e Chronico Datii se hausisse dicant, quæ tamen a Landulphi libris absunt aut in aliis aliter referuntur.

Hæc ille. Verum P. Eustachii, quanquam subirati, argumenta ad respondendum pertrahere non potuerunt me tunc aliis occupationibus studiisque impeditum. Et fortasse contigisset mihi aut litem hujusmodi luculentius dirimere, aut ipsam a nonnullis liberare, quæ vel falsa vel dubia puto, dum olim a l Ambrosianam bibliothecam advocatus Mediolani degebam. Nunc mihi a charissima illa et splendidissima urbe remoto non æque facile de his disputare. Attamen aliqua in hoc argumentum lectores a me accipiant, quæ prorsus inutilia, si ominari licet, non videbuntur. Primo igitur stat mihi evinci non posse sanctum Datium Mediolanensem archiepiscopum alicujus chronici auctorem fuisse. Paulus Diaconus et Anastasius Bibliothecarius hoc unum scribunt, Datium Mediolanensem antistitem retulisse (fortasse per epistolam) ab ipsis matribus vorata filiorum membra, ut fami consuleretur quæ ea tempestate insubres crudelissime divexabat. Quicunque autem e recentioribus *Chronicon Datii* laudarunt, non laudant a S. Datio archiepiscopo elucubratam historiam quampiam, sed quidem quæ aut ab altero Datio concinnata fuerat post medium sæculum a Christo nato undecimum, aut sub ejus nomine circumferebatur. Et id profecto exploratum, cum pleraque desumpta e Datii Chronico, in tempora congruant archiepiscopi Datii mortem plane subsecuta. Quæ autem Landulphus e *Datio episcopo* refert, ab auctore in aliis infido procedunt, ut requiescere eidem tuto nequeamus. Ac præterea opinatur Puricellius *episcopi* nomen ab amanuensi temere præter Landulphi mentem iis capitibus additum fuisse. Certe ne ipse quidem Landulphus, cum Datium archiepiscopum memorat, aliquam eidem tribuit historiam.

Succedit Puricellii sententia putantis eodem sæculo XI vixisse, et historias contexuisse Datium et A Landulphum, duos diversos homines; illius vero Chronicon a posterioribus laudatum non amplius inveniri, alterius vero exstare. Nimirum animadvertit eruditus vir quædam a Gualvaneo scribi tanquam decerpta e *Chronico Datii* quæ tamen aliter se habent in *Landulphi Historia*. At ego in ea opinione sum adhuc sub *Datii* nomine a Gualvaneo cæterisque significatam fuisse unam *Landulphi Historiam;* atque ab ea opinione me nondum avocarunt Puricellii et P. Eustachii argumenta. Primo, quia saltem pleraque e Datii Chronico per Gualvaneum aliosque allata occurrunt iisdem verbis in Historia Landulphi. Vix autem intelligas Landulphum adeo excordem fuisse ut, cum Historiam sibi scribendam susciperet, tam aperte ac tam sæpe unum Datium expilaret, et ex ejus libris totam ferme Historiam suam concinnaret, ne verbis quidem mutatis, et potissimum cum excogitatus ille Datius, ut Puricellius affirmare cogitur, *ad annum Christi saltem septuagesimum quartum supra millesimum*, suas perduxerit Historias B imo, ut ille ipse affirmat cap. 39 Dissert. Nazar., usque ad liberatum a Roberto Guiscardo Gregorium VII, hoc est ad annum 1084, quo eodem tempore Landulphus et vivebat et scribebat. Secundo, mirum videri potest cur Gualvaneus, et alii, qui præcedentes suæ urbis historias sollicite conquisierunt, et multas etiam ex iis memorant quas nunc periisse dolemus, unius *Datii* mentionem tam sæpe fecerint, nullam vero unquam *Landulphi*, cum tamen hujus Chronicon eorum ævo certissime exstaret, quippe ad nostra usque tempora in eadem urbe servatum in duobus saltem exemplaribus, iisque vetustis. Contra vero cum Gualvaneus affirmat Mediolani ævo suo non unum exstitisse *Chronici Datiani* exemplar, et Corii, et Alciati quoque ætate eadem exemplaria superessent, necesse est in Puricellii sententia omnia illa brevi temporis spatio excidisse, superstite interim Landulpho, cujus nullam rationem, ut ipse fateri cogitur, antiqui habuerant. Utique mecum fatebitur quisque verisimilius esse nulla Datiani Chronici exemplaria periisse, quia nulla unquam fuerunt; servata vero Landulphi exemplaria, quia hæc semper exstitere, eaque sub Datii tantum nomine olim laudabantur.

Tertio, in priori pagina codicis vetustioris metropolitanæ bibliothecæ, ubi Landulphi et Arnulphi Historiæ habentur, hic titulus inscriptus legitur : *Chronica Datii archiepiscopi Mediolani mei Francisci Castelli S. Mediolan. Eccl. ordinarii MDLXXV.* Viden ut in eo titulo apponendo errarit Franciscus Castellus, vir alioquin eruditus : nam ad Datium quidem quempiam referri potuit Chronicon illud, at nunquam profecto ad Datium antistitem Mediolanensem, qui tot sæculis post mortem suam acta, nisi propheta fuerit, litteris consignare nequivit. Atque hinc discere possumus censuisse Castellum (eodem sæculo quo Corius et Alciatus, viventem, quanquam juniorem) non aliud esse Datii Chronicon quam D Landulphi Historiam. Nam quanquam vetustissimis characteribus (quod in primis animadvertendum est) in calce codicis metropolitani scriptum sit : *Explicit liber Historiarum Landulphi historiographi*, nihilominus hæc nil obstitere quominus Datio eam Historiam Castellus inscriberet, quippe qui probe nosset, cum veteres *Chronici Datiani* mentionem faciunt, non de alia quam de Landulphina Historia agere. Accedit quod in ipsa Præfatione auctor Chronici se prodit scribens : *L. omnium minimus;* hoc est, *Landulphum* se diserte inscribit Chronici hujus auctorem, quod postea apud Mediolanenses appellatum est *Chronicon Datii*.

Quarto, quod me in opinione mea eo plus firmavit ac firmat, illud est : Gualvaneus Flamma in enumerandis libris unde suam contexuit Historiam, inter alios refert Chronicon Datii his verbis : *Chronica Datii et Arnulphi*. In duobus autem metropolitanæ bibliothecæ vetustis codicibus vidimus con-

Digitized by Google

junctas simul haberi cum Landulphi, tum Arnulphi Historias, nimirum apud veteres subsequi solebat Arnulphus. Qui ergo hinc non intelligamus idem Gualvaneo fuisse *Chronicon Datii* ac nobis *Chronicon Landulphi?* Cur vero Landulphi Historia sub Datii nomine laudata fuerit, assequi certis documentis nequimus. Neque hic insudandum, cum reliqua omnia ad id statuendum confluant, nempe Historiam hanc Landulphi antiquis cognitam memoratamque fuisse sub Datii nomine, neque necessarium esse alium a Landulpho excogitare Datium ei synchronum, quo tandem, relicta priori sententia, se recipere coactus est P. Eustachius.

At, inquiunt Puricellius et idem P. Eustachius: Gualvaneo, Corio et Alciato nonnulla producuntur e Datii Chronico, quæ nunc in Historia Landulphi aut frustra quæruntur aut aliter exhibentur. Ergo inferunt aliam a Landulphina fuisse Datianam Historiam. Prima fronte non injuria sane. Sed animadvertendum primo pauca loca illa, quæ P. Eustachius affert, ut hanc diversitatem ostendat, non omnia se recte habere.

Deinde Gualvaneo hanc diversitatem esse tribuendam, qui aut amplificat ex aliis historiis, aut de ingenio et eruditione sua explicat Landulphi sensa. Denique fuisse olim, et adhuc esse Landulphi unius codices inter se discordes, quod forte idem scriptor, aut alius quispiam addiderit, sive minuerit, atque immutarit priora. Mediolani hæc omnia fusius confirmare licuit. Nihilominus hæc olim adnotata habeo. Gualvaneus Flamma *in Politia*, cap. 124, sic habet: *Dicit Chronica Datii quod Romani principes*, etc., *super sex portas civitatis sex altissima domicilia*, etc., *fabricaverunt*. Hic P. Eustachius: *Sex e Datio Mediolani portas*, et, *super iis sex domicilia refert Flamma. De portarum domiciliorumque numero non loquitur Landulphus.* Profecto vox illa *sex* in uno e Landulphinis codicibus, nempe in Ambrosianæ bibliothecæ exemplari, deest; at in altero metropolitanæ bibliothecæ *sex* portæ enumerantur. Legatur cap. 1, lib. II. Addit P. Eustachius hæc alia a Gualvaneo subdi petita e Datio: *Arcum triumphalem erexerunt* (Romani) *extra portam Romanam longum per duo milliaria.* Addit P. Eustachius in Landulpho pauca de isto arcu haberi, et nihil de ejus longitudine affirmari. Ad eum locum legi ego ms. codicem Gualvanei in Ambrosiana asservatum, neque Datium vidi testem illic adhiberi, sed quidem *Chronicon Campanum.* Sunt Gualvanei verba: *Et dicit Chronica Campana, quod iste arcus fuit longus per duo milliaria.* Rursus cap. 690 Chronici Majoris Gualvaneus e Datio narrat, si P. Eustachium audimus, *Walpertum archiepiscopum Mediolanensem, et Gualdum episcopum Cumanum* ad Ottonem I Germaniæ regem missos, *ut contra Berengarium hostem Ecclesiæ intraret Italiam* In Chronico autem Landulphi nulla, ut P. Eustachius animadvertit, Gualdi episcopi Cumani fit mentio, et res aliter narratur. Verum animadvertendum etiam erat Patri Eustachio Gualvaneum illa non e solo Datii Chronico hausisse, sed etiam e *Pantheo*, cum ipse narrationem suam his verbis concludat: *Hæc Pantheon, et Chronica Datii.* Certum vero est Gotfridum Viterbiensem parte XVII Panthei rem retulisse, ut Gualvaneus habet, et Datium ideo simul a Gualvaneo ibi testem afferri, quia et is rem ipsam narrat, quanquam aliis verbis diversisque rerum monumentis. Ibi vero *Albertus* idem est ac *Adelbertus*, qui cum Berengario parente in Italia regnabat. Parco cæteris exemplis a P. Eustachio productis, in quibus palam fieri posset Gualvaneum ex diversis historiis congessisse interdum sententias suas, et ubi post multam narrationem Datium testem appellat, non omnia semper eidem Datio esse tribuenda. Cæterum nihil est e Chronico Datii a Gualvaneo desumptum, quod etiam in Landulphi Chronico, interdum quidem paucis additis, plerumque vero ipsissimis verbis, non occurrat: quæ omnia nos tandem eo trahunt ut sine dubitatione credamus eumdem fuisse *Datii* atque *Landulphi* Historiam. Hoc autem legentibus ipsius Gualvanei *Chronicon majus* apertius patebit, ubi tam sæpe Datiana Historia laudatur, et inde etiam capita integra descripta referuntur, quæ postea in Landulphi codicibus reperias.

Quod si Corius Histor. Mediolan. lib. I tres versus e Datio habet, qui apud Landulphum non leguntur, hoc tribui potest, ut alia mittam, diversitati codicum Landulphinæ Historiæ. Puricellius in libr. De SS. Arialdo et Herlembaldo, cap. 92, nescio quo codice usus, hæc Landulphi verba exhibet e lib. I, cap. 11, inscripto: *De monogamis sacerdotibus secundum doctrinam B. Ambrosii. Sedente B. Ambrosio gravissima dissensio orta est coram apostolico in synodo inter sacerdotes monogamos, et alios sub virginitate aut castitate degentes. Quod factum, apostolico imperante, et aliis episcopis consentientibus, datum est in judicio B. Ambrosii, ut quidquid ipse diceret, sanctum et firmum teneretur. At B. Ambrosius cognoscens sensus humanos pronos ad peccandum, maxime propter incontinentiam; sciens, aliquem nec virginitatem*, etc. *Sicque dicens, omnem dissensionem compescuit. Itaque Græci sacerdotes*, etc. *Et si contigerit, quod uxor sua moriatur, aut caste vivunt, tenentes sacerdotium, aut sacerdotium amittunt, si amplius aliquam mulierem carnaliter cognoverint*, etc. Tu confer pauca ista, ut alia præteream, cum codice unde Landulphi Historiam nos descripsimus cap. 11 lib. I, atque intelliges Landulphinæ Historiæ codices mss. non omnes in iisdem consentire, multaque aut addita aut dempta fuisse.

Insuper, animadvertente P. Eustachio, Andreas Alciatus in lib. De reb. Patr., pag. 150, auctor est sanctum Monam episcopum Mediolanensem VIII Kal. April. ultimum diem clausisse. Tum subdit: *Datius Kalendis ipsis Aprilibus mavult.* Item narrata sancti Protasii episcopi morte post exactos in episcopatu duos et viginti annos, Alciatus subnectit. *Tres illi* (annos) *addit Datius.* At hæc in Landulphi Historia non legi P. Eustachius nos docet. Porro noverint lectores in membranaceo illo codice ms. metropolitanæ bibliothecæ, ubi conjunctæ habentur Historiæ Landulphi nostri et Arnulphi, Catalogum quoque Mediolanensium episcoporum haberi, qui, ut supra innuimus, ad Galdinum usque deducitur. Ex illo autem Catalogo sua hæc deprompsit Alciatus, ideoque Datium huc testem advocavit, quod eumdem codicem sub Datii nomine commemorare solerent Mediolanensium rerum scriptores. Quare et hinc intelligas immerito Datianam historiam a Landulphina distingui, neque oportuisse alium a Landulpho Datium recentiorem excogitare. Accedit quod Possevinus, Gavantus, Petrus Maturus in Adnot. ad S. Antonini Chronic.; Jacobus Perez de Valentia, Bellarminus et alii, ubi ex auctoritate Datii scribunt, sanctos Ambrosium et Augustinum auctores fuisse hymni *Te Deum*, testem adducunt Datii Chronicon lib. I, cap. 10, quæ conveniunt in Landulphi nostri Historiam, si prologum lib. I cum sequentibus capitibus enumeres. Atque hæc in præsentia habui, quæ de hujusmodi quæstione ego dissererem, uberiora daturus, si mihi in arena posito consulere nunc atque conferre licuisset (quod olim nullo negotio poteram) omnes Landulphi codices, et Gualvanei, aliorumque opera mss. quæ in Ambrosiana bibliotheca asservantur. Sed pluribus opus non est in re, quæ, ut ita dicam, meridiano sole clarior mihi ex hactenus allatis videtur.

Postremo loco lectorem monendum duxi mihi in animo olim obversatum non omnia edere quæ Landulphus litteris tradidit, sed duos tantum priores libros, e quibus eruditio historica, quanquam non paucis fabellis interspersa atque fœdata, aliquid lucis ac præsidii sperare possit. Quæ enim in Historia Landulphi subsequuntur, et librum tertium et quar-

Digitized by Google

tum constituunt, peculiares tantummodo lites in Mediolanensi Ecclesia occasione cleri continentiam perosi exortas ita persequuntur, ut insulsis orationibus, iisque fere omnibus confictis, abundent, quæ aut nihil gratiæ, aut aliquid etiam ingrati coloris habere videantur, quippe in patrocinium erroris vitiorumque tutelam excogitatæ. Verum ea denique sententia vicit nihil Landulphini furfuris occultandum, tum ne quis ex aversis a catholica Ecclesia somniet, nos præ metu aut ex malæ causæ conscientia hæc omisisse, ratus meliora, quæ celarentur, quam quæ in lucem prodirent, tum etiam quod hæc tam male consuta sunt, ut semel exposuisse, contasse sit. Pleraque præterea ex his jam evulgavit, A simulque inania ac ridenda Puricellius ostendit in Vita SS. Arialdi et Herlembaldi. Nihil denique efficacius commendet præsentem Mediolanensis, imo et universæ catholicæ Ecclesiæ statum, et ex Dei O. M. munere sanctioribus consiliis clerum constantissime addictum exhibeat, quam sæculi XI corruptos mores intueri, eosque Romanorum pontificum studio expurgatos. Eadem ratione veterum hæreticorum deliramenta et flagitia prodenti non est irascendum, sed nostris temporibus potius gratulandum, quæ recta sapiunt, et meliorem morum rationem, Christo duce, in catholica Ecclesia sequuntur. Sed jam Landulphum ipsum loquentem audiamus.

LANDULFI HISTORIA MEDIOLANENSIS.

(Pertz, *Monum. Germ.* VIII, 36.)

EPISTOLA YSTORIOGRAFI AD ARCHIPRESBYTERUM MISSA [1]

Cunctarum virtutum documentis imbuto, multarumque scientiarum peritia fulto, divinoque magisterio religiose edocto L. sanctæ Mediolanensis ecclesiæ in regimen archipresbyteratus assumpto, nec non Deo et hominibus caro, L. [2] omnium minimus tuorum servus [3], hujus vitæ felicitate bonorum et æterni regni consortio perfrui augelorum. Caritatis ac [4] diligentiæ tuæ amorem sedule [5] reminiscens, quem super ecclesiam Ambrosianam et ejus clerum ut filium habuisti et semper Deo annuente habebis, solicitæque paternitatis vestræ reverentiam curiose prospiciens, corporis mei animus multis quassatus tribulationibus, e quibus tota fere Italia pseudoprophetis per detestabilem ypocrisim circumcurrentibus maculata est, Dei ignis calore accensus quasi gravi e sompno excitatus sum. Propterea cogitans, si operibus sæcularibus aut cultibus divinis studiose vacarem; aut fortia facta et magnifica [6] quæ nostris temporibus acta sunt enarrem [7], aut inter cetera tribulationes quas clerus Ambrosianus a perfidis civibus et malis sacerdotibus ipsos adhortantibus passus est, narrare [8] cogitavi. Itaque meditatus in quibus animi mei ingenium exercere valeam, hanc vitam et miseram per silentium transcurrere nolens, crebris ac magnis ystoriis undique circumvolantibus, ductus patriæ atque civitatis meæ amore, nec non et cleri ejusdem diligentiam [9] (31), ultra omnes ystorias gesta archiepiscoporum quæ super B imperatores apud Deum et homines detestabiles acta sunt, et tribulationes, atque earumdem dissensiones quæ per pseudoprophetas non hujus urbis natos peracta sunt, stilo humili perscribere deliberavi. Igitur quamplurimi qui ordinis ecclesiastici falsis prædicationibus esse videbantur, actibus vero misere hypocrisim sedule insistentes, ut lupi rapaces sese sub ovina pelle tegentes, dimissis plebibus ac ruptis canonibus, et alii multi misterio Romano edocti, honoris sanctæ Ambrosianæ ecclesiæ lividi, quasi tirampni nullam ordini Ambrosiano reverentiam impendentes, urbem Mediolanensium fascinatis laicis ac zizaniis superseminatis Antichristi facetiis incubuerunt [10]; quorum namque vitio [11] ecclesia Ambrosiana multorum sacerdotum ac levitarum C plurimorumque sacerdotum sapientum ordinis utriusque quondam exaltata et ornata eloquentiis, ad nihilum tam ministerio quam in personis funditus attrita et conculcata est. Enim quod olim Romani pontifices et cardinales huic sancto mysterio æmuli multo sudore patrare non potuerunt, falsis catharis ordinem ipsum conturbantibus, in tantum attriverunt, ut ultra nec esset spes mysterii nec ordinis restaurandi, multo pejus [12] quam in sermone sancti Eusebii olim dicens apparuit : « Periit hæc civitas, collapsa est ecclesia. Unde cum propheta dicens plangam : Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, plangens peccata populi

VARIÆ LECTIONES.

[1] *ita* B. Liber ystoriographus primus super archiepiscopum ac clerum ac laicos mediolanenses, in primis epistola ad L. direct A. [2] et L. *in. cod.* B. *legi videtur. W.* [3] *ita* B. *in specimine ap. Mur. p.* 55; *in reliquis deesse videtur W.* [4] atque *Blancus.* [5] secdule B. [6] f. aut, m. f. *Bl.* [7] enarrarem *Bl.* [8] narre B. [9] *ita codd.* diligentia *Bl.* [10] *ita codd.* imbuerunt *Blanc.* [11] unio B. [12] potius B.

NOTÆ.

(31) Al est *amore.* Bethm.

Digitized by Google

mei. Uterini mei facti sunt inimici mei, injuste spoliaverunt me, ac gladiis inimicorum meorum animam inquirentibus [13] immisericorditer me dederunt. » Exinde lacrymis meis superhabundantibus cum sapiente quodam plangendo dicam

Carmina qui condam studio florente peregi
Flebilis heu! mœstos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camenæ,
Et veris elegi fletibus ora rigant.
(*De* Boet. *cons. phil.*, initio.)

Quamobrem, pater venerande, quamvis per multa tempora multis ac variis sim quassatus doloribus, nostræ ecclesiæ virtutum [14] videns detrimentum, recordatus quod olim a [15] malis regibus detestandisque sacerdotibus passa sustinuit, qui dulcedine [16] ordinis sanctæ Ambrosianæ Ecclesiæ ab ipsis fuerant cunabulis nutriti [17], quibus foret gloriosum pro suæ Ecclesiæ utilitatibus mortem sustinere, pauca quæ libris variis ac chartulis, plateis conculcatis reperi, et a viris virissimis et catholicis didici et urbes Italiæ perscrutando cognovi, aperire et enarrare posterorum utilitatibus fideliter curabo. Tum insuper quid honoris, quidve reverentiæ, quidve magnitudinis per multa tempora antecedentia clerus fuit Ambrosianus, et a multis ac magnis viris honoratus, et quid postea civitate plena fæce mundi sustinuit, ut [18] oculis vidi, ut [19] auribus audivi cordeque intellexi, ad posterorum tutelam et animarum salutem studiose scribere statui. At priusquam ea quæ dicere decrevi enarrem, ignis scintillam, quam ego Dei misericordia adjutus memoriæ commendavi in quodam scrinio optimis margaritis imbuto, foris pauper, intus divitiis affluens reperi, ad Dei honorem et beati Ambrosii laudem, debita ductus reverentia edicam. Quæ omnia utinam Ambrosianæ ecclesiæ usque in finem [20] consedentibus sic essent chara ut sunt acceptabilia, sic dulcia ut sunt salutifera, sic amabilia ut sunt ex corde fraterno manantia. Vale, pater! cum omnibus sanctis Ambrosianæ Ecclesiæ dilectoribus gaudiis sempiternis perfrui feliciter valeas.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

1. Quandoquidem sapientes eximiique viri, multa peritia imbuti, acta temporum, mutationes rerum, gesta ducum, prælia regum, seditiones urbium, commotiones populorum, polite ad tutelam juvenum et custodiam senum tractantes reliquere, et [21] in posteris tutamen et multarum rerum solamen : decet nunc multo magis viros religiosos, spiritu divino repletos, suis sequacibus imo suis fratribus ad cautelam animarum simulque corporum, quicquid augmenti vel detrimenti prospexerint [22], benigne intimare ac præclarissime dilucidare; quatenus suorum sequaces lacum serpentum et [23] antrum aspidum, caveamque draconum silvasque leonum prævidentes, benigne edocti cauteque muniti, et ab illis se valeant eripere, et alios monendo a morte liberare, memores Salomonis Sapientiæ dicentis : « Propterea habebo per hanc immortalitatem, et memoriam æternam ab his qui post me venturi sunt » (*Sap.* VIII, 13.) Ob hanc causam ecclesiam sancti gloriosissimique confessoris Ambrosii quam clare, lucide, atque ymnis, organis, symphoniis, melodiis per totum orbem terrarum emicuit, inquantum scientiola mea exprimere valuerit, prout comperi et in veritate didici, enucleare studebo. Igytur Ambrosius doctor, ut egregius pastor infulis præfulgens episcopalibus, Dei ecclesiam mirifice decoravit, et ut nobilis adletha lorica spiritualium virtutum adornavit, sibique desponsatam sociavit. Qui (32) nutu divino huc a clementissimo imperatore totius orbis Valentiniano directus, meruit audire : « Vade, age non ut judex sed ut episcopus » Tanta enim gratia et tanta sua misericordia eum Dominus decoravit, ut inimicos patientissime converteret, et suis ovibus imo suis filiis rudimenta catholicæ fidei ut verus magister et doctor ecclesiæ caritative amministraret. Qui primus, id est maximus, metropolitanam regens cathedram, ordinationes presbiterorum, diaconorum, subdiaconorum, clericorum, laicorum, senum, juvenum, militum, populorum, virginum sacrarum et innupte manentium, maritarum [24], viduarum, orphanorum, peregrinorum, et hospitum lucidissime præordinavit; et ordinando curiose quod sui ordinis religiositas exposcebat, facere curabat, ac faciendo alios mitissime edocebat, memor illius Evangelii dicentis : « Prius cœpit Jesus facere quam docere. » Erat enim sapientissimus in prædicatione, disertus in judicio, cunctis fidelibus mitissimus, omnibusque infidelibus mitis, placidus, humilis atque serenus, providens dispensator, dans pabula fortibus, cibaria juvenibus, alimenta senibus, nutrimenta adolescentibus, memor apostoli dicentis : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem (*I Cor.* IX, 19). » Enim (33) providerat Dominus ab ipsis cunabulis [25] sibi pastorem et ecclesiæ suæ beatum Ambrosium per favum mellis circa labia ejus

VARIÆ LECTIONES.

[13] querentibus B. [14] *ita* A** et *Blanco teste* A. injustum A*. B. [15] *ita* B. *deest* A*. A**. *Blanc.* [16] dulcedinis *Bl.* [17] enutriti B. [18] *deest* B. [19] et *Bl.* [20] fiue *Bl.* [21] *deest* B. [22] perspexerint B. [23] *deest* B. [24] maritorum *Bl.* [25] *ita Bl.* cunalibus A* (?) B.

NOTÆ.

(32) V. Paulini Vit. S. Ambr. 8.

(33) V. Paulini V. Ambr. 3

Digitized by Google

distillantis, atque per Spiritum sanctum de se, quasi de eo noverat dictum : « De ore prudentis procedit mel et lac, favus distillans labia ejus, dulcedo mellis est lingua ejus (*Prov.* XVI, 24; *Cant.* IV, 11). » Qui Spiritu divino administrante, pro captu cujusquam et scientia atque ætate docere studebat, sciens quod apostolus dicit : « Pascite gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratiam sectantes, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed formæ facti gregis ex animo, ut, cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem coronam (*I Petr.* V, 2). » Et item apostoli Petri : « Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam; in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem (*II Petr.* I, 5). » In via Dei firmus, catholica fide firmior, boni propositi infatigabilis; unde sapientissimus Salomon ait : « Esto firmus, fili, in via Dei et in virtute sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ (*Eccli.* V, 12). » In tantum religionis honestissimæ et honoris [26] Ecclesiæ Dei super omnes Italiæ civitates ordinando episcopos ramos extendebat, ut sapientia Salomonis sub alterna specie de illo sermocinaretur, dicens : « Ego quasi therebintus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gloriæ (*Eccli.* XXIV, 22). » Et item ejusdem ad corroborandos et collaudandos fideles in persona Domini et Ecclesiæ insonuit hortando, dicens [27] : « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego pulchræ dilectionis mater, et timoris et agnitionis et sanctæ spei (*Ibid.*, 23). » Sed cum dominus noster ac totius humani generis redemptor, rex et salvator noster Christus, omni humanæ creaturæ evangelium salutis mitissime per apostolos atque doctores Spiritu sancto amministrante denudasset, placuit sibi præclarissimum virum atque doctissimum Ambrosium divina scientia fultum doctoribus illis, in tempore qui adherant, in ordinatione Ecclesiæ suæ et misteriis ejusdem, symphoniis, melodiis, ymnis, canticis spiritualibus (34) sublimare. Unde nutu divino est factum ut, sicut Johannes apostolus et evangelistarum eximius inter ceteros discipulos privilegium tenens, divino admonitus spiraculo meruit dicere : « In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I, 1); » sic beatus magister et doctor Ambrosius inter ceteros doctores eximius, Ecclesiam Dei prout Deus per clementiam suam atque sanctum Spiritum ipsam sibi concessit et permisit, omnibus modis atque omni conamine, die ac nocte meditando, scribendo, legendo, prædicando, exaltavit et mirifice decoratam ornavit. Mitigata Arrianorum perfidia atque scismaticorum devicta nequitia, quadam die ante natalem Domini, cum solus dictaret — sed non erat solus, cum quo erat Deus — ut bonus pastor ovile Dominicum ad Domini laudem animare et corroborare desiderans, cogitare cœpit quomodo vel qualiter sacerdotes, diacones, ceterosque ordines, cantus, missas, vesperas, psalmos, et cetera divino cultu congrua atque convenientia præordinaret, sive primus cantus denotaret, seu ante ordines et clericos ad officii gradus ordinaret. Visum est sibi et placuit ecclesiasticos viros catholica fide imbutos Deo devote ordinare, et assidue secum habere, ac illorum consilio Domini ministrante gratia cuncta disponere. Qui cunctas sacras ac sanctas Scripturas et descriptiones patriarcharum, prophetarum supervidens, in quibus Deum et Salvatorem nostrum posteris omnibus ad salutem suam et proficuum aliorum in Christo credentibus prophetarum [28]; præ ceteros [29] visum est sibi patriarcham [30] David de incarnatione Domini per partum virginis, et de passione per Judam proditorem, et de resurrectione, et de apparitione post resurrectionem, et quomodo scanderet cœlos nubibus suscipientibus cum, videntibus discipulis, præclare et lucidissime super cunctos prophetasse. Qui cum prævideret per Spiritum sanctum sibi collatum [31] Ecclesiam Dei ornatam fidelibus et Deo devotam in Christo humiliter summaque cum devotione creditoram : prophetando in multis argumentis confirmavit, et confirmando multis exemplis per sapientes et cantores, musicos atque doctores, quasi sponsam omnibus virtutibus adornatam Deo optulit. Unde beatus sanctusque doctor et magister [32] Ambrosius velut strenuus miles ad vexilla præcedentium ducum ac ad bella imminentia unanimiter hanelantium prospiciens, imitari David eximium prophetarum magistrum studuit, et ad ejus exemplar et imitationem psalmos, cantus, symphonias, melodias, clericos, et omnia ecclesiastica officia, Deo opitulante et Spiritu sancto administrante, componere et præordinare studuit. Cum enim Dominus omnipotens et Salvator noster Ecclesiæ suæ catholicæ murum pararet adversus inimicos suos, et turrem erigeret David pro domo ecclesiæ suæ atque murum Israel, ut ejus sponsam ab infidelibus defenderet et gregem illi

VARIÆ LECTIONES.

[26] honores *Bl.* [27] h. ac d. B. Ego quasi — honestatis *desunt* A''. [28] *ita corr. Bethm.* prophetarū *cod.* [29] *ita codd.* ceteris *Bl.* [30] patriarcha *B.* [31] collatam *Bl.* [32] b. s. *et* e. m. *desunt* B.

NOTÆ.

(34) Hæc per Ambrosium instituta esse, Paulinus c. 13 et Augustinus Conf. IX, 7 referunt, sed alia occasione, neque de ordinum ecclesiasticorum constitutione quidquam produnt. Cf. Fumagalli Ant. Mediol. III, 101, seqq.

Digitized by Google

commissum a lupis rapacibus liberaret, qui, quandiu vixit, prout Deus per clementiam suam concessit, ecclesiæ Dei ac populi sui et multarum civitatum curam gerens, de quacumque sibi per legatum intimabatur, prout nos in sacra ejus ystoria de eo scripta invenimus, ut bonus pastor sedule vigilabat, curiose circuens gentes diversas, atque civitates, tyrampnos, reges, duces, omnes in Christo convertebat, et unicuique civitati et cunctis fidelibus petentibus similiterque religiose quærentibus episcopum ordinabat, et ordinatum summa cum lætitia consecrabat. In tantum enim Ecclesia Dei in manibus ejus pullulabat, ut omnes infideles in unum adunarentur, et tacite supponentes digitum ori suo dicebant : « Vere digitus Dei facit hoc, et operatur in eo. » Enim quamdiu vita ei comes fuit, laborans super multos fideles, ab aliquo gladium evaginante nusquam calupniatus est; unde dolens quod volebat esse nequivit, dicens in ymno [33] : « Nequimus esse martyres, sed repperimus martyres. » Et ut in libro Paralipomenon legimus per David prophetam : « Non dimisit Deus quemquam calupniari eos, sed increpuit pro eis reges, dicens : Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*I Par.* xvi, 22). » Et iterum in præcordiis suis mutuo et tacite admirantes, Deum glorificabant in tantum, ut in illo quod scriptum est per sapientissimum Salomonem impleretur, dicens : « Narrate in gentibus gloriam ejus, et in cunctis populis mirabilia ejus, quia magnus Dominus et laudabilis nimis, et orribilis super omnes deos (*Ib.*, 24). » Tunc impletum est quod per eumdem dicitur : « Tonet mare et [34] plenitudo ejus [35]; exultent agri et omnia quæ in eis sunt. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino, quia venit judicare terram (*Ib.*, 32). » Et quandoquidem Dominus ac noster Salvator per clementiam et misericordiam suam in tantum magnificavit et exaltavit et decoravit acta et mirabilia doctissimi et religiosissimi doctoris et confessoris Ambrosii, quantum multi codices eximii capere non possunt, et quantum multi strenui et sapientissimi viri atque scolarum magistri enarrare et enucleare multo sudore multoque labore posteris minime quiverint [36]. Unde non decet me virum parva scientiola plenum in singulis ejus actibus immorari, cum mihi melius videtur, de tantis patroni miraculis et de tantis strenuissimis actibus omnino tacere quam parum dicere. At ut ad ea veniam ad quæ mea intentio summoque studio anelat, ipsam sanctam Trinitatem et omnes sanctos corde et ore invocare non cesso, ut mihi quæ scribenda sunt scribam et quæ tacenda sunt reticeam per Spiritum sanctum suum [37] concedat.

2. Igitur [38] sanctus Ambrosius scientia divina imbutus, Spiritu sancto repletus, omni clero omnibusque catholicis fidelibus laicis indicto jejunio, ut Dominus ad honorem Ecclesiæ suæ et ad laudem divini cultus corda suorum aperire dignaretur, in quarto die quasi per quatuor Evangelia, per clementiam Dei et per revelationem Spiritus sancti septuaginta et duos sacerdotes, qui in primitiva Ecclesia episcopi vocabantur, ut B. Hieronymus doctor in quodam suo libro asserit (35), ordinavit; imitans verum magistrum et salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum. Sicut enim Dominus et redemptor noster post incarnationem baptismumque quod in Jordane ter converso per Spiritum sanctum a Johanne præcursore atque baptista, qui plus quam propheta asseritur, accepit, elegit septuaginta et duos discipulos ad evangelizandum evangelium divinum, ut in evangelio Lucæ evangelistæ legitur et approbatum indubitanter tenetur. Unde bonus discipulus sapientem sequens magistrum, suos sacerdotes, imo suos filios, et ut dixi, suos episcopos, in opus [39] ministerii sacerdotalis elegit eos confirmans et collaudans hortatur, dicens : « Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. » In tantum enim illos actu et moribus et humilitate, scientia et patientia et obedientia [40] et in cultu vestium et omnibus modis admonuit, ut si quis eos fortuitu in clero videret, non diceret filios esse virorum, sed affirmaret socios angelorum. Est et alia causa cur tot et tantos sacerdotes lucidissime ordinavit, quæ me insequitur et quasi impatiens ad disserendum hortatur. Cum enim humanum genus sermone uno prius unitum, per superbiam postmodum diffusum et dispersum esse legitur quasi per septuaginta et duas varietates linguarum, sicut in libris Genesis invenitur (xi, 1), dicente Moyse, cum quo Deus loquebatur sicut loqui solet amicus ad amicum : « Erat enim terra labii unius, et sermo eorumdem. Cumque venissent in terra Senaar, dixit alter ad alterum : Venite faciamus nobis nomen et civitatem et turrim excelsam, cujus culmen pertingat ad cœlum, et celebremus nobis nomen, antequam moriamur. Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam,

VARIÆ LECTIONES.

[33] d. ymo B. [34] *deest Bl.* [35] *deest* B. [36] *ita Bl.* quievit *codd.* [37] *ita* A**. *Bl.* tuum A*. B. [38] *Titulum :* Expositio ordinum sancti Ambrosii, edita a sancte memorie Datio episcopo Mediolanensi. *præmittunt codd.* Quod hic auctor varios ritus, varia clericorum genera ecclesiæ Mediolanensis S. Ambrosio omnia attribuit, parcat lector homini non satis erudito. At eorum antiquitatem omnino cognoscat supra Ambrosii ætatem. *addit in margine in B. Puricellus et* A**. [39] misterii *Bl.* [40] *ita* A**. A. actu e. m. actu et h. s. et p. o. A*.

OTÆ.

(35) Epist. 82, ad Oceanum. Bl.

Digitized by Google

et dixit : Ecce unus est populus, et unum labium omnibus. Venite igitur et descendamus et confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui! Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem et turrim præ nimia labiorum confusione. Et ideo vocatum est nomen ejus Babel, id est *confusio*, quia ibi confusum est labium universæ terræ. » Unde propalatum est ut, quantum illorum intentio fuit prava et perversa apud Deum et angelos ejus, in tantum omni genti omnique populo innotesceret, relinquens in posteris exemplum, tanquam diceret : « Vos quibus scientia animi cum virtute corporis et ingenium operationis magis ab excelso Deo per bonitatem suam, quasi ymber super granum distillatum est, caute et sollicite providete vobismetipsis, ne quid nobis [45] per superbiam et dementiam merito accidit, vobis in testimonium contingat, ut quod nobis [46] male dulcoratis non creditis, vobismetipsis multis suspiriis fatigati quandoque credatis. » Etenim cum Adam a Deo in paradiso formatus, ad imaginem Dei figuratus, sicut novimus, Domino per Moysem dicente : « Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, » et omnibus quæ in paradiso Dei erant sibi concessis, præter lignum scientiæ boni et mali, de quo præceperat ei Dominus ne comederet, dicens : « In quacunque die comederitis, morte moriemini. » Qui si caute studioseque ammonitionem et præceptum Dei atque benigne admonentis tenuisset, ipse immortalis esset, et nos quasi Dei similes essemus. Unde vos studiose precor, ut [47] quod Adam per inobedientiam criminose deliquit, et nos per nimiam superbiam confusi sumus et per omnium terrarum spatia dispersi, mutuo nos et merito, minime ob linguarum varietatem intelligentes, quod Deus ex summa dilectione humanatus, mortuus, suscitatus, vobis ad resuscitandum quod angeli in cœlis per superbiam amiserunt, benigne concessit, si solerter studioseque in fide permanentes Domino opitulante steteritis, unde concessa custodiatis, et sanctam fidem custodientes bona opera faciatis, ut ad perfectum finem venientes quandoque in extremo examine judicii a dextera Dei positi cum gaudio audire mereatis quod Dominus clementer dixit [48] : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi (*Matth.* xxv, 34). » Ob quam enim causam sanctus Ambrosius septuaginta et duos discipulos sacerdotes ordinare voluit, ut quot fuerunt varietates gentium per dispersionem linguarum, tot essent sacerdotes ad salutem animarum nostrarum. At cum humanum genus quondam per orbem terrarum diffusum et dispersum, pecudum more oberrans, sese invicem sine jure et sine fœdere confidens et lanians, regeretur et ut ab [49] hostium incursione muniretur, per septuaginta et duos reges a Deo permissum et præordinatum est. Quos cum sanctus Ambrosius per industriam summi Romani imperii orbem terrarum regere vidisset, placuit sibi, ad illorum salutem et omnium populorum septuaginta et duos sacerdotes Deo confirmante ordinare (36), quatenus singulum regem per singulum sacerdotem regalem intime percuteret, et docendo fidem Christi in Deo confirmaret, et confirmando in cunctis bonis virtutibus corroboraret, ut ad bravium pervenientes, quandoque [50] Deo permittente cum Christo in cœlis regnarent.

3. Quibus [51] bene compositis salubriterque ordinatis, quendam sacerdotem religiosum virum qui primicerius vocaretur proposuit; qui quasi coepiscopus circa omnes in crimine laborantes potestatem a sancto Ambrosio magistro accepit, ut quod episcopus implere per se non posset, coepiscopus qui primicerius vocabatur, circa illos implere curiose studeret. Quin etiam locum in quo omnes convenirent insignivit, quod presbyterium usque modo a cunctis vocitatur; ubi omnes sacerdotes urbani in sexta feria vel Kal. convenientes, curiose in divinis ministeriis singulos perscrutabantur [52], itaque religiose circa divina ministeria, et indesinenter sese exercebant. Quo in loco universis consedentibus, quod Deus episcopo inspirabat, docebat. Deinde [53] subepiscopus, qui coepiscopus [54] usque modo et [55] primicerius vocatur, secundum quod Deus administrabat, illos amonebat, dicens : « Contra stultitiam ministrate sapientiam, contra lasciviam castitatem, contra ebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duritiam pietatem, contra superbiam humilitatem; de qua sapiens quidam (37) dicit : « Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi ventum in pulverem [56] portat; » Et ut est illud : « Humilitas omnia vincit, et ipsa a nemine superatur. » Præter ista instruebat illos habere dilectionem Dei et proximi. Quibus completis, quod unicuique de propria causa expediebat, salubriter tractabat. Ita tamen omnia fiebant inter illos pacifice, et honeste tractabantur et sine dolo et sine invidia, ut quod in Actibus apostolorum legitur, in illos implebatur, dicens : « Erat illis cor unum et anima una (*Act.* iv, 32); » et quamvis facies illorum essent diversæ, unum cor et anima erat una. Quibus egregie viventibus et religiose degentibus, omnia cooperabantur in bonum, ut

VARIÆ LECTIONES.

[45] ne quod vobis A. *f.* illis. *Hor. Blancus.* [46] vobis *Bl.* [47] et *Bl.* [48] dicit *Bl.* [49] *ita* A**. *Bl.* lar. reggeretur aut ab A*. l. ut r. e. u. a. B. [50] *deest* B. [51] De primicerio. Q. *codd.* [52] *ita* B. perscrutabatur *rell.* [53] demum *Bl.* [54] q. c. *desunt Bl.* [55] *deest* B. [56] q. in ventum pulverem *ed. Paris.*

NOTÆ.

(36) Hos, decumanos dictos, sæc. ix exeunte demum institutos esse, probaverunt Giulini, Mem. di Milano 70 I, 295; Fumagalli Ant. Milan. III, 340.

(37) Greg. I, Expos. tertii ps. pœnit., v. 3.

Digitized by Google

Apostolus testatur [52] dicens : « Fratres, scimus, A quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII, 28); » attendentes illud cyrographi : « Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum (*Psal.* CXVIII, 2). » At quam [54] fuerunt erga ministerium et ordinem suum solliciti, nemo nisi [55] qui illo tempore fuerit, narrare quiverit, pertinentes illud quod dicitur [56] : « Maledictus homo, qui opus Dei negligenter fecerit (*Jer.* XLVIII, 10). » Unde accidit ut, dum quidam dux Gothorum extraneæ gentis, nomine Ruilus, illos in festivitate sanctorum Nazarii et Celsi, et ad silentium polite ornatos et cum episcopo gradientes inopinate supervidisset, non illos tantum sacerdotes, sed episcopos credidit et affirmavit, dicens : « Certe cum ego fere B totum [57] orbem terrarum jussu Valentiniani imperatoris circumdedi et vidi, inquirens usum et mores ipsorum [58] maxime et religiosorum episcoporum, nunquam tanto stupore et tam ineffabili admirati ne obrigui. » Qui videns et admirans hæc, parum subsistit; tandem abiit, secum mirans quæ viderat. Quibus odor sic facientibus misericordiæ, pietatis et charitatis, castitatis, humilitatis, fraternitatis, scientiæ et omnium virtutum quasi odor suavissimus circa omnes gentes maxime ad vicinas urbes refloruit; de quo Dominus ad Moysen dixit : « Sume tibi aromata, stacten, et onigona, galbanem boni odoris, et thus lucidissimum, faciesque thimiama compositum ope [59] unguentarii, mixtum diligenter et purum (*Exod.* XXX, 34). » Quos magister beatus et doctor [60] Ambrosius cottidie ammonebat cantando, dicens : « Diligamus nos invicem, quia charitas Deus est, et qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est et videt Deum, et in hoc charitas Dei perfecta est; et qui facit voluntatem Dei, manet in æternum. »

4. At [61] cum beatus Ambrosius supradictos sacerdotes Deo disponente ordinavit [62], visum est sibi ceteris cum fratribus, viginti quatuor sacerdotes, qui quasi cardinales essent, debere constitui. Quos Dominus et Salvator noster per revelationem Spiritus sancti in Apocalypsi dicente Johanne confirmat : « Vidi, et ecce viginti quatuor seniores, qui procident ante sedentem in throno, et adorabunt [63] viventem in sæcula sæculorum, et mittent coronas suas ante thronum, dicentes : « Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tua creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt (*Apoc.* IV, 10). » Et : « Ceciderunt coram agno, habentes singuli cytharas et fialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, et cantant novum canticum dicentes : « Dignus es accipere gloriam et honorem, et aperire librum et signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos, Domine, in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabunt super terram (*Apoc.* V, 8). » Est enim alia causa, quare viginti quatuor cardinales sacerdotes ordinavit : videlicet sicut naturalis dies viginti [64] quatuor horis solidatur, sic misterium ecclesiæ Ambrosianæ per viginti quatuor cardinales aperiretur et regeretur; de quo die sanctus Ambrosius in Exameron (I, 10) ait : « Legem statuit, ut viginti quatuor horæ diurnæ atque nocturnæ diei tantum nomine diffiniamus, ut si diceret : « Viginti quatuor horarum mensuram unius diei tempus est. » Quibus ordinatis archipresbiterum, a quo si quando in aliquo officio deviarent, placide emendati suaviterque correcti bono animo bonaque voluntate degerent, præposuit [65]. Cujus nomen princeps presbyterorum Latine resonat; archos enim Græce, princeps Latine dicitur.

5. Per [66] idem tempus beatus Ambrosius septem diaconos, et [67] quasi per septiformem gratiam Spiritus sancti eis per Spiritum sanctum manus imponens benedixit et ordinavit, imitatus apostolos Domini [68], qui post gratiam Spiritus sancti, quam in Yerusalem, quæ Visio pacis dicitur, benigne acceperunt, in unum convenientes, septem diacones per Spiritum sanctum ordinaverunt. Septem ideo consecravit, quia septem sunt dona Spiritus sancti a Deo super fideles catholicos [69] collata; vel [70] ut cottidie ante thronum Dei quasi septem lampades bona vita optimisque moribus atque doctrina alios [71] accendentes præclarissime splenderent. Unde sanctus Johannes in Apocalypsi : « Septem lampades ardentes procedunt ante thronum, quæ sunt [72] spiritus Dei (*Apoc.* IV, 5). » Quos prævidens sanctus doctor Ambrosius religiose viginti quatuor subdiacones (38) ad honorem Dei et Ecclesiæ suæ ordinando benedixit. Quibus catholice ordinatis, omnibus magistros instituit, quorum unus archidiaconus, alius archi- D subdiaconus vocaretur.

6. Idem [73] per tempus sanctus nomine Simplicianus archidiaconus, vir totius bonitatis, totiusque religionis, ac totius sanctitatis, et totius charitatis, totiusque pietatis, totiusque castitatis, gratiaque di-

VARIÆ LECTIONES.

[52] testavit B. [54] *ita* B. atque *rell.* [55] *ita* B. enim *rell.* [56] dicit *Bl.* [57] *deest* B. [58] ipsos B. [59] opere B. [60] m. *et* e. d. *desunt* B. *ut semper in his.* [61] De Cardinalibus Mediolanensis ecclesiæ viginti quatuor (v. q. *desunt* A[rec]. *Bl.*) secundum Datium. *adscribunt codd.* [62] ordinaverit *Bl.* [63] adorabant *Bl.* [64] d. in v. B. [65] proposuit *Bl.* [66] *Titulus in codd.* : De septem diaconis. [67] *deest* B. [68] *deest* B. *qui sequentia ita decurtavit :* qui p. gratiam paracliti in u. c. s. d. ordinaverunt. S. ergo c. *etc.* [69] *deest* B. [70] vel *deest* B. [71] quotidie a. *Bl.* [72] septem *addit* B. *qui sequentia ita exhibet :* S. Dei. Deinde XXIIII subd. ad h. D. ordinavit, quibus omnibus mag. *etc.* [73] *Titulus in codd.* : De s. Simplitiano.

NOTÆ.

(38) Ita etiam c. 13 et Galv. Flamma Manip. Florum 40. Sed postea septem fuerunt, ipso Land. II, 35, teste.

Digitized by Google

vina repletus, qui Romam [74] tendens per legationem [75] beati Ambrosii et ejus ammonitus scientia, Ecclesiam Dei et beati Petri apostoli multis hæresibus scissam dispersam atque divisam ad unitatem catholicæ fidei revocavit; de qua Dominus dixerat ad Petrum : « Ego pro te rogabo, Petre, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [76] (*Luc.* XXII, 32). » Qui Dei Evangelium per omnes regiones urbis Romæ disseminans, velut bonus et strenuus [77] agricola colligens fructum centesimum tricesimum et sexagesimum, multos ad Christum convertebat. Inter quos quidam philosophus vir sapientissimus, nomine Victorinus, divitiarum magnarum credidit (39); quem Quirites Romani [78], ut dignus erat, pro patre et domino diligebant atque timebant. Quin etiam revelante Dei gratia reliquias B be torum apostolorum Petri et Pauli cum viris religiosis, qui cardinales vocabantur, et cum omnibus Romanis quos catholica fides devotos habebat, mirifice summaque cum devotione condidit et ornavit. Revertens beatus Simplicianus ab urbe Roma ad beatum magistrum et reverendissimum Ambrosium, reliquiarum particulam [79] apostolorum Petri et Pauli curiose summaque devotione ei obtulit. Quo facto beatus Ambrosius summo gaudio summaque lætitia omnium aliorum apostolorum reliquias [80] studiose acquisivit. Quibus adquisitis, honestissimam basilicam ad modum crucis in Romana parte inter portam quam Romanam vocant, et arcum qui Romanus Triumphalis dicitur, honorifice condidit, in C qua omnium apostolorum reliquias summa cum diligentia summoque studio, magnoque cursu episcoporum, clericorum, laicorum, mulierum, juvenum et [81] senum urbium vicinarum apposuit, unde usque hodie basilica apostolorum vocatur (40). At quid A idem sanctus Ambrosius super hanc Ecclesiam dictaverit et sancti Nazarii honorem versificavit, ore propeio audiendo cognosco :

Condidit Ambrosius templum, Dominoque sacravit
Nomine apostolico, munere, reliquiis.
Forma crucis templum est, templum victoria Christi,
Sacra triumphalis signat imago locum.
In capite est vitæ templi Nazarius almæ,
Et sublime solum martiris exuviis.
Crux ubi sacratum caput extulit orbe reflexo
Hoc caput est templum, Nazarioque domus.
Qui fovet æternam victor pietate quietem,
Crux cui palma fuit, crux etiam sinus est.
Tertia sed media mors impedit edita cuncta (41).

7. Quo [82] in tempore notarios ordinavit, qui acoliti usque hodie vocantur, quibus magistrum præposuit [83]. Et lectores, ut invenit, confirmavit [84], multum laudans et eos magnificans. Et quandoquidem per multa tempora per multos episcopos noverat cum primicerio suo ordinatos, timuit aliquid dicere, et confortans eos in omnibus gratias agens benedixit [85]. Ut autem omnia essent perfecta, decem viros religiosos [86] quasi per decalogum legis super decem ordines [87] præposuit : [88] in primis primicerium presbyterorum, in secundo archipresbyterum, in tertio archidiaconem, in quarto archisubdiaconem, in quinto notariorum magistrum [89], in sexto primicerium [90] lectorum; in septimo puerorum magistrum, qui magister scolarum dicitur [91]. In octavo hostiariorum, qui custodes vocantur. In nono vero virorum et mulierum Deo devotarum (42), qui cottidie offerunt panem et vinum, Novum et Vetus Testamentum significantes; hii enim [92] ne populus vacuus videatur, cottidie panem et vinum Deo offerunt. In decimo sæcularium virorum (43). His [93] omnibus

VARIÆ LECTIONES.

[74] Eodem tempore s. S. a. v. t. b. ac omnium virtutum divinaque r. gratia Romam B. [75] t. jussu B. [76] de qua — tuos *desunt* B. [77] et s. *desunt* B. [78] *sequentia* B. *ita decurtavit* : R. velut patrem et dominum diligebant. Q. e. r. Deo r. a. P. e. P. c. cardinalibus et c. o. R. m. e. o. Deinde b. S. a R. beato Ambrosio reliquias Petri et P. apostolorum gratanter obtulit; quibus receptis b. A. ceterorum apostolorum reliquias aquisivit et pulcerrimam basilicam in m. c. i. R. p. i. p. que Romana vocatur et a. q. R. t. d. h. c. i. q. o. a. r. cum devotione magnoque concursu e. et urbium v. a. u. u. h. b. a. v. et tales versus estant ad hujus fundationis memoriam. [79] *ita* A*. reliquias particulæ A**. *Bl.* [80] *deest* A**. *Bl.* [81] *deest Bl.* [82] *Titulus in cod.* : De notariis, lectoribus et X ferulis. [83] imposuit *Bl.* [84] et c. *Bl.* [85] Et q. — benedixit *desunt* B. [86] r. v. *Bl.* [87] homines A**. *Bl.* [88] proposuit *Bl.* [89] *deest* A*. [90] s. collaudavit et confirmavit p. *Bl.* [91] *ita* A**. B. *deest* A*. *Hic* A*. A**. *inserunt* : 8. De sacerdotibus — vocati sunt. *quæ aperte loco suo mota sunt.* B. *sequentia multum in brevius contraxit.* [92] et *Bl.* [93] *Sequentia* B. *ita exhibet* : His omnes debite suos ordines observabant, et obedientiam prioribus et charitatem fratribus secundum doctrinam apostoli custodiebant : o. p. v. in D. et i. s. et p. c. s. i. Dilectio itaque erat illis s. s. o. m. a. b. et reliqua secundum doctrinam apostoli in eadem epistola. — De decumanis. Videns postea B. Simplicianus septem predictorum ordinum labores augeri ex augumento Ecclesie Dei in manibus ejus; tres — suscipiebant, inde decumani quasi decimani a decimis dicuntur; vel quia totius metropolitane ecclesie reginen in officiis ordinarios coadjuvabant, ideo decumani quasi decus majorum, id est ordinariorum seu cardinalium, sunt vocati. — De baculo cum corio. Omnibus sic ordinatis, polite — ostendendum officium aut dignitatem in m. c. d., ut u. s. s. in v. et b. c. et e. secundum prophetam : « Virga—sunt. » Ideoque p. p. monebat subditos per—me. Archipresbyter suos, dicens : « Non faciatis sculptile, nec similitudinem aliquam ydolorum. »

NOTÆ.

(39) V. Augustini Conf. VIII, 2.

(40) Translationem 10 Maii assignat Kal. Siton. in Mur. SS. II[b], 1035. Eadem etiam eccl. S. Nazarii vocabatur.

(41) Hunc versum apud cæteros quotquot illud epigramma referunt deesse, Puricellus adnotavit. Admodum corruptus esse videtur.

(42) S. scholæ B. Ambrosii quam c. sæc. IX institutam esse existimat Fumagalli, Ant. Mil. III, 308.

(43) l. c. vice comitem, v. II, 35.

Digitized by Google

completis, constitutis et ordinatis, devote suum ordinem servabant et invicem omnes sese obediebant, de quibus dicit Apostolus : « Obedite præpositis vestris in Domino, et illis subjacete (*Hebr.* XIII 17); » et item [94] : « Per charitatem servite invicem (*Gal.* V, 13). » In quorum specie Dominus discipulos suos ammonet, dicens : « In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si (*Joan.* XIII, 35), » etc. Itaque « dilectio, » sicut dicit Apostolus, « erat illis sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono, caritatem fraternitatis invicem diligentes, honorem invicem prævenientes, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes (*Rom.* XII, 9), habentes autem donationes [95] secundum gratiam quæ data est illis differentes, secundum gratiam prophetiæ, secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui excedatur [96] in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in ilaritate (*Ibid.*, 6). »

8. [97] Cujus [98] laborem videns beatus postea Simplicianus quia Dominus Ecclesiam suam permultum pullulare crescere et habundare faciebat [99] in manibus ejus, tres viros cantu peritos adjunxit necnon 28 sacerdotes, qui cum aliis 72 conjuncti faciunt 100, quapropter Deciesdeni vocantur. Inde est quod decumani vocantur, seu quia cum 24 cardinalibus hujus urbis officia implentes, postmodum ab omnibus decimas cunctorum suscipiebant, vel quia totius metropolitanæ regimen in cunctis officiis sedule degebant ecclesiæ, quamobrem decus majorum vocati sunt. His omnibus compositis et ordinatis secundum dignitatem quam a beato Ambrosio acceperat [100], polite induti ferulas superius et inferius ornatas corio ad ostendendum, cujus officii vel dignitatis essent, in manibus cotidie deportabant, quatenus unusquisque subditos suos in virga et in baculo corrigeret et emendaret. De qua per Prophetam dicitur : « Virga tua et baculus tuus ipsa me, Domine, consolata sunt (*Psal.* XXII, 4). » Ideo primicerius presbyterorum ammonet subditos sibi creditos per virgam Dei dicentes ad Moysen : « Non habebis Deos alienos coram me (*Exod.* XX, 3). » In secundo archipresbyter suos docebat dicens : « Non faciatis vobis sculptile neque omnem similitudinem quæ est in cœlo et quæ est in terra (*Ibid.*, 4). » In tertio archidiaconus suos docebat : « Non assumetis nomen Domini Dei vestri in vanum (*Ibid.*, 7). » Et eadem præcepta, quia majora sunt, majoribus commendata videntur; cetera autem prout unicuique ordini convenit, disposuit et ordinavit, scilicet ut quot fuerunt plagæ circa Pharaonem in Egipto ad mortem, tot essent remedia salutis in vita, in Veteri et in Novo Testamento. Unde factum est ut, si quis in aliquo oberrans peccaret, per unum decem emendaret. Quibus completis religiosissimeque ordinatis, antiphonas, responsoria, psalmos et cetera quæ divino cultui erant apta, cum viris tantum supradictis musica arte mirifice imbuti componere, docere et psallere satagunt; quatenus secundum illud Davidicum psallerent dicens : « Canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem cordarum psallam tibi (*Psal.* XLII, 9). » Itaque Ecclesia Dei germinare et pullulare inchoavit, et quasi lilium inter spinas, sic per omnes gentes odoris suavitatem dedit. Nam quam lucidissime et quam discrete cuncta per dispensationem Dei constituit et ordinavit, non est mei arbitrii edisserere, sed Dei, qui cuncta nutrit et disponit, tribuere et ejus dono assignare.

9. Eodem [101] tempore contigit ut quidam sapiens, tamen Manicheorum errore [102] seductus, nomine Augustinus, argumentis dialecticæ armatus, et postea Dei fidelis et catholicus vivens episcopus, cum in ecclesia hyemali non orationis curiositate, neque secundum causam utilem videndi et audiendi Domini mysterii, sed reprehendendi gratia beatum Ambrosium de incarnatione Domini ad populum [103] tractantem et prædicantem, oblitus sui et suorum omnium cogitationum, pallens et tremens omnibus qui aderant [104] videntibus obriguit. Quinetiam finita admonitione, quam ad populum beatus Ambrosius ministrabat, privatim ad eum Augustinus pervenit. At beatus Ambrosius cognita [105] ejus scientia, patefactaque ejus disciplina, quid in arte valeret, qualiterque in fide dissentiret catholica [106] et per Spiritum sanctum cognoscens, qualiterque fidelis et catholicus futurus esset, placidissime et multum caritative eum suscepit. Itaque lætabatur beatus Ambrosius super eum, sicut in Evangelio de quodam patre legitur, qui cadens super collum filii sui quem perdiderat, et imponens anulum suum in digito ejus plorans deosculabatur eum, et improperans alium fratrem zelo nimiæ insidiæ ductum dixit : « Hic frater mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est (*Luc.* XV, 32). » Et item sicut in alio evangelio de pastore bono legitur, qui, relictis nonaginta novem in deserto, quærens invenit ovem quam per-

VARIÆ LECTIONES.

Archidiaconus suos : « Non assumetis nomen meum in vanum. » Cetera a., p. u. o. conveniebat, disposuit; ut quot f. p. contra Ph. in E. ad m. tot. e. r. s. ad vitam in v. et n. t.; unde si quis semel peccabat, decies emendabat. Quibus religiosissime ordinatis — viris musica arte imbutis psalere sataguit secundum illud Davidicum : « Deus canticum — » Dei per ipsum refloruit ut lilium inter spinas, et p. o. g. o. s. dedit; at quam lucidissime cuncta ordinaverit, non est mei arbitrii edisserere, sed Dei, qui ab eterno sole clarius cuncta cognovit. [94] *deest Bl.* [95] aut donantes *Bl.* [96] excedit *Bl.* [97] *v. supra n.* a. [98] *Titulus præfigitur :* De sacerdotibus decumanis et baculo cum corio. [99] *ita* A'', *deest* A'. [100] acceperant[v] [101] *Titulus :* De s. Augustino. *Et hoc caput cum sequentibus duobus capitulis multum decurtavit* B. [102] e. m. *Bl.* [103] invenisse t. *Bl.* [104] erant *Bl.* [105] Cogitans ejus scientiam *Bl.* [106] c. d. *Bl.*

Digitized by Google

diderat, et imposita in humero suo, gaudet, et veniens convocat amicos et vicinos suos, dicens : « Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quam perdideram (*Luc.*, xv, 6). » Unde Dominus dicit : « Amen, amen dico vobis, quia majus gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia (*Ibid.*, 7). » et ut in alio loco legitur de muliere illa, quæ lætata est super drachmam quam perdiderat; et convocat amicas et vicinas suas, dicens : « Congratulamini mihi, qua inveni drachmam quam perdideram (*Ibid.*, 9). » Tandem nutu divino, non post multos dies, sicut multis videntibus et sibi consentientibus palam oberraverat[107], sic in fontibus qui beati Joannis ascribuntur[108], Deo opitulante a beato Ambrosio, cunctis fidelibus hujus urbis adstantibus et videntibus, in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis baptizatus et confirmatus est. In quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, *Te Deum laudamus* decantantes, cunctis qui aderant audientibus et videntibus simulque mirantibus, in posteris ediderunt quod ab universa Ecclesia catholica usque hodie tenetur et religiose decantatur. Et quasi ditati multis divitiis et inæstimabilibus margaritis, mutuo in Deum lætantes, et cum gratiarum actione cibum sumentes lætati sunt, et gaudio magno gavisi in Deo confortati sunt.

10[109]. Interea præter illa, quibus[110] clerum suum cotidie informabat, quædam omnixe[111] et inviolabiliter conservanda atque tenenda et super omnia custodienda sacerdotibus tradidit; scilicet ut quatuor principalia conscilia, in quibus Græci et Latini et catholici fideliter concordant, tenerent (44), in quibus catholica fides integra et inviolata permanet. Quin etiam ab apostolis et aliis sanctis episcopis illa quatuor conscilia dicebat ita esse sancta et confirmata, ut si quis in illis aliquid augeret vel diminueret, anathematizatus et excomunicatus permaneret. Itaque sicut quatuor evangelia sunt observanda et tenenda et credenda, sic ista quatuor in omnibus conscilia. Quæ conscilia quantum timori et quantum amori quantæque reverentiæ beato Ambrosio[112] fuere, ipse super Nicænum conscilium in epistola ad clementissimum Valentinianum augustum directa (45) ostendit, dicens : « Meritoque conscilium istud[113] exorreo, sequens tractatum conscilii Nicæni, a quo me nec mors nec gladius poterit separare. Quam fidem et[114] parens clementiæ tuæ Theodosius beatissimus imperator et sequitur et probavit; hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hispaniæ cum[115] pia divini Spiritus confessione custodiunt. » Est enim in illis (46) ut nemo per aliquam occasionem turpis vitii incurrat, incontinentem se videns vel[116] fratrem suum, nisi circumveniat in negotio. O quam causam molitum in Ecclesia universali, ut sacerdotes aut virgines erant, aut caste cum uxoribus manebant : quatenus si Deus præordinasset, ut si aliquis ad episcopatum annuente Deo veniret, vel virgo vel unius uxoris vir inveniretur. Unde dicit Apostolus : « Oportet episcopum inreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem (*I Tim.* III, 2). »

11. Transactis[117] annorum multis curriculis, vivente tamen beato Ambrosio, gravissima dissensio inter sacerdotes monogamos et alios sub virginitate aut castitate degentes in synodo coram apostolico orta est. Quamobrem orta dissensio inter sacerdotes monogamos et alios caste simul vivere, fere usque ad mortem et ruinam suorum et aliorum devenerunt. Quod factum est apostolico imperante, et multis catholicis episcopis exhortantibus, in judicio beati patroni nostri Ambrosii a partibus ambabus datum est, affirmantes quicquid ipse diceret, tenerent et firmum atque sanctum haberent. At beatus Ambrosius videns atque cognoscens sensus humanos, et sancta conscilia, et omnes pronos ad peccandum, maxime propter incontinentiam, sciens aliquem neque virginitatem neque castitatem nisi a Deo posse habere, os suum aperiens, quod in libro jam dictaverat de officiis, ait (I, 50) : « De monogamia[118] sacerdotum quid loquar? Quin una tantum permittitur copula, et non repetita, et hæc lex est non iterare conjugium, » et[119] sic dicens statim illos, qui peracta[120] castitate esse videbantur, condescensionem et charitatem circa fratres suos minime habentes, compescui.; de qua dicit Apostolus : « Si habuero tantam fidem, ut montes transferam, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nichil sum (*I Cor.* XIII, 2). » Sed esse non videntes, et illud quod dicit Apostolus minime intelligentes, dicens : « Tu quis es qui judicas alienum servum? suo domino stat, aut cadit; stabit autem (*Rom.* XIV, 4). » Sed revocans ad amor m fraternitatis verbum apostolicum, introducens dixit : « Deus non vult coacta servitia; et ita noli fratrem tuum contristari, neque prodere, pro quo Christus

VARIÆ LECTIONES.

[107] oberraverant *codd.* obseraverant *Bl.* [108] Fuit ergo B. Augustinus baptizatus in ecclesia S. Joannis ad fontes, quæ erat inter ecclesiam majorem et S. Theclæ funditus eversæ. A. *in marg.* [109] *et hoc caput multum decurtavit.* B. *Titulus præfigitur :* De observandis 4 conciliis. [110] in q. quot. c. s. i. *Bl.* [111] omnimode *Bl. fort.* obnixe. *W.* [112] *ita* A**. *rell.* b. A. *desunt* A*. [113] illud *sc. Ariminense. Ambros.* [114] etiam *ib.* [115] et cum *ib.* [116] *deest Bl.* [117] *Titulus :* De monogamis sacerdotibus a b. Ambrosio. (a. b. A. *desunt* A**. *Bl.*) [118] de castimonia autem q. l. Quando u. t. nec repetita p. c. Et in ipso ergo conjugio l. e. n. i. c. *Ambros. Cf. infra III*, 24. [119] et est A*. [120] parata A*.

NOTÆ.

(44) At eorum duo Ambrosio multum sunt posteriora.

(45) I, 21 ed. Paris.

(46) Conciliis? Hæc me non intelligere fateor, et corrupta existimo.

Digitized by Google

mortuus est (*cf.* v, 16). » Itaque Græci sacerdotes Ambrosianam tenentes sententiam, usque hodie sancitum et pro lege sacra habent, ut quando in sacerdotio unguntur, aut virginitatem exinde promittunt, aut uxores in testimonio virorum bonorum sibi sociantur; et si contingit quod uxor sua moriatur, aut caste vivunt tenentes sacerdotium, aut sacerdotium amittunt, si se amplius alicui feminæ sociantur. Quorum Ecclesiam in quamplurimis officiis beatus Ambrosius venerabiliter imitatus est. Quin etiam sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro, scilicet azymorum, in celeberrimis festivitatibus, maxime in resurrectione Domini ad collaudandum et confirmandum atque roborandum, angelis administrantibus et sanctificantibus, benedicere, confirmaret et consecraret. Unde idem ait sanctus Ambrosius : « Stant angeli ad latus altaris, et sacrificant sacerdotes corpus et sanguinem Christi psallentes et dicentes : Gloria in excelsis Deo. » Sed Deus et Dominus noster, volens tantum et tam magnificum episcopum velut emeritum militem multum in militia Domini sui triumphantem et desudantem, multis præmiis multisque honoribus ineffabilique remuneratione honorificare et glorificare, de ergastulo carnis ad æternam gloriam angelicis choris stipatus [121] exire præcepit. Unde dicit Apostolus : « Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9). » Qui clerum sibi commissum et oves a Deo sibi creditas precibus et vocibus atque lamentis moriens Deo, in quo sunt omnes thesauri scientiæ absconditi, instanter commendabat. Insuper per Spiritum sanctum intelligens, multos pseudochristos et pseudoprophetas in vestimentis ovium venturos, Ecclesiam Dei et populos ejus per falsam doctrinam subversuros, de quibus Dominus per Evangelium dicit : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII, 15). » Hoc prævidens sanctus et reverentissimus Ambrosius, clerum ac populum Deum orans cotidie armabat, dicens : « Libera nos ab hæreticis, ab Arrianis, a schismaticis, a barbaris, quia tu solus Dominus, tu solus altissimus, Christe. » Quo exiente de corpore quantus dolor nobilium, et quantus gemitus clericorum, et quantus planctus orphanorum, et quanta crebra monachorum, suspiria interfuere, mea lingua narrare, et meus calamus scribere non valet, et obsequium quantis ejus miraculis coruscavit, mihi enarrare non vacat. Sed ordinato beatissimo Simpliciano in episcopatu, quod minus esse videbatur, Deo adjuvante implevit, et quod ordinatum invenit inviolabiliter tenuit et firmavit, ita ut nullus episcopus amplius augeret aliquid aut diminueret.

12. Determinatis [122] ac definitis sanctæ Ambrosianæ ecclesiæ ordinibus, datisque figuris rationibilibus in quibus Deus per clementiam suam sancti Ambrosii suffragiis non immerito aperire posteris benigne concessit, nunc qualiter ipso adjuvante [123] catechumeni ecclesiam yemalem ingrediantur, secundum [124] ordinem quem vidi corde que cognovi, et a fidelibus comperi, fideliter edicam, quave causa regias ecclesiæ ejusdem occidentales non introeant, ac super sanctum crismon a subdiacono et host ariis ut doceantur, introducantur, caritative intimabo. Igitur catechumeni, quibus jam Deus per suam summam [125] misericordiam, sale degustato sapientiæ, et naribus et auriculis sputo sacerdotis delinitis, nec non sæculo et pompis ejus abrenunciatis, manuque sacerdotis ecclesiam intrandi licentia quodammodo concessa est, subdiacono et hostiariis eos introducentibus, intrant ecclesiam a parte orientis. Unde ab oriente? Quoniam summa [126] Dei sapientia oriens ex alto illuminavit eos qui in tenebris et in umbra mortis sedebant, propheta attestante, qui ait [127] : « Sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis (*Is.* IX, 2). » Et item prophetarum eximius David [128] : « Exortum est in tenebris lumen rectis corde (*Ps.* CXI, 4). » His omnibus ingredientibus, sacerdos et diaconus clauso cum evangelio, ut cognoscant [129] sancti evangelii secreta indigni esse videre, et ne illi videant qui videre non debent, et audiant qui servare non possunt, et subdiaconus cum thuribulo incensi, ut in conspectu Dei per boni odoris operam quandoque appareant, seu diabolus per sanctæ fidei devotionem, qui eos per multa invaserat tempora, irremeabiliter ipsos deserens fugiat, et [130] cereo ardente, Spiritus sancti præsentiam significans [131], obviantur. Quo facto, cum ad sanctum crismon (47) ducti sunt, studiose ac religiose super eodem quid significat docentur : « Vos, quos Deus ad imaginem et similitudinem suam ab initio omnia prævidens benigne creavit, hoc signum alpha et ho [132] continens quid significat, corde et auribus animi cognoscentes percipite. Itaque quod A. ω videtis [133], primum et novissimum cœli et terræ creatorem et omnium creaturarum auctorem credite; de quo quod Esayas propheta Spiritu sancto repletus dicat, audientes cognoscite : « Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, et

VARIÆ LECTIONES.

[121] stipatum *Bl.* [122] *Titulus:* De crismon sancti Ambrosii secundum Datium episcopum Mediolanensem. A**. B. *Bl.* de c. s. A. a Datio ep. M. A*. [123] i. a. *desunt* B. [124] *deest* B. [125] *deest* B. [126] *deest* B. [127] p. sic dicente B. [128] Et prophetam D. B. [129] cognoscat B. [130] cum B. [131] significante *Bl.* [132] omega *Bl.* [133] *ita* B. *deest rell.*

NOTÆ.

47) De hoc signo v. Allegranza, Sacri Mon. p. 18, ubi hæc ejus datur effigies, a veteri lapide sumpta.



Digitized by Google

non est absque me Salvator (*Isai.* XLIII, 10). Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua (*Isai.* XLIV, 22). Ego sum, ego sum ipse, qui deleo [134] iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor (*Isai.* XLIII, 25). » Dei omnipotentis designata notitia, qualiter ante sæcula et in sæcula et post sæcula fuit et est et erit, quique pietate verbum, cum quo ab initio ante [135] sæcula omnia componens cœlos paravit, incarnari Spiritu sancto concipiente permiserit, et quomodo homo natus est ex virgine, suo sanguine pretioso humanum genus redemit, ac vulneratus et sicut [136] ovis ad occisionem ductus sit, cognoscite. Cinerem [137], cujus pulvere crismon est totus signatus, Christus est dominus [138] qui carnem de virgine suscipiens, cinis ut homo mortalis, Deus de Deo, lumen de lumine [139], Spiritu sancto concipiente factus [140] est. Crucem autem, quam in cruce conspicitis, Christus est Deus dominus ac [141] noster redemptor, qui nos « crucis patibulo suo sanguine pretioso, quasi ovis ductus ad immolandum, immeritos redemit. Unde Ysaias propheta [142] : « Sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum in humilitate (*Isai.* LIII, 7). » Item : « Vulneratus est propter iniquitates nostras, afflictus est propter scelera nostra (*Ibid.*, 5). » Passus autem pro nobis mortem ac multas injurias, ammonet nos, dicens cottidie : « Revertere ad me quoniam redimi [143] te. Laudate, cœli, quoniam fecit Dominus misericordiam (*Isai.* XLIV, 22). » Cilicium præterea [144] quod his figuris subesse conspicitis, peccatores vos esse conspicite et æterni regni gloriam primi parentis prævaricatione amisisse. Unde ad Deum vestra peccata plangentes corpore et animo convertimini; de [145] quibus Dominus per prophetam : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu (*Joel* II, 13), quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ez.* LXXXIII, 11). » Itaque, fratres karissimi, imitemur ambitu [146] in cinere et cilicio, cum propheta jejunemus et ploremus ante Deum; quia multum misericors est dimittere [147] peccata nostra. Cum autem ad sacri baptismatis sacramentum Deo annuente in proximo veneritis, catholicæ fidei documentis imbuti, gaudentes per bonorum operum perseverantiam beatitudinem æternæ gloriæ credite acquisisse, quam olim prothoplausti Dei mandatum prævaricantes inconsulte amiserunt. Præterea quod omnia signa hæc e cinere facta conspicitis, vos esse mortales cognoscite [148], ac sperate in eum, qui vos redimere suo sanguine pretioso [149] dignatus est. Quod autem octo virgulas protendentes ad speram videtis, octo beatitudines fidelibus fore promissas a Deo in æternum cum Christo semper mansuras, sive [150] quia octo sunt hujus sæculi et futuri quasi in spera die noctuque currentes ætates, de quibus quidam sapiens [151] : « Sex etenim sunt hujus sæculi ætates, notissimis temporum distinctæ [152] articulis, in quibus pro Deo laboribus insistere, pro adipiscenda requie sempiterna ad tempus operari necesse est. Septima est ætas non in hac sed in alia [153] vita quiescentium usque ad tempus resurrectionis animarum. Octava autem ætas ipsa est dies resurrectionis, sine ullo temporis fine beata. » Sed ubi sunt istæ beatitudines, nisi in spera, hoc est in Deo, qui non clauditur fine nec initiis augmentatur [154] ? Quin etiam speram illam rotundam, fine et initio carentem, quam hæc omnia continentem videtis, est ipse qui [155] in Apocalypsi loquitur [156], dicens : « Ego sum alpha et ho [157], principium et finis (*Apoc.* I, 8). »

13. Crucis [158] antiphona, qua mysterium Dei et sanctæ Ambrosianæ ecclesiæ prærogativa cottidie adornatur, allegoriam reverentissimam comprehendere et continere approbatur. Dum enim canticum quod Zacharias Johannis propheta ad Dei honorem prophetavit, cantatur, ac lectionibus perfectis, lectores suo cum magistro et hostiarii choro ordinibus majoribus dimisso tollunt de sacrario tres cruces argenteas, et summa cum reverentia foris ecclesia deportantes, tribus cereis unicuique superardenti bus, sancti Spiritus præsentiam significans [159], ecclesiæ regias ordinate intrant. Bene de secretario cruces tolluntur, quia de secretis Dei nobis apparuit Christus, cujus cruce muniti, ab omni potestate ærea [160] ipso protegente liberamur. Cruces de secreto tolluntur, quia de secretis terrore gentilium populi crucem Christi bajulantes, Dei ecclesiæ limina ut Christum sequantur devote intrant. Unde Dominus per Evangelium intonat dicens : « Qui crucem Christi bajulaverit, salvus erit. » Tres ideo sunt cruces, ut omnes tres mundi partes, videlicet Asia et Europa et Affrica [161], cœli et terræ Creatorem cognoscentes. Verbum quoque sanctum [162] de Virgine natum ac Spiritu sancto conceptum credentes, Unitatem in Trinitate, et Trinitatem in Unitate actualiter confiterentur. Quæ omnia fidelissimi catholici, catholica fide a Deo imbuti [163] Patres nostri in concilio Nicæno confitentes dixerunt : « Fides autem catholica hæc est, ut unus Deus in Trinitate et Trinitas in Unitate veneretur. » Intrantes autem lectores et hostiarii cum signis, inveniunt archiepiscopum extra chorum, archidiacono dextram et

VARIÆ LECTIONES.

[134] de celo B. [135] et ante *Bl.* [136] homo natus ex v. suo sanguine nos r. et s. B. [137] cinis *Bl.* [138] *deest* B. [139] l. d. l. *desunt* B. [140] filius *Bl.* [141] d. d. a. *desunt* B. [142] p. dicit *Bl.* [143] redemi *Bl.* [144] propterea B. [145] *deest* B. [146] habitu *Bl.* [147] dimittens *Bl.* [148] cognoscentes s. *Bl.* [149] *deest* B. [150] promissas cognoscite sive B. [151] *ita* A**. B. de quibus reverendus sex A*. [152] condistincte B. [153] altera *Bl.* [154] qui initiis non coartatur nec fine concluditur B. [155] quia *Bl.* [156] *deest* B. [157] omega *Bl.* [158] *Titulus :* De crucis antiphona a Datio (secundum Datium archiep. Med. B.). [159] significantibus *Bl.* [160] ab inferna p. B. [161] p. asia scilicet affrica et europa B. [162] *deest* B. [163] f. c. c. I. a. D. i. *desunt* B.

Digitized by Google

archipresbytero dextram regentibus, nec non ipsum ut Moysen verum [165] sustentantes; quatenus gratia sancti Evangelii, Novi ac Veteris Testamenti sententiis ac figuris, confirmaretur, sive dilectionis Dei et [166] proximi sanctæ Ecclesiæ quasi columnis sustentaretur et aleretur [166] humanis, ut ad cœlorum gaudia Deo annuente ascendere et volare mereretur. Unde sanctus Prosper ait : « Qui caret istis geminis alis [167] virtutum, non habet unde volet ad regna cœlorum. » Quibus introgressis ac secundum ordinem ordinatis, cum Propheta Deum laudante cantant « In excelsis, » secundum quod dicit : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis (*Psal* CXLVIII, 1). Ipse enim dixit et facta sunt; mandavit et universa creata sunt (*Ibid.*, 5). » Exinde cardinales 24 et notarios multos a parte orientis inveniunt, nec non ab altera parte occidentis diaconos 7 et subdiaconos 24 vultibus eorum ad orientem versis, secundum quod dictum est : « Ab occidente et oriente venient, et recumbent cum Abraam, Ysaac et Jacob (*Matth.* VIII, 11). » Interea signis elevatis, sicut ordinis religio exposcit, antiphona sexies extra chorum in corpore ecclesiæ magno clangore decantatur. Unde Ysaias propheta loquitur dicens : « Omnes habitatores urbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis et clangorem tubæ audietis (*Isai.* XVIII, 3). » Antiphona autem sexies decantata, ventum est ad chorum, ubi omnes ordines in communi semel ipsam vocibus altis atque sonoris cantant. Sic enim septies, universis in suum locum astantibus, ad Dei honorem et gloriam decantata, septem dona sancti Spiritus clementer fidelibus esse donata ostendunt. At ut ea quæ dixi et dico vera appareant, sententiis sanctorum et gloriosissimi confessoris nostri Ambrosii confirmare et approbare satagui [168]. Qui quibus modis quibusque de causis ymnos et cantus cantavit, audi non me, sed ipsum in Beati Immaculati tractatu (VII, 25) : « Quæ enim bene tenemus, cantare consuevimus; hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis jnstificationis [169] sunt. Psallam [170] spiritu, psallam [170] et mente. » Ut expelleret et eliminaret oblivia a domo sancta sua, cantores sibi fecit verus Salomon, qui toto spiritu conquirendæ cognitioni divinitatis intenderent, nec psallentes deessent ecclesiæ suæ [171], quorum cantu nequam spiritus fugaretur. Prophetæ quoque ut prophetarent, psallendi peritos videbant psallere, quod suavi invitata dulcedine spiritualiter [172] gratia infunderetur. Et [173] in Evangelio legimus, in domo patris illius filium recuperantis percrepuisse symphoniam, qua epulantes delectabantur fideles; perfidus autem impatienter audiebat. Dulcis igitur cantilena, quæ non corpus effeminat, sed mentem animumque confirmat. Ideoque canticum dicitur dum testamentum, quia remissionem peccatorum Dominique [174] justitias in Scripturis evangelicis suavi mentis exultatione concinunt. Ipse quoque Dominus non dedignatus est dicere : « Cantavimus vobis, et non saltastis (*Luc.* VII, 32). » Et Propheta : « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ (*Psal.* CXVIII, 54); » et item : « Psallam tibi Deus in cythara, Sanctus Israel [175]. Gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi, et anima mea, quam redimisti [176] (*Psal.* LXX, 22). » Cantabat hæc lætus, tanquam his melioribus epulis pasceretur. Denique cantavit Moyses, qui legem accepit. Cantavit autem Maria soror Aaron in tympanis et choris. Et ut populi intra se velut mare procellosis tempestatibus dissidentis animos mulceret, ait in libro Exameron (III, 5) : « Plerumque mari comparatur Ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis undas vomit, deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus stridet, cum responsoriis psalmorum, canticis [177] virorum, mulierum, virginum, parvulorum, consonus undarum fragor resultat. »

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Jesu [178] Christe splendor Patris, via, vita, veritas [179],
Omnium Redemptor pie, cunctorum æquitas [180],
Universos qui te quærunt, tua replet caritas.
Deus Pater, Verbum Patris, Spiritus paraclitus,
Tres personæ, unus Deus, semper individuus,
Cuncta regens et cohercens, sedens ut altissimus.
Qui quos vis benigno reples spiritu scientiæ,
Et elingues facis esse magnæ eloquentiæ,
Tui guttam vivi fontis mihi quæso porrige.
Benedictus et laudandus in sanctorum gloria,
Quorum corpora truncata redolent ut lilia,
Cui debent summam laudem angelorum agmina.
Cum tu sis, Salvator, nostris [181] unica defensio,
Jubilum qui præstitisti populo Judaico,
Adsit mihi tua virtus nutrix [182] in perpetuo.
De tantorum peccatorum venia te flagito,
Quicquid juvenis peccando egi in hoc sæculo,

VARIÆ LECTIONES.

[164] vero *Bl.* [165] ac B. [166] sustentarentur et alerentur B. [167] alas *B* [168] s. s. et specialiter beati A. c. s. B. [169] justificationes Domini s. Psallamus s. psallamus et m. *Ambros.* [170] psallamus *Bl.* [171] *deest* B. [172] p. p. judebant p. ut s. i. d. spiritalis B. [173] *deest Bl.* [174] denique *Bl.* [175] s. I. *desunt* B. [176] redemisti *Bl.* [177] cantus *ed. Ambr.* [178] *Rubrica :* Oratio historiographi preclara (p. *deest Bl.*) ad Deum et Trinitatem ejus, in qua quicunque legerit hujus libri intentionem et cleri totius Ambrosiani divortium comperiet, quo multi misere tractati sunt libri secundi. A* A**. *et Bl. apud quem* l. s. *deest.* Oratio ystoriografi ad Dominum. B. *ubi hæc librum I. claudunt, ut etiam apud Blancum.* [179] via ver. et vita *Bl.* [180] *ita codd.* [181] noster *Bl.* [182] *an* tutrix ? *W*

Digitized by Google

Ut cum veneris tu judex — in tuo judicio.
Heu michi, qui tot annis — vixi in hoc sæculo,
Numquam bona perpetravi — conscius in animo,
Flagrans intus, ardens foris — ullo sine termino.
Omnes juvenes et cleri [183] — vobis dico maxime,
Quibus ætas atque visus — candet isto tempore :
Verbis vanis atque jocis — multum [184] quæso par-
[cite.

Ætas quondam deaureata — venit in argenteam [185],
Nunc que ærea infelix — nostris misit ferream,
Atque modo malo nostro — nos invenit lutea,
Hoc testatur, hoc cognoscit — plebs antichristicola
Longa peste jam seducta — valde per hypocritam,
Qui permittit vera falsis — arte diabolica.
Sedem nam Ambrosianam — atque ejus clericos,
Comites duos majores — atque ejus populos
Oberrantes nunc videmus — per quosdam scismati-
[cos.

Quos prævidens almus doctor — nobilis Ambrosius
Deum rogat et precatur — clericorum vocibus,
Ut scismatici discedant — cum suorum artibus.
Qui redundant et abundant — plus quam non est nu-
[merus [186],

Castitatem simulantes — cunctis cum virtutibus
Redunt clerum sacerdotes — ultra quam commodius.
Et limphatici ut canes — optant præcipitia,
Cuncta justa et injusta — habentes promiscua,
Ira, odio imbuti, — quæ est mala bestia.
Rogo Deum, qui huc misit — Barnabam apostolum,
Postea et qui direxit — inclytum Ambrosium
Det michi suave loqui — nostrorum dissidium [187].

1. Inter multa hanelosa et procellosa malis hominibus perturbantibus tempora, in quibus omnes corporis mei sensus ob multarum sectarum varietates conturbantur et per diversa trahuntur, multum æstuando in animo meo consiliatus sum, dissidium quod ecclesia Ambrosiana a falsis fratribus [188] et pseudoprophetis perpessa est, de quibus Dominus in evangelio dicit : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII, 15), » prout ingeniolum meum narrare valet et edisserere ; memor quod ecclesiarum magister Ambrosius reverendissimus pastor dixit [189] (48) : « Omnia cum conscilio [190] facito, ne te pœniteat operis tui, » qualesque A dissessiones [191] et quales perturbationes per ficta rudimenta a suis filiis sustinuit, quosque defectus habuerit ; non altis verbis philosophorum, sed plano stylo compositoque sermone labiorum, prout Deus per gloriosi confessoris atque patroni mei Ambrosii [192] concesserit, curiose narrare studebo. Non regum bella describere, non populorum commotiones aut urbium seditiones pandere, non verborum suecis laborem impendere, non otiosis verbis vacare satagui, sciens quod Dominus per evangelium intonat dicens : « An nescitis, quod de omni verbo otioso reddituri estis rationem in die judicii ? » (*Matth.* XII, 36.) Propterea timore Domini præventus et orationibus beati antistitis [193] Ambrosii fretus, quæ tacenda sunt tacebo, et quæ in corde scribere delibe- B ravi, ad tutelam animarum et corporum munitionem in posteris fideliter Deo opitulante edisseram. Non quærens humanam gloriam hominum, non terrenarum divitias rerum, non pompas aut ornamenta vestium, non domos, non servos, non ancillas, quæ omnia imperatores et magistratus consulesque Romani olim præ ceteris [194] dare consueverunt, sed tantum ad salutem posterorum, corporum et animarum illorum. Visis tantis signis tantisque virtutibus, et auditis tantis cladibus tantisque perturbationibus sibi provideant seseque custodiant, et mei divinis supplicationibus memores sint.

2. Sancti [195] Honorati tempore archiepiscopi Mediolanensis, ac infelicissimo rege Lamberto Italiæ usurpato imperio imperante (49), clandestina pestis C immensa super urbem Mediolanensem durissime adorta est. Hæc etenim [196] civitas a magnificis imperatoribus, orbem universum suo imperio ac legibus suis sibi vindicantibus, honorata decenter et exaltata competenter refloruit; atque super ipsam Romam loci amœnitate ac aeris salubritate ipsam diligentes, ultra omnes Italiæ civitates eo tempore sublimantes, multis cum ornatibus imperialibus auxerunt. At ut vere [197] et indubitanter quod dico credas, audi, quod in verissimis annalibus et in descriptione situs Mediolani (50) repperi, qualiter augustales imperatores olim magisterio regali ipsam ornaverint, locantes (51) in ea more patrio eximium augustorum dignitati imperiale palatium, theatrum decentissimum, aumatium, thermas, quæ sunt calida

VARIÆ LECTIONES.

[183] *ita* B. clerici *rell.* [184] multa *Bl.* [185] argentea *Bl.* [186] q. sit num. B. [187] Explicit liber primus. Incipit secundus. A''. B. *Bl.* Incipit prologus secundus libri secundi. Secundus ystoriographi fidelissimi omnia supradicta et ista locorum diversorum perscrutando libros reperientes. A'. [188] *deest Bl.* [189] mem. q. beatus Amb. dixit B. [190] consiliis *Bl.* [191] dissensiones *Bl.* [192] per beati Amb. B. [193] *deest* B. [194] poetis B. [195] *Titulus* : De obsidione regis Lamberti super Mediolanum. A''. *Bl.* Incipit de *etc.* A'. Qualiter civitas Mediolan. per regem Lambertum dirupta est. B. [196] *ita* B. et ejus A'. A''. *Bl.* [197] *deest* B.

NOTÆ.

(48) Expos. Ps. CXVIII VIII, 32.

(49) Honoratus a. 568, archiep. fuit ; Lamb. c. a. 896, urbem expugnavit, quæ a. 539 per Gothos destructa est. Omnia hæc noster confundit. De quibus egregie disserentem adi comitem Giulini, Mem. Mil. II, 45 sqq.

(50) Eam L. A. Murat. edidit SS. I^b, ubi p. 204 hæc leguntur : *quæ ex priscis temporibus ut in verissimis reperitur annalibus, altera post inclytam Romam magni imperii dignitate ac ditione potita est,* etc.

(51) *Auxerunt, l. in ea m. p. e. a. d. p. th. a. thermas, viridarium.* l. l. Eadem infra repetit c. 15. De his ædificiis v. Fumagalli, Antich. Mil. I, 137 sqq.

Digitized by Google

balnea, ubi reginæ imperatorum uxores urbem pro tempore incolentium [198] semotim a masculis nitide mundabantur, et universæ civitatis multitudo, cum tempus et utilitas exigebat, ad lavandum, viris a mulieribus sequestratis, sedule concurrebant. Deinde viridarium, quasi Paradisus Dei, diversis insitum arboribus amœnum. Nec non arenam lapidibus et magisteriis diversis ornatam, in qua totius Italiæ milites consedere et ab uno oratore audire et competenter intelligere possent. Quin etiam ipsam amplificantes civitatem, ultra quam Senones Galli hædificaverant — qui et ipsi Romam præter capitolium ceperunt [199] — quot dies in anno, tot turres densissimas opere grandi ædificarunt et compleverunt. Præterea super sex civitatis portas domicilia altissima et rotunda, ac anteportale altissimum et triangulare opere decentissimo hædificantes, quæ hostibus barbaricis quasi natura munita introitum contenderent, agere satagerunt. Ob quas causas sæpissime ab eisdem postmodum augustis frequentari et incoli et honorari cœpit, maxime quod esset ibi saluberrimi aeris aptissima temperies, locusque ad usus domesticos inrefragabiliter paratissimus. Hanc itaque civitatem perosissimam habens impiissimus Lambertus rex nefandissimus, maxime quia dux Ilduynus (52) ipsam regens civitatem sibi minime favebat, regibus cum tribus ac ducibus multis Franciæ, Sansoniæ, Nurmandiæ ac Teutonicæ, ac barbarorum multitudine innumerabili, per decem annos, multis ex suis ducibus et militibus et peditibus sagittis ac variis tormentis emortuis, frustra obsedit. Sed cum jam per [200] multum cum suis incassum laborasset, et ab omni spe esset frustratus, ac regni opes incassum videns esse expensas : tristitia repletus immensa, iter quo abiret miser arripuit. Interea quidam rusticus nequissimus, cum jam per tres dies iter cum suo exercitu abiisset, dolens ac regnum superatum et concultatum acclamans, scissis vestibus, quasi verus furiosus pervenit ad regem. Qui cum ad regem venisset, dedit consilium quatenus rex cum suis omnibus obsidionem destitutam validissimis assertionibus iteraret; ac interea pauci fidelissimi pactum cum civibus et duce Ilduyno, ut rex cum suis civitatem tantum intraret et exiret, et omnibus civibus illæsis, triginta ex suis ducibus sanctis evangeliis affirmantibus satageret; exinde civitatem introgressus, ut dominus civitatis et incolentium appareat, et, ut meriti sunt, ruptis fœderibus suos exercere studeat [201], ac se numquam urbis portas intraturum jurejurando sancivit. Igitur detestabili inito consilio, omnia quæ diabolus per os rustici nequissimi locutus est, ordine Lambertus complevit. Ea tempestate cum cives obsidionem durissimam reintegrari vidissent, et angustiis diversis repleti, consilium regis, quadraginta ducibus validissimis sacramentis civitatis integritatem et civium universorum incolumitatem jurantibus audissent et pavide suscepissent, cordibus illorum rei veritatem augurantibus, et pravitatem cordis ejusdem Lamberti non intellexissent, pace et quiete avidi, regem Saraceno deteriorem cum suis ut cito intraret et exiret, ut ipse sacris evangeliis juraverat, malo omine susceperunt. Denique trina nocte post egressionem urbem Mediolani ingreditur, aliquibus proditoribus mœnia civitatis frangentibus juxta ecclesiam quæ modo dicitur sancti Andreæ ad murum ruptum; sicque ut rex juraverat, non per portam civitatis sed per rupturam ingressus est, ut jusjurandum observare videretur. Quo facto Lambertus crudelissimus, fide ac Deo oblitus, gladiis evaginatis civium stragem immensam tam parvulorum quam senum, tam juvenum quam infantum, furiis plenus dæmoniorum, inhumane dedit. Quin etiam civitatis palatia, turres, et ejus municipia, omniaque civium munimina, quæ ob civitatis munimentum Breno dux Gallorum ac Nerva ac Trajanus ac Maximianus crudelis et alii imperatores construxerant, malleis ac manganis (53) destruebant. Eodem et sanctus beatus tempore [202] Ambrosius, videns cives et civitatem hostiliter devastari atque consumi, in nocte sancti Severi (54) et ipse apparens Lamberto dixit nefando : « O Dei et hominum inimice, Deum negatus ac morte dampnatoria dignus, injuste diruens civitatem et ejus munimina, quæ ego ad Dei honorem et christianorum incolentium utilitatem benedixi et consecravi! gentiliter populum interemisti, quem Deus suo sanguine pretioso in cruce pendens redemit. Noscas itaque nec te nec tuum hæredem diu tenere imperium, ac morte turpissima ut canis morieris. Hoc audito, relicta civitate, secum quasi in exilium filium Ilduini ducens Parmam tetendit, cujus nomen erat Azo (55), quem ætate juvenculum divino nutu adeo dilexit, ut sine puero nichil ageret rex Lambertus. Qui cum per tres annos in illis partibus moraretur, quadam die et ipse spatiare desiderasset, venatu juxta nemora ductus, sparsis canibus ac intromissis nemoribus, et [203] venatores sagaci ingenio sylvestrem feram invenire curarent, gravissimo occupatus somno, in gremio filii Ilduyni ac servo ejus astante quievit (56). Quod

VARIÆ LECTIONES.

[198] incolentes *Bl.* [199] *deest Bl.* [200] *deest* A**. p. m. tempus B. p.m. temporis *Bl.* [201] *ita codd.* [202] et s. *desunt* B. [203] ut *Bl.*

NOTÆ.

(52) Maginfredum comitem cum hoc confudit, cujus præterea nullum inveni vestigium.

(53) I. e. tormentis.

(54) Qui Kal. Febr. colitur.

(55) Hugonem vocat Liudp. I, 12. Nescio an rebellio Adalberti, quæ tunc accidit, Azonis nomini ansam dederit.

(56) Cf. Chr. Noval., p. 127.

Digitized by Google

ut vidit Azo Ilduyni filius, confortatus a servo, omnia mala quæ sibi et patri intulerat reminiscens, regem multis ambagibus excussis occidere statuit; cumque gladium non inveniret ad jugulandum, secus se spinam vidit acutissimam grandemque; qua arrepta, velut canem, ut prædixerat beatus Ambrosius, ipsum tractare curavit, ac ipsum percussa mamilla cordialia protinus interemit (57). Cujus carnes terribiles vultures et corvi sinistri rostris avidissimis mandentes sepelierunt; et [204] puer Azo equum ascendens regium, Mediolanum accelerat, ubi civitatem dirutam quam melius potuit reformavit, rege a silvestribus laniato. Quem cum sui milites per tres dies circumquaque vagantes, carnibus abrosis, ossibus tantum apparentibus invenerunt, et ejus omnia invenerunt vestimenta tabe et vermibus ac fœtore sordidissima, tristes ac miseri sepulturæ non ut regem dederunt. Qua tempestate cum venissent in Italiam dirissimi Longobardi, non parcentes juvenibus nec senibus; qui et ipsi gentiles ingentiliter sese habentes, venerunt Mediolanum. Hos prævidens beatus archiepiscopus Honoratus, sciens civitatem devastatam, nec non a peste vermium crudelissima, et hominibus innumerabilibus emortuis, et cives bellatores a crudelissimo Lamberto fore gladio dilaceratos: omni ecclesiæ thesauro arrepto tendens in Januam, ut a manibus Longobardorum eriperet, fideliter deportavit. Hic enim post aliquot dies capta civitate a Longobardis, quæ muro et turribus devastata diu teneri non potuit, Dei misericordia et ejus patientia summam amicitiam regis et Longobardorum adepta fuit, in tantum ut multis privilegiis multisque ceremoniis, quicquid archiepiscopatus haberet, ab omni gente et rege intacta et illæsa permanerent. Unde postea Desiderius rex Longobardorum Dei misericordia factus christianus, inibi sancti Vincentii ecclesiam et monachorum cœnobium pro animæ suæ remedio multis ornando prædiis et castellis hædificavit (58). Cujus actus gravissimos postea habens Adrianus, qui et ipse pontifex Romanus, Carolo Magno Pipini filio, ut suas civitates a manibus Desiderii erueret, virgas episcopales ad investiendos episcopos et anulos citra fas et licitum, ut clavum clavo expelleret, primus dedit. Qui mihi autem non credit, legat Pontificale Romanorum seu gesta Longobardorum, quoniam quæ dixi fideliter tractata ibi reperiet (59). At priusquam clandestinam pestem, quæ clerum totius Ambrosianæ ecclesiæ velut torvus leo crudelissime invasit, dicam, et a quo sedes beati Ambrosii per symoniacam hæresim contaminata et violata prius fuit, enucleare non desinam.

3. Igitur [205] omnibus episcopis, qui ante admirabilem confessorem Ambrosium religiose et catholice episcopatum tenuerunt, ipsoque cum illis episcopis qui post eum vice discipulorum Domini subsecuti sunt, ad cœlorum regna cum Christo tripudiantibus, Fronto, in quo omnes thesauri malitiæ [206] et pharetræ nequitiarum et prava ingenia omnium rerum sunt, cathedram Ambrosianam indignus et inmeritus ut fur et latro invasit. Qui ortus nobilibus parentibus, non in scientia Dei nec in cultibus divinis operam dedit, sed in auro et argento locuples, monilibus dives, servis et ancillis valde habundans fuit. At quantum fuit omnium virtutum bonarum nudus et pauper, subsequens lectio demonstrabit. Plenus avaritia, quæ neque copia augetur neque inopia extinguitur, de qua dicit apostolus: « Avaritia, quæ est ydolorum servitus (*Coloss.* III, 5), » et Dominus in evangelio: « Cupidi et avari non intrabunt in regnum Dei; » insuper ambitiosus ultra quam credi potest. Quod [207] factum est, mortuo Honorato episcopo, tantum in nomine quantum in officio honorandus, qui octavus decimus post beatum Ambrosium sedit, turba nobilium et populo immenso catholico religiose et catholice episcopum in Deum quærentibus et desiderantibus cum universo clero; ecce subito fascinatis multis [208] utrarumque partium, populi videlicet et nobilium, immensa perturbatio orta est. Igitur electione perturbata, Fronto, omnibus bonis nudatus multisque vestitus vitiis, spiritu maligno repletus, sciens se per catholicam electionem cleri et populi episcopatum minime habere posse, cum immenso pondere auri et argenti, cum paucis etiam nobilibus, imperatoris curiæ detestandæ cursu rapido tetendit. Consilio autem inito, præter illa quæ manu dedit, ut episcopatum haberet, inæstimabilia pondera auri et argenti ducibus et comitibus et omnibus qui imperialibus jussis quotidie deserviebant promisit. At imperator, cognita ejus nequitia et omnem Frontonis intentionem prævidens, auri avidus, non curans qualiter aut quomodo se circa catholica officia ecclesiastica haberet, accepto auri et argenti immenso pondere, tantum aliquantulum timidus, quandam execrabilem investituram Mediolanensis episcopatus ei attribuit, et accipiens ab eo fidelitatem, quemdam comitatum dedit ei [209], sub quo se Fronto ad simoniacam hæresim defenderet et imperator innocens esse hujus rei ascribitur [210]. Quo facto magno tripudio exultans Fronto, stipatus multis Longobardis, qui eo tempore curiæ militabant imperatoris [211], quasi fur et latro venit Mediolanum.

VARIÆ LECTIONES.

[204] *deest* B. [205] *Titulus:* De Frontone a Constantino episcopo Mediolanensi. A'. De F. archiepiscopo simoniace ordinato. A''. B. *Bl.* [206] *ita Bl.* militie *codd.* [207] Quo *Bl.* [208] *ita* B. *deest rell.* [209] *deest Bl.* [210] adscriberetur *Bl.* [211] imperiali *Bl.*

NOTÆ.

(57) Hæc fabella orta esse videtur e nomine villæ *Spina Lamberti*, nunc *Spilamberto*, v. Giulini l. l., p. 66. Leibnitii Ann. Imp. II, 135.

(58) Hoc in dubium vocavit Giulini I, 80.

(59) Sc. Carolum ab Adriano vocatum esse, nam cætera ibi frustra quæsieris.

Digitized by Google

Qui primus videns episcopatum per arma justitiæ et electionem catholicam, bona vita et fama et prædicatione bonisque moribus, castitate et jejuniis, obtinere non posse, nobiles et magnam partem plebis, sparsis muneribus magnis multisque promissionibus, omnes ad fidelitatem non intrans per hostium impegit, de quo Dominus per evangelium terribiliter et voce veridica et viva intonat, dicens : « Qui non intrat per hostium in ovile ovium, non est pastor ovium, sed est fur et latro (*Joan.* x, 1). » De quo beatus Ambrosius doctor et magister veritatis [212] subsequitur dicens : « O miser, quod dedisti aurum fuit, quod accepisti lepra [213] est. » Unde super Lucam (IV, 52) sanctus Ambrosius : « Inexplicabilis [214] est enim venditi culpa mysterii, et grata a vindicta [215] oculis [216] transit ad posteros. » Item super Lucam (IX, 19) : « In ecclesia Dei consortium eos habere non posse, qui sancti Spiritus gratiam non dignentur [217]. Gratis enim accepistis, et gratis date. Denique Symoni, qui sanctificandi munus pretio in se putavit posse conferre, respondit Petrus : Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem. Quoniam [218] gratiam Dei putas te pecunia consequi posse, non est tibi pars nec sors in hac fide (*Act.* VIII, 20). » Item de ecclesiis in eodem (IX, 17) : « Deus enim [219] templum suum non mercatoris vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis, nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito usum ministerii sacerdotalis informat. » Postremo Fronto per undecim vivens annos, omnia bona et mala, justa et injusta habens promiscua, omnes hujus sanctæ Ambrosianæ ecclesiæ fere intus et foris thesauros devastando et male expendendo consummavit. Qui quadam die cum turba suorum militum stipatus, ordinatis canibus et venatoribus, ad nemus quod Caminadella (60) usque hodie vocatur, ivisset, et inventam feram ad mortem curaret deducere; ecce subito ira Dei et flagello præventus citissimo, in loco incurrens quod dicitur Puteus Averanus, eum palus absorbuit : et quasi Datan et Abiron iram Dei provocantibus, sic eum terræ inundatio absorbuit. Igitur Frontone male mortuo pejusque sepulto, quod epitaphium ejus, quod ego postea transactis annorum multis curriculis in lapide polito, pulvere corporis ejus absente inveni, dicat audiamus : et quam crudeliter et quam sævissime supra calicem aureum beati Ambrosii, quem ipse propriis manibus consecraverat, aurum cujus Theodosius imperator sancto Ambrosio dederat, sese habuit [220], curiose audiamus [221].

Ausoniæ postquam ditio florentia frena
Longobardorum excepit [222] ecclesiæ,
Hæc senior fama primum per mœnia multa
Frontonem sedis fulcra subisse boat.
Promissum crebro premitur persolvere, cumque
Nec dapibus reliquis jam quod haberet opem :
Ambrosius calicem sanctum quem fecerat olim,
Cæsar catholicus Theodosius pariter;
Conflandum isdem perhibetur traderet igni,
Proh dolor infaustus turpiter oecubuit.

4. Post [223] multum vero tempus veniens post beatum Agapitum (61) urbis Romæ pontificem reverentissimus pastor et papa Gregorius, divino spiritu ammonitus, omnes Latinæ linguæ ecclesias per diversa officia multum discrepantes vidit. Qui tantum Deo annuente ad unitatem Romanæ ecclesiæ præter [224] Ambrosianum misterium compescuit et revocavit, dicens : « O fratres et o venerandi patres, decens et competens ratio nobis esse ascribitur, Paulo apostolo per Spiritum sanctum dicente : « Unus Deus, una fides, unum baptismum (*Eph.* IV, 5), » ita sit, unum mysterium totius linguæ esse debere Latinæ. » Quo audito omnibus religiosis viris qui antestabant terrefactis, quorum noverat multos sanctos viros diversarum terrarum, pro [225] unicuique sicut Deus donaverat diversa officia, sanctam Trinitatem et Unitatem conlaudantia fideliter et mirifice decantantes ordinasse. Tandem conlaudatum et confirmatum est. Sed de Ambrosiano mysterio videns esse factum divino magisterio, timidus subsistit.

5. Quo [226] in tempore (*an.* 593) Constantius episcopus catholicus catholiceque ordinatus, tertius a Frontone, diaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ (62), quem beatus Gregorius Dialogorum in diaconatu consecraverat, qui ad concilium, quod beatus Gregorius celebrabat, cum viris timoratis et episcopis suffraganeis sui et beati Ambrosii multis et magno exercitu strenuissimorum militum stipatus iverat (63). Quod factum, Spiritu sancto administrante, et Constantio archiepiscopo cum omnibus fidelibus clericis

VARIÆ LECTIONES.

[212] d. e. m.v. *desunt* B. [213] *ita Bl.* lepta *codd.* Quod accepit pecunia fuit et quod dedit lepra fuit, *de episcopo ordines vendente dicitur in libro pastorali Ambrosio supposito, c.* 5. *W.* [214] Inexpiabilis *Ambros.* [215] *ita* B. m. a lege v. A**. m. a. grege v. A*. m. et gratia a lege vindicata *Bl.* [216] cælestis *Ambr.* [217] g. nundinentur *Ambr.* [218] *ita* B. quam *rell.* [219] noster *Bl.* [220] habuerit *Bl.* [221] *Rubrica :* Versus Frontonis episcopi, qui primus per malam electionem symoniacus sedem sancti Ambrosii invasit. A*. A**. *Bl.* Versus reperti ubi debuit esse sepulcrum Frontonis. B. [222] excipit *Bl.* [223] *Titulus :* Sermo Constantii archiepiscopi Mediolani, qualiter beatus Gregorius de ordinando officio universali tractavit. B. tentavit 'A**. *Bl.* Ordinatio ministrorum omnium Latinorum composita et ordinata a S. Gregorio pontifice Romano. Constantinus episcopis, archiepiscopis ut in seculo videantur, hæc scripsit. A*. [224] propter *Bl.* [225] prout *Bl.* [226] *Titulus :* De Constantio, cujus probitate ministerium Ambrosianum ab invidis tutum et defensum est. A**. *Bl.* Incipit de *etc.* A*. Qualiter laboribus Constantii archiepiscopi Ambrosianum officium ab invidis protectum est. B.

NOTÆ.

(60) Adhuc superest nomen loci extra Portam Tonsam, qui dicitur Nemus Caminadellæ. PURICELL.

(61) Post Pelagium II, a. 590.

(62) Imo Mediolanensis, v. Gregorii I, Ep. III, 29.

(63) Sed exsul tunc Genuæ manebat; v. Fumagalli Ant. Mil. III, 135.

Digitized by Google

et laycis episcopis religiosis interpellantibus, partim timore Dei et beati Ambrosii, sciens eum in exercitio divino multis ac magnis laboribus olim desudasse, partim propter caritatem et amorem Constantii episcopi dixit : « Ecclesia Ambrosiana in suo statu permaneat. »

6. Non [227] post multum tempus ordinem Ambrosianum, quem Constantius apostolico multum conlaudaverat, a fidelibus suis repræsentari sibi præcepit. Quod factum est, nutu divino legatis ad eum revertentibus, quibus ipse imperaverat ut ordinem Ambrosiani mysterii circa tempus statutum sibi remota omni occasione repræsentaretur. Sed cum in palatio de magnis negotiis cum cardinalibus omnibus, qui de sancti Ambrosii mysterio in synodo sermocinati fuerant, tractantem legati supervenissent : ecce subito non modica lux refulsit; et omnibus præter apostolicum in terra nimio pavore prostratis, ignorantibus tantum [228] quid hoc esset, papa tantum [229] non modice mirabatur. Interea legati revertentes a beato Constantio urbis Mediolanensis episcopo, salutato apostolico, librum ei dederunt. Qui gaudio magno repletus, librum aperiens, et curiose per omnia, qualiter beatus Ambrosius libros veteris testamenti et novi ad legendum ecclesiæ suæ disposuisset, et qualiter evangelia et Pauli epistolas atque prophetias et missarum solempnia et cetera divino cultui apta scribendo ordinasset, supervidit. Quo cognito, quasi de amœnissimo prato multos flores lucidissime serie illius libri attrahens, Romano cultui quasi bonam olivam atque fructiferam in oleastro inseruit, cum quibus usque hodie ecclesia Romana hymnis, orationibus, gloriosis canticis quasi sponsa ornata diversis ornatibus extat. Quæ omnia beatus Gregorius, ut ostenderet quantæ excellentiæ quantæque dignitatis essent, videns atque cognoscens cuncta quæ a beato Ambrosio columpna ecclesiæ ordinata erant, et ut petra super petram per Spiritum sanctum firmata essent, insignium [230] dicens hymnum Ambrosianum, responsorium Ambrosianum, antiphonam Ambrosianam, invitatorium Ambrosianum, oratio Ambrosiana. Enim ubicumque [231] beatus Gregorius aliquid de suis ordinibus interserens ordinabat, semper nomen Ambrosianum quasi per quoddam sigillum administrabat, dicens Ambrosianum. At quantum amori [232], quantæque reverentiæ ecclesia Ambrosiana majestati apostolicæ fuit, describendo quædam egregia et amicabilia, quæ super beatum Datium archiepiscopum reverentissimus papa Gregorius in Dialogo descripsit, apparet; et quam paternaliter ad clericos Ambrosianos, qui injuste a falsis fratribus et a malis et pessimis [233] laicis, propter electionem quam catholice et canonice fecerant, patiebantur, per luculentissimam epistolam eos adhortavit editam, quæ usque modo in registro ejusdem invenitur. Igitur Datius, quia episcopus et majoris dignitatis esse ascribitur, ut pater filios præcedat. De quo beatus Gregorius inter cetera miracula, quæ cum Petro narravit, quoddam magnificum atque mirabile descripsit dicens (*Dial.* III, 4) :

7. « Tempore [234] Justiniani principis, cum Datius Mediolanensis urbis episcopus causa fidei exagitatus [235] ad Constantinopolitanam urbem pergeret, Corinthii [236] devenit. Qui dum largam domum ad hospitium [237] quæreret, quæ illius comitatum totum ferre potuisset, et vix inveniret, aspexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamque sibi præparari ad hospitandum jussit. Cumque ejusdem loci incolæ dicerent, in ea [238] manere non posse, quia multis jam annis diabolus hanc inhabitaret, atque ideo vacua remansisset; vir venerabilis Datius respondit dicens : « Imo ideo hospitari in domo eadem debemus, si hanc malignus spiritus invasit et ab ea hominum habitudinem [239] repulit. » In ea sibi igitur [240] parari præcepit, securusque illa [241] antiqui hostis certamina toleraturus intravit. Itaque in tempestæ noctis silentio, cum vir Dei quiesceret, antiquus hostis inmensis vocibus magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, rugitus [242] asinorum, sibilos serpentum, porcorum stridores et suricum. Cum [243] repente Datius tot bestiarum vocibus excitatus surrexit vehementer iratus, et [244] contra antiquum hostem magnis cœpit vocibus clamare, dicens : « Bene tibi contigit miser. Tu es ille, qui dixisti : Ponam sedem meam ab aquilone [245], et ero similis Altissimo (*Isai.* XIV, 14). Ecce per superbiam tuam porcis et suricibus similis factus es; et qui indigne Deum imitari voluisti, ecce ut dignus es imitaris bestias. » Ad quam vocem ejus, ut ita dicam, dejectionem suam spiritus malignus erubuit. At non erubuit qui eandem domum, ad exhibenda monstra quæ consueverat, ulterius non intravit? Sicque postmodum fidelium habitaculum facta est, quia dum ea unus veraciter fidelis ingressus est, ab ea protinus mendax spiritus atque infidelis abscessit. »

8. Post [246] aliquod tempus, cum beatus Gregorius urbis Romæ totiusque mundi pontifex, sedulo more

VARIÆ LECTIONES.

[227] *Titulus :* De ordine libri Ambrosiani qualiter sanctus Gregorius ab eo instructus suum informavit mysterium. A*. A** *Bl.* Qualiter b. G. Ambrosiano instructus officio suum ordinavit offitium B. [228] tamen *Bl.* [229] *an* insignivit? W. in signum d. hymnus Ambrosiana, r. A. antiphona Ambrosiana *Bl.* [230] unicuique A*. [231] amoris A*. *Bl.* [232] a. p. *Bl.* [233] *Titulus :* Quid de Datio archiepiscopo Mediolanensi beatus Gregorius in Dialogo recitat. A**. B. *Bl.* De Datio a. M. a beato Gregorio ordinato A*. *Editionis Paris. varias lectiones adjecimus, omissis quæ solo verborum ordine discrepant.* [234] exactus *ed. Par.* [235] Corinthum *ib.* [236] hospitandum *ib.* [237] hunc *add. ib.* [238] inhabitationem *ib.* [239] *ita* B. *deest rell.* igitur s. *ed. Par.* [240] illam *ib.* [241] ruditus *ib.* [242] soricum. Tunc *ib.* [243] i. c. a. h. et m. B. [244] ad Aquilonem *ed. Par.* [245] *Titulus :* Qualiter b. Gregorius Deusdedit in archiepiscopum confirmavit. A**. B. consecravit *Bl.* De Deusdedit archiepiscopo a b. Gregorio. A*.

Digitized by Google

divina eloquia dictando exponeret : mortuo Constantio Mediolanensis urbis episcopo (*an.* 600), quem ego, ut [246] supra, in libro qui in Januensi urbe inventus est repperi aliquantulumque commemoravi, catholicam electionem super Deusdedit a clero Ambrosianæ ecclesiæ factam esse audivit. Quæ non post multos dies, ut erat veritas, rei probavit eventus. Venientes autem legati a clero Ambrosiano dilecto sibi, qualiter Constantius de hac vita migrasset curiose panderunt; quin etiam quam catholice et quam canonice diaconem, qui Deusdedit vocatur, ad honorem episcopatus diligenter eligissent [247], per omnia enarrarunt; præterea quanta incommoda cleri et sacerdotes a Longobardis et perfidis militibus et a plebis parte injuste patiebantur, quia voluntati eorum, ob electionem quam ipsi inordinate et incomposite super Agiulfum (64) fecerant, minime consentiebant. Quo audito apostolicus de nece Constantii, quondam sui diaconi et nutricii fidelissimi perplurimum doluit. Tandem de catholica electione partim lætabatur, et partim compassioni eorum evidenter condoluit. Interea legatos, ut erant tantæ civitatis tantique cleri tantorumque ordinum, quos beatus apostolicus super omnes civitates animo et affectu et amore et reverentia beati Ambrosii diligebat, omnes benigne suscepit. Diligebat enim beatus Gregorius hanc ecclesiam et hos ordines, videns per omnia a beato Ambrosio ordinatos et compositos esse, ut pater filium et ut mater unicum natum. Diligebat non perfunctorie neque ulla sæculari intentione, sed affectu bono sinceroque corde et animo puro. Quid multa ? Epistola, quam per legatos ad clerum Ambrosianum direxit, illos in electione quam super Deusdedit canonice fecerant constanter adhortans, usque hodie ostendit. At ut certius quicunque hæc legerit credere per omnia valuerit, ipsam epistolam in registro (XI, 4) ejusdem descriptam auribus curiosis sollicitoque animo intendat.

9. « [248] Quantum [249] nos de obitu fratris et coepiscopi nostri Constantii mœror afficiat, paginali explere locutione non possumus, sed quam multa bona partes in illo [250] homine perdiderunt, utinam vicinæ repentinam calamitatem sentiant [251]. Nam quemadmodum sollicitus in ecclesiasticæ regula disciplinæ, vel quam fuerit vigilans in tuitione civitatis vestræ, non habemus incognitum. Sed quoniam obeunte pastore sine proprio vos non decet esse, constanter [252] omninoque grate suscepimus quod Deusdedit diaconem vestrum ad episcopatus officium vos unanimes elegisse Deo auctore signastis. Unde quia honorum [253] desideria nulla debet tarditas impedire, vota in eo vestra complere cum Dei gratia festinamus. Et quia prædictus vir nobis non moribus sed solum specie tenus notus est, oportet ut, si [254] quantum in hac electione non solum vestram utilitatem, sed etiam causam Dei agi cognoscitis, tanto debeatis esse solliciti. Et [255] subtiliter requirentes ut nichil sit quod ex anteacta vita criminis per sacros possit canones obviare, aut si ad rectam dam [256] disciplinam vel exhibendum regimen idoneus reperitur, atque cunctorum in ejus, sicut scribitis, electione concordat [257] assensus, gratia divinitatis suffragante cum præsentium scriptorum auctoritate solempniter decrevimus [258] ordinari. Illud autem quod nobis [259] ab Agilulfo indicastis scriptum, dilectionem vestram non moveat. Nam nos in homine [260], qui non a catholicis, et maxime a Longobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum; nec, si alicujus præsumptionis usurpatione factus [261] fuerit, in locum vel ordinem illum sacerdotem [262] suscepimus, quia vicarius sancti Ambrosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur. Nec enim est quod vos ex hac causa deterreat, ut aliquam vobis necessitatem incutiat, quia inde [263] possit alimenta sancto Ambrosio servientibus clericis ministrari, nichil in hostium locis et [264] in Sicilia et in aliis rei publicæ partibus Deo protegente consistit. Ut igitur in ordinando eo qui a vobis electus est nulla possit mora contingere, Pantaleonem notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, adnitente consensus nostri auctoritate faciat consecrari. Cui etiam possessiunculis [265], quas Magnus quidam presbyter commissas habuerat, de aliis ecclesiæ nostræ utilitatis curam gerere, vel quid agere [266] debeat, in præsenti mandavimus. Vestra se ei dilectio in omnibus devota [267] ut det et [268] studeat exhibere. »

10. Karuli [269] (65) primi [270] tempore, cum idem

VARIÆ LECTIONES.

[246] *deest* B. [247] elegissent *Bl.* [248] *Rubrica :* Epistola b. Gregorii ad clerum Mediolanensem. [249] Quantus *ed. Par.* [250] p. illæ in uno h. *ib.* [251] non s. *Bl.* repentina calamitate non s. *Greg.* [252] e. antistite, omnino g. *Greg.* [253] b. studiorum d. *ib.* [254] *deest* B. ut quanto *ed. Par.* [255] et si s. r. nihil est q. ei ex *ib.* [256] tenendam *ib.* [257] concordet *ib.* [258] decernimus *ib.* [259] vobis *ib.* [260] hominem *ib.* [261] factum *ib.* [262] sacerdotis suscip. *ib.* [263] unde possunt *ib.* unde *etiam Bl.* [264] sed *ib.* [265] *ita codd.* e. quia de possessiunculis quas quondam M. p. c. h. vel de a. e. n. utilitatibus *ib.* [266] opere A**. *Bl.* q. aliud agere *ed. Par.* [267] devotam *ib.* [268] ut decet *Bl. et ed. Par.* [269] *Cap.* 10—14. *leguntur etiam in « novo Beroldo » reverendi capituli metropolitani Mediolanensis, exarato intra a.* 1265—1269 *per Johannem Boffam, cujus lectiones varias notavimus omnes. Titulus ibi nullus inscriptus est, in* A**. B. *Bl. hic :* Sermo b. Thomæ archiepiscopi Mediolani qualiter officium Ambrosianum per b. Eugenium ab Adriano papa et Karulo imperatore evidentissimis miraculis defensum est. A*. *habet :* Incipit b. T. a. q. misterium A. sancti Ambrosii meritis per b. confessorem E. Deo opitulante, residente A. ac C. imperante protectum fuit et corroboratum summis et e. m. permansit. [270] secundi *Ber.*

NOTÆ.

(64) Nomen regis electo tribuere videtur.

(65) De fabulosa hac relatione v. Fumagalli Ant. Mil. III, 131 sqq. De Eugenio etiam Giulini Mem. di Mil. I, 161; cf. IX, 7. Frisi Mem. di Monza III, 152.

Digitized by Google

apud Romam imperii [271] magnifice et inenarrabili militum exercitu stipatus frueretur, et papa resideret Adrianus, synodus immensa multis diversarum terrarum episcopis congregatis celebrata est, in qua cum de multis atque diversis tractassent negotiis, indiscrete erga mysterium Dei et beati doctoris et confessoris [272] Ambrosii sese intulerunt, parum aut nichil quantæ reverentiæ quantique amoris beatus Gregorius olim ecclesiæ Ambrosianæ per [273] affectum contulisset, reminiscentes; propterea quasi cæcati et dementati [274], et absque ullo judicio, quod [275] inclytum et per multa tempora firmum atque sanctum, quo commodo decolorare [276] et obnubilare, et [277] plus dicam, omnino [278] delere aggressi sunt. Edoctus itaque Karolus imperator a quampluribus episcopis, ut per totam linguam proficisceretur Latinam, et quicquid diversum in cantu et ministerio [279] divino inveniret a Romano, totum deleret, et ad unitatem mysterii Romani uniret. Unde factum est, veniens imperator Mediolanum, devastata Papia quam ipse ira inextinguibili ob imperatorem Desiderium suum hæmulum oderat, quem milites Papiæ contra Carlonis imperium viriliter armis et ingenio tutaverant, omnes libros Ambrosiano titulo sigillatos, quos vel pretio vel dono vel vi habere potuit, alios comburens, alios trans montes quasi in exilio secum detulit. Sed religiosi viri tales et tantos libros videntes, religiose tenuerunt. At Deus qui omnia videt cunctaque cognoscit, et cordium occulta investigare et aperire prænovit animos et intentionem cunctorum prævidens, quod [280] ad laudem et honorem nominis sui per Spiritum sanctum sancto Ambrosio episcopo dictante [281] ordinatum noverat, violari aut a malis dilacerari non passus est.

11. Proficiscens [282] autem gloriosæ memoriæ Eugenius transmontanus episcopus, amator et quasi pater Ambrosiani mysterii nec non et [283] protector, pater spiritualis Karlonis, causa concilii Romam, invenit apostolicum Adrianum, qui primus annulos et virgas ad investiendum episcopatus Karloni donavit, jam per tres dies celebrasse concilium. Qui studiose omnia, ut gesta erant, per ordinem inquirens, prout erat vir discretus, conscilio ac sapientia providus, animo placidus, vultu serenus, doctrina et verbis affabilis, atque ut ejus dignitas exposcebat, ultra omnes benignus, quod dignum laude esse sibi videbatur, competenter affirmabat : tandem qualiter aut quomodo super mysterium Ambrosianum sese synodus haluisset, quasi vi ab illis extorsit. Quod ubi Eugenius audivit, plurimum [284] expavescens condoluit, et voce lacrimabili miserum se vocans, A lacrimis velut aqua ab oculis decurrentibus inquit [285] :

12. « O [286] miser, quid agam? mundus et ejus judex periit; orbis doctrina, cuncta hujus vitæ quæ vanitates sunt obfuscans, elabitur. Decus totius ecclesiæ tam Latinæ quam Græcæ obnubilatur, bonum, justum, sanctum [287] eliminatur. Columpna ecclesiæ, fundamentum fidei, assertor justiciæ, verbi Dei amator deprimitur. Doctor egregius omnium artium peritia imbutus disternitur, mysterium perit mysteriorum, de quo domnus et reverentissimus papa Gregorius aliquid sinistrum proferre timuit, de quo quanta et quam magna quasi lucidissimos flores beatus magister et doctor [288] Gregorius curiose attrahens Romanoque mysterio interserens usque B hodie adjunxit. » Spiritu demum animoque resumpto, jussu papæ et magna nobilium parte Romanorum cum plebis simul voluntate laudante, omnes episcopos, archiepiscopos, abbates, quoscunque religiosos, laicos et clericos, quos concilio interfuisse cognovit, quamvis per tres dies recessissent a Roma, ad curiam summi pontificis revocavit. Quibus congregatis beatus Eugenius episcopus de mysterio Ambrosiano voce benigna, unde incomposite tractaverant [289], multum conquestus est. Quo audito, extranei clerici cognoscentes virum valde probum justitiæque amatorem, partim satis mirari ac verecundari cœperunt. Quid multa? Ab apostolico et universis episcopis et a toto clero ab universoque populo Romano conclamatum et conlaudatum est C ut librum Ambrosianum et beati Gregorii librum ambos super beati Petri altare optime sigillatos, videlicet evidentissime apostolico [290] sigillo signatos, viri religiosi supponerent; quin etiam omnibus hostiis ecclesiæ apertissime sigillatis, indito jejunio per tres dies cuncti a minimo usque ad maximum devote jejunarent; et sic Deo propitio, quemcunque apertum et reseratum invenirent, illum summa cum devotione et indubitanter tenerent; et quemcunque immotum ac sigillatum reperissent, illum evidentissima dispensatione comburerent. Quod factum est [291], jejunio ab episcopis omnibus [292] et universo clero et populo Romano celebrato, in tertia die tertiæ feriæ illius hebdomadæ, in qua Ambrosiani « Misericordia Dominii plena est terra » usque hodie devote cantant, in unum universis convenientibus ad invisum D et inauditum miraculum, ecclesiæ januæ stante [293] apostolico reseratæ et ultro apertæ sunt. Quibus introgressis, ambos libros ut dimiserant sigillatos et omnino intactos invenerunt. Quo viso cunctis mirantibus valdeque obstupescentibus nimiumque con-

VARIÆ LECTIONES.

[271] imperium *Ber.* imperio magnifico. men. A**. *Bl.* [272] d. e. c. *desunt* B. [273] *ita Ber. Bl.* vel *codd.* [274] emendati B. [275] *deest Ber.* [276] *ita Ber.* decolare *codd.* [277] ut *Ber.* [278] *deest Ber.* [279] mysterio *Bl.* [280] *deest Ber.* [281] A. ordinante e. d. o. n. *Ber.* [282] profitiens B. *Inscriptionem* Qualiter b. Eugenius Romam a iit. *addunt* A**. B. *Bl.* [283] *deest* B. [284] perplurimum *Ber.* [285] intit *Ber.* [286] *Titulum adscribunt :* S. Eugenii planctus super misterium Ambrosianum. A*. Planctus b. E. de actis in synodo, *rell. præter Beroldum.* [287] i. et s. *Ber.* [288] m. e. d. *desunt* B. *Bl.* [289] tractaverat *Ber.* [290] ab a. *Bl.* [291] *deest Ber.* [292] *ita Ber.* hominibus *codd.* [293] astante *Bl.*

Digitized by Google

gemescentibus, libri ligaturas per se [295] rumpentes, A sonum magnum atque terribilem [296] audientibus universis, dederunt, et sese digito Dei aperientes, ita ambo aperti sunt, ut aliquis unam illorum foliam non inveniret plus in unam partem quam in alteram. Itaque ingens gaudium omnes abruptis lacrimis illico invasit. Interea libris ambobus visis, qualiter aperti apparuerunt, omnes quasi una voce proclamabant dicentes : « Gregorianum et Ambrosianum misterium ab universa ecclesia laudetur confirmetur simulque ex toto teneatur. » Dicebant enim : « Ut hæc mysteria laudentur firmiterque ab universis totius orbis episcopis teneantur, Dei omnipotentis et beati Petri apostoli cernitur esse voluntas. » At quibusdam hoc verbum videbatur fore bonum, quibusdam vero difficile atque durissimum. B Tandem domini papæ et aliorum sapientium [298] atque discretorum virorum collaudatum est ut sedes Ambrosiana, in quo mysterio ordinata et a beato Ambrosio exaltata est, illo solo contenta permaneat, nec non cetera pars orbis, quæ linguæ Latinæ vocibus resonare [297] videtur, omnibus aliis prætermissis, Gregorianum studiose et curiose tenere studeat. His omnibus rebus factis, finitis et terminatis, Eugenius gaudio magno tripudians, quasi ad proprios filios tendens Mediolanum pervenit. De qua urbe paucis antea transactis diebus imperator jussu concilii quo Romæ interfuit, omne mysterium Ambrosianum desuper faciem terræ omnino delere desiderans, trucidatis multis clericis minorum et majorum ordinum, omnes Ambrosianos libros, tam in sententiis novi quam veteris testamenti quam in musica arte secundum Ambrosium descriptos, abrasit. Nichil enim præter missale remansit, quod quidam bonus atque fidelis sacerdos abseonsus in cavernis montium per sex ebdomadas fideliter reservavit. Manualem [298] autem postea astante Eugenio episcopus fidelissimus, sapientes tam sacerdotum quam clericorum, qui multa memoriter tenebant, convenientes in unum, Deo opitulante, ut antea integer fuit invenientes, in posteris tradiderunt.

13. Per [299] idem tempus beatus Eugenius ab urbe Roma, cum jam Carlo Ambrosianæ ecclesiæ infidelis devastatis atque combustis reverentissimis multis libris paululum discessisset, convocans dispersos et laceratos clericos, ultra modum tristes ac miseros videns, permultum eis condolens, quantum valuit eos cohortatus est. Qui cuncta, qualiter per omnia de misterio Ambrosiano Romam apud summum pontificem multis episcopis astantibus gesta fuissent, se per plurimum operante et Deo orationibus beati Ambrosii favente, fideliter aperuit. His omnibus auditis quasi pater unico mortuo [300] filio et postea Dei clementia resuscitato lætati et secundum tristitiam qua repleti erant gavisi sunt. Tandem Eugenius cum habundanter illos ad Dei honorem in ministerio beati Ambrosii caritative cohortasset, et ab hac urbe discedere voluisset, per quindecim fere dies moratus, cleri et majores qui Mediolanum lacte Ambrosiano per ejus doctrinam illo in tempore nutriebantur, quamvis perpauci, fidelissime Eugenium supplicare et exorare cœperunt quatenus ipse, si dignitati suæ ac bonitati placeret, cum illis maneret. Quod ubi ille audivit, ineffabiliter beatum Ambrosium et ejus ordines atque cantus diligens, benigne vultu placido atque [301] sereno respondit : « Noscat caritas vestra [302], fratres carissimi, amore et reverentia beati Ambrosii, ad cujus honorem jam antea aliquantulum desudavi, vestraque fraternitas, me non tantum in hac ecclesia vobiscum manere, vobiscum esse, vobiscum degere, sed etiam in carcerem [303], si opus aut temporis perturbatio crebrescentibus [304] malis exposceret, animo cupienti properare [305]: » Vivens postea vero beatus Eugenius episcopus per paucos dies, omnes vita, moribus, bonisque exemplis patientissime imbuebat. Demum plenus scientia et pietate, caritate et castitate cunctisque virtutibus, moriens naturæ concessit.

14. Multis [306] temporibus transactis, cum beati Eugenii episcopi memoria sui nominis atque sepulturæ a cordibus universæ gentis hujus urbis accolæ C elapsa fuisset, placuit Deo qui cuncta abscondita suis fidelibus revelat, et suos fideles ac milites ad honorem sui nominis, qui quondam aut jejuniis aut orationibus aut vigiliis aut ceteris armis virtutis triumphavere, usque hodie pandit, per quandam matronam malis multis atque paralisi multis dissolutam diebus, nomen episcopi et sepulturæ locum signis evidentissimis reserare. Enimvero nutu accedit [307] divino, cum in suo lecto more solito infirma languida atque omnibus membris dimissa, opibus multis et magnis attenuatis, quas ut ab ægritudine qua tenebatur liberaretur, per diversos expenderat medicos, quiesceret, animo exæstuanti, qualiter aut quomodo cuncta sua fere bona cogitans quæ inconsulte perD didisset, illico omnem spem salutis suæ in Deo, ultra ut sua esset voluntas, infixit. Quæ cum multa animi voluntate circa ecclesiastica per diversa et quamplurima officia ad Dei honorem cogitare iterum iterumque cœpisset, Dei subito ecce voluntate vir reverentia dignus, vultu, habitu, qualitate venerandus, capillis capitis jam canescentibus, virgam manu

VARIÆ LECTIONES.

[295] p. s. *deest Ber.* [296] *ita Ber.* terribile *codd.* [297] sapientum B. *Bl.* [298] v. et verbis consonare *Ber.* [298] manuale *Ber. Bl.* [299] *Titulus:* Exortatio s. Eugenii. A*. Qualiter b. Eugenius clericos Mediolani dispersos colligens, reformavit officium. *rell. deest Ber.* [300] *deest Ber.* [301] ac B. [302] *deest* B. [303] et in mortem vobiscum *addit Ber.* [304] crescentibus A*. c. m. *desunt Ber.* [305] *ita Ber.* exposcere a. c. preparare *codd.* [306] *Titulus :* De revelatione beati Eugenii episcopi Carlonis regis paternus. A*. Qualiter corpus beati Eugenii per ipsum sanctum mulieri revelatum est. *rell. deest Ber.* [307] accidit *Ber. Bl.*

Digitized by Google

pastoralem tenens, episcopalibus vestimentis indutus [308], summa et infusa [309] luce perfusus ei apparuit, « Salve, » inquiens, « mater! orationes tuæ et [310] elimosinæ tuæ et lacrymæ tuæ patientiaque tua ante eum repræsentatæ et ab eo exauditæ sunt. Surge in mane tu et vir tuus cum duobus terræ fossoribus [311], et perge apud beatum Eustorgium, ubi corpus ejus quieseit, non longe a fonte in quo baptizati sunt martyres Protasius et Gervasius atque Secundus Dei athletæ [312]; ubi inveniens locum aliquantulum humidiorem, quo effosso corpus meum invenies; ibique, quo elevato, in ecclesia beati Eustorgii collocari eum facias. » Quo audito mulier, ut erat sanitatis avida, auxilio corporis anxia nobilique [313] prosapia orta, cupiens pedes sancti illius deosculari, lacrimis effusis largissimis, exorare fortiter cœpit ut saltem vel nomen suum sibi notificaret. Eugenius cui beatus respondit dicens : « Meum nomen meumque corpus, si curiose quæcunque dixi egeris, in sarcophago procul dubio reperies, » et ita dicens et eam his omnibus informans recessit. At mulier virum suum excitans, cuncta quæ ipsa viderat et audiverat omnino ignorantem, omnia per ordinem ei enarrare curavit, asserens per semetipsam sanitate reintegrata, et locum in quo sancti corpus quiesceret scire, et cuncta facturam ire. Tandem maritus quasi incredulus, lætus tamen quod conjunx affirmabat, summo diei crepusculo acceptis fossoribus, in omnibus a conjuge admonitus, perrexit ad locum velociter. Interea mulier, quam maritus [314] ut antea consueverat infirmam atque ægram domum dimiserat, sciens per omnia illam nec se movere posse, fossoribus et ipse de loco titubantibus, sana et incolumis in medio eorum veloci cursu advenit. Quibus valde mirantibus, salute pristina illi a Deo collata per semetipsam fossorio terram scindens et illis quodammodo injurians, viris tamen religiosis quos ipsa advocaverat adstantibus psalmosque studiose canentibus, ad corpus Deo annuente perventum est. Qui introspicientes, juxta caput, ut sanctus retulerat, laminam plumbeam, in qua nomen ejus et mortis tempus descripta erant, gratulantes invenerunt, nec non corpus ejus ac vestes, ut in die quo missæ sunt in monumento, inventæ sunt. Demum in lectica eum boni viri religiose imponentes, juxta arcam beati Eustorgii a latere [315] dextro, multis aromatibus multisque orationibus, vigiliis, hymnis, psalmis, missarum solemniis multisque elimosinis honoratus, in pretiosa archa marmorea mirifice conditus est. Hoc facto mulier, quæ Deo annuente et beati Eugenii meritis et orationibus saluti pristinæ reddita est, adhuc in tanti viri exaltatione anhelans, ad honorem ejusdem decentissimam vulturam facere deliberavit. Propterea consilio suo a viro inito, aliquantulum illi quia vini parum aut frumenti ad tantum opus sibi cognosceret contradicenti, tandem omni spe in Deo fixa, murorum convocatis magistris, eorum quoque [316] servitoribus, opus diligenter aggressa est. Factum est autem bonitate divina præstante, opus summa cum diligentia demum perfectum est, et omnia ejus vasa tam in frumento quam in vino, ut in operis inceptione erant plena, sic omnibus quam strenue magistris refocillatis, cum tota domo sua et familia, multisque pauperibus recreatis, quasi intacta fuissent inventa sunt. Quo peracto matrona nobilis, parum quod egerat cogitans, qualiter perpetuo festum beati Eugenii ymnis, orationibus crebrisque visitationibus cleri et populi honoraretur, cœpit cogitare perplurimum. Interea vir ejus cognita ejusdem voluntate, de qua sibi jam antea intimaverat, sciens illam permultum in Dei timoratam servitio, in omnibus in quibus suam noverat voluntatem, facultatem atque licentiam fideliter ac devote tribuit. Illa vero viri sui dominio imperantis accepto, convocatis sacerdotibus humanis, videlicet humanarum legum judicibus et viris multis nobilissimis, prædia e quibus beati Eugenii festum honorifice annuatim cum omnibus ordinibus celebraretur, disposuit et firmissime ordinavit. E quibus usque hodie et [317] semper, Deo annuente et beato Eugenio pro ea atque universis Christo devotis interpellante, summa cum devotione celebratur.

15. (*Ann.* 711.) Querimonia beati Benedicti archiepiscopi Mediolanensis [318] : « Summo (66) cœlorum conditori, terrarumque universarum factori, gentiumque cunctarum auctori, creaturarum universarum creatori, cœli terræque stabilimentum, angelorum et hominum ac fidei catholicæ et sedis apostolicæ unicum monimentum, orphanorum et viduarum ecclesiarumque universarum solidum stabilimentum, Patri et Filio ac sancto Spiritui gratias refero

VARIÆ LECTIONES.

[308] *ita* A**. A*. *Bl.* indumentis vestitus B. *Ber.* [309] inmensa *Ber.* [310] *deest* B. [311] *ita* A**. *Ber.* *Bl.* fossionibus A*. B. [312] adhelete A*. athleta *Ber.* [313] nobilisque B. *Ber.* [314] *deest Ber.* [315] E altare B. [316] *ita* B. eorum quorumvo *Ber.* eorumque A *. *Bl.* [317] *deest Ber.* [318] Mediolani in synodo, eo quia papa Constantinus ipsum archiepiscopum privaverat consecratione episcopi Papiensis contra antiquam consuetudinem A**. B *Bl.* Q. b. Ben. a. Mediolanensis super Papiensis episcopi consecratione, quam sui antecessores usque ad sui tempus quiete ac caritative celebraverant, residente cathedræ Romanæ Constantino pontifice. Hic autem cum omnia summa cum dispensatione ecclesiarum tractare et definire negotia debuit, nihil ducens orbis totius per Dominum dominari, si consecratione Papiensis ecclesiæ careret, inlicite et sine causa veritatis fastu injustitiæ sibi hunc usurpavit honorem. Et quam sine rationis causa adquisivit, ecclesia inlicite spoliata, m. pontificale Romanorum si legeris, lector benigne, reperies. *habet* A*.

NOTÆ.

(66) Hanc orationem fictitiam esse probavit Cl. Muratorius Anecd. vol. 1, p. 240. De re ipsa v. Pauli Historiam Lang., VI, 29, et Vitam Constantini papæ.

Digitized by Google

immensas, pontificem quod talem sanctæ sedi apostolicæ virum clementer eligere ac misericorditer ordinare sua ineffabilili pietate disposuit. Unde chorus universus episcoporum, sacerdotum collegium sedule reminiscat generi humano benigne ac misericorditer providere, cum huic sanctæ sedi virum hujusmodi discretum, illustrem, orthodoxum, et præesse et p æordinare summa cum pietate disposuit; qui operibus bonis, admonitionibus sanctis orbem sibi commissum confortare et errantes docere non desinit. » De quo Veritas ait: « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (*Luc.* XXII, 32). » Quamobrem Dei et vestri, pater venerande, atque hujus sancti concilii coadjutus præsentia et confortatus clementia, ego Benedictus Mediolanensis archiepiscopus causam nostræ ecclesiæ, quæ Dei dispositionibus et beati Barnabæ apostoli doctrinis ac miraculis refloruit, nuncque gloriosissimi confessoris Ambrosii ornata disciplinis, honoranda virtutibus præfulget, cujus reverentia et caritate debita vestro ductus conspectui et huic sancto conventui me ex longo repræsentare disposui, voce, qua possum, longo confectus senio, pandere et reserare curabo. Igitur cum Mediolanensis ecclesia, Dei et beati Ambrosii factis [319] et virtutibus exaltata, ac multis episcopis per multa jam tempora antecedentia sublimata, nunc consecratione ecclesiæ Papiensis injuste expoliata, vobis humiliter ac devote conqueritur: quæ inter ceteros nostræ ecclesiæ suffraganeos beati Syri meritis primicerii privilegium nunc usque nostræ causæ indicium summo vigore tenuit, ac nunc Romanæ sedis dignitatibus et majorum honoribus ambitiosa, sua et propria metropoli inlicite derelicta et injuste destituta, ut consecrationem furtive acciperet, Romanum adiit pontificem. Quam nostra ecclesia per tempora jam multa, annorum longo curriculo antecedentia, a tempore beati Barnabæ apostoli usque mei præsentiam, qui per annos quadraginta sedem residere [320] mediolanensem (67), atque inibi episcopum Gregorium humiliter consecravit, habuit, et caritative Deo opitulante tenuit. Nunc itaque vestra succurrente clementia sanctisque collaudantibus canonibus, quod injuste nostra ecclesia amisit, adipisci valeat, fideliter ac devote exoramus. Prosit nobis vestra sapientia, omnibus præferenda disciplinis. Qui enim omnibus præest, omnibus prodesse debita paternitate condecet, nulli nocere neminique invidere, nulli ecclesiæ honorem ac dignitatis prærogativam usurpare, discretus et judex summæ justitiæ lance ponderat universa, inferentes injurias alicui injuste condempnans, ac inlicite sufferentes a malis misericordia, dextera, legisque cerimoniis defendendo, benigne sustentat. At iniquitatis judex, cuncta pretio subvertens negotia, quæ legis sunt obscurat ac quæ temporaliter arridenti criminose exaltat; a quibus justitiæ amator se cotidie Dei protegente dextra custodit. Justitiam discamus itaque, unde Ysaias propheta Spiritu sancto repletus dicit: « Justitiam discite, qui habitatis terram (*Isai.* XXVI, 9). » Venerande pater, potestatem culminis Romani ratio vincat divina. Unde beatus Ambrosius ait: « Decet ut ratio vincat potestatem. » Judicium causarum quærimoniæ nostræ justum judicate; unde Dominus per Zachariam loquitur, dicens: « Justum judicium et pacificum judicate, et nolite retinere malitiam fratris vestri in cordibus vestris (*Zachar.* VIII, 16). » Et David: « De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi mei videant æquitatem (*Psal.* XVI, 2). » At ut nostræ ecclesiæ nostræque querimoniæ veritatem enucleatius ac verissime aperiam, decem Romanorum pontificum privilegia, quæ de consecratione Ticinensis ecclesiæ dico asserentia atque sub anathematis mucrone rigide ab universis episcopis interdicentia, solita pietate cognoscite. Quin etiam nostra civitas qualiter ab ipsis primordiis inculta et exaltata cura diligenti majorum permansit per Romanos imperatores ac consules patricios ejusdem urbis accolas, cum orbis uno regeretur imperio, attente cognoscite. Quam (68) tamen, ut in situ descriptionis ejusdem comperi, annosam [321] postmodum Romani reges et [322] principes, expulsis Senonum populis, longe melius sublimantes opere mirifico [323] auxerunt, locantes in ea more patrio eximium augustorum dignitati palatium imperiale [324], theatrum, aumatium, thermas, viridarium amœnum [325] floribus diversis et odoribus variis delectabile, arenam lapidibus et magisteriis admirandam, in qua Italiæ cives universi consedere et ab uno oratore concionari possent competenter. Ob quam enim [326] causam sæpissime ab eisdem postmodum augustis frequentari et [327] incoli et honorari super cunctas Italiæ civitates adhorta est, maxime quod esset inibi saluberrimi aeris aptissima temperies, locusque ad usus domesticos inrefragabiliter paratissimus. Exinde, pater venerande, sancta christianitate orbi apparente universo, sicut audivit illico Deo credidit, sancto Barnaba apostolo a Spiritu sancto inibi destinato et fidem orthodoxam fideliter prædicante; a quo enim nostra ecclesia ab ipsis primordiis caput Italiæ per sedem metropolitanam

VARIÆ LECTIONES.

[319] *ita* A[a]. face iis A[c]. B. *sed hic ab alio corr.* [320] resideo *Bl.* [321] *deest ap. Anon. de situ Med.* [322] R. r. et *desunt ib.* [323] o. m. *desunt ib.* [324] *deest ap. Anon de situ Med.* [325] amœnum — competenter *desunt ib.* [326] *deest ib.* [327] fr. cœpit et i. eo quod *ib.*

NOTÆ.

(67) At a. 681 demum electus est. Sed totus locus corruptus esse videtur, nec Gregorium inter Papienses episcopos inveni.

(68) Murat. SS. I[b], p. 204.

Digitized by Google

Dei dispensante clementia tenuit, et Deo largiente in æternum tenebit. Quamobrem cathedra Mediolanensis ab ipso apostolo exaltata decenter et sublimata competenter, Dei dextra et beati Petri remigio refloruit. Quod enim verissime reperimus in nostris annalibus, et ejus descriptione adventus et sancti Anatalon vita de discipulis Domini, unus discipulus fidelissimus fidelissime et certissime dicens : « Qui [328] post Romanam arcem famosissimam [329] jam tunc habebatur civitas sæpedicta Mediolanum, quippe quæ pari ditione sublimis, secunda post ipsam, ut præfatus sum, augustales occidui imperii infulas tetendebat [330]. » Itaque sanctus Dei dispensante clementia sanxit [331] Barnabas apostolus, ut Mediolanenses, quam imperatores noverat super cunctas Italiæ civitates sublimasse, ea ipse quam sanctis prædicationibus primitus fundaverat, principalis ecclesiastici culminis sedes, aliarumque in ea provincia ecclesiarum metropolis perpetualiter habeatur. Cui [332] profecto urbi, ut in vita sancti Anatalon, quem inibi consecraverat Yerosolimis processurus, inveni, tantum privilegii munus sanctus Anatalon a suo noverat magistro concessum, ut sicut inter reliquas Italicarum provinciarum urbes, earum duntaxat quæ occidentalem usque [333] marginem ab Italiæ sinu [334] protenduntur, post Romanam arcem intenti sub solio [335] eminentia [336], atque auliculorum [337] conventu frequentissimo principales videbantur [338]; ita [339] ecclesiasticæ ditionis prærogativa post Romuleam sedem cunctas excelleret. In hunc modum et ipse præfatus antistes nil a suo institutore discrepans [340] metropolitanam [341] idem cathedram pro futuris temporibus Christi statuit esse fidelibus, quatenus affinium [342] populorum antistites, hoc est Venetiæ, Liguriæ, Æmiliæ, Retiæ, Alpiscotiæ, quotquot fuerint in sancta matre ecclesia futuri, per has sæpedictas provincias caput quoddam et decus insigne post Romanum pontificem habere debebant [343] Mediolanensis sedis præsulem metropolitanum. Itaque ecclesia Mediolanensis, his et aliis multis fulta et ornata remigiis, fere cum honoribus his omnibus usque ad mei tempus, Dei misericordia et beati Ambrosii meritis devote pervenit. Sed ut ex causis multis, e quibus nostræ querimoniæ causa munitur decenter atque tuetur competenter, quorumdam sanctorum episcoporum Papiensium testimonium, Crispini et Epiphanii percipe. Sanctus enim Crispinus cum se videret morti accelerare, ut in sancti Epiphanii vita (c. 4) (69) habetur, duxit sanctum Epiphanium Mediolanum, et dixit ad episcopum Protaxium et ordines quos inibi invenit : « Ecce filii, jam mea [344] ætas meæ vitæ cursum complevit. Commendo civitatem, commendo ecclesiam, commendo hunc, cujus labori et gratiæ debeo, quod usque ad hoc tempus vixi grandævus [345] et debilis; cujus corporea felicitas [346] et virtus animæ imbecillitatem meam portavit sine fastidio. » Item in eadem (c. 5) : « Ducitur beatus Epiphanius Mediolanum a Ilhuc reluctans, et magna, si dimitteretur, munera promittens; qui, ut fleret, noluit spondere vel minima. Consecratur autem [347] a beato Protaxio sancti Ambrosii antecessore, catholicæ ecclesiæ propugnatore firmissimo, summa cum devotione ac celebritate cunctorum. » Præterea testimonium, pater venerande, cape certissimum, cui dubitare aut refragare periculosum et criminosum sancti patres decrevere. Legitur enim in vita sancti Ambrosii (c. 46) patroni nostri ac ecclesiarum universarum [348] tutoris : « Ordinato sacerdote ecclesiæ Ticinensis incidit in infirmitatem. » Cura est itaque pater venerande, sicut sanctus Fabianus papa suo in decreto (70) asserit « vestræ sollicitudini adhibenda, ut ea quæ sunt ab apostolis eorumque successoribus ordinata ac sancti [349] Spiritus gratia constituta, nec dissimulatione negligere nec aliqua præsumptio valeat perturbare. » Sed sicut hoc quod rationis exigebat utilitas oportuit definire, ita quod definitum est non debet violari [350]. Pater venerande, præcipue vestræ paternitatis reverentiam atque hujus sancti concilii caritatem vicariam caritative exoro ac obnixe, a parte Dei et sancti Ambrosii contendendo [351], ut nullus episcopus nostræ ecclesiæ suffragancum, maxime hunc Papiensem, de quo hujus sancti concilii clementiæ conqueror, retinere ac ordinare fraternitatis vestræ perturbator præsumat. Quod si evenerit, accipientis et ordinantis irrita et vacua sit in perpetuum ordinatio. Unde sanctus Systus papa suo in decreto (71) divinitus amonitus magisterio dicit : « Nullus episcopus præsumat alterius parrochianum retinere aut ordinare vel judicare absque ejus voluntate. Quia sicut irrita erit ejus ordinatio, et [352] ita dijudicatio. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare nullatenus [353] poterit. » Pater venerande, unaquæque

VARIÆ LECTIONES.

[328] quoniam *ib. p.* 206. quæ *Bl.* [329] famosissima *ib.* [330] retentabat *ib.* [331] Præter quod s. ut Mediolanensis quam ipse fundaverat — habeatur. *ib.* [332] C. p. u. tantum p. a suo. etc., *ib. p.* 207. [333] versus *ib.* [334] *ita correxit Bethm. idemque ap. Anon. legitur;* sumi *codd.* finibus *Bl.* [335] a. nitentis structuræ e. *Anon.* [336] *ita* B. *et Anon.* subsellio. em. A*. s. s. eminenti A**. *Bl.* [337] populorum *Bl.* auriculorum A**. auliculorum *Anon.* [338] principari videbatur *Anon.* [339] ita ut A*. [340] disipans B. [341] metropolitani *Anon.* [342] *ita Anon.* animum A*. B. alium A**. omnium *Bl.* [343] debeant M. s. p. *Anonymus quem hic deserit.* [344] me ætas compellit ad transitum, jam originariam ad suum jus revocat terra particulam. *Enn.* [345] et gr. *Enn.* [346] soliditas *id.* [347] C. cum omni celebritate cunctorum *id.* [348] universorum B. [349] ac instigante s. s. instituta n. dissimulatio *vulg.* [350] ita B. itaque d. e. n. debere v. A*. *Bl.* [351] contendo *Bl.* [352] ita et *vulg.* [353] ullatenus *vulg.*

NOTÆ.

(69) Auct. Ennodio. Acta SS. Ian. II, p. 364.
(70) In ep. ad episc. orient. in coll. Isidori.
(71) Sixti II ep. ad Hisp. in coll. Isidori.

Digitized by Google

metropolis ac sedes [354] apostolica quæ universis præpollet dignitatibus, suos terminos a sanctis patribus constitutos ordinative nunc usque tenet, de quibus papa Calistus suo in decreto (72) dicit: « Nemo alterius terminos præsumptione illicita usurpet, unde Dominus loquitur dicens: « Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (*Prov.* XXII, 28). » Itaque unaquæque ecclesia, quæ sanctis fidem majoribus servare desiderat ac sanctorum decreta honorare contendit, nostræ querimoniæ fideliter et caritative, ut sibi ne similia patiatur provideat. »

16. Inter [355] omnia grandia eximiaque acta, in quibus ecclesia Ambrosiana dilacerata a perfidis regibus et a sevissimis hostibus dirissime perpessa est, quoddam magnum et laude dignissimum scribere satagebo. Quod quando quomodoque factum sit aut a quo rege aut a quo archiepiscopo aut ob quam causam, investigandum fore cognovi. Igitur regis Alberti tempore, cum idem summo imperii Romani culmine, sicut tanto decebat viro, magnifice frueretur, Francigena natus atque ex ipsis prosapiæ suæ originem duxisset, devictis et superatis Gothorum populis, qui in Italiæ partibus ad devastandos fines et urbes et gentes confluxerant, nec non Ungaricis procul expulsis longeque remotis, quos gens Italiæ ab illis valde olim attrita cognovit: rex Albertus cum strenuissimorum militum agmine magno stipatus, securus [356] per Italiæ loca proficisceretur, tandem Mediolanum iter direxit, quam per multa noverat tempora post decessum Brenonis, qui eam post omnes Italiæ urbes quas construxerat mirifice adornavit et adornatam decentissime multis honoribus superexaltavit, et qui [357] postea, prout erat in cunctis usibus humanis salutifera, ab universis imperatoribus Romanis exaltatam, maximeque ab Hadriano et Nerva ejus filio atque honorabilissimo et decentissimo rege Trajano, nec non Maximiano rege crudelissimo, palatiis supra portas septem jussis imperialibus magnifice elevatis, super cunctas Italiæ urbes quasi rosæ amœnissimæ floruisset [358]. Qui cum Mediolanum venisset, palatium Maximiani, quod situm est infra mœnia urbis, vel Trajani juxta thermas sancti Georgii locatum, velociter præparari præcepit, ignorans, ut ipse postea simulabat, quod nullus rex a tempore beati Ambrosii, in cujus præsidiis civitas Mediolanensis super omnes Italiæ urbes ab ingressu imperatoris libertatem acquisivit, urbem hanc introisset. Quo audito cives aliquantulum suspecti, si aut hostium incursione aut civium perturbatione aut alio pravo ingenio hoc cogitasset, tacite rimantes perturbabantur. Quid multa? Deo annuente et beato Ambrosio [359] interpellante, ingressus sibi omnino prohibitus est. Tandem populi videns voluntatem, aliquantulum se lætum simulans et quasi parum hoc paucipendisset, tenens sub pectore vulnus plusquam quisquam esset ratus, ad palatium Ambrosianum haud longe ab ecclesia ejusdem hospitatus sedit. Ea tempestate Walpertus archiepiscopus, cathedram regens Ambrosianam, vir indolis bonæ, juvenis tamen et ut tempus habebat militaris, satis attente consilio et suorum militum armis insistens regi deserviebat. Erat namque regi episcopus carus, consilio venerandus, et in cunctis negotiis imperialibus judex fidelissimus. Itaque cum de quacunque causa multis judicibus astantibus sententiam proferre curabat, cuncti [360] unanimiter illico obtemperabant. Aliquantis autem transactis annis, cum Walpertus universi negotia regni, a rege fidelissimus probatus, curiose ac sedule dispensaret, canes palatini nimia invidia quasi ranæ turgidi, clanculo imperatori Walpertum criminose accusarunt. Itaque rex falsa occasione accepta, super Walpertum et totam civitatem quasi leo ardentibus oculis, mortem cruciatibus diversis interminans, insanire ac fremere cœpit. Quamobrem Walpertus, regem virum vesanum et furiosum cognoscens, ipsum inrationabiliter commotum, magis scientia animi, quam armorum viribus cæde data inmensa demoliri regni [361], sub quoddam negotium simulans se pergere trans montes, Ottonem Theutonicum Theutoniæ fere totius ducem, ut de regno se intromitteret, Romano fretus favore, suorum episcoporum ac militum Mediolanensium suffragiis aggressus est. Itaque ordinato consilio, Otto super omnes gentes et thesauros Walperto et ejus consiliis confidens, in paucis diebus, Walperto comitante, inenarrabili militum vallatus multitudine venit in Italiam. Dum hæc acta fuissent, Walpertus convocatis episcopis, ducibus, marchionibus omnibusque Italiæ primatibus, de superbia Alberti, Mediolani honorifice suscepti [362], conquestus est. Igitur spreta Alberti ac suæ gentis totius superbia, qui Italiam quasi ancillam dominabantur, Otto ab omnibus in regnum cum triumphis Mediolanum electus et sublimatus est. Interea Walperto misteria divina celebrante, multis episcopis circumstantibus, rex omnia regalia, lanceam in qua clavus Domini habebatur, et ensem regalem, bipennem, balteum, clamidem imperialem, omnesque regias vestes super altare beati Ambrosii deposuit. Perficientibus atque celebrantibus clericis omnibusque Ambrosianis ordinibus

VARIÆ LECTIONES.

[354] *ita* A*. B. a sede A**. *Bl.* [355] *Titulus*: Incipit de Walperto episcopo et rege Alberto. A*. Qualiter Walpertus archiepiscopus Albertum regem privavit regno. *rell.* [356] *ita* A**. *Bl.* secutus A*. B. [357] quam *Bl.* [358] floruisse *Bl.* [359] pro ea *addit.* B. [360] cuncta B. [361] regnum quodam negotio *Bl.* [362] *ita* A**. *Bl.* susceptus A*. B.

NOTÆ.

(72) Ep. ad Gall. ib. Hæc in brevius contraxit.

Digitized by Google

divinarum solempnitatum misteriis, Walpertus magnanimus archiepiscopus omnibus regalibus indumentis cum manipulo subdiacone, corona superimposita, astantibus beati Ambrosii suffraganeis universis multisque ducibus atque marchionibus, decentissime et mirifice Ottonem regem conlaudat un et per omnia confirmatum induit atque perunxit. Quo facto rex paucis commoratus diebus Mediolanum, consilio Walperti edoctus, cujus probitatem atque industriam ultra omnes et super omnes habebat sapientes, festinanter Albertum in cunctis [365] præoccupans negotiis, universis tantum episcopis ex omnibus Italiæ civitatibus, nec non ducibus, marchionibus, capitaneis, valvassoribus, Ottonem Walperti amore comitantibus, cum innumerabili atque ineffabili peditum virorum fortium multitudine, Romam quo tenderet, iter aggressus est. Tandem Walperto per tres dies regem Romam antecedente, ut ipsum coram omnium gentium multitudine coronaret, Deo adjuvante pervenit. At Albertus cognita regis Ottonis fama et magnificentia, videns se omnino ei armis resistere non posse, et Walperti cognitis virtutibus, sero quod eum verecundaverat pœnitens, perosus fere omnibus et cœlo et terra, ab universis gentibus destitutus, meritis exigentibus suis, in insula marina quæ Corsica vocatur, tristis, miser, imbellis, inhers, infelix, occulte, amplius in regno non reversurus, et velut fur et latro velociter aufugit. Idem autem per tempus rex Otto devicto et effugato Alberto, tripudiantibus universis Romæ ab apostolico conclamantibus et collaudantibus universarum gentium populis, Walperto tantum astante, coronatus est (*an.* 962, *Febr.* 2). Interea omnium regnorum imperio sine gentium cæde aut ullis sine bellorum periculis adepto, Walpertum astantibus universis rex Otto extollens, oppida multa regalia in Italiæ partibus commorantia decentissime ac honorifice ei donans exaltavit, magnificavit, honorificavit, et præ omnibus et in omnibus honorificando sublimavit.

Cantilena [365b] *super statum regis Alberti.*

Age, age jam, Alberte, ultra Decium superbe,
Disce, miser et miselle, quid fuisti aut quid es
Adest Otto rex nostrorum regens sceptrum populorum,]
Cui debent summam laudem reges regum sæculorum.]
Ultra reges habens scire, supra fortes regens vires,]
Quos nunc habet mundus iste, superpollet satis juste.]
Manu fortis et jocundus, bellicosus et discretus,]
Vultus habens angelorum, et est pater orphanorum.]
Te, Alberte, decet nemus, et Ottonem manet decus.]
Pro infamia Walperti te decet alga [366] regni;
Pro regina nunc latrina [366] utere jam nunc marina;]
Pro regali sceptro nostro fruere jam navis rostro,]
Utere vela marina, fruere jam Salonicha [367],
Ut defendas vitam istam, vestes quærens et farinam.]

17. Interea [368] dum dignitatem atque magnificentiam archiepiscoporum supradictorum recolens, et aliquam magnarum rerum partem, quas magnifice in Deum et in sæculum operati sunt intuendo descripsi, saltum ex improviso dando Landulfum exilivi, qui, iniquus velut scorpio, in extremis cauda torve venando percutiens, majores ecclesiastici ordinis, videlicet archidiaconem, archipresbyterum ceterosque majores, nec non primicerium presbyterorum, qui coepiscopus vocatur, ceterosque archipresbyteros hujus urbis ecclesiarum decentissime per multa tempora ultra omnes hujus sæculi clericos sublimatos, quadam insania ductus incompensabiliter et indiscrete et injuste dehonestavit. Enim ut archiepiscopatum, quem ipse duris et malis artibus patris aquisierat, retineret, universos ecclesiasticos honores atque dignitates, quas ordines supradicti per multa ad honorem ecclesiarum et beati Ambrosii tempora rexerant atque tenuerant, feris et sævissimis laicis tradidit. At prinsquam hujus rei gesta narrando percurram, in cujus regis tempore aceidit, cujusque generis et cujus potestatis et a quo patre ortus, disserere operam dabo. Igitur tempore Ottonis imperatoris Romani primi, Bonizo (73), a qno Landulfus nativitatis suæ originem duxit, virtute ab imperatore accepta, totam hanc urbem velut dux (74) castrum procurando tenebat. Erat enim bonorum militum et strenuissimorum civium raritas inmensa, quos homines [369] pestilentia vermium invisa et inaudita, qui sub pulvere parvissimi latitantes [370], ut anguis terrimus eosque mordens fere consumpserat. Propterea vini sestarium per civitatem denarium unum, modium frumenti denarios quatuor, plaustrum unum lignorum denarium unum, verveces autem aut porcos ceteraque majora animalia ultra quam cuiquam modo credibile sit, tempore illo vendebantur (75). Per idem tempus mortuo Gottofredo

VARIÆ LECTIONES.

[365] i. e. *desunt* B. [365b] suavis *addit* A*. [366] algat A*. [366] latina *Bl.* [367] Salonichina *Bl.* [368] *Titulus :* Expl. de Walperto. Inc. de Landulfo episcopo et Bonizone ejus patre. A*. De Landulfo de Carchano archiepiscopo Mediolanensi et Bonizone ejus genitore. *reli.* [369] *ita* A*. *et primo* B. *ubi post correctum est* omnes. [370] latentes B.

NOTÆ.

(73) Cf. Arn. I, 10.

(74) Cf. Andr. c. 16. *Erat enim nobilis Herlembaldus coram seculo quasi dux.*

(75) *Porci, arietes et magni boves dominum non reperiebant, imo gratis dabantur.* Flamma c. 132, Cf. Giulini II, 378.

Digitized by Google

archiepiscopo (*an.* 9791, *Sept.* 19), cujus nominis memoria perparum apud nos sonat, Bonizo Carcanensi opido oriundus dignitatum avidissimus, suo filio Landulfo in pondere auri et argenti magno archiepiscopatum Mediolanensem contra omnium ordinum clericorum voluntatem adquisivit. Interea Landulfus paucis commoratus annis, patre ejus male mortuo a quodam Tazonis vernula suo [371] in lecto, ad Ottonem imperatorem cursu veloci fugiens tetendit. Itaque cum ante regis præsentiam venisset, et omnia bella quæ pater ejus regia ob sui honorem imperii egerat, quam ejus fidelissimus miles fuisset, narravit; quin etiam multis lacrimis multisque promissis eum obtestans, ut ipse ad sui honorem et imperii dignitatem et Bonizonis ductus caritate, quem ipse super omnes bonis actibus optimoque servitio probando amaverat, nec non ut superbiam tantæ civitatis compescendo humiliaret, Mediolanum armis atque gentium populis diversarum munitus, in fortitudine magna et brachio extento circumveniret. Quamobrem rex Otto II velut leo commotus, cum Landulfo ineffabili gentium barbararum et militum strenuissimorum gente stipatus veniens Mediolanum, totamque civitatem machinis et diversis tormentis circumdans, omni tamen sine bello consedit. Nocte denique eadem visio reverenda superveniens, Landulfum longo labore duroque itinere confectum verbis suavissimis omnia inferni tormenta merentibus illi ostendens, et quam suavia loca atque præmia sempiterna illos qui Deum timent et operibus bonis fideliter usque ad finem perseverant et manent, ipsum perterruit. Propterea Landulfus divinis intrinsecus verbis exasperatus, Dei timore et beati Ambrosii reverentia tactus, videns pro sui tantum honore populum, quem mature periturum audierat, civesque quadam pertinacia sibimetipsis hostes factos, et filios paulo antea sibi caros, nunc nequiter in gladiis coadunatos dirissimis in mortem sævissime paratos esse; cognoscens vidensque quod illis ira regis et gentium in spolia hostium in quorum [372] gaudentium posset evenire, omnino obriguit. Itaque convocatis aliquantis ex urbe nobilibus, rege tamen primo ignorante, postea vero durissime consentiente, pollicens illis omnes plebes omnesque dignitates atque xenodochia, quæ omnia majores ordinarii atque primicerius decumanorum, archipresbyteri et cimiliarchi hujus urbis ecclesiarum tenebant, jurejurando asserens pactum usque detestabile pactatus est. Quod factum regem minime latuit; et quamvis multis ex causis in cives crudeliter maniaverat [373], tamen amicitia civitatis redintegrata per plurimum gavisus est. Hoc facto Landulfus civitatem introgresso, rex Otto omnibus salutatis in partibus Liguriæ secessit. Quo in tempore Landulfus omnes milites majores, quorum virtute archiepiscopatum teneret, expoliatis injuste clericis ecclesiarum, per detestandam investituram plebes illas dando sublimavit. Quin etiam propinquis quos in Carcanensi oppido habebat, de beati Ambrosii archiepiscopatus bonis, quibus ipse fruebatur indignus, quadraginta milia modios terræ fructuum, ut illos ultra omnes ditaret vicinos, per feudum dedit.

18. (*An.* 998.) Veniens [374] autem Arnulfus a magno Walperto quintus viriliter episcopatum regens, mortuo tamen Ottone, quem Walpertus unxit in regem, regali curiæ Ottonis III regis, filius Ottonis II, decenter secundum tempus serviebat. Erat enim Otto Ottonis filius secundi a filio [375] conjugali, mortua conjuge ex qua sibi filium masculum minime genuerat, alienus. Qui cum in castitate videns per humanam fragilitatem persistere se non posse, gravissimum ducens fore crimen, regem [376] aut adulteriis sordidari aut fornicationibus coinquinari: tandem Arnulfum, cum quo se de conjuge congrue consiliaretur, advocari præcepit. Itaque Arnulfus cum ante imperatoris faciem advenisset, rex e solio surgens honorifice eum suscepit. Tandem conscilio accepto, ad imperatorem Constantinopolitanum, ut filiam suam ultra omnes virgines splendidissimam sibi conjugio [377] sociaret, Arnulfum ineffabili thesauri argentique pondere honustum curialiter direxit. At Arnulfus omnibus affluens divitiis, cum in curiam Constantinopolitanam receptus tamen honorifice ab imperatore admirabilique militum ac clericorum exercitu stipatus venisset, per aliquos dies moratus, et cum suis omnibus ex longo itinere ac labore fatigatis recreatus, equum imperialem, quem Otto imperator Romanus sibi ad hujus laboris solamen donaverat, substrato pallio admirabili, ferris aureis et clavis argenteis pedum ungulis abrasis curiose aptari fecit. Igitur hujus rei fama per palatia regis incunctanter volante, rem milites palatini inauditam audientes, universi coram imperatore more solito astantes, vehementer admirati sunt. Enim hoc Arnulfus ad honorem Romani imperii, excellentiæ atque magnificentiæ regis Ottonis, totiusque Italiæ fecerat. Tandem cum Arnulfus archiepiscopus [378] magno ducatu militum stipatus, quos pellibus martulinis aut cibelinis, aut renonibus variis et hermelinis ornaverat, quibus imperator mirifice eum imbuerat, ab imperatore de filia ejus esset securus, et ipse ante faciem ejus solus, astantibus multis episcopis et aliis summæ magnæque dignitatis, quibus ante præsentiam imperatoris sedere non licet, super cicotergitronum [379] sederet, multis per interpretem rebus sermocinatis, quod intus Arnulfus erat foris apparuit. Interea imperator Arnulfum, ut secum venatum quasi ad depellendas corporum gravitudines iret, precatus est. Arnulfus autem voce benigna, primo paululum

VARIÆ LECTIONES.

[371] sua B. [372] *ita* A°. B. h. occisorum g. *Bl.* — *an* iniquorum? *W.* [373] minaverat B. [374] *Titulus*: Expl. de Landulfo archiepiscopo. Inc. de Arnulfo archiepiscopo. A°. De Arnulpho archiepiscopo et ejus gestis. *rell.* [375] *ita codd.* consilio *corr. Murat.* [376] regis B. [377] s. in c. B. [378] *deest* B. [379] cicotgitronum A°. B.

Digitized by Google

tacitus inter se cogitans ordinem episcopalem, in quibus exercere se debet, tandem dixit : *Ego enim, vobis si placet, qua hora meas venationes insequi solitus sum, meis armis meisque militibus crastino die mediante ad vos veniens præparatus ero.* At imperator, de quibus armis quibusque militibus Arnulfus dixisset, minime per interpretem ipso balbutiente intellexit. Veniens autem Arnulfus die statuta, episcopalibus indumentis ornatus cum stola, sine qua numquam foris aut in civitate ullis negotiis intervenientibus aut perturbationibus esse solitus fuit, et crisma, honorabilissimisque clericorum ordinibus vallatus, quos secum tulerat, et tribus cum ducibus, honorandus pervenit ad imperatorem. Quo viso imperator per multum inter se admirans, videns tantum virum in Dei opere religiosum, sapientem, discretum atque benignum, aliquantulum quod de venatione dixerat verecundatus, per omnia laudans atque magnificans ac græce sermocinando ipsum extollens subsistit. Quod factum Græci episcopi, archiepiscopi, sacerdotes perplurimum, quod [380] co in tempore curiæ insistebant, mirantes, erga Latinos tantam religionem minime fore credentes, permultum beatum Ambrosium benedicentes dicebant : « Decens et competens ratio fuit, ut sicut nos beatus Ambrosius usque hodie divinis alit alimentis sacratissimisque amonitionibus vel suos filios lacte et melle verbi divini informat, sic domnus Arnulfus, tanti viri tantique patroni successor, suis nos exemplis modo colifizando informaret. Interea imperator et Arnulfus cum paucis episcopis in unum convenientes, ex secretis tractaverunt consiliis. Moratus autem Arnulfus per tres fere menses apud imperatorem, gratia regis adepta, serpentem æneum, quem Moyses in deserto divino imperio admonitus coram filiis Israel exaltaverat, imperatori quæsivit et habere meruit, et veniens in ecclesia sancti Ambrosii ipsum exaltavit (76). De quo sanctus Ambrosius in Exameron : « Et ipse sicut serpens exaltatus, devorat colubres Ægyptiorum. » Demum multis et magnis donis ex auro et gemmis dotatus, cum filia ejusdem, quam Romano imperatori traderet in conjugio, lætus et hilaris fere usque ad portum Barianum pervenerat. Ecce enim ex improviso vox humana regia, quam imperator cum ineffabili pondere auri et argenti Arnulfo et suæ filiæ donaverat, dicens : Ottonem imperatorem Romanum mortuum esse (*an.* 1002. *Jan.* 23), insonuit. At Arnulfus vocem hujusmodi audiens, aliquantulum expavescens, viriliter universos exhortans voce episcopali omnes intuens dixit : « O fratres, vox enim hæc fantastica ut nos terrefaceret venit; vox est illius, qui protoplaustos decepit, qui Redemptorem nostrum olim bis terque temptavit; de quo ipsa Veritas dixit (*Joan.* VIII, 44) : « mendax est ab initio et pater ejus. » (*Joan.* VIII 44). Cui aliquis catholica imbutus fide fidem adhibere non debet. Itaque omnibus ambagibus omissis, ad portum salutis, velis dimissis accelerare festinemus. » Tandem cum in portu per tres dies sederet, ut res erat in veritate compertum est. Propterea cunctis graviter congemescentibus, magnis lamentis magnisque suspiriis Arnulfus et regis filia cum omnibus suis ad patriam domum remeans separati sunt.

19. Rex [381] autem Otto III cum Romæ castrum Crescentii, quod ipse contra imperium suum erexerat opere mirifico constructum, per multos obsedisset annos, ad ultimum castrum et ipsum Crescentium ingenio, non armis neque corporis viribus cepit (*an.* 998, *Apr.* 29). Quin etiam ipsum Crescentium, nobili progenie ortum oculis turpiter evulsis, ad ultimum omnibus membris detruncatis decapitari jussit. Post multum vero non tempus (*an.* 1002) rex Otto cum gravi ægritudine oppressus cruciaretur, et omnibus medicis, qui ejus curiæ atque præceptis sollicite serviebant, probatis, quorum medicinæ aut antidoti regi nichil profecerant, fere ab omni salutis spe privatus, tandem ei [382] a quodam cubiculario relatum est quod Stephania uxor Crescentii de hoc morbo ultra omnes disciplinas sentiret. Quam cum rex sibi advocari præcepisset, cupiens eam bonis factis bonisque promissis a dolore sedare mariti, grandia dona auri et argenti illi repræsentari jussit. At Stephania caute aliquantulum de ægritudine ejus scitans, durum habens sub pectore vulnus (77), medicinis Galeni aut Ypocratis sapientissimi quatinus regem ab inviso morbo liberaret, intromittere se finxit. Igitur Stephania cum per duodecim dies regem multis unguentis multisque experimentis fovisset, et sola aut cum ancilla intrandi aut exeundi facultatem haberet, videns se jam tempus ad vindicandum maritum præparatum carpsisse, militibus convocatis palatinis quasi magno cum consilio omnibus dixit : « O milites, si salutem quæritis imperatoris et ejus vitam vobis necessariam fore videtis, corium cervinum recens atque sanguineum cursu velocissimo mihi adducite. Est enim ad salutem regis valde necessarium. Operæ pretium est, ut rex huic cervino unguentis multis peruncto curiosissime involvatur. » Quod cum milites præcepto imperatoris urgente nichil mali suspicantes celeriter implentes corium duxissent, Stephania caute et occultissime eum unguentis toxico infuso illico perunxit. Itaque rebus his omnibus præparatis, Stephania studiose hæc omnia se agere simulans, veniens ad regem, multis militibus astantibus ipsum omnino nudatum corio illo per multum constringens involvit. Quo facto Stephania regi silentium imponens, diætaque ordinata qua rex aleretur, ad quendam ducem carissimum se ire medendum simulavit. Et factum est,

VARIÆ LECTIONES.

[380] perplurimi qui *Bl.* [381] *Titulus :* De morte Ottonis imperatoris. A°. *addit :* et Stephaniæ. [382] *deest* B.

NOTÆ.

(76) V. Giulini III, 9.

(77) Cf. Virg. Æn. I, 36; IV, 67.

Digitized by Google

medicina quam ad regis esset vitam putabant, ad mortem inventa est. Quæ omnia cum Arnulfus vir per omnia curiosissimus seriatim et studiose inquireret, ut Romæ gesta erant, cuncta in veritate comperuit. Igitur diversarum multarumque rerum in auro et argento ac palliorum diversorum mobilibus honustus, visitatis apostolorum reliquiis multisque martyribus, quibus Roma usque hodie ornata et honoranda a multis frequentatur populis, nec non apostolico saluiato, ab eademque urbe discedens, iter quo Mediolanum repedaret aggressus est. Interea Arduinus nobilis et marchio altus, locuples in auro, sed scientia parcus, armis prudens, ingenioque gnarus [283], paucis consentientibus Italiæ primatibus, Ottone jam mortuo quasi furtim in regem surrexerat. Hoc audiens domnus Arnulfus, paucis commoratus diebus, sanctæ Mariæ ac sancti Ambrosii in auro et argento palliis et gemmis diversis honoratis ecclesiis, in Ronchalia cum omnibus Italiæ primatibus colloquium statuit. Ubi cum diverse de regni negotiis tractassent, Arduini spreto dominio, quod malis artibus usurpaverat, Henricum [284] I. Teutonicum, scientia illustrem, armis fortissimum militumque copiis abundantem ac divitiis affluentem elegit (78). Itaque Henricus I. convocatus est [285], veniens in Italiam, fretus domni Arnulfi aminiculis, imperium Romanum hostibus fugatis viriliter rexit et tenuit (*an.* 1004).

20. Veniens [286] autem Heribertus Arnulfi successor secundi, viribus fortis atque fortiori insistens tempore, divina pollens scientia sæcularique ingenio astutus, ad universa restauranda quæ archiepiscopatus quorumdam vitio inepte amiserat ecclesiastica sollicitus, infulis præfulgens episcopalibus, cathedræ Ambrosianæ sedibus viriliter resedit. In cujus tempore (*an.* 1018) fames non tamen [287] terribilis per viginti tenens Italiam annos, populos universos invadens graviter arripuit. At contra beatus Heribertus divina intrinsecus motus misericordia, videns pauperes egenosque tantos, orphanorum ac viduarum copiam immensam, convocari ad se quinque pistoriæ artis magistros præcepit. Quibus convocatis pauca divina eloquia, ut illos in Dei servitio animaret aperuit; et illis mercede pactus divina ob jura imperavit ut die omni ac nocte, quamdiu fames in Italiæ partibus maneret, omni alio labore interrisso, operi curialiter insisterent, quatinus mixturæ panes et cereris octo milia per diem unamquamque sumo in mane suis consignarens ministris. Quin etiam cocos repræsentari ad se domesticos faciens imperando præcepit ut, leguminibus a ministris receptis, et octo fabarum modios elimosynariis studiose ac curiose omni die in mane repræsentarent. Insuper autem omni mense circa Kalendas nummos multos ac novas vestes propriis manibus dabat. Et factum est omni suæ tempore vitæ, præter annos in quibus aut cum rege aut cum marchionibus aut cum ducibus aut cum gentibus extraneis vel cum populo diversis occupatus negotiis insistebat, summa cum devotione assidue Deo annuente adimpletum est. Interea cum domnus Heribertus archiepiscopatum nequiter a multis ac varie dilaceratum virtute in magna recuperando viriliter reintegrasset, omnibus sibi rebus prosperantibus, in cunctis negotiis episcopalibus provide ut bonus pastor oves restauruns, ac suo gregi graviter scapulis imponens, strenue Deo vigilabat. Præterea summa Henrici I. [288] imperatoris ductus amicitia, quem rex ipse supra omnes mortales in regno ac consiliis regi ministrandis fide regia sublimaverat, in Roncalia ob regni stabilimentum multis cum ducibus et episcopis tempore competenti colloquium decenter construxit (79).

21. Ea [289] tempestate Eusebius Papiensis episcopus crucem tamquam metropolitanus ante portari faciens, copiosus et ab ipsa Copiosa oriundus, summo superbiæ fastu elatus, Mediolanensis culmini præsulatus coæquari anellans, serotinus colloquio venit. Ut autem hunc domnus Heribertus eminus vidit, tactus dolore cordis intrinsecus, diu inter se tacite suspirans, demum mirantibus universis clara voce in medio infit: « Summe Deus æterne, qui omnia tua disponis sapientia, qui regibus et principibus legem, ut sui essent juris contenti, sanxisti, nec non archiepiscopis metropolitanis ac episcopis subordinatis, ut suis legibus spiritualibus a sanctis patribus editis et parochis sedule contenti permanerent, benigne ut medicus accuratissimus præsignasti: homines isti, qui nimio iniquitatis zelo decus et honorem sanctæ Ambrosianæ metropolitanæ ecclesiæ obfuscare conantur, obliti legis paternæ ac majorum reverentia, unde procedunt? Enim qui condam sancto et reverentissimo Benedicto antecessori nostro de Papiensis episcopatus consecratione in synodo Romana [290] conquerenti injuste causaverit, animum ducis ingerens, non patris affectum retinens, sine lege pastoris inlicite suo ad consecrandum domicilio usurpative attraxit, nec civitatem dilexit Papiam, unam et caritativam obedientiam nostris antecessoribus habentem, cujus ecclesiam de filia sibi ancillam colligavit [291], nec sancti Am-

VARIÆ LECTIONES.

[283] ignarus *Bl.* [284] *Alter cod.* (*i. e.* A.) Conradum *Bl.* [285] c. e. *desunt* B. *Alter cod.* Conradus qui altero nomine Cyno c. *Bl.* [286] *Titulus:* Expl. de Arnulfo arch. Incipit de Heriberto archiepiscopo, A°. De gestis domini Heriberti archiepiscopi Mediolanensis MXVII. *rell.* [287] tantum *Bl.* [288] *alter cod.* (*i. e.* A.) Cononis. *Bl.* [289] *Titulus*: De episcopo Papiensi et archiepiscopo Heriberto. A°. Qualiter episcopus Papiensis reprehensionibus Heriberti crucem quam premiserat refutavit. *rell.* [290] romano B. [291] s. fecit a. c. B.

NOTÆ.

(78) Hoc falsum esse demonstravit Giulini III, 23.

(79) Et hoc colloquium et sequens narratio fictitia visa sunt comiti Giulini III, 160. Papiæ tunc episcopus erat Rainaldus; Eusebii nulla præterea mentio exstat.

Digitized by Google

brosii sedem, ut sancti prædecessores apostolici, patrio dilexit affectu. Unde dolores magni et duplicati cordi inhærent meo, sanctam devotionem beati Juventii et Crispini nec non et reverentissimi Epifanii sedule cognoscens, quam in nostra ecclesia devote ut matrem sustentantes impenderunt. Qui, cum nostra ecclesia, imperatorum et tyrannorum sævitia olim pastore viduata, Dei adjutorio quandoque sustentata floruisset, ipsam benignis ammonitionibus et consecrationibus refoverunt, hujus sanctæ ecclesiæ primiceriatum et omnium nostrorum episcoporum providentiæ prærogativam habentes, præsertim quanti amoris quantæque diligentiæ sancto confessori nostro fuit Ambrosio, qui, quamvis corporis molestia gravaretur, inibi sacerdotem in episcopo manu propria ordinare curavit. » Quo audito, animis omnium circumstantium magis ac magis exardescentibus, qui multa sæva ac aspera prælia ob beati Ambrosii amorem, cæde data immensa ac a Deo data victoria sustinuerant, crux quam Euxebius sibi anteferri fastu superbiæ præmittebat, ab ipso summa humilitate ac devotione debita coram omni multitudine refutata est; quæ usque hodie, plurimum crystalli habens, in sanctæ Mariæ secretario in testimonio posterorum decenter custoditur.

22. Per [392] idem tempus (1037) cum Conradus imperator Papiæ, circumstante exercitu, imperialibus præfulgens dignitatibus consedisset, universis qui ecclesiarum beneficia invaserant, aut qui homicidia injuste commiserant, aut orphanorum aut viduarum prædia devastando contriverant, et omnibus qui injuste a perfidis hominibus per aliquam causam cruciabantur, ut sui imperii vigor exigebat, secundum legem facere humanam et judicare decrevit. Itaque conspiciens multos in Italiæ partibus circumspersos sine lege, sine tædere, omni dimisso timore inhumaniter invicem offendere, ut omnes a malo in bonum revocaret, quatinus qui sine lege omnia habentes promiscua inlicite sese exercuerant, per legem districte judicarentur, edicto per diversas Italiæ provincias volante hujus rei causa diem statuit. Quo audito orphani multi viduæque multæ, quamplurimi duces multique episcopi, velut aqua in sentina, Papia ante imperatoris aspectum unusquisque de propria conquerens injuria confluxere. In quo loco, prout erat offensionis causa, alii restituebatur pro facti emendatione optimi auri libra aut argenti marcha, et alii, sicut rei causa habebat, indicabatur [393] secundum legem [394]; quin etiam aliis secundum legis præcepta manus truncabantur, aliis oculi funditus eruebantur, postremo vero ab alio vita, quæ est pretiosior auro, ense regio capite abscisso auferebatur. Interea quidam transmontanus ante imperatoris præsentiam, summa multitudine circumstante, de curte Leuci super Heribertum archiepiscopum conquestus est. Hoc audito Heribertus hac indignatione turbatus neque respondere neque defendere sese paravit. Tandem e solio consurgens, hujuscemodi verbis, ut rex spatium per induciam daret, quæsivit. Unde multis conlatrantibus et regem in iram provocantibus, super Heribertum nimio odio zelati sunt. Itaque ubi hoc imperator cognovit, ira et malorum verbis commotus, oblitus quod cum Heriberto fœdus fœdaverat, ferali ira repletus, archiepiscopo ut lamentanti legem faceret imperavit. Quo recusante, rex ipse e solio consurgens regio, ut Heribertus capereretur præcepit. At milites, quantæ dignitatis quantæque magnificentiæ Heribertus esset cognoscentes, timentes manus in illum mittere, paulum sustiterunt. Demum Heribertus regem ad pristinam amicitiam, qualiter in regno ipse eum adjuvaverat et strenue fecerat viribus omnibus, altis revocans verbis frustra laboravit. Venientes autem canes palatini et sævissimi Teutonici, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram (80), et jumenta multa, Heribertum detinuerunt. Hoc facto omnis regis et legis vigor [395], judicibus et ducibus omnibusque episcopis atque marchionibus per diversa quadam ira commotis ac perstrepentibus [396], dissolutus est. Quo detento, fama ad concives ac filios suos Deoque adoptivos citissime pervenit. Propterea hujus urbis nobiles sine mora per omnes Italiæ partes currentes, multos episcopos, duces, civitates sollicitando, consilium mirabile inierunt. Interea omnes Mediolanensium concives, majores ætate ac minores, sacerdotes, clerici ac matronæ nobiles et sanctimoniales, omnibus ornamentis abjectis, cinere et cilicio induti, corpora sanctorum jejuniis et orationibus, litaniis et crebris vigiliis Deum supplicando visitabant. Et cum longa jejunia [397] fere usque ad noctem ducerent, coctum quod comedere debebant, pauperibus summa cum reverentia tribuebant, quod, velut filis mortuis omnique substantia habitantium viribus iniquorum abrasa, tristi vultu et mœrenti animo consistebant. At sacerdotes et monachi intimis suspiriis magnisque lamentis singulos per dies letanias studiose celebrantes nudis pedibus, multis et magnis mysteriis supplicantes Dominum et beatum Ambrosium et omnes sanctos exorantes, incessanter fatigabantur. Sed Deus, qui cuncta scrutatur occulta, cuncta antequam fiant aperta cognoscit, videns omnes Heriberti fideles

VARIÆ LECTIONES.

[392] *Titulus:* De Conrado imperatore durissimo, et d. Heriberto archiepiscopo. A*. Qualiter Heribertus archiepiscopus ab imperatore Papie capitur. *rell.* [393] judicabantur B. [394] l. q. e. a. s. *desunt Bl.* [395] *ita* A*. jugum B. jugus *Bl.* [396] comoti p. B. [397] *deest B.*

NOTÆ.

(80) Proverbialis locutio, qua etiam III, 12 utitur, et Arnulfus III, 17.

Digitized by Google

concives, populos vicinos atque longinquos ad liberandum et vindicandum ipsum Heribertum usque ad mortem obstinatissimos, et ad cædem immensam super Conradum ac suos sattellites animis et armis præparatos, ante tempus ad bellum statutum, sine bello et gentium utriusque partis strage Heribertum consilio abbatissæ Sancti Sixti, quam ipse consecraverat, a manibus iniquorum liberavit. Cum enim Heribertus a Cunrado viro invido et odioso [898] detentus fuisset, non tamen constrictus, ut alii dampnati solent, sed curialiter a Teutonicis munitus juxta flumen quod Trebia vocatur, non longe a Placentia, Dei dispensatione atque ducatu venisset, papilionibus et ceteris ornamentis consedentibus per aliquot dies moratus quievit. Interea Heribertus Teutonicorum gulositatem et animos vino deditos videns atque [899] cognoscens, unum de fidelissimis domesticis tollens, quod secum habebat, ad abbatissam Sancti Sixti, cujus monasterium infra civitatem Placentiæ situm est, studiose in omnibus quæ volebat edoctum direxit. Qui ubi omnia seriatim, quæ Heriberto injuste evenerant, abbatissæ commemorasset, et consilium quo fuerat doctus ei apperuisset: ut erat et [900] consiliatrix provida, accuratissime et tacite inter se rimari cœpit quo ingenio quove conscilio Heribertum a Teutonicorum manibus eripere et liberare posset. Itaque abbatissa, videns Teutonicos vino nimio inebriari solitos etiam post cœnam in nucleolis et majoribus nucibus optimo vino interjocare, ut ratio feræ gentis [901], et indiscrete et inconsulte delectari: hoc modo fallere eos desiderans, viginti onera carnium diversarum et decem plaustra diversorum vinorum cum multis frugibus ac diversis ad Heribertum magnifice misit, et sola accipiens illum secrete fidelissimum, quem sibi Heribertus miserat, tacite ac sapienter amonendo instruxit quatinus in primo sero, quo apparatus Heriberto archiepiscopo repræsentati fuissent, omnibus viribus operam darent ut Teutonici nimia cœna turgidi, illis studiose nuces atque nucleolos frangentes, in quibus delectari ut largius bibant soliti sunt, funditus inebriarentur, quin etiam omnes Heriberti domestici permultum sese bibere ac manducare simulantes, puri et a vino sinceri permanerent; demum sic facientes, et usque ad gallorum tertium et quartum cantum eos studiose et caute inebriando perducerent. « At cum jam nimia vini ebrietate temulenti Teutonici ac deebriati huc atque illuc vina ad semetipsos fundentes quid agant omnino ignorantes, et tandem fatigati vino atque labore militiæ, sese in locis solitis prosternentes quieverint, tum cum suis clericis omnibus, dimissis mobilibus equis atque mulabus, domnum Heribertum clanculo in lecto quiescentem excitate, et velit nolit ipsum accipite, et equos a me deforis a castris præparatos ipsum stipantes superascendite, et navi præparata ad Eridani portum accuratissime omni depulso timore ipsum deducite. »

23. Hoc [902] audito Heriberti domesticus, tacito sub pectore rimans et hujus rei eventum Dei manu commendans, ut erat edoctus omnes alios familiares fidelissimos accuratissime in his omnibus privatim animando edocuit. Factum est autem Dei dispensatione et ejus misericordia opitulante, omnia illa, ut prædixerat abbatissa Deoque consecrata, sine cæde seriatim evenerunt. Igitur Heriberti domestici cum multis donis multisque promissis in Teutonicorum amicitiam devenissent, et illis multos ac diversos apparatus et vina diversarum specierum odore et herbarum virtutibus redolentia in primo sero præparassent, ipsos in istis ultroneos delectantes, largissime inter cetera vina diversa propinantes, ultra modum inebriati sunt. Et cum jam nimia temulenti ebrietate in potatione fere usque ad noctem mediam persisterent, et unusquisque suo compari ut magis ac magis biberet operam daret, aureis et argenteis siffis (81) superjocantibus, nunc oculis torvis voceque terribili invicem minarentur, et modo vultu lacrimabili lacrimis largissime decurrentibus turgidi et a vino [903] inebriati, quid agerent omnino ignorantes, et singula membra sua non servarent officia, huc et illuc sese prosternerent: Heriberti domestici hæc cuncta videntes, gaudio gavisi immenso, illos singulos in stratis bene ornatis velut mortuos portantes collocaverunt. Interea soporatis et bene facinatis [904] Teutonicis, in quorum custodia Heribertus erat, fidelissimi ejus cum jam tempus ad negotium statutum prosperis accelerare successibus vidissent, et Teutonici ebrietate nimia vini diversi perfusi, membris fere mortuis et omnino ebetati inhoneste quiescerent et terribiliter sterterent, sinceri et sui domini salute anxii secretissime Heribertum excitantes, ipsum renuentem, sine calceamentis, nemine illorum sentiente, ab illis eum abraserunt, et equos superascendentes clanculo ad portum citissime pervenerunt. Jam enim navim conscenderant; ecce Teutonici terribili garritu vocibusque dissonantibus nimio vini ardore bachantes, sua non lingua frendentes cursitabant, ac velut torva animalia latratu sævissimo huc illlucque discurrentia, nimio dolore vel sui percussionne vel venatorum ingenio sagitta emissa vel catulorum amissione, quos paterno et materno amore jam antea diligebant, pervolabant facibus multis ac magnis accensis, ac multorum ignium et palearum varieta-

VARIÆ LECTIONES.

[898] ab imperatore B. *Bl.* [899] v. a. *desunt* B. [900] doctus B. [901] *ita conjecit V. D. Grotefend.* utro fere gs *codd.* mos *f. g. Bl.* [902] *Titulus:* De liberatione d. Heriberti archiepiscopi Mediol. A'. Qualiter Heribertus archiepiscopus a captivitate liberatus est. *rell.* [903] a. v. *desunt* B. [904] *ita. i. e. fascinatis* A. B. sagittatis *Bl.*

NOTÆ.

(81) Id est scyphis.

Digitized by Google

tibus discurrentes ululatum terribilem Heribertum quærentes dabant. Demum Deo opitulante sine cæde, Teutonicis frustratis et inaniter laborantibus, ac clericorum et civium precibus adjutus suorum, Heribertus summo cum gaudio mireque honore magnaque reverentia ipso die a [608] clero et a populo universo receptus Mediolanum repedavit. Qui omnibus salutatis, animarumque ferculis recreatus [606], Deo et beato Ambrosio gratias agens inmensas, civibus tripudiantibus universis, suis elimosynis, ut vidimus, adjutus et liberatus, viriliter resedit et feliciter.

24. Factum [607] est autem, cum hujus rei eventus ad Conradum imperatorem, qualiter aut quomodo actum fuisset, seriatim divulgaretur, virum cognoscens probum, conscilio militum strenuissimorum et peditum fortium, dominum auri et argenti copiosissimum, corde tactus humano omnia quæ ei intulerat mala corde tenus reminiscens, vultu pallenti obriguit. Tandem ut tyrampnidem, quam ipse circa pectus versabat, crudeliter exerceret, tota cum civitate Heribertum in vinculis redigi cupiens et ejus fautores, omnibus eorum filiis atque rerum substantiis militibus suis in præda donatis, obsidione statuta obnixe firmando decrevit. Igitur convocatis regibus quatuor (82), et coadunatis ducibus et marchionibus comitibus nec non episcopis omnibus, quos aut blanditiis aut terroribus illo in tempore habere poterat, et peditum multitudine ineffabili, ad Heribertum obsidendum totamque ejus civitatem, minansque fame, ferro et igne inextinguibili circumvenire, pervenit. Quod dum ad hoc peragendum negotium, a quo retrahi [608] eum nemo poterat, circumfuso atque circumsparso exercitu Mediolanum pervenisset, juxta fluvium quod Vitabilis (83) vocatur, quod [609] quondam omnes ultramarinas divitias cum flumine Lambro ab urbe usque in Padum sociatum nobis ut mater quotidie repræsentabat, ubi non longe ab urbe castris et tentoriis infixis, fatigatus consedit. Unde per aliquot dies suum inibi recreans exercitum, ordinatisque signis atque legionum ducibus, in tertia die ut civitatem funditus demoliretur, omnes milites ac universorum peditum catervas ad præliandum per unamquamque portam civitatis velut feras dimisit. Quibus dimissis, alius imperatoris amore, alius timore ejusdem, alius muneribus et donis atque promissis, alius spe prædæ, alius civitatis opibus illectus, e quibus ipse suas animaverat gentes, alius ira odio civitatis imbutus, prout natura gentis suæ exigebat, sonitu terribili inauditoque garritu præliantes, primo aliquantulum cives terruerunt, et cominus lanceas, sagittas ceteraque præliis congrua emittentes, incaute ex nostris multos feriebant. At nostri, ut erant edocti, portis et seris [610] et anteportis turribus valde munitis, quod anteportale vocatur consitum ante portas et triangulare, hostibus introitum claudens, et turribus muratis trecentum decem (84), quæ in circuitu urbis ita densæ erant, ut omnes [611] qui eas custodiebant, ut vicini supersedentes [612] confabularentur, valde munitis, primo juxta archum triumphalem, quem [613] Heribertus papilione superimposito et viris fortibus superpositis mirifice armis, munitionibus, tormentis muniverat, exercitui hostium viriliter præliantes obviati sunt. Et videntes tantam gentium multitudinem atque armorum inauditum audientes fragorem, ultra herbarum multitudinem eos extimantes, in primo ictu belli, cum hostes manu ad manum cursitarent, summo impetu tela emittentes aliquantulum sustiterunt. Interea nostri, cum eos paulatim qui in armis armorumque ictibus aut belli ingenio valerent cognovissent, lanceis et ensibus, jaculis atque sagittis ceterisque bellorum ornamentis velut misera animalia eos ubique dispersos trucidabant. Cum autem eminus veniebant, unusquisque, prout diversarum terrarum erat provinciis voces dissonas emittendo, summo impetu in nostros tela emittendo irruebat. Ob hoc enim nostri aliquantulum subsistentes, omnia telorum genera quæ possunt emitti, ab inimicis detorta recipiebant. Itaque inimicorum telis callide exceptis, viriliter sua arma regentes milites ac pedites, ut a magistris belli erant edocti, certatim ut erant ordinati suum locum custodientes, competenter et caute certabant. Nemo sine conscilio in hoste feriendo irruebat; nemo suum terminum sine gravi hostium concursione aut vulnere deserebat; nemo hostem, etiamsi opportunum ad feriendum conspiceret, solus ex suis exiliens percutere audebat. At ubi bellum in aliquam gravescebat partem, et pondus ejusdem supereminebat, non omnes, sed legio ad quam qui super turrim astabat signum faciebat, ordinatis signis statim subveniebant. Propterea adunati valdeque constricti hostes obnixe jam secure irrumpentes, alius ensem regens, alius lanceam manu tenens, Teutonicos et ceteros hostes feraliter percutiebant; alius sagittis ceterisque tormentis ipsos percutiendo atque minuendo perterrefaciebat, alius ferreis uncinis hostes quos ad se trahere poterat, trucidabat. Demum sic facientes, multis inimicorum ferro tru-

VARIÆ LECTIONES.

[606] ac B. [606] recreatis B. [607] *Titulus:* De obsidione Mediolani a rege Conrado cum aliis quatuor factа regibus. A°. Qualiter civitas Mediolanensis a Conrado imperatore ob fugam Heriberti obsidione concluditur. *rell.* [608] a quo eum nemo retrahere p. B. [609] qui B. [610] *ita Bl.* sedis *codd.* [611] homines B. [612] consedentes B. [613] quod B.

NOTÆ.

(82) Etiam supra tres reges Lamberto comites tribuit.

(83) La Vecchiabia, de qua v. Giulini III, 305 — 311. Fumagalli, Vicende di Milano, p. 297.

(84) Imo vix centum; v. Giulini III, 301.

Digitized by Google

cidatis, per aliquot dies equites cum equitibus, pedites cum peditibus prœliati sunt. At milites, quorum virtute atque animi scientia et corporis ingenio bella gerebantur, clanculo militibus audacissimis atque fortissimis centenis dimissis, ut hostes a quacumque parte possent invadere, modo a lævo latere modo a dextero, modo in prima fronte modo retro, maxime cum bello laborabant, certantes quamplures occidendo, spoliis omnino dimissis, cursu rapido equorum lora revertentes, regis exercitum undique conturbabant.

25. Factum [615] est autem cum [616] Eriprandus vicecomes (85), miles milenarius e [616] regali prosapia oriundus, ingenio animi et corporis viribus ipsi regi præferendus, quasi gigas nostrorum exercitum multis strenuissimis militibus stipatus undique protegens, fortuito, ut militibus in bello evenire solet, cuidam superbissimo Teutonico, imperatoris nepoti, Baiguerius nomine et ex ipsis natus, cum supervidendum hostium catervas cum paucis adiret, obviavit; qui, fidens viribus atque nimiæ multitudini, se prius non gustaturum panem neque bibiturum vinum juraverat terribilibus verbis affirmans, quam ipsa sua lancea manuque propria civitatis fores ac ejus seras ferreas feriret. Quibus visis atque cognitis, et animis velut leones commotis, ardentibusque oculis frendentibusque equis, quos ad bella decenter ut milites strenuissimi instruxerant, lanceis extensis immanem dantes fragorem concurrerunt. Sed cum sese mutuo milites gravissimeque pererterent, fractis lanceis, equi et scuta velut tonitrua perstrepentes sonum teterrimum dederunt; et ensibus ferire obliti, fere invicem unusquisque per nasale cassidis alterutrum tenuerunt. Sic enim equitibus in unam concurrentibus partem, dominos suos deducebant. Interea Eriprandus pro patria pugnans, pro qua mori desiderabat, pro sua ac gente triumphans, ense sub mentone posito, truncata lorica decapitavit superbum, David similis qui Uliam olim viriliter detruncavit. Quo mortuo, pedites urbani eum rapientes truncatum, ad dedecus imperatoris visceribus extractis, super arcum triumphalem ipsa viscera in propatulo expandentes miserunt. De quo quidam ex nostris, primo cum regis exercitus innumerabilis more locustarum terram [617] cooperiens circumveniret, scutis ambabus partibus ordinatis, incolumis quasi volando sese dejecit. At rex Conradus ab omni spe frustratus, cum jam multos milites strenuissimos ac pedites innumerabiles contra votum amisisset, se frustra per quindecim dies laborasse conspiciens, dolore gravi dolori adjuncto, Dei ira multis grandinibus tam sursum quam deorsum trucidatus, Papia tendens [618], graviter urbi minando aufugit. Terrore Dei ac iræ desuper percussi, atque gladiis Mediolanensium potiti [619], ambarum plagarum flagellis demoliti, nemine persequente tanta angustia confusi fugiebant, quod multi milites multique pedites equorum pedibus attriti, morti sine hominum adjutorio incurrerent; inter quos Ugo marchio Transpadanus (86), qui multis cum militibus ad destruendam urbem in adjutorio Conradi concurserat, ab equo cadens, quem ex nimia gentium densitate nemo adjuvare potuit, ungulis equorum attritus et ipse morti datus est. Factum est autem, cum rex per aliquot Papiæ dies sedisset, idem nimia ira imbutus, nescio quo ingenio Coriopictæ (87) venisset (*an.* 1037, *Mai.* 29), omnia habens promiscua, divina videlicet et humana, in tantum ut suorum equis ecclesias implere permitteret. In quo loco ira divina percussus, et nurus sua, multis mortuis, fulmine defuncta est (88). Et idem tristis, omnibus elementis perosus, nurum suam [620] balsamo perunctam secum deferens Teutonicam tetendit; ubi paucos moratus dies, gravi ægritudine detentus mortuus est (*an.* 1039, *Jun.* 4).

26. Post [621] multum vero non tempus cives suorum victoria potiti inimicorum, ut genus agere solet humanum, hostibus hostes, amicis amici fidelissimi mala pro malis et bona pro bonis reddentes, curiose effecti sunt. Quin etiam pacem cum hominibus habentes, cum jam inimici undique deficerent, gladios in semetipsos ferentes, hostes sibimetipsis effecti sunt. Enim hujus causa belli duces, qui hanc urbem animi scientia, corporis virtute regere ac tutare solebant, per quandam negligentiam amisso dominio, fuerunt quondam; qui, prout eorum dignitas atque nobilitas exigebat, per tempora in palatiis juxta ecclesiam sancti Protaxii (89) morantes, quicquid honestum erat, civitati curiose procurabant, et quod incaute fractum, studiose ae sapienter consolidabant, et quod injuste actum in aliquo, conti-

VARIÆ LECTIONES.

[615] *Titulus :* De Eriprando vicecomite et de Baiguerio rege. A*. Qualiter Eriprandus vicecomes Baiguerium Conradi nepotem detruncavit. *rell.* [616] *deest* B. [616] *deest* B. [617] *deest* B. [618] *ita* B. tenens A*. Papiam tendens *Bl.* [619] petiti *Bl.* [620] *deest* B. [621] *Titulus :* Explicit de Cononis obsidione. Incipit de capitaneis obsidione facta super populum libertatem parentum antiquorum vindicantem. A*. De civili discordia, quæ fuit inter capitaneos et valvassores ex parte una, et populum Mediolanensem ex altera. *rell.*

NOTÆ.

(85) Dignitas jam tunc hæreditaria quæ in familiæ nomen transiit, ut Giulinio videtur, III, 314. Filius Eriprandi fuit Otto vicecomes, v. Giul. IV, 203.

(86) Hunc Anselmi filium fuisse de Monteferrato arbitratur Muletti, Saluzzo I, p. 341.

(87) Corbetta, cujus in obsidione hoc accidisse narrat Wippo, a Mediol. 12 mill. abest, 5 a Buffalora. *In campo juxta Mediolanum* habent Ann. Hild. et v. Kal. Junii Conradus leges dedit *in obsidione Mediolani.*

(88) Obiit 1038, Jul. 18.

(89) Dictam *ad monachos;* v. Fumagalli, Vicende di Milano, p. 270; Giulini I, 308 de curte ducis.

Digitized by Google

nuo per aliquam causam emendare et satisfacere injuriantem procurabant. Præsidium erant orphanis, adjutorium tribulatis, viduis subsidium, parvulis nutrimentum, lex erant injustis, justitia perfidis, timorque latronibus. Omnes enim mercatores et rustici, aratores et bebulci, secure propria negotia agentes victitabant, singula sua curantes; ecclesiarum et clericorum honoribus solliciti, prosperantibus universis, in pace vivebant. Non erat dignitas neque parentum munitio, quæ [823] aliquem adversus alterum injuste agentem emendare, aut secundum ducum imperium renitentem defendere ac liberare curaret. Enim, præter tempora in quibus regum bellis aut inimicorum catervis longe lateque dispersis strenuissime ac decenter insistebant, pacem et gaudium humiliter ac devote fruebantur. At postquam, nescio quibus de malis causis jam tantum percrebrescentibus, honorificentiam atque suarum dignitatum magnificentiam duces novitiis [824] capitaneis paulatim dederunt, maximis nudati honoribus, antiquorum et suorum parentum reverentiam obliti, in honoribus, cunctis annulati sunt. Itaque universus populus reverentiam, et debitum quod [825] ducibus impendere solebant, paucis capitaneis, qui [826] duces sublimaverant, exigebant; majora tamen civitatis ducibus manu et consciliis adhuc regentibus, capitanei valvassores, ut securius nova dona tenerent, subelegerunt. Interea populus suorum malorum per diversos ac varios dominos mala videns crevisse, durius habens dominium suorum civium quam ducum quondam suorum, tentando eventus bellorum varios, ab illorum dominio sese defendere ac liberare disposuit. Igitur Heriberto adhuc cathedram regente Ambrosianam, quem fortia ac grandia acta superborum principum et ipsius regis supradicti animi ingenio et militum suorum fortitudine viriliter correpsisse cognovimus, bella gravissima in urbe, populo adversus majores pro libertate acquirenda prœliante, quam olim parentes ejus ob nimiam hominum raritatem amiserant, crudelissime adorta sunt, Propterea factum est ut, in quacumque urbis regione capitanei et valvassores populum superabant, inhumaniter [827] ipsum trucidabant. At populus, ut solet, sine misericordia iratus, magis mori diligens quam vivere inhoneste, ac dulcius judicans mortem videre quam vitam summo cum dedecore ducere longam, ubicumque ipsos armis et jaculis diversis vincebat, velut serpentes aut dracones crudelissimos per omnia mortificabat. Demum capitanei et valvassores sese in urbe videntes populo resistere minime posse, existimans [828] populum fame et ferro multisque necessitatibus per nimiam obsidionem devincere ac superare posse et antiquis redigi servitiis, urbem secrete ac unanimiter exierunt. Quo facto populus videns vitam in manibus fore, magis armis sperans salutem quam ullis beneficiis, studio bellorum et ingeniis animorum curiose diu noctuque exardescens, paupertate fortis, pro acquirenda libertate fortissimus, divitiis anxius, sed studiosior libertate, jaculis ac tormentis variis diversisque munitionibus omnique ingenio, quo sese a civibus hostes jam facti mortales liberare possent, operam dabant curialiter. Erat enim ductor atque illorum protector Lanzo nobilis et capitaneus altus, cujus conscilio animi atque corporis exercitationibus cuncta regebantur negotia. Capitanei vero circa urbem antevardis ordinatis, civitatem ab uno miliario diu noctuque curiose vallantes, non ut cives sed ut hostes exercebantur. Quibus Marciani et Seprienses auxilia præstantes, sex oppida in circuitu civitatis construxerunt, et per tres annos omni die multis confecti bellis, innumerabiles occubuerunt. Quo in tempore si quem, ut in bello fieri solet, capere poterant, aut ipsum hostiliter interficiebant, aut in carcere obtrusus obscuro pœnisque attritus diversis, omne quod habere aut per se aut per amicos poterant, ab illo durissime extorquebant. Similiter et populus, si per aliquos bellorum eventus aut aliquo animi ingenio, corporis tamen virtute cooperante, de majoribus aliquos capere posset, quali populum pœna trucidabant capitanei, tali pœna pauloque graviori decentissime illos honorificabant. Itaque his et aliis rebus capitanei animati, non erat dies, in quo tempore ipsi, ut dixi, aut valvassores urbem non invaderent. Sed juxta murum ante urbis portas, quæ per se quasi per naturam defendebant, balistas aut diversorum generum machinam timentes, quin [829] ipsos formidantes cives serpentibus Ethiopiæ duriores, accedere non audebant. Ea tempestate, si aliqui de populo tirones, jam facti fortissimi, animis fervidi ac ira ferventissimi, mori aut occidere minime recusantes, ipsos fortuitu insequerentur, aut ut hostes gravissime feriebant, aut semetipsos defendentes in loca tutissima sese recipiebant. Jam enim civitas aliquot transactis temporibus fame, quæ ferro durior est, fere erat consumpta, in tantum ut pane vinoque omnino careret, nisi quantum infra civitatis ambitum aratores poterant metere et vinitores poterant cultura diligenti laborare; caro autem et pisces furtivi, homines vero macilentos, prælio leves, animoque fortes, belloque ardentissimi. Si intus eam videres, turribus atque palatiis desertis jam minantibus ruinam, Babyloniam potius diceres desertam quam Mediolanum, quondam regum sedes nobilium. Multis propterea e civibus clanculo fugatis, turres et civitatis murum, portas et anteportale et cetera civitatis munimenta, hominum exercitu mirifice ornata, studiose diu noctuque custodiebantur.

Idem per tempus Lanzo, ingenio providus, corporis virtute laudandus, negotiis militaribus curio-

VARIÆ LECTIONES.

[823] quem *codd. Bl.* [824] *ita* A°. noviciter B. [825] quem B. [826] quos *Bl.*, [827] immaniter B. [828] extimans B. [829] quasi *Bl.*

Digitized by Google

sissimus, in angustiis pervigil, de hostium victoria sollicitus, cum jam sibi a nullo ex civibus subveniri posse demum comperisset, ac ultra capitaneis et valvassoribus non posse resistere, mori paratus quam civitatem ac populum quamvis multitudine parvulum tamen fidei suæ creditum hostibus tradere criminose: Dei et beati Ambrosii fretus suffragiis, consilio tamen paucorum edoctus, cum Alberio, unus [429] de valvassoribus, qui socius cum ipso in passionibus semper permansit, ad Henricum imperatorem, qui noviter, contra tamen Heriberti voluntatem, surrexerat, sperans se ejus imperiis pacem cum populo habere, auro et argento honustus curialiter tetendit. Qui cum in regis curia, ut nobilis ac de magna civitate oriundus, aliquantis cum militibus venisset, multis et magnis muneribus viris palatinis circumsparsis studiose, honorabiliter susceptus est. Interea a rege Lanzo perpauca de Heriberti prosperitatibus interrogatus, perplurimum vero de urbis negotiis sciscitatus, in his compatiens, aliquantulum consederunt. De quo enim Heribertus, quia Henricus de Conradi progenie originem duxerat, quem memorando supra meis retexui descriptionibus, a regno contra quod ejus voluntatem sibi sumpserat, omnino dissentiens, ut alium Roma cum Italia regem haberet, sollicite operam dabat. Quapropter Henricus ultra omnes ipsum ad sui imperii dignitatem sibi infestari pari assertionibus [430] comperiens, eum cum omnibus suis militibus suspectum habebat. Et ut ad urbis negotia redeam, quæ aliquantis passa est temporibus transactis, atque omissis multis perturbationibus, breviter Heriberti voluntatem, qualiter nec fuit cum populo nec voluntatem majorum juvit, edicam. Igitur Heribertus cum animos capitaneorum ultra modum in primis luxuria, avaritia, ceterisque malis artibus inrevocabiliter effrenes vidisset, et prædicationibus multis, ut decebat tanto viro, ipsos ut in patriis legibus permanerent, cottidie idem egisset, nec minis nec blanditiis adversus populum animari potuit. Qui Dei amore vinctus et beati Ambrosii lacte cum populo nutritus, a magnis tamen parentibus altus, nec militibus qui urbem cottidie turbabant auxiliabatur, nec civibus obsessis nocere studebat; et sic nec uni parti nocebat, nec alteri subvenire curabat. At rex Henricus cum sibi Italiam ob patris perfidiam infestatam multis cognovisset assertionibus, nec universa ejusdem Italiæ sibi adversantia per Lanzonem ac urbe Mediolanensium suis posse imperiis reintegrari, per interpretem dixit: « Quod si Lanzo fide ac evangeliis jure mihi jurando firmaverit quatenus infra civitatem Mediolanensium quatuor milia equites mei juris sine malo ac pravo ingenio ad mei honorem recipiens immiserit, et illos usque ad mei adventum, in quantum potuerit, de omnibus imperii mei adjuvaverit inimicis, et fidelitatem ab universis civibus suis mihi facere iisdem assertionibus promiserit, universa quicquid de his negotiis poposcit, sub mei imperii pœna circa tempus statutum implere non desinam, et omnes civium inimicos in ejus et suorum voluntate committens, omni excusatione remota, fideliter tradam, et vindictam quamcumque in eis exercere voluerint, a me non recusabitur, et quibus pacem exercebunt, per omnia pacificus ero, et adversus quos bella commovebunt, gladius meus conteret eos. » Cum hoc Lanzo audisset, et plus quam sperasset in mente sua cognovisset, ut erat vir magni ingenii magnæque astutiæ, alacri animo promptoque corde, sperans magna multaque [431] facta ex his consiliis facile adipisci, fide data atque accepta, temporibus ordinatis consensit. Demum salutationibus datis et a rege vale dicto, lætus quam citius potuit Mediolanum repedavit. Quo adventante, cum jam hujus rei fama ad populi aures pervenisset, lætitia immensa et gaudium inextimabile cœpit. Cum autem Lanzo Mediolanum venisset, concives honore decentissimo et laudibus immensis ipsum gratulanter susceperunt. Eodem die salutatione regis populo astanti universo data, et in paucis Lanzo multa comprehendens, domo sua quasi regia ab amicis et famulis receptus est. Interea Lanzo paucis commoratus diebus, ut vir consilio discretus, animo providus et consilio astutus, cottidianis exercitationibus accuratissimus, universa quæ ipse egit, quanti foret periculi suæ parti adversariorum, animo extuanti revolvens trutinavit. Itaque primo aliquantulum sese pœnitens anteacta fecisse, secretissime convocatis aliquantis nobilibus, universa quæ cum imperatore ob populi tutelam ac pacis stabilimentum egerit, seriatim notificando denudare sataguit; quinetiam quid augmenti vel quid detrimenti ipsi et uxores et filii ac ipsorum res a Teutonicis, gens, sine consilio sine misericordia, passuri essent, ut quam citissime ad pacis unitatem cum populo omnibus antiquorum remotis negotiis venirent, ob quæ ipsi usque modo pugnando hostiliter a populo exigebant, ostendisset, et dura ac aspera illis interserens verbis, quasi fatigatus consedit. Cum autem hæc omnia pars illa nobilium curiosissime universa perscrutando, ut gesta forent, a Lanzone comperisset, animis per plurima diu distractis diversa, tandem ut salubrius illis Lanzo daret consilium postularunt. Igitur Lanzo, omnibus prævisis consiliis ac bellorum determinatis periculis, consilium dedit ut civitatem, quam ipsi impugnaverant, pacifice introgressi, quæ pacis essent cogitarent, quæ ædificationes suorum et Italiæ totius forent, securius tractarent. De homicidiis vero ac rebus perditis, quæ in talibus solent evenire desidiis, ab utraque parte, quasi lance quadam universa trutinans, judicavit fore tacendum. Quid multa? Multis demum probatis consiliis, cum uxoribus et

VARIÆ LECTIONES.

[429] *deest* B. [430] assertione *Bl.* [431] multa magnaque B.

Digitized by Google

filiis omnique substantia, reseratis tamen civitatis portis, vultibus illorum nimia verecundia in terra demissis, homicidiis et opprobriis paulo antea invicem cum populo condonatis, urbem introierunt.

27. Ea[632] tempestate cum domnus[633] Heribertus omnes fere jam visitasset civitatum beati Ambrosii suffraganeos, quorum gratia Italiam circuiverat, illos in omnibus bonis adhortans, Taurinum bonorum agmine clericorum ac militum copia strenuissimorum vallatus devenit. Ubi cum per aliquot dies sedisset, cohortatus episcopum (90) et clerum civitatis, populum totius urbis, propheticis et apostolicis ammonitionibus, ut tanto decebat viro, quandam hæresim inauditam, quæ nuper in castello supra locum qui Monsfortis vocatur convenerat, audivit (91). Quod cum Heribertus audivisset, illico jussit ex ipso castro hominem illius hæresis, ut verius rem ipsam cognosceret, sibi repræsentari. Qui cum ante ejus vultum venisset, promptissimum gerens ad passionem animum, lætus si vitam suppliciis gravissimis finiret, vultu alacri ad omnia respondere paratus astitit. At Heribertus cum ipsum tanta constantia paratum vidisset, seriatim ac studiose vitam et mores ac illorum fidem sciscitari cœpit. Igitur licentia data ac silentio imperato, dicens Girardus adorsus est : « Deo omnipotenti Patri et Filio et Spiritui sancto gratias refero immensas, quod tam studiose me inquirere satagitis. Et qui vos ab initio in lumbis Adæ cognovit, annuat ut sibi vivatis sibique moriamini, et cum ipso per sæculorum sæcula regnantes gloriemini. Vitam meam et meorum fratrum fidem, qualicunque animo ea sciscitetis[634], vobis edicam. Virginitatem præ ceteris laudamus; uxores habentes, qui virgo est virginitatem conservat, qui autem corruptus, data a nostro majori licentia castitatem perpetuam conservare liceat. Nemo nostrum uxore carnaliter utitur, sed quasi matrem aut sororem diligens tenet. Carnibus numquam vescimur; jejunia continua et orationes indesinenter fundimus; semper die ac nocte nostri majores vicissim orant, quatenus hora oratione vacua non prætereat. Omnem nostram possessionem cum omnibus hominibus communem habemus. Nemo nostrum sine tormentis vitam finit, ut æterna tormenta evadere possimus. Patrem et Filium et Spiritum sanctum credimus et confitemur. Ab illis vero, qui potestatem habent ligandi et solvendi, ligari ac solvi credimus. Vetus ac novum testamentum ac sanctos canones cottidie legentes tenemus. » Cumque hæc et multa alia Girardus ingenio acutissimo dixisset, quibusdam magna ac terribilia videbantur. Interea domnus[635] Heribertus ejus astutiam et ingenium agnoscens pravum, de singulis verbis quæ ipse prædixerat, qualiter aut quomodo sentiret ac socii ejus, evidenter aperire præcepit, et maxime qualiter de Patre et Filio et Spiritu sancto sentirent; et[636] præterea[637] de singulis præcepit aperire. Quo audito Girardus lætabundus infit : « Quod dixi Patrem, Deus est æternus, qui omnia ut ab initio, et in quo omnia consistunt. Quod dixi Filium, animus est hominis a Deo dilectus. Quod dixi Spiritum sanctum, divinarum scientiarum intellectus, a quo cuncta discrete reguntur. » Ad hæc Heribertus respondit : « Amice, de Christo Jesu domino nostro, qui natus est de Maria virgine, verbum Patris, quid dicis? » Respondit : « Jesum Christum quem dicis, est animus sensualiter natus ex Maria virgine, videlicet natus est ex sancta scriptura. Spiritus sanctus sanctarum scripturarum cum devotione intellectus. » Heribertus : « Conjuges quare accipitis nisi ad sobolem procreandam, unde humanum genus nasceretur? » Respondit : « Si universum genus humanum sese conjungeret, ut corruptionem non sentiret, sicut apes sine coitu genus gigneretur humanum. » Heribertus : « Peccatorum nostrorum absolutio in quo est? in apostolico, aut in episcopo, aut in sacerdote aliquo? » Respondit : « Pontificem habemus non illum Romanum, sed alium, qui cottidie per orbem terrarum fratres nostros visitat dispersos; et quando Deus illum nobis ministrat, tunc peccatorum nostrorum venia summa cum devotione donatur. » Heribertus : « Vita vestra quomodo in tormentis finit? » Respondit : « Si nos per tormenta a malis hominibus nobis ingesta deficimus, gaudemus; si autem aliquando nos ad mortem natura perducit, proximus noster, antequam animam damus, quoquomodo interficit nos. » Cum hæc omnia Heribertus auribus intentis audivisset, tacite mirans, ceteris autem sua capita nutantibus : si in fidem catholicam, quam Romana ecclesia tenet, et baptismum, et vere Filium Dei, qui natus est ex Maria virgine secundum carnem crederet, et illud esse verum corpus et verum sanguinem, quem sacerdos catholicus quamvis peccator per verbum Dei sanctificat, cum sciscitatus est. Respondit : « Præter nostrum pontificem non est alius pontifex, quamvis sine tonsura capitis sit, nec misterium. » Quo audito, ut fama illorum erat, rei veritas apparuit. Et mittens Heribertus quamplurimos milites ad illum Montemfortem, omnes quos invenire potuit, cepit; inter quos comitissam castri

VARIÆ LECTIONES.

[632] *Titulus* : De hereticis de Monteforti, calidis argumentis alios seducentes. A°. De Girardo heretico cum sotiis de Monteforti hereticis. *rell.* [633] *deest* B. [634] scisitatis B. [635] *deest* B. [636] *deest* B. [637] postea B.

NOTÆ.

(90) 1011 — 1039 Landulfus sedit, cui succesit Wido.

(91) Cf. Rod. Glabr., IV, 2; Anselm. Leod., 62—64; Terraneo, II, c. 18, qui a. 1034 hæc accidisse existimat.

Digitized by Google

illius in hac hæresi sentientem cepit[436]. Quos cum Mediolanum duxisset, et per multos dies et per suos sacerdotes in fide catholica eos reintegrari desiderans laborasset, timens ne genus Italiæ hujus hæresi contaminaretur, perplurimum dolebat. At ipsi nefandissimi et a qua orbis parte in Italia fuissent eventi inscii, quasi boni sacerdotes cottidie tamen privatim rusticis, qui in hac urbe eos videndi causa convenerant, falsa rudimenta a scripturis divinis detorta seminabant. Quod cum civitatis hujus majores laici comperissent, rogo mirabili accenso, cruce Domini ab altera parte erecta, Heriberto nolente illis omnibus eductis lex talis est data ut, si vellent, omni perfidia abjecta crucem adorarent, et fidem quam universus orbis tenet confiterentur, salvi essent; sin autem, vivi flammarum globos arsuri intrarent. Et factum est ut aliqui, ad crucem Domini venientes et ipsam confitentes fidem catholicam, salvi facti sunt; et multi manibus ante vultus missis inter flammas exilierunt, et misere morientes in miseros cineres redacti sunt.

28. Tempore[438] quo hæc agebantur supradicta, miraculum memoria dignissimum, nostrisque quod terris apparuit adhuc Heriberto corpore vitaque degente, et maxime quocirca hanc urbem Dei virtute nactum est, ac ejus operante misericordia versatum est, calamo competenti edicam. Transactis enim annorum curriculis 25, in quibus famis pestilentia fere terram universam attenuando gentes notas et ignotas invaserat, et Heribertus archiepiscopus venerandus, prout supra dixi[440], in veritate comperiens, ab introitu sui honoris divina misericordia edoctus, elimosynas cottidie largiretur immensas, ut sui cursus finem Dei clementia approbaret, omnibus fidelibus et infidelibus diligenter ostendere curavit. Venientes autem aratores et bubulci cum[441] terrarum sulcos diligenti cura solito more superassent, et sulculi cultoribus suis sinum ad debitum recipiendum per semina aperuissent, ut[442] largius ac habundantius aratores semina sererent, quodammodo temporis amœnitate ipsos adhortante, magnis exercitiis magnisque laboribus in iis operam dederunt. Itaque seminatis seminibus fugatisque a cœlo nubibus, cultores de die in diem serta[443] rura manicantes circuibant. Interea[444] tantum a ventis siccata, nec cœlorum imbribus madida nec in iemalibus frigoribus desuper fusis pruinis astricta, sed pulverulenta quasi Ægyptiaca et infructuosa jacebat. Jam enim iemps transierat, et agrorum cultores digitis semina fusoque pulvere discoperientes, ipsa sana et integra repe-

A riebant, ac si semper in vasis tutissimis ea servassent. Quibus visis seminibus omninoque ebetati ineffabiliter mirabantur. Igitur clerus et populus universus, matronæ et pauperculæ mulieres de Dei misericordia confidentes, orationibus, vigiliis ac jejuniis necnon elimosynis Deum et sanctos ejus cottidie et indesinenter supplicantes humiliter exorabant. Quibus per plurimos dies fatigatis, Deus, qui non patitur suos temptari ultra quam possunt ferre, clementiæ suæ misericordia pietatis affectum[445], ut pater clementissimus, mitissime aperire ac pandere curavit. Cum enim quadragesimale jejunium termino concurrente suo finis[446], palmis ac olivis traditis fidelibus, accelerasset, et sacri baptismi fontes secundum beati Ambrosii ordinationem, quam B ipse Spiritu sancto amministrante ordinaverat, sanctificati fuissent, Dei misericordia patenter reserata, imbrem copiosissimam nubes primo leniter stillas subtilissimas mittentes effuderunt. Quo viso quove facto, summo tripudio universi lætantes ac diem sacratissimum summa cum devotione celebrantes Deoque gratias immensas referentes lætati sunt, gaudioque gavisi tripudiati sunt demum clementia Dei ad[447] messem, quantam ullo in tempore summæ fertilitatis collecta minime est.

29. Cum[448] rex autem dominus noster cœlorum terrarumque creator Christus Jesus, qui omnia exaltat humilia omnesque superbos deprimit, diu ac tempora per multa Mediolanensium civitatem beati Ambrosii meritis super omnes Italiæ civitates cleC ricis militibus strenuissimis multisque sapientibus atque[449] hædificiis imperialibus elevasset: in morte præclarissimi sacerdotis atque archiepiscopi Heriberti, cum quo omnes ecclesiæ Ambrosianæ ac clericorum ejusdem honores abierunt, malorum civium meritis exigentibus, ipsam compescere et comprimere disposuit. Quod cum[450] assidue congruentissimis successibus maximeque cultibus divinis religiosorum sacerdotum ac sapientissimorum ordinariorum copia in divinis perflorescente scripturis, ecclesiam præ cæteris Ambrosianam elevasset ac sublimasset ecclesiis, ipsos ordines, quos beatus Ambrosius ad Dei honorem ordinando instruxerat, meritis populi qui tunc aderat et futurus erat, in morte Heriberti quasi ad nichilum demolitus est. In D tantum enim Dominus civitatem ipsam meritis tanti viri sublimaverat, ut, si dux aut marchio Italiæ totius injuste aliquid adversus alium sive de minoribus sive de majoribus ageret, et nimia eum superasset vi[451] virtute, virga pastoralis ab Heriberto missa atque in loco sive in manso fixa fuisset, unde

VARIÆ LECTIONES

[436] *ita* B. I. q. c. c. i. i. h. h. s. c. A*. *et Bl. post* duxisset *demum exhibent ita :* et præ ceteris com. e. i i. h. h. s. [439] *Titulus :* De famis periculo, quod per annos 25 Italiam moleste invasit, et d. Heriberti archiepiscopi elimosinis. A*. De miraculo fertilitatis d. Heriberti archiepiscopi tempore famis, quæ per annos 25 duravit. *rell.* [440] a. v. p. s. d. *desunt* B. [441] *deest* B. *Bl.* [442] et ut *Bl.* [443] sata *Bl.* [444] et terra *Bl.* [445] m. et p. affectu A*. *Bl.* [446] *deest* A*. fini *Bl.* [447] Dedit *Bl.* [448] *Titulus in codicibus :* De reverentia, quam omnis Italia d. Heriberto sedule (ac devote *addit* A*.) impendebant. [449] *deest* B. [450] dum B. Qui d. *Bl.* [451] vi *deest* A**. s. vi vir virtute A*. B. vi aut virt *Bl.*

Digitized by Google

orta dissensio erat, ab injuriato humilibus [455] precibus requisita concordia, continuo non adquiesceret superbus, nec ullam vim alteri inferre, donec res ipsa legaliter discussa fuisset, minime audebat.

30. Cujus [456] in tempore lex [457] sancta atque mandatum novum et bonum e cœlo, ut sancti viri asseruerunt, omnibus christianis tam fidelibus quam infidelibus data est, dicens quatenus omnes homines secure ab hora prima Jovis usque ad primam horam diei Lunæ, cujuscunque culpæ forent, sua negotia agentes permanerent; et quicunque hanc legem offenderet, videlicet treguam Dei, quæ misericordia domini nostri Jesu Christi terris noviter apparuit, procul dubio in exilio dampnatus per aliqua tempora pœnam patiatur corpoream. At qui eandem servaverit, ab omnium peccatorum vinculis Dei misericordia absolvatur.

31. Cum [458] enim dominus ac noster redemptor atque salvator omnium Christus Jesus per multa jam tempora antecedentia beati Ambrosii omnes ecclesiasticas ordinationes, quas ipse cultui divino ad Dei honorem opere decentissimo, prout cuicunque rei competebat, ornaverat prædiis [459], atque miraculis suæ majestatis dextra exaltaverat, quasi hæc omnia oblivioni jam tradita fuissent, in baculis gloriosis summi antistitis Ambrosii per summum miraculum tamen tempore beati Heriberti archiepiscopi declarare curavit, necnon in quantæ reverentiæ quantæque diligentiæ universis fidelibus, qui modo sunt et qui futuri sunt, Ambrosianicos actus omnes forent, inaudito et inviso miraculo humiliter propalare curavit. Evenit itaque quod baculi sancti Ambrosii, cum quibus tamen juncta virga pastorali pœnitentiales et ipse in ecclesia Dei trahere, quamdiu in hac vita vixit, solebat, furtim per latrocinium casu sublati sunt. Quibus a sacrilegis fractis, argento et auro, e quibus baculi erant circumdati honore et reverentia beati Ambrosii decoratis, sacrilegi ligna eorum nudata in quodam turpissimo secessu, ut amplius minime invenirentur clanculo immiserunt, auri vero et argenti lamas cuidam aurificæ artis magistro, simulantes hæc a quibusdam Allobrogis emisse, ut semotim delinquarent, aurificis mercede apretiata, contulerunt. Igitur fornace jam accensa [460] et sacrilegis superastantibus, aurifex auri laminas [461] super candescentes carbones manu tenens misit. Quibus missis maleque aquisitis carbonibus superimpositis, continuo imperio Dei fornace urgente, ab igne prosilierunt. Quas magister ac sacrilegi colligens, in fornace easdem super carbones curialiter misit. Demum ignis, voluntate divina operante, ipsas gravius laminas [462] emisit. Tandem magister commotus, primo omnino ignorans qua de causa ista insolito advenirent, quod amplius non viderat, arrepto malleolo nimia ira commotus universas in unum constringens laminas [463] ignem misit in ipsum. At Deus cum jam beati Ambrosii meritis furtum per sacrilegos actum pandere curaret, et ultra illorum perfidiam non patiens, super magistrum et super sacrilegos laminæ sonum grande ferentes et terribiliter salientes apertissima Dei ira ipsos in vultibus misere combusserunt. Quæ visio omnes qui ad hæc videnda jam antea convenerant, aurificis domestici ac vicini ejusdem, ut erant laminæ venerandæ testificantes, sacrilegos ipsos dentibus stridentes voce grandi vocitabant. Itaque convocatis aliquantis hujus urbis nobilibus, carcere obscuro, ubi damnati solebant concludi, pœnis attriti diversis durisque vinculis colligati redacti sunt. Quin etiam induciis usque mane [464] illorum vitæ donatis, aut illis quomodo adinvenissent ratione apertissima confiterentur, aut lignis altissimis suspensi durissime punirentur. Enim hoc sacrilegium nec a custodibus secretarii factum esse erat compertum, nec civibus ullis reseratum. Quid multa? Sacrilegi, procul dubio cognoscentes sese morti subito incursuros, si quod Deus paulatim fidelibus beati meritis Ambrosii reserabat, ipsi omnino denegarent: paucis convocatis sacerdotibus, fide pro salute illorum accepta, universa qualiter ipsi egissent seriatim illis aperuerunt; quin etiam locum ipsum, in quo per semetipsos ligna [465] eorumdem baculorum immiserunt, verbis apertissimis narraverunt. Hoc audito sacerdotes nimia reverentia commoti fere angustiati sunt. Interea quidam animo cupienti clericus cursu velocissimo ad locum teterrimum et a sacrilegis prædictum, ut ligna videret, non ut inde ipsa traheret, cucurrit; qui intro aspiciens, ligna ipsa rupta ac pendentia vidit, ut nec a cœno sordidabantur nec ab ulla parte tangebantur. Cum autem hoc in veritate, quod clericus invenerat, sacerdotes invenissent, convocato populo universo continuo hæc omnia seriatim notificaverunt. Itaque populus omnesque clerici Deo et beato Ambrosio gratias referentes immensas, cognoscentes hæc ut erant facta per ordinem, lætati sunt. Et baculis usui pristino reintegratis, auro argentoque circumdatis, ruptura quam maligni fecerant non apparente, in Deum gavisi sunt.

32. (*An.* 1045.) Revolutis [466] annorum multis curriculis, in quibus domnus Heribertus cathedræ Ambrosianæ decentissime ac pro tempore in cunctis ecclesiasticis officiis strenuus ut operator floruerat summa pars nobilium majorum militum, quæ usque ad illud tempus ecclesiæ ac clericorum tutamen

VARIÆ LECTIONES.

[455] humilis B. [456] *Titulus:* Incipit de tregua Dei excerptum, quod Jerosolimis apparuit. A*. De quodam, quod Hierosolymis apparuit. A**. *Bl.* De quodam. B. [457] l. quidem s. B. quædam l. s. *Bl.* [458] *Titulus in codicibus:* De miraculo (mirabili A*.) baculorum sancti Ambrosii. [459] prodigiis *Bl.* [460] i. a. *desunt* B. [461] lamas B. *const.* [462] *deest* B. [463] ligni B. [464] *Titulus:* De morte domini Heriberti archiepiscopi Mediolanensis (Med. *deest* B.) MXLV.

Digitized by Google

fuit, ad se vocari præcepit. Qui hæc beneficia ecclesiarum ac beati Ambrosii episcopatum commendans, pro quibus multotiens viriliter pugnaverant, quam magnifice eos adhortabatur et dicebat, si pro beneficiis ecclesiarum a perfidis liberandis morti opprimerentur, tantum illis valere, quantum mors sanctorum illis fuit. Demum cum jam sui corporis cursus temporaneæ fini accelerare vidisset, multis prædiis multisque castellis primicerio suisque omnibus sacerdotibus decumanis ceterisque ordinariis majoribus et minoribus dedisset, multisque monasteriis pro universorum christianorum animabus maximeque pro Ambrosianæ ecclesiæ defensoribus ac dilectoribus nec non et sua ordinatis, aliquamdiu tamen ægrotus quievit. Interea convocatis sacerdotibus ac diaconibus, summa cum devotione omnium peccatorum pœnitentia accepta atque confessione coram omnibus facta atque absolutione a sacerdotibus per impositionem manuum Spiritu sancto cooperante donata, sanctam eucharistiam humiliter ac devote suscepit. Hoc facto lætis sacerdotibus et levitis ceterisque qui aderant exitum beatæ animæ psalmis venerabilissimis expectantibus, ut Deo ejus animam et angelis commendarent, mortem temporaneam, non æternam, fretus Dei et beati Ambrosii subsidiis expectabat. Dum hæc agebantur, Ubertus qui et cancellarius ejusdem erat, oculis lacrimosis crebrisque suspiriis omnia quæ domnus Heribertus sibi fecerat bona reminiscens, graviter tristabatur. Quem cum Heribertus voce qua poterat, per omnia ob quæ ploraret inquireret, ille respondens : « O venerande pater, Italiæ honor, orphanorum pater, clericorum tutamen, sacerdotum ornamentum, viduarum, pauperum et mercatorum protector, usquo modo ecclesiæ totius Ambrosianæ tam longe quam prope, tam in divinis quam in humanis virilis defensor, quo pergis? Cui, pater, qui tibi coæquari poterit, dimittis nos? » Ad hæc verba nisu quo poterat Heribertus respondens dixit : « Frater carissime, si me unquam dilexisti, noli contristari; ego enim ad pedes beati Ambrosii mei et vestri patris securus pergo. » Migravit autem [462] beatus et dominus Heribertus ad Dominum 17. Kalendas Februarii 1045, et sepultus est ad Sanctum Dionyxium, cujus monasterium et ecclesiam ipse ad Dei honorem et beati Dionyxii exaltans magnificavit et multis prædiis multisque honoribus eam ditando et honorando sublimavit.

33. Post [463] cujus obitum cum solaris annus fere decem menses generi humano more solito administrasset (*Sept.*), et domnus Heribertus cura diligenti humatus fuisset, et aureus solis Christi [464] axis æstate se jam vertente calore amisso suo cursu solito recedisset [465], servata lege temporis, in quo omnium hominum corpora anima amissa ultra modum putrescere humani generis fragilitate solent : monachi quos ipse inibi ordinando consecraverat, quadam ira commoti, maxime quia bona quæ domnus Heribertus ecclesiæ sancti Dionixii et illis donaverat, a perfidis sine jure et sine lege invadebantur, discooperientes ipsum archiepiscopum Heribertum, ut illi quasi sese lamentarentur, summo lapide quo claudebatur eruderato civium visibus ad spectandum dederunt. Erat enim beatus Heribertus tantis revolutis diebus post obitum ejusdem vultu candido, oculis paululum apertis, qui ante omnia membra solent mortuis marcesci hominibus; manus ejus ita virgam pastoralem, quam vivus ipse erexerat, tenebat, quasi anima ejus adhuc esset in corpore; stola vero et omnia episcopalia, e quibus ut tanto decebat viro indutus erat, ita sana et nitida fulgebant, quasi in capside tutissima permansissent. Igitur hujus rei fama per urbem volante, universi cives nimia ira commoti, quasi fulminibus multis atteri ac grandinibus multis devastari sese viderent, cursu velocissimo ad sancti Dionixii monasterium concurrentes, monachos omnes quos invenire potuerunt, sine ulla interrogatione, ut populus solet sine misericordia motus, verberibus multis ac manu dilacerates fere usque ad mortem trucidarunt. In altero vero die miro honore cleri et populi, omnibus perditis restauratis ac invasoribus in populo universa refutantibus, quasi noviter migrasset ad Dominum, in eodem loco circa Kalendas Octobris conditus est, et ferro et plumbo a quatuor partibus ejus sarcofago colligato, usque ad diem Domini in pace Deo opitulante quiescet [466].

34. Cum [467] omnia ad suum vadunt interitum, ac dilapsa suum non iterant [468] cursum, sæculi fine cuncta ad occasum volvente, et summis diu stare negatum fuisset, summa et divina universa cœlestia et humana regente præscientia : clerus Ambrosianus fere ipsa cum ecclesia, quæ per multa tempora clericorum suorum conatibus, ymnis ac symphoniis curiose ante Deum cottidie consonantibus magnifice steterat, nec non militum et populi virtutibus inter

VARIÆ LECTIONES.

[462] enim B. *ubi alia manus s. XV. in margine hæc posuit :* Ante sepulcrum Heriberti in facie parietis in lapide tales sunt versus : « Hic—ipsa. » *Vide Arn. II*, 20. [463] *Titulus :* Qualiter monaci Heriberti sepulcrum reserantes, post X menses ipsum sic splendidum invenerunt, ut enim migraret existeret B. ut eum viventem existimarent A**. *Bl.* De eo quod monachi sancti post multos dies reserati sunt corpus beati Heriberti. A*. [464] $\frac{1}{x}$ *codd.* [465] recesisset B. [466] *in* B. *eadem illa manus s. XV. addit in margine* : Hoc sepulcrum Heriberti ictu fulminis eversum est die 23 Augusti anno 1403 et reseratum. Quod videntes monaci, ejus reliquias in altare majus transtulerunt. Sicque in illo sepulcro jacuit annis 358. Postea vero dominica prima Septembris anni 1403 domnus Matheus Canchanensis primicerius et ordinarius de mandato d. Petri archiepiscopi illius ossa iterato in illum tumulum transtulit. [467] *Titulus :* Incipit de ordinibus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, tam in Deo quam in sæculo, tam in studiis divinis quam humanis, tam in clericis nutriendis quam in parvulis et orphanis alendis, tam sacerdotum virgulis et anulis, quam laicorum omnium admonitionibus. A*. A**. *Bl.* De ordinibus Mediol. eccl. in studiis divinis et humanis, in nutriendis clericis, parvulis, orfanis alendis, ac sacerdotibus imbuendis. B. [468] *ita* B. intrant A*. *Bl.*

Digitized by Google

ceteras virtutes longe lateque floruerat, *in recessu* A beati Heriberti quasi pastore destitutus, civium malorum meritis tam clericorum quam laicorum sævissimis dissidiis intervenientibus, fere ad nichilum redactus esse perspicitur, in tantum et in tam parvo tempore ita anichilatus est, ut, si ipse sanctus Ambrosius modo superveniret corpore, nec clerum nec civitatem ipsam testaretur fore, in qua cum adhuc viveret episcopatum rexisset. At cum reminiscor e quanta magnitudine quantisque honoribus clerum ipsum negligentia sui cecidisse, e quibus beati Ambrosii ecclesia lucidissime ac diu perfloruit, lacrymis modo perfusis velut filius de sua matre et mortua deplorans, cujus auxilio cujusque sustentaculis ceterisque nutrimentis alitus fuerat, multisque singultis pectus conquassantibus meum, quæ B meis evenere temporibus, non per omnia sed per aliquas particulas posteris, ut se a talibus custodiant eloquar.

35. Sed [669] priusquam [670] ea in quibus animus intendit dicam, paucas ordinationes quæ usque ad exitum domni Heriberti mire constitutæ fuerunt ac nitide permanserunt edicam; sed numquid secundum quod præ ceteris eminens valebat, posteris fidelibus narrando ac scribendo quivero ostendere? Minime certe; nam ut omnia non omittam, ab ecclesiarum rectoribus ac magistris, qui ipsos et populum in dilectione Dei et proximi rexerant, et qualiter in divino officio studiose insistebant, et subditos ut curialiter cultibus divinis die ac nocte operam darent admonebant et adhortabantur, enucleatius pandere C et aperire curabo. Igitur ecclesiæ beatæ Mariæ, quæ hujus archiepiscopatus secundum Domini caput extitit et Deo annuente semper existet, quæ Hyemalis usque hodie vocatur, ut beatus Ambrosius ordinaverat, archiepiscopatu [671] vita et nomine venerandus Wibertus præerat, qui cantu ac scientia Ambrosiana funditus doctus, necnon divinarum literarum peritia præditus, cottidie ferulam superius et inferius corio ornatam manu propria tenens, omnes cura vigilantissima custodiebat. Quem ordines omnes tam majores quam minores clerici ex debito ut patrem timentes et ut fratrem amantes venerabantur. Cottidie enim regebat et emendabat officia ecclesiastica, et, si opus erat, puerorum ordinem aut per se aut per D magistros viros corripiebat. Intentus maxime circa ipsos quos ad sacros ordines recipiebat, tam de urbanis quam de plebibus, adjuncto tantum primicerio studiose singulos sciscitantes, si cantu, lectione ac aliis bonis moribus ornati fuissent, necnon si essent sine crimine, si unius uxoris viri, aut virgines, aut si in virginitate permanere possent, aut cum uxore degere valerent. Si autem in virginitate uxorem aliquis non habens permanere non posse fatere-

tur, humanam ac fragilem naturam sciens restringi non posse nisi Dei misericordia adjutus, continuo in testimonio bonorum virorum secundum legem humanam, licentia a pontifice accepta, uxor tamen virgo illi desponsabatur; unde apostolus : « Qui se non continet, nubat (*I Cor.* VII, 9). » Et unusquisque excepta causa fornicationis suam uxorem habebat; qua accepta non minus venerabatur et amabatur, quam si sine uxore idem degeret; quoniam qui sine uxore vitam in sacerdotio agere videbantur, viris uxoratis ordinis utriusque, ne ab illis inhoneste circumvenirentur, semper suspecti erant. Usus enim ecclesiæ totius tam Latinæ quam Græcæ per tempora multa sic se habebat : sacerdos, qui unius uxoris vir inveniebatur ac suæ domui ac familiæ bene profuisse a fidelibus compertus fuisset, ad episcopatum summa cum devotione multis fidelibus laudantibus promovebatur. Quicumque enim ex clero concubinarius inveniebatur, cujuscumque ordinis foret, ultra non promovebatur; judicantes gravissimum peccatum esse, de quo dicit apostolus : « Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur (*I Cor.* VI, 16). » Qui autem nec ætate nec scientia nec bonis moribus pollebant, ut studiose a magistris quæ necessaria erant discerent, benigne adhortabantur, quatenus ad hoc officium recipiendum quandoque Deo volente venirent, meliusque informati apparerent. In choro vero archidiaconus et archipresbyter, unus ab una chori parte, alter ab altera, chorum ipsum regentes religiose, ut psalmos, ymnos, cantus ceteraque divini cultus officia ordines ceteri psallerent, curialiter die ac nocte insistebant. At si eorum unus inhoneste aut cantaret, aut legeret, aut staret, aut mussitando in choro alterutrum verbosaret : aut sese continuo a vitio in quo peccabat emendabat, aut extracta interula in secretario virgis ab archidiacono vellet nollet emendabatur [672]. Non erat enim homo qui ipsum de ejus manibus eripere auderet, quamvis ille qui scopabatur aut de marchionibus aut de comitibus aut de capitaneis natus fuisset. Itaque officia ecclesiastica in omnibus timore ac reverentia horum religiose ac curialiter die ac nocte celebrabantur. Nullus enim sine candida toga chorum intrare audebat, nullus sine caputio birri capite velato intrare chorum audebat, nullus horum inhoneste gradiens intrare audebat, nullus balbutiens lingua de aliquo officio sese intromittebat, nullus clericus indumentis diversis vestiebatur, nullus laicalem habitum aut in birro aut in vestibus aut in calceamentis sumere audebat. Quid multa? Omnes ita vivebant in domibus propriis, quasi in alienis, circa divina officia solliciti, circa usus ecclesiæ et suorum accuratissimi. In tantum enim in clericali habitu longa sæculi vetustate ac usitatione,

VARIÆ LECTIONES.

[669] *Titulus* : De ordinationibus. [670] Et postquam B. [671] *ita codd. sed bene in* A. *Blanco teste recentior manus correxit* archidiaconatui; *v. infra III*, 21. [672] pecca.ant, emendabantur A*. *ubi* cm. a. c. i. i. s. v. a. a. v. p. *desunt.*

Digitized by Google

multis transactis temporibus, vultu, habitu, incessu erant nutriti, ut si aliquem chori Ambrosiani totius in Burgundia [473] aut in Teutonica aut in Francia literarum studiis deditum invenires, etiamsi non ultra vidisses, de hujus ecclesiæ usibus aliquantulum notus sine mora hujus esse ecclesiæ affirmares. In eadem denique ecclesia ferulæ decem, unaquæque suum et proprium ordinem erga subditos die ac nocte custodientes, a magistris studiose regebantur; quarum duæ extra chorum manentes, a magistro beati Ambrosii scolæ et a vicecomite, laicus laicos et ipse regens, tenebantur. Sacerdotes 24 ordinis majoris, diacones 7, subdiacones totidem, notarii multi, lectores ecclesiæ pondus portantes docti cantu, lectione, psalterio 18 [474]. Præter horum ordines 12 sacerdotes decumani, videlicet ordinibus de decumanis viri boni testimonii bonæque famæ. Hii officium præstabant in yemali ecclesia, et hæc in æstate agentes, quæ necessaria erant [475] populo manicanti (92). Custodes 16 boni viri ac in omnibus ecclesiasticis officiis curialiter eruditi. In scola sancti Ambrosii decem viri clerici, tamen cum ipsis mulieres jam senescentes, vestibus corporis et capitis ornamento mutatæ totidem, panem et vinum pro populo universo cottidie offerentes. Hii omnes cottidie Dei servitio et beatæ Mariæ ac urbis universæ persistentes, suum officium per singulos dies Deo et populo desideranti persolvebant. Scolæ vero, ubi cantus magistri ad docendos pueros cottidie conveniebant, in atrio ante ipsius ecclesiæ regias duæ erant, quæ ab archiepiscopo, cum opus erat, mercede data nummorum, scolares a magistris emendabantur [476] secundum quod Ezechiel propheta dicens affirmat: « Extra portam interiorem gazophilacia cantorum (*Ezech.* XL, 44). » In atrio interiori, quod erat a latere portæ respicientis ad aquilonem, philosophorum vero scolæ diversarum artium peritiam habentium, ubi urbani et extranei clerici philosophiæ doctrinis studiose imbuebantur, erant duæ, in quibus ut clerici qui exercitiis tradebantur curiose docerentur, longa temporum ordinatione archiepiscoporum antecedentium, stipendiis a camerariis illius archiepiscopi, qui tunc in tempore erat, annuatim earum magistris honorifice donatis, ipse præsul multoties adveniens, sæculi sollicitudines a quibus gravabatur, a se depellebat, ac magistros ac scolares in studiis adhortans, in palatiis sese demum recipiebat Ambrosianicis. Præterea senodochia, e quibus alia suscipiebant clericos peregrinos, alia mulieres tantum pauperes et peregrinas, alia infantulos qui ante ecclesiæ januas a parentibus qui eos nutrire ac fovere minime valebant nimia paupertate attenuati, mittebantur, et mercede ac stipendiis obstetricibus ordinatis pueriliter alebantur. At sacerdotibus universis hanc urbem incolentibus magister præerat, qui primicerius et coepiscopus vocatur, cui urbis totius ac plebarum omnium sacerdotes humiliter ac devote obediebant; quibus ipse, quamvis de populo natus, tamen Deo et hominibus carus, pro tempore in loco qui presbyterium vocatur congregatis, divinæ legis ac fidei catholicæ mandata curiose docendo pandebat: Qui etiam subditorum meritis exigentibus, sæpe prout Deus illi administrabat, Dei dilectionem et proximi caritatem, sine qua nemo placebit Deo, ceteraque arma justitiæ, quibus armati stare possent ac adversariis resistere valerent, aperiebant. Præter enim cetera sacerdotalia officia, quibus curialiter decem prælati supradicti insistebant, sacerdotes omnes urbani virgam cottidie præter quadragesimam devote in manibus deportabant, quæ rotunda atque levigata honore decentissimo rectitudinis et apicem irreprehensibiliter tenebat, et ab omni macula polita, inferius lamina circumdata, clavum acutum stringens, vim regiminis ipsis sacerdotibus ostendebat, quatenus virgæ illius rotunditas, rotundam et conglutinatam caritatem ac perfectam mutuo Ambrosiani sacerdotes haberent, administrabat. Quicquid enim sanum est et rotundum, scissuram non habens, perfectum est, de qua divina scriptura clamat: « Deus non habitat in scissuris montium; et caritas quæ multitudinem peccatorum cooperit, una et perfecta est, de qua dicit apostolus: « Caritas patiens est, benigna est, non quærit quæ sua sunt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non ambitiosa, non cogitat malum, non irritatur, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, caritas nunquam excidet (*I Cor.* XIII, 4); » de qua dicit Gregorius (93): « Qui sine caritate virtutes congregat, quasi ventum in pulverem portat. » Caritas quam Deus erga humanum genus habuit antiqui parentis peccato emersum [477], ipsum hominem factum in cruce levavit; et caritas quæ in cruce Deum levaverat, ipsa homicidis Judæis indulgentiam seminabat, dicens: « Ignosce illis pater, quia nesciunt quid faciant (*Luc.* XXIII, 34). » Ac eadem sanctum Stephanum caritas amaverat [478]. Per hanc enim caritatem invicem serviebant, de qua dicit Apostolus: « Per caritatem invicem servite (*Gal.* V, 13). » Unde Veritas ipsa: « In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII, 35). » Clavum in virga deferebant acutum, ut peccatores et sceleratos verbi Dei disciplina sedule ac devote stimularent. Unde sapiens Salomon loquitur dicens: « Verba sapientis quasi stimuli, et

VARIÆ LECTIONES.

[473] gorbundia B. [474] *ita Blanco teste* A. *et Beroldus, Murat Ant. IV, p.* 861. XXVIII. *vell.* [475] quæ *et* erant *desunt* B. [476] m. enim dabantur B. [477] *i. e.* immersum. [478] *an* animaverat? *W.*

NOTÆ.

(92) Ordinarii enim per æstatem in eccl. Sanctæ Teclæ officio fungebantur.

(93) V. supra I, 3.

Digitized by Google

sicut clavi in altum defixi (*Eccle.* XII, 11). » Recta erat virga, quoniam sub episcopum populum Dei regebant. Recta erat, quia scripturarum rectitudinem tenere debebant. Recta erat, quia fidei catholicæ regulam per rectitudinem bonæ operationis ac perseverantiæ tenebant. Recta erat, quia senes sustentabantur per sustentamentum bonæ prædicationis, juvenes refovebantur per correctionem disciplinæ. Recta erat virga, quia subtus acuto ferro terram scindens, corda dura a peccatorum mole gravata ad pœnitentiam revocans stimulabat; de quibus stimulis dicitur per Salomonem : « Verba sapientis quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi. » Recta virga erat illa, quam ad similitudinem virgæ illius nostri sacerdotes in manibus deferebant, de qua Dominus suis discipulis ait : « Nolite ferre aurum nec argentum aut in zona æs, nisi virgam tantum [479] (*Matth.* X, 9). » Recta virga erat, quæ timpum virgæ illius gestabat, quæ olim virgas Ægyptiorum magorum, Pharaone astante rege durissimo, devoravit. Quoniam sicut Moysis virga digito Dei operante magorum illorum fantasticas virgas anichilavit, ita nostrorum sacerdotum virga gentilium idola annullavit, et eas illico aurium audito christicolas fidelissimos ad Deum convertendo effecit; de quibus David manu fortis in Domini persona dixit: « Populus quem non cognovi, servivit mihi, obauditu auris obedivit mihi (*Psal.* XVII, 45). » Beata et recta virga nostrorum sacerdotum, cujus similis in mundo, in cantu, in ornatu, ceterisque cultibus divinis minime habetur, quæ illius virgæ timpum tenebat, quæ olim populo Israelitico petram Oreb percutiens aquas fluentissimas venis largissimis manantibus propinavit. Recta virga illius sequens imaginem, quæ quondam populo Ebraico, cum jam saluti suæ, Pharaone et exercitu insequente, jam jamque desperasset, per Moysem spiritu Dei operante mari ter percusso ter aperuit, et Pharaone cum ejus [480] exercitu, undis animi [481] clausis, mari submerso, viam salutis ignea columpna antecedente aperuit. Unde et recte prophetarum eximius David dixit : « Virga enim tua recta est, virga regni tui (*Psal.* XLIV, 7); » et item : « Virga tua et baculus tuus ipsa me Domine consolata sunt (*Psal.* XXII, 4) » Si enim eos in sanctorum natalibus maxime ad psallentium, quod apud Romanos vocatur processio, supervenires, vestibus nitidos, honestate ac devotione laudabiles, magis dieeres episcopos quam sacerdotes urbanos. Ordinarii vero archiepiscopum antecedentes, diacones subdiacones, sacerdotes et quamplurimi notarii diversis ita splendebant ornatibus, quasi angelorum chori multis cum Dei virtutibus hominis formam habentes apparerent. At layci omnes unum dominum, laicum tamen, habentes, qui baculum ferulæ uni, unus qui decem regebat sacerdotes, ita venerabantur, quasi Dii essent apertissimi; de quibus propheta : « Ego dixi, Dii estis et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI, 6). » De quibus ordines universi tam clerici quam laici, cum opus erat, emendabantur. Et cum negotium alicujus rei exigente aliqua gravescente molestia, vel ut juvenum vel majorum vitia resecarentur, universi ordines Dei amore virgis aut sacris amonitionibus devote emendati invicem consolabantur; de quibus virgis et baculis propheta dicens clamat : « Virga tua et baculus tuus ipsa me, Domine, consolata sunt. »

36. Interea [482] omnes urbani sacerdotes in manibus dexteris anulos cotidie deferebant, quatenus ecclesiæ sponsos sese ostenderent, et divinarum literarum peritiam habentes, sinceræ fidei signaculum et expressio veritatis omnibus fidelibus religiose appareret. Unde [483] beatus magister et doctor Ambrosius in tractatu (VII, 231, § 232) quem ipse super Lucam scripsit, dixit : « Anulus quid est aliud, nisi sinceræ fidei signaculum et expressio veritatis. Qui autem anulum habet, et Patrem habet et Filium et Spiritum sanctum, quod significat Deum [484], cujus imago Christus, et dedit pignus Spiritus [485] in cordibus nostris, ut sciamus anuli [486] istius, qui in manu est datus [487], signaculum, quo cordis interiora factorumque nostrorum mysteria [488] signantur. Igitur [489] signati sumus, sicut et legimus : Credentes in quod [490] signati estis Spiritu sancto. » Cetera vero clericalia ornamenta nec non et calceamenta ab omnibus laicorum ornatibus evidentissimis argumentis erant diversa. Et auream mediocritatem retinentes, vicinis cari et civibus universis dilectissimi, in cunctis prosperabantur negotiis et in omnibus obediebantur disciplinis. Dei enim amore ac antiquorum parentum remediis in urbe hujus non erat, qui omni anno secundum posse suum non reciperet sua in domo summa cum devotione ad reficiendum duos sacerdotes, aut quatuor, aut duodecim, aut plures, attendentes illud evangelicum : « Qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit (*Matth.* X, 40). » Et ut prophetæ mercedem acciperent, magna cum humilitate et caritate ipsos recipiebant (94). Itaque his et aliis misericordiarum multarum elimosynis, si quid offensionis laicis

VARIÆ LECTIONES.

[479] neque v. *vulg.* [480] jam B. [481] utrimque *Bl.* [482] *Titulus :* De anulo. [483] ut B. *cui* m. e. d. *desunt.* [484] quia signavit nos Deus *ed. Par.* [485] spiritum *ib.* [486] hoc a. *ib.* [487] m. datur esse s. *ib.* [488] ministeria *ib.* [489] Ergo *ib.* [490] C. inquit s. *ib.*

NOTÆ.

(94) Hoc confirmat Nazarius quidam in An reæ V. Arialdi c. 6 de sacerdotibus dicens : *Quos ego in domum meam ad benedicendum eam voco, juxta meum posse reficio, et post hæc manus deosculans munus offero.* Cæterum de moribus sacerdotum longe diversam Andreæ Vallumbr. apponere libet relationem c. 3. *Erat enim tunc ordo ecclesiasticus, in tot erroribus seductus, ut ex illo vix quispiam*

Digitized by Google

inhærebat, et sacerdotibus illos moribus bonis imbuentibus solvebatur. Caritas quæ multitudinem peccatorum cooperit, universos omnibus bonis affluentes ut mater tuebatur. Præterea ætas sine bellorum incursionibus gentium vicinarum aut hostium extraneorum motionibus, in viris aut mulieribus perfecta integra atque jocunda erat. Et quamvis per paucula tempora antecedentia otio vacabant, libidini aut variis cupiditatibus minime insistebant. Tanta enim circa virorum et mulierum præcordia erat constantia, ut nemo nisi suam uxorem aliam cognosceret. Et prius, quod incredibile videtur, triginta annorum viri et mulieres erant, quam sese negotiis conjugalibus traderent; unde homines ac feminæ integri, fortes atque perfecti, si invenirent hominem duorum pedum aut trium, hunc non hominem, sed monstrum judicabant. Ætas integra sana ac opibus universis habundans; tempus habile, pacificum, jocundum, amœnum, caritativum atque salubre nobis in omnibus gentibus, quorum in nostris finibus resonabat.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS [491].

INCIPIT LIBER TERTIUS. [492]

1. Quandoquidem multa mei animi desiderium per diversa trahere conantur, et multis mei animi vel ordinis quassatus tribulationibus, quas ipse injuste a malis christianis, si fas est dicere, perpessus sum, ad ea quæ ego jam meis tabulis cardinalibus ad posterorum tutelam denotata esse recolo, ceteris prætermissis quæ occurrunt causis, incessanter redire curabo. Sed quoniam ecclesiastici ordinis multos quodam fastidio nequissimæ pigritiæ tædiatos cognosco, qui in posteris multa sacrarum scripturarum rudimenta ostendendo tradere potuissent, quibus sese a pseudosacerdotibus defendere ac liberare potuissent, minime operam dederunt. Qui dum falsas prædicationes per simulatam castitatem ac ficta jejunia, caritatem habere sese omnino simulantes, donis, privatis divitiis, in domibus viduarum aut in angulis platearum prædicantes, gladios acute subministrant acutissimos; de quibus prophetarum eximius [493] : « Ut sagittent in obscuro rectos corde (*Psal.* x, 2); dentes eorum arma et sagittæ, linguæ eorum machæra acuta (*Psal.* LVI, 5); » de quibus Dominus : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium (*Matth.* VII, 15). » Alligant onera gravia et importabilia, digito autem suo nolunt ea movere; solvendos ligant, ligandos solvunt, et prædicatione subtili viduarum in quadam plurima bona diripiunt; de quibus beatus Ambrosius in sermonibus dicit : « Nihil interest apud Deum, utrum vi an circumventionibus quis res alienas occupet, dum quoquo pacto teneat alienum. » Et item propheta : « Veh vobis, qui decimatis mentam et ciminum et anetum (*Matth.* XX, 23), et percutitis pugno impie. » Hi sunt enim, Veritate attestante, qui provocant iram Dei, de quibus sanctus Gregorius : « Deteriores sunt qui provocant iram Dei, quam qui merentur; » a quibus civitas Ambrosiana multa per tempora libera, modo malorum civium meritis obsessa, divinarum literarum ac scientiarum multarum margaritis velut porcis projectis, contaminata et maculata est. Ecclesia enim Ambrosiana Domino annuente sapientibus sacerdotibus, levitis ac subdiaconibus, super ceteras Asiæ abundabat ecclesias; unde in proverbium dictum est : « Mediolanum in clericis, Papia in deliciis, Roma in ædificiis, Ravenna in ecclesiis. » Sed multotiens advenire solet ut quanto sapientiores sunt multis, tanto suis exercitiis posteris minus providentes, hanc miseram vitam quasi indocti et im-

VARIÆ LECTIONES.

[491] in rebus secundis secundus *addit* A*. [492] in quo omnium malorum fomentum, iniquitatum diversarum argumentum regina discordia, omni dimisso amore omnique spreto timore inter clericos et ecclesiasticos, inter laicos et laicos, levitas et levitas, senes et senes, sacerdotes et sacerdotes, episcopos et episcopos, sedem Romanam duobus tenentibus pontificibus, apertissime ministravit. *addit* A*. In quo de discordia clericorum tractatur, quæ ex prædicationibus Arialdi ac Landulfi est exorta ad instantiam Anselmi, qui postea fuit papa Alexander II. *addunt* A**. B. [493] de q. propheta B.

NOTÆ.

existeret qui in suo loco veraciter reperiri posset. Nam alii cum canibus et accipitribus huc illucque pervagantes, suum venationi lubricæ famulatum tradebant; alii vero tabernarii et nequam villici, alii impii usurarii existebant : cuncti fere cum publicis uxoribus sive scortis suam ignominiose ducebant vitam, omnesque quæ sua erant, non quæ Christi quærebant. Nam quod sine gemitu dici vel audiri nec potest nec debet, universi sic sub simoniaca hæresi tenebantur impliciti, quatenus a minimo usque ad maximum nullus ordo vel gradus haberi posset, nisi sic emeretur quomodo emitur pecus. Et quod est nequius, nemo tunc qui tantæ perversitati resisteret apparebat, sed, cum lupi essent rapaces, veri putabantur esse pastores. — c. 4. *Ad quorum nimirum perversitatem detegendam et corrigendam, Mediolanum, ubi hæc iniquitas tanto erat copiosior, quanto urbibus ceteris ipsa est populosior, a Deo procul dubio præfatus missus est Arialdus.* Quem deinde ita loquentem inducit : *Vestri sacerdotes qui effici possunt ditiores in terrenis rebus, excelsiores in ædificandis turribus et domibus, superbiores in honoribus, in mollibus delicatisque vestibus pulchriores, ipsi putantur beatiores. En ipsi, ut cernitis, sicut laici palam uxores ducunt, stuprum quemadmodum scelesti laici sequuntur, atque ad nefandum hoc opus patrandum tanto sunt validiores, quanto a terreno labore minus oppressi.* Eodem modo in Eccl. Lucensi omnia beneficia veniisse, Alexander II attestatur epist 35. Mediolanensibus hoc jam Paschalis I exprobraverat, Mansi XIV, p. 378.

Digitized by Google

necilles per silentium misere transcurrunt, et qui vigilando, laborando et scribendo aliis prodesse potuerunt, ut animabus suis quandoque sitientibus aquam præpararent vivam, minime satagerunt; de qua caritate et misericordiæ aqua Dominus ad Samaritanam loquitur dicens : « Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joann.* IV, 14). » Sed ego homo quamvis tantillus, angustiis et tribulationibus lassatus, fretus ut credo posterorum meorum meritis, qui hæc videntes cognoscent me ad suarum dignitatum laborasse honorem, ad inceptum festinare aggrediar [694].

2. Igitur [695] præfinitis ac determinatis archiepiscoporum nostrorum causis, quas ego multo sudore multoque labore antiquos sciscitando omnes, veritatem tamen amantes, curiose repperi, ac civitatum Italiæ totius librorum paginas rimando fere scrutatus sum, et prout potui multa in brevi comprehendens, meis cartulis subscripsi; nunc ad historiarum seriem redeam, quam legis peritus aliquis, prout fuit et in veritate comperi enarrare.

3. (2.) Aliquantis [696] diebus post præclarissimi Heriberti decessum transactis, civium universorum collectio adunata est. Ob quam causam civitas coadunata sit, mihi narrare operæ pretium est. Civibus [697] enim convenientibus in unum tam clericis quam laicis, longas solventes orationes in populo, quatenus de acquirendo et eligendo archiepiscopo consulerentur, quapropter quatuor majoris ordinis viros sapientes optimæ vitæ bonæque famæ elegerunt, quibus electis, universæ civitatis ordines ipsos ad imperatorem Henricum, qui noviter surrexerat noviterque populum ipsum a majorum manibus liberaverat, summa cum diligentia direxerunt; et hiis imperatori repræsentatis, ipse discrete provideret consciliis rimatis, quatenus unum de istis quatuor archiepiscopum laudando, anulo et virga pastorali confirmaret, quem confirmatum cives majores et minores indubitanter tenerent. Factum est autem, Wido imperatoris fretus aminiculo, qui et ipse consilium arcanum domni Heriberti criminose imperatori denudaverat, ipsos cum paucis subsecutus est. Cum enim in curia regali electi diacones Widonem vidissent, taciti intrinsecus ob pactum quod ipse cum imperatore fecerat, singulo de se desperante, hujus eventus rimati sunt. Quid multa? Ventus est dies statutus (*an.* 1045, *Jul.* 18), in quo imperator archiepiscopum suis cum omnibus primatibus laudando confirmaret. Itaque ordinarii et capitanei ceterique per jussum civitatis qui cum ipsis iverant, cum ante imperatoris præsentiam astitissent, et negotiis verbis loculentissimis, ut natura dabat, multis episcopis et primatibus astantibus, ornate denotassent, freti majorum suorum dignitatibus et consciliis, tandem consederunt. Quibus imperator respondens, inter cetera aliquantulum dubitans, videns viros sapientes, discretos atque affabiles doctrinisque affluentes, inter se tacite Guidonis et horum causam diu rimari visus est. Tandem voce propria Guidonem retro post omnes ibidem astantem ante vocavit; quo vocato, universos percunctari cœpit, si archiepiscopum vellent? Qui tertio dixerunt : « Petimus, volumus, desideramus. » Ad hæc imperator : « Si ex toto corde petitis, vultis, desideratis, Guidonem accipite. » Hoc audito clerici ac laici omnes minime in primis hæc audire cogitantes, vultibus pallidis voceque submissa renuerunt. Quo audito imperator ipsos sciscitari cœpit dicens : « Quod festum hodie celebratis? » Responderunt : « Sancti Materni. » « Quis fuit iste Maternus? » Responderunt : « Primicerius nostrorum lectorum. » « Cujus prosapiæ fuit? » Responderunt : « Cujuscumque prosapiæ [698] sit, suscepimus eum. » « Ita, si cujuscumque sit suscepistis, et Maternus vester fuit archiepiscopus, hunc Guidonem probum virum suscipite. » Igitur finitis ac præordinatis consciliis quæ imperator partim private partim publice cum Guidone curiose egerat, in omnibus ipsum magnificatum ac per omnia sublimatum direxit Mediolanum. Cum autem Guido venisset Mediolanum, cujus fama negotii paulo ante urbem supervolaverat, usu antiquo ac imperiis imperatoris urgentibus, honorifice ac devote [699] susceptus est. Qui per viginti Ambrosianum archiepiscopatum pacifice regens annos, prout tempus exigebat, omnia clericalia ac sæcularia officia curialiter ac devote, ut suus antecessor, custodire et magnificare sataguit. Qui circa sæcularia colloquia secretisque in consiliis astutus, circa proferenda verba vero facundus, in divinis autem perparum eruditus. Interea ordinarii omnes, quos ipse multis beneficiis multisque honoribus a dolore animi et a corporis indignatione, quibus antea in curia regali famose imbuti fuerant, sedare ac mitigare minime potuit, ut desidium super ipsum obnixe exerceretur, verbis inhonestis cottidie, tamen populi timore secrete, detrahebant. In tantum enim illorum animi ira, odio, ambitioneque detestabili erant imbuti, tabescentesque serviebant, ut quadam die cum ad celebranda divina mysteria mirifice ornati, prout gradus uniuscujusque postulabat, cum ipso Guidone ante beatæ Mariæ altare seriatim venissent, malo suorum omine et posterorum tam majorum quam minorum, cum suorum veniam peccaminum a Deo summis cum lacrymis exigi debebant, Dei iram provocarunt. Omnes enim relicto solum archiepiscopo quasi dæmones sanctis sparsis thimatibus fugientes, populo spectante et mirante universo, durisque subsannationibus stridentes evanuerunt.

VARIÆ LECTIONES.

[694] *ita correxit Bl.* h. i. ad quem f. a. A*. A**. h. ad quem f. a. B. [695] *Titulus :* Recapitulatio. *Hic titulus deest* A**. *Bl. qui sequens caput secundum dicunt et sic deinceps.* [696] *Titulus :* De electione Guidonis archiepiscopi. [697] quibus B. [698] *deest* B. [699] a. d. *deest* B.

Digitized by Google

Quo facto, pluribus perfusis lacrimis, prout potuit Guido mysterii solempnia celebravit. O zelum nequissimum! O invidia crudelissima! O ira sceleratissima! An ignorabatis Luciferum ipsum, quem Deus super omnes angelos scientia, claritate ceterisque dignitatibus sublimaverat, nimia invidia honoris Dei irrecupabiliter cecidisse? Saltem vel beati Ambrosii reverentia, cujus cathedram quamvis indignus ipse regebat, et episcoporum reverentia ac ordinum vestrorum et ecclesiæ totius orbis, animique vestri intentionem propalare timuissetis. Vestris enim peccatis exigentibus, dum putastis illum vituperare, cum ipso non post multum tempus sine misericordia cadentes redarguemini. Verberastis illum verbis et subsannationibus multis, et vos popularibus flagellis verberabimini innumerabilibus. Vos tabescente invidia voluistis ante Deum vestra confiteri peccata, at Deus ipse, qui vobis non parcet, vestra reserabit flagitia. Reliquistis vestrum archiepiscopum ad altare Dei solum, ut apertius eum malis artibus opprimeretis; et Deus ante theatrum, populo astante crudeli, male aptatos pessimeque tractatos vos frustra nomen Domini invocantes relinquet.

4. (3.) Ea [900] tempestate (*an.* 1050, *Apr.*) dominus [901] Guido Romæ apud Romanum pontificem Leonem, ipsoque Leone concilium multis cum episcopis regente, qui antea Papiæ synodum clementer celebraverant, accusatus est. Qui cum magnifice, multis sapientibus clericis ac strenuissimis militibus honoratus [902], accusationes quasi plumbo ipso in concilio multis ac diversis rationibus oppugnasset [903], et cuncta canonibus aliisque argumentis inimicorum callidas superasset insidias: ecce subito suis altercantibus domesticis et archiepiscopi Ravennatis, asserentes quod Ravennas archiepiscopus a dextro latere apostolici super Mediolanensem sedere semper deberet, bellum gravissimum ortum est. Quo peracto, Deo annuente ecclesia Ambrosiana per Guidonem sedem ipsam viriliter devicit, et religiose hodie et semper tenebit. Et miles quidam Anselmus nomine, dum graviter in honore Dei et beati Ambrosii bello in illo manu in dextera vulneratus fuisset, ita ut aperte amitteret ipsam altera die omnino incolumis beati Ambrosii meritis apparuit.

5. (4.) Qua [904] tempestate (*an.* 1057) Anselmus de Badagio [905] (95), quem Guido ipse in sacerdotio paulo ante consecraverat, omnes ordines tam majorum quam minorum sacerdotum ob quandam obedientiam cunctorum ordinum, communis quamvis parentum et sui usurpare quærebat, multisque præliis inhoneste sollicitabat (96). Itaque ut Guido his malis finem imponeret, trans montes ad regem ducens Anselmum, ut ipse hujus causa negotii discrete judicaret, tetendit. Tandem rimatis negotiis multis, consilio sane a Guidone accepto, ut civitas tota pacem haberet diuturnam, lite ab Anselmo jurejurando dimissa, imperator episcopatum Lucensem ei attribuit (97). Erat enim Anselmus in sermone potens, divitiis affluens, qui et ipse sancta Dei evangelia circa tempora convenientia polite populo reserando prædicabat. Factum est autem, cum Anselmus Lucense frueretur episcopatu, Guido septem diacones ad opus ministerii Dei et prædicationis ejus per omnia sapientes bonique testimonii consecrando elegit. Et singulo per singulam dominicam de adventu lucidissime prædicante, hujus [906] rei fama ad Lucensem Anselmum volitavit. Quod ipse audiens ineffabiliter indignatus seseque quasi leo perstringens, intusque extuans, ira atque odio ductus est, et quasi ursa in cavea ruminans verba non intelligibilia fundebat. Propterea nimio commotus ardore secretissime cum paucis suæ urbis clericis in die (98) quo sancti Joannis sententia « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, » hoc populo clericisque omnibus exponendum tractabatur, in ecclesia vemali, quasi sub occulto facie ad faciem ipsi prædicatori sese ostendens advenit. Eo in die Ambrosius Biffus, quasi biffarius, biffarius quasi bina colloquia Græca et Latina fando ipsius evangelii sententias secundum doctores sanctos, maxime secundum beati Ambrosii disciplinam mirifice tractando, Græca Latine exponendo, tamquam non ut homo tractabat, sed quasi angelus nuntiabat. Hoc Anselmus vultu pallidus, ira lividus, labiis tremulus, animum iterum iterumque revolvens, omnia tamen audita adnichilans, suis receptus clericis, domum nativam omnibus hujus urbis clericis de eo omnino ignorantibus repedavit. At clerici qui cum ipso venerant, ignorantes ejus voluntatem, Deum et beatum Ambrosium collaudantes super hiis quæ audierant, mirabiliter admirati sunt, et nunquam tam plenarie de deitate et humanitate

VARIÆ LECTIONES.

[900] *Titulus:* De altercatione sedis Ambrosianæ et Ravennatis. A*. De a. A. ecclesie et B. in curia Romana. B. *Bl.* De ecclesia Ambrosiana et Ravennati in audientia Romana. A**. [901] *deest B.* [902] h. a. q. p. i. i. c. m. *desunt* A*. [903] opitulasset A*. [904] *Titulum addunt:* Initium discidii Mediolanensis ecclesiæ quo universus Latini orbis ordo ecclesiasticus dilaceratus ab ypocritis et inconculcatus a laicis, margaritis preciosissimis literarum sanctarum, illicite sine spe oppressus est. A*. Quater Anselmus de Badagio ex ordinario ecclesiæ Mediolani factus episcopus Lucanus, solicitat Landulfum et Arialdum, ut uxores a sacerdotibus separandas prædicarent. A**. B. *Bl.* [905] Ans. Badaglensis B. [906] hujusmodi B.

NOTÆ.

(95) Baggio, juxta Mediol. ad occidentem.

(96) Similes de ejus fratrumque violentia querelas profert Ardericus abbas S. Victoris in epist. apud Giul. III, 538.

(97) a. 1057.

(98) d. 25 Dec.

Digitized by Google

aliquem humanum locutum fuisse multis assertionibus testati sunt. Ad hæc verba Anselmus magnam gerens sub pectore trabem, quasi leo nimia ira commotus, balbutiens verbo, ut [807] natura donabat, dixit : « Certe nisi feminas haberent omnes hujus urbis sacerdotes et levitæ, in prædicatione et in aliis bonis moribus satis congrue valerent (99). Cum clerici sui multis rationibus multisque exemplis resisterent, maxime ut se ipse quid fuit aut quid fieri posset, et videndo recognosceret, annuntiarent : fatigatus ira ac aliis malis artibus, in jejuniis usque ad vesperas lectulo jacens et minime dormiens, quievit. Qua tempestate chorum [808] gloriosæ virginis Mariæ clericus quidam, nomine Landulfus, de magna prosapia oriundus, curialiter die ac nocte frequentans, unus de notariis degebat, qui ambitionis gladio perfossus, et maxime super archiepiscopatum, ad quem cotidie patenter ut canis anelabat, indesinenter ordines universos sollicitabat, et omnes majores et minores clericos, quia sibi ut animus ejus anhelanti desiderio cupiebat, minime favebant, cotidie suspectos atque perosos [809] habens verbis ac factis turpissimis indecenter insequebatur. Itaque lingua ejus modo dulcem, modo amaram aquam turpissimis verbis discurrentibus perfundens, nunc clanculo nuncque aperte omnes detrahens, quasi adamas ipsorum corda induraverat. Præterea alium forensem clericum, levitam tantum, quem ipse Guido sibi consecraverat, Arialdus nomine, ortus in loco Cuzago prope Canturium (100), artis liberæ magister (101), ut magis ac magis animi sui voluntatem erga ordines omnes indiscrete exardescentem exerceret, sibi associavit. Hic enim Arialdus cujusdam superbiæ zelo gravatus, qui paulo ante de quodam scelere nefandissimo accusatus et convictus ante Guidonem, astantibus sacerdotibus hujus urbis multis, et partim quia urbani sacerdotes forenses togatos urbem intrare minime consentiebant, et ecclesias civiles illis habere nisi per tonsuram (102) non permittebant, per omnia occasionem quærebat qualiter omnes sacerdotes ab uxoribus, populi virtutem sollicitando, removeret. Qui mala pro bonis reddens [810], non divino sed spiritu agebatur humano. Igitur cum horum animos ac voluntates quibusdam experimentis Anselmus vidisset satisque cognovisset, in tempestæ noctis silentio secrete ad se convocari præcepit. Quibus advocatis, aliquantulum illis congratulans, quorumdam clericorum superbiam ac mala acta, e quibus sese reminisci poterat, ut ipsos inflammaret ac inflammati arderent, prime aperuit, postea vero multis insertis sermonibus animavit, quatenus omnes sacerdotes suis jussibus suisque consiliis ab uxoribus summo cum dedecore separarentur [811]. Quo audito Arialdus et Landulfus lætabundi conscilio rimato, non tandum omnino a Deo donato, sed a malignantium iniquitatum fonte derivato, non Dei amore, sed invidia et odio onerato, non misericordia, sed ira et ambitione et vesania detestabili suffulto, ut postea apparuit et visum est in aperto, sub jurejurando constricti mutuo firmaverunt, quatenus sacerdotes omnes et levitas a die illa et deinceps uxorem habere non paterentur, et sollicite ac manifeste, nec vitam nec mortem timentes, et omnium sacerdotum acta quæ usque ad id tempus egerant, quanti periculi sunt quantæque iniquitatis, populo ac civibus universis oberrare panderetur. Conscilio autem inito, Anselmus omnia suffragia, e quibus ipsos adjuvare et sustentare posset, jurejurando illis pollicitus est. Et mane facto, insalutato archiepiscopo, quem ipse Guido in sacerdotio consecraverat, occulte ut serpens ab urbe recessit. His ita adunatis ac firmatis consciliis, Landulfus in urbe manens, omnes scolares quos habere poterat, in jurejurando quod ipse fecerat constringens, modo privatim modo publice circumveniebat. Arialdus vero suos quos regebat scolares in eodem juramento constringens, apud Varisium (103) morabatur. Quæ omnia Guidonem archiepiscopum minime latuerunt. Vultu enim placido cotidie demensissimas calliditates illorum subridens parvipendebat. O Deus, qui cuncta vides occulta cordium, scrutaris universa statera justa, qui cœlum et terram clausa manu tenes atque metiris, et mare et abissum verbo disponis, cui devote cunctæ obediunt creaturæ : viri isti in tam [812] bonis rebus quod initium habuerunt, quam intentionem? Si enim bona intentione bonaque voluntate hoc Dei placitum inchoassent, qui est adjutor operis esset protector laboris, cum Deus non vult coacta servitia, apostolo [813] attestante. Cur isti obliti Dei evangelia, conjurationem detestabilem terribilibus juramentis in populo sub obtentu placiti Dei, quod postea patæliam vocatum est, exercebant? An Deus suorum meritis a cordibus illorum abraserat evangelicum præceptum, quod usque hodie clamat dicens : « Qui non jurat, non perjurat; noli [814] jurare omnino neque per cœlum neque per terram neque per capillum capitis tui, quia nec potes facere unum album aut nigrum? (*Matth.* v, 34.) » An ignorabatis doctoris doctrinam dicentis : « Qui non loquitur, non

A B C D

VARIÆ LECTIONES.

[807] et B. [808] *ita* A**. horum A*. B. [809] et perfossos A*. [810] reddentes A** *et* A*. *qui et habet* agebantur. [811] separentur B. [812] *ita* B. isti vitam A*. A**. [813] *ita correxi;* a populo *codd.* [814] nolite A**.

NOTÆ.

(99) Anselmus papa dictus ep. 1 Mediolanensibus scripsit : *Speramus... quia nostri ministerii tempore sancta clericorum castitas exaltabitur et incontinentium luxuria cum cæteris hæresibus confundetur.*

(100) Nunc Cantu.

(101) De studiis ejus agit Andreas I, 6.

(102) *Se non di semplice chericato* vertit Giulini IV, 15.

(103) Varese, a Como ad occidentem.

Digitized by Google

mentitur; sed de omni verbo otioso reddituri estis rationem? (*Matth.* XII, 36.) » Quod si [515] ita est, de quantis malis juramentis ac malis verbis reddituri estis rationem! Si odio aliquo fecistis, frustra laboratis, de quo per evangelium Dominus dicit: « Tu habes trabem in oculo tuo, et vis ejicere festucam de oculo fratris tui? Ypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui (*Matth.* VII, 4). » Si ira vos operosos fecit, videte quid dominus pastor et magister noster Ambrosius [516] sanctus in libro de Joseph dicat (c. 13): « Ira sæpe etiam innocentes in crimen adducit, quia dum justo amplius irascimur et volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus. » Ideo Apostolus ait: « Non vos ipsos judicantes karissimi, sed date locum iræ (*Rom.* XII, 19), » et Dominus per evangelium: « Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio (*Matth.* V, 22). » Unde Apostolus, « Ira enim viri justitiam Dei non operatur (*Jac.* I, 20). »

6. (5.) Interea [517] Arialdus cum apud Varisium moraretur, quadam die ex incorrupto, et quasi furiosum cupiens seminare granum, quod male ventilando mundaverat, ecclesiæ gradum ascendens, per omnia sacerdotes diffamando, ut ab uxoribus male separarentur, plebem verbis turpissimis rusticanorum commovendo obnixe operam dabat (104). Quod ut rustici ac sacerdotes auribus attonitis audierunt, hæc minime in matutinis credentes, ultra modum de his quæ ab Arialdo dicebantur mirantes obstupuerunt, maxime affirmantes quod nemo castitatem habere potest, nisi ei a Deo datum sit, dicente Apostolo: « Quoniam datum bonum est, et omne donum perfectum de cœlo sursum est, descendens a Patre (*Jac.* I, 17). » Itaque cœtu coadunato cunctorum ad Guidonem archiepiscopum, ut omnia seriatim quæ Arialdus noviter disseminaverat nuntiarent, unanimiter clerici et laici concurrerunt. Quamobrem Guido, advocatis Arialdo et Landulfo, ne usum antiquum bonosque ecclesiæ mores tam Ambrosianæ quam totius linguæ Latinæ, tam Latinæ quam Græcæ totius, criminose turbam sollicitando indiscretam conturbarent, prout potuit privatim et curiose corrigendo amonuit; quin etiam multa alia mala multasque dissensiones ac crimina diversa ex his posse oriri, verbis illis reserando ac notificando aperuit. Quibus inter cetera quædam verba evangelicæ doctrinæ benigne dicens aperuit:

7. (6.) « Nolite [518] dare sanctum canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos (*Matth.* VII, 6), » Karissimi, videte quid Apostolus clamat, dicens « Si invicem mordetis, ab invicem consumemini (*Gal.* V, 15); » et quid de te doctor Gregorius dicat: « Expedit nobis multa quæ inhonesta et incongrua videntur pati, et multo melius, ne dissidium aut scandalum in ecclesia Dei inconsulte oriatur. » Unde Dominus in Evangelio: « Ve illi, per quem scandalum venit (*Matth.* XVIII, 7); » Et apostolus: « Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo domino stat aut cadit; stabit autem (*Rom.* XIV, 4); » et item: « Noli scandalizare fratrem tuum, pro quo Christus mortuus est (*Ibid.*, 15). » Unde Veritas in evangelio: « Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur in profundum maris (*Matth.* XVIII, 6). » Vel tangat vos Augustinus, sententiis humanis dicens per semetipsum (*serm. Dom. in monte*, 2, 61): « Neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem; et vitabimus judicium, de quo nunc dicitur: Nolite judicare, ne judicetur de vobis. In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis, et in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis (*Luc.* VI, 38). » Præterea quid beatus Ambrosius dicat super Lucam, curialiter ac devote audiendo perspicite: « Nisi tu prius interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones contentionesque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinam. A te [519] igitur pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim potes aliorum corda mundare, nisi tuum ante mundaveris? Tu habes trabem in oculo, et vis ejicere festucam de oculo fratris tui? Ypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis festucam ejicere de oculo fratris tui (*Luc.* VI, 42). » Item Augustinus (l. I, c. 63): « Facile hii reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere. (c. 64.) Quod vitium est superbiæ vel invidiæ; et ideo pie cauteque vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere vel objurgare necessitas coegit, primo cogitemus utrum tale sit vitium quod numquam habuimus, vel quo jam caruimus. Et si numquam habuerimus, cogitemus et nos homines esse et habere potuisse; si vero habuimus et modo non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem cogitantes nosmetipsos inveniemus in eo esse vitio, in quo est ille

VARIÆ LECTIONES.

[515] *deest* B. Quod si i. e. d. q. m. i. a. m. v. r. e. r. *desunt* A*. A**. [516] quid beatus Amb. B. [517] *Titulus*: Incipit de Arialdo et Landulpho. A*. Qualiter Arialdus cœpit suum propositum prædicationibus reserare. A**. B. [518] *Titulus*: Exortatio archiepiscopi Widonis adversus A. et L. ut a vanis altercationibus quiescerent et dissidiis, quibus populum adversus sacerdotes omnesque ordines sollicitabant, multisque sanctorum patrum exemplis sedati removerentur. A*. Qualiter Guido archiepiscopus Arialdum et Landulfum convocatos ut ab inceptis predicationibus desisterent, frustra exhortatus est. B. adhortatus est. A**. *Bl.* [519] *ita Ambr.* An i. *ccdd.* Ante *Bl.*

NOTÆ.

(104) Ibi eum concionandi initium fecisse, testatur Syrus presb. ap. Puricellum p. 120. Quo auctore responderunt illi: *Nobis ideo hæc loqueris quia inrudites cognoscis: ceterum si doctor haberi vis vade ibi is, vade et in urbe hæc loqui noli timere.*

Digitized by Google

quem reprehendere paranamus, non reprehendamus nec objurgemus, sed tantum congemiscamus, et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum invitemus. » Unde « factus, apostolus, sum Judæis quasi Judæus, ut Judæos lucrifacerem (*I Cor.* IX, 20). » Et item : « Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem (*Ibid.*, 22). » Vos dicitis quia sacerdotes impossibile est non adulterare et sacrificare, et verum dicitis. Sed nostri sacerdotes, Deo gratias, usque hodie nec sunt nec nominati sunt adulteri, sed curiose observant apostolicum præceptum, ut sint unius mulieris viri. Unde beatus Ambrosius super Abraham dicit (I, 7) : « Nulli licet scire mulierem præter uxorem; ideo conjugii [820] tibi datum est jus, ne in laqueum incidas iniquitatis et cum aliena muliere delinquas. Vinctus es uxori (IX, 84), noli quærere solutionem : unde (105) Salomon : A Deo, inquit, præparabitur viro uxor. » Si enim in aliquid, ut humana fragilitas habet, delinquunt præter capitalia, per veram confessionem sua confitentes peccata a Deo justificantur. Unde magister noster Ambrosius [821] in epistola Theodosii imperatoris clementer dixit : « Qui se accusat cum peccaverit, justus est, non ille qui se laudaverit. » Item beatus Ambrosius [822] in Beati Immaculati tractatu (IV, 11) : « Qui se accusat, etsi peccator est, justus esse incipit, quia nec sibi parcit, et Dei justitiam confitetur, quem putat latere nihil posse; ideoque Scriptura ait : Justus in exordio sermonis accusator est sui. » Preterea, fratres karissimi, quanta mala quantæque dissensiones nefandissimæ quantaque homicidia quantaque adulteria ex his possint verbis oriri, percipite.

8. (7.) Nam [823] enim illorum animi his et aliis verbis dulcorati, omnia quæ illis possent evenire prospera et adversa, animo trutinantes molificabantur. Et ecce quidam nequissimus, cujus spiritus in naribus erat, verba turpissima adversus hos proferens, ore vesano animos quos Guido prout poterat mitigaverat, nimia ira commovit. Itaque nimia indignatione commoti, unanimiter ante ipsum Guidonem ex his nimium dolentem consurgentes, verbis terribilibus affirmaverunt, dicentes, de his numquam tacituros [824], donec spiritus esset in eis et lingua faucibus teneretur. Quibus prophetizantibus, inscii quid de se dicerent, insalutato archiepiscopo palatium Ambrosianum cursu veloci, quasi fera crudelis mortali sagitta percussa, exierunt. Ea tempestate cum beati Nazarii martyris translatio a civibus universis utriusque sexus cereis magnis multisque [825] ardentibus devote celebraretur (106), et omnes sexus promiscui ad id officium celebrandum humiliter ac devote convenissent, et Landulfus et Arialdus, jusjurandum quod fecerant memores, cum per plateas ac urbis regiones sacerdotes ob conjugium aliquantulum diffamassent, quasi ranæ palustres turgidi, commixtim apud Sanctum Celsum convenissent, verbis vanissimis cum clericis quasi sues cum canibus altercabantur. In qua translatione cum sanctus Ambrosius adviveret, quid dicimus [826] sancto sacerdote Ambrosio imperante super strepentes ranas egerit, sanctum testem Augustinum affirmantem lector intellige : « Cum plurima ranarum murmura auribus religiosæ plebis obstreperent, sacerdos præcepit, ut tacerent et deferrent orationi sacræ reverentiam. Tunc subito circumfusus strepitus quievit, et usque hodie paludes silent, ita ut vix aut umquam aliquam ranarum, maxime illo in tempore, crepitantem invenisses. »

9. (8.) Interea [827] quidam ecce sacerdos, quasi sagitta ab arcu volans, dentibus stridens, oculos ut animal volvens, videns Arialdum et Landulfum novellis male dulcoratis, quibus civitatem fere jam totam imbuerant, ad Arialdum ipse prosiliens injicere sese manibus comminabatur. Cum autem ipsum Arialdum verbis nimia ira tremulis sciscitando interrogasset, si illa vera fuissent quæ paulo ante jam civitate percrebrescente audierat, et idem ipsum tam indiscrete et inconsulte per civitatem ac plateas de sacerdotibus locutum ac male diffamatum esset, quasi insanus contra vesanum sine mora caput movens respondit : « Quod dixi dico, quod dico affirmo, quod affirmo ratione competenti approbare curabo. » Hoc audito sacerdos nimia indignatione commotus, manu dextra elevata ipsum graviter alapizando [828] alloquitur : « Tu solus in mundo universo per detestabilem ypocrisim audes vitam sacerdotum diffamare. Numquid tu solus per execrabilem pataliam et quamplurima sacramenta prava ac detestabilia populi flammam, quæ impetu ut mare versatur, super nos accendis? Numquid tu melior Abraham et Isaac et Jacob, Salomon, prophetarum eximiusque David? Numquid tu melior apostolo Paulo, qui a Deo electionis vas est appellatus? An tu solus justior es multis Patribus sanctis et venerandis, quorum vita ac moribus bonis Ecclesia primitiva refloruit et Deo annuente semper florebit?

VARIÆ LECTIONES.

[820] *ita* B. *ex corr.*, conjugi A*. [821] unde beatus Amb. B. [822] b. A. *desunt* B. [823] *Titulus :* Finis sermonibus Widonis ad L. et A. quibus verba dissidii prevaluere concordiæ. A*. Qualiter Landulfus et Arialdus verbis Guidonis non consenserunt. *rell.* [824] n. sese t. B. [825] m, et multis B. [826] quod didicimus *Bl.* [827] *Titulus :* De indignatione sacerdotis adversus Arialdum. A*. De ind. sac. a cum colapho. A**. De indignatione cujusdam sacerdotis reprehendentis Arialdum cum colapho. B. *Bl.* [828] alpizando *codd.*

NOTÆ.

(105) Hæc verba in Ambrosii Opp. non sequuntur, sed Landulfus ea eodem modo c. 23 subjungit.
(106) D. 10. Mai.

Digitized by Google

Numquid tu solus multa sanctorum consilia parvipendens anichilare curabis? Numquid tu solus in ecclesia Ambrosiana dissidium per falsam castitatem tuam, quæ olim in palatio Ambrosiano Guidone instante probata est, criminose seminabis? Si tibi Deus operum bonorum perfectionem cœlitus administrasset, nos modo private, ac si opus foret quandoque publice, sic publice ut in presbyterio nostro, emendando bonis verbis bonisque exemplis humiliter ac devote corrigeres; unde Apostolus: « Si frater tuus peccaverit, corripe eum inter te et ipsum solum (*Matth.* XVIII, 15). » Potuit enim Christus dominus mundum uno verbo suisque imperiis subjugare; sed ut nos per patientiam et humilitatem regnum, quod superbus amisit, consequeremur in cœlis, karitative dicens in terris amonuit : « Quod tibi non vis, alteri ne feceris. » Quin et ipsos crucifigentes, ut Dathan et Abiron, potuit vivos submergi. Dic mihi, cujus sanctorum viam aggrederis? Enim ut verum dicam, numquam justum Inveni qui per periculosa sacramenta ac pessimam diffamationem malos ad Deum invitos converteret, cum mali magis soleant fieri duriores quam mitiores, et soleant magis pœnis crudeliores fieri quam mitigari. Unde Apostolus : « Deus non vult coacta servitia. » Et item Paulus: « Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit, stabit autem (*Rom.* XIV, 4). » His et aliis dictis sacerdos Anselmus quærens ipsum a tali revocare cogitatu, velut ignis fornacem ac ira leonem irrevocabiliter exagitavit. Igitur cum hujus rei fama ad Landulfum volitasset, et ut magis ac magis, quod in obscuro dixerunt, super tectum divulgaretur, martyris veneratione relicta, cui omnes devote convenerant, ac antiquorum veneratione omissa, arrepto manibus Arialdo, furiose ac pessime vociferando cum paucis ad theatrum (107) pervenit. Itaque missis per civitatis vicos et plateas cartulis hominibus [529], perstrepentibus tintinnabulis multis et magnis, ac garrulantibus feminis, quatenus omnes tam juvenes quam senes, tam sapientes quam insipientes, tam probi quam improvidi unanimiter convenientes, quæ ædificationis ac animæ salutis forent, auribus audirent attentis, satagebant. Itaque civibus convocatis universis, Arialdus quasi ardens totus pulpitum ascendens commune, oculis ut leo flammivomis, nimiaque ira commotus, multa de sacerdotibus exprimens detestabilia, quasi amnis nimia inundatione turgidus, lapides, sylvas, homines ac pecora volvens emittebat quasi munus [530] ac durus parasitus sub obtentu religionis omnem turpitudinem quæ ab ore hominis inhoneste proferri potest ridenti populo emittebat. De cujus ore Deus illo in tempore verba divina exire non permisit, nisi duos versiculos ab eo, ut mihi videtur, satis dissonantes, dicens : « Qui mihi ministrat, me sequatur : me sequimini, si non vultis offendere. » Quæ verba dominus noster Jesus Christus discipulos suos omnesque fideles ad humilitatem servandam karitatemque cum omnibus habendam insinuans et dicens aperuit : « Qui mihi ministrat, me sequitur, et ubi ego sum illic [531] erit et minister meus (*Joan.* XII, 26). » Hanc ipse postea cum traderetur, auriculam amputanti ostendit dicens : « An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? » qua voce quove præcepto suos armavit apostolos, et armatos ab universorum dæmonum jaculis tutavit, et tutatos in æternum coronavit. Qua voce Laurentius sanctus munitus, tyranni iniquissimi sæva tormenta et ignium superavit globos, et ipsum crudelissimum tyrannum ac semiustum, Dei iram merentem vicit. Qua voce sanctus Nazarius et Celsus, angelorum Dei freti aminiculis, procellosi maris planitiem ut aridam terram intrepidi calcare meruerunt. Quam vocem virgines et martyres sanctique omnes devote summam et veram religionem sequentes, in æternum et cum Christo remunerari meruerunt.

10. (9.) Cum [532] autem Arialdus verbis turpissimis sacerdotes in populo pessime ac criminose diffamando, orationi turpissimæ finem imposuisset, et eamdem Landulphus stylo, prout erat facundus, graviori reiterasset : in ea quæ turpissimi in populo pandere ac divulgare verecundarentur, populum quasi leones ac ferocissimas tygres præda et calido sanguine anxiæ [533] adversus sacerdotes sollicitantes commovebant. Horum disseminatis verbis pestilenter, subito multi, quibus alienum æs durissime exigebatur, quosque foris et intus dura paupertas trucidabat, quamcumque occasionem quærentes, unde miseros filios et uxores sæpissime verberatas recreare ac sustentare possent, immenso plausu ipsos laudabant; alii vero simplices et idiotæ sua pectora verberantes, quasi Petri et Pauli eorum verba habebant (108). Quid multa? omnes concives fascinati, quasi maris sæva tempestas ac æstualia fulmina, quæ multos imparatos opprimere et mortificare solent, civitatem percurrentes ut ursa catulis amissis, et turpissime velut famelici canes latrantes, sacerdotum domos primo spoliando cursitabant; postea vero summo cum dedecore mulierum divor-

VARIÆ LECTIONES.

[529] omnibus A°. o. h. *Bl.* [530] unus *Bl.* [531] illuc B. [532] *Titulus :* Quid Landulphus et Arialdus orationi ad populum profecerunt. B. *Bl.* De ora fusa tione L. et A. ad populum A°. A°°. [533] asine B.

NOTÆ.

(107) Hoc vocabulo nihil aliud indicari quam forum ecclesiæ metropolitanæ adjacens, populi concionibus adaptatum, Fumagalli demonstravit, Ant. Mil. I, 164 seqq. De signis quibus populus convocabatur, ita loquitur Petrus Damiani opusc. 5 : *Tintinnabula perstrepunt, prægrandis æreæ tubæ quæ illic est, totæ civitas clangoribus insonatur.*

(108) Ut Nazarius ille monetarius qui Arialdo dominum suam commodavit. Andreas c. 6.

Digitized by Google

tium, sine lege, sine jure, sine episcopo, non Deum sed pecuniam illorum amantes, gladiis et fustibus faciebant. Interea sacerdotes imbelles hæc omnia inmane [534] ignorantes, animos et oculos in cœlum levantes, ut pecudes lupis subjacebant. At nobiles urbis, quorum virtute sacerdotes paulo ante tuebantur, nimia ira et indignatione commoti, alii urbem exiebant, alii ut procellosæ calamitati finem imponerent, tempus expectabant. Interea ex populo multi, licentia a jam dictis accepta, omnibus omissis negotiis quibus misera hujus mundi vita alitur corpusque vestitur, filii ac uxores foventur, magis rapinam quam Deum amantes, sacerdotum domibus sine misericordia spoliatis, ut magis ac magis his et aliis factis Dei iram mererentur, verbis ac verberibus turpissimis ipsos et illorum familias insequebantur. Exinde cum urbanos sacerdotes lupi meridiani jam jamque attrivissent, et opes quas male acquisierant consummassent, rabiem suam extendere cupientes urbem exierunt. Qui studiose ab Arialdo amoniti et sub obtentu religionis quasi canes ad apros venandum illecti, villas, castella, municipia circumeuntes, simili modo pauloque durius sacerdotes omnes, quos invenire poterant, pessime, non Deum sed pecuniam quærentes, tractabant.

11. (10.) Itaque [535] pars nobilium ac de populo multi, videntes sacerdotes indiscrete lacerari, misericordia moti præliis multis eos muniebant. Dum hæc agebantur, temporibus transactis aliquantis, Arialdus adjunctis sibi Landulfo et Oldeprando (109), quos ante in initio hujus rei sibi sociaverat, ut magis ac magis quasi per apostolicam licentiam in his se et suos exerceret actibus, Romam ad apostolicum Stephanum, qui tunc noviter in tempore degens surrexerat (110), occulte tetendit. Qui cum ante faciem apostolici repræsentatus fuisset, et per ordinem quicquid Mediolani egisset, qualiterque summo cum dedecore sacerdotes ab uxoribus separasset, multis astantibus clericis laicis et cardinalibus notificare curavit; sed non sicut voluit, tunc acceptus est. Hoc audito, omnes qui aderant, universum genus sacerdotum tam Latinum quam Græcum una lege videntes constringi, et castitatem neminem habere posse nisi ei datum sit desuper, vehementer ut Romani admirati sunt. Quorum unus cardinalis nomine Dionysius, qui in pueritia in ecclesiam Ambrosianam fuerat nutritus, cognoscens omnes ordines Ambrosianos, qualiter devote ac sine perturbationibus per multa tempora vixerant, per multa sanctorum Patrum exempla currens, coram apostolico Arialdum et omnes qui cum eo venerant redarguens dicebat:

12. (11.) « Cum [536] hujus inaudiæ pataliæ placitum cogitasti commovere, qualiscumque intentionis esses, ab apostolico aut ab aliquo religioso viro prius multis cum jejuniis debuisses consiliari, quam hujusmodi negotium tam magnum et tam periculosum cum viris inliteratis inchoasse; et quod cum humilitate et patientia bonisque amonitionibus debebas docere, hoc cum lanceis, fustibus, ut asseritis, laicis super sacerdotes currentibus administrasti. An ignorabas Dei evangelium dicentis : « Qui vos tangit, me tangit? » et David prophetarum eximius per Spiritum sanctum ipsum Saulem a Deo dampnatum cognoscens, ut nos informaret, dixit: « Non licet mittere manum in Christum Deum (*I Reg.* XXVI, 11). » Enim nisi fueris Dei adjutus misericordia, dignus es lapidi alligari et in profundum maris demergi, quoniam [537] gloriosissimam ac præclarissimam Dei ecclesiam, in qua beatus Ambrosius multum laborando desudavit, inconsulte scandalizasti! Cujus desidium crudeliter disseminatum et ante noviter natum, ut video, universum mundum citissime laicis adversus sacerdotes studiose inhiantibus invadet. Vera Dei ecclesia, ne desidium aut scandalum oriatur, multa per tempora sanctis imbuta alimoniis, quamplurima sustinere ac pati consuevit. Hoc desidium est illud, unde puerorum numerus infinitus sine baptismate diversis attritus mortibus crudeliter necabitur; hæc illa est occasio, ob quam multi juvenes, dum naturam suam exercere non possunt, contra naturam incurrentes delinquunt, et debitum quod uxori si haberent [538] dum impendere non possunt, in alterius inhiant uxorem. Saltem beatus Ambrosius te tangat, qui cum eum quædam mulier tangere conaretur, ore episcopali dixit (c. 11): « Etsi ego, tanto sacerdotio indignus sum, non licet te mittere manum in Christum Deum. » Velint nolint, fustibus ac plagis diversis castificas eos, imo incestos animo et corpore patenter reddis, cum Apostolus dicat: « Deus non vult coacta servitia. » Et si tu cum tuis justus, castus, pudicus, sanctus et bonus Dei misericordia esses, aspice quid veritatis magister discipulis dicat: « Et si perfeceritis omnia, dicite quod [539] inutiles servi sitis (*Luc.* XVII, 10); » tu autem sacerdotes Dei, quos mundus totus usque modo bonos et caros, justos et fideles tenens, eis devote in cunctis obediebat, quamvis tanto sacerdotio indigni, criminosis et seditiosis omnibus, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram, criminose tradidisti. His enim verbis omnium sacerdotum vitam et ecclesiarum cunctarum mores longasque eorum consuetudines crudelissimis Christianis quasi canibus limfaticis ad rodendum sub obtentu castæ religionis dedisti. Quod enim juste ac devote summaque cum humilitate tractari emendarique pietas divina exigebat optimis moribus bonisque exemplis, hoc fusti-

VARIÆ LECTIONES.

[534] in mare A**. declinare *ex cont. Bl.* [535] *Titulus:* Quid Landulfo Romæ evenit, cum ibidem (ibi B.) sacerdotes diffamasset. [536] *Titulus:* Oratio Dionysii cardinalis adversus Arialdum coram papa Stephano. [537] qm. B. quantum A*. A**. [538] haberet B. [539] quia B.

NOTÆ.

(109) Hildebrandum card. dicit, v infra c. 15. (110) Sedit a. 1057. Aug. 3. — 1058. Mart. 29.

Digitized by Google

bus, lanceis ensibusque populi insensati portractandum, imo conculcandum commisisti. Potuit namque dominus noster Jesus humani generis redemptor uno imperio suæ majestatis totius mundi incredulos Christianos facere perfectos, et omnes crucifigentes se uno in momento viros in infernum demergi; at ut nos summa cum patientia hostem antiquum, serpentem crudelissimum, humani generis inimicum superare et prosternere possimus, Veritas dicens benigne admonuit; « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* XXI, 19). » Scio enim et vere scio; verba vestra bona et rationabilia videntur et laude digna; sed quia zelo Dei non incepistis, ab omni munere a Deo privemini. Decet namque, omnes ecclesiasticas dignitates, omnes honores, quales ab aliquo reprehendi non possunt; sacerdotes vero per omnia bonos. Sed dicit Deus cuidam sese interroganti: « Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus (*Luc.* XVIII, 19). »

13. (12.) Cum [510] autem hæc et multa alia Arialdo suisque sociis diceret Dionysius, et a multis clericis verbis inhonestis subsannaretur, apostolicus silentium manu imperavit. Interea idem apostolicus perpauca loquens, ita in medium se habuit, quod nec cardinalem laudavit nec Arialdum dampnavit. Quo audito, Arialdus a gloria quam Romæ habere sperabat omnino frustratus, cognoscens animos astantium omnium ecclesiæ Mediolanensis compatientes, tremens et pallidus quasi mortuus obriguit. Tandem apostolicus multis ac diversis consciliis rimatis, adjuncto post aliquot dies Anselmo Lucensi episcopo, quem supra memoravi, ut tantæ cladi finem imponeret et sacerdotes a perfidis liberarentur omnibus, et quod ipse Arialdus inchoavit corroboraretur, ut [511] quodammodo ecclesia Mediolanensis suis jussibus obtemperaret, Arialdum, Anselmum Lucensem episcopum, et Ildeprandum jam archidiaconem factum ecclesiæ Romanæ, uno animo consentientes Mediolanum direxit. Quorum unus supradictæ iræ lividus, alter nimia indignatione altitudinis Mediolanensis ecclesiæ commotus, zelo zelabant nequissimo. Qui cum Mediolanum attigissent, secus omnia tractarunt quam apostolicus eis denotasset. Ea tempestate civium diversæ turmæ, aliæ sacerdotum pietate, qui male ab Arialdo et ejus parte tractabantur, cotidie ut hostes sese necantes præliabantur. Itaque Anselmus et Ildeprandus populi furorem timentes, clanculo vocatis civibus quos habere poterant, quantum linguæ eorum exprimere valuerunt, sine misericordia, sine caritate, callide frementes ediderunt: « Non attenditis Dei evangelium dicentis: « Nolite A mittere margaritas ante porcos, ne forte conversi disrumpant et conculcent eas pedibus suis (*Matth.* VII, 6). » Ad ultimum ipsum Guidonem archiepiscopum, in primo hæc omnia parvipendentem, qui ipsum Anselmum in sacerdotio consecraverat, Symoniacum vocantes et omnia ejus detestantes obfuscarunt. Quid multa? tantam enim ruinam et dissidium atque discordiam pessimam seminarunt, quantam olim Naburzadan princeps militiæ in populo Israelitico immisit, et quantam videns Aman, qui in ligno quod Mardocheo paraverat dampnatus pependit, et quantam Absalon David patri suo injuste commovit.

14. (13.) Transactis [512] autem fere jam septem annis, in quibus partibus utriusque nunc prospera nunc adversa duris bellorum exercitiis occurrerant, Arialdus et Landulfus extuantibus animis B tacite rimari cœperunt, quem de capitaneis aut de valvassoribus super hujusmodi negotia ad opus bellicum super sacerdotes præponere possent, quatenus ejus consilio ac gladio tuti libere prædicarent, curialiterque [513] docerent, implere satagerent. Cum hæc agebantur, ecce Herlembaldus frater Landulfi, ex magna prosapia capitaneorum oriundus, miles ut natura dabat strenuissimus, barbam ut usus antiquus exigebat quasi purpuream gerens, tenui vultu, oculis aquilinis, pectore leonino, animo admirabili, circa orationes in populo solvendas cautus, rigidus in bello ut Cæsar, in angustiis mitis nimisque apparens, sublimis corde, corpore subtili et æquali, membris et cruribus decentissimis, tibiis ac pedibus subtilissimis, pernoctare doctus ob hostes, et consilio providus multum, in quo natura militiæ nichil offendebatur, noviter ab Jerosolimis perosos habens majores redierat (111), ubi cum juvenili ætate floresceret, et more solito sibi uxorem desponsasset, et ipsam in veritate cum clerico quodam jocasse certis indiciis comperisset, nuptiis omnino omissis tacite aufugit. Hic et Landulfus et alii fratres ex illicito conjugio, ut comperi in veritate, nati sunt; quorum parentes Heribertus archiepiscopus permultum laborans gladio verbi Dei separare non potuit. Hunc [514] Arialdus et Landulfus frater ejusdem cum visitandi gratia noctu circumvenissent, datis osculis, talibus adorsi sunt D verbis: « O Herlembalde in omnibus venerande, pro tuo reditu nos Deum collaudantes gratias ei referimus immensas. Sicut [515] enim Deus te in terra et in mari multis quassatis procellis nobis conservare et reddere sua benignitate disposuit, vitiisque modo sæculi miles fuisti, sic decens et competens ratio est, ut exinde Dei et catholicæ ecclesiæ miles effi-

VARIÆ LECTIONES.

[510] *Titulus:* Stephanus papa Mediolanum legatos mittit. [511] et ut B. [512] *Titulus:* Incipit de Herlembaldo, A'. Qualiter Arialdus et Landulfus sibi associant militem Herlembaldum. A''. B. *Bl.* [513] p. et curialiterque B. [514] Eidem *Bl.* [515] Sic *Bl. et Anon. in V. Arialdi c.* 16.

NOTÆ.

(111) *Nuper Jerosolyma reversus volebat tunc sæculum relinquere et se tradere vitæ monasticæ.* Andr. c. 16.

Digitized by Google

ciaris strenuissimus, et quod nos usque modo perficere non potuimus, tua dextra adjuti implere ac perficere valeamus. Esto quasi Mathatias vel filii ejus qui pro templo Dei et populi ejus libertate mortui sunt, et vitam habentes æternam in Christo sunt feliciter coronati. Liberemus Ecclesiam Dei, multis temporibus obsessam et ab uxoratis sacerdotibus detentam, tu lege gladii, et nos Dei. Conserva præmium quod in visitatione sepulcri Dei habere meruisti. Liberasti [546] sepulcrum Dei, libera igitur Ecclesiam ejus. » Quibus hæc et multa alia dicentibus, Herlembaldus alta trahens suspiria, citissime prospera citiusque adversa animo videns quæ sibi evenire possent, quasi fatigatus consedit. Qui diu tacens, de omnibus quæ in urbe super sacerdotes fecerant, et qualiter populi majores et minores duris cottidie prœliis sollicitabantur, dubitans omnino talibus commisceri actionibus, respondere renuebat. Tandem multis circumventionibus, ut Romam pergeret et consilio apostolici consentiret, impetraverunt (112). Quo in tempore, mortuo Stephano quem supra commemoravi, divino flagello, qui vix per novem menses sede apostolica potitus est, omnibusque successionibus, Anselmus Lucensis episcopus sedem apostolicam papa jam factus regebat (113). Cujus factum quomodoque [547] fidem adquisivit Romanis oculis perscrutantibus abyssum omittam. Itaque Arialdus domi Landulfo dimisso, congruo tempore Romam tendens ac secum Herlembaldum ducens (114), Anselmo qui altero nomine vocatus est Alexander, cum ipso sese repræsentavit. Quibus cognitis Alexander super eorum colla ruens permultum lætatus, et convocans illos in interiori camera, secrete de civitatis statu et negotiis ecclesiasticis scisitatus est. At Arialdus videns apostolicum ad omnia quæcumque exigeret paratum, maxime quod [548] consilio ejus anteacta faciebat, inter cetera dixit :

15. (14.) « Pater [549] venerande, Creatori omnium gratias refero immensas, quod te in tanto honoris culmine per suam misericordiam sublimare et exaltare disposuit. Nunc itaque meus animus multis attenuatus angustiis cognoscit, quod dilectio tua olim mihi amicabiliter promittebat. Ut omnia enim omittam, tuæ paternitatis clementiam suppliciter et obnixe exoro, ut hunc militem Herlembaldum, virum bello probum consilioque strenuissimum, in omnibus confirmatum et cohortatum et a Dei parte, beati Petri [550] et vestri munitum, mihi attributas defensorem, et vexillum victoriæ accipiat, ut securius militans nos possit defendere et tuos olim rebelles humiliare. » Et dum per plurimas orationes A ineitativas eum adhortaretur, super hoc unem imposuit. Quo audito apostolicus, per plurimum hæc intra se admirans, videns quam sit grave periculum civilia bella adhortari, circa hoc negotium per tres dies consiliandi inducias dedit. Interea Arialdus, festinans ad Oldeprandum cancellarium et archidiaconem ex monacho factum cucurrit, qui residens in palatio, militiam Romanam quasi imperator regebat. Hunc aggrediens Arialdus, omnia alta et magnifica acta Mediolanensium, archiepiscoporum et sacerdotum contumaciam adversus pontificem Romanum longo ex tempore nactam, quatenus ipsum magis ac magis animaret, patefecit. Hoc audito, sopitis illico omnibus aliis negotiis quibus implicitus erat, dixit se apostolicum ad omnia quæ poscebat adhortari. Quid multa? Alexandro et Oldeprando in uno B consentientibus, vocato Herlembaldo et Arialdo, astantibus multis, vexillum manu quoddam tenens, ac ipsum prout poterat benedicens, sub quandam obedientiam et inauditam ei attribuit. O pater, ubi eras? cædisti filios scorpionibus! Hoc facto Arialdus quasi leo confidens et in omnibus congratulans, hospitio receptus est; et veniens Mediolanum, omnia quæ Romæ fecerat, suis collectis operuit. Cum autem in urbe Herlembaldus et Arialdus venissent, paulo plus in solito sacerdotes sub uxoria occasione in cunctis actibus et verbis laicorum perplurimis illis adjunctis vituperabant. Cumque illis omnia prosperabantur in manibus, magis ac magis accendebantur. Si enim casu sacerdotem invenirent mi- C nisterium divinum celebrantem, qui suis non obtemperasset monitis, illico quasi facti vesani a sacris multis objurgationibus retrahebant altaribus. Interea Herlembaldus ut [551] placiti initium habuit, secrete die ac nocte juvenes civitatis ordinis utriusque populi et nobilium fortissimos duci ad se faciebat; quos complectens, in singulorum colla ruens, ad jusjurandum quod antea Arialdus et Landulfus fecerant, ut pataliæ placitum tenerent, multis donis multisque promissis studiose alliciens impingebat. At illos quos nec donis nec promissis nec ullis adulationibus sibi adjungere poterat, aut minis aut blanditiis illorum filios de fontibus trahens sacris sibi adsociabat. Dum hæc agebantur, Herlembaldus Landulfus et Arialdus theatrum et inopinate prosi- D lientes, turpiter de sacerdotibus coram omni populo concionati sunt. Itaque animis universorum scisci-tatis, sacerdotes quos uxoratos invenire poterant, juvenum freti juramentis ac multitudine vulgi conducta, quorum voces et facta vile pretium movebat, turpiter tractari permittebant.

VARIÆ LECTIONES.

[546] visitasti *Anon. ib.* [547] quoque A'. quoque A''. *Bl.* [548] quia *B.* [549] *Titulum addunt :* Oratio Arialdi ad Alexandrum papam natione Mediolanensem, ut Herlembaldum vexilliferum ecclsiæ faceret. B. *Bl.* Verba Arialdi ad apostolicum Alex., ut vexillum Herlembaldo belli daret adhortans. A'. A''. *ubi* adhortantis. [550] b. P. *desunt* B. [551] et B.

NOTÆ.

(112) Hoc teste Andrea verum est; sed Landulfum tunc jam mortuum fuisse et Arnulfus attestantur.

(113) 1061. Spt. 30—1073. Apr. 21.

(114) And. Herlembaldum solum Romam perrexisse refert.

Digitized by Google

16. (15.) Ea [852] tempestate Guido archiepiscopus, quem supra commemoravi, Mediolanensis ecclesiæ summo cum dedecore cathedram regebat. Qui dum imprimis clandestinam tempestatem sacerdotum, culmine sui honoris fretus, parvipendens adjuvare eos distulit, postmodum proximo in tempore consacerdotum omissis adminiculis, nec illis subvenire potuit, nec se adjuvare sataguit. Nam Herlembaldus Landulfus et Arialdus, cum sacerdotum omnia fuissent prout vellent negotia, verborum sagittis omnino extensis, per Simoniacam Guidonem quasi episcopi in synodo damnabant. Quapropter Guido convocatis suffraganeis, quos habere potuit, ut scandalum populi Herlembaldi Landulfi et Arialdi adversum sibi devitaret, Novariam ex concessione Alexandri apostolici, quem ipse Guido in sacerdotio consecraverat, synodum celebravit immensam (115). Ubi cum toto clero suo de tantis malis tantisque desidiis, quæ super se et super clerum suum inopinate et incompensabiliter supervenerant, humiliter conquestus est, et qualiter hiis malis finem imponerent, precatus [853] est. Interea omnes episcopi rogabant sacerdotes Mediolanenses, ut cum ipsis summo cum honore quoad juvaret [854], spretis omnibus civibus Mediolanensis civitatis, magnifice viverent. Qui renuerunt, malentes domui suæ supplicium quam foris gaudium. Quibus fere per quindecim dies commorantibus, ut erant mutuo consciliati, honorifice ad Arialdum Herlembaldum et Landulfum legates miserunt, quatenus ipsi si vellent, cum paucis sine impetu, sine furore, sine belli incursione, sine altercationibus malis synodo convenirent, et justitiam quam prælils sævisque contentionibus vindicare cernuntur, humiliter ac devote declararent, et quæ dampnandum, cum justitia præscriberent [855]. Hoc audito, Herlembaldus Arialdus et Landulfus subridentes, omnino illis interesse episcopis respondentes renuerunt. At suffraganei omnes cognoscentes Herlembaldi Arialdi et Landulfi voluntatem, in ultimo die celebrato conscilio, videntes ingentia mala super metropolitanum Guidonem ejusque sacerdotes de die in diem ingravescere, dampnantes ipsos eorumque fautores flagello divino, quousque ad emendationem dignam humiliter ac devote venirent, operam dederunt dicentes : « Falces canonum et enses sedis apostolicæ intortæ super subditos rebelles et non obedientes prælatis, a parte Dei et beati Petri apostoli et etiam beati Ambrosii, donec ad emendationem venerint dignam, sint super eos eorumque fautores. » Quo in tempore Leo (116) Vercellensis episcopus, vir discretus et in cunctis sapientissimus divinis, virgam in manibus tenens pastoralem, sese et coronam episcoporum elevans ac in facie Guidonis intuens, lacrimis ab ejus oculis crebre manantibus dixit :

17. (16.) « Pater [856] amande et o Guido reverende et o rector Ambrosianæ ecclesiæ super quamplures venerande, et o chorus Mediolanensis super omnes choros linguæ Latinæ omnibus instructus divinis! quamvis malorum clericorum ac civium tuorum falsa justitia modo submersus sis, qui tantis jam annis inter omnes floruisti, recordamini quod Veritas per evangelium cottidie clamat : « Beati eritis cum vos oderint homines; et cum separaverint vos et exprobaverint et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis, gaudete et exultate, ecce enim merces vestra copiosa [857] est in cœlis (*Luc.* VI, 22). » Et iterum : « Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite timere, multis passeribus meliores estis vos (*Matth.* X, 30). » Sicut in prosperis ordini nostro non datur gloriari, sic in adversis non expedit conturbari. Unde sapiens magister dicens ait : « Nec prospera te elevent, nec adversa conturbent. » O fratres et o patres karissimi, decet nos omnium fidelium animas, quibuscumque scismatum causis deviatæ sint, multo sudore multoque labore ad sanctæ Ecclesiæ revocare gremium, et revocatæ, cum ipsis in Deo gaudere. Sin autem ipsas ullo modo revocare non possumus, et quærunt nos subtili occasione submergere ac omnimodo suffocare injuste conantur, habemus Veritatis evangelium cottidie nos admonentis, dicens : « Si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam (*Ibid.*, 23). » In veritate, o patres karissimi, comperimus Veritatem ipsam in evangelio dicentem : « Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in cognatione sua (*Matth.* XIII, 57). » Multi enim civium vestrorum vitio ypocritarum detestabilium, de quibus dicit Dominus « Ve vobis, ypocritæ, qui seducitis animas innocentium, » seducti quærunt, sicut Christum quondam Judæi, vos mordere canumque more lacerare; sed cum Dominus in proximo vos igne sui Spiritus sancti vindicabit, et emortuos quasi canes jacentes per plateas videbitis, et superstites illorum mala, quæ in vobis injuste tulerint, recordabantur, gementes dicite illis, sicut Christus quondam filiabus Jerusalem : « Filiæ Sion, nolite flere super me, sed super vos flete et super filios vestros (*Luc.* XXIII, 28). » Cum autem multorum regum et ducum usque ad id tempus ex animo

VARIÆ LECTIONES.

[852] *Titulus :* Incipit conscilli actus quos Wido apud Novariam multis cum suffragancis celebravit. A'. Qualiter Guido archiepiscopus, Navariæ concilium provinciale m. c. s. c. *rell.* [853] pertractatum *Bl.* [854] *ita conjecit V. Cl. Grotefend.* coadjuvarent *codd.* [855] perscriberent B. [856] *Titulus :* Sermo Leonis episcopi Vercellensis ad synodum provincialem. [857] multa B.

NOTÆ.

(115) De concilio quo Arialdus et Landulfus excommunicati sunt, a. 1057 vel 1058. in agro Novariensi habito v. Arn. III, 13. Alterum ejusmodi habitum esse, minime verisimile videtur, et tempora a nostro quam maxime conturbari jam vidimus.

(116) Leo jamdudum mortuus erat. Gregorius tunc Vercellis sedit.

Digitized by Google

et ex libris antiquorum voluminum recolligi, ex quibus injuste Mediolanensem ecclesiam lacte Ambrosianico fonte commovere et conturbare quæsierunt, et qualiter postea Dei dextra infamati et ad nichilum redacti sint : spero Dei misericordia adjuti vos citissime liberari. Et si Deus nostris peccatis nostrisque malis meritis, illis in nobis omnes detestandas intentiones implere ac perficere permiserit, hoc ad illorum perniciem tam corporum quam animarum procul dubio a Deo esse concessum credite. Si enim de fide catholica aut de Simoniaca hæresi aut de ecclesiasticis negotiis quiete tractare ac inquirendo disputare vellent, huic sancto concilio interessent, et nos aut rationibus illorum negotiis canonice determinatis quiete consentiremus, aut apertis sententiis per canonum rectitudinem, quæ mentiri non possunt, ipsos nos convinceremus. Sed quia vili occasione vos et substantiam vestram ac perniciose invadere quærunt, ideo verbis pessimis vos et ordines vestros modo velut canes limfatici feraliter dilacerantes, huic nostro concilio humiliter ac devote, ut decet, interesse verbis turpissimis renuerunt. Ecce, o Patres, tempus adest, unde beatus Ambrosius in libro Pastorali dolebat (117), cum dicit : « Dolemus [558] contra priorum monita Patrum inolevisse vota perniciosissima posteriorum. Nam quanto frequentius illi noxia vetuerunt, tanto studiosius isti perpetrare vetita non quiescent. » Ecce enim Yeremias cum dicit : « Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros, sicut decipula plena dolo (*Jer.* v, 26). Ecce ego dabo in populum istum ruinas, et ruent in eis patres filiis simul, vicinus et proximus peribunt (*Jer.* vi, 21). » Item Ezechiel propheta : « Egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexerunt [559] in virga impietatis (*Ezech.* vii, 10). » Unde sicut Esaias locutus est super Yerusalem, sic ego super Mediolanum per eumdem Esaiam dico : « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii? Justicia habitavit in ea, nunc autem homicidæ; argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua (*Isa.* v, 21). » Itaque tantis ecclesiæ honoribus ac dignitatibus attenuatis condolens, sicut Hieremias dicens plorabo : « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratri suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudolenter incedit (*Jer.* ix, 1). » Quorum finem David prospexit, cum dicit : « insidiatur ut rapiat inopem, rapere pauperem dum attrahit eum in laqueo suo, humiliabit et inclinabit se, et cum armis suis cadet in mortem (*Psal.* ix, 9). » Veniet illis laqueus quem ignorant, et captio quam occultaverunt apprehendet eos, et in laqueum incident ipsum (*Psal.* xxxiv, 8). » Quibus dictis idem se revertens ad sacerdotes, quasi primum hæc verba inchoasset, dixit : « Patres, et o fratres karissimi, quamvis per multa mala et multis temporibus commoti et conturbati sitis, decet tamen vos, prout expedit, quod Veritas clamat reminisci : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* xxi, 19). » Et item : « Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere (*Matth.* x, 28). » Inter cetera beati Ambrosii omnium linguarum confessorum conscilium, quod in Vercellensi epistola (i, 43, 63) loquitur, audite cordibusque percipite : « Non sit in vobis desidia, non sit pravum os lingua amarior. Nolite in consilio vanitatis sedere; scriptum est enim : Non sedi in consilio vanitatis (*Psal.* xxv, 4). Nolite audire detrahentes proximis (*Psal.* c, 5), ne dicatur unicuique vestrum : Sedens adversus fratrem tuum detrahebas (*Psal.* xlix, 20). » Item idem super Beati Immaculati (viii, 35) : « Cogitet quis, quemadmodum pedem suum dirigat, manum suam adserat, ne impetu indignationis impulsus, cum repellere injuriam cogitat, ipse alteri jactum notabilis cædis inlidat [560]. » Et « si longe est a peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multæ misericordiæ Domini. Miserebor, inquit, cui misertus ero. » Fratres karissimi, in quod beatus Ambrosius dicit, credimus quod dixit et quod locutus est per Spiritum sanctum. Item in Beati Immaculati : « Qui hic se aurum putat, habet plumbum, et qui putat se granum tritici, habet stipulam, quæ possit comburi. » Sed hic multi sibi aurum habere videntur. Non illis invideo. At ut nos hujus sermonis finem imponamus, dicam cum beato Ambrosio, quod idem de vobis dixit : « Det vobis Dominus fidei ignorare naufragia, habere pacem profundam, et si aliquid sit quod graves nobis sæculi hujus excitet fluctus, evigilantem pro nobis habere gubernatorem dominum Jesum, qui verbo imperat et tempestates mitigat, tranquillitatem maris refundat, » Jesus Christus dominus noster qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per infinita sæcula sæculorum. »

18. (17.) Cum [561] autem hæc acta fuissent, et Guido omnibus salutatis episcopis urbem repedasset, ecce Herlembaldus Arialdus et Landulfus suis cum omnibus nimia indignatione supradicti concilii commoti, maxime quia sub canonibus conscriptos sese esse audierant, irrationabiliter quasi feræ inflammati sunt. Itaque quadam Dominica populi turba maxima freti, ac magna multitudine conducta et aliquantulum parte nobilium bello cottidiano obtusa, totiusque civitatis percrebescentibus tintinnabulis, cum aliquantulis clericis et sacerdotibus et presbytero Leo

VARIÆ LECTIONES.

[558] volemus B. [559] surrexit *vulg.* [560] inlibat *codd.* [561] *Titulus in codicibus :* Qualiter domni Guidonis vestes a civibus tanquam a canibus scissæ sunt.

NOTÆ.

(117) hunc locum frustra ibi quæsivi.

Digitized by Google

prando, fomentum maximum rei, qui se illis novi- A ter inseruerat, animum leonis non hominis gerens, quem Guido in sacerdotio consecraverat, furiose theatrum oculis et manibus minantibus intrarunt. Qui diu per plurimas et longas orationes concionantes, ut magis ac magis vulgus contra Guidonem accenderetur, curialiter operam dabant. Quid multa? Guido nimia populi violentia, et ipse Herlembaldus inhoneste ipsum clamante Guidonem, quod ruinam super eum minabat, cujusque vulgi animi ut folia a vento movebantur, sese periculo trahens theatrum intravit. Et facto silentio, ut Guido jussu ac impulsione Herlembaldi, qui oculis et manibus ac barba ut tyrampnus dura minabat, aut excommunicationem quam fecerat dederet, aut archiepiscopatum irrenuabiliter dimitteret, continuo multi ex populo irrationabiliter accensi quasi ferre super eum insurrexerunt; qui etiam diversis in partibus vestimenta ejus quasi canes limfatici scindentes, nudum fere usque ad ultimum dimiserunt. Hoc facto omnes quasi furiosi et dementati, ut erant, theatrum exeuntes, diversi diversa sentientes, manibus et ore immundis per civitatis [563] plateas perstrepentes quasi sues grunniebant. At cum hujuscemodi negotii fama per urbem citissime volasset, et nobilium majores hæc omnia in veritate comperissent, curiæ Ambrosianæ ad Guidonem, mori quasi parati ut de tanto dedecore cum vindicarent, unanimiter convenerunt. Inter quos Guido Landrianensis, vir magni consilii summæque dignitatis, ignominiæ Guidonis et nobilium perplurimum compatiens, verbis luculentissimis et C lacrymis ejus ab oculis decurrentibus, multisque lacrymantibus, universos ad bellum duristimum animavit, quatenus aut [563] continuo Guidonem, cui fidelitatem juraverant, defenderent et superbiam Herlembaldi et suorum ceterorum gladiis viriliter compescerent, aut cum filiis et uxoribus sine mora citissime cum ipso urbem exirent. Jam enim perparum Herlembaldo resistere majores poterant. Nam aliquantis sacerdotibus, si fas est dicere, sub quadam ficta castitate degentibus ut quibusdam videbatur, populum cotidie incitantibus, et Herlembaldo et Landulfo nec non Leoprando [564] quasi ad hostes parati universi cotidie unanimiter permanebant. Interea namque vulgus [565] accenderant actibus vanum, voluntate lubricum, D actibus vesanum, obstinatione gravissimum, ut non plus in occasione contrariorum civium curarent, quam si Saraceni aut gentiles comprobati fuissent. At ut ego multas et varias orationes diversas multaque bella civilia, quæ Syllæ aut Marii vel Catilinæ temporibus sufficerent, cædesque quamplurimas omittam, quæ omnia scribere per longum duxi, modo perscribens in paucis multa comprehendam. Igitur Guido ad ultimum omnes cives partim ob tutelam sui, aut (118) hostilem paupertatem in majorum expulsione et sacerdotum substantiis expellerent, cotidie concurrere videns, et conjurationes non tam private sed publice die noctuque fieri : ne civitas sui occasione multis cum homicidiis criminose opprimeretur, tacite cum paucis dixit : « Enim animæ meæ saluti expedit, ut parvo loco contentus B in pace Deo annuente moriar, quam plenus divitiis et honoribus fultus, tantis civibus insidiantibus, quandoque moriens in infernum cum impiis demergar. Itaque solo contentus Vergulio (119), ut alius archiepiscopus honoribus et divitiis fruatur, incessanter operam dabo. » Quo in tempore quidam erat Gottofredus de majorum ordine, sapiens ac probus sacerdos, ex nobili et magna prosapia oriundus, qui et ipse populum temporibus constitutis divinarum Scripturarum alimoniis paulo ante imbuebat. Hunc Guido ad se multis astantibus nobilibus vocari præcepit, et ignorantibus universis, archiepiscopatum ei anulo et virga commendavit, affirmans sese ullo modo de eo amplius non intromissurum (120). Quod factum Herlembaldum et Arialdum minime latuit. Itaque Herlembaldus nimia indignatione commotus, quoniam super hoc negotium, ut sibi soli episcopatum refutaret, permultum ipse laboraverat, sub quadam occasione custodiæ intromittens se de omnibus villis, castellis, munitionibus et redditibus archiepiscopatus, quasi dux fugatis hostibus omnia hæc adversus Gottofredum terribilibus juramentis, ut nec unum [566] haberet, vellent nollent, firmaverat. Quin etiam ei in montibus et vallibus resistere et obviare gente admirabile satagnit. Dum hæc agebantur (*an.* 1075), Gotofredus summo cum honore magnaque gloria Novariæ multis cum suffraganeis consecratus est (121).

19. (18.) Ea [567] tempestate Alexander dum Ambrosianos sacerdotes quodam zelo iniquo diffamare

VARIÆ LECTIONES.

[562] civitatibus B. [563] autem A''. [564] Hic Leoprandus fuit presbyter S. Pauli in Compito. B. *in marg. minio scripta habet.* [565] vulgum A'. A''. *et primo* B, *sed hic correxit ;* accenderat A'. A''. *Bl.* [566] ullum A'. et nec ullum A''. [567] *Titulum inscribit* A': Incipit de dissidio Romæ facto super apostolicum Alexandrum, qui dum sacerdotes Ambroianos opprimere per quosdam scismaticos disposuit, quos ut filios quondam fovebat, rerum dispensante auctore, per eosdem cognitis capitulis, quibus ipsos imbuebat, diffamatus ac criminose detractatus, sua in sede permansit. *Rell. ita :* Qualiter papa Alexander quosdam clericos exaltans, ut alios deprimeret, a suis Romæ diffamatus est injuste, sicque sua permansit in sede B. *in marg. minio scr.:* Hic Gotofredus per Alexandrum papam privatur, quia intrusus, unde in catalogo archiepiscoporum non est scriptus.

NOTÆ.

(118) I. e. partim ut.
(119) Arn. III, 25.
(120) Post a. 1067; v. Arn. III 23
(121) v. Arn. IV, 3.

Digitized by Google

et opprimere injuste disposuit, illi quos ipse sub quandam obedientiam super eosdem sacerdotes multis cum capitulis animando velud porcos immiserat, illi insidias fama turpissima pervolante in proximo paraverunt. Unde sapiens Salomon sapientia sibi a Deo collata dicit : « Qui aliis foveam parat, ipse incidit in eam (*Prov.* XXVI, 27). » Venientes namque quidam suburbani, diversis ac variis dogmatibus irretiti, et Arialdus ipse, et ipse quem animo præ omnibus diligebat, et aliquantis cum laicis qui Girardi de Monteforti sententiis fere consentiebant, quos ipse paulo ut filios complexus deosculabatur, ad numerum fere viginti, cum viderent sese suis machinationibus suisque latratibus aliquid Mediolani egisse, tanquam pro nichilo habentes, Romam ut apostolicum temptarent omninoque deprimerent, adierunt. Qui cum in palatio Lateranense convenissent, verbis apertissimis male diffamare Alexandrum cœperunt, dicentes ipsum sedem apostolicam invasisse, et quasi fur et latro non per hostium sed per culmen intrasset, « et quod dono Dei habere debuit, hoc per detestabilem Simoniam adquisivit ; unde nullum divinum mysterium celebrare potest. Itaque nos si populus Romanus voluerit, judicium quodcumque voluerit vel exegerit, ut apertum et manifestum, quod de eo asserimus, sine mora appareat, facere paratissimi sumus. » Igitur multi Romani probi sapientes atque discreti hæc audientes, qui cum essent in Italia, et Mediolanum ob regni negotia convenissent, et clandestinam pestem, quam ipse per hujusmodi homines ibidem immiserat, cum multo sanguine exercitatam comperissent, agebant : Enim justa dignaque res est, ut ille qui suos porcis atque serpentibus commisit filios, ab illis versa vice diffamatus dampnetur, et dum illos per hujusmodi homines opprimere disposuit, ab illis dilaceratus atque distractus, qui una in patria secum nati et aliti sunt, Simoniacus vocetur et convinciatur, Quis [568] suis capitulis suisque exhortationibus imbuti digne ipsa in caput vertunt, ac ecclesiarum sacerdotibus et episcopis, nullum tenentes episcopum, ut porci, quod Veritas dicit, appareat, conversi disrumpant universos. » Interea dum hæc fama Romæ urbis regiones supervolasset, ecce Oldeprandus Romanæ ecclesiæ archidiaconus, qui et ipse Alexandro æmulus insidiabatur et omnibus negotiis ipse præter sedis apostolicæ dominium [569] dominabatur, clanculo ad se vocari hos omnes præcepit ; et diu per omnia illorum causam sciscitans, aliquantulum conscius facti Alexandri, illos super hujusmodi negotium incitavit. Quid multa ? Ut autem venerunt ad diem, quo judicium absente tamen apostolico per ferrum calidissimum ageretur, annuente Deo et beato Petro apostolo, jurejurando de eo tanta cathedra ipsi collegerunt, ut quod verum erat aperuit, et quod falsum obmutuit. Et sic falsa religio illorum opilata, sub obscuro, ne diversis cruciatibus atterentur, Urbem exierunt. Mihi qui autem hæc narravit, unus fuit ex illis, qui illo tempore nimia superstitione ac vanissima religione ut filii Scævæ vallatus, huic tanto facto et inconsulto cum aliis cathedris (122) et ipse interfuisse verbis terribilibus [570].

20. (19.) Cum [571] interea Mediolanum Arialdus venisset, universa ecclesiasticorum virorum videns officia quadam amentissima ac dementissima crudelitate a malis jam doctus Christianis vel a porcis cœnosis conculcari et Arianorum argumentis sanctas depravari Scripturas et ut canes sævissime dilacerari, et ipsum sui facti pœniteret, dolens quid ageret secum rimari quasi cum alio cœpit. Itaque cum sacerdotum omnium totiusque civitatis solitis moribus, quasi hominis unius conventum cum primicerio eorum, dum in presbyterio locus reverendus ex propriis et communibus negotiis die statuto adunari comperisset, privatim uno tantum clerico stipatus cum Domini cruce venit in medium. Cumque diu intra se cogitans tacitus moraretur, lacrymis largissime decurrentibus, talibus tandem verbis adorsus est : « O conventus et o patres, multa pro ipsa summa reverenda solita pietate vestri sacerdotii mihi parcite, immerito et omnibus facinoribus quibus misera fragilitas humana offendit irretito, nunc debita sceleratoria mihi condonate misero. Ego sum, qui sancta canibus virorum sanguine summa aviditate anelantibus contra sanctum evangelium agens, nec me nec ordinem attendens indiscrete dedi. Quin etiam ego sum, qui contra vas et licitum vos et vestra diffamando nequiter odiosis viris ac terræ bestiis inconsulte tradidi. Proinde video per visum, meis et populi peccatis exigentibus, sancti Ambrosii ordinem ac ejusdem ecclesiæ culmen conculcari et cominus demoliri. Cognosco præterea et in veritate comperio parvulorum multorum necem sine baptismate, quod est peccatum crudelissimum et ultra modum gravissimum feraliter incurrentium, quin etiam sub obtentu falsæ religionis adulteria innumerabilia ac fornicationes sodomiticas multas ac diversas. Inter cætera video quamplures, sensibus depravatis ac Ariano dogmate seductis sanctam depravantes Scripturam, jam non qui sacerdotem, non episcopum, non summum pontificem Romanum, ad ultimum non ullam ecclesiam confitentur. Quamobrem mihi veniam date, et pro pace ecclesiæ humiliter exorate, Ego Deo annuente exinde ut scismatici suis cum argumentis discedant,

VARIÆ LECTIONES.

[568] iique *Bl.* [569] dñm B. [570] terribilissimis A*. [571] *Titulus :* De Arialdi confessione, cum spiritu in naribus apparuit ira subtus verbis velocissimis. A*. Qualiter Arialdus in presbyterio se errasse lacrimando confessus est. *rell.*

NOTÆ.

(122) Fortasse idem quod *Chateri* c. 29 ; cf. c. 31.

Digitized by Google

et vos in pace diuturna et caritate solita feliciter vivatis, operam omni dabo conamine. » Cumque his Arialdus verbis finem imposuisset, et universos mala præterita memorando inflammasset, omnibus contacentibus et nichil respondentibus, quasi gravissimis verberibus fuisset attritus, minans et æstuans et insalutatus recessit. Ea tempestate cum Anselmus vice comes Romam orationis causa devote suis cum militibus properasset, et ipse ab apostolico Alexandro de statu urbis ac ordinis ecclesiastici sciscitatus esset, respondit : « Enim a tempore quo patalia nostra in civitate insonuit, universa divina et humana, bellis intestinis, civibus inter se durissime præliantibus, et sacerdotibus falsis occasionibus criminose vituperatis ultra modum, ut jam ulla non sit res ordini nostræ ecclesiæ promiscua, conculcata sunt. » Cui domnus Alexander, matris reverentia tactus alta et longa trahens suspiria ait : « Convertit Deus eorum cor, ut odirent populum suum, et dolum facerent in servos ejus. Anathema maranatha sit damnatus, qui placitum illud mihi inchoare fecit. » Hoc dicto vox quædam sine persona respondit : « Fiat, Fiat, Fiat. »

21. (20.) Cum [872] hæc acta fuissent, Herlembaldo de his omnibus ignorante, quasi hostis ab urbe expulsis capitaneis, populi parte maxima per nimium cum ipso præliante, omnem iram omnemque furorem supra sacerdotes, ut antea numquam est auditum, furiose convertit. Etenim ut Dei mereretur iram, cujus ira tarda est et cito propitiatio, multa non fanda super sacerdotes adversus mulieres, et super mulieres adversus sacerdotes exercuit. Cum autem nummos aut aurum, e quibus cottidie suos retinebat justos, non haberet, statim quasi imperator legem super sacerdotes per triginta mittebat viros, dicens : « Si sacerdos aut levita cum duodecim testibus verbis evangelicis jurare posset, quod a diebus quibus consecrationem accepit, cum femina non concubuerit, liber permaneat; sin autem, ab omni substantia quam habet privetur. » Alii vero [873] intra urbem et foris palatini canes, fibula dimissa et aucterisque negotiis e quibus vita illorum redimebatur, decoloratis dentibus, necnon asinarii, quorum vita turpissimis trullis asinorum cottidie fulciebatur, quibus Patalia vitam malis artibus ministrabat, mulierum ornamenta clanculo in nocte per fenestras in domibus sacerdotum ipsis ignorantibus immittebant. Quo facto, cum stridore magnaque ruina ipsorum fores prorumpentes magnis latratibus insiliebant, et accipientes quæ immiserant, verbis terribilissimis affirmantes mulierem condormisse, sacerdotem nemine defendente ipsum distractum ab omnibus suis expoliatum bonis distrahebant. O Deus! Imperatores gentilium de Deo vero omnino ignari non talem legem suis sacerdotibus ediderunt. Sed novum placitum nova dedit præcepta, quæ Julius Cæsar vel Nero aut Maximinus, si adhuc viverent animo et corpore, numquam laudarent. Qui etiam Herlembaldus, cum domum non haberet tam amplam, ut suos recipere posset, domum palatinam magnam cum curte admirabilique viridario et delectabili, quæ ante ecclesiam sancti Victoris 40 martyrum morabatur, ut suos reciperet consentientes, ut etiam equos et mulas foveret, criminose invasit.

22. (21.) Interea [874] aliquantis transactis diebus, jubente tamen ipso Herlembaldo, convenerunt in secretario utriusque partis ordinis tantum ecclesiastici natura et scientia majores, quatenus super hoc negotium capitulis et sententiis alterutrum rimarentur, et quæcumque pars ratione convinceretur, alteri subjacens obediret. Ab una parte Guibertus archidiaconus utriusque linguæ magister, et Ambrosius Biffus qui et diaconus, et Ardericus qui et diaconus, cujus vox velut sonitus aquarum multarum; de decumanis autem Andreas sacerdos, in divinis et humanis Græcis et Latinis sermonibus virilis seu [875] decorus. Ab altera vero parte Arialdus et Landulfus et Aginulfus, qui de partibus diversis urbis novis pedibus convenerant. Quibus consedentibus, ut rationibus et utilitatibus quiete disputarent, majoribus fandi facultas data est. Illi autem cum diu per apostoli Pauli et canonum altercarentur, Arialdus et Landulfus proclamare cœperunt dicentes : « Vetera transierunt, et facta sunt omnia nova (*II Cor.* v, 17). Quod olim in primitiva ecclesia a patribus sanctis concessum est, modo indubitanter prohibetur. Tantum beatus magister et doctor [876] Ambrosius, cujus ordinem tenemus, vos dampnet aut affirmet. » Tunc Guibertus archidiaconus facto silentio infit :

Incipit [877] *sermo Guiberti adversus Arialdum et Landulfum.*

23. (22.) « Sanctam Trinitatem et Unitatem Dei ac Domini nostri Jesu Christi, fratres karissimi, nunc corde et animo invocantes deprecemur ut ipso auxiliante, omnibus remotis indignationibus ac ira, quæ justos etiam criminosos facit, quæ hedificationibus tam animarum quam corporum, pandere cum pace et caritate possimus, de qua sapiens doctor (123) dixit : « Qui sine karitate virtutes congregat, quasi ventum in pulverem portat. » Unde Apostolus : « Si distribuero facultates omnes meas in cibos pauperum, et tradidero corpus meum ita ut ardeam, karitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans

VARIÆ LECTIONES.

[872] *Titulus :* De furore Herlembaldi super sacerdotes. [873] Et alii B. [874] *Titulus :* Inc. de conflictu partium utrarumque, rege imperante Herlembaldo. A'. De disputatione utriusque partis ex testimonio sacrarum scripturarum. *rell.* [875] sive B. [876] m. et d. *desunt* B. [877] *deest* B.

NOTÆ.

(123) Gregorius, v. supra I, 3.

Digitized by Google

aut cimbalum tinniens (*I Cor.* XIII, 3). Iram enim viri dilectio Dei non operatur (*Jac.* I, 20). » De qua beatus Ambrosius in tractatu super Joseph clementer dicit (c. 13) : « Ira sæpe innocentes in crimen adducit, quia dum justo amplius irascimur et volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus. » Ideo Apostolus ait : « Non vosmetipsos judicantes, karissimi, sed date locum iræ (*Rom.* XII, 19). » Quod enim, fratres karissimi, omnes sententias præter Ambrosianas ab hoc negotio modo removistis, nobis placet multumque laudamus, quoniam omnes discipuli illius tenent ac laudant sententias magistri, quem præ ceteris sapientiorem et valentiorem disputando et rimando cognoverunt. Igitur Ambrosius doctor ut egregius et ecclesiarum nunc et semper magister veniens resedeat et colloquatur vobiscum, et quod in Exameron (V, 7) dicit, audientes intelligamus, ait enim : « Spectent singuli fidelium pulcra animarum monilia, et delectentur maturitate prudentiæ, splendore fidei, confessionis decore, justitiæ pulchritudine, ubertate misericordiæ, ut dicatur tibi : Uxor tua sicut vitis habundans in lateribus domus tuæ. Nolite quærere alienum thorum, nolite alienæ copulæ insidiari. Grave est adulterium, naturæ injuria est. Duos primum Deus fecit, Adam et Evam, hoc est virum et uxorem de viro, hoc est de costa Adæ, et jussit ambos esse in uno corpore et in uno spiritu. Quid unum separas corpus, unum dividis spiritum? » Item super Abraham (I, 7) : « Nulli licet scire mulierem præter uxorem, conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas et cum aliena muliere delinquas : vinctus es uxori, noli quærere solutionem. Unde Salomon (IX, 84) : A Deo viro præparabitur uxor. » Forsitan cogitatis quod de laicis tantum dicat, de quibus non est dubium habere conjugem? Omnes tamen laici et clerici, quicunque sunt filii Ecclesiæ, sacerdotes sunt. Audite qualiter super Lucam adversus sacerdotes sanctus dicat Ambrosius, cum de David (V, 33) : « Quomodo autem ille observator legis atque defensor panes et ipse manducavit, et dedit his qui erant secum, quos non licebat edere nisi tantummodo sacerdotibus, nisi ut per illam demonstraret figuram sacerdotalem cibum transire ad usus populorum, sive quia omnes vitam sacerdotalem debemus imitari, sive quia omnes filii Ecclesiæ sacerdotes sunt. Ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spirituales. » Quin etiam percipite quid in sermonibus dicat : « Nemo potest mutare naturam, nisi qui dominus est naturæ. Gravius est enim religionis adulterium quam corporis. » Unde super Lucam : « Disce personæ vitium esse, non sexus. Sexus enim sanctus est. » Præter ista apostolum vas electionis audite : « Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat (*I Cor.* VII, 1). » Fratres karissimi, scimus quoniam episcopis sacerdotibus et levitis prophetizare et evangeliorum secreta fidelibus et infidelibus humiliter ac devote nuntiare a Deo datum sit; sed vobis nescio a quo propheta sive a quo evangelio instructi sitis, cum lanceis et fustibus illos ad quorum pedes semper stetistis, male diffamando quasi imperatores criminose judicatis, de quibus beatus Ambrosius in libro Paradisi loquitur : « Sciebat enim Deus te esse fragilem, sciebat judicare non posse. Ideo dixit quasi fragilioribus, nolite judicare, ut non judicemini. Ergo [878] quia sicut te infirmum esse ad judicandum sciebat, voluitque obedientem esse mandato, dicens, nolite judicare; unde Paulus apostolus : Tu quis es, qui judicas alienum servum; suo domino stat, aut cadit, stabit autem (*Rom.* XIV, 4). » Item quod ipse de improbe judicantibus in aliquem dicat, audi in Beati Immaculati tractatu consilium (XX, 26) : « Erranti enim facilius datur venia, quam improbe in alterum judicanti. Necesse est enim, eam formam in te redire judicii, quam in alium ipse decernendam putaveris. » Sed unusquisque karitatis ignem in Deo et in proximo summa cum humilitate et devotione, ut frater hedificetur, habere se studeat. De quo caritatis igne quid et Ambrosius super Beati Immaculati tractatu dicat, audiamus et corde intelligamus : « Qui hic habuerit caritatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit; » et item : « Si nihil argenti in me inventum fuerit, heu me in ultima inferni detrudas aut ut stipula totus exuras. Sed si quid in me inventum fuerit auri aut argenti, non per meos actus, sed per misericordiam et gratiam Christi, per mysterium sacerdotii dicam fortasse ego : Etenim qui qui sperant in te, non confundentur. Nemo sibi adrogat, nemo de meritis, nemo de potestate se jactet, sed omnes in dominum Jesum : omnes ante ejus tribunal stabimus; de illo veniam, de illo indulgentiam postulabo. Quæ enim spes alia peccatoribus, et qui se aurum putat, habet plumbum, et qui se putat granum tritici, habet stipulam, quæ possit comburi. Sed hic multi sibi aurum videntur habere; non illis invideo. » Item in eodem : « Et si castus et si sobrius sis, cave ne sis negligens. Majorem Christo facit injuriam, qui advenientem repellit. » Propterea, fratres, gloriosissimi confessoris nostri Ambrosii sententiam auribus interioribus graviter percipite, cui refragari a Catholico periculosum et ab injusto criminosum indubitanter esse adscribitur. Ait enim in libro de conflictu vitiorum : « Quod in exordio generis humani masculum et feminam Dominum procreasse profiteris, ut mutuis se amplexibus misceri debeant, omnino verissime dicis; sed nubendi licentia quibusdam tribuitur, hoc est qui virginitatem, castimoniam, vel vidualitatem nequaquam professi sunt; quibusdam autem non tribuitur, id est qui virgines vel continentes esse decreverant. »

VARIÆ LECTIONES.

[878] *ita* A''. *Bl.* Ego A'. B.

Digitized by Google

Item, fratres dilectissimi, quid sanctus Ambrosius dicat curiose attendite. Ait enim in libro de fuga sæculi (c. 3) : « Lex hominum os potuit obstruere, non potuit mentem mutare, » et in septimo libro idem super Lucam (VIII, 7) : « Ab initio autem Dei lex est. Quæ est lex Dei ? Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Ergo qui dimittit uxorem, carnem suam scindit, dividit corpus (c. 4). Noli uxorem dimittere, ne Deum copulæ tuæ diffitearis autorem. Audi quid dixit Deus : Qui dimittit uxorem, facit eam mœchari, etenim cui non licet vivente viro mutare conjugium, potest obrepere libido peccandi. Itaque qui autor erroris est, etiam reus est culpæ. Quam periculosum, si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras ! Quam impium, si ejus destituas senectutem cujus defloraveris juventutem ! Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini (c. 5), cui obsecuntur etiam qui leges ferunt : Quos Deus conjunxit, homo non separet (c. 6). Sed non solum hoc [879] cœleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur. » At quid sanctus Crisantus in sua passione, ubi mentiri non potuit, dicat, percipite. Ait enim : « Errant qui castitatem se putant perfectam suis nisibus obtinere; nisi enim tuo, Domine, imbre flammæ fuerint corporales extinctæ, non potest animus pervenire quo pergit. Libido est bestia maligna, quæ in sylva hujus sæculi ad devorandas animas per carnem et diabolum incitatur. Qui ejus mortem evaserit, tibi Deo gratias refert, quia tuum est quod evasit. »

Explicit [880] *sermo Wiberti archidiaconi; incipit Ambrosii, Græcis et Latinis eloquiis eruditus, qui et dicitur.*

24. (23.) « Deus qui fons est bonitatis, perfectio castitatis, magister caritatis, amator veræ virginitatis omniumque virtutum auctor, sit nobis hoc in negotio veritatis tutor, adjutor humilitatis, adversariorum defensor, veræ virtutis augmentum, sermonum justorum minister, et sinceræ caritatis semper incrementum; quam caritatem Paulus apostolus super omnes virtutes laudando, ut jam scitis, magnificavit; de qua sanctus Augustinus omnium sententiarum peritia fultus in libro de unico [881] baptismo perscripsit (124) dicens : « Videant quam multa et quam magna nichil prosint, si unum quod defuerit; et videant quod sit ipsum unum; nec me in homine audiant, sed Apostolum : Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem non habeam, nichil sum. » Si igitur aliqua ingruente persecutione tradant ad flammas nobiscum corpus suum pro fide quam pariter confitentur, tamen quia separati hæc agunt, non sufferentes invicem neque studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis, caritatem utique non habendo, etiam cum illis omnibus, quæ nichil eis prosunt, ad æternam salutem pervenire non possunt. Idolatras enim in populo Dei gladius interemit, scismaticos autem terræ hiatus absorbuit. Sed quia negotium nobis eminet nunc magnum, unde modo tractare cum summa humilitate convenit, a talibus nunc nos subtrahentes quiescamus. Igitur nunc nostris occurrat memoriis, quod doctor gentium et veritatis magister Paulus apostolus, tuba salutaris, intonat, dicens : « Qui se non continet, nubat, melius enim est nubere quam uri (*I Cor.* VII, 9). » Et item : « Volo autem omnes homines esse sicut et me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero non sic. Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis, si sic permanserint sicut et ego. Quod si non continent, nubant, melius est enim nubere, quam uri (*Ibid.*, 7). » Item ad Romanos : « Scimus autem, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum sub peccato venundatus. Quid enim operor, non intelligo. Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi, quoniam bona est (*Rom* VII, 14). » Nam, fratres karissimi, timens perplurimum corde et animo expavesco, tot et tantos scientia et operatione præclarissimos sacerdotes feraliter a perfidis Christianis sub quadam et inaudita occasione trucidatos animadvertens, dolens modo tempus comperio nostris oculis accelerasse, de quo animus apostoli spiritu et scientia Dei perfulgens multa præsagia præfatus est dicens : « In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in ypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et iis qui cognoverunt veritatem (*I Tim.* IV, 1). » Utinam, fratres dilectissimi, hoc placitum cum caritate et humilitate ac discretione initium in Deo haberet ! Hoc si enim fuisset, utique medium bonum ac finem qui est pietatis et caritatis initium et finis, Deus certis indiiis sine tantis plagis ac angustiis, e quibus nunc ordo noster Ecclesiæ totius Ambrosianæ in primis urgetur, clementer approbaret; de quibus beatus Ambrosius in sermonibus conqueritur dicens : « Tantis enim malis hæc vita misera est repleta, ut comparatione ejus mors remedium putatur, non pœna. » Sed quia malitia et malivolentia, ira et odio ac avaritia, quæ neque copia augeri, neque inopia minui potest, ipsam exercentes incompe-

VARIÆ LECTIONES.

[879] hic *vulg. Totus locus hic admodum brevatus est.* [880] Sermo Ambrosii Biffi in Latinis litteris et Græcis eruditi; ideo Biffarius dictus est. A**. B. *Bl.* [881] unico de A*. A**.

NOTÆ.

(124) Frustra ibi quæsivi.

Digitized by Google

sabiliter ut appareret repleti sunt, ut bonis initiis, sic melioribus finibus carebit, de qua malignitatis iniquitate doctor et beatus Ambrosius in epistola Vercellensi, quid dicat, audiamus (c. 45) : « Malignitas plus nocet quam malitia, quia malignitas nec puram simplicitatem habet, nec apertam malitiam, sed absconditam malivolentiam. » At ut ad ea, quibus animus mens intendit, veniam, quibus loricis quibusque armis, quove scuto a talibus, quamvis frustra, muniri [883] et defendere possim, studiose cum omnibus Arialdus et Landulfus non me, sed apostolum nostrum Ambrosium sanctum, quod in Vercellensi epistola dicat, audiant et intelligant (c. 62) : « Virtutum autem magister apostolus est, qui cum patientia redarguendos docet et [884] contradicentes, qui unius uxoris virum præcipiat esse, non quod exortem excludat conjugii, nam hoc supra legem præcepti est, sed ut conjugali castimonia fruet [885] ablutionis [886] suæ gratia [887]. Nulla enim culpa conjugii, sed lex [888]. Ideo Apostolus legem posuit, dicens : Si quis sine crimine est unius uxoris vir. Ergo qui sine crimine est unius uxoris vir, teneatur ad legem sacerdotii supradicti [889]; qui autem intraverit [890] conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotii. » Item in eadem epistola (c. 39) : « Bonus medicus qui et fortibus subtilitatem [891] virtutis conservare cupiat, et infirmis salubritatem dare, aliis dat consilium, aliis demonstrat remedium, dicens : Qui infirmus est, olera manducet, accipiat uxorem; qui validus est, fortiorem virtutis cibum expectat [892]; meritoque adjunxit : Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis; et hic [893] judicavit in corde suo servare virginitatem suam, bene facit [894], et qui non jungit, melius facit, » et Dominus per prophetam : « Sacerdotes mei nubant semel. » Item per prophetam : « Sacerdos virginem ducat uxorem, similiter et levita (*Levit.* XXI, 13). » At ut jam ego his verbis finem imponam, quid beatus Ambrosius scribens in libro de officiis dicat, audite (I, 50) : « De monogamia sacerdotii [895] quid loquar, quando una tantum permittitur copula et non repetita. In ipso ergo conjugio lex est, non iterare conjugium, nec secundam conjugii sortiri conjunctionem; quod [896] plerisque mirum videtur. Cum etiam ante baptismum iterata conjugia dilatione [897] muneris et ordinationis prærogativam impedimenta generentur, cum etiam delicta obesse non soleant, si lavacri remissa fuerint sacramento, sed intelligere debemus, quia baptismus culpam remittere [898] potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est; quod culpæ est igitur, in baptismate laxatur; quod legis est, in conjugio solvitur [899]. » Item Hieronymus : « Sacerdotem quærit Ecclesia, aut de virginitate sanctum, aut de monogamia ornatum. » Laudo enim, fratres karissimi, quod fratres Arialdus et Landulphus jam populis seminarunt, et conquæri [900] a desiderio omnium fidelium maxime sacerdotum et levitarum castitatem; sed « quis esse potest continens, nisi Deus det? » ut ait Augustinus in libro contra Paulinum et Eutropium [901] (c. 11). « Caritas Dei, ut idem in eodem ait, quæ multitudinem peccatorum cooperit [902], diffunditur in cordibus nostris non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Et item in eodem (c. 34) : « Cum rex justus sederit in throno suæ majestatis, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Tunc ergo per ejus misericordiam justi ab hiis liberati [903] plene perfecteque mundati, fulgebunt in regno Patris sui sicut sol, et cum [904] plene atque perfecte erit ecclesia non habens maculam neque rugam. » Multa enim percurrens in Scripturis sanctis dixisse memini; sed hanc optionem damus vobis, quamvis injuste, quoniam non decet nisi solos episcopis hoc facere quod facitis, ut licentiam totius civitatis omniumque plebium plane perscrutando habeatis; quatenus trutinatis facinoribus, homicidiis parvulorum sine baptismate necem feraliter et innocenter incurrentibus, perjuriis ob mulierum amorem et sui defensionem, nec non adulteriis ac variis fornicationibus tam juvenum quam virginum sacrarum, ac usibus quibus tota Christianitas per orbem universum usque modo diffusa feliciter Deum et hominem diligens fruitur, in judicio vestrarum animarum, ut possumus, committimus, ut sacerdotes, quos bigamos aut trigamos aut concubinarios inveneritis, aut deponantur aut dividantur. Illos autem quos secundum usus ecclesiæ totius unius uxoris viros inveneritis, ne veniant in pejus dimittite : tantum strenue providete, ne jugum quod nostri majores olim ferre non potuerunt, calorem naturæ humanæ quam sit ad peccandum proclivis cognoscentes, ordini nostro intolerabiliter superponatis, memores evangeliorum Domini, qui cum videret suos discipulos a Pharisæis legaliter redargui dicentes : « Discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere sabbatis (*Matth.* XII, 2), vellere spicas et manducare; » Jesus autem defendens eos, ut pastor bonus ait eis : « Non legistis quid fecerit David quando esurivit, et qui cum eo erant? aut non legistis in lege quod sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? » Naturas

VARIÆ LECTIONES.

[883] *ita correxi*; muniti A°. A°°. B. munitis me d. *Bl.* [884] doceat c. *vulg.* [885] servet — gratiam *vulg.* [886] absolutionis A°°. *Bl.* [887] *Hic noster sententias aliquot omisit.* [888] suscipiendi *vulg.* [889] iteraverit *ib.* [890] stabilitatem *vulg.* [891] expetat *vulg.* [892] hoc *ib.* [893] Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit *vel librarius vel Land. omisit.* [894] De castimonia autem q. *vulg.* [895] Quod p. m. v. cur *vulg.* [896] iterati conjugii ad electionem m. *ib.* [897] baptismo culpa dimitti *ib.* [898] non s. *ib.* [899] queri B. [900] Eutropium et Paulum *vulg.* [901] q. m. p. c. *desunt ib.* [902] ab h. l. *desunt ib.* [903] sol. Tunc p. *ib.*

Digitized by Google

leonum quivis homo humiliare potest, hominis Deus, non homo mutare potest. Unde Scriptura sacra : « Nemo potest mutare naturam, nisi qui eam fecit. »

Explicit [603] *oratio Ambrosii Biffi qui etiam Biffari, adversus Arialdum et Landulfum. Incipit Arialdi et Landulfi adversus Wibertum et Ambrosium.*

25. (24.) « O patres et o fratres, ordine et dignitate ac gente præ ceteris Italiæ totius primatibus in omnibus, si vigorem ordinis nostri in quantum ratio nostra exigit custodisse curavissetis, præferendi! nos tamquam a talibus quæ jam audivimus fastiditi, perplurimum congratulamur, quod tam sapienter atque discrete usque modo sermocinastis nobiscum. Bona est caritas, quæ legis et prophetarum est plenitudo; bona est caritas, quæ protoplaustos per multa tempora suis peccatis exigentibus dampnatos a faucibus inferni clementer detraxit; beata est charitas, quæ per summam Deitatis clementiam humanatam nos a pœna primi hominis liberare misericorditer sataguit, et liberando secum in culpa nostri sæculi in æternum gaudere concessit, qua discipulos suos dicens armavit : « Beati misericordes, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth* v, 7); » et item : « In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* xiii, 35); » de qua dixit Apostolus : « Dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono (*Rom.* xii, 9). » Ago [604] et autem, karissimi, nemo qui viderit fratrem errantem aliqua negligentia aut naturæ infirmitate per quandam conjugis conjunctionem, occasione palliata non corripuerit [605] eum, jam non secundum caritatem, imo secundum injustissimam pietatem ambulat, et merito secundum quod ait Apostolus, de pernice [606] judicabitur, vel de negligentia condemnabitur. Qui autem in dubiis rebus consuluit, ut nos hodie videmus, decet esse vacuum ab ira, ab odio, ac misericordia. Nam ira, ut sapiens magister ait, sæpe impedit animum, ne possit cernere verum. De odio quid aliud dicam, quam quod evangelium dicens clamat : « Qui habet trabem in oculo suo, non potest ejicere festucam de oculo fratris sui; » at qui misericordiam ita exercet, ut justitiam funditus obliviscatur, jam non secundum caritatem ambulat; unde Augustinus : « Si frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultare, dum timet secari, nonne crudeliter a te sileretur, si misericordia motus taceres, et misericorditer judicaretur? » Et Apostolus : « Si videris fratrem tuum errantem, et non corripueris eum, de negligentia judicaberis, vel condempnaberis. » Vos dicitis, fratres : « Pauci sunt casti animo et corpore, et paucissimi sacerdotes virgines; » sed magis volo atque desidero cum paucis in Christo coronari, quam cum multis in tenebris collocari. Non omnia possumus omnes, quia non æqualiter valemus, de quibus Apostolus : « Aliis datur sermo scientiæ, aliis sermo sapientiæ, aliis discretio spiritus, aliis genera linguarum, aliis interpretatio sermonum (*I Cor.* xii, 8), unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei (*Rom.* xii, 3); » sed unusquisque nostrum, gratias Deo, ita scientia divinis et humanis superpollet, ut viæ veræ tramitem sive devium aut tortuosum sacris in Scripturis longo exercitio exercitatus cognoscere et se a principio liberare non valet, unde propheta : « Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus (*Isai.* xl, 3). » Declinate, fratres, a viis vestris, perspicite quod Scriptura clamat, dicens : « Ve homini gradienti duabus viis; » veniat sensibus vestris, fratres, quod prophetarum eximius clamat : « Viam veritatis elegi, judicia tua, Domine, non sum oblitus (*Psal.* cxviii, 30). » Et item : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum (*Ibid.*, 32). » Demus Deo honorem, et ipsum in corpore nostro portemus, mortificatis nobis ipsis in cunctis actibus sæculi, per quem mundo [607], ut ait Apostolus, crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* vi, 14), qui cunctos legitime gloria et honore triumphantes inenarrabili in perpetuo coronat, animo et corpore eum diligamus, et primum pietate fraternitatis et sinceræ caritatis amemus. Unde sanctus Augustinus in libro quem ad Hieronymum presbyterum facit (125), curialiter de pietate tractans dicit (c. 11) : « Qdid autem pietas nisi Dei cultus? et unde colitur nisi ex [608] caritate? Caritas igitur de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, magna et vera virtus [609], quia ipsa est et finis præcepti. — Sicut mors animam evellit [610] a sensibus carnis, sic caritas a concupiscentiis carnalibus. — Ubi ergo illa plena et perfecta erit, nihil ex vitio remanebit. » Testatus est, karissimi, domnus Guibertus apostolum dixisse : « Vinctus es uxori, noli quærere solutionem (*I Cor.* vii, 27), » et ita est. Sed illud quod sequitur quare non dicit? videlicet « solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. » Protulisti sententiam Apostoli dicentis : « Unusquisque suam uxorem habeat : » ego autem dico « quibus licet. » Præterea illud apostolicum animarum et corporum consilium audite : « Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si enim [611] spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis (*Rom.* 8, 12). » Dixisti quod de Vercellensi epistola placuit, sed illud quod sequitur, quare non protulisti, dicens in eadem (c. 62) : « Nec interim [612] ut filios in sacerdotio creare apostolica mutetur [613] auctoritate; habentem enim filios [614], non facientem, nec con-

VARIÆ LECTIONES.

[603] Oratio Ar. et L. adv· Guib. et Amb. probantium ex testimonio sacræ Scripturæ, sacerdotes non uxorandos. A^m. B. *Bl.* [604] *ita i. e.* aio A^c. A^m. B. Dico ego a. k. homo q. *Bl.* [605] corripuerint A^c. A^m. corripuerit B. [606] *an* pernice? *W.* [607] mihi mundus *vulg.* [608] *deest vulg.* [609] v. est *vulg.* [610] avellit *vulg.* [611] autem *vulg.* [612] iterum *vulg.* [613] invitetur *ib.* [614] e. dixit f. *ib.*

NOTÆ.

(125) Epist. 167. Parisinæ.

Digitized by Google

jugium iterare. » Idem Apostolus : « Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, ut ei serviat, qui se probavit (*II Tim.* II, 4). » Item ad Timotheum : « Te ipsum castum custodi (*I Tim.* V, 22). » Mirum ac valde terribile est, ut sacerdos aut levita serviens operi conjugali hostias Deo offerre possit, cum angelus Dei sacerdos dictus sit : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II, 7). » Ita quid [618] sancti canones dicant scitis, maxime cum dicit in quodam loco : « Sacerdotes qui duxerunt uxorem, deponantur. » Præterea sacra Scriptura clamans dicit : « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* XIII, 4). » Oportet enim sacerdotem mundum nitidumque indesinenter semper esse; si autem ulla mulieris vel sui tabe coinquinatus fuerit, holocausta offerre Deo non potest. Olim enim multa multis quadam injusta occasione, periculose tamen, concessa videntur. Nunc autem agere vos omnes expedit, ut via regia gradiamur, non declinantes a dexteris nec a sinistris. Video vos quasi armatos multis conscripturarum scientiis astare; sed scuta vestra in cucurbitarum folia vertentur, et gladii vestri in plumbum frigidum convertentur. »

Explicit [618] *oratio Arialdi et Landulfi; incipit Andreæ sacerdotis decumani adversus Arialdum et Landulfum.*

26. (25) « Fratres, et utinam fratres karissimi, caritatem et misericordiam, quas nunc et multotiens vestris doctrinis inseruistis, ut ore denotastis, sic bonorum actuum exemplo confirmavissetis. Multa de caritate tui sermonis exordio habuisti, sed de quo fonte manaverint, verborum tuorum finis aperte denudavit : si enim ex caritate inchoavisses, in caritate, quæ Deus est, finivisses. Unde in ventum tendis, cum in vento superbiæ graderis. Dixisti : « Qui misericordiam ira exercet, funditus justitiam obliviscitur [617], jam non secundum caritatem ambulat. » Verum est; sed qui hoc facit, et taliter circa peccatores se habet, fidelis non est, nec dignus Christianus vocari. Tamen prospice, quod Dominus ait : « Misericordiam volo, non sacrificium (*Matth.* IX, 13); » et iterum : « Miserebor cui misertus ero, et clemens ero in quo mihi placuero (*Exod.* XXXIII, 19). » Quod nos cum caritate, cum humilitate, cum patientia, cum benignitate, cum discretione, quæ est mater virtutum, docere et admonere et suadere multa per tempora debuisti, nunc quasi dampnativos ac criminosos plagis sævissimis simulque cum tuis cathedris, lingua tamen incooperta, criminose castigas. Cujus exemplo hæc omnia in nobis et in populo agis? Enim et nos multis cum temporibus et ordinem nostrum pacifice ac caste degentes regebamus. Vituperando nos grave bellum civile nunc excitasti; præterea audi Apostolum dicentem : « Deus non vult coacta servitia. » Et item : « Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo domino stat aut cadit, stabit autem. (*Rom.* XIV, 4). » Video enim, quod nemo te et ipsos quos super nos solitis illexisti sermonibus, a talibus revocare poterit. Sed terrere te debent bella civilia, homicidia, sacramenta ac perjuria inenarrabilia, parvulorum multitudinem multorum necem sine baptismate incurrentium, quorum membra et qualia [618] et quanta hoc in anno in cisterna theatrali cum mundata a clocariis [619] inventa sunt, paucis tamen condolentibus, ante tuos oculos habens. Et si mihi de natura humana non credis, maxime non credis de ordine nostro, qui dum magis constringitur, amplius inlicitis accenditur : vel tibi, quod olim fuisti vel cras esse poteris, crede. Vetando unam et propriam uxorem, centum fornicatrices ac adulteria multa concedis. Præterea vitium detestabile, ob quod quidam ex tuis simulantes sese caste vivere, uxoribus falsa religione dimissis, vitio imbuti detestabili, in theatro turpiter tracti et in fronte [620] decocti sunt, te amice tangendo deterreat. Item intulisti domno Guiberto : « Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem, » sed illud quod sequitur, quare non dixisti? imo apostolo dicente : « Si autem acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit. » Dixisti : « Ut ait Apostolus, debitores sumus non carni. » Ita est; non enim ita carni servimus, ut spiritu et corpore tempore congruo Deo serviamus? Ob quam causam audi beatum Ambrosium (126); ait enim in libro De bono conjugali (c. 25) : « Continentia non corporis, sed animi virtus est; virtus autem animi aliquando in opere manifestatur, aliquando in habitu latet. (C. 26.) Et justificata est sapientia a filiis suis, qui vident continentiæ virtutem in habitu animi semper esse debere; in opere autem pro rerum ac temporum opportunitate manifestari. » Diffamasti nos et ordinem nostrum Romæ et civibus nostris male dulcoratis, ut tuam scientiam vel loquacitatem ostenderes, sed unde fructum bonum habere tu credis, ibi seminarium bonorum fructuum habere non poteris, beato Ambrosio super Beati Immaculati tractatu attestante, qui ait (II, 25) : « Periculum est non solum dicere falsa, sed etiam vera, si quis ea insinuet quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum est, vel adulationis vel avaritiæ vel jactantiæ vel loquacitatis incautæ, quia dum adulari vult aliquis ei, cui loquitur, effundit mysterium. Nonnulli etiam studio lucri, mercedem perditionis secuntur, ut tegenda silentio vendant loquendo : alii, ut plura nosse vi-

VARIÆ LECTIONES.

[618] *ita* A''. *Bl.* qui A'. B. *qui habet* qui s. c. d. s. Madicant scitis maxime c. d. [616] Sermo Andreæ s. d. a. Ar. et L. A''. B. *Bl.* [617] misericordia i. e. injustitiam f. o. B. [618] *ita corr. Bethm.* m. equalia A'. A''. B. m. æqualia *Bl.* [619] *i. e.* cloacariis. [620] fonte A'. A''.

NOTÆ.

(126) Imo Augustinum.

Digitized by Google

deantur et scientiam suam jactent, aperiunt quod celare deberent, et [621] dum sine judicio locuntur, verbum emittunt quod revocare non possunt, » de quibus Dominus : « Vos estis qui justificatis vos ipsos coram hominibus. Deus autem novit corda vestra (*Luc.* XVI, 15); » qui enim perdiderit divina, posteritatem animæ suæ seminariumque meritorum habere non poterit. O amice, si tibi a Deo fuerit commissum, ut omnia perficeres, Veritate attestante, deberes dicere « Servus inutilis sum : » si autem Apostolum imitaris, deberes sentire cum eo dicens (*Rom.* XV, 1) : « Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum ad hedificationem. » Præterea intellige, quid sanctus dicat Gregorius (*Homil. in Evang.* VII, 4) : « Superiores invicem, maxime eos, qui nobis contenti [622] non sunt, proximos vestros attendite, quia et quos agere aliqua prava conspicitis, quæ in eis lateant bona nescitis; magnus ergo unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo se [623] esse nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat. Hinc enim de Saule superbiente per prophetam dicitur : Cum tu te parvulum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci [624]; quia vero tu te magnum conspicis, a me parvulus æstimaris. » Si enim per fragilitatem carnis, ut tibi videtur, peccamus, habemus beati Ambrosii consolationem; ait enim in libro De sæculi fuga (c. 11) : « Si per fragilitatem carnis et mundi illecebras ita mentem nostram formare non possumus, reverentia paternæ [625] prolis peccatum levemus. Caritas enim multitudinem peccatorum operit. Qui enim [626] ad imaginem Dei esse non potuit, sit ad plenitudinem caritatis. » Ait enim in libro De pœnitentia : « Regnat in nobis lex hujus carnis contraria legi mentis nostræ, et captivos nos in peccatum trahit, ut faciamus quod nolumus. » Item super Lucam (I, 30) : « Non otiose statim [627] in principio Genesis Dei jussum [628] conjugium copulatur, nisi ut hæresis destruatur. Sic enim Deus conjugium probavit, ut jungeret ; » in multis enim natura nostra cotidie febricitat. Unde sanctus Ambrosius super Lucam : « Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitæ sunt cupiditates; » unde ait Apostolus : « Si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri (*I Cor.* VII, 9). » Multi ante homines casti et mundi esse videntur, sed ante Deum flagitiosissimis vitiis irretiti apparent. Unde idem super Lucam (I, 18) : « Non semper [629] enim omnis, qui justus est ante homines, justus est ante Deum. Aliter vident homines et aliter Deus; homo videt in facie, Deus autem in corde. » Enim ut nos a laqueis mortis, quibus vita ista urgetur, liberati essemus, incurrimus minima, ut majora devitaremus. Multos enim laqueos, ut ait psalmista, in via hac superbi absconderunt (*Psal.* CXXXIX, 6). Et qui sunt isti laquei? audi sanctum Ambrosium super Lucam : « Oculus enim meretricis est laqueus peccatoris, laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis. » Separasti nos ab uxoribus nostris, tu qui es Apostolo justior, sanctior prophetis, mundior patriarchis, non justitia, non caritate, imo lanceis et ensibus durissimisque injuriis, quas legaliter ab initio christianitatis nostri antecessores, sibi et nobis vim propter vitium naturæ facientes, tradiderunt. Unde si tibi et tuis placet, audi quid sanctus Ambrosius super Lucam dicit (VIII, 4) : « Quam periculosum est, si fragilem adolescentulæ vel adolescentis [630] ætatem errori peccandi criminose offeras! Audi legem Domini, cui obsecuntur etiam qui leges ferunt (c. 5) : Quos Deus conjunxit, homo non separet. Ab initio autem Dei lex est. Quæ [631] est lex Dei (c. 7)? « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una (*Gen.* I, 24); « ergo qui dividit [632] uxorem, carnem suam scindit, legem dividit, separat corpus [633], et facit eos mœchari. « Virginitas, ut ait beatus Ambrosius, suaderi potest, imperari non potest. » Quid igitur de illis respondebis, qui jam se per quindecim aut viginti annos conjugali thoro copulaverunt? Dixisti : « Fornicatores et adulteros judicabit Deus! » Aperte verum est; sed de fratribus tuis quos tu vides tecum credere unum patrem habere, unam fidem catholicam tenere, unam et propriam uxorem venialiter uti dicens, peccasti : stat enim sanctus Ambrosius in Vercellensi epistola (c. 11) : « Dicimus quod qui fuerit in Christo baptizatus, haberi jam non debeat fornicarius. » Forsitan adhuc illa sententia implicitus es, qua olim illi de Monteforti te imbuerant, qui omnem christianitatem mulierem non tangere et genus humanum sine semine virili apum more nasci dicentes, falsis sententiis affirmabant? Volo autem et ego atque desidero omnem ordinem ecclesiasticum mundum, nitidum, purum et sanctum; sed dicit apostolus : « Nemo potest esse mundus a peccato et sanctus. » Job videns humani generis fragilitatem, dicit : « Numquid fortitudo lapidum fortitudo mea, aut caro mea ænea est? (*Job* VI, 12.) » Præterea cum tu nos in multis diffamasti, et dicens clamasti, sacerdotem aliqua labe attactum sacrificium Deo offerre non posse, debuisses cognoscere, quod Dominus in Apocalypsi dicit : « Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus : beati qui lavant stolas suas [634], ut sit potestas eorum in

VARIÆ LECTIONES.

[621] plerique *vulg.* [622] q. vobis commissi n. *vulg.* [623] *deest* B. [624] hinc — feci *in brevius contraxit.* [625] p. generationis et sedulitate p. *vulg.* [626] ergo — potuerit *ib.* [627] *ita Amb.* statuty B. stat ut A¹. A¹¹. *Bl.* [628] jussu *vulg.* [629] *deest* A¹¹. *Amb.* [630] v. a. *desunt vulg.* [631] *ita Amb.* D. lex eque est Dei *codd.* [632] dimittit *vulg.* [633] scindit, dividit c. *vulg.* [634] s. in sanguine agni *vulg.*

Digitized by Google

ligno vitæ, et portas civitatis intrent (*Apoc.* xxii, 13). » Sunt enim maculæ, quæ sola confessione lavantur, quam lavationem supradicta sententia Johannis significat. Quin etiam Domino attestante audi quæ coinquinant hominem. Ait : « Non enim quæ intrant in hominem coinquinant, sed quæ exeunt de homine (*Matth.* xv, 11). » Adulteria, homicidia, perjuria sunt quæ coinquinant hominem ; scis enim, et satis, ordo clericalis in quid pronus sit ad peccandum propter incontinentiam. Unde sanctus Gregorius in Moralibus Apostoli sententiam affirmat dicens (xxxii, 39) : « Et Paulus cum quosdam in ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut majora devitaret [635], dicens : « Propter fornicationis causam unusquisque suam uxorem habeat (*I Cor.* vii, 2). » Item in Registro secundo dicens ad Sabinum episcopum, inter multos verborum nodos, quædam [636] sacrilegis universo clero scribens dixit (127). « Præter illa quæ superius dixi, curæ tuæ sit eosdem fratres nostros episcopos adortari, ut subjecti in sacris videlicet ordinibus constituti, quod ipsi servant ad similitudinem modis omnibus servare commoneant. Hoc tamen modo adjecto, ut hii, sicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas habent, irreprehensibiliter regant. » Dicis : « Cum uxoribus Deo servire non potestis. » Verum est, si plus Deo illam amaremus. Unde ipsa Veritas : « Qui amat patrem aut matrem aut fratres aut uxores, non est me dignus (*Matth.* x, 37) ; » quod enim sancti Patres de episcopis dicunt, tu inordinate intorques. Non enim sumus, quod debemus ; sed enim tales nos Deus amat, quales futuri sumus, non quales sumus, sicut ipse Augustinus in libro de Trinitate dicit : « Quales enim amat Deus, in æternum conservat. » Item ipse Augustinus : « Et si exterius offerenda munera non habeo, intra memetipsum tamen invenio quod in ara tuæ laudis impono. Quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris. » Nichil quippe Deo ditius voluntate bona. Item Augustinus contra Julianum in libro tertio : « In suo quippe genere curandum est, quod ad melius non potest erigi. » Dixisti : « Sacerdos qui duxerit uxorem, deponatur. » Bene dicis, et ego dico, si post acceptum sacerdotium duxerit uxorem, sui ordinis periculo subjaceat, sin autem in sacerdotio unius uxoris virum inveneris, quid separas quod non licet ? Cur enim dividis corpus ? Da mihi Ambrosium sanctum doctorem nostrum, qui dividat uxorem ordinis nostri a viro, altero nolente ; et credamus semperque teneamus. Quin etiam quid sanctus papa Gregorius Theoctistæ patriarchæ [637] in Canobiis dicat, audite (*ep.* xi, 45) : « Sunt quidam qui dicunt religionis causa conjugia debere solvi. Verum sciendum est, quia et si hoc lex divina prohibuit, lex humana concessit [638]. Per se enim Veritas dicit : Quod Deus conjunxit, homo non separet. Quin etiam ait : Viro non licet dimittere uxorem, excepta fornicationis causa. Quis ergo huic cœlesti legislatori contradicat ? Scimus enim quia scriptum est : Erunt duo in carne una. Si igitur vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittat uxorem vel mulier virum in hoc mundo remanentem vel fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conversatio, in qua una eademque caro ex parte transit in continentiam, ex parte remanet in pollutione ? »

27. (26) Cum [639] autem orantibus partis utriusque fandi terminus imponebatur, ecce quasi ex ira Dei Landulfus majorum corona furialiter consurgens, vultu pallido ac lingua stridenti, clerici cujusdam objurgationibus commotus, cum quo tamquam canis dentaliter rixatus fuerat, orationem fundere cupiens, omnibus nimia ejus commotione vetantibus, prosiluit. Itaque indignatione nimia ac ira magna, quasi ursa raptis catulis commotus, clamans se clericorum cultello velle interimi (128), furialiter ex secretario in theatrum prosiliens, omnibus convocatis plebeicis orationem incitativam permultum super ordines universos, astante tamen Herlembaldo, lacrimabiliter edidit. Quo audito, Herlembaldo adortante et tamquam rex imperante, in manibus populi super sacerdotes illico fit concursus. Quod si ipsos in secretario aut [640] in ecclesia, in quibus nullam exibebant reverentiam, comperissent, profecto ipso die gladiis et fustibus universos [641] interemissent.

28. (27) Dei [642] omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti regnante clementia, ejusque dextera virtutibus et miraculis sedule et misericorditer coruscante super homines irrationabiles, et super Dei sacerdotes ab omni humano auxilio, Dei tamen fretos auxilio, destitutos, miracula invisa et inaudita apparuerunt. Quadam enim die cum sacerdos Liprandus, qui hominibus placiti Dei male nominati suspiciosus erat, ante oculos quorumdam apparens ad sancti Nazarii ecclesiam orationis causa abiret, verbis nefandissimis objurgatus, fustibusque post eum summis cum latratibus projectis, in concavo altaris sancti Nazarii supra ejus corpus nimia animi angustia fugit. Unde cum quidam nefandissimus, impu-

VARIÆ LECTIONES.

[635] declinarent *vulg.* [636] quæ de *Bl.* [637] *imo* Theoctistæ patriciæ. [638] hoc l. humana concessit, l. d. tamen prohibuit. *Greg.* [639] *Titulus inscribitur* : Qualiter Landulfi oratione Herlembaldus in sacerdotes insultum facere voluit [640] an B. [641] *deest* A°. [642] *Titulus* : Inc. sacerdotum miracula digito Dei patrata. A°. A°°. Miracula aliqua, quæ in persecutione sacerdotum apparuerunt. B. *Bl.*

NOTÆ.

(127) Locum hunc frustra quæsivi.
(128) Landulfum aliquando a clerico vulneratum esse, Andreas c. 2 refert.

Digitized by Google

dentior ceteris, turpissimis verbis gravissimisque impulsionibus ipsum alapizando, ut sui et suorum consimilium animos mulceret tamquam vesanos gentiles, extraheret, Dei virtute operante, in proximo omnibus membris contractis misere exaruit. Alius cum in ecclesia eadem sanctam Eucharistiam a sacerdote quodam in nativitate Domini timore ejusdem, non Dei amore acciperet, foris in muro, secta subversus hæretica, vidente tamen quodam fidele ac sacerdoti id ipsum nuntiante, immisit. Hoc audiens Dei sacerdos summa cum reverentia sanctum Domini corpus colligens recondidit; sed miser ille, qui sancti corporis indignus fuerat, usque in finem vitæ suæ ab omni cibo insatiabilis ac omnibus angustiis cruciatus, moriens non meruit habere corpus Christi. Alii vero quinque cum sacerdotem quemdam ob mulieris occasionem turpiter distrahendo dehonestassent, ipso anno quasi canes mortui sunt. Quin etiam alius secta detestabili irretitus, cum sanctum incensum, quod sacerdos in Domini natale per singulas defert domos, hostio clauso ac introitu eidem vetando refutaret, nocte eadem veniente proxima diabolus, in scismate fidelissimus laborantibus, filium ejus e matris manibus diripiens vagientem ac in æra verberans, ipsum puerum emortuum demum evanescens cadendo dimisit.

29. (28) Ea [646] tempestate (*an.* 1071, *Mart.*) audiens Herlembaldus, Gottofredum quem supra memoravi, de omnibus episcopalibus negotiis tam in clero quam in populo contra jus suum et velle intromittentem, exercitu parato inmenso et nobilium parte circa Castilionem metando velud imperator composuit. Ubi cum per multos machinis et balistis prœliisque diversis frustra laborasset dies, multis e populo misere amissis ac Dei ira civitate Mediolani funditus tam in domibus quam in ecclesiis, tam in marmoribus quam in trabibus ardente, quod castris minime latuit, ab omni spe frustratus tristis recessit. Dum hæc fuissent acta, parvo transacto tempore, Herlembaldus consilio Oldeprandi qui et Gregorius VII est vocatus edoctus, qui hujus placiti caput et seminarium erat, suis cum chateris, qui omnia etiam regalia negotia multoque tempore tranquilla conturbabant, sine virga et anulo ac regis consensu, cui Gregorius omnibus exercitiis insidiabatur, archiepiscopum habere statuit. Qui Herlembaldus producens quendam Antonem sibique consentientem, coram omni multitudine ore suo et inlicito elegit (*an.* 1072, *Jan.* 6). Hoc videns majorum et minorum multitudo tam suorum quam adversariorum, quæ noviter fidelitatem imperatori juraverat, sumptis armis magnoque prœlio Antonem noviter electum multis cum plagis et sacramentis archiepiscopatum inremeabiliter refutare fecit. Alia vero die cognocens Herlembaldus, inopinate se et improvide delusum [644], sparsis argenteis totam civitatem armatus obtinuit (129). Interea cum Herlembaldus quasi papa ad judicandum sacerdotes, rex ad conterendas gentes, urbem jam jamque ferro [645] et aero et juramentis multis et diversis superasset, cui nobilium nemo resistere poterat, Dei ira quam jam cum suis merebat... [646] detorta sibi velut gladius bisacutus obinata [647] est. Nam Landulfus cum se jam a spe archiepiscopatus, qua antea speraverat, frustratus comperisset, auri et honoris ultra modum ambitiosus, gravi incidit contristatus infirmitate. Qui moriens, linguam quasi bovinam orribilem, qua multum offenderat, quæ coopertorium non habebat, cui tormenta aperte parabantur, emisit. Demum ad sepulcrum ductus, donec ejus crura velut olim latronum fracta sunt, concludi minime potuit (*circa an.* 1061).

30. (29) At [648] Arialdus, cum inter paschalia solempnia (*an.* 1066, *Mai.* 29—*Jun.* 1) ecclesia Mediolanensium letanias devote celebraret, prædicando ac cum clericis rixando, nullum jejunium in istis diebus sancto asserente Ambrosio fieri debere, et carnem et vinum legaliter his tribus diebus posse comedere, firmabat. Quibus per civitatem auditis atque dictis letaniis interruptis, prælium magnum a partibus utrisque adorsum est. His itaque prœliantibus multisque gladiis ac lapidibus vulneratis, sex in bello viri cadentes mortui sunt. In his itaque, lector, cujus discretionis cujusque scientiæ cujusque continentiæ fuerit, certissime comperire et investigare valebis. Scimus enim et vere scimus, Arialde, quia in his quinquaginta diebus nullum jejunium nescit ecclesia imperare, sancto Ambrosio (130) cum multis sanctis attestante. An ignoras, quid Veritas veritatis clamat : « Non possunt filii sponsi jejunare quamdiu est cum illis sponsus; sed cum ablatus fuerit sponsus ab eis, tunc jejunabunt in illis diebus (*Luc.* v, 34). Credimus enim, apostolos post Domini ablationem, cum cœlos ascendit, usque ad sancti Spiritus adventum in Hierusalem orantes jejunasse; sed utinam orationem, quæ in portis nostræ legitur civitatis omni coram populo (131), a sancto ordinatam Ambrosio et scriptam, ecclesiæ totius firmamentum

VARIÆ LECTIONES.

[643] *Titulus* : De Gotofredo in archiepiscopatum intruso. [644] *ita Bl.* dilosum *supersc.* factum B. factus A*. facturum A**. [645] *deest* B. *ex correctura additum* A*. *sed a scriba ipso.* [646] *post* merebant *duarum fere vocum spatium relinquunt* A*. A**. B. *Ad marginem rubricator in* B. *scripsit :* Moritur Landulfus. A**. *apponit* : « Martir Landulphus rubr. charact. » [647] *an* obinanita? [648] *Titulus* : De morte Arialdi. A. A*. A**. Qualiter Arialdus a perfidis martyrio coronatur. B.

NOTÆ.

(129) Eum die altera prævaluisse confirmat Bonizo.

(130) Minime; dicit enim S. Luc. VIII, 25 : *Ergo per hos* 50 *dies jejunium nescit Ecclesia.*

(131) *Mœstorum refugium Deus*, etc.; v. Fumagalli Ant. Long. Mil. III, 232 qui eam a sancto Lazaro sæc. v, institutam esse putat.

Digitized by Google

intelligeres, et illud quod in ejusdem Vita (132) legitur : « Omni tempore vitæ suæ jejunabat, præter sabbatum et dominicam et festum celebriorum martyrum, crederes! Dum hæc acta fuissent, Arialdus videns urbem immanissime adversum se nimio mortuorum dolore et discordiæ quotidianæ divortio commotam, omnia quæ antea suis exercitiis facta et commota fuerant, cordetenus reminiscens, iter quo clanculo fugeret paravit. Qui nocte fugiens, juxta locum Legnani (133) a manibus fidelium dominæ Olivæ, domni Guidonis neptæ, tentus et captus est (*an.* 1066, *Jun.* 27). Cumque vultu ejus in arce Aronæ repræsentatus fuisset, eadem ilico imperante, patrui sui dolorem reminiscens, in insula quadam juxta Lacum Majorem (134) secretissime ductus est; ibique interrogatus, si Guidonem teneret archiepiscopum (135) quem ecclesia Romana pallio et c rdinalibus firmaverat, respondens et dixit : « Donec enim linguam in ore portavero et animus incolumis fuerit ac mens mea serena, nec tenebo ipsum pro archiepiscopo nec habebo. » Hoc dicto vernulæ Olivæ furialiter in eum prosilientes, linguam ejus desub mentonem trahentes, in insula semimortuum reliquerunt. Quin etiam altera die (*Jun.* 28), jubente eadem Oliva, ne a suis mortuus vel vivus inveniretur et ab Herlembaldo durissime ipsa obsideretur, in arce Trevali (136) in apotecha sancti Ambrosii cautissime abscondentes humaverunt defunctum [649]. Transactis vero aliquantis diebus, ejus cadaveris fœtor castellum omne, ita ut omnes nausiarent fugientes, occupavit. Itaque hujus sceleris conscii magno timore territi, ne ob hoc cadaver invenirent, summo cum labore apotecham ipsam aqua usque umbilicum, coarctantes fœtorem, repleverunt (137). Hiis itaque, ut audistis, ambobus exanimatis in linguis, Deus qui omnia videt omniaque suo dispensat judicio examinatione aperto... [650] intentionis furialiter illorum verba fuerunt, apertissime declaravit. Hoc facto nequiterque peracto, cum jam hujus rei eventus umbratim et non ut veritas habebat, ad Herlembaldi aures pervenit (*an.* 1067), gente illico coadunata immensa obsidendam Olivam, omnium fere nequissimarum artium maximeque incantationum scientia fultam, in corpus Arialdi (138) ut sine mora ei traderet sataguit. Igitur legatis ad eandem directis ac castris in prato Rocho [651] consedentibus, nocte superveniente eadem vox quædam fantasticæ imaginis vento supervolante, tenui audientibus universis insonuit (139) dicens : « Currite, currite ad ripam Ticini ! currite currentes, quoniam in loco in ripa Ticini sanctus noster Arialdus nobis repræsentandus ecce advenit. » Quo audito angelicam vocem universi credentes, magno cum clamore castris relictis omnibus [652] ad locum prædictum cucurrerunt. Quo cum celeri [653] cursu ivissent, corpus jamdiu truncatum mulieris [654] fere emarcidum, minimeque propter aquam in qua jacuerat fœtens, cui omnia membra cujuscunque sexus mareuerant, orribile nimis ac visu teterrimum, illis traditum est. Itaque multis dubitantibus, multisque congaudentibus, plurimisque credentibus, tandem pallio superimposito in lectica compositus est (*Mai.* 17). Quo assumpto et quasi levita cum stola ornato, summis cum letaniis, magnisque exaltationibus plurimisque confrequentationibus in monasterio sancti Celsi humatum est [655] (*Mai.* 27). Hiis itaque peractis, Herlembaldus suis cum omnibus magnisque ceremoniis quasi novum martyrem venerantes, fantastica delusi imagine, ut postea in tempore quarti Anselmi archiepiscopi apparuit, sedule ac devote colebant. Cum enim post

VARIÆ LECTIONES.

[649] *in* B. *rubricator in margine scripsit* : passus est b. Arialdus martir et levita anno Domini 1066. 5. Kal. Julii. canonizatus per Alexandrum II. Nec mirandum si iste historiographus et sequens (*Arnulfus. scilicet qui Landulfum in eo codice subsequitur*) non laudent istum Arialdum; quia ipsi erant fautores sacerdotum uxoratorum, concubinariorum et simoniacorum a quibus b. Arialdus passus est. Quare anno Domini 1067. Alexander II. venit Mediolanum ob mortem Arialdi, dum ad sinodum pergeret, quam Mantue celebravit, in qua omnes Mediolanenses sacerdotes uxoratos beneficiis privavit. Quod et de ceteris facere intendebat, sed morte preventus est; sed Hyldeprandus ejus successor facti Alexandri conscius illud explevit. *Etiam* A''. *in margine notavit :* Caract. rubr. S. et b. Arialdus martyr et levita *etc. usque ad* levita. *Hæc igitur in* A *legebantur. BETHM. Hæc desumpta esse videntur ex Anonymi V. Arialdi apud Puric. p.* 157. *W.* [650] *spatium unius vocis relinquunt* A''. A''. B. [651] *in margine alterius codicis* (*i. e.* A.) : Rho, hodie Rande. *Bl.* [652] omnes *Bl.* [653] clerici A''. [654] *ita* A'. A''. B; *in* B. *autem alia manus correctrix ante* mulieris *inseruit* cā. *Bl. habet* m. causa. [655] *in* B. *idem ille rubricator in margine* : Versus super sepulcro B. Arialdi. Martir Levita jacet hac Arialdus in urna Troncatus moritur, sed vite dona meretur. Hoc Manseolo (*leg* mausoleo *cum Flamma ap. com. Giulini* IV, 408.) revérenter condita digno. Hiis geminis causis Arialdus passus ab istis, Martir in ecclesia levita reconditur ista. Transtulit Anselmus pastor venerabile corpus. — Isti tres versus loquuntur de Arialdo et Herlembaldo : Sanctos thesauros venerare per omnia caros Hos pugiles Christi gens inclita Mediolani, De cujus sancti sunt isti sanguine nati. *Eadem.*

NOTÆ.

(132) C. 38; sed verba Land. mutavit.

(133) *Castrum fidelis Herlembaldi* Andr., c. 27, qui a presbytero quodam eum traditum esse refert.

(134) Isola Madre, ut videtur. Giul. IV, 414.

(135) Ita etiam Andreas c. 29.

(136) Nomen in Valtravaglia mansit valli in sinistra lacus ripa, prope fines Helvetiorum. Ibi eum quærens Andreas in carcerem conjectus est, narrante Sy.e presb. apud Puricellum l. l., p. 119. Acta SS. Jun., V, p. 301.

(137) In lacu demersum esse ait Andreas cap. 30.

(138) Quod 3 Maii in littore lacus inventum fuerat, indeque Aronam asportatum.

(139) *Et ecce die altero illucescente vox lætifera per castra insonuit dicens : In littore quidem Ticini directum est in navem corpus beati Arialdi.* Andr. c. 32.

Digitized by Google

biennium [656] suæ consecrationis (140) domnus Anselmus Arialdi ossa et corpus qualiter male olim in veritate fuissent humata comperisset, curialiter cum paucis clericis ad locum tendens, ossa quæ habere potuit colligens, in ecclesia sancti Dionysii humavit (*an.* 1075). Ea tempestate cum capitanei, quos Herlembaldus a civitate suis cum factionibus expulerat, parati mori quam inhoneste vivere, viribus reintegratis urbem paulatim intrantes, cives quos habere poterant, secum stare ac feudi retinere jurejurando affirmabant. Pauco autem tempore cum ordinarii sanctum crisma ad sancti pascæ fontes consecrandos devote adduxissent, ab Herlembaldo fustibus et terroribus [657] constricti atque coacti, in sancto sabbato ipsum in theatro duxerunt. Quo ducto, cum [658] diu super hoc negotium adversus illos pessime detrahens ac nova nomina inhonesta illis imponens Herlembaldus concionaretur, furiis sævissimis commotus, sanctum crisma ab illorum manibus summa cum vituperatione diripiens ac ipse suis manibus in terram effundens, pedibus et fustibus multorum quasi lutum nullam reverentiam divinis sacramentis habentium conculcari fecit (141). O gens sine Deo, et o placitum sine vero! Sacramentum hoc per verbum Dei consecratum quid offendit? « Accedit enim, sicut beatus Ambrosius (142) dixit, verbum ad elementum, et fit sacramentum, » et quid dicat Augustinus sanctus, intellige : « Quamvis impudici et immundi sint qui operantur, ipsa ejus sanctitas pollui non potest, et quod verbis evangelicis et per adulteros et in adulteros sanctum est. » Quid de gente vesanissima a Deo oblita dicam? Dei ira super civitatem apertissime multis judiciis emittente, sancto baptismo sancti paschæ criminose interrupto, ventum est ad diem majoris ebdomadæ, quo capitanei jam non private, sed publice sui fedi [659] ac proprietatis retinendi curiose satagebant. Dum hæc agebantur, Herlembaldus hæc omnia suo studio parari existimans, et animam jam e se in manibus dijudicans, solus quasi dux theatrum suos confortando ac cohortando ad bellum regens prælii necessaria ordinabat; quin etiam in primis sibimet vexillum, milites et pedites exinde, qui A scalas ad capiendas domos et cellaria machinasque diversas portarent, ordinabat. Præterea secrete ordinavit balistas ac fundibularios, scalas triangulares ferratas inferius per semetipsas stantes cubitorum viginti. His itaque compositis ac oratione facta luculenta, in qua suis magnas divitias cœlestes et humanas honoresque maximos promittebat, præcepit militibus ceteræque multitudini, ut armati in theatro dato signo citissime convenirent. Ac ab altera parte capitanei cum populi parte, cui Herlembaldi intentio innotuerat, viri cognoscentes industriam prælii que calliditatem, ac bellum civile adversum sese curiosissime præparari, sibi et filiis ac uxoribus necem turpissimam inferri timentes, paulo citius Herlembaldo ad bellum armati et viriliter præparati sunt. Hoc B audiens Herlembaldus, loricam admirabilem indutus equum ascendens feriendum, ac ipse manu vexillum tenens, cum paucis armatus et Leoprando sacerdote, qui et ipse crucem manu gestabat propria, non ut bellum sedaret, sed ut bellantes suos potius incitaret hostibus, et ipse hostis exiliens ac barba e lorica extracta, ut terrori magis foret, sese dedit. Cum autem hic primus suis non expectatis armatis et signo dato, perplurimum suis confidens viribus, maxime quia ante e civitate illos fugaverat, bellum initians, lanceis ac ensibus perfossus primus et inter primos cecidit [660]. Sed effecto bello ac Dei misericordia paucis mortuis, ac sine multorum strage, quam quidam ex ipsis magnis firmabant assertionibus, C devictis atque fugatis omnibus, quos non Dei caritas sed mala res armaverat, solus sacerdos e clericis qui dissidii totius fomentum fuerat, Leoprandus, naso et auribus post aliquot dies mutilatus, gaudio immenso civitas tota paceque adepta repleta est. Si enim civitatis totius meritis exigentibus victoria hostibus data fuisset, et frequentes armati aliquanto citius convenissent, ut profecto comperimus, machinis rerum diversarum inventis, quæ hujus erant ordinatæ flagitii, ut illi cives qui angustiis arctabantur asserebant, ipso die pars tota nobilium quasi Sillæ vel Marii tempore cum populo sibi favente gladiis diversisque tormentis funditus interisset.

31. (IV, 1.) His [661] autem causis, quibus hi tres

VARIÆ LECTIONES

prorsus A''. *exhibet, sed inepte in textu ipso ita :* humatum est. H. i. p. H. s. c. o. m. cæremoniis quasi rubeis characteribus in margine quæ sequuntur. Versus super *etc. usque ad* nati quasi novum *etc.* [656] *in* B. *rubricator in margine :* scilicet MLXXXXVI. [657] *deest* B. *spatio relicto.* [658] dum B. [659] feudi *Bl.* [660] *in* B. *rubricator in margine :* Occiditur Herlembaldus ab Arnaldo de Raude, ut alibi reperitur (*sc. ap. Land. Jun. c.* 44.) *et paulo inferius :* Versus super sepulcro Herlembaldi in S. Dionisio, quem sanctorum martirum cathalogo annotavit Urbanus II. qui cum Arnulfo archiepiscopo Mediolani corpus ejus tumulavit 1091 (*potius* 1095.), quia ipse Herlembaldus vexillifer ecclesie et tutor ab adversariis Romane ecclesie occisus est. Hic Herlembaldus miles Christi reverendus Occissus tegitur, qui cellesti (*l.* celi *cum Flamma ap. Giulini IV*, 319.) sede potitur; Incestus reprobat simonias et quia dampnat, Hunc Veneris servi perimunt Simonisque maligni. Urbanus summus presul dictusque secundus, Noster et Arnulfus pastor pius atque benignus Hujus membra viri tumulant translata beati. *Eadem* A''. *annotavit in codice quem exscripsit in margine legi rubris charact.* [661] Incipit liber quartus de Henrico imperatore et Rodolfo, et de actis comitisse Mathildis, et Hyldeprandi cardinalis, qui post Alexandrum fit papa Gregorius VII. Ilis *etc.* A''. B. Incipit de Henrico imperatore et Rodulfo et bello Sansonie, quo instituto comitisse Matildis et Oldeprandi, nobilium et vulgi strage facta inaudita patratum est. Cap. 31. His A'. *et attestante Hor. Blanco cod.* A.

NOTÆ.

(140) Itaque a. 1099 vel 1100.

(141) Quæ annis 1071 et 1075 acciderunt, confudisse videtur.

(142) Imo Augustinus, *in Joan. Evang.* x, 80.

Digitized by Google

cum paucis vitam finiere humanam terminatis, a quo fonte hæc universa epistolis multis intercurrentibus manaverunt, posteris fidelibus et hanc ecclesiam diligentibus ut sibimet prævideant, cetera fideliter enucleare curabo. Igitur comitissa Matildis [665] cum jam duobus fratribus emortuis, quos Henrici IV imperatoris calliditate occisos fore credebat, sese solam superstitem videns, serpente qui olim protoplaustos in paradiso Dei decepit callidior, ipsum quærens imperatorem a regno privare, dolis acutissimis non armis laborans, septimo [666] adhæsit Gregorio. Quæ cum antea [666] virgo Gigonem virum prudentissimum Nurmandiæ ducem maritum duxisset, per paucos annos morata [666], sese jam pœnitens dominii dominum habere, cum vernula consciliata fidelissima, ipsum ad cloacam super lacum sedentem per podicem interimi ense cautissime fecit. Hæc enim cum totius fere Tusciæ et usque Romam comitatus sui potestatem sola exerceret, pacto secretissimo cum Oldeprando, qui tunc diaconi apicem Romanæ Ecclesiæ regebat, necnon qui [666] plurimis Romanis ossibus Albini et Rufini sparsis (143), quatenus sine consensu imperatoris in pontificatu Romano eligeretur et consecraretur, operam dedit (*an.* 1076. *Feb.*). Itaque electo Oldeprando et idem consecrato Gregorio, parvo moratus tempore in synodo prima et domna Matildis conscilio sine advocatione ulla Henricum excommunicavit imperatorem, parvissimis datis induciis, nisi investituras episcopatuum omniumque abbatiarum ipse refutaret. Exinde cum hæc omnia sibi favere vidisset, et maxime quia Mediolanum Herlembaldus cum suis omnibus cathedris [667] sibi quasi Apostolico summis cum gaudiis in omnibus deserviret, multis epistolarum ammonitionibus ammonitus, necnon comitissæ Matildis quamplurimis adulationibus accensus, super hujusmodi negotium sedule insistens, canones et registrum, ut clerici qui investituras de manu imperatoris acciperent, ab officiis deponerentur, primus sataguit. Demum ecclesiarum universarum ac sæculi totius pace et concordia spreta, illecebrarum facetiis ac diligentia Matildis, cum qua et ipse ridebat, coronam admirabilem lapidibus pretiosis intestam Saxoniæ duci Redulfo, quatenus se de imperio Romano contra [668] Henricum IV regem intromitteret, misit; asserens se multis excommunicationibus excommunicaturum, et ejus armis admirabilibus ac Saxonum illius gladiis viriliter pugnaturum. Hic enim Redulfus Saxoniæ ipsum ducatum, ipsius fere totius terræ thetrarcatum [669], ab imperatore Henrico fidelitate sui imperii ac totius sui honoris acceptam usque ad hoc tempus humiliter ac devote tenebat. Cum hæc omnia ad imperatoris aures seriatim pervenissent, inmanissima ira ac dolore commotus, hanc clandestinam pestem inopinate super se insurgentem videns, adversus Redulfum sibi et regno fere jam imminentem sibique perjurium, qui etiam totam Saxoniam adversus eum armaverat, cum suis omnibus quos habere potuit, arma suscepit. Quamobrem gente utrarumque partium inenarrabili coadunata, prælium est tale commissum atque perfectum, quale nec literis cognovi nec oculis vidi nec auribus audivi, nec aliquis nisi qui interfuit credere potuit. Quo enim bello cum antea biduum suis cum omnibus in ingressu Saxoniæ castris consedentibus universis imperator sederet, hoc tale dedit præceptum, ut in primo die belli, quicquid sive prosperi, sive adversi adveniret, nocte superveniente eadem ignes tres accenderentur, « quatenus omnes qui dispersi fuerint ac variis eventibus, ut in bello solet, divisi fuerint, conveniant, ac demum ad ignem majorem ad me in unum conveniant, seseque colligant, sive ad insequendos hostes, sive ad prælium restaurandum. » Ubi cum in primo bellorum concursu viginti milia militum electorum in petra ordinando ac præmittendo amisisset, et ab hostibus velut olim Jonas in mare a ceto absorti fuissent, suis cum omnibus militibus præter illos, quibus lancea, in qua Dei clavus erat inclusus Romani imperii stabilimentum ab hostibus durissimis, curabatur, citissime occurrit, et occurrendo multos liberavit virtute. Itaque cum reges utrique velut leones ferocissimi feraliter præliantes eminus convenissent, tota die neutra parte victoriam adepta, gladiis ferocissimis invicem sævientes ac utrarumque partium strage facta innumerabili, dies pervenit ad noctem. Igitur focis accensis tribus, ac omnibus qui dispersi fuerant militibus congregatis, imperator multitudinem universam quam colligere gregatim potuit, multis cum lacrymis cohortari ad prælium, flammivomos oculos nimia ira habens, vilissime cœnatus, cœpit; et exinde qualiter propria dextera pugnasset, nervis ejusdem a capulo ensis summa virtute Saxones truncando nudis apparentibus ostendens, regaliter universam cohortans multitudinem, dona vivis et mortuorum filiis ac filiabus regalia promisit, mallens mori quam a suo perjuro vinci, mallens sui et suorum militum corpora viriliter truncari e prælio,

VARIÆ LECTIONES.

[665] maltidis B. *const.* cum—operam dedit *ex nostro exscripsit auctor vitæ Math. in Leibn. SS. R. Brunsv. I. p.* 694. *verbis paulum mutatis.* [666] *ita* A[ac]. quinto B, *sed rubricator* VII° *correxit;* quinto vel sexto vel septimo A[a]. [666] adhuc *V. Math.* [666] secum m. super se i. p. alicujus habere dominium *V. Math.* [666] cum quam plurimis religiosis e finibus A. et Ruffini sp. q. . . . eligerent ut consecraretur o. dedit. *V. Math.* [667] *i. e.* chateris; *cf. c.* 19. [668] *ita corrigendum videbatur;* circa *libri.* [669] *ita* A[ac]. *Bl.* thetarcarum A[a]. B.

NOTÆ.

(143) I. e. auro et argento; cf. versus qui sæc. XI, XII multum circumferebantur : *Martiris Albini et presulis ossa Rufini Romæ quisquis habet, cuncta parare valet;* et proverbium : *Romæ Deus non est trinus, sed quattrinus.* Cf. etiam Evangelium de nummo, ubi iidem sancti citantur tanquam Romæ efficacissimi.

Digitized by Google

aut campo miscere. Cum altera autem dies venisset, imperator Henricus summo die crepusculo suorum militum universorum viribus collectis et animatis, et domno Tealdo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ notario (144) lanceam ipse custodiente, cum viginti mille militibus hoc in prælio nimia cupiditate anelantibus, armatorum virtute et animorum sagacitate hostes unanimiter continuo invadendo, fortiterque lanceis et ensibus atque sagittis feriendo in fugam convertit. Demum utrarumque partium strage per duos dies facta hominum innumerabilium, ac rege perjuro Redulfo emortuo a milite imperatoris, qui et ipse in campo inter mortuos jacebat, elevans se graviter vulneratus. . ipsius, et. .[670] tota ense Teutonico truncavit, necnon sexaginta militibus electorum nobilium virorum, qui inter tantam stragem jussu imperatoris collecti cognosci potuerunt, acervatim combustis, imperator per quatuor dies intrans cum furore Saxoniam, omnes quos habere potuit, tam mares quam feminas, mutilando detruncavit.

32. [671] (IV, 2.) Post paucos interea dies clerici et laici Mediolanensium communicato ex communi consilio, eorundem civium [672] malorum, callidorum et simulatorum, qui provocant iram Dei, fœce eliminata, sectarumque nequissimarum errore purgato, clericorumque multorum zizaniis fugatis, tres viros diacones et notarium ad imperatorem, ut quemcumque anulo et virga laudando consentiret, archiepiscopum tenerent, unanimiter direxerunt. Quod ideo Romano imperatori ab Apostolico multisque episcopis olim concessum est, quatenus cum unaquæque civitas unius sacerdotis vel levitæ electionem canonice facere deberet [673], ut Romæ multisque aliis civitatibus evenisse cognovimus, duas multo cum sanguine electiones facere satagebat. Quibus curiæ regali representatis, imperator tacite quid isti aut Thealdus, quem diu animi et corporis scientia præpollentem cognoverat, valerent recogitans, tandem domnum Thealdum virum valentissimum, ex regia camera honorifice ornatum, ac anulo et virga sublimatum, cunctorum astantium vocibus laudatum, præsentibus civibus et absentibus universis dedit, atque ut honorifice Mediolanum reciperetur ac haberetur amicabiliter imperavit. Post paucos autem annos imperator omnium suorum malorum caput atque fomentum Romæ fore conspiciens, ut ipsam civitatem atque Gregorium sibi adversantem sibique omnibus modis insidiantem obsideret, inenarrabili militum multitudine necnon episcoporum multorum corona vallatus venit in Italiam. Ubi cum pervenisset, et de eligendo pontifice primates consulerent Romano, et domnum Thealdum [674] id ipsum recusantem eligere universi disposuissent, Guibertum Ravennatensem archiepiscopum simulque cardinalem elegerunt, ac electum summa cum diligentia et cunctorum laude ipsum dementum [675] Græcis facetiis affluentem summa cum devotione consecrarunt (145) [*an.* 1081]. Hoc facto imperator cum universa multitudine et Pado nimio gelu rigidus ipsum et militiam universam tamquam serviens sustinente, ac domno Thealdo [676] omnibus cum suffraganeis, præter illos quos ipse Gregorius inlicite sæva interjocante pathalia, quam ipse incitaverat, a beati Ambrosii ecclesia abraserat (146), quam ob misterium Ambrosianum, quo l ultra fas et nefas oderat, et militibus mille et electis quos ipse summis et ex propriis dispendiis ducendo alebat, in mense Decembris (1082) Romam castris ordinatis universis consedit. Ubi cum per menses septem imperator frustra armis et machinis laborasset, die quadam incompensate accedit, dum Teutonici universi gentesque diversæ a bello laxatæ quiescerent in castris, duo viri audacissimi, domni Thealdi et sancti Ambrosii de familia, pistor nomine Amizo, et camerlengus hostium cameræ diu noctuque custodiens Ugo nomine, prælio et causis audacissimis assuefacti, armis et gladiis viriliter accincti, clanculo civitatis munitiones necnon et custodes turrium et murorum qualitates perscrutari cupientes, mutuo animati paulatim ac pedetentim murum machinis ex parte eruderatum ascenderunt (*an.* 1083, *Jun.*). Qui videntes civitatis custodes dormire ac universa silentium tenere, gladiis illico evaginatis audacter alios truncabant dormientes, alios e turribus projiciebant inermes. Hoc facto, protinus sese e turribus ostendentes, signum scutis secretissime ut sibi imperator citissime occurreret faciebant. Domnus interea hoc videns Thealdus, pavore suorum attactus virorum, ut imperator citissime sibi et suis occurreret adortatus est. Itaque imperator indignatis Teutonicis, gens invida Longobardis, omnibus ilico armatis militibus urbem paucis truncatis cepit; quin etiam ipsum Gregorium insequentes, in locis tutissimis et turritis in veteri Roma semetipsum colligentem obsiderunt. His ita gestis, imperator domni Thealdi 3. Kalendas Julii magnifice in auro et argento novis honoratis militibus, quorum audacia atque exercitiis Roma capta imperatori subjacuit, ac ceteris primatibus diversis exaltatis muneribus, variis fultis honoribus, cunctis gratiam dedit, solos secum Teutonicos retinens in palatio sedit cæsariano.

VARIÆ LECTIONES.

[670] *post* vuln. *et post* et *spatium relinquunt* A*. B. A**. [671] *ita* A*. De electione Thealdi archiepiscopi, et obsidione Romanæ urbis per Henricum quartum. *adscribunt codd.* [672] civē A**. [673] debent A*. *Bl.* [674] tedaldum B. [675] *ita codd.* [676] tedaldo B.

NOTÆ.

(144) Sed is ann. 1075, vel 1076, in archiepiscopum electus est. Noster prælium ad Elistram cum altero ad Unstrodam commisso confundit.

(145) Electus est 1080, mense Junio; consecratus 1084, Mart. 24.

(146) Sc. Cumensem, Curiensem, Augustensem; v. Giulini IV, 253.

Digitized by Google

33. (IV, 3.) Interea [677] Gregorius sese videns a civibus et a quampluribus cardinalibus destitutum, omnique spe auri et argenti amissa, e quibus sancti Petri regias et cancellos et altaria decrostando nudaverat, qua secum Romanos tenuerat bellicantes, magis diligentes aurum quam apostolum Paulum, nec non locum in quo fugerat ipse nimia ac diuturna noctumaque obsidione exire non posse, ad Robertum ducem Apuliæ legatos, ut sibi quamcitius posset gente coadunata immensa, et sancti Petri regalibus illi refutatis, subveniret, cautissime et secretissime misit. Hic enim Apuliam et Caravriam multasque civitates marinas, exiens Nurmandiam, cujus miles pauper cum suisque sociis fuerat, noviter et injuste cum suis multis criminibus invaserat. Igitur gente coadunata inmensa et Saracenis omnibus quos habere potuit, in paucis diebus Romam veterem, Romanis sese ac filios ac uxores minime tuentibus, Rufini et Albini reliquiis deficientibus armata manu Robertus [678] intravit (*an.* 1084, *Mai*). Quo ingresso, post aliquot dies imperatorem Urbem exiisse invenit. Itaque gens diversa de Deo ignara, sceleribus ac homicidiis edocta, adulteriis variisque fornicationibus assuefacta, omnibus criminibus, quæ ferro et igne talibus agi solet negotiis, sese furialiter immerserat; quin etiam virgines scratas corrumpentes miserorumque Romanorum uxores incestantes, ac anulos ejus earum digitulis detruncabant. Quid multa? tribus civitatis partibus A multisque palatiis regum Romanorum adustis, Gregorius domum filiis male crismatis filiabusque pejus consecratis, cui jam spes ulla vivendi in civitate non erat, ab Urbe exiliens cum Roberto Salernum profectus est. Ubi per pauca vivens tempora, tamquam malorum pœnam emeritus interiit (*an.* 1085, *Mai.* 25).

34. (IV, 4.) Cum [679] hæc agebantur universa, et clericorum scisma laicorumque furialia prælia principatum tenerent, quidam sacerdos Anselmus nomine, quem domnus Thealdus in sacerdotio consecraverat, quadam die in sancti Mauritii vigiliis, dum omnium sanctorum collectam, sanctæ Mariæ vespero finito, ante altare sanctæ Mariæ ad Funticulum (147) summa cum reverentia diceret, videntibus clericis tamquam mortuus, vultu tamen coloratus pulsantibusque fibris, cadens occidit. Quo audito multi ex civitate utriusque sexus exeuntes, visu videbant mirabile omnibusque terribile. Cumque multorum turmæ turmatim ad hoc convenissent inauditum, alii credebant fictitium, alii pedes subula vel acu secure quasi mortuo pungebant. Factum est autem in altero die circa meridiem, videntibus multis ac stupefactis, quasi ab angustiis liberatus, clamans pœnitentiam, spiritu restaurato sibi sese velocissime erexit : qui multa tormenta incredulis ac usurariis incredibilia, et honores et gloriam quæ super sanctos vidit viros, prout potuit, angelo sibi hæc omnia ostendente, qui spiritum ejus per diversa portavit, lacrimis multis patefecit.

B

Explicit liber Historiarum Landulfi historiographi [680].

VARIÆ LECTIONES.

[677] *Titulus in codd.* De morte Oldeprandi, qui Gregorius VII. dictus est (q. G. vocatus est. c. 33. A*.). [678] Rubertus B. *hic et infra.* [679] *Titulus in* A**. B : De transitu sacerdotis Anselmi, et quomodo (quoniam A**. *Bl.*) incolumis sequenti die apparuit. De s. A. t. qualiter spiritus ejus incolumis ante s. Mariæ altare per angelum Dei transivit. A*. [680] *ita* A*. B. Finis Landulfi senioris historiæ. A**.

NOTÆ.

(147) De ea v. Giulini V, 373.

APPENDIX AD LANDULFUM.

I.

CATALOGUS ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM.

EDIDERUNT L. C. BETHMANN ET W. WATTENBACH.

(Apud PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script., tom. VIII, pag. 101.)

MONITUM.

Arnulfi et Landulfi Historiis subjicimus catalogum ad eumdem cum illis terminum deductum, scilicet ad archiepiscopum Thedaldum; quem ex tribus proponimus codicibus :

1) Ambrosianus C. 133 partis inferioris, olim P. 246 et B. 245 signatus, membr. fol. ante Vitas sanctorum et sermones beati Ambrosii exhibet catalogum, continuo calamo deductum usque ad secundum Laurentium, in quo calamus quidem mutatur, sed manus eadem manet et continuo pergit usque post Guido-

Digitized by Google

nem a. 1075. Hæc omnia igitur ex antiquiore fluxerunt a duobus saltem confecto, ut jam Papebrochius vidit. Priorem partem usque ad Laurentium a. 573 ob sermonem in omnibus æqualem unus composuisse videtur; altera a. 573-1075 alium auctorem sive mavis plures satis prodit vocibus « episcopus, obiit, sepultus est. » Reliqua vero a. 1075 - 1206 in codice a diversis adnotata sunt vario tempore, prouti decedebant archiepiscopi, autographa igitur narratisque plerumque æqualia. Edidit primus Mabillon in Museo Italico I, 2, 109; deinde egregie illustravit Papebroch. in Actis SS., 7 Maii, p. 54; nos iterum proponimus ex ipso codice, quem flagitantibus nobis diligentissime examinavit atque in usus nostros conferri curavit vir admodum reverendus Bartholomæus Catena, bibliothecæ Ambrosianæ præfectus, cujus insigni benevolentiæ acceptum referimus, quod et catalogum accuratius hic proponere et de varia ejus scriptura certa afferre jam potuimus.

2) Ipse catalogus in 1. cum ad annum demum 1126 deductus esset, transcriptus fuit in alio codice metropolitano, de quo v. supra pag. 4, n. 5 jam deperdito, unde edidit Muratorius SS., IV, 141; Scriba in verbis multa mutavit, quæ omnia adnotare inutile judicavimus; quædam de suo adjecit, quæ accurate attulimus; post Olricum ab a. 1126 proprio Marte pergit usque ad a. 1176.

3) Idem catalogus ex ipso codice 1 circa initium sæc. XIII in libro capituli Mediolanensis qui dicebatur Beroldus exceptus fuisse videtur ibique a variis continuatus et prosa et versu, auctus quoque proœmio de Barnaba primo episcopo. Hic Beroldus quidem intercidit; at a. 1296 vel paulo post Joannes Boffa integrum catalogum cum continuationibus inde manu continua exceptum ipseruit Novo Beroldo a se jam intra a. 1265 et 1269 confecto; cui alius quidam post a. 1371 paucula in fine adjecit. Ex hoc Novo Beroldo catalogum usque ad a. 1262 jam ediderat Muratorius SS. I[b]; 228; nos damus integrum, prouti Bethmannus noster excepit a. 1845, viro reverendissimo Francisco Rossinelli canonico Mediolanensi et librum et locum gratiose concedente, cujus viri præstantissimi singularem humanitatem hac opportunitate data prædicare gratum nobis est officium.

Annos Domini, in codicibus non obvios, margini ascripsimus ex computatione Papebrochii Saxiique, etsi plurima incerta manent; postea comitis Giulinii rationes secuti sumus.

INCIPIUNT NOMINA

EPISCOPORUM MEDIOLANENSIS CIVITATIS [681].

(53) Anatalon [682] sedit annos 13, depositus est [683] 8 Kal. Oct. [684].

(61) Gagius sedit a. 2, depositus est 6 Kal. Oct. ad [685] Concilia Sanctorum (148).

VARIÆ LECTIONES.

[681] *ita* 1. Incipit commemoratio hujus sancte Mediolanensis ecclesie epyscoporum, quantum in hoc seculo vixerunt aut ubi sepulti sunt. Primus pontifex Mediolanensis ecclesie extitit b. Barnabas apostolus Jesu Christi, sicut b. Yeronimus inter alia, que scripsit Chromatio et Eliodoro, attestatur (*a*) dicens: « Barnabas qui cum Paulo verbum ministravit, primum in Roma Christum predicavit, et post Mediolani episcopus factus est. » Quod etiam b. Barnabas fuerit primus pontifex Mediolanensis ecclesie, b. Dorotheus b. Dionisii Ariopagitte discipulus in libro, quem composuit de apostolorum actibus, asserit manifeste. In ipso namque apostolo Mediolanensis ecclesia est fundata. Legitur enim in antiquissimis historiis, quæ hodie habentur in civitate Mediolanensi (*b*), quod ipse b. Barnabas de Romana civitate ad urbem Mediolani transtulit se, et in ea verbum vitæ predicans, cives Mediolanenses ad cultum Christi convertit et fide et moribus informavit, et Brisienses cives per Anathelonem suum socium ab ipso apostolo ad eos missum similiter ad Christum convertit. Qui quidem b. Barnabas Mediolanensem ecclesiam metropolitanam ordinans, sanxit, ut ipsa principalis culminis sedes et aliarum in sua provincia ecclesiarum metropolis perpetualiter haberetur. Ac primum post ipsum prefatum Anathelonem prefecit et consecravit in archiepiscopum Mediolanensis ecclesie et primum episcopum ecclesie Brixiensis, committens sibi curam simul utriusque ecclesie. Unde versus:

Mediolanensis preclarus Barnabas urbis
Presul pontificem sibi consecrat Anathelonem;
Metropolitano quam sublimavit honore,
Ad fidei lumen duxit morum quoque lucem.
Primum pastorem recipit simul Anathelonem
Brisia, que Christo fuerat fide juncta per ipsum.
Nobilis hec regio, tanto fundata patrono,
Ipsum collaudet merito reverenter honoret.

addit 3, *adjungens picturam, in qua ad sinistram spectatur* MEDIOLANUM, *ad dextram* BRISIA, *sub forma aliquot domorum cum civibus ex utraque prodeuntibus; in medio S. Barnabas sancto Anathelonі mitram imponit. Tunc scriba pergit:* S. Anathelon *etc. Hæc omnia exceptis versibus leguntur etiam post historiam Arnulfi in codicibus ejusdem* 1. 2. 3. 4. 5*. B 2*. *sed nequaquam ab Arnulfo profecta videntur, ut jam vidit qui ea primus edidit Muratorius SS. IV.* 45. [682] Barnabas *ante* A. *scripsit manus recentissima in codice* 1. *In* 3. *omnibus ab Anatalone ad Senatorem usque* S. *præfigitur;* episcopus *omnibus usque ad Grosolanum subjicit* 2. [683] obiit *hic et in sequentibus usque ad Datium* 2. [684] et jacet apud Brisiam urbem in monte S. Florani *add.* 3. [685] sepultus ad 2. *constanter ita;* ad S. Naborem 3.

NOTÆ.

(148) Id cognomen erat ecclesiis S. Babilæ et S. Romani, sed jam auctor Vitarum primorum episcoporum Mediol. eum in horto Philippi sepultum esse tradit, ubi postea S. Naboris ecclesia ædificata est; et inde translatus esse dicitur per Carolum Borromeum.

(*a*) Horum nullum vestigium in operibus Hieronymi reperire potui; sed pene eadem verba in Dorothei libro leguntur.

(*b*) In libro De situ civitatis Mediolani. Muratori SS, I[b].

Digitized by Google

(97) Castrinianus sedit a. 14, depositus Kal. Dec. ad Sanctum Johannem ad Conca.

(138) Kalimerus sedit a. 53, depositus pridie Kal. Aug. [686].

(193) Monas sedit a. 59 [687], depositus 8. Kal. April. ad Sanctum Vitalem.

(303) Mirocles (149) sedit a. 22, depositus pridie Kal. Decemb. ad Sanctum Victorem [688].

(282) Maternus sedit a. 12, depositus 15. Kal. Aug. ad Sanctum Naborem.

(351) Protasius sedit a. 25, depositus 8. Kal. Decemb. ad Sanctum Victorem.

(315) Eustorgius sedit a. 17, depositus 14. Kal. Oct.

(355) Dionysius sedit a. 14, depositus 8. Kal. Jun. [689].

(374) Ambrosius sedit a. 26, m. 4, d. 5, depositus die 5. mensis Aprilis [690].

(398) Simplicianus sedit a. 10 [691], depositus 18. Kal. Sept. [692],

(399) Venerius sedit a. 9, depositus die 4. mensis [693] Maii ad Sanctum Nazarium.

(408) Marolus sedit a. 15, depositus 9. Kal. Maii ad Sanctum Petrum [694] ad Sanctum Nazarium.

(423) Martinianus sedit a. 30 [695], depositus 4. Kal. Jan. ad Sanctum Stephanum [696].

(432) Clicerius sedit a. 18 [697], depositus 17. Kal. Octob. ad Sanctum Nazarium.

(458) Lazarus sedit a. 11, depositus 14. die mensis Martii ad Sanctum Nazarium.

(449) Eusebius sedit a. 17, depositus die 9. mensis Augusti [698] ad Sanctum Laurentium.

(465) Gerontius sedit a. 6, depositus die 7. Maii [699] ad Sanctum Simplicianum.

(470) Benignus sedit a. 8, depositus [700] 10. Kal. Decemb. ad Sanctum Simplicianum.

(477) Senator sedit a. 3, depositus 4. Kal. Junii ad Sanctam Eufimiam [701].

(480) Theodorus sedit a. 9, m. 8, d. 17, depositus 5. Kal. Aprilis [702] ad Sanctum Ypolitum [703].

(499) Laurentius sedit a. 22, depositus 8. Kal. Aug. ad Sanctum Cassianum [704].

(512) Eustorgius sedit a. 7, depositus 8. Id. Jun. ad Sanctum Xystum [705].

(518) Magnus sedit a. 30 [706] depositus Kal. Novemb. ad Sanctum Eustorgium.

(530) Datius sedit a. 22, depositus 19. Kal. Feb. ad Sanctum Victorem (150).

(552) Vitalis sedit a. 4, depositus ad Sanctum Vitalem.

(566) Auxanus sedit a. 2, depositus 3. Non. Sept. ad Sanctum Stephanum ad Rotam.

(568) Honoratus sedit a. 2, depositus ad Nocetam [707] (151).

B (570) Frontus sedit a. 11, depositus in Genua ad Sanctum... [708].

—

(573) Laurentius sedit a. [709] 19, m. 7, obiit 12. Kal. Septemb., sepultus est in Genua ad Sanctum Syrum. Vixit annis 85 [710].

(593) Constantius episcopus [711] sedit a. 18 [712], obiit die 3. mensis Sept., sepultus est in Jenua in domo sancti Ambrosii. Vixit a. 100.

(601) Deusdedit episcopus sedit a. 28, m. 1, d. 14, obiit 3. Kal. Novemb., sepultus est in Jenua ad Sanctum Syrum. Vixit a. 90.

(630) Austerius episcopus sedit a. 10, m. 5, d. 7, obiit die 4 mensis Julii, sepultus est in Jenua ad sanctum syrum. Vixit a. 70.

C (641) Fortis episcopus sedit a. 3.

(645) Johannes episcopus sedit a. 10, obiit 4. Non. Jan., sepultus est ad Sanctum Michahelem in Domo (152).

(655) Antonius episcopus sedit a. 2, obiit pridie Kal. Nov., sepultus est ad S. Simplicianum.

(657) Mauricillus episcopus sedit m. 4.

(668) Ampelius episcopus sedit a. 5, sepultus est ad Sanctum Simplicianum.

VARIÆ LECTIONES.

[686] in ecclesia sua *add.* 3. [687] LXIV. 2. [688] ad corpus *addit* 3. [689] in ecclesia sua *add.* 3. [690] obiit Nonas m. Apr. 2. in ecclesia sua *addit* 3. [691] II *vel* I *corr. Papebr.* [692] in ecclesia sua *add.* 3. [693] d. IV. K. M. 3. IV. Nonas M. 2. ad basilicam apostolorum 2. *constanter ita pro* ad S. Nazarium. [694] ad S. P. *desunt* 3. [695] VIIII. *corr. Pap. p. LXXXIII.* [696] ad Rotam *add.* 2. 3. [697] *ita* 1. 2. 3. VIII. *corr. D. P. p. LXXXIII.* [698] obiit VI. Idus Aug. 2. [699] VII. die 3. ob. IV. Nonas M. 2. (*colitur III. Nonas,*) [700] obiit V. K. D. 2. (*colitur XII. Kal. Dec.*) [701] III. mens. VIII. dies XV. obiit IV. K. I. 2. [702] VIII. obiit K. A. 2. [703] Laurentium 3. *In codice* 1. *nomen sancti evanuit; manus recentior superscripsit* ipolitum. *Sepultum esse in sacello S. Hippolyti basilicæ Laur. annexo dicit Saxius, Series p.* 156. [704] VI. K. A. sepultus est ad S. Ypolitum 2 Cass. sive ad predictum S. Ypolitum 3. *Scil. his duobus simul dedicata erat ecclesiola illa. Vicende di Milano p.* 294. [705] sepultus est in supradicta ecclesia 2. *S. Xysti sacellum adhærebat basil. S. Laurentii.* [706] XIII *corr. D. P.* [707] sepultus est in ecclesia S. Georgii ad Nocetam 2. d. est ad Nocetam in e. s. G. 3. [708] *nomen sancti deest* 1. d. in G. ad S. *desunt* 2. XI. Isto primus conscendit cathedram Ambrosianam symoniace; cui condigna pena pro meritis respondente, ipsam terra absorbuit sicut Dathan et Abiron, nec corpus ejus ultra visum vel repertum christianam sepulturam recipit *addit.* 3. [709] *Posthæc in* 1 *forma litterarum aliquantulo minor esse incipit, sed manus eadem plane, quæ et præcedentia exaravit; fortasse itaque scriba calamum hic sistens, alio tempore resumpsit, quem continuo deduxit usque ad mortem Guidonis a.* 1075. [710] LXXXII. 2. v. a. 83. *hic et in tribus sequentibus deest* 3. [711] ep. *deest constanter* 3. [712] VIII. *corr. Papebr.*

NOTÆ.

(149) Ordinem nominum hic inversum esse probavit Papebroch. l. l., p. 59.

(150) Corpore a Constantinopoli Mediolanum relato.

(151) *Noceto* quod 3 m. p. Mediolano abest; v. Fumagalli Vicende di Milano p. 230, seqq.

(152) Hoc usque ad Heriberti tempora ignoratum est, v. Arn. II, 20. Eccl. illa prope metropolitanam erat ædificata, v. Vicende di Mil. p. 261.

Digitized by Google

(672) Mansuetus episcopus sedit a. 9, obiit 11. Kal. Mart., sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(684) Benedictus episcopus sedit a. 47 [714], obiit 5. [715] Id. Mart., sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(721) Theodorus episcopus sedit a. 14 [719], sepultus est in monasterio Auronæ [746] (153).

(736) Natalis episcopus sedit m. 14, obiit pridie Id. Maii, sepultus est ad Sanctum Georgium (154).

(741) Anifretus episcopus sedit m. 9, sepultus est ad Sanctum Nazarium.

(738) Stabilis episcopus sedit a. 2, m. 4, obiit Id. Decemb., sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(741) Lætus episcopus sedit a. 13, m. 11, obiit pridie Non. April., sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(755) Thomas episcopus sedit a. 28, d. 5, obiit 5. Kal. Octob. [712], sepultus est ad Sanctum Laurentium.

(784) Petrus episcopus sedit a. 17, m. 2 [710], obiit Id. Maii, sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(803) Odelbertus episcopus sedit a. 9, m. 7, obiit 5. Kal. Martii, sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(813) Anselmus episcopus sedit a. 5, obiit 5. Id. Maii, sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(818) Bonus episcopus sedit a. 4, obiit 10. [719] Kal. Febr., sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(822) Angelbertus [720] episcopus sedit a. 1 [721], m. 2, d. 22, obiit 7. Idus Octob., sepultus est in ecclesia hiemali.

(824) Angelbertus episcopus sedit a. 35, m. 5, d. 17, obiit Id. Decemb., sepultus est ad Sanctum Nazarium.

(860) Tado episcopus sedit a. 7, m. 6, d. 13 [722], obiit 7. Kal. Junii, sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(868) Anspertus episcopus sedit a. 16 [722], m. 5, d. 13, obiit 7. Idus Decemb. [724], sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(882) Anselmus sedit a. 14, m. 6, d. 22, obiit A 5. Kal. Octob., sepultus est ad Sanctum Ambrosium juxta [725] altare sanctæ Marcellinæ.

(896) Landulfus sedit a. 3, diebus minus 38, obiit Nono [726] Novembris, sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(899) Andreas sedit a. 6, m. 3, obiit pridie Kal. Mart. [727], sepultus est ad Sanctum Ambrosium.

(906) Acho sedit a. 12, m. 6, obiit 7. [728] Idus Sept. [729], sepultus est in ecclesia hiemali.

(918) Warimbertus [730] sedit a. 2, m. 8, obiit 18. Kal. Sept., sepultus est ad Sanctum Stephanum ad Fonti (155).

(921) Lampertus sedit a. 9, m. 8, d. 15, obiit 13. Kal. Julii, sepultus est in ecclesia hiemali.

(931) Hilduinus sedit a. 5, d. 25 [731], obiit 9. [732] B Kal. Augusti, sepultus est in ecclesia hiemali.

(936) Ardericus sedit [733] a. 12, m. 2, obiit 3 Idus Octob., sepultus est in ecclesia Apostolorum intra capellam sancti Lini papæ [734].

(948) Adelmannus et Manasses 5 annos inter se diviserunt.

(953) Gualpertus sedit a. 18, obiit 8. Idus Novemb., sepultus est in ecclesia hiemali.

(970) Arnulfus sedit a. 3, m. 4. obiit 16. [735] Kal. Maii, sepultus est in ecclesia hiemali.

(974) Gottefredus sedit a. 5, m. 1, d. 25, obiit 13. Kal. Octobr., sepultus est in ecclesia hiemali.

(979) Landulfus sedit a. 18, m. 3 [736], obiit 10. Kal. Aprilis [737], sepultus est ad monasterium sancti Celsi [738].

(998) Domnus [739] Arnulfus sedit a. 19, m. 9, d. 6, obiit 5. Kal. Martii [740], sepultus est ad Sanctum Victorem ad Corpus [741].

(1018) Domnus Heribertus sedit a. 27 [742], sepultus est ad Sanctum Dionysium.

(1045) Domnus Guido sedit a. 26 [743], obiit 10. Kal. Sept., sepultus est in Bergullio [744].

(1075) Domnus Tedaldus archiepiscopus [745] sedit a. 9 et m. 3 et d. 21, obiit 8. Kal. Junii, sepultus est in Arona.

VARIÆ LECTIONES.

[713] XLIIII. *corr. Papebr. a cujus computatione abhinc discessi.* [714] VI. 2. VII. 3. [715] obiit pridie Idus Maias *addit* 2. [716] Olonæ 2. Orone 3. [717] Dec 3. [718] IV. 2. 3. [719] XV. 3. [720] *hic deest* 2. [721] a. II. 3. [722] XXII. 2. [723] XIII. 2. 3. [724] Oct. 3. [725] i. a. s. M. *desunt* 2. [726] *ita* 1. *hic et alibi passim*; Nonis 3. IV. Non. *Epitaph. ap. Giul. II*, 75. [727] Maii 2. [728] VI 2. [729] Dec. ad S. Ambrosium 3. [730] *hic et Lampertus desunt* 2. [731] XV. 2. 3. [732] IV. 2. [733] *deest* 2. m. II. *desunt* 2. 3. [734] L. quam ipse hedificari fecit 3. [735] VI. 2. [736] diebus XIII. *addit* 2. [737] Octob. 3. v. *Giulini II*, 452. [738] quod ipse noviter ædificavit indictione X. 2. [739] *deest* 2. 3. *const.* [740] Maii indictione I. 2. Martii *etiam Necrol. S. Joh. Modœtiæ*, *Giulini IX*, 32. [741] ad C. *desunt* 2. 3. [742] XXVI. m. IX diebus XIX. obiit VI. die mensis Januarii, s. e. in ecclesia s. Dionysii confessoris. 2. obiit XVII. Kal. Febr. s. est ad S. Dionisium cujus monasterium hedificavit et ditavit 3. [743] XXVI. m. I. diebus IV. o. XII. K. 2. [744] ad Bergulli. Cessavit episcopatus annos III. et dimidium 2. in Bergollio veteri prope Alexandriam. 3. *Hic desinit manus primaria in* 1. *Qui sequuntur archiepiscopi, singuli ibi singulis scripturis notantur; unde apparet, paulatim eos prouti succedebant, adjunctos esse a diversis scribis.* [745] *deest* 3. *const.* s. a. IX. m. VII. d. XXVIII. 2.

NOTÆ.

(153) Sc. quod Aurona soror ejus fundaverat: S. Maria d'Orona vocabatur. Vicende di Milano p. 273.

(154) in Palatio, quam basilicam ipse fundaverat; v. Saxii Seriem p. 251. Vic. di Mil. p. 289.

(155) Ita dictum, quia baptisterium erat, feminis destinatum, dum maribus sanctus Joannes ad Fontes patebat.

Digitized by Google

(1086) Domnus Anselmus archiepiscopus sedit a. 7 et m. 5 et d. 4, obiit pridie Nonas Decemb., sepultus est in basilica Apostolorum.

(1093) Domnus Arnulfus archiepiscopus sedit a. 3 et m. 9 et d. 19; obiit 8. Kal. Octobris, sepultus est in Claviensi monasterio [746] (156.)

(1097) Venerabilis memoriæ [747] Anselmus archiepiscopus sedit a. 3 [748] et m. 10 et d. 28; obiit pridie (1101) Kal. Octobris, sepultus est Constantinopoli, ut peregrinus, in monasterio Sancti Nicolai.

(1102) Grosolanus hanc [749] sedem a. 9 et m. 4 perturbavit.

(1112) Domnus Jordanis archiepiscopus sedit a. 8 et m. 9 et d. 3; obiit 4. Non. Oct., sepultus est apud Sanctum Ambrosium juxta pulpitum [750].

(1120) Domnus Olricus archiepiscopus sedit a. 5 et m. 6 diesque 11; obiit 5. Kal. Junii, sepultus est in ecclesia hiemali juxta pulpitum.

Cod. 1.

(1126) Ab electione domni Anselmi de Pusterula usque ad electionem domini Ribaldi (113 S. *Aug.* 3), qui tunc erat Albensis episcopus, sunt a. 9 et d. 29.

Codd. 1. 3.

(1135) Robaldus sedit a. 10 et m. 4 et d. 26; obiit autem 3. Kal. Jan., sepultus est in ecclesia beatæ Mariæ quæ dicitur hiemalis, juxta pulpitum. Fuerunt autem ab ipsius obitu usque ad electionem domini Oberti dies 26 [751].

(1146) Obertus sedit a. 20, m. 2 [752] et d. 6; obiit autem 6. Kal. Aprilis, sepultus est Beneventi exulans pro fide in ecclesia sanctæ Sophiæ. Fuerunt autem ab obitu ipsius usque ad

Codd. 2. 3. *et manu rec. in* 1.

(1136) Anselmus qui dicitur de Pusterla sedit a. 10 et m. 1 et d. 14; obiit 19. Kal. Sept. [751], sepultus est in Roma ad Sanctum Johannem Lateran.

Cod. 2.

Roboaldus sedit a. 10, sepultus est in ecclesia hyemali sub pulpito.

Ubertus sedit a. 20, hebdomad. 9, hæc sunt dies 64, et sepultus est in civitate Beneventi ad monasterium Sanctæ Sophiæ. Obiit 7. Kal. Aprilis, anno d. i. 1167.

A electionem domini Galdini dies 20.

(1166) Galdinus sedit a. 10, eadem die consecratus et mortuus. Obiit autem 14. Kal. Maii supra pulpitum beatæ Teglæ, prædicans populo verbum fidei et veritatis, et præcipue contra catharos. Sepultus est in eadem ecclesia juxta pulpitum. Fuerunt autem ab obitu ipsius usque ad electionem domini Algisii septimanæ 10 et dies 4 [756].

Galdinus sedit a. 10, et sepultus est in ecclesia sanctæ Teglæ. Obiit 13. Kal. Maii in die dominico 15, die post pascha, et tunc temporis pascha fuit 14. [754] die mensis Aprilis; eodem die pariter ægrotavit et mortuus est, et fuit bixestus in illo anno d. i. 1176 [755].

B (1176) Algisius [757] sedit a. 8 et m. 9, quinque diebus minus. Vacavit autem sedes per m. 1 et d. 11. Sepultus est autem [758] in ecclesia yemali juxta pulpitum.

(1185) Domnus Ubertus [759], qui et papa Urbanus, sedit a. 2 et m. 4 et d. 10 [760]. Vacavit autem sedes m. 1 et d. 16. Sepultus vero est in ecclesia Ferrariensi.

(1187) Milo [761] sedit a. 7 [762] et m. 8 et d. 8. Vacavit autem sedes per 26 dies [763].

(1195) Ubertus de Terciago sedit m. 9 et d. 5. Vacavit autem sedes d. 29.

(1196) Philippus [764] sedit a. 10 et m. 4 et d. 7. C Vacavit autem sedes d. 24. Sepultus [765] est in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris Mediolani.

Cod. 3.

1207. [1206] die sabbati, 11. Kal. Jan. electus fuit domnus Ubertus de Pirovano, qui erat Romane curie cardinalis. Sedit autem a. 4 et m. 3 et d. 2. Obiit 9. Kal. Oct. in sabbato sancto (157) et sepultus est in die pasche in ecclesia yemali juxta pulpitum. Vacavit vero sedes usque ad 4. diem Maii.

(1211) Domnus Girardus de Sessa, qui erat electus Novariensis et apostolice sedis legatus, sedit electus tantum et non consecratus nec etiam confirmatus, a 4. die Maii usque ad 16. diem Decembris. Obiit Cremone et ibi sepultus est. Vacavit autem sedes in magna lite et discordia m. 10 et d. D 20; cujus discensionis causa fuit in examinatione electionis trina divisio. Una pars enim domno archipresbitero suum prestitit favorem, alia pars

VARIÆ LECTIONES.

[746] Arnulphus ep. sedit annis III. m. X. sap. est in mon. s. Kaloceri in Clivate. 2. [747] *hæc duo verba in* 1. *videntur esse ejusdem scripturæ, sed atiquis, cui fortasse non placebant, delere conatus est. Desunt* 2. 3. [748] IV. ob. peregrinando et s. est in civitate C. 2. [749] G. ep. sedit a. VII. et m. IV. sepultus est Romæ ad S. Sabam. 2. G. habuit sedem a. IX. et m. IV. 3. [750] e. in monasterio S. Ambrosii 2. [751] Octob. 1. et s. est Romæ ad S. I. Ycolanum Lateranum. 2. *Mediolani fuit ecclesia S. Joh. Itolani, quæ postea S. I. de Laterano vulgo vocabatur. Vicende di Mil. p.* 259. [752] XXIII. 3. [753] m. II. desunt 3. [754] *lege* quarto. [755] *Hic desinit* 2. [756] IV. incarnationis MCLXXVI. XVIII° mensis Aprilis. *addit* 3. *Abhinc in* 1. *manus s. XIV. pergit.* [757] de Pirovano *addit* 3. [758] *deest* 3. [759] Crivellus *addit* 3. [760] VI. 3. [761] de Cardano *addit* 3. [762] VIII. 3. [763] sepultus in ecclesia yemali *addit* 3. [764] de Lampugniano *addit* 3. [765] Sepultus — Mediolani *desunt* 3. *Hic desinit* 1.

NOTÆ.

(156) *San Calogero di Civate*, situm inter duo lacus Larii cornua.
(157) A. 1212 secundum hanc computationem, quam multis argumentis impugnavit Giulini.

Digitized by Google

domno archidiacono, tercia episcopo Vercellensi (158), qui erat hujus ecclesie ordinarius et post mortem predicti legati et electi ante hanc examinationem legatus apostolice sedis effectus. Nullius tamen electio fuit ab electoribus secundum morem solitum pronunciata, qualibet parte suam electionem effectui fore mancipandam affirmante, et una quidem asserente, se numero ampliorem et ideo suum electum esse pronuntiandum, aliarum vero partium utraque allegante, se licet numero breviorem, tamen digniorem et ideo suam electionem esse efficaciorem. Hec quippe contentio multo tempore duravit, quasi tamen sopita, nec coram judicibus fuit questio bene discussa nec ventilata; quare adhuc remanet insoluta. Propter hujusmodi contentionem domnus papa capituli nuntiis ad se convocatis, domnum Henricum de Setara, hujus ecclesie cimiliarcham et ipsius apostolici subdiaconum, qui erat Bononie in scolis, in pastorem elegit a. D. 1213, 4. die Nov. Et notate quod paucis ante temporibus, mortuo beato Galdino, quasi similis sed non tam prolixa fuit contentio inter archipresbyterum et archidiaconum; propter quorum contentionem electores et episcopi hujus ecclesie utroque illorum abjecto elegerunt domnum Algisium de Pirovano, qui erat similiter cymiliarcha et presbiter quo nullus postea usque nunc fuit huic ecclesie utilior.

Hiis igitur factis cupidus moneatur honoris,
Viribus aut plausu fastuve minisve [166] vel astu
Quemlibet incassum se niti magnificandum,
Et Christi fasces fictos vitare sodales.
Hiis etenim fisi quoad hiis sunt scandere nisi,
Fratres manserunt quibus patres esse cupierunt.
Non fatias partes homo, si vis aut cupis arces,
Nec fratrum plaudas vitiis, tibi robur ut addas.
Non humiles fastu preme, neeve minis nec et astu.
Qui facit ista quidem, fugat hunc quem querit [honorem.
Munera ne cupias; que captans quam sit iniquus,
Vige rite simo quinto psalmo sinuatur (159).
Non te ergo laqueet quis donis. sit quasi piscis
Lesus curva puta sub munere [167] quolibet era.
Non tribulos plantes, violas et lilia jactes,
Sontes magnificans, mites ut vilia calcans.
Non pingues ungas, macros arere sinendo,
Divitibus tribuens et egenis non miserendo.
Non studeas ursos et equos volucresque cibare,
Pauper et ante domum frustra clamet: *Mise-* [*rere!*
Non carnis curam, mox vermibus esca future,
Perfice, set memores anime busto cariture.
Hoc modo que monui, spernas si corde maligno,
Quo cupis, haud scandes, digne mansurus in imo.
Hic quoque qui scandit, si non servaverit ista,
Quo magis ascendit, tanto mage verget ad ima.
Sin autem spernas, et hic impleat illa benigne
O utinam veniat! regnabitis ambo perhenne.

Obiit predictus domnus Henricus de Setara Brebie a. D. 1230, 16 Kal. Oct., et sepultus est in ecclesia sancti Victoris ad ulmum; et modo translatum est in ecclesia sanctorum martirum Naboris et Felicis, et ibi jacet. Stetit autem in episcopali sede a. 16 et m. 10 minus 12 diebus. Stetit equidem ideo dixit et non sedit, sicuti de plerisque suprascriptis dictum est, quia stare pugnantis est seu laborantis, sedere vero quiescentis. Toto enim fere sui regiminis tempore in labore fuit et pugna non minima, scilicet pro totius ecclesiæ tuenda libertate, pro istius majoris ecclesie honore conservando, pro hereticis expellendis, pro episcopis qui videbantur a subjectione Mediolanensis ecclesie absoluti, recuperandis. Unde domnum Omnebonum episcopum Ceremonensem, qui debitam huic ecclesiæ reverentiam annis pluribus prestare recusaverat et se teneri obedire omnino negabat, post multos labores et sumptus et diutinam contentionem et prolixam in curia Romana cum eo habitam, tandem evictum est per sententiam condempnatum debitam fidelitatem prestito juramento solito more publice coram cuncto civitatis istius clero, ibi etiam astante innumera populi utriusque sexus multitudine diversarum etatum, scilicet puerorum, adolescentium, juvenum et senum, in medio ecclesiæ beate Tegle sibi et Mediolanensi ecclesie fecit exhibere a. D. 1229. in festo purificationis beate Marie, hora 3, clero veniente cum processione a Sancta Maria Beltrade secundum debitam consuetutudinem. — Vacavit autem sedes episcopalis d. 28, videlicet usque ad pridie Id. Oct. (1230) quo die fuit electus domnus Guiliermus de Ruzolio, istius ecclesie venerabilis archidiaconus, cum omni pace et concordia tociusque capituli consensu et favore.

Cui tribuat Christus data munera sic duplicare,
Audiat ut digne carmen felitius euge!

—

Cum lex divina precipiat et ipsa legis capitula persuadent, ut in eo opere, in quo apparet aliquid de diminutione, ille qui ad illud supplendum magis appropinquat, merito subesse teneatur, et cum complemento in actu perduxisse: cum quedam de domno Guilielmo venerabili archiepiscopo perscripta invenimus, non autem omnia digne completa, ad illud declarandum proposui fore inducendum, ut ea quæ de ipso cognovi et intellexi digna memorie commendanda in scriptis reponerem; non ut ex hoc sperem recipere premium, set hec mea potius volo scripta de tanto nobili viro dicta in die luceant et in tenebris non esordescant, id est vos presentes illuminent et

VARIÆ LECTIONES.

[166] faustuve minusve *cod. quod correximus ob paulo post sequentia.* [167] munera *cod.*

NOTÆ.

(158) Ariprando de vicecomitibus.
(159) l. e. insinuatur psalmo 25^to^.

Digitized by Google

subsequenter in posteris elucescant. Unde mei versus sic ordine continuantur :

Anni tunc Domini currebant mille ducenti,
Ad quos jam denus conjunxit quater et unus,
Cumque die quarta, que venerat ante Kalendas
Illius mensis qui dicitur Aperiensis (1241, *Mart.* 29) :
Cum de Ruzolio Guilielmus pastor amandus
Ex isto mundo migravit in arce perhenni,
Qui per lustra duo cathedrali sede triumphans
Necnon et menses per quinque fideliter ultra
Astitit, et junctis super hoc ter quinque diebus.
Quem pietas redimit, quem lex divina reformat,
Quem mores laudant, quem vita beata coronat ;
Artibus instructus, divino fonte repletus,
Exemplisque suis nos omnes ipse docebat.
Elloquio Marcus est Cicero Tullius iste ;
In bello Turnus, quando ferus hostis agebat ;
Alter Cato fuit, quem pax tranquilla juvabat.
Nam dabat optanti pacem, sibi quando petebat.
Quid referam ? non ultra valet mea lyra sonare.
Nam mihi si centum linguas Deus ipse dedisset,
Laudes nemppe suas non possem scribere cunctas.
Ergo Deum patrem devota mente precemur,
Qui talenta dedit pastoribus ipse requirit,
Ut sibi det requiem vitam quoque prestet eternam.
Qui legit hos versus, moneo precibusque peroro,
Dicat, quod Christus jam sibi parcat. Amen.

Prefatus domnus Guilielmus sedit in episcopali sede a. 10 et m. 5 et d. 15 ; obiit 1241, quarto die exeunte Martii. Vacavit autem sedes m. 2 et d. 19. Sepultus vero est in monasterio Clarevallensi (160).

Leo archiepiscopus de agnatione nobilium valvasorum de Perego sedit a. 16 et m. 3 et d. 30. Electus autem fuit 1241 in festo sancti Viti (*Jun.* 15) ; obiit vero 1257°, 14° die Octobris ; sepultus vero est in ecclesia Salvatoris in loco de Legniano, forbannitus a popularibus civitatis Mediolanensis. Qui forbannitus cum ordinariis Mediolanensis ecclesie fuit ab ipsis popularibus, pro eo quod ipse et ordinarii predicti aliquos de ipsis popularibus titulare in clericis ipsius ecclesie noluerunt ; et non solum forbanniti propter dictam causam, set spoliati bonis suis per eos fuerunt. Qui dictus Leo archiepiscopus tamquam peregrinus et ejectus ab eis de civitate Mediolani in predicto loco obiit (*an.* 1257). Vir strenuus et constans libertatem Mediolanensis ecclesie defendit usque ad obitum suum. Per cujus obitum vacavit sedes ipsa a. 4 et 9 mensibus et 7 diebus.

Anno vero Domini 1262, 11 Kal. Aug., tempore quo dominabantur Turriani civitati Mediolani, dicte Mediolanensi ecclesie domnus Urbanus papa quartus premia meritis condignis dispensans et de pastore providere procurans, diligenti habita examinatione de domno Ottone tunc archidiacono prefate ecclesie Mediolanensis, qui a veteri et nobilissima Vicecomitum prosapia sumpsit originem, in terra Montis Flasconi providit, ejus mores et vitam cognoscens honestate fulgere. De cujus vita et moribus quoniam res obtulit, quamquam ratio persuadeat aliquid enarrari, tamen non multum curandum est, quia ipsius honestatem solertiam atque peritiam in articulis necessitatum patiencia, in gratiarum retributione misericordia evidentissime manifestant. Nam novercante fortuna multarum adversitatum pacienter tolleravit aculeos, et in habundantia prosperitatum pallio humilitatis vestitus, se pauperibus affabilem et hostibus propriis, ut narrabitur, misericordem se prebuit et tutorem. Cumque Turrianis predictis notificatum fuisset, de dicto domino Ottone archiepiscopo prefate ecclesie fore provisum, ipsius industriam atque potentiam sibi formidolosas timentes doluerunt. Quapropter dictum dominum archiepiscopum ab ipsius sede prohibentes, ne populum suum gubernare valeret, non causa ut causa moti quamplurimos quos ei existimabant fore propitios, de civitate turpiter expulerunt. Dominus vero archiepiscopus predictus amicorum suorum incomoda et populum suum desolatum regimine secum sepe reputans, et hiis duobus defectibus subvenire disponens, congregatis amicis suis exulantibus, eum eisdem intravit Aronam (*an.* 1263, *Apr.* 1). Quod cum ad Turrianorum pervenisset notitiam, freti marchionis Pallavicini (161) subsidiis, qui tunc matri ecclesie inimicari presumpserat, cum parato exercitu prefatum dominum archiepiscopum de predicto loco Arone cum suis adherentibus expellentes, circa a. 15 ipsum a sede propria compulerunt enormiter exulare. Postremo divina providentia videns populum beati Ambrosii sui patris doctrina desolatum evanescere, et pastoris et populi miserie finem congruentem imponens, nec volens eos de sue rei publice terminis eliminatos videri a. 1277 adeo dictum domnum archiepiscopum viribus et favore munivit, ut ipse in festo beati Agnetis (*Jan.* 21) predictos Turrianos cum suis complicibus in burgo Dexio (162) existentes magno ipsorum conflictu debellaret et vinceret, in quo conflictu Turrianorum et ipsorum complicium magna strage perempta, multi capti fuerunt ad ipsius domini archiepiscopi deducti presentiam ; inter quos fuit domnus Neapoleo cum quibusdam aliis de majoribus domus sue. Tunc misericordia pii patris hostium suorum subiit adversitati compatiens ; offensiones sibi per eos ylatas per tempora anteacta sibi ipsis remisit, et eos cum signo sancte crucis ab excommunicationis vinculo, quo propter demerita astricti tenebantur, absolvit. Et in hoc uno claruit superheminentia misericordie tanti patris, quod cum perpessi graves injurias ab ipso domno Neapoleone et aliis captivis ipsum et alios gladiis conarentur invadere, ipse dominus archiepiscopus nequaquam divine pietatis oblitus, impetuose voluntati se multorum objiciens, ipsorum furorem extinxit,

NOTÆ.

(160) *Chiaravalle*, prope Mediolanum.
(161) Uberti.
(162) *Desio*, 10 m. p. dist.t a Mediolano

Digitized by Google

et ipsorum captivorum vitam ab illorum feroci animo preservavit. His ita actis, dominus archiepiscopus supradictus ad tria disponens sue dignitatis officium, videlicet ad Dei gloriam exaltandam, sui incrementum archiepiscopatus, et ad Christi pauperum subventionem quos Christi nuntios cognoscebat, civitatem Mediolani cum amicis suis intrans sine triumphi elatione, sedem propriam est ingressus. Igitur victoriam supradictam de divina dispensatione precibus beate Agnetis virginis, in cujus festo prefatorum Turrianorum modo predicto fuit strata potentia, pastoralis clementia processisse cognoscens ad Dei et ipsius beate virginis honorem in ecclesia hyemali beate Marie construxit capellam, quam ut inferius continetur, sufficienter dotavit. Ad clerum Mediolanensem disciplinandum in sacra pagina, doctorem ordinarium in eadem sacra scientia, qui sit de domo Vicecomitum, si in eadem domo reperiatur ydoneus, in dicta ecclesia ordinavit. Ecclesiam vero sancti Bartholomei ad buschum, et hospitale sancti Jacobi in strata porte Cumane, et ecclesiam sancti Georgii de Legniane cum suis pertinentiis, comuni mense capituli ecclesie Mediolanensis, que minus sufficiens erat, pro cottidianis distributionibus concessit. In augmentum quoque mense sui archiepiscopatus possessiones et terras ipsius pulcerrimis edificiis decoravit, videlicet excellenti arce Angleriam, arce etiam decora Travalias (163), pulcro etiam Cassianum (164) castello, preciosis etiam burgum Legniani pallacils, ac etiam domibus burgum de Abiate (165) magis congruentibus et decoris. Possessiones et divitias in loco Cosorezo (166), multaque alia edificia et possessiones archiepiscopatui aquisivit. Tandem ille spiritualissimus pater, cujus tota intentio convertebatur ad Deum, carnali copula sibi conjunctos ditare non studens, sua disposuit in hunc modum. Hospitale quidem novum, cujus fundator extiterat, magna possessione in loco Trivulzio jacente dotavit; de cujus proventibus ordinavit annuatim dari capitulo beate virginis Agnetis libras 60, doctori jheologie libras 100 pro suo sellario, pro suo etiam annuali libras 20 monete tunc currentis. Ultimo bona sua patrimonialia immobilia hospitali Jerosolimitanorum pro subsidio terre sancte, mobilia vero omnia pro faciendo hospitale ad usum pauperum, in sua ultima voluntate legavit. Cujus legati fidecommissarii apud Sanctum Donatum in strata hospitale comodum confecerunt. In predictis autem operibus vigilans ille pater piissimus, cum in archiepiscopali sede a. 33 et diebus 23 sedisset, a. 1295. die 8. Augusti vocatus de tenebris hujus vite ad patriam celestem migravit. Cujus corpus jacet in supra scripta capella beate Agnetis in archa marmorea decenter sculpta, ibi elevata post altare ipsius; cujus anima per Dei misericordiam requiescat in pace. Amen. Predicta autem omnia per infrascriptos versus in archa dicti Domini archiepiscopi littera aurea scriptos breviter declarantur:

Inclitus ille pater, patrie lux, gloria patrum;
Fulgor justicie, fidei basis, archa sophye,
Largitor venie, portus pietatis egenis,
Intrepidus pastor, quem molles nulla laborum
Ardua devicit, populo latura quietem;
Ille pius princeps et presul amabilis, in quem
Alius virtutum splendor convenerat omnis;
Quo Mediolanum radiabat lampade tanta
Totaque fulgebat regio, nunc pallet adempto:
Clara Vicecomitum proles, venerabilis Otto,
Oh dolor! oh vulnus! cinis est hoc marmore factus.
Christe pater vite, requiescat spiritus in te!
Annis undenis ter sennis terque diebus
Prefuit ecclesie pastor bonus Ambroxiane [168].

—

Dominus Guillelmus filius condam domini Thone de Posterla de Tradate fuit capellanus comensis de domini Johannis papæ XXII, necnon prepositus de Posonio (167) de Hungaria ac archipresbyter ecclesie sancti Johannis de Modœtia, et ecclesie Mediolanensis ordinarius et cimiliarcha, canonicusque ecclesie sancti Johannis de Castro Seprio. Deinde dominus Clemens papa VI pronuntiavit ipsum dominum Guillelmum patriarcham ad ecclesiam Constantinopolitanam, sibi in comendam predicta omnia benefitia concedendo. Postremo dominus Urbanus V (168) transtulit eundem dominum Guillelmum ad archiepiscopatum ecclesie Mediolanensis, comendans sibi patriarchatum et alia beneficia supradicta; que translatio facta fuit 1361. Prenominatus vero dominus Guillelmus optinuit patriarchatum a. 16 et m. 7, et archiepiscopatum a. 9 m. 4 cum patriarchatu et aliis benefitiis memoratis. Et sepultus fuit in Avinione in domo fratrum predicatorum (*an.* 1371).

—

In 1. hæc leguntur in fine addita:

1344 [1342] (169) Dominus Johannes de Vicecomitibus factus fuit archiepiscopus Mediolanensis, et vixit in archiepiscopatu annis 11. Obiit 1355. quinto Octobris, die dominico. Qui etiam fuit dominus generalis civitatum Mediolani, Bononiæ, Januæ, Parmæ, Placentiæ, Bobii, Laudæ, Brixiæ, Pergami, Cremonæ, Cumarum, Vercellarum, Nova-

VARIÆ LECTIONES.

[168] *hic desinit scriptor in media pagina. Alius in sequenti; cujus sequentia subjecit medio sæc. XIV.*

NOTÆ.

(163) *Travallia*, ad lacum Verbanum.
(164) Nunc *Cassano Magnano* prope Gallarate.
(165) *Abiate Grasso* seu *Biagrasso*.
(166) *Casorezzo* in plebe Legnani.
(167) nunc *Presburg*.
(168) Imo Innocentius VI, si annum recte indicavit, v. Giulini contin. II, 105.
(169) Potius 1342 Jul. 17; v. Giulini contin. I, 450. Obiit a. 1354; ib., p. 538.

Digitized by Google

riæ, Asti, Tretonæ, Alexandriæ; qui multa bona paraverat et parabat suæ ecclesiæ, si heredes ejus ipsi ecclesiæ dimisissent, ipse non potuit attingere,

A scilicet libros in officio et theologia, calices, cruces, figuras sanctorum, aureas mitras, baculos, etc.

II.

JOANNIS PETRI PURICELLI.

DISSERTATIO

Utrum sanctus Ambrosius clero suo Mediolanensi permiserit ut virgini nubere semel posset.

(Apud MURATORI, *Rer. Ital. Script.* IV, 120.)

MONITUM.

Errores quos Landulphus in Historia sua ubique sparserat inde originem habent quod in ea fuerit sententia S. Ambrosium clero suo permisisse ut virgini nubere semel posset, Græcorum more. Hinc etiam ipsius querelæ et odium in Romanos pontifices, qui restituendæ in Ecclesia Mediolanensi veteri disciplinæ cum SS. Arialdo et Herlembaldo incubuerant. *Joannes Petrus Puricellus* adversus Landulphi nostri testimonium pluribus invictissimis argumentis rem adeo exegit in sua peculiari dissertatione cap. 92 Vitæ S. Herlembaldi, ut omnem dubitationi locum eripuerit. Quamobrem ego, qui Landulphi editionem ornaveram, scandalum passus ab homine dicacissimo, verebar ne piæ lectorum aures ipsius lectione offenderentur; ob eam rem consulto viri doctissimi laudatam dissertationem hic subtexui, ut Landulpho et omnibus cum eo sentientibus castigatio præsens esset, et piis omnibus de malignitate ac mendacio schismatici hominis ornatissimus triumphus.

DISSERTATIO.

I. Inter omnes Arialdi adversarios, qui ei, dum viveret, ejusque interim fautoribus in os restiterint, neminem profecto adhuc inveni qui cleri Mediolanensis conjugia expresse asseruerit a sancto, jam olim antistite, nostro Ambrosio permissa, vel etiam comprobata fuisse. Quocirca ne tale quidem aliquod alicujus adversarii effatum colligi potest ex universo hactenus hoc opere nostro, quo cæteroqui alia tam multa in medium proferuntur hinc inde argumenta quibus clerus, tam noster quam externus, sua ejusmodi conjugia tutari pertinaciter conabatur.

II. Non defuere tamen alii postea historiarum scriptores, qui talibus cleri matrimoniis patrocinium sapientissimi pariter ac sanctissimi ejus doctoris diserte non minus quam indubitanter affinxerint, eorumque primus se mihi Datius offert ille chronologus, quem multi nostrum, ac sanctum fuisse archiepiscopum, a sancto Gregorio papa Magno commendatum, existimarunt : Quos ego quidem Dissertationis meæ Nazarianæ capite 39, numero 10, refellebam : pauloque post in idem figmentum secundus illi subscribit Landulphus ille Senior, quem capite pariter illo 39, numero 13, tum etiam præfatione in hujus operis librum primum, et ejusdem libri primi capite 2 indicavi. Ac suas quidem Historias contemporanei protraxerunt, Datius ad annum Christi saltem septuagesimum quartum, Landulphus vero ad octogesimum quintum supra millesimum : sicut ego pro Datio concludebam, capite illo 39, numero 14; pro Landulpho autem in hujus operis libro primo, capite 2, numero 3.

III. Datium ipsum audiamus. Licet enim tale illius Chronicum nullibi hoc tempore inveniatur; ipsissima tamen ipsius hac de re verba nihilominus habemus e Gualvaneo Flamma, qui duo ejus exemplaria suo tempore suos in usus habebat in promptu. In suo igitur Chronico Majori, secundum exemplar in Ambrosiana bibliotheca custoditum, capite 397, Gualvaneus hæc inde posteris exscripta reliquit,

B quæ pariter ego dissertationis Nazarianæ capite illo 39, numero 11, recitabam : *Chronica Dath* : « In synodo Damasi primi centum quinquaginta episcoporum, celebrata in Constantinopoli, ubi beatus interfuit Ambrosius, gravissima dissensio exorta est inter sacerdotes uxoratos ex una parte, et inter sacerdotes sine uxore viventes ex altera. Qui sacerdotes sine uxore dicebant sacerdotes uxoratos salvari non posse. Summus pontifex hanc quæstionem commisit beato Ambrosio. Qui sic ait : Perfectio vitæ non in castitate, sed in charitate consistit, secundum illud Apostoli, primæ ad Corinthios capite 13 : *Si linguis hominum loquar et angelorum*, etc. Ideo lex concedit sacerdotes semel virginem uxorem ducere, sed conjugium non iterare. Si autem, mortua prima uxore, sacerdos aliam duxerit, sacerdotium amittit. » Ipsissima igitur hac de re verba Datii hæc erant, teste Gualvaneo Flamma, qui eis etiam temere consensit, ut paulo post videbimus.

C IV. Datium, sicuti dicebam, concors subsecutus est postea Landulphus ille Senior, et ejusmodi sententiam, libro I, capite 11, et inscripto *De monogamis sacerdotibus secundum doctrinam beati Ambrosii, hunc in modum paulo aliter expressit* : « Sedente beato Ambrosio, gravissima dissensio orta est coram apostolico in synodo, inter sacerdotes monogamos, et alios sub virginitate aut castitate degentes. Quod factum, apostolico imperante, et aliis episcopis consentientibus, datum est in judicio beati Ambrosii ut, quidquid ipse diceret, sanctum et firmum teneretur. At beatus Ambrosius, cognoscens sensus humanos pronos ad peccandum maxime propter incontinentiam, sciens aliquem nec virginitatem nec castitatem nisi a Deo habere posse, quod in libro De officiis jam dictaverat, ait : De monogamia sacerdotum quid loquar? quando una tantum permittitur copula, et non repetita; et hæc lex est, non iterare conjugium. Sicque dicens, omnem dissen-

Digitized by Google

sionem compescuit. Itaque Græci sacerdotes, Ambrosianam tenentes sententiam, usque hodie sancitum et pro lege sacra habent ut, quando in sacerdotio unguntur, aut virginitatem exinde promittant, aut uxores in testimonio bonorum virorum sibi socient. Et si contigerit quod uxor sua moriatur, aut caste vivunt tenentes sacerdotium, aut sacerdotium amittunt si amplius aliquam mulierem carnaliter cognoverint. Quorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est. Quinetiam sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini, benedicebat. » Talia Landulphus ille Senior, uxoratis per ea tempora sacerdotibus et ipse addictissimus ut jam sæpe dictum est.

V. Sed quid item Gualvaneus Flamma nonnullique post ipsum alii, qui sine dubio cæteroqui talia cleri conjugia damnabant, meritissimeque vetita denum esse profitebantur? En ut ille primam eorum originem jam inde ab apostolicis temporibus perperam traxerit; Chronici enim sui, paulo ante memorati, caput 226 sic inscripsit: « Sacerdotes et episcopi habebant uxores; » moxque sic etiam illud prosequutus est, et argumentis confirmavit: « Potuit beatus Barnabas successorem instituere et Ecclesias ordinare, et ordinati potuerunt uxores habere. Unde dicit Apostolus, primæ ad Timotheum III: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Et idem Apostolus, de diaconibus loquens in eadem Epistola: *Diacones sint unius uxoris viri, qui filios suis bene præsint, et domibus suis.* Et idem Apostolus dicit ad Titum, primo capitulo: *Constitue per singulas civitates presbyteros, sicut et ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles.* Et Lucæ primo capitulo habetur quod Zacharias sacerdos genuit ex Elisabeth Joannem Baptistam. Ex hoc manifeste apparet quod licet episcopis et sacerdotibus et diaconibus uxores habere de jure, et in Novo Testamento et in Veteri. Et simile habetur de Eriberto de Arzago, archiepiscopo Mediolanensi quod duxit in uxorem nobilem mulierem Useriam, quæ donavit monasterio Sancti Dionysii Useriam. Sed postquam Alexander papa de Badagio, de Mediolano, statuit quod nullus clericus uxorem duceret, sacro approbante concilio, de cetero nulli clerico licuit uxorem ducere, præcipue quia in ordine subdiaconatus quilibet clericus solemniter profitetur perpetuam castitatem. » Hæc ibi Gualvaneus. Idemque postea capite 397 (aliter 396) inscripto: « Cultus divinus amplificatur per beatum Ambrosium, » posteaquam e Datii Chronico varios recensuisset sacrorum ministrorum ordines, in Ecclesia Mediolanensi ab ipso institutos, hæc subdit: « Quos omnes benedixit et, quod quilibet posset accipere uxorem virginem, concessit. Qua defuncta, et ipsi vidui permanerent. » *De ista materia habetur supra, capitulo* 227, sive illo ipso 226, quod ego supra proferebam, sicut ibi fuerat ab eodem Gualvaneo numeratum. Neque vero his contentus, præsens caput hunc etiam in modum prosequitur: *Glosa; Chronica Datii:* « In synodo Damasi primi, centum quinquaginta episcoporum, celebrata in Constantinopoli, ubi beatus interfuit Ambrosius, » et reliqua, sicut a me recitabantur numero tertio. Sed et rursus, capite 737, de archiepiscopo nostro Heriberto scribens, sic etiam narrat: « Ejus uxor, dicta Useria, mulier ditissima nimis, donavit monasterio Sancti Dionysii possessionem, quæ dicitur Useria. » Talia Gualvaneus in eo Chronico. Eosdem porro ministrorum ordines in altero pariter Chronico suo, quod Manipulum Florum appellavit, enumeraverat ex eodem Datio, cum ad extremum capitis 40, hæc itidem adjecit: « Iis omnibus benedicens beatissimus Ambrosius, una uxore uti posse concessit; qua defuncta, et ipsi vidui in æternum permanerent. Quæ consuetudo duravit annis septingentis usque ad tempora Alexandri papæ, quem civitas Mediolani genuerat. » Quocirca etiam postea, capite 152, recensere cœpit quemadmodum hæc ipsa controversia fuerit ab eodem illo agitata pontifice, cum cardinalis adhuc sive canonicus esset ordinarius Ecclesiæ Mediolanensis.

VI. Manuscriptum illud Chronicum, *Flos florum*, cujus testimonio utebar superiori libro primo, capite 6, a me lectum jam fuerat ante annum 1645, et antequam typis ederem Ambrosianæ Mediolan. Basilicæ ac monasterii monumenta, in quibus frequens habetur ejusdem Chronici mentio. Cum vero postea illud domino suo, Aloysio ab Ecclesia, mihi tempus in omne grata commemoratione recolendo, reddidissem; cumque deinde, anno 1653, Sancti Laurentii Litiæ archiepiscopi nostri Vitam conscriberem, statimque per partes festinatam typographo traderem intra feriias autumnales, neque tunc codicem illum (sicuti neque Tristani Calchi autographum, de quo item dicam postea) in promptu et ad manus habere possem; sic existimavi, ut ejus Chronici auctor, per omnia ferme solitus Gualvaneo Flammæ consentire, in eo etiam consensisset quod ille de matrimoniis sacerdotum sancto Ambrosio ascripserat. Itaque capite I hic 20, numero 16, idipsum affirmavi. Sed in hoc tamen memoria me fefellit, ut recenter animadverti. Etenim autor ille Chronici, Gualvaneum sectatus Flammam, in Ambrosio episcopo longe quidem lateque describendo prosequitur omnes illos ministrorum ordines ab ipso institutos; atqui de conjugio iisdem permisso ne verbum quidem facit, sanibre nimirum, quam Gualvaneus, consilio. Ac tantummodo postea in Heriberto archiepiscopo inter alia multa sic inquit, folio 128, pagina 2: « Hic archiepiscopus habuit Uxeriam, nobilem mulierem, uxorem; quæ donavit dotem suam monasterio sancti Dionysii, quæ usque hodie Uxeria dicitur. » De quo tamen additamento quid item mihi videatur, hoc ipso capite, suo loco aperiam.

VII. Certe autem Gualvaneo Flammæ in ea etiam parte consensit Petrus ille Azarius, cujus testimonio similiter utebar superioris libri primi capite septimo. In sancto enim archiepiscopo Ambrosio, facta mentione cleri ab ipso in ecclesia metropolitana instituti, hunc protinus in modum cum Gualvaneo Flamma locutus est: « Iis omnibus benedicens beatus Ambrosius una uxore uti posse concessit; qua defuncta, et ipsi vidui in æternum permanerent. Quæ consuetudo duravit annis septingentis usque ad tempora Alexandri papæ, quem civitas Mediolani genuerat. »

VIII. Tristanus quoque Chalcus in eodem fuisse mihi videbatur errore, non quidem secundum typographicam Historiæ suæ Mediolanensis editionem, hac in urbe anno Domini 1627 elaboratam (in qua videlicet errorem illum prætermitti revera oportuisset, sicuti contra Bernardinum Corium jam fuerat decretum, ut paulo post videbimus), sed secundum exemplar ipsius manuscriptum, imo vero authographum, in Ambrosiana Bibliotheca asservatum. Itaque in archiepiscopi etiam nostri Laurentii Litiæ Vita, capite 20, numero 16, Tristanum quoque Chalcum ex eo authographo connumerabam nonnullis aliis ejus erroris sectatoribus. Verumtamen in eo nihil tale nuper inveni, cum præsens caput conscriberem, cumque illa denuo scrutarer ejus loca, in quibus hoc olim legisse mihi quidem videbar. Eum igitur in præsenti tacitus prætermitto sicut etiam eumdem interim hac in parte absolvo. Certe tamen hac ipsa occasione illum rursus reum denuntio erroris illius quem ipsi ascribebam eodem hoc libro quarto, capite 10, num. 42. Sicut enim error ille sine dubio exstat in editione typographica sic etiam exstat in auctoris autographo, necnon etiam in altero exemplari pariter manuscripto, quæ in Ambrosiana bibliotheca custodiuntur. Quocirca

Digitized by Google

mihi sane nulla videtur habenda ratio tertii cujusdam exemplaris, quod mihi nuper commodatum fuit ab amico, erga me officiosissimo, eodemque perquam erudito, et selectis pro re historica libris aliisque monumentis abunde instructo, videlicet a Joanne Baptista Blanchino, justitiæ hoc anno 1656 hac in urbe consule meritissimo. Quo quidem in exemplari nulla prorsus illic habetur ejus præposituræ vel præpositi metropolitani mentio. Hanc enim de industria (ut ego interpretor) prætermisit alius quispiam ab auctore diversus, qui bene certoque nosset primam ejus præposituræ institutionem, quique Tristanum cuperet ab ejus erroris nota liberare.

IX. Venio jam tandem ad Bernardinum Corium, vel hôc ipso contra cleri cœlibatum errore, censuraque contra ipsum rite pronuntiata, in ore famæ celebrem. Chronici enim sui Mediolanensis parte prima, et secundum anni 1565 editionem Venetam pagina duodecima, singillatim prosecutus sacros ministrorum ordines a sancto Ambrosio in ecclesia Mediolanensi seu in basilica metropolitana institutos, in hæc verba desinit : « Constituì anco molti sacerdoti, lettori, e ostiarii : e tutti li benedì : e concesse loro che potessero avere moglie vergine; la quale morendo, restassero poi vedovi : come chiaramente si legge nella prima a Timoteo. E che ciò sia vero, apertamente si vede, come Enriberto di Antimiano, arcivescovo di Milano, del quale in processo dell' Historia ampiamente trattiamo, ebbe per moglie una nobil donna, per nome Useria : la quale dono il monastero di San' Dionigi (legendum tamen hic est: la quale donò al monastero di San' Dionigi; sicut etiam Gualvaneus Flamma superiore numero quinto affirmabat) dove fino al presente e contiguo, una fruttifera vigna, la quale dal nome di quella e chiamata la vigna d'Useria. Mà poi in successo di tempo da Alessandro terzo pontefice (vere tamen hic pontifex non tertius nominis hujus fuit, sed secundus) fù ordinato che alcun sacerdote o cherico non togliesse moglie : e questo ancora fù approvato dal sacro concilio, sogiugnendo che in perpetuo osservassero castitata. Per la qual cosa poi nell' anno mille sessantadue Enribaldo Cotta, volendo perseguitare i cherici maritati, da essi fù crudelmente morto. Onde, come scrive Leone ne suoi Annali, essendo tenuto per martire, dalla republica fù con somma riverentia fatto sepellire nel tempio dedicato a San' Dionigi in una cassa circondata di lame di ferro. » Quod quidem Corii pro Cottæ sanctitate testimonium, hic tandem adjectum, ego jam supra recitavi, libro primo, capite nono.

X. Hactenus auctores quorum assertione sanctus antistes noster Ambrosius matrimonia sacerdotibus concessit. Sequitur nunc ut deinceps ostendamus quam falsa et detestabilis, quamque scriptore catholico indigna sit ejusmodi assertio. Eam sane (ut hinc exordiamur) sacra Indicis congregatio jamdudum in Bernardino ipsomet Corio, qui eam primus in publicam lucem typis evulgaverat, damnavit, et ex ipsius Chronico abolendam esse sancivit. Sic enim e subsequenti constat epistola, non multo post ad cardinalem archiepiscopum nostrum Federicum Borromæum scripta et inter Ambrosianæ bibliothecæ libros custodita, et his exarata verbis :

« Illustrisimo et reverendissimo sig. mio osservandissimo.

« Avendo la sacra congregazione dell' Indice considerato quanto sia desiderato ed utile il libro di Bernardino Corio sopra l'Istoria di Milano, che nell' editto delli 16 di Marzo 1621 s'ordina non permettersi, se non corretto : e che non v'erano stati notati altri errori, che nel foglio 12, juxta impressionem Venetam, *asserit sanctum Ambrosium permisisse sacerdotibus uxorem ducere*, et foglio 629, *inquit summum pontificem concessisse Indulgentiam plenariam Ecclesiæ Mediolanensi, etiam non contritis*, quali errori anche si trovano nell' impressione antica di Milano del 1503 si sono compiacciuti questi signori illustrissimi miei colleghi, che avvisi a sua signoria illustrissima, come fò con la presente, che, corretti o tolti via detti due lochi soli, poss' ella a ciascuno della sua diocese dare libera facolta e licenza di leggere e tenere detta Istoria; e che per tutto possa così corretta correre, ed anche di nuovo ristamparsi. Con che, baciando a Vosignoria illustrissima humilmente le mani, me le offero di cuore. Di Roma li 6 di Ottobre 1621.

« Di V. S. illustrissima e reverendissima
umilissimo ed affezionatissimo servidore,
il cardinale Bevilacqua.

« Al sig. cardinale Borromeo, Milano. »

Superioris autem decreti, a sacra Indicis congregatione conditi, mentio itidem habetur in librorum prohibitorum Elencho, per Franciscum Magdalenum Capiferreum, ejusdem congregationis secretarium digesto. Littera enim B in eo sic legitur : « Bernardini Corii Historia Mediolanensis non permittatur, nisi correcta. In Decreto 16 Martii 1621. »

XI. Quam falsa porro sit et adulterina ejusmodi assertio, sanctus ipse Ambrosius per aurea scripta sua, catholicæ per orbem universum Ecclesiæ probatissima, commonstret : eoque in primis commonstret loco, ad quem Landulphus itidem ipse superiore numero 4 provocabat. Locus autem ille citra dubium est libri De officiis primi caput quinquagesimum sinul et ultimum. Quocirca etiam illud idem caput in altero eorum Landulphi exemplarium, quæ in capituli metropolitani bibliotheca custodiuntur, ego vidi charactere satis recenti adnotatum in ora marginali, juxta eum Landulphi textum exstante, ac simul quidem cum hac protinus censura, meo etiam judicio veracissima : « Vide locum male relatum, et male intellectum. Unde maxima corruptela ecclesiæ Ambrosianæ, et perniciosi tumultus, et querelæ toto hoc libro expressæ. »

XII. Eo igitur loco sanctus Ambrosius, multa præfatus de virtutibus in Levita et altaris ministro necessariis, hunc in modum prosequebatur : « De castimonia autem quid loquar? quando una tantum nec repetita permittitur copula. Et in ipso ergo conjugio lex est non iterare conjugium, nec secundæ conjugis sortiri conjunctionem. » Et ecce nobis manifestum jam est, quemadmodum locus ille a Landulpho male referretur. Inspiciamus nunc, quemadmodum male pariter ab ipso intelligeretur. Verus enim Ambrosii hoc in loco sensus hic est, ut evangelicum Levitam ordinari, sive ad sacrum ejusmodi ordinem promoveri, non liceat, si conjugium jam ante iteraverit, hoc est, si post obitum primæ uxoris alteram duxerit, ac propterea digamus sit. Illum enim debuisse tantummodo monogamum esse, ac præterea post eam promotionem debere ab officio conjugali penitus abstinere; sic enim lege sancitum esse. Huc igitur absque dubio spectant Ambrosii verba proxime recitata, necnon etiam deinceps recitanda.

XIII. In hanc enim sententiam sic etiam progreditur Ambrosius : « Quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iterato conjugio ad electionem muneris et ordinationis prærogativam impedimenta generentur; cum etiam delicta obesse non soleant, si lavacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismate relaxatur; quod legis est, in conjugio non solvitur. » Ut enim Robertus cardinalis Bellarminus de membris Ecclesiæ militantis libro primo, qui est *De clericis*, capite vigesimo quarto, § *Ad Hieronymi vero*, sapienter docebat « observandum est controversiam fuisse inter veteres Patres: an qui unam uxorem habuit ante baptismum, eaque mortua alteram duxit post baptismum, bigamus cen-

Digitized by Google

sendas esset, necne. Nam sanctus Hieronymus in epistola ad Oceanum contendit ejusmodi hominem non esse bigamum, propterea quod per baptismum sit factus novus homo ex veteri, et nihil ei nocere possit eorum quæ fecit ante baptismum. Et sane huic sententiæ multum favet canon 17 apostolorum, qui diserte prohibet episcopum fieri qui post baptismum bis nuptias celebravit. Contra vero Ambrosius, Innocentius, et Augustinus locis citatis contendunt omnino habendum bigamum qui duas uxores habuit, sive ante baptismum, sive post baptismum. Nam baptismus dilnit peccata, non solvit conjugia, et renovat hominem quantum ad vetustatem vitiorum, non quantum ad ea quæ recte se habent. Atque hæc sententia tandem prævaluit, et ab universa Ecclesia recepta est. Neque obstat canon apostolicus. Fortasse enim eo tempore propter hominum paucitatem dispensabant apostoli cum illis qui ante baptismum uxorem unam vel plures habuerant, modo non habuissent plures post baptismum. Neque enim est hoc præceptum Apostoli (nempe Pauli, priinæ ad Timotheum, capite 3) omnino indispensabile. » Hactenus Bellarminus ibi. Sed ad ejusdem sententiæ confirmationem nobis placeat sanctum itidem Augustinum loco per ipsum indicato audire. Libro enim 20, De bono conjugali, capite 18, sic ille sentiebat : « Quod acutius intellexerunt qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato; nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina, etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurde visum est cum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam. » Sed hinc ad Ambrosium revertamur.

XIV. Ille vero sic etiam subinde protinus interrogat : « Quomodo autem potest hortator esse viduitatis qui ipse conjugia frequentaverit? » Quod quidem argumenti genus tametsi proprie ab Ambrosio in eos dirigatur qui a primis nuptiis ad secundas transierint, quibusque propterea promotio sacrum ad ordinem negabatur, non immerito tamen a catholicis doctoribus secundum proportionem accommodatur iis etiam ministris qui post sacram ordinationem officio conjugali operam darent. Bellarminus nominatim libro pariter primo *De clericis*, capite 19, varia enumerans impedimenta quæ conjugale officium sacerdotibus aliisque sacratis hominibus afferret, id etiam enumerat : « Tertio impedit efficaciam prædicationis, ut Ambrosius docet libro primo De officiis, capite ultimo. Quomodo enim efficaciter exhortabitur viduas et virgines, qui liberis perpetuo operam dat? » Similiter etiam Gregorius de Valentia in libro De cælibatu, capite 5 : « Obstat item (matrimonii usus) officio docendi et exhortandi. Nam qui consuetudine conjugali implicatus est, non potest certe cum satis magna efficacia et auctoritate virgines et viduas, et alios de populo, qui nondum matrimonio juncti sunt, ad continentiam adhortari, ut divus Ambrosius libro primo De officiis, capite ultimo adnotavit. »

XV. Quæ proxime subsequuntur ibidem Ambrosii verba, eadem sane commonstrant quam rationi consentaneum, quinetiam necessarium ille censuerit ut sacri ministri post sacram ordinationem ab usu conjugii deinceps in perpetuum abstinerent, si forte prius nupsissent, atque suam sibi uxorem adhuc superstitem haberent. « *Inoffensum autem* (inquit) *exhibendum esse et immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis.* Quod eo non præterii, quia in plerisque abditioribus locis cum ministerium gererent vel etiam sacerdotium, filios susceperunt : et id tanquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur, et tamen castificabatur etiam populus per biduum aut triduum, ut ad sacrificium purus accederet, ut in Veteri Testamento legimus. *Et lavabat vestimenta sua.* » Quem tamen prætextum hac Ambrosius illico refellit ratione : « Si in figura tanta observantia, quanta in veritate? Disce, sacerdos atque Levita, quid sit lavare vestimenta tua, ut mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur (*Exod.* XIX) accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter et corpore audes pro aliis supplicare, audes pro aliis ministrare? »

XVI. Et hactenus quidem satis a nobis examinatus sit prior ille sancti Ambrosii locus, quem sibi Landulphus pro suo errore usurpabat in testimonium. Videamus nunc, quemadmodum sanctus idem doctor eamdem sententiam suam diserte aliis etiam in locis expresserit.

XVII. Certe autem libro *De dignitate sacerdotali*, capite 4, explicans illud apostoli Pauli ad Timotheum primæ capite III : *Oportet episcopum esse unius uxoris virum*, sic habet : « Si ad superficiem tantum litteræ (sive ad sensum litteralem) respiciamus, prohibet bigamum episcopum ordinari. Si vero ad altiorem (sive ad mysticum) sensum conscendimus; inhibet episcopum duas usurpare Ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris; monet ne, post catholicum dogma, sensum inveniatur episcopus habere hæreticum, sed Christianam tantum orthodoxam et catholicam sibi associet fidem, ut unius tantummodo uxoris et catholicæ Ecclesiæ vir episcopus vocitetur. » Et aliquanto post, explicans illud item, quod ab eodem Apostolo ibidem objectum legitur : *Domui suæ bene præesse, filios habentem subditos cum omni castitate*, sic etiam inquit : « Domui suæ bene præesse potest, qui corporis sui servaverit castitatem. Domui, inquit, hoc est, corpori suo tali jure dominetur, ut non subdatur ipsius voluntati, ne desiderio luxuriæ deditus in præcipitium demergatur, sed potius filios suo castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam doceat. Nam si quis domui suæ præesse nesciat, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit? Hoc est enim de quo superius diximus : Qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? »

XVIII. Et rursus in epistola ad Ecclesiam Vercellensem, quæ, secundum Romanam editionem, a Sixto papa quinto, cum cardinalis esset, emendatam, et pontificio postea diplomate commendatam, vigesima quinta est libri tertii Epistolarum, hæc habet : « Hæc posui, quæ cavenda acceperim. Virtutum autem magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui unius uxoris virum præcipiat esse, non quo extorrem excludat conjugii; nam hoc supra legem præcepti est, sed ut conjugali castimonia servet ablationis suæ gratiam; *neque iterum ut filios in sacerdotio creare apostolica invitetur auctoritate. Habentem enim dixit filios, non facientem*, neque conjugium iterare. Quod ideo non prætermisi, quia plerique ita argumentantur : Unius uxoris virum dici post baptismum habitæ, eo quod baptismo vitium sit ablutum, quo afferebatur impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur omnia, ut si quis contaminaverit suum corpus cum plurimis, quas nulla conjugii lege sociaverit, remittantur ei omnia; sed conjugia non resolvuntur, si quis iteraverit. Culpa enim lavacro, non lex, solvitur. Nulla enim culpa conjugii, sed lex est. Quod legis est igitur, non remittitur quasi culpa, sed tenetur quasi lex. Ideo et Apostolus legem posuit, dicens : *Si quis sine crimine est, unius uxoris vir.* Ergo qui sine crimine est, unius uxoris vir, tenetur ad legem sacerdotii suscipiendi; qui autem iteravе-

Digitized by Google

rit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis. Diximus quid legis est; dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus non solum hoc Apostolum de episcopo et presbytero statuisse, sed etiam Patres in *concilii Nicæni Tractatu* addidisse, neque clericum quemquam debere esse qui secunda conjugia sortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam vidnitatem, servandam marito fidem, quam ipse priori conjugio non reservaverit? Aut quid interesset inter populum et sacerdotem, si iisdem astringeretur legibus? Debet præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia. Nam qui alios præceptis suis ligat, debet ipse legitima præcepta in se custodire. » Hactenus in ea sanctus Ambrosius epistola.

XIX. Ad precationem nunc progredior illam quam idem Ambrosius primam concinnavit, ut semetipsum reliquosque suos sacerdotes ad celebrationem sacrosancti missæ sacrificii præpararet; quæ precatio legitur etiam prope finem tomi ejus operum quinti, hoc est, ante hymnos ipsius. Illic enim, non procul ab initio, has item ad Deum preces fundebat : « Rex virtutum, castitatis et integritatis amator, Deus, cœlesti rore benedictionis tuæ exstingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis animæ et corporis. Mortifica in me carnis stimulos, et omnes libidinis commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ ubi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim, Domine Jesu Christe, cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animi puritate istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summa imis junguntur, ubi adest præsentia sanctorum angelorum, ubi tu es Sacerdos et Sacrificium mirabiliter et ineffabiliter constitutus! Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? »

XX. Postremum nobis nunc est ut in ejusdem, quam contendimus, veritatis testimonium veniant etiam commentaria in Epistolas sancti Pauli, quæ communius sancto Ambrosio ascribi solent, quæque in ea etiam, quam supra memorabam, editione Romana et emendatiori legitimis ejus operibus connumerantur. In commentario enim primæ ad Timotheum Epistolæ, ad ea capitis tertii verba : *Oportet episcopum esse unius uxoris virum*, ita prorsus interpretatur : « Quamvis secundam numero uxorem non sit habere prohibitum, ut tamen quis dignus ad episcopatum sit, etiam licitam debet spernere, propter sublimitatem ipsius ordinis, quia cæteris melior debet esse, qui cupidus est sedis illius. » Et aliquanto post, ad ea verba : *Diaconi sint unius uxoris viri*, sic item progreditur : « Ea quæ minus dixerat de ordinatione diaconatus, nunc subjecit. Ostendit etiam, ipsos unius uxoris viros esse debere, ut hi ad ministerium Dei eligantur, qui non sunt egressi constitutum Dei. Homini enim unam uxorem decrevit Deus, cum qua benedicatur; nemo enim cum secunda benedicitur. Qui si filios bene gubernaverit, et domos suas, id est vernaculos, aut domesticos, poterunt digni fieri sacerdotio, et fiduciam habere apud Deum, ut sciant se posse impetrare, quod postulant; *jam de cætero se ab usu feminæ cohibentes.* Veteribus enim idcirco concessum est levitis aut sacerdotibus uxores ad usum habere, quia multum tempus otio vacabant a ministerio, aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, et magna copia levitarum, et unusquisque certo tempore serviebat divinis cæremoniis secundum institutum David. Hic enim viginti et quatuor classes constituit sacerdotum, ut per vices deservirent. Unde Alia octavam classem habuit; cujus vice Zacharias (Lucæ primo) fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon, ita ut, tempore quo non illos contingebat deservire altari, domorum suarum agerent curam. At ubi vero tempus imminebat ministerii, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, et aliquantos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, et unus in civitate episcopus; *ac per hoc omnes a conventu feminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie præsto esse in ecclesia, nec habere dilationem, ut post conventum legitime purificentur, sicut veteres.* Omni enim hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada; etsi non desint qui fere quotidie baptizentur ægri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant privati. Si enim plebeiis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcipit (sanctus Paulus, primæ ad Corinthios capite vii) ut vacent orationi, quanto magis levitis aut sacerdotibus, quos die noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent cæteris, quia actores sunt Dei. »

XXI. Hæc sanctissimus antistes noster Ambrosius in iis commentariis; si tamen ipse re vera illorum est auctor. Robertus sane cardinalis Bellarminus id pro certo et indubitato supposuit libro primo *De clericis*, capite 19, § *Ambrosius*, cum superiorem illorum textum innueret, et capite 20, § *Quod autem*; secus autem profecto sensit in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*. De sancto enim Ambrosio Mediolanensi ad annum 374 agens, sive observationem in ejus opera contexens, ita concludebat : « In quinto tomo sunt Commentaria in Epistolas sancti Pauli; quæ a multis non creduntur Ambrosii, nec sine causa. » Qua de re consuli per me quidem possunt Alfonsus Salmeron Commentariorum suorum tomo decimo tertio, qui primus est in omnes beati Pauli, et canonicas Epistolas, libro scilicet primo, disputatione 19; et Cornelius a Lapide suis item in Commentariis in omnes divi Pauli Epistolas, qua parte inter primordia operis disserit de interpretibus Epistolarum sancti Pauli, pagina mihi 24, et in caput septimum, ac versum undecimum Epistolæ primæ ad Corinthios. Memini vero etiam me multis abhinc annis legisse luculentam ejusdem argumenti lucubratiunculam, separatim editam, et a Nicolao Rusca contextam, et a cardinali Baronio comprobatam. Quam cum ego religioso cuidam ex ordine Prædicatorum, et e Ruscarum cognatione commodassem (ut sæpe mihi accidit) amisi. Nicolaus autem ille Rusca erat sacræ theologiæ doctor, Sondrii in Valle Tellina archipresbyter, et Federico cardinali archiepiscopoque nostro Borromæo dilectissimus, mihique amicissimus, necnon etiam studiosissimus catholicæ fidei propugnator. Quocirca etiam iniquissime tandem ab hæreticis anno Domini supra millesimum sexcentesimum decimo octavo necatus est, ejusque vita et mors a Joanne Baptista Bojacha, jurisconsulto Comensi, latine descripta et Comensibus typis anno sæculi ejusdem vigesimo primo evulgata circumfertur, sicut etiam ipsiusmet Nicolai liber, anno sæculi superioris nonagesimo octavo editus, quo acta disputationis Tiranensis adversus Calvinum, et ministros Calvini defensores continentur. Sed hinc ad proprium præsentis capitis institutum redeamus. Pro ea igitur sua et aliorum sententia Bellarminus multas colligit causas et rationes, et inter illas hanc quoque nominatim tertio loco, quod inter multa quæ talium auctor Commentariorum exposuerit contra Sancti Ambrosii sententiam, ita plane in Commentario primæ ad Timotheum exponat illud item capitis primi, *Regi sæculorum, immortali*, etc., contra quam scilicet Ambrosius ipse revera exposuerit libro secundo *De fide*, capite primo ac tertio, et libro tertio, capite secundo. Quid si vero Commentaria illa vere fuerint a sancto Ambrosio com-

Digitized by Google

posita, sed ab alio postea nonnullis in locis depravata? et in iis nominatim quos Bellarminus aliique opinionis ejusdem homines reprehendunt, sed non in eo quem supra ego producebam; quippe cum ille plane consentiat cum cæteris illis lucubrationibus Ambrosio nostro indubitanter adjudicatis, nec ab ullo vitiatis. Quocirca si quis etiam constanter altercari velit, nondicusque contendere Commentaria illa nullo modo ascribi posse Ambrosio nostro, ego sane in præsenti non valde repugnabo. Ad præsentis enim quæstionis et capitis institutum satis etiam mihi sunt reliqua illa superioribus illis e locis deprompta, ut summatim ostendere mox aggrelior.

XXII. Ea quippe tres habent hasce partes : videlicet expositionem litteralem illorum sancti Pauli verborum, quibus præscribebatur ut episcopus esset unius uxoris vir; cessationem ab usu conjugii, postea quam susceptus fuerit ordo sacer; differentiam inter Veteris ac Novi Testamenti ministros : quæ quidem partes mihi abunde ad præsens institutum sufficiunt.

XXIII. Secundum Ambrosii ergo expositionem, sanctus Paulus in ea Epistola præscribebat ne qui post primæ uxoris obitum alteram duxit ad episcopatum vel ad diaconatum admitteretur. Bene autem Bellarminus libro primo *De clericis*, capite 23, veram excutiens eorum sancti Pauli verborum intelligentiam, non dubitavit affirmare : « Sententia catholicæ Ecclesiæ semper verba illa beati Pauli ita intelligenda esse docuit ut prohibitum sit sacris ordinibus initiare eos qui quovis modo bigami fuerint. Quam sententiam probare possumus tribus argumentis. » His ergo subinde illam optime probat; et primo quidem sacris et litteris, secundo ex tempore quo sanctus Paulus hæc scripsit, tertio ex auctoritate Patrum, qui semper hunc locum de monogamia ita intellexerunt ut non liceat episcopum vel diaconum creari eum qui duas uxores, etiam diversis temporibus, habuerit. Inter hos ergo Patres, post Tertullianum ac sanctum Epiphanium, testimonio etiam utitur Ambrosii. Ejusque verba sunt hujusmodi : « Tertullianus libro primo ad uxorem. Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et præscriptio Apostoli declarat, cum bigamos non sinit præsidere, cum viduam allegi in ordinationem, nisi univiram, non concedit. » Quibus Tertulliani verbis illico subdit Bellarminus : « Neque dubium est quin per bigamos intelligat eos qui duas uxores habuerunt, non simul, sed unam post alteram. Nam de hac digamia in toto libro loquitur; hortatur enim uxorem suam ut, se mortuo, non ineat secundas nuptias. Similia habet in libro De monogamia, et in libro De exhortatione castitatis. » Et paulo post : « Epiphanius hæresi 59 Catharorum. Quæ ad sacerdotium tradita sunt, propter eminentiam celebrationis sacrorum, ea æqualiter ferri ad omnes putaverunt, cum audierint quod oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, continentem; similiter et diaconum, et presbyterum. Revera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi adventum eos qui a nuptiis, mortua ipsorum uxore, secundis nuptiis conjuncti sunt, propter excellentem sacerdotii honorem ac dignitatem. Et hæc certo sancta Dei Ecclesia cum sinceritate observat. Hæc ille. Ubi apertissime loquitur de digamia pluriu uxorum successiva, cum eos digamos appellet qui, mortua uxore, aliam ducunt, et cum Catharos reprehendat, qui ex hoc loco Pauli etiam laicis interdicebant secundas nuptias. » Hinc autem Bellarminus ad sancti Ambrosii testimonium ita progreditur : « Ambrosius, libro x, epistola 82 ad Ecclesiam Vercellensem, tractans hunc locum Pauli, *unius uxoris vir*. Qui, inquit, conjugium iteraverit, culpam non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis. » E. paulo post : « Similia habet Ambrosius libro primo De officiis, capite ultimo, et libro De dignitate sacerdotali, capite 4. »

XXIV. Secunda pars, ex indubitatis illis Ambrosii testimoniis a me summatim deprompta, hæc erat : Ut monogami, etiam illi qui, viventibus etiamnum suis uxoribus, sacros ad ordines promoti essent, nihilominus ab usu matrimonii deinceps abstinere in perpetuum deberent. Quocirca hinc præsertim aperte refellitur matrimoniorum usus, qui Arialdi tempore apud clerum Mediolanensem pariter ac Græcum vigebat. Qualis vero apud Mediolanensem ille tunc esset, hoc jam vidimus præsentis libri quarti capite 3, num. 1. Qualis item apud Græcum tunc esset, me profecto non pœnitet hoc jamdudum e doctissimi Bellarmini libro primo De clericis didicisse, neque nunc pudet ejus hac de re verba hunc in locum afferre. Cum ergo, capite 19, ipse contenderet cælibatum jure apostolico rectissime annexum esse sacris ordinibus, ita ut nec ducere uxores, nec uxoribus antea ductis uti liceat post ordinationem, positivo quidem jure, sed antiquissimo et æquissimo, et quod nullo modo expediat ut hoc tempore relaxetur; tum vero duos sibi ad refellendum proposuit errores, unum Græcorum, alterum Lutheranorum. Ac de Græcorum errore sic inquit : « Prior error est oportere clericos, antequam ordines sacros suscipiant, uxores ducere, quia post sacros ordines susceptos non licet id facere, et nimis magno periculo fornicandi se exponit qui sine uxore vivit. Hujus erroris aliqui auctorem faciunt Nicolaum, unum ex septem primis diaconis. Sed, quidquid de hoc sit, constat Vigilantium hunc errorem expresse docuisse. De quo sic beatus Hieronymus initio libri contra Vigilantium, proh nefas! inquit, episcopos sui sceleris dicitur habere consortes; si tamen episcopi nominandi sunt qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam. » Dehinc vero Bellarminus ipse sic prosequitur : « Hunc errorem receperunt Patres concilii Trullani circa annum Domini septingentesimum, ut patet ex canone 13, ubi profana illa synodus damnat nominatim canones Romanæ ecclesiæ, et contrarium statuit, nimirum ut clerici ante subdiaconatum uxores ducant, et cum eis vivant postea, in sacris ordinibus constituti. Tempore hujus synodi cœpit mos Græcorum, qui nunc est. Auctus autem est et confirmatus tempore Leonis noni, quando dissidium Græcorum a Latinis maxime crevit in multis aliis articulis. Unde exstat liber Humberti cardinalis, eo tempore scriptus de hac re contra Nicetam abbatem, qui hunc morem Græcorum tunc acerrime defendebat. » Et aliquando post : « Synodus Trullana canone sexto prohibet ne episcopi, presbyteri, diaconi aut subdiaconi, post ordinationem suam, uxorem ducant, et canone quadragesimo octavo præcipit ut episcopus non cohabitet uxori. » Sic etiam eodem capite Bellarminus postea colligit, « morem Græcorum, quem nunc habent, non fuisse primis sexcentis annis, ut patet (inquit) ex iisdem auctoribus (quos utique multos jam produxerat) necnon ex Chrysostomo, Hieronymo, et Leone locis citatis. » Et rursus capite 21 : « Ad tertium (inquit) dico illos canones non esse ullius approbati concilii. Nam vera sexta synodus nullos canones edidit, ut patet ex septima synodo, actione 4 et 5, sed post sextam synodum quidam episcopi convenerunt Constantinopoli, et in palatio imperatoris Justiniani secundi, quod Trullum dicebatur, canones istos ediderunt nomine sextæ synodi. Cæterum hos canones non solum nullus Romanus pontifex probavit, sed etiam aperte improbavit Sergius papa, qui tunc sedebat, ut Beda scribit in libro De sex ætatibus, in Justiniano; et Paulus Diaconus, libro VIII, capite 9, De rebus Romanis : Vocat autem Beda erraticam synodum cœtum illorum Patrum, qui hos canones ediderunt. » Et pauculis interpositis, de synodo hac Trullana sic addit : « Non permittit ut ulli clerico,

Digitized by Google

post sacrorum ordinum susceptionem, liceat uxorem ducere, sed solum, ut liceat uti uxore ante ordinem ducta. Et hoc etiam non permittunt episcopis, sed solum inferioribus clericis, ut patet ex canone 6, 12, et 48. » Hactenus pro instituto nostro Bellarminus, ut aperte dignosceretur qualis apud Græcos esset matrimoniorum usus Arialdi nostri tempore, quam que concors ille tunc esset cum cleri Mediolanensis usu. Accipe nunc quemadmodum contra talem matrimoniorum usum, a clero sive Latino sive Græco usurpatum, idem Bellarminus, eodem illo capite 19, argumentatus fuerit Ambrosii etiam nostri testimonio, postaquam multos alios Patres tam Græcos quam Latinos eidem illi usui opposuisset. « Ambrosius (his utique verbis utebatur illic Bellarminus) libro primo De officiis capite ultimo : Inoffensum, inquit, exhibendum et immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis. Quod ideo non prætermi, quia in plerisque abditioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt. » Idem in epistola 82 ad Ecclesiam Vercellensem : « Habentem, inquit, filios, dixit Apostolus, non facientem » etc., Et in caput primum (verius tertium) Epistolæ primæ ad Timotheum : « Deinceps, inquit, ab usu feminæ cohibentur, » etc. Etenim talia in hanc sancti Pauli Epistolam Commentaria Bellarminus hoc loco inter veros Ambrosii nostri fetus computabat, ut ego quoque supra observabam.

XXV. Sed operæ pretium est una cum eodem Bellarmino tertiam quoque illam in Ambrosii testimoniis examinare partem, quam ego innuebam, et ex ea simul cum ipso argumentari. Quippe, capite illo 19, pro clericorum cælibatu sibi ad probandum proposito, multa collegerat Novi Testamenti pronuntiata; cum probationem suam sic etiam confirmavit : « Præterea in Veteri Testamento continentiam ab uxoribus videmus imprimis fuisse requisitam in iis qui Deo propinquaturi, vel rem aliquam sanctam tractaturi erant. Nam Exodi XII præcipitur ut comesturi agnum paschalem renes suos accingerent; quo significabatur, ut Gregorius exponit, homilia 22 super Evangelia, debere eos carnis voluptatem edomare qui agnum paschalem comedunt; Exodi XIX, cum populus legem a Deo accepturus esset, ait illis Moyses : *Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris.* Quo testimonio utitur Ambrosius libro primo De officiis, capite ultimo, ad probandam continentiam clericorum. » Atque hoc quidem illud est quod proprie hoc loco nos intendimus; sed nihilominus cum eodem Bellarmino ad uberiorem probationem progrediamur. Subdit ergo deinceps : « Item, Exodi XXVIII, præcepit Deus ut Aaron et filii ejus, cum ingrederentur tabernaculum, feminalibus lineis a renibus usque ad femora tecti essent. Quo exponit Beda libro tertio De tabernaculo, capite IX, significatum esse debere sacerdotes Novi Testamenti aut virgines esse, aut contracta cum uxoribus fœdera dissolvisse. Item, libri primi Regum capite XXI, noluit Achimelech sacerdos dare David panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset eum ab uxore aliquandiu se continuisse; ex quo deducit beatus Hieronymus in caput primum ad Titum perpetuam requiri in sacerdotibus continentiam etiam ab uxoribus, qui corpus Christi, quod illo pane propositionis significabatur, conficiunt, edunt aliisque tradunt. Denique ex libro primo Paralipomenon, capite XXIV et Lucæ I, colligitur sacerdotes Veteris Testamenti per vices suas ministrare solitos, et toto, eo tempore quo ministrabant in tabernaculo, a domo et uxore abfuisse. Ex quo deducunt Siricius papa in epistola ad Himericum, et Innocentius primus in epistola ad Victricium, necnon Beda in caput primum Lucæ, quod si illi tempore quo ministrabant ab uxoribus abstinebant, A omnino decere ut sacerdotes nostri, qui non per vices, sed semper ministrant, semper ab uxoribus se contineant. » Hæc ibi Bellarminus.

XXVI. Cum igitur indubitata illa sancti Ambrosii testimonia doctrinam ejusmodi contineant, cumque pro indubitato simul ille supponatur de sacrorum sive Græcorum sive nostratum ministrorum cælibatu non aliter unquam judicasse quam suis in libris luculenter et expresse judicaverit, consequens profecto est ut inexcusabilis temeritatis et impudentiæ notam evadere non possit qui eum nihilominus contendat matrimoniis favisse illis, quæ Græci, vel etiam nostrates sacerdotes unquam usitarint. Negat enim divinus ille doctor, præciseque negat ejusmodi matrimonia fuisse a sancto apostolo Paulo approbata, si contracta fuerint ab iis qui mox ad Ordinem Sacrum promovendi essent. Negat eorum usum esse licitum promotis ad ordinem Sacrum, eorumque pariter usum congruere negat ministerio Testamenti Novi proprio, quod longe majoris est dignitatis B et sanctitatis quam esse Testamenti Veteris ministerium. Et hæc quidem plane jam constant ex ipsismet Ambrosii verbis jam supra recitatis, sed planius aliquanto etiam constabunt, si paulo minutius insuper et accuratius ipsasmet examinemus assertiones historicorum quos nobis supra opponebamus.

XXVII. Datius in primis Ambrosium asserebat ejus dissensionis constitutum fuisse arbitrum ab ejus Patribus concilii, Constantinopolitana in urbe congregati, cui tunc etiam ipse interesset. Hoc autem concilii nomine non aliud profecto intelligere potuit quam Constantinopolitanum œcumenicum, quod (ut bene computat Baronius) anno Domini trecentesimo octogesimo primo celebratum fuit, et cui centum quinquaginta episcopi citra omnem controversiam ea in urbe interfuerunt. Atqui certissimum etiam ex adverso est neque Damasum papam neque Ambrosium nostrum illic interfuisse, sed solos interfuisse orientales episcopos, ac propterea etiam non C alium quam ipsos ei tandem subscripsisse. Concilium quippe illud auctoritate quidem Damasi papæ (sive per ejus litteras, ab imperatore Theodosio Seniore ad orientales episcopos transmissas) convocatum illuc fuit; atqui non ipsemet Damasus, nec alius quispiam ex occidentalibus episcopis illuc perrexit. Et hæc quidem omnium etiam ecclesiasticorum per ea tempora historicorum consensu testatissima sunt. Quocirca etiam Bellarminus *De conciliis et Ecclesia* libro primo, capite 5, posteaquam Constantinopolitanum hoc concilium inter generalia et a pontifice Romano approbata secundo loco numerasset, ita subdit : « Est vero animadvertendum, in hoc concilio neminem adfuisse ex provinciis occidentalibus. Siquidem Damasus papa Romæ coegerat synodum occidentalium, atque ad eum locum invitaverat episcopos qui Constantinopoli convenerant, ut eo modo Romæ celebraretur Concilium plenissimum. Sed quia Patres orientales justis de causis Romam D venire non potuerunt, accepit Damasus excusationem eorum, et animis ac sententiis duæ illæ synodi conjunctæ sunt, ac si una et eadem fuissent. Atque propter hujusmodi conjunctionem habita est synodus Constantinopolitana una ex œcumenicis et legitimis synodis. Vide Theodoretum libro primo Historiæ, capite 9 et 10. » Hactenus Bellarminus. De qua tamen Orientalium excusatione paulo aliter sensit Baronius ad annum Christi 382. Non igitur re vera illic adfuit Ambrosius, ac propterea ne concilii quidem illius Patres dijudicationem illius dissensioni ei soli reservarunt.

XXVIII. Sed illud etiam huc accedit quod nemo veterum scriptorum asseruisse unquam legitur talem illam dissensionem in eo fuisse concilio excitatam. Quod si etiam tunc ibi fuisset excitata, ibique tunc pariter Ambrosius ipse adfuisset, ne credibile quidem videtur eos Patres ei soli reservare voluisse hoc judicium, quod alioqui de re sane gravissima esset

Digitized by Google

Sicut enim de nonnullis aliis minoris momenti rebus ipsi decreta unanimes condiderunt, sic etiam universi pariter quæstionem illam dijudicassent. Sed hinc progrediamur ad rationem, qua permotus Ambrosius a Datio dicebatur sententiam in uxoratorum favorem sacerdotum pronuntiasse.

XXIX. « Perfectio vitæ, inquit, non in castitate, sed in charitate consistit. » Orationem plane irrationabilem, atque Ambrosio indignissimam; et, ut nihili prorsus ab ipso faciendam, sic etiam nihili prorsus ab ipso factam ! Quidni vero cæteroqui Ambrosius similiter ob eamdem rationem virginibus, quæ sacrum ad velamen admitti cuperent, concessit ut una vice matrimonium contraherent? Etenim, secundum illud Apostoli, quemadmodum vitæ perfectio non in castitate, ita neque in virginitate consistit, sed in charitate. Quidni vero præterea ille sacris etiam ministris concessit ut non solum semel nubere possent, sed etiam iterum ac tertio, quinetiam toties quoties laicis licitum esset? Non enim solo primi ejus matrimonii tempore, sed omni prorsus tempore perfectio vitæ, secundum illud Apostoli, consistit in charitate, non autem in castitate.

XXX. Priusquam tamen acrius Datium absurdis ejusmodi consectariis urgeamus, percommodum profecto ac perutile erit luculenter explicasse, quemadmodum perfectio vitæ spiritualis, secundum rei veritatem, atque secundum apostoli Pauli sententiam, consistat in charitate. Præclare autem Bellarminus De membris Ecclesiæ militantis libro secundo, qui est De monachis, capite secundo, sic docebat: « Sunt autem hoc loco adnotanda quædam. Primum illud est veram perfectionem in charitate consistere. Perfectio enim uniuscujusque rei in eo posita est ut fini suo ultimo quam arctissime conjungatur. Finis autem hominis Deus est: charitas vero maxime unit hominem cum Deo, juxta illud primæ Joannis quarto; *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo;* et ad Colossenses tertio; *Charitas est vinculum perfectionis*, id est vinculum quod, ligans hominem cum Deo, hominem reddit perfectum vel (ut Chrysostomus exponit) vinculum quod, ligans et continens in homine omnes virtutes, hominem reddit perfectum. Ut enim spiritus humanus ligat et continet omnes humores et partes, alioqui dilapsuras, ita Spiritus sanctus, inhabitans corda nostra per charitatem, continet omnes virtutes, alioqui facile dilapsuras. Quod etiam idem Apostolus ostendit, cum ait primæ ad Corinthios XIII: *Charitas patiens est, benigna est*, et quæ sequuntur. Itaque Irenæus libro quinto, ante medium, exponens illud Apostoli primæ ad Thessalonicenses ultimo: *Ut integer spiritus vester et anima et corpus conservetur*, dicit, hominem perfectum tribus constare, corpore, anima, et Spiritu sancto inhabitante per charitatem. Ut enim, si desit ei corpus vel anima, erit imperfectus in genere naturæ, ita, si desit charitas, erit imperfectus in genere moris. Quo modo locum illum Pauli intelligunt etiam fere omnes Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus, et cum eis Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæstione ultima. Denique, quod charitas sit Christiana perfectio, ex eo patet quod ad eam omnia referuntur. Matthæi XXII: *In his duobus mandatis universa Lex*, etc., et primæ ad Timotheum I: *Finis præcepti charitas.* »

XXXI. Subinde vero sic etiam prosequitur: « Nota secundo, ex beato Thoma in opusculo De perfectione, quatuor esse gradus charitatis, proinde etiam quatuor esse gradus perfectionis. Dicitur enim perfectum id, cui nihil deest in ordine ad aliquem finem. Quare non repugnat, aliquid esse perfectum, et imperfectum, si comparetur ad diversos gradus, seu etiam fines. »

XXXII Hos igitur etiam gradus seu fines ille assignat. Sed quoniam primus ad ullam creaturam, secundus autem ad præsentem hominis vitam non pertinet; eos ego propterea prætermitto, neque ad tertium et quartum recipio. « Tertius gradus est (subdit ergo Bellarminus) diligere Deum, non quantum est diligibilis, nec quantum potest creatura quælibet absolute diligere, sed quantum potest creatura mortalis, quæ a se removit omnia divini amoris impedimenta, et totam se Dei obsequio consecravit. Qui in hoc gradu versantur, imperfecti sunt respectu beatorum, sed perfecti respectu aliorum hominum, etiam justorum et piorum. »

XXXIII. Et rursus: « Quartus gradus est (concludit ille) diligere Deum, non quantum est diligibilis, non quantum potest creatura vel absolute vel in hac vita diligere, sed tamen ita ut nihil æque aut magis quam Deum diligat, id est, nihil admittat contrarium dilectioni. Et hic gradus præceptus est omnibus, et quandam habet perfectionem, licet respectu superiorum sit imperfectus. Unde primæ Joannis secundo dicitur: *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Et tamen Matthæi 19, Dominus ei, qui dicebat se omnia præcepta servasse, ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia*, etc. Loquitur enim Joannes de isto quarto gradu; Dominus autem de tertio. »

XXXIV. His ergo per nos item præmonitis, si nunc quæramus quo sensu Ambrosius opinione Datii asseruerit, perfectionem vitæ, non in castitate, sed charitate consistere, secundum illud apostoli Pauli testimonium, pro charitatis virtute, quin etiam virtutum regina, tam luculentum et palmare, non aliud profecto respondere posset Datius quam locutum esse Ambrosium de vitæ perfectione unicuique homini ad æternam salutem necessaria, et propterea locutum etiam esse de charitate secundum eam tantummodo perfectionem quam Bellarminus proxime in eo quarto gradu collocabat. Certe autem ita prorsus eumdem illum Apostoli locum probati etiam interpretes communi consensu exponunt, nec aliter eum ipsemet etiam exposuit Ambrosius, tam in Commentario (si tamen ipsius revera est, ut superiore numero 21 excipiebam) quam libro quarto, epistola 33, prope finem, ad virginem sacram scribens Demetriadem. Si ergo Ambrosius ex eo Apostoli loco, in eum, quem Datius dicebat, modum argumentatus fuisset, non aliud profecto perfectionis genus in sacris Testamenti Novi ministris necessarium esse supposuisset quam quod in unoquoque laico necessarium esset constat, ut æternam salutem assequatur. Nisi enim hoc ille supponebat, risu profecto et cachinnis dignissimum fuisset tale ipsius argumentum; quippe cui promptissime atque invincibiliter responderi poterat, altioris ordinis quam laicorum esse perfectionem talium ministrorum, eamque, non in sola quidem castitate, sed in charitate simul et castitate consistere, sicut in charitate simul et virginitate citra dubium consistit; et sicut ipsiusmet Datii confessione (non enim hoc negari ab illo potest; si modo constare sibi velit, et Ambrosium sibimet ipsi constantem supponere) post primæ illorum ministrorum uxoris obitum, in charitate simul cum castitate, sive cum abstinentia in posterum ab officii conjugalis usu, consistit. Pro primo igitur illo sacrorum Novi Testamenti ministrorum, matrimonio ratio illa, ex eo Apostoli testimonio desumpta, nihil prorsus valet, nisi eorum perfectio interim supponatur ordinis esse non altioris quam sit perfectio laicis etiam omnibus ad æternam salutem necessaria. Atqui nihil tale, ne interim quidem, supponitur ab Ambrosio, a quo certe supponitur oppositum, sicuti jam vidimus e numero 12 ad multos alios subsequentes. Non igitur credi par est eum ita fuisse argumentatum, sicut ei Datius ascribebat; et hac quidem in parte fatuus, et ineptus, et sibimet ipsi parum constans.

XXXV. Ecquis vero sanæ mentis præterea credat, Ambrosium eo fuisse animo ut talem illam pro sacerdotibus uxoratis auderet pronuntiare legem, quæ

Digitized by Google

sanctorum apostolorum sacrique concilii primi œcumenici Nicæni decretis adversaretur? Ac sacrorum quidem ministrorum cælibatum ab ipsismet apostolis præscriptum fuisse, testimonio nobis esse possunt canones ipsi apostolorum, a Clemente primo papa recitati. Eorum enim vigesimus septimus sic habet: « Innuptis autem, qui ad clerum provecti sunt, præcipimus ut, si voluerint, uxores accipiant; sed lectores cantoresque tantummodo. » Bene autem Bellarminus libro primo De clericis, capite 19, posteaquam hunc canonem recitasset, sic adjecit: « Quod autem de lectoribus et cantoribus dicitur, idem de aliis minoribus ordinibus intelligitur; cum sit omnium eadem ratio. » Quocirca etiam vice versa secundum sanam canonis hujus intelligentiam ministris omnibus innuptis, et ad sacros ordines promotis vetitum erat uxores accipere. Atque huic quidem intelligentiæ quam optime congruit superior eorumdem apostolorum canon sextus, quo sic præcipiebatur: « Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, uxorem suam ne ejiciat religionis prætextu. Sin autem ejecerit, segregetur: et, si perseveret, deponatur. » Hoc enim canone agebatur de episcopis, presbyteris et diaconis qui ante ordinationem duxissent uxores, quique sollicite atque religiose cavere propterea deberent, ne illis in posterum uterentur. Ne igitur prætextu religionis hujus, sive cautelæ, cæteroqui ob legem cælibatus necessariæ, deponerent earum curam, nec eas interim alerent, cæteraque ad victum necessaria suppeditarent, conditus est hic ipse canon ut sapienter viri docti præceperant affirmarunt, quorum multos enumerat etiam Severinus Binius tomo primo Conciliorum a semetipso editorum, sive in suis ad eumdem canonem notis. In eamdem porro sententiam nobis etiam Calixtus astipulatur papa primus, qui Romanam Ecclesiam rexit ab anno Domini supra ducentesimum vigesimo primo, usque ad vigesimum sextum. Is enim apud Gratianum distinctione 27, cap. Presbyteris, ita inquit: « Presbyteris, diaconis, et subdiaconis et monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis, disjungi, *juxta sacrorum canonum definitiones*, judicamus. » Bene siquidem Gregorius de Valentia in libro De cælibatu, capite 3, inter alios theologos sic observat ad hanc locum: « Quo loco, cum Calixtus canones sacros antiquiores se ipse etiam antiquus pontifex ad eam rem citet, argumento id est, hanc legem cælibatus esse apostolicam. » Id ipsum vero satis aperte colligitur etiam e sacrorum conciliorum, ac Romanorum pontificum, et veterum Patrum testimoniis, quæ catholici doctores adversus hæreticos pro eodem cælibatu collegerunt, ac nominatim Bellarminus libro primo De clericis, capite 19. E quibus quidem testimoniis unicum illud in præsenti producere placet, quod est concilii Carthaginensis, ut communius numeratur, secundi, de quo Baronius, ad annum Christi trecentesimum nonagesimum septimum, et Binius, tomo primo Conciliorum, pagina 541, id affirmans celebratum tempore Cœlestini primi papæ (fuit autem ab anno Christi supra quadringentesimum vigesimo tertio usque ad trigesimum secundum) et a Leone papa quarto comprobatum, capite De libellis, distinctione vigesima. Ejus enim concilii verba hæc erant, canone 2: « Omnibus placet ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant, *ut, quod apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* » En igitur pro sacrorum cælibatu ministrorum videmus legem a sanctis apostolis sancitam, itemque antiquitus servatam.

XXXVI. Progressu tamen temporis non defuere qui a veteri et apostolica illa disciplina nonnihil declinaverint, et in Ecclesia nominatim orientali. Quamobrem nonnulla etiam ejusdem Ecclesiæ concilia variis vicissim decretis eamdem disciplinam in usum revocare studuerunt.

XXXVII. Concilium in primis se nobis offert Ancyranum, sive in civitate Ancyra, in provincia Galatiæ congregatum, anno Domini trecentesimo decimo quarto; eique octodecim episcopi, et perinsignes (ut bene Baronius ad eumdem annum, articulo 77 et 78 observavit) interfuerunt; sicut et postea eorum multi concilio Neocæsariensi, plerique autem Nicæno, de quibus conciliis proxime dicemus. Cum igitur Ancyranum illud concilium varios sanxisset canones pro recipiendis ad catholicam communionem iis qui propter Maximini tyranni persecutionem a fide catholica defecerant, tum vero canone nono (aliter decimo) ita decreverunt, ut Baronius ad eum ipsum annum artic. 88, his exprimit verbis: « Lapsis igitur ejusmodi remediis impartitis, de ecclesiastica disciplina incorrupte servanda Patres alias regulas addiderunt; sed illam in primis quæ ad sacros Ecclesiæ ministros magnopere spectare videbatur, nempe ut absque uxore cælibem vitam ducerent, qua quidem lege (ut alias dictum est) non sacerdotes tantum, sed et diaconi obligati erant ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ; illosque solum diacones ab ea eximi voluerunt, qui, cum ordinarentur inviti, fuissent pariter contestati se non posse continentes vivere, ac proinde ducere uxorem velle. Qui enim sic reclamasset et nihilominus ordinatus fuisset, quisquis esset hujusmodi, post sacrum diaconatus ordinem uxorem posse ducere, Patres illi consenserunt, sic statuentes (*canone nono, vel decimo*) Diaconi, quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, et dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt; si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis episcopus licentiam dederit. Quicunque sane tacuerint, et susceperint manus impositionem, professi continentiam, et postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt. » Hactenus ex eo canone Baronius secundum Dionysii Exigui editionem. Tum vero sic etiam subdit: « Additur in secunda editione (quam ipsemet, superiore articulo 81, dixerat incerti esse auctoris) laicam tantum recipientes communionem. » Quibus e verbis idem Baronius id observat: « Nimirum, non cum sacris ministris amplius, sed cum populo extra cancellos communicantes. » Ac demum ita concludit: « Ex his videas, tum in universa Ecclesia catholica, tum in Oriente, quam firmus atque stabilis assertusque ab omnibus esset sacrorum ministrorum cælibatus. Sed de his actum est primo Annalium tomo pluribus. » Ancyrani ergo ejus concilii Patres (ut ego quoque pro meo sensu hic denique concludam) certam supponebant legem, quæ sacris in universum ministris usum matrimonii vetaret, quæque nihilominus ab episcopo relaxari posset in eum, quem ipsi præscripsere modum, ita ut eis non aliter uti matrimonio liceret.

XXXVIII. « Post Ancyranum vero (prosequitur Baronius ad eumdem annum trecentesimum decimum quartum art. 90.) Neocæsariense consilium celebratum est. Quoto tamen anno, nescimus; sed quantum conjectura assequi licet, cum iidem prope omnes episcopi qui interfuerunt concilio Ancyrano subscripti pariter habeantur illi quod Neocæsareæ celebratum est, et inter alios Basilius episcopus Amaseæ, quem diximus in Persecutione Licinii, quæ proxime est subsecuta, martyrem occubuisse et recenseatur, plane necesse est affirmare, haud diu post Ancyranum iterum Neocæsareæ eosdem ferme episcopos convenisse, antequam Licinius Orientalem Ecclesiam persecutione vexare aggrederetur. » Et paucis interpositis: « Neocæsareæ igitur in Ponto, cujus episcopus tunc erat (quod nuper dictum est) Longinus, fama celebris, cum Patres illi sanctissimi conventum agerent, nihil antiquius habuerunt quam sacerdotum vitæ integritati prospicere. Quamobrem de eorum cœlibi vita ducenda in primis hæc statue-

Digitized by Google

runt (*canone primo*) ex præscripto antiqui usus Ecclesiæ : Presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine deponatur; si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrarit; amplius pelli debet, et ad pœnitentiam redigi. Hæc ex Dionysii versione. » Cujus quidem decreti (quoad primam nempe partem) hac ego interpretor fuisse causam, quod nonnulli ex iis diaconis, quibus in concilio Ancyrano permissa fuerat nubendi facultas, hujus facultatis exsecutionem reservarent in illud etiam tempus quo sacerdotium accepissent. Hoc ergo ii Patres tanto indecorum ordini jam suscepto judicarunt, ac proinde talia illorum matrimonia vetuerunt.

XXXIX. His tamen conciliorum provincialium decretis, quibus aliquid e vetere illa et apostolica sacrorum ministrorum disciplina remittebatur, contenti non fuerunt trecenti decem et octo Patres illi qui anno trecentesimo vigesimo quinto Nicæam in Bithynia convenerunt ad sacrosanctam œcumenicam synodum. Quippe ministris ejusmodi non permittentes habitationem cum uxoribus, simul etiam illis omnibus matrimonii celebrationem usumque unanimes negarunt. Synodi profecto illius canon tertius sic ad verbum se habet : « Interdixit per omnia magna synodus non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, *nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugerunt.* » Quidni vero nos item ad hæc verba simul cum Bellarmino libro primo De clericis capite 19, hunc in modum argumentemur? « Nulla uxoris mentio fit; quæ tamen primo loco poni debuit, si cum ea habitare liceret. Item, cur prohibetur clericis cohabitatio mulierum, si uxorati esse possunt? Nonne uxores ancillas habere possunt in eadem domo? » Quidni rursus argumentemur una cum eodem postea capite vigesimo prope finem : « Quomodo cohæret illa narratio de Paphnutio cum canone tertio concilii Nicæni, ubi prohibetur episcopis, presbyteris, diaconis, ne ullam domi mulierem habeant, præter matrem, sororem, amitam. » Hæc ipsa nimirum Bellarminus hoc demum capite opponebat argumento, quod erat hujusmodi : « Argumentum quintum et ultimum Calvini sumitur ex Historia Socratis, libro primo, capite 8, et Sozomeni libro primo, capite 22, ubi dicunt quod, cum Nicænum concilium legem ferre vellet, ne liceret clericis cum uxoribus suis dormire, surrexit Paphnutius confessor, et synodus tota in ejus sententiam ivit, et continentiam ab uxore in arbitrio cujusque reliquit. » Ut igitur Bellarminus hoc argumentum refellat, ante omnia præmittit id quod ambo nihilominus ii scriptores Græci ultro concedebant. « Nam uterque auctor (verba sunt ipsius Bellarmini) in eodem loco testantur, Paphnutium adjecisse, bonum sibi videri ut, secundum antiquos canones, prohibeatur clericis ne post ordinationem ullo modo uxores ducant, sed solum permittantur uti illis quas ante ordinationem acceperunt. » Subinde vero multis et magni momenti argumentis eosdem illos auctores ostendit non esse fide dignos in hac narratione, quam cæteroqui, ut vidimus, contendit eodem illo tertio Nicæni concilii canone refelli. Talem vero illorum narrationem iisdem ferme argumentis egregie confutarunt etiam Gregorius de Valentia in libro De cælibatu, capite 6, in responsione, videlicet ad decimum tertium argumentum, et Baronius tomo tertio Annalium, ad annum trecentesimum vigesimum quintum, articulo 148 et sequentibus; sed hic in eo quidem præterea singularis, quod articulo 151 suam tertii ejus canonis Nicæni expositionem confirmavit sancti Basilii Magni testimonio, ex ipsius epistola 17 ad Paregorium carptim deprompto, et ita sane ad præsens institutum, per alias etiam sui partes, a Baronio prætermissas, accommodato pariter ac opportuno ut eam ego integram hoc recitare loco statuerim. Ea vero, secundum Parisiensem anni 1603 editionem, pagina 1040, sic ad verbum se habet : « Paregorio presbytero Basilius. Legi litteras tuas magna cum animi lenitate, admiratusque sum quomodo coneris rebus incurabilibus longis mederi sermonibus, cum, breviter nobis et facile re ipsa satisfacere valens in illis de quibus accusaris, permanere constitueris. *Nec primi, nec soli (Paregori) sancivimus non debere mulierculas cohabitare viris. Lege canonem, a sanctis Patribus nostris in Nicæna synodo constitutum, qui manifeste interdixit ne quis mulierculam subintroductam habeat; cælibatus autem honestatem suam in eo habet, si quis a nexu mulieris secesserit.* Itaque, si quis cælibatum nomine tenus professus, re ipsa faciat ea quæ a conjugatis fiunt, manifestum est quod virginitatis honestatem nuncupatione quidem illius præstet, verum interea ab inconvenienti voluptate non desistat. Tanto facilius admonitioni nostræ acquiescere poteras, quanto magis liberum esse te a corporalibus affectionibus affirmas. Neque enim credo virum, septuaginta annos natum, cum ejusmodi affectionibus cohabitare mulierculæ, neque propterea ista determinavi, quod aliquid absurdi designaveris; sed quod ab Apostolo edocti sumus non esse fratri ponendum offendiculum vel scandalum. Scimus autem usuvenire ut, quod a nonnullis recte geritur, aliis in occasionem peccati cedat. Ob hanc causam. *Constitutionem sanctorum Patrum secuti*, præcepimus ut a muliercula separeris. Ut quid igitur chorepiscopum accusas, et veteris inimicitiæ mentionem facis? Imo quid nos quoque, quasi aures habeamus delationibus admittendis proclives? Et non magis te ipsum reprehendis, quod a consuetudine mulierculæ abstinere detractas? *Ejice igitur illam ex ædibus tuis, et trade in monasterium. Sit illa cum virginibus, et tu inter viros ministra, ne nomen Dei propter vos blasphemetur.* Donec ista feceris, etiam si innumera per epistolas causeris, nihil efficies; sed otiosus (id est, sine functione presbyterii, sicut ibi est in ora marginali adnotatum) morieris, dabisque Domino otii tui rationem. Si vero sine correctione tui ipsius ausus fueris sacerdotii retinere functionem anathema eris omni plebi, et, si qui te receperint, per omnem Ecclesiam excommunicabuntur. » Hucusque Basilius ille, doctrina pariter ac sanctitate vere Magnus, et antistitis nostri Ambrosii perquam familiaris, et anno Christi trecentesimo septuagesimo octavo, ut bene computat Baronius, ex hac mortali ad immortalem ac beatam vitam Kalendis Januarii sublatus. Quocirca nulli dubium esse jam debet, quin revera concilium Nicænum tertio illo canone usum conjugii sacris illis ministris in omne postea tempus vetuerit, necnon etiam deinceps eadem lex communiter usu recepta sit et id quidem convenienter ad obedientiam et fidem, tam sancto tantæque auctoritatis concilio justissime debitam.

XL. Quam sanctum vero, quantæque auctoritatis illud esset, vel ex eo sane colligi potest, quod Theodoretus libro primo Historiæ, capite 7, narrabat, episcopos describens illos qui eidem concilio interfuerunt, et his quidem verbis : « Fuit autem numerus episcoporum congregatorum decem et octo supra trecentos. Romanus episcopus, senio confectus, ipse non adfuit; misit tamen presbyteros duos, qui compositioni interessent. Multi tum apostolicis donis excellebant; multi ferebant in corpore suo, juxta divum Paulum, insignes notas Domini Jesu. Ex horum numero constabat Jacobum, episcopum Antiochiæ in Mygdonia, quam vocant Syri et Assyrii Nisibin, mortuos suscitasse, et vitæ restituisse, aliaque fecisse innumerabilia miracula; quibus in Historia, quæ Philotheos inscribitur, separatim expositis, non putavi hac in narratione locum futurum. At Paulus episcopus Neocæsariæ (castellum hoc est in ipsa Euphratæ) rabiem Licinii senserat; debilitatas enim gerebat manus ambas, contractas candente ferro, et correptis enectisque articulorum

Digitized by Google

mobilibus nervis. Aliis oculi dexteri effossi erant, aliis dextera enervata brachia ; in quibus et Paphnutius Ægyptius conspiciebatur. Et, ut brevi absolvam, cernere illo in conventu erat populum quemdam Christi testium. » Hactenus Theodoreti verba. Paphnutius ille porro (ut cæteros tacitus præteream) non alius erat quam qui paulo ante a Socrate ac Sozomeno memorabatur, et cujus item mentio habetur in sancti abbatis Antonii Vita per sanctum Athanasium conscripta, nec non etiam in Martyrologio Romano, et in adjectis Baronii notationibus ad undecimam Septembris diem. De quo præterea Ruffinus Aquileiensis, libro primo, capite 4, ita scriptum reliquit : « Quem Constantinus (videlicet imperator) in tanta veneratione et affectu habuit ut sæpius eum, intra palatium evocatum, complecteretur, et oculum illum, qui in confessione fide evulsus fuerat, avidioribus osculis demulceret. » Atque quidem intelligamus par est, ab hoc Paphnutio (quem cum Baronio et aliis supponimus Thebaidis superioris episcopum fuisse) omnino diversum esse Jerosolymitanum illum episcopum, cujus item oculum pro catholica fide a persecutoribus erutum, Constantinus sæpe osculabatur, ut superiori capite 59, numero 2, sanctus nobis affirmabat Gregorius papa septimus. Quod si forte Nicæno concilio hic etiam episcopus interfuit, non alius profecto nomine fuit quam Macarius. Inter eos enim provinciæ Palestinæ episcopos, qui eidem interfuerunt concilio, primus subscripsit *Macarius Jerosolymitanus*. Tali autem pro Macario conjecturæ non mediocriter hæc etiam suffragantur; quod Ecclesiam ille Jerosolymitanam, *vir dignus beatitudine nominis sui, et multiplicibus bonis ornatus* (quo elogio a Theodoreto commendatur libro primo ecclesiasticæ Historiæ capite 3), rexit ab anno supra trecentesimum duodecimo usque ad trigesimum primum, quod etiam interim « ejus hortatu loca sancta a Constantino (cui Crucis Signum eodem illo anno duodecimo primum e cœlo apparuerat) et Helena expurgata, et sacris basilicis illustrata sunt, » ut in Martyrologio Romano habetur, die Martii decima, quod præterea « semper Ario ab exordio nascentis ejus hæresis acerrime restitit, » ut in notationibus ad eumdem diem bene probat Baronius; quodque tandem jure merito credi possit non minus iis etiam restitisse persecutoribus, a quibus fideles per varia il a supplicia tentati, et ad defectionem sollicitati proxime fuerant. Sed hinc ad Nicæni concilii auctoritatem revertamur.

XLI. Illud autem pro certo et indubitato supponimus fuisse generalium conciliorum primum et a Romano pontifice approbatum, ut Bellarminus accurate docuit, libro primo De conciliis, capite 5. Quocirca simul etiam, tanquam e fide catholica certissimi, supponimus errare non potuisse, nec in fide nec in moribus, ut in universum pro omnibus ejusmodi conciliis egregie idem disseruit Bellarminus libro secundo De conciliorum Auctoritate, capite 2, multisque aliis subsequentibus. Sed et singularia nobis non desunt pro eodem illo concilio testimonia; et hæc quidem præ cæteris : sanctus Athanasius in epistola ad Epictetum (quam recitat etiam sanctus Epiphanius hæresi 77) miratur, quomodo aliqui audeant quæstionem movere de rebus in eo concilio definitis, cum non possint ejusmodi conciliorum decreta mutari, nisi errando. « Qua igitur (inquit) audacia fit ut post tanti concilii auctoritatem disceptationes aut quæstiones instituant? Quod si ex genere Arianorum sunt, nihil mirum si, quæ contra ipsos promulgata et scripta sunt, calumniis oppugnent, etc. Sin ex eorum numero sunt qui, cum Orthodoxorum speciem habeant et amplecti videantur quæ a Patribus sunt edita, disputando tamen ea subvertere moliantur; nihil aliud faciunt quam proximum portant subversione luculenta, verborum pugnis digladiantes, non ad alicujus utilitatem, sed ad ruinam hominum simpliciorum. » Idemque Athanasius in epistola ad episcopos Africæ illud ipsum concilium testatur anathema iis denuntiasse omnibus, qui contraria suæ ipsorum confessioni sentirent. « Huic certe concilio (addit ille) universus orbis assensum præbuit; et quanquam multæ habitæ sunt synodi, hujus tamen omnes sunt memores, tum per Dalmatiam, Dardaniam, aliasque insulas, Siciliam, et Cyprum tum per Isauriam, Pamphiliam, Lyciam, et universam Ægyptum et Lybias et plerique in Arabia hanc agnoverunt et admirati sunt, et subscriptione approbarunt, adeo ut, si quis restet ex Ariana radice progerminante amaritiem (loquimur autem de Ursatio, Valente, cæterisque qui idem sentiunt) per ista ipsa scripta abscissi rejectique comperiantur. Sufficiunt igitur ea, quæ Nicææ confessa fuere satisque per se virium habent, quemadmodum superius diximus, tum ad subversionem impii dogmatis, tum ad tutelam utilitatemque ecclesiasticæ doctrinæ. » Et paulo post : « Verbum illud Domini per œcumenicam Nicææ synodum in æternum manet. » Nonne vero ipsemet etiam Constantinus imperator apud Eusebium libro III, de ipsius Vita, epistolam scribens ad Ecclesias, ejusdem concilii decreta dissertissime appellabat « cœlestia mandata? » In eamdem porro sententiam sanctus etiam Gregorius Nazianzenus oratione in Athanasium affirmare non dubitavit, « ad concilium generale Nicænum episcopos a Spiritu sancto congregatos esse. » Sanctus etiam Cyrillus, libro I De Trinitate, decretum ejusdem concilii appellavit « divinum et sanctissimum oraculum. » Quocirca sanctus etiam Basilius, epistola 78, docebat, suspectis de fide proponenda esse Nicæni concilii decreta; inde siquidem appariturum hæretici ne illi sint, an catholici. Sin autem aliquos etiam huc addere velimus ætate Ambrosii posteriores sanctus profecto pontifex Leo primus, in epistola 78, ad Leonem Augustum præcise asseruit non posse in Catholicorum numero computari eos qui Nicæno concilio resisterent et in epistola 53 ad Anatholium, et 54 ad Martianum imperatorem, Nicæni concilii canones per sanctum Spiritum esse ordinatos. Sic etiam sanctus Gregorius Magnus, libro primo, epistola 24 eo usque processit ut scriberet : « *Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* sicut, sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor; Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur, Chalcedonense vero, in quo Eutychis Dioscoriique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ, atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. » Hinc itaque Bellarminus libro primo De Clericis, capite 1, cum ejusdem concilii testimonium producturus esset præfatus ei sic fuit : « Prodeat igitur, non ex hominibus singulis, sed ex cœtibus hominum, concilium primum Nicænum, œcumenicum, vetustissimum, frequentissimum, celeberrimum, cujusque auctoritas tanta semper apud omnes veteres fuit ut ab Eusebio, libro I, De baptismo, capite 18, orbis terræ concilium appelletur ab Athanasio in epistola ad episcopos Africæ, et Leone, epistola 53, ad Anatolium cum oraculis Spiritus sancti; a Gregorio vero, libro primo, epistola 24, cum ipso Evangelio conferatur. » Cum igitur tantæ foret auctoritatis hoc concilium, cumque sacris illis ministris usum conjugii vetuerit credibile profecto non est Ambrosium illis eumdem permittere usum voluisse, reque ipsa permisisse.

XLII. Non ego tamen propterea nego defuisse interim aliquos, qui eumdem nihilominus matrimoniorum usum sibi usurpa erint; sed sicut eum sibi

Digitized by Google

usurpa'ant contraquam sacrosancta illa œcumenica synodus statuisset; sic eum nego, iterumque nego, illis, vel ejusdem generis aliis permissum ab Ambrosio fuisse. Tales utique ministros Ambrosius absque dubio damnabat, superiore numero 15, neque minus damnasset eos, quos sanctus Epiphanius descripsit imo vero damnavit hæresi 59, quæ est Catharorum. Etenim secundum Parisiensem atque Græco-Latinam anni 1622 editionem, studio et opera Dionysii Petavii emendatam, Epiphanius illic inter cætera sic inquit : « Si quis post baptismum secundam uxorem duxerit; ab illis non amplius admittitur. Quod quidem plane stolidum est. » Et paulo post : « Siquidem, quæ sacerdotio propter singularem functionis illius dignitatem præcipue tributa sunt, ea ad omnes communiter pertinere judicant. Illud quidem audierunt episcopum irreprehensibilem esse oportere, unius uxoris virum, similiter et diaconum, et presbyterum. Ita enim profecto se res habet, ut, post Christi in orbem terrarum adventum, eos omnes, qui secundum priores nuptias mortua uxore alteris sese nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina rejiciat, propterea quod incredibilis est sacerdotii honor ac dignitas. Atque istud ipsum sacrosancta Dei Ecclesia cum omni provisione diligentiaque servat. Quin eum insuper qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit; sed cum duntaxat qui ab unius uxo is consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus. *Quod in dictis loeis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur.* At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo *non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam*, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere solet ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet qui ad eas se functiones applicent, non facile reperiuntur. Quod ad ipsam quidem Ecclesiam attinet ea, utpote a sancto Spiritu bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum instituit, ut quæ divino numini ministeria præstantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur, utque spiritalia omnia officia quam optima lætissimaque conscientia gerantur. Hoc igitur dico, propter subitas functiones atque officia convenire, ut presbyter, ac diaconus, et episcopus Deo penitus vacet. Nam si illis etiam qui e populo sunt, idipsum Apostolus præcipit, ut (inquit) ad tempus vacent orationi, quanto id magis sacerdot ipræscribit? Nimirum nullis ut impedimentis avocetur, quod in spiritualibus secundum Deum negotiis, in ipso usu sacerdotii administrationeque feriebur. » Hucusque sanctus Epiphanius; et hic quidem sancto Ambrosio contemporaneus, ut e Baronii Annalibus intelligi datur, Ambrosius enim Ecclesiam Mediolanensem rexit ab anno supra trecentesimum septuagesimo quarto usque ad nonagesimum septimum. Epiphanius autem ab anno sæculi ejusdem septuagesimo usque ad quadringentesimum circiter secundum Ecclesiam rexit Constantiæ, sive Salaminæ, urbis in Cypro primariæ. Quin etiam hic ipse nobis eo etiam præcipue memorandus est titulo, quod anno trecentesimo octogesimo secundo (sive posteriore, quam celebratum fuisset concilium illud Constantinopolitanum, in quo Ambrosius a Datio dicebatur in favorem uxoratorum sacerdotum judicasse) quod eo, inquam, anno citra dubium interfuit concilio Romano, sub Damaso papa celebrato, cui pariter Ambrosius citra omnem controversiam interfuit, et cujus mentionem nobis faciebat Bellarminus, superiori numero 27. Quo quidem in concilio Romano (ut bene Baronius ad eum annum animadvertit) prohibitum est etiam ex præscripto Nicæni canonis ne ante horam tertiam diebus festis missæ canerentur; aliis vero diebus a media hora quarta usque ad nonam facere liceret, ut hinc etiam intelligamus, quantopere alienus ab eo fuerit Ambrosius, ut pro clericis conjugatis aliquam conderet legem Nicæno canoni adversantem.

XLIII. Quod si quis fortasse adhuc hæret hac de re dubius Ambrosium ipsum audiat, ac dubitare jam tandem erubescat. In Proemio quidem libri primi De fide sic ille ad Gratianum Augustum scribebat : « Petis a me fidei libellum sancte imperator, profecturus ad prælium. Nosti enim fide magis imperatoris quam virtute militum quæri solere victoriam. Nam et Abraham trecentos decem et octo duxit ad bellum (*Genesis* XIV) et ex innumeris trophæa hostibus reportavit. Signoque Dominicæ crucis et nominis, quinque regum victricium que turmarum subacto robore, et vultus est proximum, et fratris filium meruit et triumphum. » Et paulo post, concilium indicans Nicænum : « De conciliis id potissimum sequar quod trecenti decem et octo sacerdotes, tanquam Abrahæ electi judicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subactis perfidis extulerunt, ut mihi videatur hoc esse divinum quod eodem numero in conciliis fidei habeatur oraculum quo in Historia pietatis exemplum » Et eodem postea libro, capite nono : « Accepisti, sancte imperator, eos, qui talia asserunt (Ariana nempe pronuntiata, qualia proxime recensuerat) jure damnatos, non humana industria, non compositione aliqua, sed recenti decem et octo, ut supra dixi, episcopi ad concilium convenerunt. Sed ut in numero eorum per signum suæ passionis et nominis Dominus Jesus suo probaret se adesse concilio, crux in trecentis, Jesu nomen in decem et octo est sacerdotibus. » Præterea vero etiam in libro De Incarnationis Dominicæ mysterio, capite 7 : « Non enim quod ejusdem substantiæ est, unus, sed unum est. Nam utique Filium ejusdem cum Patre substantiæ confitentes *in Tractatu concilii Nicæni*, non unam personam, sed unam divinitatem in Patre et Filio crediderunt. » In enarratione pariter De Paschalis celebritatis ratione sic incipit : « Non mediocris esse sapientiæ, diem celebritatis definire Paschalis, et Scriptura divina nos instruit, et traditio majorum qui convenientes ad synodum Nicænam, inter illa fidei ut vera ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum collegere rationem, et quasi quemdam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneacædecaterida nuncuparunt, » etc. Et aliquanto post : « Nec absurdum arbitror ut inde observandi mensis trahamus exemplum, ubi primum Pascha celebratum est. Unde et majores nostri in *Tractatu concilii Nicæni* eumdem Enneacædecateridem, si quis diligenter intendat, statuendum putarunt, et ipsum mensem Novorum recte custodierunt, quia in Ægypto hoc primo mense nova secantur frumenta. » Sed et libro secundo, epistola 13 ad Valentianum Augustum : « Cum iis plane bene convenit Ariano, qui creaturam Christum dicit, quod etiam gentiles ac Judæi promptissime confitentur. Hoc scriptum est in Ariminensi synodo, meritoque concilium illud exhorreo, *sequens tractatum concilii Nicæni, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Quam fidem etiam parens clementiæ tuæ Theodosius beatissimus imperator et sequitur et probavit. Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hispaniæ et cum pia divini Spiritus confessione custodiunt. » Talibus autem Ambrosii de concilio Nicæno pronuntiatis illud etiam commemora quod a nobis recitatum jam est superiore numero 18, ac tum planissime constabit quanta ille reverentia prosecutus fuerit, quamque fideliter et religiose servare semper voluerit Nicæni concilii Tractatum, sive decreta ejus omnia, tam quæ ad catholicam fidem, quam quæ ad ecclesiasticam di-

Digitized by Google

sciplinam pertinerent; ad quam utique disciplinam pertinebat canon ille, quo sacris illis ministris vetitum fuisse conjugii usum abunde jam probavimus.

XLIV. Attende nunc, quam idoneis et ad intelligentiam commodis Datius verbis expresserit eam legem, quam somniabat a sancto esse Ambrosio pro sacerdotibus uxoratis pronuntiatam. Ejus utique verba hæc erant : « Ideo lex concedit sacerdotes semel virginem uxorem ducere, sed conjugium non iterare. Si autem, mortua prima uxore, sacerdos aliam duxerit, sacerdotium amittit. » Hæc igitur ut ad purum et sincerum intelligantur, hunc ego in modum disseruerim. Quemadmodum aliud est filios in sacerdotio facere, aliud habere, ut bene Ambrosius etiam nobis, numero 18, in apostoli Pauli Epistola observabat; sic etiam sine dubio aliud est uxorem in sacerdotio ducere, aliud habere. Hanc enim sacerdos habere potest ductam prius quam sacerdotio initiaretur, ac præterea sic habere ut vel ea interim utatur, vel in perpetuum non utatur. Quocirca etiam Græci (ut explicatum jam est, numero 24) secundum Trullanam synodum permittebantur uxorem in usus etiam conjugales habere quidem, si eam, non post, sed ante subdiaconatus ordinem duxissent eademque consuetudo similiter a clero Mediolanensi demum servabatur Arialdi tempore, ut hoc ipso libro quarto jam vidimus capite 3. Nunc igitur ego quæro quinam esset genuinus ac legitimus ejus legis sensus. Ex una enim parte videtur ea sacerdotibus concessisse, ut post sacerdotium etiam susceptum ducere possent uxorem. Sicut enim ea ipsa lege conjugium iterare alteramque post obitum primæ ducere vetabatur sacerdotibus qui sacerdotio jam fungerentur, quique propterea contrafacientes deberent amittere sacerdotium, non utique cæteroqui acquirendum postea, sed prius acquisitum, ita etiam vice versa sacerdotibus ad sacerdotium jam promotis concessum videbatur ut semel uxorem ducere virginem possent. Quod si sacerdotibus hoc ita concedebatur, quidni multo magis concedebatur diaconis et subdiaconis? En igitur ut Ambrosius sacris illis ministris facultatem concessisset longe diversam, longeque ampliorem illa quam ipsi postea usitarunt. Quod tamen quis credat? Sin autem Datio potius placet, ut credamus, ea lege sacerdotibus ab Ambrosio concessum fuisse ut uxorem ducere solummodo possent ante subdiaconatum, et eo prorsus ordine quem denique novimus servatum a Græcis post Trullanam synodum, et a nostris Mediolanensibus Arialdi tempore, negari profecto non potest quin ea lex, talibus concepta verbis, parum admodum congruat ad hujusmodi sensum, et hanc etiam ob causam censenda videatur doctissimo Ambrosio indigna.

XLV. Et hactenus quidem satis a nobis examinatum singillatim sit primarium illud Datii testimonium. Ad illud porro Laudulphi Senioris, quod secundo loco sequebatur, sive ad illius potiorem partem, jam respondimus numero 11. Nunc libenter ab ipso percunctaremur quænam fuerit ista synodus, quam ipse innuebat. Si enim Constantinopolitanam responderet fuisse illam quam Datius expresse nominabat; ergo, sicut Datius, ita etiam ipse pariter in hoc jam convictus erroris tenetur. Si diversam fuisse; nonne Datium ipse in hoc errasse fateretur, ipseque nobis primus ostenderet quam parvi facienda sit ejus auctoritas et historica fides? Nonne pariter diversæ synodi prætextus iisdem ferme omnibus refelleretur argumentis, quibus Constantinopolitanæ illius synodi prætextus refellebatur?

XLVI. Sensus humanos ad peccandum esse pronos, et præsertim propter incontinentiam; et itemque virginitatem atque castitatem non aliunde quam a Deo haberi posse; absit a me ut hæc negem Ambrosio quam optime cognita et comperta fuisse. Atqui ne hoc quidem tantus Ecclesiæ catholicæ doctor ignorare poterat quod ejusdem Ecclesiæ Patres ac sacri theologi passim et communi consensu docent, hoc est, continentiam esse quidem peculiare Dei donum; sed eam nihilominus in hominis arbitrio et potestate positam esse, si tamen ipse remediis ad eam necessariis, ac divinitus institutis, et ad usus nostros paratis uti velit. Qua de re præ cæteris ævi nostri theologis ego suaserim ut cardinalis consulatur Bellarminus libro primo De clericis, capite 21, in responsione ad quartum adversariorum argumentum, et aliquanto copiosius, libro secundo De monachis, capite 31, ubi etiam inter alia multa Patrum testimonia, quibus probatur cælibatum esse in potestate nostra, divinæ gratiæ auxilio innixa, videre licet Ambrosii quoque antistitis nostri testimonium, et his verbis comprehensum : « Ambrosius, libro III De virginibus, Dominus (inquit) qui sciret, prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis, non omnes (inquit) capiunt verbo istud. Et libro De viduis : Sunt (inquit) spadones qui se castraverunt propter regnum cœlorum; sed hoc non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur. » Et infra : « Scit Creator omnium, affectus esse varios singulorum, et ideo præmiis virtutem provocavit, non infirmitatem vinculis alligavit. » Hactenus Ambrosii verba. Quibus illico Bellarminus ita subdit : « Hæc ille : Ubi vides continentiam omnibus prædicari, ab omnibus flagitari, nimirum, si ipsi velint præmia ejus consequi. »

XLVII. Cæterum in eo quoque Landulphus ille Senior errabat quod, Græcorum explicans nubendi consuetudinem, his eam verbis describit : « Itaque Græci sacerdotes, Ambrosianam tenentes sententiam, usque hodie sanctum et pro lege habent ut, quamvis in sacerdotio ungantur, aut virginitatem extrade promittant, aut uxores in testimonio bonorum virorum sibi socient. » In hoc, inquam, ille citra dubium errabat, et ipsismet Trullanæ synodi canonibus, a Bellarmino fidelissime propositis (ut a nobis recitatum jam est numero 24) apertissime refellitur. Non enim ea tunc peragebant (sicut ne hodierna quidem peragunt die) Græci, quando in sacerdotio ungebantur, sed antequam subdiaconatu initiarentur.

XLVIII. Sed ne in eo quidem immunis ab errore videtur Landulphus, quod omnes in universum sacerdotes monogamos existimaverit non vivere sub castitate, sed uxores ita secum deinceps habere, ut iis etiam uterentur; quod tamen falsum est. Etenim secundum sacros canones, et secundum catholicam et sancti Ambrosii doctrinam, in superioribus explicatam, hoc illis vetabatur.

XLIX. Ad Gualvanei Flammæ attestationem, numero 5, recitatam, nunc revertimur, et propria pariter ipsius errata commonstramus. In eo autem primum erravit, quod ea sancti Pauli ad Timotheum et ad Titum monita male interpretatus est contra perpetuam et communem illam Ecclesiæ catholicæ sententiam, quam nos una cum Bellarmino indicabamus, numero 23, cum alioqui certissima sit ea quoque Tertulliani regula, libro De præscriptionibus adversus hæreticos, capite 17, consignata : « Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus. » Inde igitur Gualvaneus corrupte ac depravate, quin etiam contra canones illos apostolicos, quos numero 35 indicabamus, judicavit, jam inde ab initiis Ecclesiæ christianæ licuisse diaconis, sacerdotibus, et episcopis habere uxores; quibus utique interea uterentur. Hic enim absque dubio erat Gualvanei sensus.

L. Quod item ille a Zacharia, sancti Joannis Baptistæ genitore, ac Veteris Testamenti sacerdote, argumentabatur ad Novi Testamenti sacerdotes; in hoc itidem absque dubio errabat; et in hoc ab ipsomet etiam sancto Ambrosio refellitur, ut jam vidimus numero 15, 29 et 23.

LI. Utrum vero Eribertus ille archiepiscopus (a me solutus appellari potius Aribertus) eam revera

Digitized by Google

uxorem habuerit, quam Gualvaneus dicebat, nec hoc quidem mihi verum aut verisimile videri potest. Aribertus nimirum ille ad Ecclesiæ Mediolanensis regimen evectus est anno Domini supra millesimum decimo nono, et in eo perseveravit usque ad annum postea quadragesimum sextum, sicut ego in Ambrosianæ basilicæ ac monasterii monumentis commemini, numero 213 et 246. Eodem vero illius tempore vivebant etiam Rerum Mediolanensium scriptores, Arnulphus et Landulphus Senior, sæpissime hactenus a nobis in testimonium producti. Ejusdem igitur archiepiscopi gesta luculenter ambo et copiose suis Historiis consignarunt, neque tamen uxoris illius, quam præsul ille tunc haberet, mentionem fecerunt ullam; quam tamen cætero qui facere debuissent, ut appareret quanti etiam præsulis exemplum sequerentur uxorati per ea tempora sacerdotes, quibus illi unice favebant, ut sæpe jam diximus. De illo autem Sancti Dionysii monasterio Arnulphus libro secundo, capite undecimo, hæc tantum : *Sepultus est autem* (Aribertus) *ad Sanctum Dionysium, ubi elegans fundaverat ipse monasterium.* Landulphus autem Historiarum suarum libro secundo, postea quam per multa capita de gestis ejus archiepiscopi scripsisse, sic etiam tradidit capite 52 : « Migravit enim beatus (tanti eum hic auctor faciebat) Heribertus ad Dominum decimo septimo Kalendas Februarii, millesimo quadragesimo quinto, et sepultus est ad Sanctum Dionysium; cujus Monasterium et ecclesiam ipse ad Dei honorem et beati Dionysii exaltans magnificavit, et multis prædiis multisque honoribus eam ditando et honorando sublimavit. » Multa vero etiam ego ipse legi, quin etiam exscripsi, publica et authentica ejusdem monasterii documenta, quibus a prima ejus institutione (quam vigesimo tertio supra millesimum anno Christi adjudicabam in Ambrosianæ basilicæ ac monasterii monumentis, numero 228) usque ad annum 1164, suis expressa vocabulis singillatim enumerantur omnia ejus bona immobilia, neque tamen iis connumeratam unquam vidi tam singularem illam vineam, proprio Useriæ nomine appellatam, quæ monasterio eidem contigua fuisse supponitur, quæque propterea etiam eo magis connumeranda videbatur, si jam tum fuisset in ejus potestate. Nondum igitur donata illi fuerat hæc vinea, proindeque ne donata quidem illi fuit a muliere quæ archiepiscopi ejus Ariberti uxor esset. Ejusmodi vero documenta mihi, de fide mea sibi jamdudum comperta certissimus, anno 1642, ex ejus abbatiæ archivo commodavit eminentissimi cardinalis Antonii Barberini abbatis commendatarii tunc procurator, Bernardus Bellonus, Ambrosianæ basilicæ canonicus, cujus mentionem faciebam in ejusdem basilicæ Ambrosianæ monumentis, numero 289, et rursus in dissertatione feci Nazariana, capite 107, numero 12. Ac tria quidem prima generis hujus documenta ego ad verbum recitabo capite subsequenti : reliqua vero sunt hujusmodi. Quartum nempe est Oberti archiepiscopi nostri privilegium, eidem monasterio concessum « anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo sexto, mense Octobris, indictione decima. » Quintum est privilegium eidem pariter monasterio ab Eugenio papa concessum, ac « datum Vercellis per manum Guidonis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, quinto nonas Martii, indictione decima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo sexto, pontificatus vero domni Eugenii tertii papæ anno tertio. » Sextum est Adriani papæ privilegium, « Datum Laterani per manum Alberti, Sancti Adriani diaconi cardinalis, vicem domni Rolandi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii gerentis, quarto Idus Novembris, indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo, pontificatus vero domni Adriani papæ quarti anno tertio. » Septimum est Friderici imperatoris Ænobarbi privilegium, ita denique subscriptum : « Ego Fridericus, Coloniensis archiepiscopus, et Italici regni archicancellarius, recognovi, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo octavo, indictione septima, regnante domno Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus septimo, imperii vero quarto, feliciter. Amen. Datum in Runcalia decimoquinto Kalendas Decembris. » Octavum et postremum est Alexandri papæ privilegium, datum Senonis per manum Hermanni, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, secundo nonas Novembris, indictione decimatertia, incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo sexagesimo quarto, pontificatus vero domni Alexandri papæ tertii anno sexto. » Qui cæteroqui tempore (horretque animus meminisse) nobilissima civitas hæc nostra, miserandum in modum ab ipsomet imperatore Friderico Ænobarbo diruta, suisque civibus abire coactis spoliata, secundum jam annum jacebat. In his igitur omnibus et singulis privilegiis, eidem monasterio concessis, omnia singillatim enumerantur ejus prædia et bona immobilia; quin etiam in quarto, quinto, sexto, et octavo nominatim exprimitur « Decima terrarum, quæ sunt juxta ipsum monasterium; » neque tamen unquam nominata vel aliquatenus aliter indicata conspicitur vinea illa, Useriæ nomine insignis. Quocirca ne ad illud quidem usque tempus ea videtur in ejus potestate monasterii fuisse, atque adeo ne donata quidem ab Useria, quæ Ariberti esset archiepiscopi uxor. Illud etiam his accedit quod neque sanctus Arialdus neque alius quispiam ex ejus fautoribus usquam legitur inter innumeras de sacerdotum conjugiis querimonias aliquid unquam innuisse de matrimonio, quo aliquis ex archiepiscopis nostris aliquando illigatus fuisset. Attendantur vero etiam corruptelæ, quas e Mediolanensi Ecclesia tollere studerent legati apostolici, huc missi, ac nominatim Petrus Damiani cardinalis, et Anselmus episcopus Lucensis, de quibus præsertim dictum est præsentis libri Quarti capite decimo. Eæ profecto non aliæ invenientur esse, quam Simonia (cujus et archiepiscopus et clerus erat reus) quamque ministrorum archiepiscopo inferiorum incontinentia. Quamobrem archiepiscopus etiam ipse Guido eodem illo capite 10 sic etiam promittebat numero 24 : « Nicolaitarum quoque hæresim nihilo minus condemnamus; et non modo presbyteros, sed et diaconos, et subdiaconos ab uxorum vel concubinarum fœdo consortio nostri studiis, in quantum possibilitas nobis fuerit, sub eodem, quo supra, testimonio arcendos esse promittimus. » Denique vero dicamus etiam de sacris Ecclesiæ Mediolanensis ministris, qui per hæc tempora uxores haberent, non aliter sentiendum videri quam secundum eas generis hujus leges, quæ per eadem pariter tempora in usu communiter apud Græcos essent, apud quos tamen sancitum erat, et inviolabiliter servabatur, ut episcopi non haberent uxores quibus utique cohabitarent; quemadmodum apertissime testatum jam vidimus numero 24, quibus etiam ea consentiunt quæ videbimus infra numero 64. Propter hæc igitur præsertim argumenta ego sane adduci non possum, ut Gualvaneo (qui post ducentos quinquaginta et amplius ab Ariberti obitu annos floruit) credam, quod sine ullo auctore affirmabat, archiepiscopum illum nostrum habuisse uxorem illam; qua scilicet interim uti possit ita, quemadmodum tunc temporis factitabant inferiores hujus Ecclesiæ ministri.

LII. Sed agamus liberaliter cum Gualvaneo et illi hoc ipsum etiam credamus. Nunquid ergo propterea credendus etiam erit Aribertus uxorem vere habuisse, quia sanctus Ambrosius nubendi facultatem ipsi concesserit, et in hunc præcipue finem suis etiam successoribus benedixerit ? Aribertus profecto per eadem tempora Simoniam quoque exercebat (ut ex

Digitized by Google

iis etiam colligi potest quæ superiore capite 10, num, 30, recitavimus), neque tamen ejus exercendæ facultatem a sancto Ambrosio acceperat. Quidni ergo similiter a nobis credatur ne nubendi quidem facultatem ab ipso accepisse sicut ne ab ipso quidem reliquus acceperat clerus ut nos hactenus contendimus? In hac enim corruptela clerum potius videtur imitatus Græcum, Constantinopolitanæ illi synodo erraticæ applaudentem : fortasse vero etiam majores in ipsa et liberiores progressus fecit, ea fretus lege quæ libro septimo Capitulorum Caroli Magni et Ludovici Pii imperatorum, capitulo 353, quod est De regulis clericorum, pagina 1116, continetur, et his expressa verbis : « Clerici castimoniam quoque inviolati corporis perpetuo conservare studeant, aut certe unius matrimonii vinculo fœderentur. » Septem vero ii libri hunc in modum sunt inscripti : « Karoli Magni et Ludovici Pii, christianissimorum regum et imperatorum, Capitula, sive Leges ecclesiasticæ, et civiles, ab Ansegiso abbate et Benedicto levita collectæ, libri septem. » Sic etiam iidem codice continentur Legum antiquarum, Francofurti edito apud Johannem et Andream Marinos et consortes, anno 1613. Certe autem imperatoris etiam Ludovici tempore (quod fuit ab anno Christi octingentesimo decimo quarto usque ad quadragesimum; sicut et Caroli Magni fuerat ab anno octingentesimo usque ad decimum quartum) Simoniaca labes Ecclesiam fœdabat Mediolanensem ; sicuti præsentis libri quarti capite tertio jam vidimus numero quinto. Eodem vero illud etiam profecto pertinet quod tomo secundo Conciliorum antiquorum Galliæ, a Jacobo Sirmondo Parisiis anno Domini 1629 editorum, legitur, pagina 431. Ibi enim post synodum Aquisgranensem, anno Christi octingentesimo decimo sexto, Ludovici Pii imperatoris tertio, indictione decima celebratam, recitantur capitula subinde in ejusdem imperatoris palatio condita : et inter hæc decimum sextum de episcopis Italiæ inscriptum, et his conceptum verbis : « De episcopis vero in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant sacramenta et munera contra divinam et canonicam auctoritatem accipere vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est ne ulterius fiat, quia juxta sacros canones uterque a gradu proprio, talia facientes, decidere debeint. »

LII. Ut autem ab examinandis ejusmodi scriptorum testimoniis nos expediamus, hoc denique solum in Bernardino Corio superest observandum : quemadmodum ille scilicet nullatenus distinxisse videatur inter habere ac ducere uxorem. Quocirca primum explicans, quid Ambrosius concesserit, his explicabat verbis : « Concesse loro, che potessero avere moglie vergine. » Subinde vero explicans quemadmodum illis hoc ipsum postea vetitum fuerit, hunc in modum explicuit : « Fu ordinato, che alcun sacerdote, o cherico, non togliesse moglie. » Hinc igitur etiam ille Corii censor, quo suggerente sacra Iudicis congregatio decrevit, hunc ipsum Corii locum emendari oportere, non inepte his itidem verbis usus est (Qualia nos in ejusdem congregationis epistola recitabamus numero 10) : « Asserit sanctum Ambrosium permisisse sacerdotibus uxorem ducere. »

LIV. Hac tamen rursus data occasione, prætereundum silentio nobis non est quemadmodum sacris ministris ab Ecclesia catholica Romana non tam uxorem ducere quam uxorem ad officia conjugii habere vetitum sit, ut sapienter observavit Dominicus Sotus libro septimo De justitia, quæstione 6, articulo 2; Bellarminus, libro primo, De clericis, capite 18 ; Gregorius de Valentia, libro De cælibatu, capite 2, et alii. Ejusdem Gregorii verba sunt hæc : « Ut optime attigit Sotus, (loco illo nuper indicato) oportet prohibitum esse ne quis post ordinationem uxorem ducat, propter ipsum actum contrahendi et ducendi, quia prohibitum est ne quis post ordinationem matrimonio utatur. Non enim his qui sunt in sacris ordinibus matrimonio interdicitur uxorem [habere] (siquidem is actus sanctus et religiosus est, ac honestissimus, et constituens unum quoddam sacramentum), sed propter usum certe ipsius matrimonii, qui videtur minus dignitatem atque officium hominum sacratorum decere, sicut postea ostendemus. » Et in eamdem sententiam Bellarminus hæc item : « Matrimonium non pugnat cum ordinibus ratione essentiæ suæ, sed ratione officii seu exercitii conjugalis. Si enim Deus prohibuisset sacerdotibus conjugium, certe prohibuisset propter actum conjugalem, qui hominem reddit totum carnalem, et inceptum ad divina ; necnon propter sollicitudinem domus et liberorum, quæ plurimas parit distractiones ; non autem propter solum sacramentum conjugii, vel propter contractum matrimonii, qui celebratur solo consensu animorum, et est res brevissima et honestissima. »

LV. Sed tempus jam est ut ab ejusmodi criminatione in eos historiographos collecta transitum faciamus lætiorem ad nonnullos alios causæ nostræ fautores, et ad sanctos præsertim Hieronymum et Augustinum, sancto Ambrosio contemporaneos, et in ejus libris versatissimos, necnon etiam ecclesiasticarum Mediolani rerum peritos, a quibus nemo propterea prudens crediderit ignorari potuisse, sanctusne Ambrosius legem illam sanxerit pro Græcorum vel nostratum sacerdotum matrimoniis, et an ea sive Mediolani, sive in Græcia, deinceps ab ipsis usitarentur.

LVI. Vide autem quam multa nobis Hieronymus suppeditet in epistola 50 ad Pammachium, sive in Apologia pro suis adversus Jovinianum libris. Non procul enim ab initio hæc in primis habet : « Si sæculi homines indignantur in minori gradu se esse quam virgines, miror clericos et monachos et continentes id non laudare, quod faciunt. Castrant se ab uxoribus suis, ut imitentur virginum castitatem ; et id ipsum volunt esse maritatas, quod virgines? Aut jungantur itaque uxoribus suis, quibus renuntiaverant ; aut, si se abstinuerint, etiam tacentes confitebuntur melius esse quod nuptiarum operi prætulerunt. » Et aliquanto post : « Ecce perspicue nuptias diximus concedi in Evangelio ; sed tamen easdem, in suo officio permanentes, præmia castitatis capere non posse. Quod si indigne accipiunt mariti, non mihi irascantur, sed Scripturis sanctis, imo episcopis et presbyteris, et diaconis, et universo choro sacerdotali et levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali. » Denique vero prope finem epistolæ : « Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, episcopi presbyteri, diaconi, aut virgines, eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici. » Hæc in ea epistola Hieronymus.

LVII. Ecce vero nobis etiam quid ille rursus prope initium libri adversus Vigilantium : « Proh nefas (exclamat ille, de Vigilantio loquens) episcopos sui sceleris dicitur habere consortes ; si tamen episcopi nominandi sunt qui non ordinant diaconos nisi prius uxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur, et nisi prægnantes uxores viderint clericorum, infantesque de vulvis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ ? Quid Ægypti, *et sedis apostolicæ ?* Quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt. » Quem postea locum suis illustrans scholiis Marianus Victorius, hæc habebat : « Ex hoc loco patet sancti Hieronymi tempore etiam Oriente cælibes fuisse sacros Ecclesiæ ministros, et non conjugatos, ut dicitur ; et Græcos post id tempus, spretis canonibus, nuptias sacris ministeriis miscuisse. Quæ res etiam a sancto Basilio asseveratur, ut in epistola ad Gregorium (sive potius

Digitized by Google

Paregorium). Hoc ipsum asserunt etiam Eusebius libro primo De demonstratione evangelica, Maximus in responsis ad Thalasii Quæstiones, Ephrem Syrus in epistola quadam ad monachum qui dicebat melius esse nubere quam uri, item Epiphanius contra Catharos, et alii. » Hactenus Marianus Victorius.

LVIII. Quid autem vetat quominus inter illas apostolicæ sedis Ecclesias computatam interpretemur etiam esse Mediolanensem, sive quia hæc secundum Hieronymi sententiam vere fuerit ex illis una, sive saltem quia hæc simul cum antistite suo Ambrosio in re tam gravi, tamque solemnibus firmata decretis, nullatenus a sedis apostolicæ judicio ac mandatis dissenserit? Quanti profecto Ambrosius eam sedem fecerit, vel ex eo loco apertissime dignoscitur, quem hoc ipso libro quarto inhuebat Petrus Damiani, capite 10, numero 13, et Arnulfus, capite 17, numero 4, quique continetur ejusdem Ambrosii libro tertio De sacramentis capite 1. De consuetudine ibi disserebat lavandi baptizatorum pedes, Mediolani communiter eo tempore usitata, cum inquit : « Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, *cujus typum in omnibus sequimur et formam*. Hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo, ne forte propter multitudinem declinarit. Sunt tamen qui dicant et excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lavandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est et sanctificatio. *Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem*. Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam*, sed tamen et nos homines sensum habemus. Ideo, quod alibi rectius servatur, et nos recte custodimus. » Hactenus Ambrosius. Quem quidem locum examinans Baronius in ejusdem sancti Ambrosii Vita, ad annum Christi trecentesimum octuagesimum quartum, in hæc verba disserit : « Cæterum, ut aliquid obiter dicamus de eo quod spectat ad jejunium Sabbati, et alios aliquos ritus ecclesiasticos, etsi diverso modo ab usu Romanæ Ecclesiæ eos Ambrosius observavit, id quidem non eo animo fecit, quasi, suos tantum probans, illos despiceret. Audi quid ipse profiteatur, cum de ea re agens (libro tertio De sacramentis capite 1) hæc ait : « Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat (lavandi scilicet pedes nuper baptizatis) *cujus typum in omnibus sequimur et formam*. » Et paulo post : « *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam*, etc. Ejusmodi enim rituum varietates, modo catholicæ fidei et charitatis unitas retineatur, et Sancta Romana Ecclesia, apostolica sedes, ut mater et magistra omnium Ecclesiarum cognoscatur, nihil impediunt quominus omnes simus in Christo. »

LIX. Certe autem, vice in contrarium versa, sacrum Novi Testamenti ministerium non erat ejusmodi, ut Ambrosio videri posset alibi rectius quam in Ecclesia Romana servatum, utque propterea recte ab ipso aliter quam in illa custodiri posset. Alibi enim (et apud paucos sane, ut jam vidimus) illud una cum matrimonii usu servabatur, sed contra sacros apostolorum et Nicæni concilii canones, contra singularem illam tanti ministerii præstantiam et sanctitatem, contra communem sanctorum Patrum consensum, ac denique contra ipsius Ecclesiæ Romanæ sedisque apostolicæ mandatum. A qua quidem Ecclesia et sede quicunque dissentit, « non est re vera catholicus, quemadmodum beatus ait Ambrosius, » ut Arnulphus etiam nobis superius protestatur, capite 17, numero 6, et capite 57, numero 12. Quibus utique verbis Arnulphus Orationem indicabat Ambrosii de obitu Satyri fratris sui, qua oratione, si non ad verbum, certe tamen quoad rei veritatem, axioma illud expressum est. Illic enim de Satyro, posteaquam divinitus e maritimo naufragio incolumis enatasset in littus, hæc habemus, Ambrosii ejusdem ore commendata : « Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam; percontatusque ex eo est *utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia, conveniret*. Et forte ad id locorum in schismate regionis illius ecclesia erat. Lucifer enim se a nostra tunc temporis communione diviserat, et, quanquam pro fide exsulasset, et fidei suæ reliquisset hæredes, non putavit tamen (Satyrus, et cum eo Ambrosius) fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant; cujus patiebantur velut quosdam artus dividi, et membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, et Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, a quibus evacuatur ejus passio, corpusque distrahitur. » Et hæc quidem in præsenti satis sint e propositis sanctorum Hieronymi simul et Ambrosii testimoniis.

LX. Quod proxime subsequitur sancti Augustini, hac in urbe ab ipsomet Ambrosio baptizati, testimonium, ex ejus secundo de adulterinis conjugiis libro, capite 20, depromptum est. « Istos (inquit) qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terrenus, ne adulterinis conjugiis hæreundo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam *continentiam clericorum*, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt. Dicimus ergo eis : Quid, si et vos ad hoc subeundum populorum violentia caperemini? Nonne susceptum caste custodiretis officium, repente conversi ad impetrandas vires a Domino, de quibus nunquam antea cogitastis? Sed illos, inquiunt, honor plurimum consolatur. Respondemus : Et vos timor amplior moderetur. Si enim hoc multi Dei ministri repente atque inopinanter impositum susceperant, sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere, quanto magis vos adulteria cavendo vivere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in gehennæ ignibus ardere? Hæc atque hujusmodi eis, ut possumus, dicimus, qui, quoquo modo a se discedentibus, vel propter adulterium dimissis conjugibus suis, alias volunt ducere, et cum prohibentur, infirmitatem nobis carnis opponunt. » En igitur, quemadmodum Augustini tempore in Ecclesia Latina clerici communiter continentiam profiterentur, et « sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere. » Sicut enim caste vivendo hic in terris altiorem quam conjugati profitebantur perfectionis gradum, sic etiam in regno cælorum præcellentiorem beatitudinis gradum exspectare jure merito poterant.

LXI. Supra quadringentesimum autem Christi annum trigesimo Augustinus ad superos abiit, cum alioqui Hieronymus ejusdem sæculi vigesimo, Ambrosius autem superioris sæculi nonagesimo septimo præcessissent.

LXII. Quo certius autem idipsum pro Ecclesia etiam constet Orientali, ecce nobis alios et idoneos per eadem tempora testes, ac sanctum in primis Gregorium, fidei conversationis, integritatis et sapientiæ merito fratrem sancto Basilio dignissimum (sicut a Vincentio Lirinensi celebratur in Libro adversus hæreses), et e conjugato episcopum Nyssenum, qui synodo illi adfuerat Constantinopolitanæ, quam numero 27 celebratam dicebamus anno trecentesimo octuagesimo primo, quique superstes etiam erat nonagesimo quarto. Hic nimirum in libro De virginitate, capite ultimo, sic inquit : « Quomodo Dei sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum, ut munus offerres, unctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Mosem non audias, qui populo edicit

Digitized by Google

ut a nuptiis purus sit, qui Dei aspectum comprehendat? »

LXIII. Sanctus etiam Joannes Chrysostomus ad archiepiscopalem Constantinopoleos cathedram eodem ipso assumptus est anno quo sanctus Ambrosius ad beatam in cœlis mansionem, atque ad annum usque quadringentesimum septimum supervixit. Homilia vero secunda de patientia Job hæc ille nobis scripta reliquit. « Dixit (apostolus Paulus) *unius uxoris virum*, non ea ratione ut id nunc in Ecclesia observetur. Oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse. »

LXIV. Ad eamdem vero pro clerici Orientalis cœlibatu sententiam pertinet concilium quoque illud quod idem Chrysostomus Constantinopolitana in urbe celebravit anno, ut bene computat Baronius, quadringentesimo : et de quo Palladius diaconus in Dialogo de Vita ejusdem sancti Chrysostomi abunde scripsit, capite 13 et 14. Inter alia multa sic ille : « Tertiadecima distributione (sive indictione, ut bene fuit a Baronio etiam observatum), venerunt Constantinopolim Asiæ episcopi, necessitatum ecclesiasticarum gratia, et nobiscum (quippe Palladius etiam ipse ibi tunc aderat) remorati sunt, præsentibus et aliis episcopis, ex Scythia quidem Theotimo, ex Thracia vero Ammone Ægyptio, et ex Galatia Arabiano, metropolitis omnibus, ac senibus, qui viginti duorum episcoporum implebant numerum. Convenientibus autem omnibus, et communicantibus, observato Eusebius quidam Valentinopolitanus episcopus congregato concilio, una Sabbati astitit, libellosque tradidit synodo, præposito ut decuit Joannis nomine, contra Antoninum episcopum Ephesi, septem Capitula continentes. » Hæc igitur Capitula Palladius ex ordine singillatim recitat, et inter illa sextum, his expressum verbis : *Quod, cum uxori propriæ abrenuntiasset, rursus illi congressus est, filiosque ex ea procreavit.* Cumque deinceps alia narrasset, nonnulla sic etiam adjecit : « Jubent itaque libellum recitari ; lectaque sunt memorata Capitula. Postea dicunt Joanni seniores episcopi : *Etsi unumquodque capitulum per se impium est, et undique sacris legibus interdictum*, ne tamen videamur in his quæ suggesta sunt nobis omne studium ponere, ab eo quod est horribilius dictu, fiat inquisitionis initium. Si enim illud inventum fuerit verum, nulla de capitulis reliquis erit controversia, cum capituli illius radix omnem præ se iniquitatis speciem ferat. » Hæc ibi Palladius. E quibus itidem apte opportuneque Baronius ad eumdem annum sic monebat : « Unde et certior fias eorum quæ superius inculcata sunt, etiam in Orientali Ecclesia conjugatos electos episcopos nonnisi uxore dimissa ordinari solitos, nec amplius ea uti. » Qua de re separatim ego quoque disserebam numero 51 et 52.

LXV. Postremum jam tandem hoc est, ut sententiam nostram, præsenti capite comprobatam, eo etiam confirmemus decreto pontificio, cujus e sancto Ennodio Ticinensi episcopo mentionem faciebamus capite 20, in sancti Laurentii Littæ archiepiscopi nostri Vita, quam typis anno Domini 1653 edidimus. Ejusmodi decretum auctoritate sancti papæ Symmachi conditum fuit anno quingentesimo secundo, et ab archiepiscopo illo nostro promulgatum illico fuit episcopis suis provincialibus; eoque tam ipsi quam presbyteri et diaconi jubebantur habere contubernales, tanquam pudicitiæ suæ testes : quam utique pudicitiam clerus etiam Mediolanensis per ea tempora profitebatur, jam inde scilicet e priscis et sancti Ambrosii temporibus perenniter conservatam. Attente igitur, si placet, caput illud legatur, sicut et cardinalis Baronii Annales ad annum illum Christi 502, articulo 32, et aliquot aliis subsequentibus. Nos interim ex eo decreto hæc tantum recitamus : « Nullum ergo sacerdotum, *antiquis et modernis legibus obsequentem*, nullumque Levitarum sine bene probata volumus in quocunque loci manere persona; vel quem substantiæ exilitas non permiserit habere consortem, ipse concellaneus fiat alterius. Publicum sit apud religiosos omne quod geritur; clandestina repudietur obscuritas ; multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli ; quia qui testes adhibet, vult probari : male deprehensa judicetur conversatio, quæ non optat agnosci. » Et paulo post : « Unde, mansuro cum Dei et redemptoris nostri ordinatione, constituto sancimus, *apostolicæ sedis beati Petri vel præsulis ejus auctoritate papæ subnixi*, quæ vitia desiderat radicitus amputari, ut nullus religiosorum de memoratis ordinibus aliter quam præfati sumus audeat conversari; vel quicunque præsumpserint, cum amissione pudoris honorum damna sustineant. Quomodo grande malum est, dicatam Deo personam salutaribus monitis non parere. *Nullus secum extraneas habeat mulieres præter personas canonibus designatas*, ne agendo taliter, etiamsi vita sit innocens, damnum opinionis incurrat. » Hæc ex eo decreto. Cujus quidem postrema clausula perspicuum est quam bene congruat cum eo Nicæni concilii canone, quem numero 39 recitabamus, quamque apte huc etiam illud pertineat sancti Gregorii papæ Magni pronuntiatum libro septimo, epistola 69, ad Romanum Defensorem, his verbis : « Pervenit ad nos quosdam episcoporum, sub prætextu quasi solatii, in una domo cum mulieribus conversari. Et ideo, ne per hoc aut subsannatoribus justa obtrectationis detur occasio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis assumat, hujus tibi serie præceptionis injungimus ut strenuum te studeas et sollicitum exhibere. Et si quis episcoporum, quos commissi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas, et de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris; *exceptis eis quas sacrorum canonum censura permittit, id est, matre, amita, germana, et aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio.* Melius tamen faciunt, si etiam a talium se cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens : Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis esse debet instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis. » Hæc sanctus Gregorius ille papa, vere magnus, et Ecclesiæ doctor eximius, hisque nos etiam præsens caput læti jam tandem concludimus.

Digitized by Google

INTRA ANNUM MLXXX-MXCV.

SANCTUS GERALDUS

SILVÆ-MAJORIS PRIMUS ABBAS ET FUNDATOR.

VITA S. GERALDI

AUCTORE MONACHO ANONYMO SUBÆQUALI.

(Apud MABILL. *Acta SS. Bened.*, IX, 886, *ex codd. mss. et Aprili Bollandiano.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Hujus beati abbatis nomen recentiores varie scribunt, alii quippe eum Geraldum aut Giraldum, nonnulli Girardum, plerique Gerardum vulgo appellant; at in vetustioribus Vitæ exemplaribus Geraldus constanter dicitur. Consentiunt Baldricus abbas tunc Burguliensis in variis epitaphiis quæ ab eo statim post beati Geraldi mortem conscripta sunt, ac Stephanus Tornacensis episcopus, qui sermonem, hymnos, aliaque in ejus festivitate canenda edidit sæculo proxime sequenti. Imo in vetustis monasterii Silvæ-Majoris instrumentis, quæ sane plurima supersunt, et ex his nonnulla beati abbatis manu, aut eo dictante exarata, uno aut altero excepto in quo Geraudus dicitur, ubique Geraldus scriptus invenitur; ipse vero se Geraldum aut Giraudum constanter nuncupat.

2. Ejus Vitam duplicem habemus, utramque in monasterio Silvæ-Majoris paulo post ipsius obitum scriptam. Auctoris, qui priorem edidit, nomen ignotum est; alterius scriptor in codice Corbeiensi, unde eam Henschenius se habuisse scribit, Christianus appellatur. Uterque monachus fuit, et quidem Silvæ-Majoris, uti ex earum contextu apparet; unde mirari subit priorem Vitam ab alterius editore nusquam fuisse laudatam, tametsi nihil fere habeat, exceptis paucis miraculis ad beati viri sepulcrum patratis, præter ea quæ in priori Vita et quidem fusius enarrantur. Idem posterioris Vitæ auctor, num. 27, miraculum refert, quod, inquit, a Petro abbate hujus loci septimo « scripto traditum » fuerat, quod quidem miraculum, cum in priori Vita, num. 30, habeatur, nonnemo suspicari posset Petrum ab isto laudatum primæ Vitæ auctorem fuisse, hunc scilicet ipsum, qui a beato Geraldo in monachum receptus, ejus postea capellanus, ac tandem ætate jam grandævus septimus fuit Silvæ-Majoris abbas. At quominus id admittamus duo potissimum obstant. Primum, quod prioris illius Vitæ auctor Petrum ipsum passim laudat. « Petrus, inquit, num. 28, multa de ejus (sancti Geraldi) mirabilibus referens, tale perhibebat miraculum patratum fuisse; » et num. sequenti : « Aliud quoque miraculi genus præfatus abbas Petrus narrabat. » Deinde idem auctor, num. 32, testatur ea miracula quæ enarravit, se ab aliis « qui ea certissime viderant et audierant, » accepisse. Quod Petro minime convenit, siquidem ea ipse coram positus viderat et propriis auribus audierat. An vero posterior ille auctor verbis illis quibus miraculum a Petro abbate scriptum laudat designare voluerit Vitam priorem quam a Petro abbate scriptam existimasset, non licet divinare. Certe prioris illius Vitæ auctor, quisquis tandem fuerit, nusquam ullum Petri scriptum de beati Geraldi miraculis memoravit, nec, si aliquando aliquod exstiterit, ad posterorum memoriam pervenit. Cæterum præter duos illos auctores, beati Geraldi Vitam scripsit Joannes a Gulsia, beati Vincentii Landunensis sæculo decimo quarto exeunte abbas; sed hæc Vita nihil aliud est quam prioris Vitæ compendium. Ex his priorem Vitam damus ad codices tres exactam; secundam habes apud Bollandianos. De Baldrico et aliis auctoribus, qui beatum Geraldum data occasione celebrarunt, inferius nonnihil dicemus. At mirari subit ambos ejus Vitæ scriptores, qui in Silva-Majori vixerunt, nihil fere de beati abbatis in illo monasterio præclare gestis dixisse. Quare visum est paulo fusius de iis agere, maxime de ejus instituti in varias provincias propagatione, quæ ipso adhuc superstite, ut patet ex variis instrumentis, facta est. Sed prius agendum paucis est de ejus ad Sancti Medardi abbatiam electione, quod nonnulli eam in dubium revocare non vereantur.

3. Testis est Lisiardus, seu potius Hariulfus, in Vita sancti Arnulfi episcopi Suessionensis, quam supra ad annum 1087 edidimus, beatum Geraldum in abbatem Sancti Medardi Suessionensis, post ipsius Arnulfi abdicationem electum fuisse. Id tamen inficiantur recentiores nonnulli, quod ejus electionis nulla in duabus beati Geraldi Vitis mentio occurrat, imo nec in ullis Silvæ-Majoris monumentis, ubi

Digitized by Google

tamen non pauca supersunt, in quibus ipse Geraldus testatur se, dimisso Sancti Vincentii monasterii Laudunensis regimine, post varias peregrinationes, quæ in utraque Vita singillatim recensentur, in Aquitaniam pervenisse. Hugo Menardus, qui in observationibus ad Martyrologium Benedictinum ad diem quintam Aprilis hunc Vitæ sancti Arnulfi locum laudat, innuit hunc locum de sancto Geraldo ad Suessionensem abbatiam electo ab amanuensibus additum fuisse, quod nihil, inquit, in Vita sancti Geraldi simile reperiatur. At conjecturæ huic contradicit veterum codicum auctoritas, ad quos Vitam beati Arnulfi contulimus, in quibus omnibus beati Geraldi, qui postea Silvæ-Majoris in Aquitania monasterii auctor fuit, ad Sancti Medardi regimen electio iisdem verbis atque eodem modo describitur. Porro Lisiardus qui hanc Vitam recognovit, et Hariulfus, primus ejus auctor, beatis Arnulfo et Geraldo æquales fuere, et utrique, uti conjicere est, non ignoti. Lisiardus quippe, beati Arnulfi discipulus et ab eo in subdiaconum ordinatus apud Suessiones erat hoc ipso tempore quo Geraldus in abbatem Sancti Medardi electus fuisse dicitur. Hariulfus vero apud Gentulam, ubi vitam monasticam professus est, morabatur, Geraldo apud Corbeiam monasterii negotia tunc temporis procurante. Non itaque de hac electione dubitare licet; at facile crediderim Geraldum hujus abbatiæ possessionem nunquam iniisse; prohibente scilicet Pontio monasterii invasore, qui Bertæ reginæ potentia fretus, beatum virum exturbavit. Nec plura innuere videtur auctor Vitæ sancti Arnulfi. Unde mirum non est si Vitæ beati Geraldi scriptores, imo et ipse Geraldus, electionis hujus nusquam meminerint, quam nempe commemorare nihil intererat. Nam Geraldus ad monasterii regimen nunquam admissus, nihil ibi memoratu dignum agere potuit, quod a Vitæ scriptoribus enarraretur; cum vero ea tantummodo ipse Geraldus in instrumentis Silvæ-Majoris scripserit, quæ post abdicatam Laudunensem abbatiam ei contigerant, nihil de illa ad monasterium Sancti Medardi electione dicere debuit, quæ verisimilius facta videtur ante hanc abdicationem, cum monachorum suorum infidelitatis pertæsus de loci mutatione cogitaret. Utriusque enim Vitæ auctor eum, dimisso Laudunensis monasterii regimine, statim abiisse commemorant; addit secundæ Vitæ auctor, id a Geraldo factum fuisse, ut ad eremum se conferret. Sed de ejus apud Silvam-Majorem gestis modo agendum est.

4. Præter ea quæ de beati Geraldi in Aquitaniam adventu, et Silvæ-Majoris monasterii initiis habet auctor Vitæ, multa discimus ex veteribus ejusdem loci instrumentis, quæ ipsius sancti viri curis exarata sunt. In eorum uno exponitur quo pacto pius abbas loci fundum acquisierit liberalitate Ogerii aliorumque vivorum nobilium, qui sponte ipsum locum in tanti viri favorem Deo consecrandum obtulerunt. Unicus Drogo Malliacensis abbas negotium aliquod facessit, qui locum in quo monasterium struebatur sibi volebat vindicare, quod unus e suis monachis illum, concedente Ermentrude matrona, aliquandiu inhabitasset. At ille causa cecidit. Qua vero ratione Geraldus illum tandem plene obtinuerit, ex ipsiusmet narratione, quæ in Chartario Silvensi habetur, accipiendum est.

« Cum, inquit, ego Geraldus, licet indigne, abbas appellatus, primum in Silvam-Majorem venissem cum commilitonibus meis, et in loco, qui antiquitus appellatus est Altus-Villaris, nobis remanere placuisset, quæsivimus possessores loci ipsius, ut ipsorum concessione ibi habitare possemus. Erat quidam vir, nomine Autgerius de Rions, cujus erat ipsius allodii medietas, nam alterius medietatis multi participes erant; sed ad ipsum Autgerium justitia et decima totius allodii pertinebant. Hic itaque Autgerius, divina inspiratione præventus, quidquid in ipso allodio habebat nobis donavit. Similiter Olivarius de Turre et fratres ejus Guillelmus Guilfrandi, et Arnaldus, Ostendus quoque et Bonæfusus de sancto Severino, et alii plurimi, qui partem clamabant in ipso allodio, quidquid ibi habebant libere nobis donaverunt. Inter quos quædam matrona fuit, nomine Ermengardis de Gistris, quæ etiam partem suam nobis dedit. Sed hæc matrona in hac sua parte habitationem dederat cuidam monacho Malliacencis cœnobii, solitariam vitam ducere volenti, ea tamen, ut ferebatur, conditione, quandiu ibi voluisset habitare : qui cum ibi habitare cœpisset, ac oratorium de terra fecisset, locus ipse ad manendum illi displicuit, habitationemque in alio territorio mutavit, ac ipsam capellam, quam fecerat, desertari permisit. Hic cum audisset quod nobis totum allodium donatum esset, nec sua particula excepta fuisset, abiit ad suum abbatem, nomine Drogonem, reique gestæ illi indicavit ordinem. Qui abbas ad concilium venit, quod eo tempore in Burdigalensi urbe fuit, ac de nobis quod ecclesiæ suæ possessionem invasissemus ibi querimoniam fecit. At nos magis volentes omnia relinquere quam quidquam cum lite retinere, quippe qui nostra dimiseramus, pro acquirenda pace rogavimus domnum Amatum Romanum legatum, ac domnum Guillelmum magnæ memoriæ Aquitaniæ ducem comitemque Pictavensem, cujus consilio et auxilio in prædicto loco remanseramus, quatenus illi ab ipso abbate impetrarent ut ipsam particulam nobis cum pace dimitteret, unde videlicet nihil proficui haberet, nec magis ibi ferarum quam hominum ac Deo servientium habitationem diligeret. Sed ille ab his et ab aliis pluribus episcopis et bonis viris postulatus respondit se hoc facere non posse sine fratrum sui monasterii concessione. Tunc domnus Amatus cum eo ad Malliacense cœnobium perrexit, secumque unum de nostris monachis, nomine Litherium, duxit. Cumque fratres ipsius loci in capitolio congregati essent ante domnum Drogonem suum abbatem, indicavit domnus Amatus coram omnibus

Digitized by Google

nostram petitionem; qui primum quidem valde contradixerunt. Sed tandem convicti ratione, quod non esset charitati simile ut id contradicerent, ad Dei servitium, unde nullum haberent subsidium, assensum præbuerunt. Itaque domnus Drogo abbas cum consensu monachorum quidquid in ipso nobis donato allodio clamabat dimisit; nobisque liberum concessit, præsente domno Amato cardinali Romano cum capellanis suis Litgerio et Artaldo, et monacho nostro Litherio cum famulo suo Erluino. »

5. Adepta itaque plena et libera Silvensis territorii possessione Geraldus, Burdigalensem archiepiscopum, in cujus erat diœcesi, adiit, ut ab eo monasterii sui libertatem obtineret. Facilem tam sancti viri precibus assensum præbuit pius antistes, eique amplissimum privilegium concessit; quod, ne in posterum violaretur, in concilio Burdigalensi ab aliis pontificibus et abbatibus confirmari curavit. Id ipsum narrat beatus abbas in notitia ea de re facta, quam in Chartario monasterii ad posterorum memoriam describi curavit sub hac forma :

« Omnia orta occidunt, et aucta senescunt, nec multum hominis tempus protenditur, ejusque memoria brevissima probatur; sed oblivio ne prorsus præterita absorbeat, necesse est ut rerum gestarum notitiam littera retineat, quatenus quid sit mutabile futuros non lateat. Igitur hoc præsens non ignoret Ecclesia, sed nec posteritas hinc hæreat ambigua, quod nostra gestum est præsentia. Ego itaque Geraldus Deo largiente abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi de mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius quam fragilis ferre posset animus. Cæterum subjecti mihi minus obediebant, nec eorum ferrea molliri pectora quiverant, quos quidem sæcularia plus nimio negotia indurnerant. Denique, monstrante divina clementia portum salutis, placuit animo antra petere solitudinis, ubi nulla esset sæcularis habitatio hominis. Itaque commendata episcopo cura commissi gregis, egressus sum de monasterio (S. Vincentii Laudun.) comitantibus paucis, ignorans omnino quo cursus foret itineris. Sed tandem Domino ducente, quippe qui nunquam abest sperantibus in se, pervenimus ad domnum Willelmum Pictavensem comitem, virum apprime nobilem, totius quoque Aquitaniæ ducem, qui locum attribuit nobis congruum, Silva-Major nuncupatum. Quod allodium ita nobis ab illo absolutum redditur ut a nullo ibi quidquam juris requiratur, sicut etiam alia chartula testatur. Cum ergo ibi vellem incipere monasterium, perrexi ad domnum Goscelinum Burdigalensem archiepiscopum, in cujus episcopatu prædictum erat allodium, ejus quidem rogaturus beneficium. Qui, interveniente præfato duce, jam incœptum monasterium ita omni donavit libertate ut nec ipse, nec alius post eum, non archiepiscopus, non archidiaconus, non archipresbyter, non cujuslibet ordinis persona aliquod in eo jus vel dominationem possit habere, quatenus ibi degentes monachi absque ulla inquietudine libere possent Deo servire. Sed et hoc stabilitum est ab ipso, eodem precante Willelmo, ut si quandoque, disponente Christo, villa creverit, nihilominus in ea archiepiscopus, vel quilibet minister ejus, quidquam habeat juris nec in clericis nec in laicis; sed omnia referantur ad abbatis dispositionem vel congregationis. Hoc etiam sibi nobisque providit, ut nihilominus ecclesiarum consecrationem, sacrosque ordines, vel chrisma ab archiepiscopo accipiamus, cum necesse fuerit. Sed hæc constitutio iterum ab eodem firmata est in proximo concilio, præsentibus Romanis legatis Hugone atque Amato, multoque aliorum episcoporum collegio. Hoc quoque definitum est ut, si quis hoc decretum violare tentaverit, se sciat excommunicatum, donec satisfecerit, tam ab archiepiscopo quam ab omnibus qui fuerunt in concilio. Necnon et hoc, consulente domno Amato, constituimus ut hoc cœnobium solummodo Romanæ foret Ecclesiæ subjectum, obque sui tutelam domno apostolico singulos annos solveret munus quinque solidorum. At ego jam descendens in defectum ætatis decrepitæ, jamjam curam monachorum cupiebam dimittere, atque minus utilis meliori cedere. Verum domnus Amatus a nostris rogatus fratribus, licet totis resisterem nisibus, tamen mihi ex parte domni apostolici testatus obedientiam, eorum commendavit providentiam. Acta est vero supradicta confirmatio Burdigalensi civitate in concilio, anno ab Incarnatione Domini 1080, indictione III, epacta XXVI, IX Nonas Octobris, VIII anno VII Gregorii papæ, Philippo in Francia regnante. S. Willelmi Aquitaniensis ducis. Confirma † hoc Deus. Ego Amatus apostolicæ sedis legatus confirmo †. Ego Hugo sedis apostolicæ legatus confirmo †. Ego Goscelinus Burdigalensis archiepiscopus præsente concilio concedo et confirmo †. S. Rodulfi Turonensis archiepiscopi. S. Willelmi Auxiensis archiepiscopi. S. Bosonis Santonensis episcopi. S. Ademari Engolismensis episcopi. S. Willelmi Petragoricensis episcopi. S. Raymundi Vasatensis episcopi. S. Hugonis Bigorrensis episcopi. S. Donaldi Agennensis episcopi. S. Petri Adurensis episcopi. S. Odonis abbatis Sancti Joannis (Angeriacensis). S. Drogonis Malliacensis abbatis. S. Raynaldi Sancti Cypriani (Pictav.) abbatis. S. Bertrandi Sancti Juliani [*l.* Juniani Nobiliaci] abbatis. S. Hildeberti Nantulliacensis abbatis. S. Fulchradii Sancti Salvatoris (Blaviæ) abbatis. S. Achelini, Gocelini Burdigalensis Ecclesiæ archidiaconi. »

6. Hoc ipso anno 1080 multi regionis vicinæ viri nobiles pontificum in Silvam-Majorem studium æmulati et Guillelmi Aquitaniæ ducis exemplo incitati, omnimodam Ecclesiæ Silvensi, quam Geraldus exc[i]tabat, libertatem unanimi consensu donaverunt, « ut, inquiunt, terrenis imperiis absoluta soli Deo serviat secura. » Id ipsum testantur in veteri instrumento, quod ex chartario Silvensi Stephano tiu noster descripsit. Ibi quippe adducto Willelmi seu Widonis Pictaviensium comitis et totius Aquitaniæ

Digitized by Google

ducis exemplo, qui « consentientibus et volentibus cunctis suæ militiæ nobilibus » idem præstiterat, laudato etiam concilii Burdigalensis decreto, quo a sedis apostolicæ legatis aliisque episcopis sancitum fuerat ne quis sub anathematis interminatione monasterii Silvæ-Majoris libertatem violaret, hanc se libertatis concessionem acceptare et laudare declarant, imo ne in posterum aliqua circa hujus immunitatis usum difficultas suboriatur, quibus potissimum capitibus illa concludatur declarant. Sic instrumentum rem exponit : « Necesse est ut breviter dicamus quæ sit illa libertas, quodve salvamentum quod ipsi Ecclesiæ a præfatis viris est traditum, ut scilicet nemo præter abbatem et monachos in toto allodio ad eamdem ecclesiam pertinente, quidquam juris vel dominationis sive advocationis in ulla prorsus re habeat, » etc. Ex iis viris nobilibus illustriores recensentur, Petrus vicecomes de Gavarreto, qui hanc libertatem « cum omni sui exercitus collegio » confirmavit. Guillelmus Amanei (*d'Amanjeu*), qui idem præstitit, « laudantibus, inquit, omnibus nostræ regionis nobilibus. » Cum eo subscripsere Bernardus frater ejus, Bernardus de Rionz et Vidianus ejus frater, Arnaldus, Raymundus de Bordis, Boso de Montremblant et Bernardus de Scutiano (*d'Escoussans*). Præter hos omnes Bernardus de Boivilla vicecomes, Arnaldus de Blancaforto aliique multi nobiles milites, qui ibi aderant, sese futuros Ecclesiæ Silvæ-Majoris defensores, etc., adversus quoslibet spoponderunt. Eamdem Silvensis monasterii libertatem cum jurejurando super sacra Evangelia præstito solemniter confirmarunt die sancto Paschæ iidem, aut certe eorum posteri, cum aliis totius regionis viris nobilibus, sub Gaufrido abbate sexto. Has omnes possessiones et immunitates confirmarunt sequentibus temporibus Aquitaniæ duces et alii proceres. Accessit etiam sedis apostolicæ auctoritas, ut ex bullis Alexandri, Lucii, Cœlestini et aliorum Romanorum pontificum patet, sed hæc fusius persequi ad præsens institutum nihil attinet, qui beati Geraldi gesta illustrare suscepimus, non Historiam Silvæ-Majoris exhibere.

7. Geraldi itaque ac discipulorum ejus sanctitatis fama brevi Aquitaniam pervagata, in dissitas quoque et externas provincias pervolavit, multique ad novum monasterium convolarunt, ut ibi sub tanti Patris disciplina, abjectis sæculi pompis, Christo militarent. Alii vero, quibus id non licebat, sua saltem Deo consecraverunt, prædiorum et facultatum facta monasterio donatione. Sed cum tantam discipulorum multitudinem capere non potuisset unius monasterii angustia, (et quidem fraudandæ non erant tanto virtutis exemplo aliæ provinciæ,) in vicinis primum regionibus excitata fuere monasteria pro Silvensibus monachis, tum etiam in dissitis, quæ beatus Gerardus, transmissis illuc discipulorum suorum coloniis, in accurata regulæ Benedictinæ observatione florere fecit ; atque hæc prima fuere congregationis Silvensis initia, quæ postmodum celebris fuit non in Aquitania solum aut in Vasconia, sed etiam in tota Gallia, in Belgio, in Anglia, in Navarra et aliis Hispaniarum provinciis, in quas fere omnes regiones, vivente adhuc Geraldo, propagata fuit. Quæ loca sæculo sequenti Silvæ-Majori subdita erant singillatim recenset Cœlestinus papa in bulla ad Petrum abbatem anno 1197 data ; sed de iis solummodo agere visum est quorum initia ipse Geraldus in monasterii sui chartario describi curavit.

8. Paulo post Silvæ-Majoris monasterii construetionem Geraldus ipse fundamenta jecit cœnobioli de Trajecto ad Garumnæ ripam siti, loci fundum suppeditante Raymundo-Willelmi, ut ex fundationis charta patet, qua is ipse Raymundus dat « domno Geraldo primo Silvæ-Majoris abbati partem allodii de Trajecto super ripam Garumnæ, ubi possit fieri monasterium cum suis officinis, hortisque et pomariis, ac discursu a flumine usque ad proximam paludem molendini. » Hanc chartam idem vir nobilis « cum omnibus filiis suis super altare Dei Genitricis et sanctorum apostolorum Simonis et Judæ, » id est ipsius ecclesiæ Silvæ-Majoris, posuit ad majoris firmitatem ; Willelmus vero Aquitanorum dux eamdem huic novæ coloniæ « salvitatem » dedit, quam ipse et alii proceres Silvæ Majori concesserant.

9. Haud diu postea Petrus vicecomes Gavarrensis in prædio suo, « Gavaret » dicto, monasterium exstruxit in honorem Sancti Sepulcri, quod compluribus terris et redditibus dotatum subjectum esse voluit « domno Giraldo » ejusque successoribus Silvæ-Majoris abbatibus ; ita ut, inquit ille in fundationis charta, « semper abbas Silvæ-Majoris sit abbas Sancti Sepulcri, et qualis religio et vita ibi tenetur, talem faciat et hic teneri ; et qualem potestatem habet in illius ecclesiæ monachis, rebus et possessionibus, talem habeat et in istius, quatenus semper locus Silvæ-Majoris et Sancti Sepulcri in Dei servitio et bona religione unum sint ; pariterque paupertatem et abundantiam patiantur, salva auctoritate archiepiscopi Auxiensis et episcopi Adurensis. » Chartæ subscripserunt Willelmus archiepiscopus Auxiensis, Petrus Adurensis episcopus, Arnaldus Rotgerius donatoris frater, Stephanus de Calmonte (*Caumont*), Raymundus, Guillelmus de Mezerolis, Petrus de Vico, Amanevus de Tillieto, Odo de Pardiliaco, etc. Eamdem donationem solemniter confirmavit Petrus fundatoris filius, cujus rei notitia habetur in Chartario Silvensi, quam hic exhibere nemini fore ingratum speramus. « Petrus Gavarrensis vicecomes Petri vicecomitis filius, summa cum devotione monasterium, quod Silva-Major dicitur, veniens, beneficia loci et orationes ab abbate G. et cæteris fratribus suppliciter postulavit. Huic vero tam laudabili petitioni tam abbas quam congregatio fratrum libentissime præbentes assensum, capitulum introduxerunt, atque ibi cum libro, ut moris est, beneficii investituram præbuerunt. Ipse autem nihil cunctatus, loco et hora eadem dedit et concessit ipsis quidquid pater suus antea dederat, id est mo-

Digitized by Google

nasterium Gavarreti cum omnibus appendicils suis tam acquisitis quam acquirendis. » Ex aliis item chartis patet Gavarretenses vicecomites in monasterium Sancti Sepulcri admodum liberales fuisse. Quin et paulo post beati Geraldi obitum, sub Gaufridi abbatis regimine, Agnes vicecomitissa parthenonem juxta virorum monasterium condidit, ubi monialis facta est. Porro etsi in plerisque ejusmodi chartis nullus exprimatur annus, primam tamen hujus loci fundationem ante annum 1092 factam fuisse ex hoc patet quod Petrus episcopus Adurensis qui ei subscripsit, et nonnulla eidem monasterio contulisse dicitur in altera charta, hoc ipso anno 1092 ad superos abiisse dicatur in veteri Necrologio monasterii Sancti Severi in capite Vasconiæ, in quo legitur: « Idibus Junii depositio domni Petri Adurensis episcopi bonæ memoriæ, anno 1092. » Cæterum virginum Gavarretense monasterium sæculo XIV monasterio virorum, cui vicinum erat, unitum fuisse creditur, istud vero a Calvinianis direptum exinde monachos non aluit. Superest tamen hodieque ecclesia satis ampla et culta cum priore, qui aliquot sacerdotes ad divina officia utcunque explenda ibi sustentat. Gabaretum porro oppidum est in Wasconia hodierna, olim Adurensis diœcesis, postea vero, reclamantibus licet Adurensibus, Auxitanæ attributum.

10. Ad eumdem annum 1092 revocari debent initia monasterii Beati Nicolai in insula de Rugiana (*Royans*) in finibus Santonum, cui exstruendo locum aptum, et multas possessiones ad ejus dotationem monachis Silvæ-Majoris suppeditavit Elias de Didonia cum uxore sua Avicia et filiis Galtero, Gifardo et Elia. Laudatum annum præfert charta donationis, quæ in ipso Rugiano castello data est anno 1092, indict. XV. Præsentes inter alios aderant « Stephanus abbas et eremita de Cordano insula, » et Herlegius prior Silvæ-Majoris cum aliis multis, quos recensere singillatim nihil interest.

11. Iisdem temporibus Dimo vir nobilis cum uxore sua et liberis concessit monasterio Silvæ-Majoris ecclesiam Sancti Petri de Neronis-Villa, in diœcesi Senonensi sitam, ubi monachi aliquot instituti fuerunt. Hanc fundationem tempore beati Geraldi factam fuisse colligimus ex consensu Richerii Senonensis archiepiscopi, qui anno 1096 vita functus est. Hujus autem loci facultates augendi occasionem præbuit insigne miraculum, quod in veteri notitia Chartarii Silvensis, absque ulla temporis nota, his verbis refertur. « Fuit quidam miles, nomine Fulco Faicus, qui habuit quemdam filium clericum, nomine Garmundum. Hic cum in adolescentia sua sæcularis vitæ actibus superflue intentus, omnium carnis voluptatum se jugo supposuisset, et, quod est gravius, in Simoniacam hæresim delapsus contra Dei voluntatem illicita multa perpetrasset; tandem gravi dolore membrorum percussus, mortem esse vicinam æstimans, ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris-Silvæ et Ecclesiæ Sancti Petri Neronis-Villæ seipsum donavit, et a quodam monacho loci illius habitum religionis accipiens, pristinæ sanitati illico redditus est. » Recensentur postea variæ donationes, quas Fulco Garmundi pater, Hauvinus ejus frater, aliique viri nobiles, viso hoc miraculo, ecclesiæ Neronis-Villæ, quæ ibidem « divina manu consecrata » dicitur, fecerunt.

12. Haud minus celebris erat apud Aurelianos Geraldi ejusque discipulorum fama, quæ multorum conversioni occasionem præbuisse dicitur, et erectioni monasterii Sedis-Meri (*Semoy*), haud longe ab hac urbe siti. Quod a Tecelino viro nobili his temporibus excitatum est, data Silvensibus monachis Sancti Bartholomei ecclesia, cum multis possessionibus ad sustentandos monachos e Silva-Majori excitos, qui ibi deinceps usque ad nostram ferme ætatem perseverarunt. Hic locus modo in prioratum, ut vocant, simplicem redactus etiamnunc Silvæ Majori subjectus est, sed vix supersunt exigua antiqui monasterii rudera. Varias eidem loco ab Alberto Tecelini filio, aliisque viris nobilibus deinceps donationes factas, exhibet chartarium Silvense. « Domos, viridarium, curtem, » etc., apud Aurelianos vivente adhuc sancto Geraldo habuerunt Silvenses monachi, ut discimus ex veteri notitia ab ipso Geraldo facta, in qua testatur Theodericum se huc transmisisse, ut aliquot monasterii sui possessiones a calumniatoribus vindicaret; sic quippe habet:

« In Christi nomine, ego Giraudus, humilis abbas Sanctæ Mariæ monasterii Silvæ-Majoris, notum fieri volo fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, tam præsentibus quam futuris, quod quidam frater, nomine Theodericus, filius Anselmi, despecta quam exercebat mundi militia, salvationem animæ suæ quærens ad nos confugit, et devote susceptus est. Contulit etiam cum persona sui, quam Deo et sanctæ Mariæ et sancto Benedicto per manus nostras obtulit, de rebus suis et parentum suorum, præter id quod secum attulit, Aurelianis civitate domos cum viridario et curte et terram adjacentem, quam tenebat. In ipso etiam prospectu civitatis vinearum arpennos septem... Non multo vero temporis labente curriculo, mater illius et frater cuidam patri harum rerum injuriosam injecerunt calumniam; unde ego abbas et fratres mei misimus ipsum confratrem nostrum Theodericum, ut quod monasterio beatæ Mariæ contulerat, plene acquietaret. Factum est ita gratia Dei, » etc. Furnum in eadem civitate situm, et alias possessiones in vicinis vicis sitas eidem monasterio contulit Gelduinus Philippi regis familiaris, ut ex altera notitia discimus sic rem exponente. « Quidam de familia domini Philippi Francorum regis Gelduinus nomine, ipso rege consentiente et consulente, omnem mundi gloriam reliquit, ac se suaque ecclesiæ Silvæ-Majoris tradidit, habitumque sanctæ conversationis e domno Giraldo, primo ejusdem loci abbate suscepit. Hic ergo, » etc. ubi recensentur res ab ipso Gelduino collatæ.

13. Anno 1083 Philippus Francorum rex regni sui anno 23 dedit « ecclesiæ Sanctæ Mariæ matris

Digitized by Google

Domini; quæ dicitur Silva-Major, » capellam Sancti Leodegarii in silva Lesgia (*l'Esgue*), cum suis appendiciis. Regiæ chartæ subscribunt majores regni officiales, eam vero relegit Gislebertus regis clericus ad vicem Gosfridi cancellarii et Parisiorum episcopi. In altera charta Philippus hoc se fecisse testatur, cum multa de sancta monachorum Silvæ-Dei conversatione audisset a duobus monachis, quos ipse domnus Giraudus primus loci abbas miserat; sed notæ chronologicæ, quæ in posterioris hujus chartæ apographo nostro habentur, mendosæ sunt. Monachos vero Silvæ-Majoris jam tunc, vel saltem paulo post ibi institutos fuisse constat. Et quidem in Bulla Cœlestini III sæculo sequenti data, inter alios recensentur « prioratus sancti Leodegarii et sancti Pauli de nemore et Bellævallis in diœcesi Suessionensi. »

14. Verum his omnibus celebrior fuit Sancti Dionysii prope Montes in Hannonia fundatio, quam abbatiam Sancto Geraldo, ejusque successoribus subjectam voluit esse Richildis Flandrensium comitissa, loci conditrix. Huc proferre juvat fundationis tabulas ex Chartario Silvensi.

« Ego Richildis comitissa, mater Balduini comitis filii magni Balduini, qui tenuit principatum utriusque scilicet Flandrensis et Hainocensis (*Hainaut*) pagi, cernens totum mundum ruere ad occasum, atque cunctos mortales magis subditos peccatorum tenebris quam veritatis luci, cœpi tractare de salute meæ meique filii animæ, quomodo possemus sanctæ matris Ecclesiæ casum relevando oculis Judicis placere superni. Talia mihi sæpe cogitanti ac ingemiscenti occurrit intentio, relevato quodam locello sancto Dionysio dedicato, statuere ibi fratres juxta regulam beati Benedicti militantes. Tempore vero quo hæc meo versabantur animo, erat incœptum monasterium in loco Silva-Major nuncupato, ubi Deus suos servos mira augebat dispositione, quippe cui famulabantur tota intentione. Huic igitur ecclesiæ placuit præfatum locum subjicere, ut ex tam nobili congregatione semper abbatem suscipiat, qui ecclesiam Sancti Dionysii recte disponat. De nostra equidem circumjacenti possessione tantum loco contuli, ut abbas honeste posset haberi. Domnus itaque Geraldus, Silvæ-Majoris abbas primus, de suis monachis illuc misit, primumque abbatem constituit. Census autem 12 denariorum auri ibi statuitur, ut singulis annis initio Quadragesimæ sanctæ Mariæ, in cujus honore Silvæ-Majoris monasterium dedicatum est, persolvatur; hunc vero locum et cætera pertinentia ad ipsum ita omnium absolvimus potestate, ut nemini in eo quidquam juris vel dominationis, sive advocationis liceat habere, nisi abbati et fratribus ecclesiæ. Sed et domnus Geraldus Cameracensis episcopus, quod in ecclesia sive altari habebat episcopale jus Deo propter religionis Christianæ culturam donavit, ut ibi degentes monachi omni prorsus inquietudine sint liberi. Quod si quando, quod absit, abbas sancti Dionysii contra regulam egerit, ad abbatem Silvæ-Majoris ipse veniat, qui male acta corrigat; similiter et monachus qui abbati rebellis fuerit. Ut autem hæc auctorizabiliora habeantur, nobilium virorum testimonio roborantur, quorum nomina subnotantur: S. Geraldi Cameracensis episcopi. S. Anselmi de Ribodimonte; S. Balduini de Tornaco; S. Gisleberti præpositi de Nivella, aliorumque multorum, qui huic assertioni interfuerunt.

« Acta sunt itaque hæc anno ab Incarnatione Domini 1082, indictione v, epacta XVIII, concurrente v, imperante Henrico Romanorum rege. S. Balduini comitis. S. Richildis matris ejus. » Superest hodieque monasterium Sancti Dionysii in Brocaria (*Broqueroy*) celebre prope Montes Hannoniæ urbem.

15. Paulo post beati Geraldi obitum Hugo comes Regitestensis (*Retel*) Noveiense monasterium condidit, in quo instituti sunt monachi Silvenses, quod hactenus sub prioratus, multis abbatiis præferendi, titulo subsistit Silvæ-Majori subjectum. Situm est haud procul a Regiteste Remensis diœcesis oppido, hodie a RR. Patribus congregationis Sancti Vitoni inhabitatum. In vicinas quoque diœceses, id est per totam Belgicam II, seu provinciam Remensem, propagata fuit Silvæ-Majoris congregatio, ubi haud minus quam in Aquitania celebre erat Geraldi alumni sui nomen; imo et transmisso mari, apud Anglos celebrata fuit accurata regularis disciplinæ observantia Silvensium monachorum, qui labente hoc undecimo sæculo in ea regione jam florebant, sed multo majores in Hispania progressus fecere.

16. Regnabat tunc apud Aragones Sancius Ramimiri filius, qui cum, adjecta regno suo Navarra, ecclesias non paucas in his regionibus condidisset et dotasset, occasionem eum adeundi multis clericis et monachis præbuit. Inter istos vero fuere aliquot e Geraldi discipulis, quos pius rex benigne susceptos in ecclesia apud vicum Rostam instituit, ut ibi monasticæ vitæ exercitiis operam darent; eosque, cum ibi nimia paupertate premerentur, variis possessionibus postea donavit. Hæc omnia discimus ex veteri notitia, quæ ea de re habetur in sæpe laudato Chartario Silvensi, ubi Sancius ipse sic rem enarrat. « Hactenus, inquit, in Hispania raro fuit Christiana religio servata; sed postquam lex Romana a sanctis Patribus constituta nostris temporibus introducitur, ac nubilosus error veniente luce propellitur, advenientibus e partibus diversis clericis et monachis Ecclesia Christi dilatatur. Itaque quidam monachi ad me venerunt, qui se missos a domno Geraldo Silvæ-Majoris abbate dixerunt. Erat autem iste abbas ejusque discipuli diffamati late per Hispaniam, qui de patria progressi in Silva-Majori dignam Deo exercebant militiam. His igitur monachis prius ecclesiam in villa, nomine Rosta, donavi, quam illis omnium dominatione liberavi; sed ex ea minus necessario capiebant, quo tamen contenti satis arctam ducebant vitam. Sed cum post ea ad eos gratia visendi venissem, eorumque ni-

Digitized by Google

miam cognovissem paupertatem, aliam non longe dedi eis ecclesiam sancto Jacobo dedicatam, illorumque suffragio vel precibus sperans meam apud Deum adjuvari animam. » Tum recenset varias donationes a se et ab Hugone quodam eremita monachis illis factas, quæ omnia rex ipse cum filio suo Petro concessisse et confirmasse dicitur. Idem princeps æra MCXXII, Meschitas (V., *mosquées*) de Essoya, procul dubio a Mauris ereptas, cum decimis et aliis redditibus monachis Silvensibus tradidit. Cui donationi, præter Petrum ejus filium, subscripsit quoque Felicia regina ejus uxor et Petri mater; multo plura donavit æra MCXXXI mense Octobri, id est paulo antequam e vivis excederet, occisus quippe est in Aucæ urbis obsidione anno sequenti, id est anno 1094, die 4 Junii. Ejusdem porro regis consilio Petrus Pampilonensis antistes, (qui ex monacho Sancti Pontii Tomeriarum in Galliis ad hanc sedem, ut Tamaius in catalogo episcoporum Pampilonensium die 7 Aprilis relato monet, evectus fuerat,) Argileensem Ecclesiam cum suis pertinentiis et aliis redditibus sancto Geraldo donavit æra MCXXV.

17. Geraldus autem tot beneficiorum a pio rege acceptorum non immemor statuit ut unus semper pauper loco illius regis vel ejus successorum in monasterio Silvensi nutriretur. Decretum et de re factum huc proferre libet.

« Testamentum monasterii Beatæ Mariæ de Silva Majore ad regem Sancium Aragonensem. Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, ex petitione regis Sancii confirmo, et successoribus nostris tenendum præcipio, quatenus pro rege Sancio, et pro unoquoque de successione ipsius pauper unus in conventu isto accipiatur, ut monachus fiat omnino sine pecunia, loco regis vestiatur, manducet et bibat et oret; similiter pro successoribus. Si moritur unus de pauperibus qui facti sunt monachi pro regibus, alter loco ejus subrogetur. Omnis capitulus responderunt: Amen; fiat, fiat. » Acceptis rex his litteris Geraldo gratias egit, ut ex ejus rescripto habemus, quod pariter e Chartario Silvensi huc proferimus.

« Rescriptum Sancii regis ad beatum Geraldum. Quia pro me et successoribus meis in capitulo vestro talia confirmastis, Deus vobis retribuat, et nos, si vita comes fuerit, non erimus ingrati. Ad præsens ex auctoritate Dei et nostra confirmamus et posteris nostris confirmandum proponimus, quatenus omnia dona quæ dedi vobis, vel quæ daturus sum ego vel posteri nostri, ita libera sint ubicunque, quod neque ecclesiastica persona, neque sæcularis audeat inquietare, sicut nostra propria palatia: si quis inquietaverit, seu inquietantibus consenserit, iram Dei cum detrimento sui corporis incurrat. Custodientibus vita et pax. Hoc concedo, hoc confirmo, hoc posteris meis memoriale cum salute relinquo. Hoc signum divinæ recognitionis, et hos testes in quibus manet testimonium. »

18. Haud minus sollicitus fuit pius abbas pro Willelmo Aquitanorum duce. Ejus statutum huc referre juvat, quod pro eo tam vivo quam defuncto fieri curavit, in perenne ob tot beneficia ab eo accepta grati animi monumentum. Quod quidem institutum, ne forte post longa temporum intervalla in desuetudinem abiret, convocatis in capitulum fratribus, iisque ultro consentientibus, publico instrumento inseri voluit, quod in Archivi Silvensibus sub hac forma habetur.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus cunctis sanctæ Ecclesiæ fidelibus, tam posteris quam præsentibus, quod domnus Willelmus venerabilis Aquitaniæ dux, quidquid habebat in territorio, quod Silva-Major appellatur, sanctæ Mariæ tradidit, atque omni libertate donavit. Ego itaque Geraldus, providentia Dei abbas primus, cum omni fratrum collegio decrevimus, decretumque in congregatione statuimus ut pro hoc aliisque beneficiis quæ plurima erga nos operatur, in nostra semper orationis memoria habeatur; quatenus a Christo remunerationem mereatur. Hoc quoque constituimus, ut pro eo singulis hebdomadis specialis missa canatur, atque quanta singulis fratribus, tanta ei quotidie decernatur præbenda pro eo pauperibus eroganda. Quod ita definitum est, ut sicut hoc in vita ipsius agitur, non minori studio post mortem, quandiu steterit ecclesia, agatur. Necessarium ergo duximus ut hoc memoriæ chartisque mandetur, ne futurorum negligentia privetur. Scriptæ sunt itaque duæ similes chartulæ, ut præfatus dux habeat unam, altera vero sit apud ecclesiam. Quod si forte quis quam huic decreto contraire præsumpserit, anathematis periculo reus erit, donec satisfactione obedierit. Ad confirmandum ergo hujus rei testimonium subscripsimus nomina eorum, qui huic decreto interfuerunt: S. Roberti de Burgundia; S. Willelmi Elyæ Burdegalensis; S. Petri vicecomitis de Castellione; S. Amanewi de Marcha; S. Rodulfi de Sancto Eligio. »

19. Particulatim præscripsit pius abbas quid pro quovis defuncto, sive ex monasterii sui monachis, sive ex aliis fœdere spirituali ipsi conjunctis, præstandum esset, quæ omnia in libro ad hoc destinato describi curavit. In necrologio autem non solum istorum, sed etiam aliorum benefactorum nomina inseri voluit, ut aliqua saltem eorum memoria quotannis, die eorum obitus in fratrum congregatione fieret. Quid vero pro suæ congregationis monachis dicendum aut faciendum instituerit, discimus ex notitia quam ipsemet beatus abbas ea de re edidit.

« Cognoscant, inquit, omnes tam præsentes quam subsecuturi, quod ego Geraldus abbas sanctæ Mariæ Silvæ-Majoris quamvis indignus, utilitati vivorum et mortuorum consulens, communis totius congregationis consilio stabilivi, et ut in æternum permaneat litteris mandari præcepi. Si quis nostræ congregationis decesserit sæculo, nobiscumque sepultus fuerit, usque ad annum panis et vinum pauperibus pro eo tribuetur, et usque ad triginta dies ab omnibus missa et vigiliæ mortuorum communiter

Digitized by Google

celebrabuntur; ita autem ut priores septem missæ et vigiliæ solemniter pulsatis siguis omnibus persolvantur; sacerdotum vero unusquisque pro eo septem missa perorabit; qui sacerdos non est, tria psalteria; qui ad psalterium nondum pervenit, usque ad triginta dies septem psalmos quotidie cantabit; qui autem nescit, septies quotidie *Miserere;* qui vero nec *Miserere*, septies quotidie *Pater noster*, » etc. Recensentur postea societates Silvensium monachorum cum aliis ecclesiarum seu monasteriorum conventibus, quas fusius hic persequi non vacat. Eam quam ipse Geraldus cum Odone abbate sancti Joannis Angeriacensis in capitulo Silvæ-Majoris iniit, refert Papebrochius in observationibus prævils ad ipsam beati Geraldi Vitam num. 18, quam ibi cuique videre licet, sicut et nomina plerarumque ecclesiarum quæ cum Silva-Majori precum societatem habebant. In his tamen aliquot menda amanuensium errore irrepserunt; sic S. Mauritii... Usercensi, Genevensi scriptum est, pro S. Maurini, quæ abbatia est in diœcesi Aginnensi; Usercensi, id est « Uzerche » apud Lemovices, et Generensi, vulgo « S. Pé de Generez » in diœcesi Tarbeinsi.

20. Geraldi obitum ad annum 1095 revocari debere, nemo, ut quidem videtur, inficiari potest. Id quippe disertis verbis habent secundæ Vitæ auctor, Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico Virdunensi scriptor synchronus accuratissimus, et auctor Chronici Malleacensis seu sancti Maxentii. Non minus certus videtur esse dies ejus mortis, cum in utraque Vita ipsis Nonis Aprilis vir sanctus ad superos evolasse dicatur; nec dissentit Hugo Flaviniacensis, qui habet anno 1095, feria quarta, die XI Nonas Aprilis, a noctis medio usque ad auroram stellas e cœlo cadere visas fuisse; tum subjungit : « Eadem nocte Giraldus abbas Silvæ-Majoris migravit ad Dominum. » Id tamen die sequenti contigisse scribit auctor Chronici Malleacensis, qui sancti Geraldi mortem et stellarum e cœlo casum VIII. Idus Aprilis consignat. At ei non solum Hugonis, sed et utriusque Vitæ sancti Geraldi scriptoris præferenda est auctoritas. Et quidem hac ipsa die memoratur in vetusto Necrologio monasterii Sancti Petri Carnotensis. In Necrologio Corbeiensi, quod non multo post ipsius Geraldi obitum exaratum est, hæc leguntur: « Nonis Aprilis obiit Geraldus Stephani Silvæ-Majoris abbas et monachus nostræ congregationis. » Eadem die festivitas ejus in vetusto Silvæ-Majoris Kalendario præscribitur. Hinc merito Geraldi nomen Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino die 5 Aprilis consignavit, ubi « magnæ patientiæ et humilitatis vir » appellatur; qui vero ejus memoriam ad alios dies revocarunt, hunc beatum virum cum aliis sanctis cognominibus confudisse videntur. Quod potissimum contigisse non dubitamus die 13 Octobris, quod hac ipsa die sancti Geraldi Auriliacensis apud Arvernos, proindeque in Aquitania, comitis celeberrimi in vetustis Monumentis memoria fiat. Hinc Molanus hac ipsa die in sanctorum Belgii Natalibus, laudato Rubenevallis Martyrologio, ubi sancti Geraldi confessoris memoria habetur, Geraldi nostri laudes ex veteri poeta, et ex Lisiardo prosequitur. Ferrarius vero in catalogo generali sanctorum eadem die Geraldum nostrum, cum Geraldo Auriliacensi, atque alium ejusdem nominis abbatem Lemovicensem laudat; at Bucelinus licet nostrum Geraldum jam die 5 Aprilis consignasset, ejus tamen memoriam iterum repetit 13 Octobris. Sed hæc persequi fusius nihil juvat. Fatendum est tamen præcipuam beati Geraldi festivitatem antiquitus celebratam fuisse die 21 Junii, quod ea die sacrum ejus corpus e terra levatum fuerit. Id. constat ex litteris Ottonis Aquitaniæ ducis, quas infra exhibebimus. Duplex ejus festum commemorat Silvense Kalendarium : scilicet ejus obitus, ut modo dicebamus, die 5 Aprilis, et Revelationis, die 21 Junii.

21. Porro adeo celebris fuerat beati Geraldi, etiam adhuc viventis, sanctitas, ut statim post mortem nemo dubitaverit eum sanctum appellare, ac reliquias ejus ac tumulum venerari, etiam priusquam a summo pontifice inter sanctos authentice relatus fuisset. Id non solum ex utroque ejus Vitæ auctore constat, sed etiam ex Baldrico tunc abbate Burguliensi, postea archiepiscopo Dolensis Ecclesiæ, qui accepto beati abbatis, qui ejus amicus fuerat, mortis nuntio, statim, pro illorum temporum more, versus conscripsit in varias Ecclesias transmittendos, in quibus Geraldum « sanctissimum » appellat, atque eum precibus, ut alii defuncti, non indigere; quin et eumdem, ut sibi aliisque viventibus subvenire non dedignetur, exorat. Aliquot ex istis versibus huc proferre nemini fore ingratum censemus. Cæteros qui legere volet, adeat, si libet, Chesnium tomo IV Historiæ Francicæ scriptorum.[1]

Cum pro defunctis soleant orare fideles,
Proque sibi charis perpetuent lacrymas;
Pro Patre Geraldo nihil est utriusque necesse,
Qui cœli civis incola vixit humi.
Silvæ-Majoris jacet hic sanctissimus abbas,
Abbatum splendor, et monachile decus.
Gallia, congaude Geraldo, quem genuisti,
Ac cineres sanctos hic venerare suos.
Ora pro nobis, Geralde, Pater reverende :
Non opus est pro te nos aliud petere.

22. Procedente tempore cum miracula ad beati Geraldi tumulum frequenter fierent, visum est operæ pretium sacrum ejus corpus, ne qui, ut innuere videtur secundæ Vitæ auctor, ipsum furarentur, alio transferre, « ubi secretius et tutius haberetur. » Id tempore Petri septimi abbatis, qui olim beati viri discipulus et capellanus fuerat, factum fuisse narrat uterque Vitæ auctor, convocatis ad hanc solemnitatem episcopis, abbatibus et aliis viris nobilibus. Non tamen in sanctorum numerum publico decreto relatus est Geraldus ante sæculi XII finem. Tunc quippe duo monachi Silvæ-Majoris Romam adeuntes, pontifici, qui tunc Cœlestinus III erat, litteras obtulerunt, ab archiepiscopo Burdiga-

Digitized by Google

lensi aliisque provinciæ episcopis, abbatibus et viris nobilibus scriptas, quibus Geraldi sanctitas asseretur, quam incorrupti mores dum viveret, et infinita propemodum miracula ab eo tum vivente tum defuncto patrata inconcusse approbabant. His examinatis ac ponderatis, ac nonnullorum episcoporum Gallicanorum, aliorumque qui forte tunc Romæ aderant, testimonio comprobatis, sancivit pontifex Geraldi nomen in sanctorum catalogo esse ascribendum, ejusque festivitatem deinceps in provincia Burdigalensi fieri celebrem voluit, dato diplomate, quod hic exhibemus, quod hujus canonizationis gesta clarius exponat.

« Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per provinciam Burdigalensem constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

« Sicut phialæ aureæ odoramentorum plenæ orationibus sanctorum (*Apoc.* v, 8) in conspectu Altissimi, ad expiandam eximinum nostrorum corruptelam odorem suavitatis emittunt; ita saluti nostræ plurimum credimus expedire, si eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipsorum merita solemnibus recolendo præconiis, quorum in cœlo speramus intercessionibus assiduis adjuvari. Sane cum dilecti filii G. et P. monachi Silvæ-Majoris ad sedem apostolicam accessissent, et de sancta conversatione, vita et meritis beati Geraldi, ipsius monasterii fundatoris, tam per litteras venerabilium fratrum nostrorum Burdigalensis archiepiscopi et suffraganeorum ejus, quam aliorum, abbatum videlicet et nobilium, nos plenarie instruxissent, et plurima certe indicia eorum nobis et fratribus obtulissent, et per venerabiles fratres nostros Rothomagensem archiepiscopum, Catalaunensem episcopum, et quosdam alios, (qui miracula quæ Dominus per illus sancti viri merita operatur plenius cognoverunt,) certiores fuissemus effecti; auditis etiam virtutis ejus et miraculorum insigniis, et quod inter carnales spiritualem, inter homines etiam angelicam conversationem habuisset, ipsum, qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit, (ne debito ipsius honori et gloriæ quodammodo videremur detrahere, si sanctificatum a Domino permitteremus ulterius devotionis humanæ veneratione carere) de fratrum nostrorum consilio canonizavimus, et decrevimus ipsum in sanctorum catalogo numerandum. Cum ergo lucerna ejus sic arserit in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non sub modio, sed super candelabrum (*Luc.* xi, 33) meruerit collocari, ut in se ardens per opera charitatis, luceat aliis per exemplum: universitatem vestram rogamus, monemus, et auctoritate qua fungimur præcipiendo mandamus, quatenus ad venerationem ipsius devote ac salubriter excitati, ipsum festivitate solemni, constituta die, annis singulis excolatis, ut idem orationibus votivis pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat.

« Datum Laterani v Kalendas Maii, pontificatus nostri anno vii, » id est anno vulgaris æræ MCXCVII cum Cœlestinus anno 1191, mense Aprili, in Clementis III defuncti locum substitutus fuerit. Idem pontifex paulo post, id est VI Idus Maii ejusdem anni, indictione XV, Petro abbati (qui totum hoc canonizationis sancti Geraldi negotium præcipue curaverat) ejusque fratribus amplissimum diploma concessit, quo omnia privilegia et bona, quæ ibidem recensentur, monasterio Silvensi asseruntur et confirmantur.

23. Scripsit idem pontifex Ottoni Aquitaniæ duci, ut eum faceret certiorem de beati Geraldi canonizatione, invitaretque eum ad celebrandam tanti viri festivitatem. Has Cœlestini litteras videre non licuit, sed præ manibus habemus duas ipsius Ottonis ea de re epistolas, in quarum prima archiepiscopos, aliosque Aquitaniæ *prælatos* monet, ut festivitatem sancti Geraldi in suis synodis promulgent; in altera vero suis ipsius officialibus mandat ut universis ad festivitatem sancti Geraldi, et ad nundinas quas ea occasione omnino liberas concesserat, convenientibus securitatem omnem procurent. Hactenus hæ litteræ servantur in Archivo Silvensi, ubi sic habentur:

« Otho dux Aquitaniæ, comes Pictaviæ, venerabilibus viris archiepiscopis et episcopis, aliisque Ecclesiarum prælatis in ducatu Aquitaniæ constitutis, salutem. Sciatis quod dominus papa significavit mihi per litteras suas sanctum Geraldum primum abbatem et fundatorem monasterii Silvæ-Majoris, multis et magnis attestantibus signis ejus et miraculis, in cœlo jamdudum gloria et honore coronatum, nuper de consilio et ex decreto Romanæ Ecclesiæ ob meritorum ejus atque virtutum insignia quæ fecit per illum Dominus, ab eadem Ecclesia Romana canonizatum, et in Catalogo sanctorum annumeratum, præsentibus quamplurimis archiepiscopis et episcopis, aliisque Ecclesiarum prælatis, ipsiusque festum cum devoto laudis obsequio Romæ solemniter celebratum, mandans mihi quatenus festos ejus, ut ipsius meritis debeam et intercessionibus adjuvari, devote celebrem, eumdemque Dei sanctum sincera colam et venerer devotione, atque alios exemplo et hortatu meo ad hoc ipsum inducam. Mandatum ergo apostolicum devote in hac parte suscipiens et reverenter amplectens, rogo vos quatenus in synodis vestris et in ecclesiis et conventibus hoc ipsum fidelibus vobis commissis ob reverentiam ejusdem sancti denuntietis faciendum et diligenter observandum, ut pro nobis omnibus intercedat ad Dominum. Omnibus autem, quicunque ad visitandum sanctum corpus ejus et ad dies festos ipsius, sive ad feriam et ad nundinas venerint, quas concedo eidem monasterio penitus liberas, et ibi constituo celebrandas singulis annis in die Revelationis [*f.*, Relevationis] ejus, quarto die ante Nativitatem sancti Joannis Baptistæ, universis præsto plenam securitatem eundo et redeundo, mandans universis senescalcis, præpositis et ballivis meis, ut feriam, cum requisiti fuerint a fratribus ejusdem monasterii, faciant mandari et præconari; et libertates et securitates constitutas

Digitized by Google

observent inviolabiliter, et faciant ab aliis similiter observari. »

24. Similes litteras idem Otto ad suos officiales ea de re scripsit.

« Otho dux Aquitaniæ, comes Pictaviæ, omnibus senescalcis, præpositis et ballivis suis in ducatu Aquitaniæ constitutis, salutem. Sciatis, » etc., ut in prioribus litteris. « Rogo vos quatenus eumdem sanctum pro salute vestra exemplo mei debito honore veneremini, ut pro nobis omnibus intercedat ad Dominum. Vobis etiam et universis senescalcis, præpositis et ballivis meis firmiter præcipio, quatenus cum requisiti fueritis a fratribus ejusdem monasterii, festum ipsius Sancti et feriam in die Revelationis ejus quarta die ante festum sancti Joannis Baptistæ faciatis in locis a me vobis commissis mandari et præconari. Omnibus autem quicunque, etc. Mandamus vobis ut libertates et securitates constitutas inviolabiliter observetis et faciatis ab aliis firmiter observari. Teste me ipso, apud Vasatum, nono die Martii. »

25. In his litteris innuere videtur Otto festivitates saltem duas, « festos » quippe appellat, in beati Geraldi honorem jam tunc celebrari solitas fuisse, sed a quo institutæ fuerint non memoravit. Certe a vero aberravit P. Papebrochius, qui existimavit Cœlestinum pontificem, in ea bulla, quam supra retulimus, archiepiscopo Rothomagensi et episcopo Catalaunensi in mandatis dedisse, ut festum beati Geraldi constituerent. Nihil enim ea de re habet Cœlestinus in bulla laudata; nec institutæ ab eis die XIII Octobris festivitatis, ut ille arbitratus est, ullum superest in antiquis, aut recentibus Silvæ-Majoris Breviariis, Martyrologiis aut Necrologiis vestigium. Multo verisimilius est illas beati abbatis festivitates ab archiepiscopo Burdegalensi, aut sane ab omnibus Aquitaniæ præsulibus promulgatas fuisse in aliqua synodo provinciali, tametsi, ut quod ea de re sentio ingenue dicam, crediderim potius ambas beati Geraldi festivitates, depositionis scilicet ejus, et relevationis seu translationis, ante sancti Geraldi canonizationem celebratas fuisse, maximo saltem populorum concursu. Cum enim ex utraque ejus vita certum sit populos ad ejus tumulum etiam ex dissitis regionibus frequenter convenisse, haud dubium quin id potius fieret in anniversario ejus depositionis, aut certe translationis (quæ quidem translatio celeberrima fuerat) quam aliis diebus; licet enim beati viri festivitates nondum publico officio in ejus honorem edito celebrarentur, his tamen laudatis diebus, uti conjicere est, memoria ejus solemnis fiebat, qualis hodieque in plerisque ordinis nostri monasteriis ex antiquo Patrum nostrorum instituto fieri solet, in quibus primorum abbatum et fundatorum anniversaria solemnissime singulis annis statis diebus celebrantur. Hæ itaque solemnitates, quæ primum, ut quidem nobis videtur, ad simplicem beati Geraldi memoriam observabantur, eo canonizato, in veras festivitates transmutatæ sunt; atque tunc primum officium publicum in ejus honorem celebrari incœpit.

26. Et quidem de lectionibus, antiphonis et aliis divini officii precibus, id certum est ex epistolis Stephani Tornacensis episcopi, viri pietate et doctrina tunc celebris, qui ad hæc in sancti Geraldi honorem componenda ab abbate et monachis Silvæ-Majoris sollicitatus, eorum precibus assensum præbuit. Id ipse testatur Stephanus, epistola 277, « ad abbatem et capitulum Silvæ-Majoris » scripta. In sequenti vero, quæ male « archidiacono Burdigalensi » inscribitur : nam scripta est ab ipso archidiacono ad Stephanum, ut ab eo, nomine abbatis et monachorum Silvæ-Majoris, imo totius « diœcesis Burdigalensis, » postularet, « ut secundum gratiam » quæ « data erat » ipsi, « in antiphonis super psalmos, et in responsoriis super lectiones, et in prosa et collecta officiaretur. » Quod cum exsecutus fuisset Stephanus, idem abbas et totus monasterii conventus, transmisso ad Stephanum baculo cypressino in xenium, gratias ei quam maximas retulerunt, eique « fraternitatem monasterii in generali capitulo » concesserunt, id est consortem eum fecerunt omnium bonorum operum, « tam in vita quam in morte, » quæ a Silvensibus monachis fierent, ita ut post ejus mortem eædem preces pro eo solverentur quæ pro fratribus ejusdem monasterii solebant fieri. Hæc fusius in epistola eorumdem inter alias Stephani, num. 279. Officium vero ab ipso Stephano compositum, id est lectiones, hymni, collecta et unum responsorium in cæterorum specimen editum est Parisiis anno 1679, ad calcem ejusdem Stephani epistolarum, quas notis et observationibus illustravit R. P. Claudius du Molinet, canonicus regularis congregationis Gallicanæ.

27. Cæterum archidiaconus Burdigalensis in epistola, quam modo laudabamus, non solum Geraldi sanctitatem pluribus extollit, verum etiam monachos Silvenses laudat, quod cæteros ejus ævi viros religiosos regularis disciplinæ observantia et ordinis vigore antecederent. Ejus verba proferre juvat in beati abbatis ejusque filiorum honorem. « Beatus Geraldus de partibus, » inquit « Gallicanis trahens originem, cujus vita coram hominibus laudabilis floruit, et speciosa pretiosaque mors in conspectu Domini signis attestantibus radiat, et miraculosa refulget. Qui ad partes Burdigalenses accedens monasterium Silvæ-Majoris et a primo lapide fundavit, et regularibus disciplinis reformavit hoc anno a domino papa Romæ debita missarum solemnitate authenticatus, in Catalogo sanctorum meruit ascribi. Qualiter autem per Dei gratiam in prædicto monasterio super communes regulas monachorum ordo vigeat et ferveat, præconio famæ fidelius et efficacius quam styli officio vestra magnitudo poterit edoceri. » Eosdem laudat Elias, qui tunc temporis Burdigalensis erat archiepiscopus, quod spiritualibus semper essent intenti. « Scimus, » inquit in charta donationis ecclesiæ de Campanis, « et ex

Digitized by Google

conversatione frequenti, quam circa vos habuisse A Geraldum, abbatiam Silvæ-Majoris, et fuit ibi mul-
d gnoscimur, indubitanter agnoscimus, vos tanquam tum honorifice et solemniter receptus. Sunt ibi mo-
spirituales viros quæ Jesu Christi sunt amplecti sem- nachi nigri, et est locus multum insignis, et quia
per et quærere, et in iis quæ ad opera charitatis non comeduntur in corpore abbatiæ carnes, domi-
respiciunt vos jugiter exerceri, » etc. Idem ferme nus cum suis sociis comedit supra portam, et come-
occurrit in variis chartis, quas non vacat singil- dit ibi carnes. Et venerunt ad dominum quidam
latim laudare. Sed prætermittere non licuit insignem monachi inhibentes abbati Sancti Sulpicii, ne carnes
locum instrumenti visitationis a Simone Bituricensi comederet ibi, quia ipse faceret contra constitutio-
archiepiscopo anno 1284 per provincias Bituri- nem ordinis sui. » Hic erat etiam extremis istis
censem et Burdigalensem factæ. Ibi enim refertur temporibus monachorum Silventium fervor. Porro
quod cum archiepiscopus ad Silvam-Majorem acces- monasterium Silvæ-Majoris etiam nunc celebre sub-
sisset, coactus fuerit supra monasterii januam co- sistit, nostræ congregationi Sancti Mauri unitum,
medere, quod intra loci septa carnibus vesci non ubi inter alia sacra cimelia servatur corpus beati
liceret; imo, ut ibi additur, cum monachi rescivis- Geraldi, in veteri theca laminis æreis et statuis
sent abbatem Sancti Sulpicii cum archiepiscopo ad deargentatis ornata inclusum. Sacrum vero illius
mensam sedere, et cum eo carnes comedere, hanc B caput a reliquo corpore sejunctum in vas argenteum,
regulæ infractionem ægre tulerunt. « Venit, » ut in ejus effigiem referens, ab aliquot annis illatum
ipso instrumento legitur, « dominus apud Sanctum est.

VITA S. GERALDI ABBATIS.

1. *Auctoris ætas.* — Christianæ religionis habitum A sed ad Dei gloriam facta est hæc descriptio : nemini
gerens, omnium Dei fidelium cupiens salutem, autem grave videatur vel indignum, tantum Spiritus
universæ Ecclesiæ salutem in Domino. Quoniam sancti habitaculum vocari sanctum, quia si cognovit
video multa præteritis acta temporibus chartulis et fecit justitiam, et vidit mirabilia magna et ex-
commendata, ne oblivione deleantur, placuit oravit Altissimum, sine dubio inventus est in numero
quoque, ut quæ facta diebus nostris sunt, nostri sanctorum. Quicunque hæc legerit vel audierit,
officio ingenioli ad posteros transmittantur. Si ignorantiæ scriptoris ignoscat, et non quali stylo,
enim illi patres nostri, quæ solius jactantiæ sed de quo; per quem factum sit opus [attendat,
causa fiebant, tanto sudore nobis curavere no- et] artificem codicis non requirat. Nemo enim
tificare, quanto magis nos quæ Dei sunt, ne sanum sapiens phalerata verborum figmenta [*al.*,
silentio deprimantur, debemus elaborare. Igitur concinentiæ] debet attendere, sed utrum catholicum
eorum exempla in bonum nobis vertamus, et quod sit, quod attendit mentis intuitu subtiliter perspi-
illi ad humanum favorem, nos ad gloriam faciamus cere. Istius vero veritatis Deum imprecando testem,
divinam. Aggrediamur itaque quod incœpimus veniamus ad narrationem.
enarrare, et non nobis dulce sit amplius accepto 2. *Geraldus Corbeiæ natus. Ibi in monasterio edu-*
opere evagari. Primum quidem factorem omnium C *catur. S. Nivolao similis.* — Geraldus igitur Corbeiæ
et Redemptorem deprecamur, ut nobis mare tan- parentibus non ignotis oriundus, in ipso Corbeiæ
tum ingredientibus manum dignetur porrigere, cœnobio ad Deo serviendum a parentibus est tra-
quatenus qualiter beatissimus Geraldus, Silvæ-Ma- ditus, ubi sic in sancta conversatione pueritiæ suæ
joris abbas primus, in ejus vitæ exsilio vixerit, annos exercuit, ut ab hujusmodi delectationibus
quantasque tentationes ei antiquus hostis intulerit, quas amplecti solent pueri omnino alienus videre-
quamque fortiter contra ejus tentamenta, auxilio tur, et ab omnibus qui in hoc eodem cœnobio erant
munitus divino, pugnaverit, quantamque miseri- amplius quam coetanei sui diligeretur. Hunc ama-
cordiam ei Dominus omnipotens contulerit, si non bant pueri, quia pueros ad omne bonum invitabat :
ut deceret, qualicunque saltem modo explanantes, hunc juvenes diligebant, quia in eo totius probitatis
charitatis carina subvecti, velificante fide, sancti et patientiæ exempla capiebant : illum senes mira-
Spiritus gratia carbasa nostra perflante, per justi- bantur, quia eum ultra suæ ætatis vires eniti spe-
tiæ semitam ad portum salutis valeamus pertingere. culabantur. Quid ultra? Ita ab omnibus qui in
Proinde lector imitetur in Dei servo constantiam, cœnobio erant, tam monachis quam laicis diligeba-
in infirmo patientiam, in patiente longanimitatem, tur, ut Deus in eo omnipotens et mirabilis prædi-
in longanimitate irremissum tenorem; nec præju- D caretur. Nec mirum; quia quem Deus gratia perfu-
dicet nimietatem in dictis, quia nec digiti scripto, derat, necesse erat ut ab omnibus amaretur. In
nec lingua valet ut est exæquare verbis; maxime humilitate quippe persistens, quæ custos materque
cum idem vix ea voluisset referre, ne utique ad virtutum esse probatur, obedientiæ scilicet armis
laudem suam videretur proferre. Non ergo notetur munitus, illum sequi studebat, qui usque ad mor-
in eo aliqua falsæ laudis opinio, quia non ad suam, tem crucis Patri obediens (*Philipp.* II) in hujus vitæ

Digitized by Google

exsilio descenderat. Vere puer Altissimi effectus, in quantum poterat, Jesum in se mirabilem ostendebat. Quis unquam Dei mirabilia satis poterit admirari? Nihil enim est Deo difficile, vel in paucis, vel in majoribus sicut placuerit operari; quia sive puer, sive in quacunque ætate, necesse est omnes, si voluerit et juverit, ei omnino famulari. Audivimus sanctum Nicolaum ad matris adhuc ubera pendentem, quarta et sexta feria semel in die mammas bibere, et hac vice contentum tota die perseverare; et Dei opera considerantes non possumus conticere: hunc vero puerum nostris temporibus adeo benedictum talem se omnibus exhibere, ut ab omnibus amaretur, audientes, non ausi sumus Dei mirabilia non prædicare. Laudemus Dominum in sanctissimo Nicolao, magnificemus etiam eum in hoc puero, tam mirabiliter sancti Spiritus gratia repleto: non autem illum sancto Nicolao audemus æquiparare, sed in utroque Dei mirabilia volumus prædicare. Mirabilis enim Deus in sanctis suis (*Psal.* LXVII), et nunc semper, et per infinita sæculorum sæcula.

3. *Fulconi abbati charus. Exterioribus præficitur.* — Temporibus autem illis, legibus mortis invidentibus, abbatem Richardum (1) Fulco ejusdem sedis et honoris sortitus est hæredium. Postquam vero prædictus puer adolescentiæ annos ingressus est, non oblitus quæ in pueritia gesserat, ad altiora se extendit; et de virtute in virtutem Dei auxilio conscendens, omnibus bonis se formam et speculum exhibuit. Justificationes Domini adolescentulus non obliviscens, ab ipso, ut viveret, intellectum expetebat, qui cum toto mentis affectu quærentibus dat affluenter, et non improperat. Vere quidem unus ex agricolis, quibus vineæ commissa cura Dominicæ, qui fructum Domino suo congruo reportavit in tempore, talenti etiam commissi die noctuque incessanter meditans lucrum; et illius inertis servi, qui domini sui pecuniam abscondit, metuens vehementer elogium, felix non desistebat exercere negotium: quatenus domino suo, dum veniret, multiplicatum reportare posset talentum (*Matth.* XXI, XXV). Cum autem abbas sub quo degebat, videret eum ita, ut diximus, ab omnibus admirari, secum cœpit ut sapiens meditari, quia in eo si viveret, boni aliquid excusaret; et Deum, cujus videbat quod erat donum, devote deprecari, ut conservaretur et in melius proficeret. Denique eum ad se asciscens, famulatuique suo ut monachum addicens, cœpit ut solitus erat quocunque pro ecclesiæ suæ responsis necessarium habebat percurrere, eum sibi adjutorem, et in quibus poterat providum consiliatorem, deducere. Bonæ indolis adolescens corporaliter A claustro egressus, et ad publicum productus, multis exemplum probitatis futurus, custodiam sibi Spiritum sanctum constituit, qui eum ab omni concupiscentia sæculari immunem extorremque custodivit. Nam quocunque se verteret, ut in monasterio solitus erat, jejuniis et orationibus, ut tempus et hora patiebatur, intentus, omne psalmodiæ pensum, ne aliquando quod Deo promiserat deficeret, reddere conabatur; cum vero ad matris gremium expleto diligenter responso remeabat, parvipendens quæ foris viderat, vigiliis et orationibus et jejuniis carnem fortiter affligebat.

4. Mirandis miranda succedunt. Sic sæcularibus negotiis inerat, ut custodiam mentis non amitteret: sicque jejuniis et orationibus invigilabat, ut tamen B ecclesiæ utilitatibus usquequaque discurreret. Si dictis evangelicis attendimus, non est mirandum: promisit enim Deus omnibus in eum crediturus se præsto adfuturum; dicit enim in Evangelio: *Nolite timere, vobiscum* enim *sum omnibus diebus vitæ* vestræ *usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Et alibi: *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* X). Et iterum: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve* (*Matth.* XI). Quas voces Dominicas adolescens supradictus intelligens, devotus acquievit, et ad eum ut ea promissa compleret gaudenter accurrit. Superbiam et pompam sæculi C omnino derelinquens, ejus se totum præcepto humiliavit, et ut ovis mansuetus, Domini institutionibus nihil hæsitans mancipavit; cujus tanta fuit erga abbatem subjectio, ut omnes præcelleret erga eum abbatis dilectio: sicque licet impar, honor par tamen onus [*Boll.*, oneri] erat, dum usquequaque præsens esset, sicut se habet illud ministerii genus.

5. *Nimium fatigatus. Capitis dolorem incurrit.* — Et quia locus erat aliquantulum destitutus, penuria temporum (2) et tempestate bellorum, cœpit abbas omnibus horis omni ingenio instare ad relevandum. Non nox, aut æstus diei, aut hora edendi aut bibendi remorabatur eos ab utilitate loci, mutata est omnis D pristina consuetudo, aliquando horam præveniendo, aliquando jejunium protelando, aliquando plus solito, aliquando minus sumendo, et insuper naturam dormiendi inæqualiter transgrediendo: quod nequaquam fieri potuit sine gravi periculo. Hac ergo mutatione uterque magnam infirmitatem incurrere; sed majorem juvenis, quia immaturior erat moribus et ætate. Talem enim et tantam infirmitatem incurrit, qualem et quantam nullus hominum explicare possit,

(1) Richardum *beatæ*, alias *felicis memoriæ*, abbatem appellat ipse Geraldus in lib. I Mirac. S. Adalhardi, ubi plura de eo habentur, supra sæc. IV, parte I, pag. 361 et seqq. Fulco ei successit anno 1048, rebus præclare gestis celeberrimus; anno sequenti concilio Remensi sub Leone IX interfuit. Eum multi ad annum 1097 pervenisse putarunt. At Evrardus, ejus successor, concilio Compendiensi interfuit anno 1085.

(2) De his ipse Geraldus lib. I De miraculis S. Adalhardi cap. 3; qui liber editus est sæc. IV, parte I, p. 358.

Digitized by Google

non lingua, non scripto, non alicujus tractitationis [*Boll.*, tractationis] modo. Modus enim non erat aliquis infirmitatis, quem ferre nequiret, nisi Dei clementia [sustentus] mortalium aliquis. Habebatur autem in capite, qui locus quantæ gravitatis sit, in hoc apparet quod ea pars corporis cætera membra solet dirigere; nec est aliqua hujus infirmitatis comparatio, ubi videlicet, si fieri posset, decapitatio unica videretur doloris remissio. A mento denique usque ad verticem non ferri, sed quæ gravior erat, infirmitatis ligatus vallagia, nusquam caput nisi cum totius corporis circumferre valebat machina. Omnes adamantinæ venæ capitis torquebant juvenem sine intermissione, nulla doloris requies, omnes horæ diei inæquales; omne tempus importunum, omnis locus auctor dolorum. Si enim exiret ad solem, videbatur sibi videre totum mundum vertentem; si respiceret cœlum superius, videbatur sibi ruere super caput inferius; si equitaret, videbatur sibi suspectus ne in præceps caderet; si sederet in tecto aut in monasterio [*al.*, domicilio], videbatur sibi quasi totam molem ædificii sustinere capite suo. Existimabat autem hanc se infirmitatem incurrisse, insueta videlicet cibi potusque et somni mutatione; sed, sicut monstrabitur in sequentibus, revera fiebat summi Judicis præjudiciali voluntate, quanquam hæc omnia peccatis suis studeret imputare: et quoquo modo fieret, nemo erat conscius quanta angustia laboraret, excepto uno servitore suo æquivoco suo, quem ea asciverat sibi familiaritate, ut sibi succurreret in hoc præjudicio. Remanserat siquidem in juvene quidam pudoris respectus, cum cætera omnia latereut, præter quæ portendebat suffusio oculorum et mœror languentis vultus. Omnibus enim devitabat conscientiam suam insinuare, ne mollior [*al.*, melior, *seu* vilior] fieret ipsa infirmitatis devotione. Quid ergo faceret, quo se verteret? erat miseriam et dolorem videre, florem scilicet primæ juventutis non sine gravi damno marcescere. Si quis enim videret oculos lacrymis suffusos [*eod.* 1, suffossos], et vultum dolentis mutantem colores varios, non illi dubium esset quanta angustia et tristitia eum interius turbaret.

6. *Ad medicos frustra recurrit. A Deo medelam exspectat.* — Tandem non valens amplius ferre, cœpit sententiam medicorum inquirere; et quia quod homines tot sententiæ, unus asserit eum curandum venæ frontalis incisione; [alius] adhibendo potiones et totius species medicinæ. Quæ omnia ille ferebat patienti animo. Si enim vivus arderet, haberet quasi pro remedio, cum omne ingenium et industria medicorum cederet econtrario. Quid enim illi proficerent hominum medicinæ, quem Deus sancti Adalhardi curandum reservabat magnificentiæ? (*infr.*, n. 14.) Multa itaque sine utilitate sui medicis expendendo, cœpit excogitare, quia non est Deus ut homo; et, quicunque sit medicus, Domini est salus; quamobrem crescente infirmitate in deterius, spem suam omnem tollit ab homine, et Deum quærit medicum infirmitatis suæ. Denique præfato servitore suo tantum conscio, ubicunque valet, et quæcunque valet subtrahit ori suo, et in pauperibus ministrat Christo. Occasione medicorum ab amicis quæque valet accipit, et exinde tres pauperes ad imitationem Dominicæ cœnæ sibi constituens, pedes eorum quotidie abluit, lacrymis rigat, capillis et camisia tergit, mensam et cibos apponit; deinde projiciens se in eodem loco ante pedes eorum ad orationem, quasi ibi præsentialiter videret sanctam Trinitatem: « Sancta Trinitas, clamabat cum lacrymis, aufer a me hanc quam ferre nequeo infirmitatem. Ubi est, Deus, promissum tuum? Quacunque hora me invocaveritis, dicam: Ecce adsum (*Psal.* CXV). Ubi sunt tot misericordiæ, tot miserationes, tot clementiæ tuæ? Sed suffers, quia pia intentione differs. »

7. *Abbatem Romam euntem comitatur.* — Adhuc ergo recenti incisione plagarum et gravissima incensione arteriarum, abbas Fulco, statuens ire Romam ecclesiasticæ utilitatis et gratia orationum, prædictum juvenem secum monet ire, ut fidelem amicum. At ille libenter obediens paratum se respondet, et si corpore, sed non bona voluntate deficiens. Sed cum abbati ab exteriora videntibus suggestum fuisset quod juveni itineratio tanta periculosa foret, iterum ut quiescat amabiliter monet. Ille vero humiliter totus obsistit, ea tantum intentione ut, si humanis decederet, Deus misereretur ejus animæ; si autem Dei clementia Romam perveniret, a sancto Petro, cujus erat servus, misericordiam sanitatis imploraret. Quid ergo? vicit humilitas in isto, amicitia in illo; prædatur amicos, diripit ab eis diligenter nummos, de quibus per viam relevet aporiatos. Ita viam ingreditur, et quod sanissimus quispiam vix valeret, infirmus aggreditur, laborat dolore plagarum, et nimietate infirmitatum. Semper solus retrorsum equitabat, quia quæ levamen esse deberet, etiam loquela sociorum sibi gravis erat, utpote qui, nisi Dei se clementia detineret, pene extra se aliquando fiebat. Cumque tamen obviaret pauperibus, virtute qua poterat, descendens de equo nummos et seminummos clam claudebat in eorum manibus, et dulciter exosculans, quasi ad præsentem Deum [*al.*, Dominum], ut veraciter erat, cum gemitibus et lacrymis clamans aiebat: Domine Deus, succurre mihi in cunctis tuis miserationibus. Et sic ascenso equo stupefactus ibat, menteque, quæ sana tantum remanserat, semper hærens Deo.

8. *Alpes conscendit.* — Pervenitur ubi dicuntur Sancti Dionysii hospitia, adhuc celebrata ex nomine ejus, ibique servitor, cui deputatum erat, respectis ut solebat incisionibus: Heu, domine, ait, res tua quotidie cedit in deterius. Non poteritis viam perficere; necesse est vos cum seniore nostro consilium habere. Deinde abbati suggessit. Abbas tristis fratrem accersivit, ut ibi remaneat, aut electis quos malit hominibus redeat retro, omnino monet, precatur et consulit. Iloc autem dico-

Digitized by Google

bat, cum adhuc interiorem infirmitatem nesciens, tantum exteriorem videbat, celaverat enim sicut et reliquos rem suam abbatem suum, ea videlicet causa, ne impediret iter cœptum. Cujus monitioni humiliter obsistens omnimodis precibus : Non, ait, domine, causa retrogradiendi, sed causa proficiscendi, si Deus et vos permiseritis, sum hoc iter aggressus. Veni jussioni vestræ obediendo, præter eam etiam alia restat necessitas in supplendo. Quapropter precor in Dei amore vestram paternitatem, ne reditu eam imponatis mihi, cui contradicere non valeam, jussionem. Ad hæc videns abbas perseverantiam juvenis, annuit ejus voluntati et desiderio bonæ intentionis. Cum autem ad montem Jovis (*Monjoux*) pervenissent, ascendit montem non tantum Jovis sed etiam Bardonis, nec equo sed pede; nec animæ tantum causa, quantum flectendæ pietatis Dei in recuperanda salute. Tanta erat vis doloris, tantus amor adipiscendæ sanitatis, in cujus comparatione viluerant omnia quæ creaverat Conditor orbis. Ubi vero ascendit Gaudii montem, nudis pedibus et cuculato capite incedens, lacrymis et singultibus occulte pascebat dolorem.

9. *Romam pervenit.* — Pervenit Romam; cujus ardens desiderio, quot passibus tot angustiis quæsierat eam, quæritur hospitium, itur oratum. Quis posset referre quantas lacrymas ibi fudit ante Dominum suum? Non eget referre, si quis amorem et dolorem, desiderium et infirmitatem velit conferre. Manserunt ibi diebus octo, ubi juvenis satisfacere putavit lacrymis suis et voto; sed quomodo satisfaceret, quàndiu eum tanta angustia premeret? Veniebat quotidie ad ecclesiam, et quasi ore ad os deberet colloqui sancto Petro, lumbo tenus intrabat sanctuarii arcam (3), ubi pulsans fidei pietate, non solum affectu cordis, verum etiam motu corporis, patefactis memoriæ ostiolis, Deo et sancto Petro solis testibus, omnia illic lavit, rigavit lacrymis et fletibus; aliis dormientibus ipse vigilabat, et clam surgens, locatis (4) custodibus, Sanctum Petrum revisebat. Erat autem hæc summa petitionis suæ ut si non mereretur adipisci salutem, impedientibus peccatis suis, vel hanc sibi Petrus impetraret veniam apud clementiam summi Judicis, nec illam quæ adhuc erat scintillulam amitteret sanæ mentis. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia tua, Domine! Non vis dare Petro Romæ quod reservabas sancto Adalhardo Corbeiæ.

10. *In Apuliæ itinere, a latronibus invaditur. Casinum invisit.* — Expletis itaque octo diebus, gratia ecclesiasticæ utilitatis tendit abbas ulterius, sanctum Leonem papam, qui tunc erat versus montem Garganum, secutus. Illuc etiam, licet deficiat corpus, juveni tamen amplior crescit animus sequendi, non amittendo infirmitatem, sed admittendo in deterius; unde si prius graves, postmodum sustinuit angustias graviores. Quia enim inter Romanos et Apuliones inhorruerat solito superius [*Boll.*, asperius.] tempestas bellorum cum maximo periculo, equitantes quotidie exspectabant fortunæ eventum. Nec defuit fortunæ stropha; incidentes quippe in latrones omnia sua perdidere. Abbas projectus de equo, nusquam terrarum non fuisse voluisset tunc libentius quam illo. Geraldus quoque, sicut semper solebat, retrorsum solus et pendulus equitabat, aurum etiam et argentum abbatis secum habebat; sed quid faceret? quomodo evaderet? Invaditur, de equo projicitur, distrahitur, impellitur, spoliatur; et ad augmentum infirmitatis, etiam graviter flagellatur. Sui quippe, ut melius quisque poterat, fugiebant; nihil putantes perdidisse ex eo quod adhuc vivebant. Recuperatis vero equis per quemdam militem, perveneruntad montem Casinum, ubi juvenis iterum pedes cum lacrymis requisivit Sanctum Benedictum, cumque ibi morarentur biduo, abbati ipsius loci infirmitatem suam intimavit ex consilio. Cui ille cum lacrymis et suspiriis condolendo : Heu frater, ait, sub quanto laboras periculo! eamdem quam et tu pateris infirmitatem quidam ex fratribus nostris incurrit, quam tanta afflictione et tanta passione miser sustinuit diutius, donec modo ad ultimum omnis sensus et omnis humana intentio sibi non sine maximo damno decurrit. Ad hæc ille stupefactus, a quo speravit discedere consultus, recessit desperatior factus.

11. *Subit montem Garganum, fit sacerdos, Corbeiam redit.* — Pervenitur ad montem Garganum, ut devotius potuit, oravit Michaelem archangelum; stilla guttantis aquæ multoties respersit caput suum. Sed quid plura? Occulta sunt judicia Dei; non sanctus Michael in suo Gargano, non sanctus Benedictus in suo Casino, non sanctus Petrus in sua Roma, quod sanctus Adalardus promeruit de hac re in sua Corbeia. Invento itaque papa Leone, omnimodis satagebat, quatenus apud eum sarcinam peccatorum suorum posset exonerare; sed cum non esset accedendi locus, nec commorandi speciale tempus, cœpit contristari et æstuare, si quo modo ad exitum rei posset pervenire. Interea videt quemdam pontificem, nomine Hubertum (5), cui omnem suam conscientiam patefecit, infirmitatem qua laborabat aperit, et quomodo relicta medicina, omnem spem suam commisisset, custodiæ spirituali. At ille temperans modum pœnitentiæ pro modo infirmitatis, laudat propositum juvenis, hortatur insistere cœptis, imperat ne amplius quid faciat sine licentia abbatis. Ita confecto negotio, utrisque a papa etiam sacerdotibus effectis, se cum abbate suo, reditur Corbeiam non sine magno vitæ suæ periculo. Jamque de cor-

(3) Per fenestram quæ ibi habebatur. V. S. Gregor. Turon. lib. 1 De gloria mart., cap. 20.

(4) Id est pretio sibi conciliatis, nec est necessaria, uti censuit Papebrochius, hujus vocis mutatio in *lucratis*.

(5) Sic Corb. Silv. 1 *Robertum*, alii *Ubertum*, Menardus *Gubertum*, quem Papebrochius suspicatur fuisse archiepiscopum Sipontinum.

Digitized by Google

poris sanitate desperatus, animæ quærebat salutem attentius, eleemosynis instare, pauperibus deservire, ecclesiis inhærere, missas, quia noviter ordinatus fuerat, frequenter celebrare; quarum etiam eucharistiæ dum astaret, ita præ angustia infirmitatis stupefactus reddebatur ut nisi Dei clementia, quem inter manus tenebat, teneretur [*al.*, tueretur], totus extra se fieret.

12. *Fit sacrista, ecclesiam exornat.* — Taliter expleto anno postquam a Roma rediit, custos ecclesiæ, qui tunc erat, humanis decessit; cui Geraldus in obedientia successit. Successit obedienter, licet ab ipsa impediretur infirmitate, non aliqua, utpote qui seipsum non habebat, illectus cupiditate, sed ut tali obedientia promereretur a Deo gratiam salutis recuperandæ. Nec deerat tantæ voluntatis occasio, obsistentibus temporibus priorum proposito. Templum quippe noviter fundatum ex toto desertum erat (6), ovibus et porcis et pecoribus patebat, quasi platea aquis pluvialibus ita plenum erat ut anseres et anates natarent per illud, pro pavimento habens unius cubiti sterquilinium, omnibus erat fastidio, omnes transeuntes movebant caput super eo. Huic operi juvenis cœpit instare, si quo modo divinum respectum ad suam miserationem posset inclinare; et licet impediretur penuria temporum, tamen sibi providente Deo, purgavit templum, composuit sedilibus, et ornavit desuper columnulis cum basibus chorum, purgavit cryptam et deambulatoria, aptavit in suis locis decenter altaria. Quid amplius moror? Monasterium quod jam diu ab omnibus dimissum erat, infra tempus sat modicum ita coaptavit, ut ad Deo serviendum videretur idoneum, et tantæ congregationi valde necessarium. Quadam vero die fratres, qui majoris in cœnobio consilii erant, videntes monasterium, ut diximus, optime apparatum, abbatem adeunt, ad videndum quæ viderant adducunt; consilium tribuunt, ut corpora sanctorum qui in monasterio vetusto erant tollerentur, et in loco, quem Geraldus sat convenienter mundari fecerat, cum summa veneratione collocarentur. Consilium datum est et probatum, et quæcunque deerant ad hoc inquiruntur, et omnia, ut diximus, cum gaudio et episcoporum vicinorum confirmatione et populi firma attestatione adimplentur; sicque juvenis magis ac magis in opere suscepto desudans, omnibus necessariis adornavit, illo subministrante, cujus hæc agebat desiderio et amore.

13. *S. Adalhardi implorat opem.* — Proficiebat quidem in voto, sed nullo adhuc infirmitatis levabatur remedio; non ideo tamen desistebat, et summæ sacrarium pietatis pulsans, regno Dei vim faciebat. Opportunitas quoque ecclesiæ et orationum præsto eum assidue habebat et intentum, nulla existente mensura veniarum, in tantum ut digitalibus juncturis nodi insurgerent, et petra durius callum. Quæ enim esset mensura ad Deum clamandi, cujus [*ed.*, cui] nulla erat infirmandi? Videns denique preces suas nihil adhuc proficere, et omnes labores suos, quantum ad hominem, incassum ire, divina animatus inspiratione, sanctum Adalhardum præter omnes et super omnes omnimoda aggreditur petitione; cujus assistens altari, usque ad desperationem jam confusus, miserabili compunctionis humilitate in omnes preces redditur diffusus. Verum illo desuper miserante qui appropinquat contribulatis corde, pervenit ad hoc, quod si prius fecisset, Dei clementia jam liberatus fuisset. Sancto enim Adalhardo vovet laudabile votum, se scilicet pro posse semper et ubique magnificare nomen ejus gloriosum, si sibi impenderet dignationis suæ auxilium; quo se ubi voto ligavit, paulisper solutionem infirmitatis sentire cœpit. Sicque divina clementia ad petitionem quotidie magis ac magis animatus, aliquando post completam (7) coram altari se effundens in omnium orationum effectus, usque ad singultus verba interrumpentes, pene liquescebat in currentes lacrymarum fluctus; tandem laxata vox invenit iter, gemitusque soluti in hæc verba prorumpunt: Sancte Adalharde, Christi amice, suscipe me miserum ante omnes et post omnes confugientem ad te.

14. *Qui eum sanat: Ejus laudes Geraldus celebrat.* — Ubi ergo satis est visus sibi idoneum instruxisse sanctum Adalhardum apud judicem Christum, surrexit, faciem tersit, et gemebundus rediit ad lectum suum; cumque ibi sederet, adhuc singultiens et amens, ex parte altaris specie fulgurea advolavit spendoris globus, qui reverberatis ejus oculis, illustravit totum corpus ejus. At ille stupefactus hæsit, cum subito ruptis infirmitatum nodis, inter cutem, et quasi quibusdam chordulis, caput ipsum ingens crepuit; et non ferens dolorem: Sancte Adalharde, succurre, miserabili voce clamavit; moxque sub silentio se repressit, quia cum ipso dolore virtutem in se factam sensit. Sicque liberatus ab ipsa infirmitate, cujus liberationis desiderio tanto erat fatigatus tempore, laudavit liberatorem libera voce; nec defuit voto, quod paulo ante voverat sancto; ubicunque enim potuit, gloriam ejus exaltavit, exaltando etiam taliter magnificavit. Vitam ipsius apostrophis elegiacis et superfluitate sui offendentem animos legentium, exstirpari fecit ex ipsis sentibus superfluitatum, et plane reductam ad florem historiæ mystice hexametro decoravit (8). Festivitatis ipsius parum quid fiebat memoriæ, sed compositis antiphonis et responsoriis, alta et digna fecit venerari celebritate,

(6) Ecclesia Corbeiæ principalis igne succensa fuerat tempore Richardi abbatis, ut ipse Geraldus narrat lib. I Mirac. S. Adalhardi supra laudato in notis ad num. 5.

(7) Id est post completorium, nisi fallor. Alterius tamen Vitæ auctor, qui nullam S. Adalhardi mentionem facit, id post celebratam a Geraldo missam contigisse scribit.

(8) Vitam S. Adalhardi primo scripsit S. Paschasius-Radbertus abbas Corbeiæ celebris, quam sicut

Digitized by Google

nec absque plurimorum invidia, quos tamen agente Deo et sancto mirabilis redarguit victoria. Multis signis illustraverat oculos adhuc viventium [sanctus Adalhardus] quæ omnia tradiderat oblivioni negligentia eorum ; quæ etiam juvenis diligenter ab eis qui viderant et in quibus facta fuerant exquisivit [Geraldus], exquisita postea litteravit.

15. *Ejus progressus in via Domini post sanationem.* — Vir itaque Domini, ut recedente claritate cognovit se ab infirmitate liberatum, et gratia divina, ut diximus, tam mirabiliter visitatum, memor evangelici eloquii : *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (*Matth.* XXIV), se indefessum in Dei servitio exhibuit, et ante Sancti Adalhardi et alia ecclesiæ altaria, amplius quam antea fecerat, se mactare cœpit. O virum laude dignum, quem nec infirmitas aliquantisper a Dei servitio retardavit, nec sanitas tam mirabiliter recuperata extra se elevavit ! O Domini et Salvatoris nostri clementia usquequaque prædicanda, quæ in infirmitate sustinuit servum suum, ne deficeret, et sanitati restitutum misericorditer conservavit, ne superbiret ! Prædictus autem vir de beneficio sibi a Deo collato se non extollens, sed semper fragilitatem suam recognoscendo in humilitate persistens, e recto non deviavit itinere ; sed ad anteriora progrediens, animo et conversatione in monte Domini constitutus, ad cœli palatia capessenda se omnino animavit. Legerat enim Dominum in Evangelio dicentem : *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (*Luc.* XI). Hac voce Dominica confisus Dei servus non cessabat petere, ut acciperet, satagebat quærere, ut inveniret, nitebaturque pulsare, ut ei Dominus dignaretur aperire. Quod et factum est. Infirmabatur enim, ut diximus, infirmitate gravissima, et ad petitionem suam liberavit eum mirabiliter misericordia divina ; quæsivit ut eum visitare dignaretur gratia sancti Spiritus, et invenit eam in conspectu oculorum Altissimi : aures ejus precibus et lacrymis non cessabat pulsare, et ipse misericordiæ suæ viscera dignatus est aperire.

16. *Visione divina recreatur.* — Quodam autem tempore videbatur ei per somnium quod ipse ante oratorium Sancti Michaelis, quod in ipso monasterio est, consisteret, et Dominus Jesus Christus, interius cum angelorum et archangelorum multitudine infinita et omnium sanctorum, se ad Missæ celebranda mysteria præpararet. Assistebant angeli, ministrabant archangeli, et ea quæ tanto mysterio erant necessaria præparabant ; cumque omnia ministrassent, et ex utraque parte in modum cantorum in choro consistentium sancti, qui cum eo erant collocati essent, ipse Dominus Jesus cœpit inquirere utrum omnes convenissent, qui debebant convenire. Illis autem respondentibus et dicentibus Domino : Adsumus, dixit : Non, quia frater ille nondum ingressus est, qui stat juxta ostium exterius. Sicque eo præcipiente est adductus, et in medio collocatus, et tunc procedente Domino ad missæ celebranda mysteria, inceptum est officium : *Gaudeamus omnes in Domino*, et sic ad fidem perductum ; sicque visio illa evanuit, et frater evigilans quæ viderat secum pertractare cœpit. Cognovit satis evidenter quia Deo in actibus suis placeret ; et si prius in ejus servitio se devotum tenuerat, postea severius corporis et animi motus cohibere cœpit.

17. *Alia visio. Jerosolimam ire disponit. Quod exsequitur.* — Alio quoque tempore erat, sicut sibi videbatur, in Sancti Petri monasterio Corbeiæ, et ante crucem, quæ in medio ecclesiæ est, consistebat ; et multitudo virorum et mulierum tanta convenerat quod, sibi sicut visum fuerat, totam ecclesiam compleverat ; et ita eo ante crucem consistente omnique populo versus crucem aspiciente, imago Domini, quæ in cruce erat, descendit de cruce, et ad eum qui in medio populi erat appropiavit, eumque blande ac leniter convocans suo nomine, caput suum manu sua demulcere cœpit, dicens : « Confortare, fili, in Domino et in potentia virtutis ejus. » Et sic discedens ab eo, videntibus omnibus, sicut primum fuerat crucem ascendit. Quo facto frater evigilavit, et multum anxius pro hoc quod viderat, Deum, ut sibi visionem prosperam faceret, obnixe deprecari cœpit. Venit autem sibi in animo quia loca sanctorum, qui ultra mare requiescunt, vellet visitare, et ad sepulcrum Domini eum in Jerusalem adorare. Cumque hoc qualiter adimpleri posset in animo volveretur, audivit quia in eadem qua ipse manebat villa, quidam viri fideles iter suum apparārent, quatenus ad sepulcrum Domini adorare potuissent. Quo cognito lætus vehementer effectus, omnipotenti Deo gratias reddidit, qui consilium ad hoc quod volebat necessarium ministravit ; sed quia sub abbate et regula in monasterio degebat, valde sibi incommodum videbatur, si sine ejus consilio et licentia faceret quod facere nitebatur. Adiit ergo abbatem, voluntatem suam aperuit, postulans et multum rogans, ut ei licentiam daret. Abbas autem videns intentionem fratris et metuens ne alicubi in itinere vel inclusus vel eremita remaneret, abnegavit, et cum ab intentione hujusmodi, si posset, revocare tentavit. Sed quia plantatio quam plantat Deus nequit eradicari, vir sæpe nominatus ab intentione sua non recessit ; et quod per se non poterat, postea multorum sanctorum virorum precibus impetravit. Tandem abbas annuit, sed ea conditione ut, si Deus posse concederet, ad eum sine dubio repedaret. Vir autem venerabilis, accepta licentia, obedientiam suscepit, iter suum apparavit, Dei gratia loca sanctorum multorum visitavit, ad sepulcrum Dominicum, quod super omnia cupiebat, adoravit ; ad propria, sicut abbati suo promiserat, repedavit. Quanta in itinere pœnarum cruciamenta sustinuit, non est nostrum exponere ; quia ad ea quæ inter nos Deus per eum ope-

et illam quæ a Geraldo scripta est, simul cum ejusdem sancti duobus miraculorum libris, quorum primi auctor est idem Geraldus, edidimus Sæc. IV, parte I, ad annum 826.

Digitized by Google

rari dignatus est, vix sufficit lingua balbutire. Ingressus itaque monasterii claustrum, cœpit in Dei servitio se exercere, et quæ de ejus mirabilibus audierat et viderat, ad memoriam revocare.

18. *Reversus fit abbas.* — Interea quodam fratre suo carnali (9) de hac vita egresso, qui curam fratrum in monasterio Sancti Vincentii apud montem Laudunum susceperat, ad abbatiam provectus est. Quod invitus diuque retinens suscepit, et quamvis non esse parum fratribus præesse cognosceret, vellet tamen nollet, obedivit. Collo autem oneri tam gravi superposito, non se oblivioni tradidit, sed in quantum poterat, se formam et speculum discipulis suis exhibuit. Fratres vero, qui sub eo erant, plus terrenis commodis quam cœlestibus intenti, moribus ejus non bene conveniebant; sed, sicut legitur de sancto Benedicto (S. Greg. *l.* II *Dial.*, c. 3), sanctis ejus monitis contraria sentiebant. Cumque conspiceret eos ut volebat sine peculiaribus esse nolle acquiescere, ad sanctissimi Patris nostri Benedicti exemplum cogitavit eos dimittere, et secum habitare. In monasterio autem suo erat vir sanctissimus inclusus (10), a quo consilium, quomodo quos ad regendum susceperat dimittere posset, requisivit: qui satis idoneum et sibi valde necessarium dedit. Milites vero secundum sæculum non ignobiles ad eumdem inclusum venerant, de peccatis suis apud eum conquerentes, quia sæculo amplius servire nolebant, confessi fuerant, et ab eo quomodo id facerent consilium poposcerant. Sanctus autem vir et abbatis supradicti animum cognoscens, et desiderium militum cognoscens et intelligens, in unum omnes congregavit, consilium utrorumque aperuit, et laicos quasi fidei rudimenta suscipientes, sanctissimi abbatis providentiæ commendavit. O Christi pietas inenarrabilis! o Salvatoris clementia incomparabilis! Famulis suis se toto corde quærentibus, ad sæculi blandimenta superanda magistrum, qui eos præcederet ministravit; servoque suo, ut sibi devotius deserviret, socios et discipulos aggregavit. Talibus vero conjunctis in Domino, abbas non immemor fratrum quos ad regendum susceperat, episcopum (Helinardum) a quo abbatiæ onus habebat adiit, eique quale consilium quæsivisset aperuit, onus regiminis, quod habebat, ejus providentiæ dereliquit.

19. *Abbatiam dimittit. Varia loca SS. visitat.* — Taliter vero Christi tirones abbati sanctissimo subjiciuntur, et sancti patriarchæ nostri Abrahæ exemplo de terra et cognatione sua egrediuntur (*Gen.* XII, 1). Fit conjunctio lætabunda, fit exsultatio jucunda; exsultant de magistro discipuli, gaudet magister super discipulos; exsultat abbas super societatem a Deo sibi tam mirabiliter prævisam, lætantur tirones Christi, quia vident et cognoscunt non ab homine, sed a Deo quæ desiderabant omnia sibi provenire juxta voluntatem suam. Sæculi itaque honore deposito, viam qua Christum sequantur ingrediuntur, et usque ad beati Dionysii domum, quem locum sibi delegerant, undequaque conveniunt. Adorata igitur ad sanctorum martyrum sepulcrum Salvatoris clementia, eorumque martyrum et aliorum sanctorum patrocinia suo auxilio convocant, Christi duce providentia, Aurelianis, ut ibidem ad sanctæ Crucis adorent ecclesiam (11), dirigunt vestigia. Cumque et inde discessissent, et Turonis, ubi sanctissimi confessoris Martini corpus requiescit, appropinquassent, peregrinos qui a Sancto Petro Romæ remeabant invenerunt; qui ab eis unde essent, aut quo irent, vel quid in animo versabant per omnia scrutati sunt. Patefacto igitur eorum desiderio, adeunt abbatem, rogantes ut ad eorum fines iter suum dirigeret; quatenus de substantiis suis in alodiis, quæ Deo disponebant dare ad Deo serviendum, ecclesiam construeret. Quod et factum fuisset, nisi Deus eorum habitationem alias disposuisset: et quia Deus voluit, peregrini in viam suam abierunt; abbas vero et socii sui Pictavium, Deo ducente, pervenerunt.

20. *Pictavum advenit. Excipitur a comite Guidone, quo commendatur Radulfo. Silvam-Majorem adit.* — Ingressis autem illis civitatem, ecce comes Pictavium, Wido (12) venerabilis, Dei provisione ex altera parte advenit. Quod cum abbas cognovisset, sperans sibi non absurdum si cum eo loqueretur, venit ad eum, monens socios ut se sequerentur. Cum autem eos comes conspiceret, resalutavit, et unde venissent aut quo ire vellent diligenter inquisivit. Cui abbas omnia quæ in animo habebat aperuit, et quod de terris suis et cognationibus suis egressi Dominum sequebantur adjecit. Cognita autem comes eorum voluntate, et divina in hoc provisione, abbatem et suos cœpit rogare, ut pro Christo, pro cujus cœperant hæc amore, quocunque in sua terra vellent remanerent; ipse vero consilium et auxilium suum sibi in omnibus curaret impendere. Dum vero de his ad invicem sermocinarentur, ecce quidam Burdegalæ præpositus, nomine Radulfus (13), a Deo

(9) Is erat Reginerus. Abbatia S. Vincentii in altero montis Laudunensis brachio sita, hodieque subsistit congreg. S. Mauri aggregata.

(10) Hunc Bollandus suspicatur fuisse S. Arnulfum postea episc. Suessionensem; sed fallitur. Nam inclusus hic memoratus in monasterio S. Vincentii degebat, ut legenti patet, quod de S. Arnulfo dici non potest. Hunc potius crediderim fuisse Ebroinum, de quo infra num. 22.

(11) Ea est ecclesia cathedralis, hodieque sub hoc nomine celebris, quæ a Calvinianis diruta tandem pristinum in splendorem restituta est paucis abhinc annis.

(12) Guido agnomine Gofridus, Guillelmi V Aquitaniæ ducis filius, fratribus suis Guillelmo VI Crasso et Guillelmo VII Acri in Aquitaniæ ducatu successit sub Guillelmi VIII nomine. Obiit anno 1086; sepultus est in monasterio novo Pictavensi, quod a fundamentis restauraverat.

(13) Hunc virum fuisse ecclesiasticum censuit Papebrochius; at ex altera Vita, ubi dicitur *ministerialis*, certum est eum fuisse Burdigalæ a duce præpositum juri dicendo.

Digitized by Google

missus venit, et comiti, si vellet, quod ad id idoneum locum eos deduceret, invitavit. Unde comes lætus vehementer effectus, abbatem et suos ejusdem præpositi custodiæ mancipavit, ut eos quasi se custodiret; et quemcunque locum in tota sua terra sibi deligerent, sine aliqua controversia nihil dubitans suo imperio concederet. Quid multa? Præpositus Radulfus suscepit eos gaudens. et ad locum, qui Silva-Major inter duo maria nuncupatur, adduxit, et ecclesiam parvulam non ex lapidibus, sed de terra constructam ostendit. Silva autem in circuitu tam densa vepribus et sentibus creverat, quod nullus ad ecclesiam appropinquare poterat, nisi gladio, aut alio aliquo ferramento prius iter fecisset. Ad hanc quidem ecclesiam dum abbas et sui venissent, tantus eidem abbati amor ibidem remanendi occurrit, quod se non alias iturum amplius Deo, si sibi propitiaretur, promisit.

21. *Quam a dominis obtinet. Visione animatur.* — Tunc temporis autem terræ illius et dominus silvæ et possessor erat quidam miles Augerius (14) de Riontio, et cum eo alii quamplurimi, quorum nomina ipse cognoscit qui creavit. Cum omnibus vero sic abbas egit, ut omnes locum Deo et sanctæ ejus matri Mariæ condonarent, et ab omni servitio solutum in perpetuum facerent; et ita sanctus Pater Geraldus exhilaratus, ad ecclesiolam rediit, et deinceps construere habitaculum sibi et suis fecit. Quadam siquidem nocte cœpit Deum obnixe deprecari, quatenus si eorum ibidem statio sibi placeret, ostenderet, et omnes actus eorum secundum bonitatis suæ divitias in bonum dirigeret. Cumque orando defessus obdormiret, sibi videbatur, quia de parte Orientis currus, quem duo boves ducerent, veniret; post vero aliquantum tempus, duo boves mutabantur in equum unum, et equus eumdem tramitem quem boves gradiebatur; tandem equus conversus in Dei Filio, ita suspenso ut pro nobis prius fuerat in crucis patibulo; inferior crucis pars tangebat terram, superior vero usque ad cœlum erigebatur (15). Cumque sanctissimus vir talia respiceret, a loco in quo erat surrexit, et Christum sicut in cruce pendebat adoravit. Tanta autem et tam mirabili visione animatus Dei servus evigilavit; evigilans vero et diu secum quæ viderat pertractans, quia Dei visio erat cognovit, et quia ubi fixum erat sanctæ crucis signum, ibidem ecclesiam fundare debebat intellexit. Cognovit quoniam Deo iter suum et actio placeret, cujus dono et gratia fuerat quod eum taliter adorasset. His igitur peractis, milites qui cum abbate venerant, adhuc laicali habitu induti, quia devoverant iter ad Sanctum Jacobum, ingressi sunt, et tamen licentia ac benedictione abbatis, sine cujus præcepto nihil facere promiserunt.

22. *Ejus sociorum nomina.* — Tandem sua peregrinatione peracta, ad eum regressi sunt, et sancti Benedicti habitum devoti, ac Deo se ex toto committentes, susceperunt. Si quis autem nomina eorum qui cum abbate primitus venerunt cognoscere voluerit, sine dubio cognoscere poterit quicunque subscriptam paginam intelligens legerit: Geraldus abbas, et monachi tres, qui de monasterio quod prius rexerat, ipsius amore cum eo venerunt; unus Martinus (16) qui postea ecclesiam Sancti Dionysii de Monte rexit; alius vero Ebroinus, qui de militari habitu egrediens, Dei amore inclusus (17) usque ad mortem fortiter pugnavit; tertius quidem Aleranus (18), ipsius abbatis nepos. Isti tres monachi jam facti venerunt, et in loco eodem, sicut regula sancti Benedicti præcipit, professi sunt. Venerunt et alii quinque, qui, adhuc laicali habitu induti, eum ut magistrum et patrem pro Dei amore secuti sunt. Ex quibus unus fuit Berlegius (19) nomine, vir bene morigeratus, in consilio providus, in sermone præclarus, armorum probitate strenuus, bonis omnibus in amicitia junctus, charitate fervidus, divitiis sæcularibus et dignitate ad plenum munitus; fuit enim Francigena, ex regiis militibus non infimus, ex Noviomo (*Noyon*) civitate Franciæ oriundus, Castellani ipsius civitatis Germanus. Hic autem quandiu sæcularibus negotiis interfuit, omnibus qui cum eo erant ubicunque amabilis super omnes semper fuit, divitiis nimirum abundavit, et eas liberaliter, non ut earum servus sed ut dominus, tractavit. In pueritia litterarum studiis datus a parentibus fuit, sed postquam adolescentiæ annos ingressus est, dimisso litterarum studio, militiæ inhæsit, nimirum quia nobilis et nobili genere ortus, animum suum non poterat ab hujusmodi exercitiis refrenare, præsertim cum videret æquævos suos talibus negotiis inclinari. Quid multa? militiam amplexus et armis militaribus suppositus, satis longo tempore se in militia exercuit, donec, dextera Dei tactus, se non bene agere cognovit; arma deseruit, et iterum undis lacrymarum et confessione pura baptizatus, abbatem Geraldum in Silvam-Majorem secutus, sicut evangelicus sermo monet et

(14) Joannes Guisius *Ogerium* scribit. Riontium vicus erat tempore S. Gregorii Turon. cujus meminit in lib. de gloria Conf., cap. 48; postea in oppidum crevit, quod hodieque celebre est, vulgo *Rioms* dictum ad Garumnam, quatuor circiter leucis supra Burdigalam, septem vero a Silva-Majori dissitum.

(15) Alterius Vitæ auctor: *Non tamen materialiter illa crux videbatur, sed erat quædam claritas formata in modum crucis, quæ totum locum miri splendoris magnitudine illustrabat.*

(16) Memoratur in Necrologio Silvæ-Majoris die XVI Kalend. Julii.

(17) Idem, ut videtur, qui in monasterio S. Vincentii inclusus erat sub nostro Geraldo, de quo supra num. 18. Memoratur in Necrologio Silvensi VIII. Idus Julii cum hoc elogio: *Obiit Ebroinus bonæ memoriæ socius B. Geraldi.*

(18) Hic fuit tertius Silvæ-Majoris abbas, laudatur in Necrologio his verbis: XIV *Kal. Aprilis obiit domnus Alerannus, vir vitæ venerabilis, nepos beati Geraldi, hujus ecclesiæ tertius abbas, jacet in capitulo ubi accipiunt abbates vestes.*

(19) Menardo *Herlegius*. Desunt hic nonnulla apud Bollandum vitio scriptoris.

Digitized by Google

imperat, omnibus quæ possidebat, renuntiavit (*Luc.* XIV, 33.)

23. *Alii socii nominantur. Initia ad fundationem monasterii.* — Alius autem Wido de Monte Lauduno (20) civitate Franciæ, ita enim vocatur, oriundus, miles episcopalis, divitiis refertus, et nobilitate sæculi satis decoratus, vir iste virtutis erat consiliarius, animi sui rector strenuus et in omni probitate elegantissimus. Teszo tertius, juvenis quidem, sed animo fortis et quandiu in sæculo conversatus est nunquam arma sua alteri deseruit, nec timore militis unius unquam mutavit, sed semper ubicunque esset, victoriam et palmam acquirere super omnes socios elaboravit. Hic (21) autem Teszo, de quodam Galliæ castello, Cuci nomine, oriundus, bonæ indolis adolescens et nobilitatis fuit. Quartus autem Valterus, similiter de civitate Monte-Lauduno, vir militaris et probus, in opere et sermone discretus, consilio pollens, non aliquo superfluus, et in omni opere suo temperatus. Quintus vero Litherius (22) Laudunensis, similiter homo honestus et largus, in armis satis valens, omnibus serviens, omnes diligens, inter cæteros milites probitate inferior esse despiciens, semper ad majora militiæ exercitia se erigens, et quæ probo homini cognoscebat convenientia, omnibus modis, ut poterat, opere et animo capescens. Hi omnes, digito divinæ miserationis compuncti, renuntiantes omnibus quæ possidebant, et de terris et de cognationibus suis egressi, Christum secuti sunt, et qui prius in vestibus pretiosis fulgebant, postea sordebant induti vestibus vilissimis; fiunt nemorum et silvarum fortissimi exstirpatores qui prius fuerant strenuissimi bellatores. In his ergo adimpletus est sermo propheticus, qui dicit : *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (*Isai.* II, 3). Hi nunquam Scripturas legerant, sed tamen quæ Scriptura præcipit impleverunt; et quia prius illicita multoties egerant, postea a licitis, ultra quam credibile sit, abstinebant. Ab ipso etiam pane jejunabant multoties in die nec aquam aliquando sumere volebant, ut magis ac magis in se corporis voluptates refrenare potuissent.

24. *Monast. Silvæ-Majoris construitur.* — Igitur postquam beatus Geraldus in loco eodem, ut supradictum est, ubi Dominum Jesum in cruce viderat in visione et adoraverat, monasterium fundavit, de die in diem ipsum cœpit opus succrescere ac melius proficere, nec mirum; nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28), et omnis plantatio quam plantat cœlestis Pater non eradicatur (*Matth.* XV, 13), sed semper prosperat. O quanta reverentia ille venerandus est dies ab hujus patriæ incolis, quo beatus vir a Deo missus de longinquis terræ partibus huc advenit! Anno siquidem ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo nono (23) cum sociis suis venit dominus Geraldus in Silvam-Majorem in festivitate, ut fertur, apostolorum Simonis et Judæ. In secundo (24) anno incœptum est monasterium, v scilicet Idus Maii, in honore Domini et beatæ Mariæ virginis et sanctorum apostolorum Simonis et Judæ (25). Fama itaque tanti viri per diversas regiones se velocius extendit, populique in unum conglobati ad eum confluere cœperunt catervatim, ut illius fruerentur aspectu, et ejus prædicationis vomere dura eorum corda divinis gratiæ seminibus aptarentur. Erat enim aspectu angelicus, corpore castus, mente devotus, sermone facundus, diversis virtutum floribus adornatus, in oratione assiduus, signisque in vita sua plurimis decoratus. Ante adventum namque illius accolæ hujus patriæ rudes et quasi agrestes erant, et quid sanctitatis religionisque bonum esset minus agnoscebant; sed efferos eorum animos servus Dei electus, tam exemplis quam prædicationibus multoties mitigabat et eorum plurimos ad pœnitentiam confessionemque provocabat. Nam cum maxima multitudo ad eum, ut sua confiterentur crimina, sæpe venissent, hanc omnibus in commune pœnitentiam in remissionem peccatorum suorum injungebat ut sexta quidem feria jejunarent, Sabbato vero a carne abstinerent.

25. *Miraculis claret.*— Divulgata igitur sancti viri opinione per diversas regiones, quidam de episcopio Lemovicensi oriundus, ipsum cum fletu pro parvulo exorabat filio, qui tortos ac multum deformes a nativitate habebat pedes, dicens : « O sancte Geralde, si ea quæ dicuntur de te sunt vera, aufer opprobrium domus meæ. » Talia genitore prosequente, meritis servi Dei puer integerrimam adeptus est sanitatem. Pater itaque, pro tantæ rei miraculo stupens ac vehementer congaudens, puerum ipsum ad præsentiam hominis deducit et cum multa devotione pro accepto beneficio gratias egit. Nec illud reticendum quod plerique morbidi aut febricitantes, si forte sa-

(20) Ipsa est urbs Laudunum, in montis vertice sita. Est tamen in agro Laudunensi oppidulum Mons in Laudunensi pago dictum, vulgo *Mons en Laônois*. Sed hujus Vitæ auctor, supra num. 18, Montis-Lauduni nomine aperte ipsam urbem Laudunum, cui adjacet monasterium S. Vincentii designat

(21) Quæ sequuntur usque ad *Quartus*, desunt in edit. Castellum hic laudatum situm est inter urbes Laudunum et Suessionas, isti vicinius, sed in Laudunensi diœcesi, positum est in ipso vertice montis, ad cujus radices exstat abbatia Novigenti. Dicitur Codiciacum, seu Coceium, vulgo *Coucy*, quod potentissimos dominos Ingelramnos habuit, in historia celebres.

(22) Menardo *Lucherius*. Joanni Gulsio *Eutherius*.

(23) Biennio citius Geraldum advenisse dicitur in chronico Malleacensi, ubi legitur : *Anno* 107⁶, *Giraudus cœpit ædificare cœnobium S. Mariæ Silvæ-Majoris*. Vide notam sequentem.

(24) Id est altero post ejus adventum, scilicet 1080, sic enim legitur in veteri Martyrologio Silvæ-Majoris : v *Idus Maii. Inchoatio monasterii S. Mariæ et SS. apostolorum Simonis et Judæ in Silva-Maiore, anno ab Incarnatione* 1080.

(25) Inter sacras reliquias quæ in Silva-Majori servantur, ex præcipuis sunt media fere pars cranii S. Simonis, et pars capitis S. Judæ, et cuspis lanceæ qua Christi latus perforatum fuisse creditur.

Digitized by Google

ctificatum ab eo comederent panem, necnon qui de lapide trito, quem fratres paraverant ejus sepulturæ, bibissent, incolumes, ac Deo gratias sanctoque Geraldo referentes, ad propria læti revertebantur.

26. *Monachum a naufragio salvat.* — Cum vero per diversas Galliæ nationes prædicti viri Dei se fama diffuderat, quidam sancti Petri Carnotensis monachus, audiens illius præclara gesta, in suis precibus frequenter obnixe postulaverat ut non ante videret mortem quam hominis Dei frueretur visione et alloquio. Sed cum forte Anglicum mare disposuisset transmeare, ingressus navem, procellosis insurgentibus undis, naufragium pertulit. In mediis itaque fluctibus, submersis sociis, nave quassata et amissa, monachus involvitur, diemque cum sequenti nocte in tanto duxit discrimine. Cum vero huc illucque intumescentibus raperetur undis nihilque aliud nisi mortem exspectaret imminentem, recordatus est inter ipsas pelagi angustias illius quem angelicam in terris audierat ducere vitam, tantumque desideraverat intueri; imoque a pectore trahens suspiria : « O sancte, inquit, Geralde, Dei summi serve, quem tantopere concupivi cernere, si quid potes in præsentia Dei, adjuva me, miserius mei. » Talia illo frequenter ingeminante, statim navis volucri cursu adveniens, meritis viri Dei, de confinio mortis illum excepit. Hæc quoque retulerunt qui monachum Sancto Geraldo postea non sine magno fletu talia narrantem viderunt.

27. *Moritur.* — His igitur et hujusmodi virtutibus in vita vir Domini feliciter pollens, postquam multas de ore cruenti leonis et quærentis quas devoret abstraxit animas, et tanquam lucerna supra candelabrum posita quamplurimos ignorantiæ tenebris submersos ad fidei religionisque lumen reduxit, annis maturus meritisque felix, Nonas Aprilis migravit ad Dominum (26), sepultusque est in ecclesia, quam ipse fundaverat, ad dexteram partem altaris beatæ Mariæ. In ejus transitu non minima multitudo virorum nobilium, clericorum et laicorum, agricolarumque ac mulierum congregata est, qui ex oppidis ac villis, et etiam ex Burdegala urbe, illius audito recessu, confluxerant. Hi ergo in cœlum clamore sublato, laceratis genis, cum ingenti fletu piissimum Patrem et recti itineris doctorem se amisisse dolebant, lumenque totius patriæ intimo ex corde exstinctum fore amare deflebant. Itaque longum est, imo impossibile, explanare quanta per eum Dominus bona operari dignatus est, quanta mirabilia in vita sua ostendere, quanti de tenebris ad veram lucem, scilicet Christum, subtracti sunt. Pauca de plurimis signorum ejus (*Bolland.* signis et) virtutibus, quæ post obitum gessit, ne omnino tacere videamur, succincte disseramus. Nam ea quæ in vita signa fecit, per negligentiam maxima ex parte oblivioni tradita sunt (27). Domino itaque annuente, ipsiusque sanctis meritis intervenientibus, sermo noster quem in honore ejusdem scribere aggredimur, bonum principium finemque accipiat.

28. *Ejus miracula post mortem. Ejus elevatio. Dens ablatus restituitur.* — Tempore illo, quo beatus Geraldus adhuc vitales carpebat auras, quidam ab eo in monachum receptus est, Petrus (28) nomine. Hic fuit ipsius diebus plurimis capellanus, et ipse illius clausit oculos, ac sepulturæ cum aliis fratribus honorifice tradidit. Hic jam grandævus, electione fratrum septimus ei successit in abbatis dignitatem, multaque de ejus mirabilibus referens in diebus illis suis, tale perhibebat miraculum fuisse patratum : « Consilium aliquando fratrum fuit ut de sepulcro, in quo humatus primum vir Dei fuerat, transferretur. Congregato ergo episcoporum, abbatum, clericorum et nobilium laicorum non minimo cœtu, levaverunt, ut decebat, viri timorati sancti viri ossa. Multa nobilium turba præsens ibi tunc aderat, et quidam ex populo vir fidelis inter cæteros quoque astabat, magnopere procurans, si quomodo ex reliquiis aliquid accipere valeret. Tandem cum sancti caput ostenderetur populo, prædictus vir desubtus extendit vestem, unusque in ipsa veste ex dentibus casu cecidit. Quod videns homo, ad se vestem traxit dentem abscondit, ac se bene remuneratum credens fore, recessit inde. Sed cum villam egressus paulum processisset, nutu divino obstupefactus, huc atque illuc aberrabat, rectam non prævalens gradi viam. Intellexit denique meritis sancti, cujus ferebat reliquias, iter suum præpediri; reversusque, licet invitus, ad monasterium, rem abbati fratribusque retulit, reliquiasque protulit; sicque lætus discessit. »

29. *Milites mire servati.* — Adhuc (*ed.*, aliud) quoque miraculi genus præfatus abbas Petrus narrabat. « Quædam, inquit, nobilis mulier, duos habens filios milites, beatum Geraldum quam maxime venerabatur, ac sæpe ad illius ecclesiam veniens tam se quam filios attentius commendabat. Accidit vero quadam die ut ipsius filii cum aliis militibus in exercitu procedere vellent; sed cum non eos mater eorum de exercitu retinere quivisset, illis jam ad proficiscendum paratis, positis in terram genibus, talia fertur filiis cum gemitu dixisse : « O filii, Deo vos commendo et sanctæ Mariæ, et sancti Geraldi Silvæ-Majoris custodiæ, cujus sum ancilla, omnino commendo. » In procinctu itaque cum essent positi, quidam ex adversariis unum ex his lancea appetiit, et in corpore armis nudo hunc valide percussit; sed virtute Dei, meritisque sancti viri, cui mater illos commendaverat, nihil feriendo nocere potuit. Fervii, qui locus est in suburbio Aurelianensi, refert Chesnius, tomo IV Historic. Franc., num. 344. De eodem in Necrologio Silvensi hæc habentur : XIV *Kal. Maii. Obiit dom. Petrus ejus ecclesiæ* VII *abbas, et S. Gerardi discipulus et capellanus.*

(26) Fusius ejus mortem describit alterius Vitæ auctor, quem videsis apud Bolland.

(27) Idem testatur alterius Vitæ auctor.

(28) In catalogis abbatum dicitur Petrus de Ambasia. Fuit septimus Silvæ-Majoris abbas, cujus epistolam Ludovico Francorum regi scriptam pro priore Seru-

Digitized by Google

rum etenim lanceæ, licet multo conatu percussor in corpore ejus infixerit, ac si mollis cera esset, replicatum est, ut acumen ferri, quod prius rectum fuerat, post versus hastam retorqueretur. Audiens itaque mater tam admirabile factum filiumque obtentu beati viri a morte ereptum, ad ipsius sepulcrum gratias oblatura cum filiis advenit, ferrum lanceæ secum detulit, multisque diebus supra sepulcrum sancti ipsum ferrum in testimonium virtutis pependit.

30. *Hydropicus sanatur.* — In cœnobio Silvæ-Majoris quidam ex fratribus corporis molestia tactus (29), ægritudine gravi laborabat; nam ad instar utris inflata cute totus vehementer intumuerat, nihilque aliud nisi mortem solam exspectabat. Sed cum nocte quadam anxius se sopori dedisset, ad beati viri sepulcrum se conspexit in visione assistere, tumuloque illius, ut sibi videbatur, patefacto, suam infirmitatem cum uno ex dentibus sancti frequenter signare. Evigilans autem, et quæ viderat secum pertractans, facto mane, quamvis gravi pondere fatigaretur ægritudinis, ad tumulum tamen viri Dei accessit, magnopere implorans ut suis meritis sibi gratiam sanitatis a Domino impetraret. Tali modo sanus effectus hoc nobis fideliter retulit.

31. *Moribundus convalescit.* — Alio quoque tempore, frater quidam ejusdem monasterii (30) usque ad mortem infirmatus est. Nam sine voce fere triduo permanens, omnes nos, qui eum intuebamur (31), de sanitate sua desperare fecerat. Sed cum ad hoc venisset, ut de lecto eum ministri abstrahere usque ad terram in cilicio, ut est consuetudo morientium, deponere festinarent, tristis admodum factus se vertit ad parietem. Dominum ut sibi misereretur orare, sanctumque Geraldum, prout poterat, invocare cœpit in auxilium, et, sicut ipse perhibebat, cum oculos quasi obdormiens clausisset, ecce subito quidam senex, veneranda canitie ac decorus aspectu, astitit ei; videbatur autem sibi quod non alius nisi vir sanctus esset quem paulo ante invocaverat. Cumque idem senex infirmum tetigisset et aliam in partem vertisset, extemplo ægritudine recedente, sanguinis copia ex illius emanavit naribus; sicque se a periculo mortis obtentu beati viri liberatum esse protestabatur.

32. *Pauper nummos invenit.* — Aliud quoque miraculum, nimium quidem, sed pietate conditum, idem sanctus operatus est. Cum mulier quædam ex longinquis partibus, consumptis omnibus quæ habebat, venisset ad monasterium illius, nomen ejus frequenter inclamabat; atque veluti vivens ipse in corpore præsens adesset, alimoniam sedulo ab eo petebat; cumque jam ad monasterii portam egressura propinquaret, duodecim nummos in terram jacentes reperit; quos accipiens cum gratiarum actione gaudens discessit.

33. *Alius perditam clavem.* — Nec dissimile huic fuit quod, cum unus ex custodibus monasterii clavem modicam amisisset et diu multum quæsivisset circumquaque nec invenisset, tandem ad sepulcrum beati viri accessit, ut in hac necessitate subveniret sibi exorans, statimque ut a sepulcro surrexit, clavem ante altare invenit, satisque admiratus gratias egit.

34. *Captivus mire liberatur, auctoris fides.* — Quidam miles forte captus ab inimicis, Oliverius nomine, filius videlicet illius Augerii de Riontio, qui Silvæ-Majoris locum sancto Geraldo prius dederat (*Sup.* n. 21), ductusque est apud castrum, quod Mons Revellus (32) dicitur, et ibi magno ferri pondere oneratus nudusque ad solem lacte perunctus, ut a muscis avidius impeteretur, positus est. Sed accepti beneficii beatus Geraldus non immemor, huic in tali confusione constituto, non nocte sed die, visibiliter apparens dixit: « Quomodo tibi est, frater? » At ille respondit: « Male. — Surge, inquit sanctus, surge. — Et qualiter, domine, [ait miles] possum surgere, tanto catenarum degressus gravamine? — Surge, inquit [sanctus], quantocius, ne timeas. » Cumque tentasset assurgere, illico omnia in terram corruerunt vincula. At ille obstupefactus: « Quis es, inquit, domine? — Ne cures, ait homo, scire qui sum ego; sed compedes accipiens ad Sanctæ Mariæ Silvæ-Majoris cœnobium concitus perge; Deoque ibi gratias age. » Videns itaque homo custodes non abesse, necnon in platea quamplurimos deambulantes, formidabat abire. Videns sanctus dixit rursus ad eum: « Ne paveas, quia nullus mortalium usque ad locum quem prædixi obesse tibi prævalebit. — Obsecro, inquit, domine, ut mihi nomen tuum digneris intimare. » Et ille: « Scito me Geraldum Silvæ-Majoris abbatem esse. » Quo dicto, ab oculis aspicientis illico evanuit. Animatus tandem sponsionibus tanti viri, ex oppido, nemine prohibente, assumptis secum compedibus, ut jussu fuerat, exiit; sicque lætus et alacer ad cœnobium Sanctæ Mariæ Silvæ-Majoris venit, Deo gratias et sancto Geraldo reddidit; miraculum fratribus ibidem servientibus seriatim retulit. Illi autem confestim summa cum lætitia pulsatis signis, *Te Deum laudamus* solemniter decantaverunt. Hæc vero, et alia quæ narramus signa, non ab aliis, nisi ab his qui hæc certissime viderunt et audierunt, vel quibus collata sunt, accepimus.

(29) Et istud miraculum a Petro abbate ad posteros transmissum fuisse testatur alterius Vitæ auctor, imo et *istud inter cætera*, ut ipse loquitur, *etiam scripto tradidit* Petrus, *et probato suo testimonio confirmavit.*

(30) In altera Vita dicitur *monasterii custos.*

(31) Sic codex Corbeiensis. Alii mss. *nos, qui intuebantur.* hinc Bellandiani *eos, qui*, etc.

(32) Hunc locum Papebrochius putavit esse oppidum hujus nominis satis notum in provincia Bressiensi, vulgo *Montravel.* At hic designatur oppidulum Petrocoriorum, vulgo *Montravel* dictum, ad Dordonam situm haud procul a Vasatensi pago. Quod septem leucis a Silva-Majori, duabus vero a Castellione oppido, distat.

Digitized by Google

35. *Miracula ad ejus sepulcrum.* — De manifestis etiam signis (33), ad illius tumulum frequentius patratis, silendum non est (34). Nam viri quamplures, necnon mulieres, amisso sensu, cum ad illius adducti fuissent tumulum a parentibus vel amicis, vigiliis trium aut quatuor noctium celebratis, pristinæ sanitati restituebantur, annuumque monasterio censum reportabant. Tantamque ei Dominus gratiam largiri dignatus est ut absque numero captivos ferro, vinculis compedibusque ab inimicis vehementer astrictos, non tantum de vicinis, sed etiam de longinquis mundi finibus, liberos abire incunctanter præceperit; ita ut etiam de Nortmannicis regionibus nonnulli ad monasterium ipsius cum catenis et compedibus, et aliis tormentorum generibus, gratias oblaturi advenerint captivi, illum se facie ad faciem vidisse, illiusque nutu ac meritis se solutos esse a vinculis fideliter profitentes, compedibusque supra ipsius sepulcrum appensis, annuoque censu indicto, suam cum gaudio redierunt in patriam. Multi quoque ex accolis patriæ, aliquo tacti dolore capitis, oculorum, manuum, pedum vel aliorum membrorum, invocato ipsius nomine, cereas sæpe exprimunt similitudines, quas illius tumulo superpendentes, sospitatem pristinam se meritis ejusdem recepisse fideliter confitentur. Navem etiam a quodam naufrago ex cera compositam, sepulcro appensam, multoties vidimus qui se, in magno maris discrimine positum, invocatione sola nominis sancti Geraldi a morte liberatum mirabiliter fore perhibebat.

36. *Auctor scribit in Silva-Majori.* — Ut quid nos autem de ejus loquimur mirabilibus, cum hoc solum ad illius declaranda sufficiat merita quod tantum religionis exemplum in hac effulsit patria per eum, quod absque numero peccatores sæculo relicto mortem evaserunt, quod in cœnobio ab eo constructo juvenes et virgines (35), senes cum junioribus, laudant nomen Domini? Nam locus qui quondam spelunca latronum, latibulum luporum et ferarum exstiterat, viro Dei adveniente, domus orationis, locus sanctificationis et religionis pacis effectus est. Quis tandem ipse, vel quantæ sanctitatis aut cujus vitæ fuerit, multo melius opera quam dicta elucidant; exitus autem acta probat. Ne igitur verborum prolixitas legentibus tædium inferat, scribendi finem faciamus, Deum super omnia et in omnibus glorificantes, qui tam egregium doctorem, beatissimum Geraldum, de longinquis finibus ad illuminationem regionis istius mirabiliter destinavit; cui est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(33) Nonnulla addit alterius Vitæ auctor, quæ apud Bolland. habentur.

(34) Menardus addit hic: *Nam qui de lapide sepulcri ejus contuso aquæ permixto bibebant, sanabantur.*

(35) Id de sanctimonialibus etiam in Silva-Majori degentibus interpretatur Papebrochius, ubi parthenonis rudera hodieque videri observat. Certe in plerisque ordinis nostri monasteriis moniales aliquot in vicinis domibus haud procul ab ecclesia habitabant. *Oregundis sanctæ conversationis habitum a S. Geraldo* suscepisse dicitur in veteri instrumento. Aliæ passim memorantur. Inter alia monasterii Silvæ-Majoris loca quæ in bulla Cœlestini III memorantur, occurrit parthenon Pomareti in diœcesi Caturcensi, cum suis prioratibus, etc. Erat alius Gavareti in Occitania, Silvæ-Majori subiectus.

VITA SANCTI ADALARDI

ABBATIS CORBEIENSIS,

AUCTORE SANCTO GERALDO ABBATE SILVÆ-MAJORIS.

(Apud MABILL. *Acta Bened.*, *tom.* v, *pag.* 345.)

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Magnus Dominus et laudabilis nimis, gloriosus et magnificus in sanctis suis. Ipse est enim corona sanctorum, ipse spes, exsultatio et gaudium. Ejus singularis visio eorum est universalis delectatio; horum autem exsultatione fundatur universa terra, mons Sion, aquilonis latera, civitas Regis magni, universitatis Ecclesia. Quæ, numeroso compta germine nuptiarum et per eas diverso fecunda ordine filiorum, civibus electis ornat Hierusalem, urbem illam scilicet cœlorum, ad cujus hæc terrestris Ecclesia præfiguratur imaginem. In hac spes civitatis illius habetur, in illa res desiderata tenetur. Hæc beatos facit, illa electos reficit. Nec est ista expers civium illorum; Deus enim cognoscitur in domibus eorum, ubi videlicet imperatores curvantur ante tumulos piscatorum, piscatores honorantur successione pontificum, pontifices religione abbatum. Et ideo summo nos delectet succumbere bono, tanto voluptas sit subesse Domino, qui non modo fautor est cremento proficientium, sed et remediabiliter providet casibus.

Digitized by Google

rum etenim lanceæ, licet multo conatu percussor in corpore ejus infixerit, ac si mollis cera esset, replicatum est, ut acumen ferri, quod prius rectum fuerat, post versus hastam retorqueretur. Audiens itaque mater tam admirabile factum filiumque obtentu beati viri a morte ereptum, ad ipsius sepulcrum gratias oblatura cum filiis advenit, ferrum lanceæ secum detulit, multisque diebus supra sepulcrum sancti ipsum ferrum in testimonium virtutis pependit.

30. *Hydropicus sanatur.* — In cœnobio Silvæ-Majoris quidam ex fratribus corporis molestia tactus (29), ægritudine gravi laborabat; nam ad instar utris inflata cute totus vehementer intumuerat, nihilque aliud nisi mortem solam exspectabat. Sed cum nocte quadam anxius se sopori dedisset, ad beati viri sepulcrum se conspexit in visione assistere, tumuloque illius, ut sibi videbatur, patefacto, suam infirmitatem cum uno ex dentibus sancti frequenter signare. Evigilans autem, et quæ viderat secum pertractans, facto mane, quamvis gravi pondere fatigaretur ægritudinis, ad tumulum tamen viri Dei accessit, magnopere implorans ut suis meritis sibi gratiam sanitatis a Domino impetraret. Tali modo sanus effectus hoc nobis fideliter retulit.

31. *Moribundus convalescit.* — Alio quoque tempore, frater quidam ejusdem monasterii (30) usque ad mortem infirmatus est. Nam sine voce fere triduo permanens, omnes nos, qui eum intuebamur (31), de sanitate sua desperare fecerat. Sed cum ad hoc venisset, ut de lecto eum ministri abstrahere usque ad terram in cilicio, ut est consuetudo morientium, deponere festinarent, tristis admodum factus se vertit ad parietem. Dominum ut sibi misereretur orare, sanctumque Geraldum, prout poterat, invocare cœpit in auxilium, et, sicut ipse perhibebat, cum oculos quasi obdormiens clausisset, ecce subito quidam senex, veneranda canitie ac decorus aspectu, astitit ei; videbatur autem sibi quod non alius nisi vir sanctus esset quem paulo ante invocaverat. Cumque idem senex infirmum tetigisset et aliam in partem vertisset, extemplo ægritudine recedente, sanguinis copia ex illius emanavit naribus; sicque se a periculo mortis obtentu beati viri liberatum esse protestabatur.

32. *Pauper nummos invenit.* — Aliud quoque miraculum, nimium quidem, sed pietate conditum, idem sanctus operatus est. Cum mulier quædam ex longinquis partibus, consumptis omnibus quæ habebat, venisset ad monasterium illius, nomen ejus frequenter inclamabat; atque veluti vivens ipse in corpore præsens adesset, alimoniam sedulo ab eo petebat; cumque jam ad monasterii portam egressura propinquaret, duodecim nummos in terram jacentes reperit; quos accipiens cum gratiarum actione gaudens discessit.

33. *Alius perditam clavem.* — Nec dissimile huic fuit quod, cum unus ex custodibus monasterii clavem modicam amisisset et diu multum quæsivisset circumquaque nec invenisset, tandem ad sepulcrum beati viri accessit, ut in hac necessitate subveniret sibi exorans, statimque ut a sepulcro surrexit, clavem ante altare invenit, satisque admiratus gratias egit.

34. *Captivus mire liberatur, auctoris fides.* — Quidam miles forte captus ab inimicis, Oliverius nomine, filius videlicet illius Augerii de Riontio, qui Silvæ-Majoris locum sancto Geraldo prius dederat (*Sup.* n. 21), ductusque est apud castrum, quod Mons Revellus (32) dicitur, et ibi magno ferri pondere oneratus nudusque ad solem lacte peruncto, ut a muscis avidius impeteretur, positus est. Sed accepti beneficii beatus Geraldus non immemor, huic in tali confusione constituto, non nocte sed die, visibiliter apparens dixit: « Quomodo tibi est, frater? » At ille respondit: « Male. — Surge, inquit sanctus, surge. — Et qualiter, domine, [ait miles] possum surgere, tanto catenarum degressus gravamine? — Surge, inquit [sanctus], quantocius, ne timeas. » Cumque tentasset assurgere, illico omnia in terram corruerunt vincula. At ille obstupefactus: « Quis es, inquit, domine? — Ne cures, ait homo, scire qui sum ego; sed compedes accipiens ad Sanctæ Mariæ Silvæ-Majoris cœnobium concitus perge; Deoque ibi gratias age. » Videns itaque homo custodes non abesse, necnon in platea quamplurimos deambulantes, formidabat abire. Videns sanctus dixit rursus ad eum: « Ne paveas, quia nullus mortalium usque ad locum quem prædixi obesse tibi prævalebit. — Obsecro, inquit, domine, ut mihi nomen tuum digneris intimare. » Et ille: « Scito me Geraldum Silvæ-Majoris abbatem esse. » Quo dicto, ab oculis aspicientis illico evanuit. Animatus tandem sponsionibus tanti viri, ex oppido, nemine prohibente, assumptis secum compedibus, ut jussu fuerat, exiit; sicque lætus et alacer ad cœnobium Sanctæ Mariæ Silvæ-Majoris venit, Deo gratias et sancto Geraldo reddidit; miraculum fratribus ibidem servientibus seriatim retulit. Illi autem confestim summa cum lætitia pulsatis signis, *Te Deum laudamus* solemniter decantaverunt. Hæc vero, et alia quæ narramus signa, non ab aliis, nisi ab his qui hæc certissime viderunt et audierunt, vel quibus collata sunt, accepimus.

(29) Et istud miraculum a Petro abbate ad posteros transmissum fuisse testatur alterius Vitæ auctor, imo et *istud inter cætera*, ut ipse loquitur, *etiam scripto tradidit* Petrus, *et probato suo testimonio confirmavit.*

(30) In altera Vita dicitur *monasterii custos.*

(31) Sic codex Corbeiensis. Alii mss. *nos, qui intuebantur.* hinc Bellandiani *eos, qui*, etc.

(32) Hunc locum Papebrochius putavit esse oppidum hujus nominis satis notum in provincia Bressiensi, vulgo *Montravel.* At hic designatur oppidulum Petrocoriorum, vulgo *Montravel* dictum, ad Dordonam situm haud procul a Vasatensi pago. Quod septem leucis a Silva-Majori, duabus vero a Castellione oppido, distat.

Digitized by Google

35. *Miracula ad ejus sepulcrum.* — De manifestis etiam signis (33), ad illius tumulum frequentius patratis, silendum non est (34). Nam viri quamplures, necnon mulieres, amisso sensu, cum ad illius adducti fuissent tumulum a parentibus vel amicis, vigiliis trium aut quatuor noctium celebratis, pristinæ sanitati restituebantur, annuumque monasterio censum reportabant. Tantamque ei Dominus gratiam largiri dignatus est ut absque numero captivos ferro, vinculis compedibusque ab inimicis vehementer astrictos, non tantum de vicinis, sed etiam de longinquis mundi finibus, liberos abire incunctanter præceperit; ita ut etiam de Nortmannicis regionibus nonnulli ad monasterium ipsius cum catenis et compedibus, et aliis tormentorum generibus, gratias oblaturi advenerint captivi, illum se facie ad faciem vidisse, illiusque nutu ac meritis se solutos esse a vinculis fideliter profitentes, compedibusque supra ipsius sepulcrum appensis, annuoque censu indicto, suam cum gaudio redierunt in patriam. Multi quoque ex accolis patriæ, aliquo tacti dolore capitis, oculorum, manuum, pedum vel aliorum membrorum, invocato ipsius nomine, cereas sæpe exprimunt similitudines, quas illius tumulo superpendentes, sospitatem pristinam se meritis ejusdem recepisse fideliter confitentur. Navem etiam a quodam naufrago ex cera compositam, sepulcro appensam, multoties vidimus qui se, in magno maris discrimine positum, invocatione sola nominis sancti Geraldi a morte liberatum mirabiliter fore perhibebat.

36. *Auctor scribit in Silva-Majori.* — Ut quid nos autem de ejus loquimur mirabilibus, cum hoc solum ad illius declaranda sufficiat merita quod tantum religionis exemplum in hac effulsit patria per eum, quod absque numero peccatores sæculo relicto mortem evaserunt, quod in cœnobio ab eo constructo juvenes et virgines (35), senes cum junioribus, laudant nomen Domini? Nam locus qui quondam spelunca latronum, latibulum luporum et ferarum exstiterat, viro Dei adveniente, domus orationis, locus sanctificationis et religionis pacis effectus est. Quis tandem ipse, vel quantæ sanctitatis aut cujus vitæ fuerit, multo melius opera quam dicta elucidant; exitus autem acta probat. Ne igitur verborum prolixitas legentibus tædium inferat, scribendi finem faciamus, Deum super omnia et in omnibus glorificantes, qui tam egregium doctorem, beatissimum Geraldum, de longinquis finibus ad illuminationem regionis istius mirabiliter destinavit; cui est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(33) Nonnulla addit alterius Vitæ auctor, quæ apud Bolland. habentur.

(34) Menardus addit hic : *Nam qui de lapide sepulcri ejus contuso aquæ permixto bibebant, sanabantur.*

(35) Id de sanctimonialibus etiam in Silva-Majori degentibus interpretatur Papebrochius, ubi parthenonis rudera hodieque videri observat. Certe in plerisque ordinis nostri monasteriis moniales aliquot in vicinis domibus haud procul ab ecclesia habitabant. *Oregundis sanctæ conversationis habitum a S. Geraldo* suscepisse dicitur in veteri instrumento. Aliæ passim memorantur. Inter alia monasterii Silvæ-Majoris loca quæ in bulla Cœlestini III memorantur, occurrit parthenon Pomareti in diœcesi Caturcensi, cum suis prioratibus, etc. Erat alius Gavareti in Occitania, Silvæ-Majori subiectus.

VITA SANCTI ADALARDI

ABBATIS CORBEIENSIS,

AUCTORE SANCTO GERALDO ABBATE SILVÆ-MAJORIS.

(Apud MABILL. *Acta Bened.*, *tom.* v, *pag.* 345.)

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Magnus Dominus et laudabilis nimis, gloriosus et magnificus in sanctis suis. Ipse est enim corona sanctorum, ipse spes, exsultatio et gaudium. Ejus singularis visio eorum est universalis delectatio; horum autem exsultatione fundatur universa terra, mons Sion, aquilonis latera, civitas Regis magni, universitatis Ecclesia. Quæ, numeroso compta germine nuptiarum et per eas diverso fecunda ordine filiorum, civibus electis ornat Hierusalem, urbem illam scilicet cœlorum, ad cujus hæc terrestris Ecclesia præfiguratur imaginem. In hac spes civitatis illius habetur, in illa res desiderata tenetur. Hæc beatos facit, illa electos reficit. Nec est ista expers civium illorum; Deus enim cognoscitur in domibus eorum, ubi videlicet imperatores curvantur ante tumulos piscatorum, piscatores honorantur successione pontificum, pontifices religione abbatum. Et ideo summo nos delectet succumbere bono, tanto voluptas sit subesse Domino, qui non modo fautor est cremento proficientium, sed et remediabiliter providet casibus

Digitized by Google

ruentium, dum et angelica præstat nobis suffragia non deesse, et patrocinia confert sanctorum, quos pro reatibus intercessores non dubitemus efflagitare. Quos cum diversis attributos provinciis communibus omnes conveniat passim honorare officiis, singulis tamen quibusque locis misericorditer provisos attribuit, quos specialiter nobis amplectendos et propensius exorandos voluit.

2. De quorum numero lux patriæ beatus Adalardus, Corbeiensium exstitit abbas prædicandus, qui non solum Francorum gemma, sed et Saxonum oriens effulsit stella. Genuit filios Ecclesiæ, nutrivit Patres Corbeiæ. Denique sanctus Anscarius, qui a Walone ipsius sancti Adalardi fratre in Corbeia fuit electus, ut a rege Ludovico cum Herioldo Danorum rege ad prædicationem Danorum mitteretur; quique postea pro fide Christi multis pœnis ab eisdem affectus, tandem in Bremia archiepiscopatu suo requievit, multis meritis decoratus, ejusdem sancti Adalardi auditor fuit et nutricius. Ratbertus quoque Paschasius, ejusdem abbas loci, qui luculentum edidit librum de Corpore et Sanguine Domini, ejus meruit paternitatem digna filiatione sui : cujus etiam corpore cum reliquis illustratur Corbeia. Qui diversi per diversa, diversæ sanctitatis in Christo adepti sunt merita. Hic autem qualis fuerit et quantus, in quadam epistola (36) testatur abbas Lobiensis Herigerus, qui eo tempore inter sapientes habebatur sapientissimus. Quam quam longum est hic interponere.

3. Ad sanctum Adalardum, de quo digressi sumus paullisper, calamum studeamus convertere; in cujus charitatis dilatatione, tanta filii sui fervebant dilectione, ut a quodam eorum tanta sit composita prolixitate ipsius vita, tanta lamentationis plena amplitudine, tanto cantici canticorum amatorio languore, ut magis epithalamium dici possit quam textus alicujus historiæ. Qua confusione non mediocriter offensus Corbeiensis tunc custos (37) ecclesiæ, sæpe monuit abbatem ut recidi juberet superflua quæque. Sed illo sæcularibus curis occupato, compunctus iste reverentia sancti, cui hærebat amoris privilegio, flores ipsius vitæ decerpi jussit e tanto viriditatis prato. Cujus parendo jussioni sub brevitate, non detrahitur priorum sententiæ, excepta illius qui non authentice sensit de hac historia in sancti Viti translatione, non nisi denique per hanc scribendi viam ingressus. Quomodo enim aliter interponeret Corbeiam novam, quam construxit sanctus Adalardus, licet ad unguem descripserit ipsam translationem factam per successores ejus, inordinate tamen erravit de chronicis principum et sancti successoribus. Ad cujus errorem falsitatis removendum sufficiens sit cunctis legentibus ejusdem scriptoris testimonium, qui etiam hoc quod ignorando asserit, in hac monet historia requirendum. Quapropter nunc ei hujus inordinationis offensam donemus, eo scilicet tenore, ut in his quæ secus quam sunt sentit, a nullo sit per singula credendus. et sic ad rei veritatem scribendi calamum vertamus.

VITA INCIPIT.

4. *Adalhardi genus.* — Tempore igitur quo Carolus agebat in sceptris, ille scilicet Carolus, cui cum sæculo terminavit famam palma virtutis, tirocinabatur in palatio Adalardus, puer bonæ indolis. Cujus quidem genitores non silet antiquitas; et ideo quantæ nobilitatis fuerit, celare non potest posteritas. Secundum enim totius generositatis genealogiam, ab ingenuis Francorum regibus deducens nativitatis lineam, Bernardum fratrem magni Pippini regis habuit patrem : consanguineum quoque æquivocum Pippini Pippinum juniorem, consobrinumque et collegam sub alas scholares eumdem Carolum imperatorem. Fuit quoque Francus natione, qui Franci dicti sunt a feritate; genere scilicet Trojani, qui per Illyricos sinus deducti Mæotidas insederunt paludes, duce quodam Antenore. Unde cum Romanis Æneia signa secutis civilis est ei communitas, et unius imperii quondam fuit et esse debet communis affinitas. Hoc autem eo tempore erat, quo Carolus Romanus imperator dicebatur et erat. Ipse enim solus fuit, quem fama majorem mundus habuit.

5. *Cum Carolo educatus.* — Cum quo postquam beatus puer liberalium fontem transivit non inloto pede, inter primos palatii ætate et sapientia cœpit florere, et primus haberi sub ipso sceptrigeranie. Timebat tamen Deum, et omni custodia servabat cor suum. Binos quoque fratres et totidem sorores habebat : quos sicut ætate, ita et meritis anteibat. Licet enim, utpote juvenis, natura cereus esset in vitium flecti, immunis tamen erat ab his vitiis, quibus illa ætas solet inquinari. Semper erat in ore ejus justitiæ attestatio, semper in corde injuriæ detestatio, et quanto junior, tanto perspicacior

6. *Carolo ob repudiatam conjugem indignatus, sæculum deserit.* — Sed ea tempestate, quos sibi amicos obsequium, ab eisdem veritas peperit odium. Imperator quippe Desiderii regis Italorum filiæ legi-

(36) Nimirum in libello De Eucharistia, qui ab Ludovico Cellotio editus est sub titulo Anonymi in appendice ad Historiam Gottescalci : quo in libello multis laudatur Paschasius Radbertus. Hujus auctoris nomen deprehendi in ms. codice Gemblacensi in quo exstat libellus iste cum hoc titulo, et initio : Dicta domni abbatis Herigeri *de corpore et sanguine Domini. Sicut ante nos dixit quidam sapiens*, etc. Herigerus porro vivere desiit anno 1008.

(37) Nimirum Gerardus ipse, qui Corbeiæ primum ædituus, dein cellerarius fuit.

Digitized by Google

timo connubio nupsit; sed postea odio patris injuria perosam repudiavit, et perjuris optimatibus Francorum publico adulterio alteram regno superduxit. Quæ res quantum detestabilis fuisset, etiam nunc Orfens Occidenti nuntiare valet. Et si minus justis omnino displicebat, credo quia bonis et perfectis placere non poterat. Quapropter adolescens, omnimodo detestans propinqui sui illicitum conjugium, publice obtestans perjuros esse optimates Francorum, elegit adhuc puer palatium et cum palatio sæculum postponere quam talibus videretur communicari et consentire, ut propinquo quem contraire prohibendo non posset, saltem fugiendo se dissentire monstraret.

7. *Corbeiam se recipit.* — Abdicatis igitur palatii insignibus et tirocinio, vicesimum ætatis agens annum, quando juvenilis animus proclivior habetur in peccando, statuit suscipere jugum Christi, libertatem suam ejus servitute nobilitando. Cui quia non ficte militare disponebat, cœnobium in quo militandi exemplum acciperet, nova religione quærebat; cujus religionis officina decens invenitur locus, qui vocatur Corbeia. Nec spes enim fefellit, quia quod devote quærebat devotius sibi cessit. Quantæ enim fuerit nobilitatis tunc locus ille, satis cementibus adhuc claret vestigiis tantum veteris ruinæ. Ut enim minus quam decet dicam de laude ejus, ipsa erat veraciter aula Dei et absque concupiscentia pomi alter paradisus. Et qualis tunc erat quæ modo vix signa Corbeiæ servat? utique talis qualem decebat militem summi imperatoris.

8. *Ubi recte institutus.* — In hoc itaque loco pulsans et pulsando admissus, secundum regulam sancti Benedicti instituendus, primo deposita sarcina et habitu sæculari ingrediendo, cœpit currere viam mandatorum Dei, statimque discipulus effectus legis divinæ, qui antea jam perfectus erat magister mundialis scientiæ, per summæ humilitatis adeptionem breviter apprehendit utriusque legis perfectionem. Ad hoc enim venerat; ideo non magnus labor discendi erat. Sancti quoque Spiritus gratia omnia sibi faciebat docibilia, omnia penitus possibilia. Quidquid imperabatur, ita parebat ac si divinitus imperaretur. Nulli secundus erat humilitate, et, licet novitius, cunctis tamen prior religione. Erga priores digna acclinis veneratione, erga juniores paterna affectus dilectione. Sicque omnibus omnia factus, paulo post omnes præcedit virtutibus qui paulo ante omnium erat pedissequus. Postquam conversionem morum actu atque habitu professus, quem quærebat monachum, victorem in cœnobio se fecit monomachum, dextera quippe Dei confortatus, pugnabat contra nequitiæ spiritualia in cœlestibus.

9. *Hortum excolit.* — Cumque jam in tantum efflo-ruisset ut intra monasticam disciplinam magis inesse animo cœlestibus quam terrenis crederetur et esset, committitur ei quædam obedientia, ut in omnibus probetur ille novus cœnobita. Commendatur ei cura horti excolendi, causa scilicet obedientiæ fructum exinde referendi, et (ut quidam asserunt) jussu regali, quasi scilicet hac obedientia injuriatus flecteretur animo ad palatium regredi. Quam obedientiam monachice et libenter suscepit, et susceptam pro posse et nosse, devote supplevit. Excolebat hortum, et cum Maria requirebat in horto resurgentem Jesum. Videre erat novum cultorem nuper inter primos palatii latera sua tenentem, nunc rastro et ligone urticas terræ rapientem. Videre erat juvenem hortulanum nunc laborantem in cuculla non sua, nuper inter palatinos sericatum. Sed hæc mutatio dexteræ Excelsi, qui quos vult et quales vult eligit sibi, prorsus hæc erat via per quam erat iturus ad astra.

10. *Cognatos fugiens.* — Nec via sufficit ista, postquam usu progressionis affectata est, posse teneri visa. Quærit arctiorem, ut possit ascendere de virtute in virtutem. Nihil ei videtur ista conversionis ingressio, nisi per hanc procedat sibi major virtutum progressio. Considerat sibi non parum obesse cognatis et parentibus medium interesse. Nimis quippe diligebatur a suis, et ideo ultra voluntatem suam visitabatur ab eis; quæ visitatio non solamen sibi erat, sed mentis desolatio. Eligens quippe non per vices Christi esse discipulus, quia etiam seipsum reliquerat totum totus, nolebat propositum suum impediri a parentibus. Oderat nativitatis solum, quia pro talibus quæstum audierat referri centuplicatum. Eo igitur animi processit ut talia fugiendo, quia aliter non poterat, declinare decreverit. Nam si quæsisset licentiam, sciebat sibi omnino negandam. Quid ergo faceret? irreligiosum videbatur, si ita discederet, sed irreligiosius, si inter luctantes amicos remaneret.

11. *Secedit Casinum.* — Proinde dum talia mente volvit et revolvit, omnem dubitationem bona intentio pessumdedit. Alter Elias statim fuga labitur, fugiens voluptatem carnis, quatenus ipse sibi inveniretur. Cujus autem rei gratia loco suo cessit, testis est locus ad quem secessit. Non enim quæsivit aliquod remissioris vitæ diverticulum, sed voluntate et itinere direxit gressus ad montem Casinum, ubi non parum honeste susceptus nihil instantis et quæsitæ rei, sed alia pro aliis est commentatus.

12. *Eremita prædicente revocatur.* — Non tamen diu potuit latuisse quem Deus nolebat latere, imo hac fuga gloriosius magnificare. Quidam eremita ibi habebatur qui, dum cum famulo Dei hospitalitatis humanitate sermocinatur, prædicit sibi quæque futura, et quis esset, et unde esset et cujus rei advenisset gratia. Addit insuper quæ sibi minime placerent, scilicet quia legati imperatoris, secuti eum ad reducendum, sine dilatione venturi essent. Quibus auditis vir Dei dissimulat quidem, sed tristis efficitur; et brevius prolato colloquio invicem, ab invicem pro se orari petunt, et consolantur, sicque secedens ad Patrem monasterii causam adventus sui tandem confitetur; quærit consultum, petit auxilium, precatur abscedendi copiam, licentiam, tempus et locum, ut liceat sibi ulterius migrare quo nec audiatur nomen suum. At ille laudans intentio-

Digitized by Google

nem, non avertit petitionem, sed differt responsionem. Cujus responsionis dilatione statim intercipiuntur imperatoris precatoria legatione. Et quia annus est, dum moliuntur, molitiones, illico dissolvuntur. Auditur imperiale mandatum, et audito pariter reditur monasterium.

13. *Corbeiæ reclusus.* — Et quia ad votum res cœpta sibi non suppeditabat, in suo disponit esse qualiscunque in alieno loco esse decreverat. Inter parentes stat et parentes fugit, quia claustrum pro eremo habens, orationibus insistit. Nihil habet præter se, de seipso regnum Dei studet sibi comparare, vigiliis vacat, jejunio se excruciat.

14. *Abbas eligitur. Italia regem Pippinum moderatur.* — Proinde talis efficitur ut non solum ordine, sed etiam honore sublimari dignetur. Nec fit aliqua sublimandi dilatio, cunctorum corda ad id disponente Deo. Pater quippe monasterii, corporis viribus se sentiens destitui, electum adnutu cunctorum subrogavit Adalardum. Cujus dignitatis honore indusiatus, et a principe regni legaliter intronizatus, non efficitur philopompus (38), non ut plures adsolent, pompolentus. Qualis ipse erat, tales suos esse volebat, et ut essent, exemplo trahebat, verbis prædicabat. Nec deerat prædicationi multiplex scientia; scientiam vero fundabat in cordibus auditorum prædulcis facundia. In qua quam decenter emicuit, omnis Gallia, quæ ejus consilio innitebatur, pacata probavit; maxime vero Italia quæ sibi a Carolo fuerat commissa, ut Pippino Juniori ad regendum magistraret, et ad stateram justitiæ regnum Italicum informaret, ubi tantam operatus est æquitatem ut a populo comparaverit sibi angelicam laudem. Nullius enim in judicio personam accepit neque in scirpo nodum quæsivit. In ingressu suo omnem tyrannicam deposuit potestatem, eorum scilicet, qui velut prædones in populo exercebant rapiendi tyrannidem; unicuique sua restituit, et sic inter eos jurgandi causam destituit, pacemque unitam constituit.

15. *A Leone papa laudatus. Quam liberalis.* — Taliter igitur disponendo regnum, pervenit fines Romanorum, ubi a Leone papa tanta susceptus est familiaritate quanta neminem Francorum constat prius susceptum fuisse. Nec id casu evenit, talem quippe eum invenit; ideo hoc ei testimonium perhibuit: « Scias, inquit, optime Francorum, quia si aliud te invenero præter quod affeci animum, nulli deinceps credam vestratum. » Magnæ auctoritatis homo, cujus fides parum devia unius regni fieret evacuatio. Sed quomodo ab ea posset deviare, qui eam deviantibus studebat redintegrare, et etiam imperatoribus scriptis intimare? In hac utique dives erat, sed rerum mundi aporiam [indigentiam] sponte sibi inferebat, quia in Christo pauper esse volebat. Accipiebat a multis mutuo, ut semper daret, et semper haberet; et tamen semper egeret restituendo. Semper inter manus habebat largitatem, quæ sibi affluebat per erogationem. Erogabat et abundabat; donabatur cum dabat; quia divina retributio eum semper præveniebat. Quod suis non credentibus, sed ferentibus indigne taliter olim propalatum est divina bonitate.

16. *Eximio exemplo.* — Tanta denique super petentes largitate usus est aliquando ut fratribus pulmenti nihil esset residui omnino, non pisces, non caseus, non aliquis præter panem monachorum victus. Unde plus justo indignatus frater, qui talium erat assignatus minister: « Miror, ait, Pater, quid sibi velit tanta expensio, et exinde nulla a quocunque repensio. Non animo reducis penurias fratrum, ut deberes; sed egentibus succurris, et ipse eges. » At ille subridens dissimulando: « Non turberis, ait, frater, inquirentes enim Dominum non deficient omni bono. Tu, inquit ille, ita semper polliceris; sed non sic continuo dabitur quod indesinenter effundis. Prius sentient fratres expendentem quam debeant videre rependentem. » Tanta lacessitum Patrem indignatione qui indignantem patiebatur fratrem pro charitate, respexit filius charitatis, et porrexit manum largitatis. Statim enim adsunt duo plaustra pro foribus, non bonum ministerio, sed ministro Dei deducta divinitus, unum onustum caseis, alterum piscibus. Qua beatus Pater visitatione relevatus, et plus redargutione fratris quam etiam ipsa relevatione gavisus, jubet, et adest illico ille jussus. Quo præsto: « Timentibus, inquit, Deum, frater, nihil deest aliquando; beatus vir qui sperat in eo. Ecce, quod timebas a Deo arguitur, et incredulitas tua aperte convincitur. Convictus tandem erubesce, et acceptis quæ repetebas, noli amplius desperare. » At ille discedens confusus, erat enim simplicitate, sed non sine felle columbinus: « Da mihi, inquit, Pater, veniam, peto; deinceps quippe credam tibi omnia cedere pro voto. Redditur quod dedisti, quia habes quod accepisti, gratiam quam meruisti. » Vera confessio, nec dissona a merito. Non enim erat semilargus, sed ex integro totus. Mentior, si testimoniis destituor.

17. *Pia discretione.* — Si quando fortuna egentes sibi præsentabat bis unum, et agapen utrisque competentem non habebat ad manum, satius censebat alteri totum tribuere, quam uterque eorum pene inelemosynatus videretur recedere; isti impendebat pietatis effectum, illi benevolentiæ tantummodo affectum.

18. *Lacrymarum dono præditus.* — Nec erat inanis a visceribus pietatis; quæ quanta sibi inesset, parum corde, minus celare poterat oculis. Semper quippe quasi aliquod aquagium manabant ex eis lacrymæ, quæ, ut videri poterat, testes erant dulcedinis, non vel pœnitentis conscientiæ. Qui cum a suis secretioribus interrogaretur lamenti causam, « Plango me ipsum, filii, dicebat, non ostentando humilitatem meam, sed conveniendo conscientiam. Ego me intus et mente novi; ideo plango quod commisi. » Dicebat hoc non quod talis esset, sed qui tales erant, ut ad

(38) Forte *philocompus*, φιλόκομπος, fastuosus; nam auctor postea subit *pompolentus*, quod idem est ac philopompus.

Digitized by Google

planctum invitaret. Quandocunque res eum occupabat mundialis, utpote exigebat, et exigit in talibus œconomia temporalis, paulo post exoccupatus adrat totus in divinis. Mox fluebat lacrymarum inundatio, et inter lacrymas dulciter susurrabat psalmorum murmuratio.

19. *Maxime in officio divino.* — Ubi quoque ad divinum officium introibat, omnes cogitationes sæculares secus ostium introitus reponebat, et secum totus utpote ante Deum incedebat. Aliis psallentibus ipse flebat; dulciori enim musica solvebatur in lacrymis, per quam totus constabat. Tantæ enim erat dulcedinis et dulcissimæ in Deum intentionis ut si etiam regalibus consiliis assisteret, audita aliqua melodia nullo modo se a fletibus temperaret. Nec mirum, quia dulcedo patriæ, in qua dulcescit, cui semper suspirabat canticum novum, hac dulcedine solvebat eum.

20. *In itinere seorsim incedit.* — Cumque etiam pro Ecclesiæ negotio itineraretur, quod ab hujusmodi ministerio, etsi aliquando, raro tamen segregari consequitur, secretus ab omnibus aliis gradiebatur. Nec deserebat instituta regulæ, sed fletibus vacabat pro lectione, et orationibus pro reliquo conventuum tenore. Comites qui in talibus consueti erant, præcedebant et sequebantur eum, salibus suis intendendo; ipse autem salebras itineris relevabat sibi psalmodiando.

21. *Pacem inter dissidentes reformat.* — Ubicunque gradiebatur, pax secum comitabatur, bellum cum bello habebat, fœdus cum pace inierat. Cum qua olim perveniens Beneventum, invenit eam arma sumpsisse contra Spoletum. In quibus tanto marte bacchabantur ut omnia sua armis, prædis et flammis adnihilarentur. Fervebat Bellona in omnium necem, omnibus pulchrum videbatur perdita recipere per medium hostem. Hæc erat mensura belli prius deficere quam vinci. Tandem vir Dei inter eos medius caduceator deambulat, et utrisque consultum pacis expectorat. Nec ante desistit quam fœdus inter eos usque ad oscula restituit, pacem partibus redintegrat, mores et fines certo limite antiquat. His ergo et similibus fœderabat regnum indefessus.

22. *Ob justitiæ zelum relegatur.* — Sed ea tempestate visa est e terra justitia migrare. Patiuntur mortales lucente sole deliquium, quia perit inter eos color et decus rerum. Lux denique orbis Carolus imperator, viam universæ carnis ingressus, defecit, filiumque suum Ludovicum moriendo imperatorem effecit; sed non tam bene filiatum, sicut decuisset imperium. Non enim secutus est viam patris, sed sensit cum Roboam filio Salomonis. Quidquid pater amaverat, odio habet; quidquid illi placuerat, sibi displicet. Removentur paterni consultores, admoventur novi et priorum osores. Quorum annosa perversitas statim felices esse res publicas ingemuit, eo scilicet quia juxta Platonem rectores earum amplecti sapientiam vidit. Erant autem illi qui viro Dei sapientia et honore ampliato invidebant tempore Caroli, et malebant quam hunc regnare, fasque nefasque confundi. Cujus invidiæ adepto tempore vindicta accensi, quatenus eum separent a latere regis firmantur convoti, ut justitiam ulterius non habendo defensorem regnum amitteret, et iniquitas suis quandoque capienda fraudibus dominandi locum reciperet. Nec erat res perardua, quia suppetebat locus, tempus, persona. Denique, ut aiunt, regibus boni quam mali suspectiores sunt. His quoque virtus aliena semper est formidolosa. Quod viro Dei ita esse nihil constitit verius qui, sine judice dignitate honoris exutus, ob beneficium reipublicæ exsilium tulit sicque mala pro bonis recepit. O mores! o tempora, ex aureis utique fictilia! Sed « beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, » pro qua quasi mundus exsilium non esset, alterius exsilii injudicatus excepit sententiam. Non tamen sine judicio, quia feliciter munerandus divino.

23. *Etiam et sui.* — Dissolvitur itaque illa felix germanitas, quæ sicut aliqua constellatio totius palatii videbatur claritas. Germani erant quinque, ut sexu ita discreti et ætate, sed eadem uniti bonitate. Sanctus Adalardus primum ætatis et sanctitatis tenebat gradum; post quem Walo, virorum clarissimus, ordinis, justitiæ et æquitatis hæredium. Quibus sancta virgo Gundrada hærens ex latere dispar quidem erat sexu, sed non dispar sanctitate, quæ sola inter venereos palatii flores ignem juventutis meruit evadere. Reliqui duo Bernharius et Theodrada; quæ, reddito fructu nuptiali ante pedes Jesu, verbum Dei elegit audire cum Maria. Et ipsa quidem Suessionis sanctimonialium rexit vitam; ille vero Corbeiæ Christi discipulatus assumpsit formam.

24. Ili ergo palatii flores per diversa mittuntur insontes. Sanctus Adalardus ad Heri Aquitaniæ insulæ adeptus Dei dispensatione locum quem ante quærebat per fugam. Walo providente Deo recipitur Corbeiæ, ut quæ flens et dolens desolata erat tanti Patris decessione, ejusdem fratris consolaretur sanctitatis et prælationis successione. Bernharius Lirino mittitur; Theodrada quasi reliquis innocentior, cum omnes innocentes essent, Suessionis relinquitur. Pictavis dirigitur Gundrada, apud dignam digna, sanctam scilicet Radegundem ancillatura. O corde tam uniti, cur orbis intercapedine tam discreti? quos Deus conjunxit, homo cur separavit? Hæc autem proscriptio non fit legalis judicatio, sed furtiva relatio. Loco tamen acceptæ benevolentiæ omnem excludit injuriam malevolentiæ.

25. *Omnibus lugentibus ipse lætus.* — Cumque simul egrederentur e palatio, procedit Adalardus, quod dignus fuerit contumeliam pati gratias agendo, fratres et sorores lacrymantes osculis leniendo, amicis fortitudinem mentis persuadendo, proceribus palatii exempla virtutum exhibendo, porro mirabilem mentis suæ constantiam omnibus demonstrando. Sequebantur enim eum plures, quia aliter non poterant, id sibi displicere lacrymis et contritione

Digitized by Google

cordiæ ostendentes. Quibus cum recedentibus valediceret, et ipse valedictus ab eis recederet, recedunt cum lacrymis, et duo archipræsules, qui calido pede et calida mente assistunt regi, dicentes : « Putas te, imperator, vindicare, quia hunc virum exhonoras hac proscriptione? Aut male es consultus, aut non bene præmeditatus. Non denique exhonoras, sed, ut sibi videtur, pleniter eum honoras. Verum enimvero non te ex illo, sed ex te vindicas illum, quia nunquam sibi tanta, quanta hodie fuit exsultatio et gaudium. Hodie pristinam libertatem in Christo se recepisse gratulatur, et quia non aliquod gaudium huic simile sibi potuisses facere, sine simulatione fatetur. Unde scias procul dubio quia nunquam lætior visus est a nobis aliquando. » Ad hæc imperator perfunditur rubore, dolet se fecisse, quod jam ruboris sibi videbatur irritum facere; sed si foret infectum, non esset utique posthac faciendum. Cui rem cunctis imputantibus pro crimine [nec aliter erat, peccatum enim faciens peccato non poterat carere) vir Dei omnimoda ratione obnititur : « Non huic, dicens, non huic, quod non est in hominis potestate, imputetur, utitur Dei permissione, cui constat nos omnimodis deliquisse. Quod si a Domino adversum nos incitatur, oportet ut sacrificium humilitatis odoretur. »

26. *Heriensibus monachis prodest.* — Hæc et alia prædicando discedit ad locum, ut destinatum usui suo, ita et a se expetitum omni desiderio. Ubi quantæ fuerit humilitatis et gratiæ, testes idonei sunt fratres, inter quos per septennium vitam duxit angelicam. Quanto enim curis sæcularibus erat exoccupatior, tanto divinis et cœlestibus suspirabat attentior. Assiduus erat in oratione, post orationem in lectione, post lectionem in fratrum relevatione. Relevabat eos melliflua ratione, se ipsum præbens speculum, quem sequerentur in actione. Parvus erat inter minores, minor inter majores, majores venerans ut dominos, minores colens ut filios. At illi gaudebant ejus paternitate, et quasi sub abbate suo exhibebant se digna filiatione. Expetebant monentem, et in omnibus audiebant consulentem. Sermo quippe ejus sale erat conditus, et omnes adversos secundabat casus. Pater cœnobii patris eum venerabatur loco, neque aliquid fieri censebat sine ejus consilio. Illi autem minimum erat in talibus consulere, utpote qui alterplicem (*nove*) imperii curam solebat disponere, nisi fratrum diligentia evictus esset aut charitate. Sed quia in cœlis erat, secundum Paulum, ejus conversatio, semper tenebat eum divina contemplatio; a qua vix aliquando recedebat, nisi fratrum charitas, aut edulii eum relevatio abstrahebat. Et ut fiat cita descriptionis conclusio, quia non potest fieri virtutum ejus plena definitio, talem se ibi exhibuit qualem nulla valet comprehendere oratio.

27. *Post septennium revocatur, cunctis congratulantibus.* — Qua veneratione postquam explevit septennium, ita adhuc novus in Dei obsequio, quasi nondum supplesset biennium, Deus, in cujus manu cor regis habetur, solita dignatione solvit ejus exsilium. Dominus enim in terram aspexit, et justitia de cœlo prospexit. Resedit in regno æquitas, et refrigescit multorum iniquitas, revirescit color rerum; colorantur flores Ecclesiarum. Jam enim tempus miserendi, jam venerat tempus earum, quia clementia Dei inspiravit imperatorem Ludovicum, quatenus ab exsilio sanctum revocaret Adalardum. In cujus revocatione tanta fuit imperii exsultatio, quanta si cœlitus descenderet visibiliter ipsa divina visitatio. Nec secus erat quia Deus per eum mortales visitabat. Gratulantur cœnobia monachorum, resultat jucunditate decus ecclesiarum, superborum arrogantia humiliatur, humilium patientia exaltatur, fit concursus populi restituta sibi pristina dignitate, quia qui subtractus fuerat sedentibus in tenebris errorum, refulget Sol justitiæ. Recepto patre fiunt matrimes orphani, gubernatorem recipiunt viduæ et pupilli.

28. *Præter Herienses.* — Sed quanta istis lætitia, tanta illis a quibus recedebat oritur mœstitia. Gaudent et dolent, quia semper eum habere vellent, et tamen ad suam sedem redire mallent. Hæc erat inter eos discors concordia, et concors pariter discordia. Quem circa lacrymantes pia dilectionis dulcedine (non enim erant adhuc satiati per septennium, quod multis solet esse tædium, ejus dulcissima dilectione), vix eum fervore charitatis cogebantur dimittere.

29. *Maxime Reginardum.* — Præcipue autem inter eos dilectionis quidam erat Raginardus post eum utique qui tunc erat, ejusdem loci abbas futurus, qui unica fervens in eum amoris charitate, gaudebat et dolebat, mutua animi alternitate. Quia enim repatriaret assertor veritatis lætabatur; sed supra modum dolebat quod tanti viri præsentia privabatur. Cumque monasterium jam egrederetur, et fratres eum lacrymis valedicendo et deducendo prosequerentur, ille delitescens in valle plorationis, dolori satisfaciebat gemitibus et lacrymis, quia præsens ferre non poterat præsentiam abeuntis. Quem ille frequenter requirens, et sæpius exspectando resistens, statuit omnino non discedere, quandiu superesset sibi fratri valedicere. Cui tandem reperto cum nuntiaretur, et ne impediret abire volentem rogaretur, « Nolite, precor, ait, quærentibus me detegere, quia lenius absens possum abeuntem ferre. » Renuntiatur sancto, ostenditur quo delitescat loco : qui statim passibus charitatis regressus venit ad fratrem, ne remaneret insalutatus. Et cum pervenisset ex improviso, exsiliens ille consternatus animo : « Hei mihi ! Pater, clamabat lacrymando, addidi peccatum peccato. Nolui ad te exire, ideo miser huc te cogo redire. Sed da veniam, quia sperabam latere. Nescio denique quid faciam dilatum, sed jam præsens vix queo ferre tui desiderium. Absit autem ut per me aliqua intricetur tibi mora ; Domini tecum comitetur gratia, quia mecum, velim, nolim, tui semper erit præsentia. » His dictis, dato et accepto vale, diu immorantur in osculi cha-

Digitized by Google

ritate : sicque sanctus egreditur cum reliquis, etiam illo prosequente.

30. *Navem conscendens proficiscitur.*— Præparantur rudentes, impelluntur naves, et velis auræ patentibus, solvuntur anchoræ: expapillatis brachiis aptantur remiges et antennæ. Dant fratres gemitus, et naves sonitum, atque tandiu super ripam stantes recedenti intentant visum, donec crispantibus oculis pro uno sibi videntur videre numerum.

31. *In palatium honorifice accipitur.* — At ille solutis carnis non cordis aspectibus, post aliquot dies tandem pervenit ad palatium, longa corporis macie confectus, ubi susceptus favorabiliter a rege et ab optimatibus, veniam dare petitur lacrymabiliter. Fatentur errorem, et inveniunt injuriæ immemorem. Videns enim suffusos pudore, quibus non fuit pudor olim sibi usque ad effectum invidere, satisfactionem eorum prævenit. et demissis oculis jam satisfacientes ita dulciter delinivit. « Nihil, ait, o Cæsar, fit in terra, nihil, o proceres, sine causa; nihil fit in mundo sine Dei judicio. Si nos pro peccatis nostris arguit Deus, quid ad vos? nos viderimus. Nihil potuisti sine Dei permissione; modo utamur Dei jussione. *Dimittite*, inquit, *et dimittemini* (*Luc.* VI, 37); quod ego primus faciam: vos me sequimini. » Fit sine mora ab omnibus; festucantur omnia.

32. *Cœnobii sui curam resumit.*—Quibus ita compositis, petitur pristinam sedem recipere flagitantibus filiis suis, quibus fatigatis desiderio septennium illud prolixius videbatur centuplicibus annis. Recipit nec refutat, etenim secundum canones non poterat: imo charitas filiorum sibi imperat; et sic cum multa stipatione suorum Corbeiam remigrat. O quam jucunda dies illustravit tunc Corbeienses! dies illa, dies lætitiæ, dies exsultationis et gloriæ. Quanta denique fuerit receptus ambitione quis valet perorare? Procedit palliatus ordo monachorum, monachosque præcedit candidatus ordo clericorum; omnis sexus et ætas ruit in obviam; nec est audire nisi unius laudis concinentiam, Christi scilicet propter reditum Patris laudantium clementiam. Consonant et dissonant, quia voces, non laudes sexus mutavit; nec plures fudit lacrymas ejus discessionis desolatio quam nunc quoque refudit regressionis consolatio.

33. *Febri affectus.* — Sed non defuit impedimentum, quo aliquantisper tantum impediretur gaudium. Illum enim pro quo hæc arridebant gaudia, flamma febrium invadens pestifera, membra diu attenuata exsilio, attenuabat etiam nunc invaletudinis morbo. Quæ res lætitiam quidem minuebat, sed lacrymas utrimque procedentes et ex gaudio et ex mœrore augebat. Ea tantum relevabantur consolatione, quia malebant eum infirmum quam nec sanum habere. Quamobrem affluentes erga eum omnimoda humanitate, charitatis officium exhibent ei benigna filiatione.

34. *In aulam redit honoratus. Exsulum reditum procurat.* — Cumque aliquantulum remissius quievisset et quiete, vellet, nollet, se habendo paululum melioratus fuisset, accercitur iterum ab Augusto: et qui prius gloriose, modo gloriosius recipitur in palatio. Quem introeuntem tanta comitatur gratia, tanta loquentem sapientia, tanta sapientem facundia, ut sua unicuique statim pateret insipientia. Mirantur et stupent, et super rationem ejus hærent, quia qui prius videbantur sibi perfecti rhetores, nunc digito ori superposito assistunt pene elingues. Quidquid tractaverant fit irritum, quid quid iste eloquitur fit ratum. Solvitur itaque multorum captivitas, eorum maxime quibus regia jungebatur affinitas, sicque in primis resarcitur ejus felix germanitas, et redditur in uno omnibus plena libertas. Revocantur omnes ex diversa regione, nisi quos felicius præveniens mors remiserat patriæ. Quorumdam tonsura sine jure suscepta, per eum transit ad coronam, et offertur Deo sponte quod illatum fuerat ad ignominiam.

35. *Aulicorum reformat mores.* — Ipse publicam suscipiens pœnitentiam imperator gloriosus, facit se cunctis humiliorem in suis aulibus, qui regali elatione affectus fuerat alter Tarquinius. Quidquid enim exemplo et permissu alios fecerat offendere, tandem salubri consilio institutus sanabat regia satisfactione, omnes præeundo reducens ad viam pœnitendi, quibus factus fuerat iter deviandi. Audiebat in omnibus sanctum Adalardum, et ad pristinam honestatem precabatur reducere imperium. Nec defuit ille, sed justitiam et æquitatem restituit in propria sede. Repressit vocum novitates et temerarias in populo præsumptiones. Et quia discedens cœlum, non animum, mutaverat, mutatum imperium refrenans timore et amore, decuplum majoratur quam discesserat. Præterea jubetur etiam omnibus Ecclesiis magistrare; quibus consilio et prudentia magister, sed discipulus apparet humilitate. Nec ante destitit quam regnum Francorum in omni gloria juvenescere fecit.

36. *Abbatis munus retinet invitus. Sibi durus.* — Rebus ergo in pace compositis, cogitat se iterum exuere sæcularibus curis, ut reliquum vitæ tempus peragat in divinis. Sed non est permissus, a filiis suis scilicet, quorum erat spes maxima post Deum et pater maternus. Quanto enim erat ætate maturior, tanto tendentibus ad virtutem videbatur utilior et agendis quibusque perfectior. Nec erat aliquis qui super eum id exercere posset, præsertim cum vigore sancti Spiritus, et viriditate adhuc non exhaustæ carnis tantum vigeret, ut in laboribus et negotiis rerum nullius juvenis constantia eum sequi, nedum assequi valeret. Adeo perfectus erat in actione, omnia dulciter, se ipsum tractans sine dulcedine. Quis enim unquam ita dominus servi, ut iste erat sui? qui tam crudelis alterius, ut iste arbiter suus? qui cum a filiis suis obsecraretur aliquando paterna veneratione, cur sibi ipsi tam indiscretus esset, qui alios tractabat discretissime, statim coram eis sponde-

Digitized by Google

bat correctionem, sed paulo post repetebat vigilias et essuriem.

37. *Sed liberali vultu.* — Erat tamen decoris gratia venustus, discreta macie satis admodum colorus. Non obumbrabat faciem ejus aliquod exterminium, sed assidua hilaritas ut edentem ita et jejunantem componebat decorum. Canities eum candore niveo exornabat, et velut lilium super roseos amictus, coma capitis super cutem puniceam relucebat. Qui si ex millibus electus fuisset, non candidior, non rubicundior eligi potuisset.

38. *Munificus in omnes.*—Cætera ejus non est laudari modus. Persona, et nobilitate, et sapientia, et honestate, non discrepabat ab ipsa ministerii arte. Siquidem res Ecclesiæ quam optime disposuerit, testabitur Corbeia, quandiu supererit. Ibi erat portus pauperum, respectus divitum, domus materna orphanorum, et ejus exemplo adhuc superest cunctis petentibus refugium. Non dives indonatus, non pauper redibat irrogatus. Cælibes viros et viduas stipendiis destinabat accipiendis per singulas villas, qui ubique locis opportunis accipientes ab eo xenodochium, possidebant res ecclesiæ communiter ut patrimonium. Thesaurus quippe in cœlo sibi et suis parabatur, et domus Dei sapienter a sapiente administrabatur.

39. *Habitum vilem gerebat.* — Cæterum habitus vestimentorum ejus vix erat sufficiens pro frigore, tamen potius membra muniens quam aliquid honoris aut pretiositatis inferens. Prorsus non egebat aliqua corporis compositione, nihil enim sibi deerat pulchritudinis humanæ, nihil etiam interioris animæ. Aspectu erat incomparabilis, statura procerus, incessu virginalis; vox ejus cycnea dulcedine sui mulcebat auditum, et sermo quemque audientem sui faciebat memoriosum.

40. *De suis quam sollicitus.* — Ipse vero tantam memoriam filiorum habebat in visceribus paternis, ut non solum mores inspiceret, sed etiam numerum et nomina eorum semper haberet descripta in manibus suis, quatenus non sibi excideret pro quibus rationem redditurus esset Deo et pro quantis. Ideo maximam gerens curam eorum, nullum ex eis in hebdomada relinquebat inallocutum, ne scilicet inimicus inveniens vacantes, zizania superseminaret cordibus eorum.

41. *Monasterium recte ordinat.* — Proinde quam efficax fuerit in dispositionibus ordinationis suæ, qui nosse voluerit, in libro qui de his conscriptus est (39), legere poterit non sine grandi admiratione; ubi etiam perspiciet quam sapienter a sapiente disposita fuerit domus Corbeiensis ecclesiæ.

42. *Linguarum usu præditus, et litteratus.* — Et quid laudandum in eo potius, cum nec Moyse minor, nec Salomone fuerit inferior in ordinandis rebus, et omnibus scilicet quæ sibi voluisset suggerere Spiritus sanctus? Qui si vulgari, id est Romana lingua loqueretur, omnium aliarum putaretur inscius; nec mirum, erat denique in omnibus liberaliter educatus. Si vero Teutonica, enitebat perfectius; si Latina, in nulla omnino absolutius. Testantur hoc quamplures ejus epistolæ, quæ directæ ad plurimos omnium habentur liberalissimæ. Nec enim litteras satis liberaliter non poterat nescire, qui inter alas scholares nutritus et eruditus fuit cum consobrino suo Carolo imperatore, et postea quam sæculo renuntiavit, satis studiose se habuit in monastica eruditione.

43. *Vigens consilio.* — Sic igitur perfectus in utraque disciplina, sæculari videlicet et divina, omnibus omnia factus, sequester erat inter reges et principes, majores et minores, æquissimus in omnibus, Deo placens et hominibus. Consilium vere in eo vigebat totius patriæ, et licet unicum ejus esset desiderium dissolvi et cum Christo esse, tamen precibus suorum evictus, imperii pacem et honestatem disponebat circumquaque.

44. *Corbeiæ Saxonicæ initia et progressus.* — Quibus insistendo pervenit Saxoniam cum hoc etiam certæ rei negotio. Id autem negotii erat, quia ibi religionem theoricam aliquando ponere decreverat: ad quam statuendam per quemdam puerum, nomine Theodradum (40), a Saxonia Franciam a rege deductum, et monachum Corbeiæ factum, locum ædificandi a parentibus ejus adeptus fuerat. Quo in loco ecclesiam monachorum usibus aptam ædificare nonnunquam disposuit; sed quia locum non satis aptum intellexit, crepera semper dilatione intermisit. Quam dilationem protelavit usque ad Caroli mortem, et post Carolum usque ad exsilii sui relegationem. Exsilii autem tempore, quæque sui juris fuere, qui prius accepit, in sua redegit potestate.

45. Sed habebat ibi quemdam in Christo filium præ omnibus sibi monachis familiarem, et univoce æquivocum. Hic ne subintraret aliquis alius, prædictum locum intercepit loco ejus. Et quia hoc eum prius noverat voluisse, gratia amoris ejus ex Corbeianis sumptibus cellam ibi cœpit ædificare, cœpit, nec perfecit, quousque sanctus ab exsilio remeavit. Cumque remeasset, ordinabat si quid ex suis exordinatum fuisset.

46. Quo tenore Saxoniam modo pervenit, perveniens locum ex omni parte inspexit, inspectum omnino inutilem intellexit. Suspensus erat mente, quia cœptum religionis opus nolebat dimittere: et aptiorem non habens, hunc locum inhabilem videbat esse. Tandem ad regem se contulit, et ut locum ædificabilem sibi donaret petivit. Nec momento hæsit ille, sed ejus religiosa gavisus voluntate, ubicunque moveniret, deliberavit sub ejus optione. Ivit, quæsivit,

(39) Librum hunc statutorum Adalhardi appellant, de quo in Observationibus præviis.

(40) Hujus Theodradi non meminit Paschasius, nec incœptæ per Adalhardum ante exsilium conditionis Corbeiensis. Gerardus utrumque accepit ab auctore anonymo, qui translationem S. Viti descripsit, infra. Verum quod hac de re scripsit Paschasius in libro I De vita Walæ abbatis præferendum est.

Digitized by Google

invenit, renuntiavit : et accepta hilariter ædificandi potestate, insuper multis donatus donis regia largitate, dimissa cella, cœnobium cœpit ædificare.

47. Est autem locus super Wiseræ fluvium, maximæ amœnitatis et temperiei elementorum ita competens, ut constet creatus ab initio ad usus monachorum. Dilatatur siquidem in vallis planitie, figuratus in modum ▲ litteræ. Habet denique versus orientem alveum, secus quem montem in facie porrectum; porro a meridie mons alius ex alveo egreditur, qui versus occidentem dilatato sinu tenditur : a septentrione autem alter pari situ e regione, quousque viam per medium dantes invicem se videantur copulare; atque ita vallis planissima in medio remanens, quasi alter paradisus jucunditate totius temperiei apparet florens, hoc modo quantum coincidatur trianguli figuram exprimens.

48. *Saxonum liberalitas in novam Corbeiam.* — In hoc itaque loco construens ecclesiam cum officinis, exornat melioribus quos potest invenire monachis : monachos instruit moribus, locum facultatibus, et omnia omnibus quæ præceperat sanctus Benedictus. Vocat nomen loci Corbeiam, ut signo esset posteris, unde existendi sumpserit materiam, et Corbeiæ Francorum sancit esse filiam. Et merito, quia quidquid erat, ab illa cœpit ab ovo. Nec multum temporis fuit, quo facultate, tametsi non dignitate, matri se comparare potuit. Longe enim exhalante bono odore monachorum, quos Pater sanctissimus ex sinu matris adducebat filiæ omnes electos, tanta abundavit erga ecclesiam imperatoris et omnium optimatum largitas, ut prius deesset recipiendi quam dandi voluntas : tanta erga Patrem sanctum et ejus filios fervebat veneratio, ut mallent ecclesiam quam natos suos hæredes suorum ascribere.

49. *Adalhardus rebus ponit modum.* — At ille videns sufficienter attributum, quantum scilicet suppetebat, ecclesiæ in prædiis, in auro et in cæteris rerum, ponit modum recipiendi, et quotidiana prædicatione a cordibus subjectorum eradicat vitium concupiscendi. « Mortui, aiebat, debemus esse mundo, et vita nostra regnare cum Christo. Sed ecce multi, qui sæculo renuntiasse videntur, nimiis rebus abundantes iterum sæculo deservire inveniuntur. Quod quam sit absurdum advertite nobiscum. Alioquin nihil nobis prodest nos exspoliasse propriis rebus, dicente Apostolo : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4). Non est nostrum ditari, unde alii inopes fiant, neque nostrum lætari, unde alii doleant. Simus sufficientia contenti, quibus debet esse sufficiens etiam paupertas Christi, qui dives, pro nobis pauper voluit fieri. »

50. Hæc et alia prædicando sæpe migrabat de Corbeia ad Corbeiam congaudendo, audiens scilicet, quia bonus odor essent in Christo. Lætabatur tam digna plantatione, et delectabatur in earum jam radicata unitate. Erant enim inter se communes et, quia junior sub eodem patre jam sororiabat, dilectissimæ sorores. Felix Pater tali filiatione! feliciores filiæ tali paternitate! felicissimi filii, si permanserint in hac unitate! Ecce enim Pater migrat : deserit in mundo, non deserit in Christo, quos nutrierat. Adest tempus dissolvi et esse cum Christo, tempus moriendi in terris, et renascendi in cœlo.

51. *Febri corripitur.* — Imminebat itaque solemnitas solemnitatum, illa scilicet solemnitas qua per incarnationis suæ mysterium in sole posuit Dominus tabernaculum suum. Redierat a Saxonia in Galliam, ut, fundata filia in Christo, adventum Domini celebraret apud matrem Corbeiam. Jamque alter Simeon senex paraverat venienti Domino occurrere, et Regem regum procedentem de thalamo suis ulnis lætus suscipere : cum ecce triduo ante Natalem Domini tetigit eum validissima febris, orante eo et flente juxta consuetudinem suam in basilica, medio noctis. Qui ita totis vigiliis una cum Fratribus perseverans psallebat cum eis, et psallendo flebat, usque ad lucem hostiam ubilationis in pectore Domino consecrans.

52. *Obitum suum imminere declarat.* — Prosequente autem luce, jubet fratres ad se convenire. Quibus corám positis, singulos monens de singulis, indicat instare tempus suæ dissolutionis, et in commune perorat de pace et unitate secundum Deum futuræ electionis. Et dicens Symbolum cum oratione, cæteris flentibus se commendans, retinuit illos cum quibus sibi erat agendum de rerum ordinatione.

53. *Quid interim agat.* — Cumque diatim magis magisque languor crudesceret, ita providus omnia disponebat, ac si nihil mali ferret : præcipue laborans, ne pro tædio suæ invaletudinis sancta solemnitas minus honoris aut obsequii haberet. Cætera vero non minus studebat ordinare, ne post se aliquid sub se imperfectum videretur remanere. Die igitur peracto qua potuit veneratione, quo summa divinitas humanitatem nostram dignata est suscipere, reliqui dies sibi profesti fuere, quia cœpit in eo mortifera febris avidius morbescere. Quotidie tamen ad oratorium beati Marni veniebat, cujus privilegio amoris præ cæteris cum cæteris memoriam recolebat, ibique missas audiens sanctam communionem percipiebat.

54. *Hildemanni adventu lætatur.* — Interim audiens eum ægrotare Hildemannus episcopus Belvacensis, quem ille monachum nutrierat, et eo sublimarat honore per concessum regis, nulla detinetur instantis festi celebritate : sed mutatis gaudiis patrem suum visitat infirmitatis compassione. De cujus adventu tanta gavisus est Pater sanctus alacritate, ut nisi ultima esset, pœne oblivisceretur infirmitatem pro tanta consolatione. Reddidit Deo gratias, et illi, quod non sit fraudatus a desiderio sui. Desiderabat enim eum videre et inter manus ejus obire.

55. *A quo et ungitur.* — Et interrogatus si ab eo benedictionis oleo perungi vellet, erectis in cœlum luminibus, omnimodis precabatur ut fieret. Vocatus episcopus adest, et statim quod petebat factum est.

Digitized by Google

Vix enim ex quo venit, absistebat ejus obsequio : sed locato ante lectum sediculo, semper assidebat coram eo. Quadam vero die cum paululum egressus cameram fuisset, et febricitans solus ille intro remansisset, Dei præsentia visitatus clamare cœpit, cum præsul redisset : « Curre velociter, episcope, præcipio tibi, et osculare pedes Domini mei Jesu-Christi, quoniam ecce adest mihi. » Ad hæc ille valde contremuit; et ignorans quo iret, hærens stetit : sanctus quoque se sub silentio recepit.

56. *Ad suos verba facit.* — Bis quarto autem Natalis, id est Circumcisionis die, alacrius cœpit precibus Deo insistere, ut celebratis diebus tandem liceret eum hinc abire. Nec fuerunt preces sine voto. Peracto quippe mediæ noctis spatio, præscius futurorum, convocatos fratres adorsus est hoc modo : « O filii, fructus meæ senectutis in Domino, explevi numerum, scitote quoniam hodie hinc ibo. Datum est mihi ingredi vias carnis universæ, et ante conspectum Redemptoris mei apparere. Finitus est cursus certaminis mei : nescio quid accepturus sum præmii : sed succurrite mihi, quæso, ut ego de vobis, et vos de me possitis gaudere in Domino. »

(41) Hæc verba a Paschasio prolata usurpat Gerardus hoc loco. Ex quo intelligas magno delectu in

57. *Seniores de se contulit. Viatico percepto moritur.* — His dictis dedit licentiam ut exirent, retentis nonnullis quos urgebat ut ocius matutinos prævenirent. Quibus finitis Viaticum accepit; et accepto, in laude Christi lingua ejus obmutuit. Sed non defuerunt sibi linguæ filiorum, scilicet quas erudierat in Dei laude. Quorum psalmis, orationibus et lacrymis ab hora prima commendatus Domino, circa horam nonam emisso spiritu perculit suos tristi deliquio.

58. Subsequitur vox animam Christo commendantium, et singultus voces interrumpentium. Quis enim non fleret, etiamsi de lapide natus esset? Plurimæ res intercedunt, quæ lacrymas elicere possunt. Stant filii orphani, et Corbeia mater eorum vidua, quorum dolor et luctus penetrat etiam cœli palatia. Stant oves sine pastore : crescit dolor mutus sine voce. Ipse enim erat, bone Jesu, quem in toto ex omnibus solum abbatem reperi (41) : ipse ab universis, quem alterius plusquam sua quærentem inveni. Qui sicut mater amat unicum filium, ita quosque tenerrime diligebat, atque ut solidiora caperent invitabat.

his dijudicandis opus esse, ne interpolatorem pro auctore primario temere usurpes.

LIBER PRIMUS MIRACULORUM

Ab ipso S. Geraldo abbate scriptus

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. *Corbeiæ laudes. Ecclesiæ tres.* — Corbeiæ locus quantæ fuerit apud priores nobilitatis, quicunque taceat, lapides clamant non solum ad aures sed etiam ad oculos posteritatis. Tres enim in ea principales habentur ecclesiæ (42), in quibus corda fidelium sanctæ Trinitatis confessio bene possit unire. Prima Petrum præfert piscatorem, secunda piscatis Evangelistam Johannem, tertia evangelizatis Stephanum protomartyrem. Pulcher ordo ordinatus utique a Deo. Non enim dixerim conditricem horum Baltildem reginam, sed ejus, ut omnium bonorum, inspiratricem Spiritus sancti gratiam.

2. *Corbeiæ situs et amœnitas.* — Proinde situs est salubris et valde decens, totius utilitatis amœnitate florens, usibus monachorum, utpote ad hoc quæsitus et inventus, omnino conveniens. Ex uno latere Somma fluvius præterfluit, ex altero concurrens Corbeia fluviolus vocabulum loco tribuit : sed illico cadens in Sommam, ubi dat, ibi perdit. Sicque pratis, aquis et campis longe lateque patentibus, similis et dissimilis habetur Saxonum Corbeiæ, illius cujus cum ista rector et fundator exstitit sanctus Adalardus.

3. Cujus expeditis superius gestis et moribus vitæ, sequitur nobilis materies ejusdem mortis pretiosæ. Siquidem sepultus apud ecclesiam Petri principatu principalem, medio jacuit loco, ante gradum cancelli inferiorem. Signo est epitaphii lingua, sed non sepulturæ fit similitudo alia. Ibi diu redit cinis in cinerem, carnis exspectans cum electis resurrectionem : donec illa generatio generationem pene integram generaret, et omnes lateret præter litteratos, ubi tam felix thesaurus requiesceret. Latuit diutius sepultura, ut reliquum terræ calcatur ab omnibus : nemo transeuntium, nemo orantium est adversus. Tandem discretor meritorum volens notificando magnificare sepulturam, per sepulti meritum tale fecit servum suum glorificandi initium.

CAP. I. *Mira sepulturæ ejus manifestatio, per eum qui pedibus hæsit pavimento.*

4. Suffragia sanctorum, quibus tantæ ecclesiæ florent, quidam oraturus venit : et quia sic ordo exigebat, in primis principem Apostolorum requisivit. Quæsivit Petrum, et invenit sanctum Adalardum : invenit latentem, sed latendo regnantem. Inscius enim se prosternens super tumulum confessoris, aures supernorum sibi conciliabat, quibus poterat precibus et votis. Oravit, et est auditus; surrexit; nescio si exauditus. Cumque signato vultu

(42) Perstant hactenus tres illæ ecclesiæ, quarum prima monachorum est; secunda parœcialis, et Canonicorum, quos Charitabiles vocant; tertia itidem parœcialis, omnes circa monasterii muros.

Digitized by Google

discedere voluisset, pedibus hæsit pavimento, ac si clavis confixus fuisset. Stupuit miser, stupendo cœpit clamare miserabiliter : et quia pedes non poterat, vultum circumferre lacrymabiliter. Novitas rei plures cogit ad tumulum; monachos in primis stupentes, mirantes; sed gaudentes novitate signorum; hominem videlicet non se posse movere, et tamen stare sanum. Interrogabat illos si quis ibi requiesceret, et interrogatur ab illis si qua criminis conscientia torqueretur. « Scio, ait, domini, quia peccator sum homo; sed succurrite mihi, quæso, hinc precibus, hinc consilio. » Fit utrumque actutum, oratur ab his : ille rem doctus vovet votum sancto, scilicet Adalardo, fabricandi tumulum. Sicque a semetipso ligatus, a quo tenebatur, sine mora est solutus. Oritur utrisque lætitia, illi discedendi licentia, monachis patroni sui magnificentia. Nec defuit sancto ligandi solvendique præmium. Rediens enim ille decentem fabricavit tumulum, statuens insuper omnibus diebus vitæ suæ solvendi census diem anniversarium.

CAP. II. *De muliere contracta, et per sancti meritum a Deo curata.*

5. Hæc igitur ligatio multorum posthac fuit solutio. Ex hac enim famosa occasione locus multa cœpit frequentari veneratione. Conveniunt sani et debiles; illi animæ, isti salutem corporis quæritantes. Inter quos contracta quædam semper adjacens sepulturæ, vim viro Dei quodammodo videbatur facere. Non nox, excepto primo conticinio, eam excludebat; non dies, nisi quando corpus alimentis recreabat. Vocabatur autem Ulfiardis : et ideo semper ita præsto, quia incola erat Corbeiensis : adeo contracta, ut magis incederet portantium pedibus, quam suis. Quod si deessent portitores, non bipedem gradientem, sed quadrupedem scabellulis repentem putares. Deerat cætera spes salutem recuperandi, excepta post Deum miseratione sancti Adalardi. Quadam igitur nocte, sicut solebat veniens ad tumulum, terram capite, sed precibus petebat cœlum. Sedebat post orationem, quia stare non poterat; candelam tenendo, lacrymis et miseria sui psallentium visus monachorum in se convertebat. Multiplicabat orationem, quia non alius, sed suam quærebat salutem. Tandem adfuit divina miseratio, quia interfuit amissi sui intercessio. Auditus nervorum crepitus, nervis ad nervos, juncturis ad junctures resilientibus. Sentiens mulier salutem per sancti Adalardi intercessionem, vocavit ad se bajulam suam retro eam residentem. Adit illa vocantem, et dicto citius invenit sanam et erectam stantem. Mirantur qui aderant, eadem petentes, jamjamque salutis suæ redduntur certiores. Monachis quoque tanta accessit exsultatio, ut pro laude servi, Domini laudum fieri videretur eis interruptio. Sed intererat matutinis abbas Ingelramnus (43), qui eo tempore cæteris philosophabatur altius, quemque hujus signi testem non sors miserat, sed cujus gregis pastor erat sanctus Richarius. Ante quem accedens Corbeiæ abbas Heribertus, innuit manu : silentium quippe sibi indixerat sanctus Benedictus, si interruptis matutinis hymnum cantaret, *Te Deum laudamus*. Abnuit ille, matutinos innuit finiri debere : sicque rem laudibus omnes celebrare. Factum est, mulier laudantibus interest, ipsaque suæ salutis lingua scientibus et nescientibus facta est. Omnibus quoque nota Corbeianis contracta, integram dat fidem miraculo sana.

CAP. III. *De manuum mulieris curatione, meritis sancti confessoris et intercessione.*

6. Mulier quoque erat in ipso cœnobio Corbeiæ, quæ cum varia corporis laboraret infirmitate, ita digiti hæserant palmæ radicibus, ut omnino destituta esset officio utriusque manus. Cujus contractionis spem ex integro ponens in sanctum Dei, cujus clementia multos infirmorum sæpe videbat ab ipso mortis periculo revocari; quotidie veniebat ad tumulum, et inter reliquos infirmos, Dei et sancti Adalardi implorabat auxilium. Cumque multos multoties videret sanos recedere, quibus ipsa prior et intentior satagebat accedere; nullam inde incurrit desperationem, sed magis animabatur ad petitionem. Imputabat enim peccatis suis quod minus efficax esset suæ petitionis. Petivit ergo et accepit : quæsivit et invenit; pulsavit et intravit. Et quia non destitit, ut Chananæa, salva facta est in fide sua. Cum enim diutius misericordiam sancti implorasset, et quotidie adjacens ejus tumulo implorationis effectum exspectaret, tandem prima Dominica passionis Dominicæ, quod diu quæsierat feliciter meruit invenire. Stans quippe intenta mente ante tumulum, ubi sanctum corpus erat tumulatum, inter preces et lacrymas cœpit extendere nodos digitorum. Redditur libertati utriusque manus vola, jam quæque involare et revolare potest utraque palma. Redeunt ad officium manus : restituitur sospitati, quod infirmitate laborabat corpus. Sicque glorificatio sancti, *Te Deum laudamus* canendo refertur ad laudem Dei, et ut omnia referantur sub testimonio, testis est idoneus tunc quidem puer, sed postmodum abbas Fulco, qui onus et honorem Corbeiæ sortitus est Richardo abbate humanis exempto.

CAP. IV. *De elevatione sancti et succensione templi, et periculo regni.*

7. Sed de his hactenus : modo dicendum qualiter sit celebrata elevatio ejus. Ea tempestate plura incommoda Corbeiæ, sed regno Francorum plurima contigit irruisse. Corbeiæ enim principale templum Sancti Petri, diaboli invidia igne succenditur : omnis pene Gallia famis periculo addicitur. Fungebatur vice sua in regno Francorum rex Rotbertus,

(43) Monasterio Centulensi præfuit Ingelramnus post Ingelardum, qui ex Corbeiensi asceterio assumptus, Centulæ monasticam disciplinam restituerat anno circa 980, cui successit Ingelramnus initio sæculi XI, mortuus anno 1045.

Digitized by Google

Corbeiæ vero vice Christi abbas Richardus : uterque feliciter; nisi cum isto ignis, cum illo fames septem annis regnasset atrociter. Tot quippe populos neci dimittebat esuries, ut non pollice, sed ense viderentur rumpere fila sorores. Hæc autem lues morientium, cum cæteras nimis, maxime partes vexabat Ambianensium.

8. Qua compulsi necessitate, statuunt sibi remedium citius providere; Deum scilicet, quem multimodis malis offenderant, aliquibus bonis placare. Visum est siquidem hanc ultionem ideo sibi superponi cœlitus, quia pacem nunquam servaverant, quam unice diligit et diligi jubet Dominus. Talis quippe consuetudo naturaliter innata est regno Gallorum, ut præter cæteras nationes semper velint exercere rabiem bellorum. Sed quid modo ? non necesse est velle mori in bello, quia catervatim moriuntur famis et pestis gladio. Non potest mundus ferre iram Judicis : initur consilium cum Ninivitis. Una conveniunt pax et justitia : jamjam placet redire Saturnia regna. Superest desperatis unum ex omnibus consilium, ad placandam scilicet iram superni Judicis requirere suffragia sanctorum. Requiruntur reliquiæ : ad reliquias ut quæque loca sibi adjacent conferuntur, ibique pacis inviolabile pactum confirmatur. Ita Ambianenses et Corbeienses cum suis patronis conveniunt, integram pacem, id est totius hebdomadæ decernunt, et ut per singulos annos ad id confirmandum Ambianis in die festivatis sancti Firmini redeant, unanimiter Deo repromittunt. Ligant se hujus promissionis voto, votumque religant sacramento. Fuit autem hæc repromissio, ut si qui disceptarent inter se aliquo discidio, non se vindicarent præda aut incendio, donec statuta die ante ecclesiam coram pontifice et comite fieret pacificalis declamatio.

9. Quam gratum vero hoc consilium foret Domino dominorum, luce clarius demonstravit conventus qui ibi erat sanctorum. Ea quippe die probavit Corbeia quanti essent apud Deum meriti patronorum suorum suffragia. Quorum in parte semotis reliquiis, ubi videlicet placuit abbati et monachis, quotquot illuc debiles oratum venerunt, sani et incolumes absque mora effecti sunt. Sicque composita pace redierunt ad sua quique. Exinde hujuscemodi fama ita longe lateque cœpit vulgari, ut Corbeia merito duceretur altera Roma appellari. Præsentes denique et absentes, vincti et carcerales, invocato nomine Corbeiensium sanctorum, sine mora sentiebant sancti Petri principatum.

10. Cum ergo fama tanti boni de die in diem clareret lucidius; placuit auctori horum locum magnificare nobilius, beati videlicet Adalardi merita demonstrando, cujus corpus sepulcrali adhuc tegebatur tumulo. Tegebatur autem in templo, quod erat igne combustum : Fratres vero ad vicinam Sancti Johannis evangelistæ transierant ecclesiam cum reliquiis sanctorum, ubi qualiter et quibus se revelavit, ad sepulcrum quoque post elevationem ejus quam gloriose Deus eum magnificavit, dicendum quidem est : sed de his prius, de illis autem posterius.

Cap. V. *Quibus signis animatus sit abbas Richardus ut levaret sanctum corpus.*

11. Quidam presbyter, nomine Himoldus, secundum suum propositum satis bona fama potitus, commorabatur in prædicto monasterio Sancti Joannis evangelistæ, quia ædituus habebatur ejusdem ecclesiæ. Cui nocte quadam in horamate [*id est* in visione] se idem confessor offerens, secumque eum per combusti templi diversoria ducens, multa mira et stupenda illi insinuavit, quæ ille insomnis redditus multis narrare dignum duxit. Vidit enim inter cætera quasi hominem quemdam nebulosum, deformis staturæ, nigrum, squalidum, pannis et annis obsitum, qui maxillam inclinans super manum totus erat, ut ita dicam, non dolentis, sed doloris signum. Super quo presbyter somniando in multis requirens sanctum ductorem : « Quis est iste, inquit, domine, qui tantum deducit dolorem ? — Hic est, inquit sanctus Adalardus, dæmon ille, cujus sola voluntas est cuncta ad perniciem trahere, quique hoc sacrarium ignis pessumdedit edacitati. Quia vero præter spem nunc cernit sibi evenire, optimos videlicet cœnobitas ad restaurandam elegantius, quam prius foret, domum Dei omnino satagere; ideo quanto vides dolore se afficit, et super hoc dolet quod vos lætos efficit. » Ad hæc presbyter stupefactus et stupendo expergefactus, non est effectus surdus auditor, sed visionis suæ veridicus prædicator.

12. Sicque istis, et anterius dictis, et multis sæpe patentibus signis visum est abbati Richardo felicis memoriæ, quod Deus volebat et volendo monstrabat, negligentia sua non differre. Unde missis legatis accipere benedictionem a Joanne papa, qui tunc temporis vicarius sancti Petri (44) habebatur

(44) Corrigit hanc vocem Bollandus, quasi erraverit Geraldus summum pontificem appellando *vicarium sancti Petri*, cum Christi vicarius, et successor sancti Petri dicendus esset. Verum non solum Geraldus, sed alii etiam auctores eodem vocabulo usi sunt usque ad sæculum tertium decimum, quo papa *Christi vicarius* peculiari appellatione dictus est; nam antea id nomen aliis episcopis commune erat. Longum esset varios huc referre auctores; tantum aliquos noto. Papam Vicarium beati Petri appellant Alcuinus in epistolis 6 et 72, Eginhardus ad annum 799, Vita Ludovici Pii ad annum 816, Lupus abbas Ferrariensis in epistola 84, Anastasius vulgatus in Stephano papa II et in aliis, concilium Ticinense pro Caroli Calvi imperatoria dignitate, Aimoinus in Historiæ Francorum lib. IV, cap. 1; Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. I, capp. 12 et 15; Anselmus Beccensis in epistola de fermentato et azymo, et alii ; imo etiam pontifices Romani non aliud fere sibi vocabulum sumebant, ut Nicolaus papa I in epistola 30 ad Carolum Calvum, ante medium, et in fine epistolæ ad Rotlandum Arelatensem archiepiscopum; Adrianus II in epistola ad Patres synodi Duziacensis, et in litteris ad Carolum regem ejusque conjugem. Adrianus I vocabulum istud explicat in epistola 89 Codicis Carolini, cum ait se *vicem beati*

Digitized by Google

Romæ pontificali hierarchia, non solum est permissus, sed etiam apostolica jussione jussus, quod libenter fecisset et injussus. Et quia aberat episcopus Ambianensis Fulco, quem ex fratrum consilio abbas huic præviderat interesse mysterio, accersitur Drogo Tervanensis, totius bonæ famæ testimonio prædicabilis. Cum quo postquam ministri dupliciter, cordis scilicet et corporis, habitudine apparantur, sanctum corpus VI Idus Octobris de sepulcro levatur, et manibus præsulis seu abbatis exspectantibus populis adorandum præbetur. Claudi, surdi, muti, manci et cæci confestim sanantur. Densatur cuneus accedentium : non est numerus oblationis fidelium, utpote ubi prius deest locus, et tempus, quam intentio offerentium. Exinde ergo titulus confessoris cum cæteris Corbeiæ patronis inscribitur, cum quibus usque ad præsentem diem Corbeiam tuetur et semper tuebitur. Celebrata est autem hæc sancti corporis elevatio anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo (45), indictione VIII, Romanis Conrado, Francis imperante Rotberto.

A

B

Cap. VI. *De muto et surdo ante sancti confessoris sepulcrum sanato.*

13. Nec prætereundum oblitteratione qualiter eum Deus dignatus est post hæc glorificare, sicut didici ab eo ipso qui ea gavisus est glorificatione. Vigilia erat celebritatis illius, qua per passionem crucis cœlos ascendit claviger æthereus. Omnis via in circuitu videbatur venire Corbeiam (tanti fecerat Petrus Corbeiæ suæ gloriam), aliqui oratum, aliqui mercatum, aliqui relevatum, quia combusta erat illa, quam super talem petram Christus fundavit ecclesiam. Inter quos adductus est quidam puer, Rogerus nomine, cujus loquendi et audiendi usum reservaverat natura sancti Adalardi clementiæ. Lustratis parentes cæteris orationibus sanctorum, hora prima die festivitatis venere ad tumulum, quem cinere suo sanctus Adalardus fecerat gloriosum. Erat autem tumulus in templo ignis deserto combustione; corpus vero cum cæteris honorabiliter locatum in ecclesia Sancti Joannis evangelistæ. Orant genitores pro se et pro filio, sanctum Petrum sæpe, sæpius sanctum Adalardum invocando : adfuit uterque, imo Deus propter utrumque. Puer enim recuperata salute cœpit eos qui aderant alloqui et audire. O supernam dignationem! Et ne aliquis condonaret cæteris, quod Deus singulariter donaverat sancto Adalardo, facta est hæc non ante corpus, sed ante tumulum miseratio. Nuntiantur hæc abbati et monachis : augetur lætitia festivitatis, festina processio orditur, sanctus Adalardus sequente populo circumfertur, venitur ad tumulum, ibi cantant, *Te Deum laudamus* hymnus oratur, de re gesta paululum peroratur, sicque abitur.

C

D

Cap. VII. *De surdo et muto, manibus et pedibus et toto corpore contracto, et super tumulum sanato.*

14. Alter quidam erat in Normannia, nomine Gislebertus, non solum natura corporis, sed etiam humana effigie pene destitutus. Erat enim contractus toto corpore, curvus, retrorsum reflexa facie, surdus etiam et mutus, reservatis tantummodo oculis, quibus miseriam suam posset videre. Delatus est a suis Corbeiam, ibi diu stetit fratrum cum reliquis suscipiendo eleemosynam. Tandem post multum temporis a sancto Adalardo monitus est in somnis, ut statim quando surgeret, ad sepulcrum suum oratum iret. Evigilans ergo ire volebat; sed licet a sancto jam visitatus, minime ire valebat. Et quia sæpe videndo instructus erat signis monachorum, innuit ut se juvarent his qui erant secum. At illi compatientes ejus miseriæ, ferebant eum ubi sanctus jacebat cum reliquis, versus ecclesiam Sancti Joannis evangelistæ. Ille autem nutu eos avertit, et versus sepulcrum ire convertit, ut nulli dubium esset, a quo visitatus fuerit. Tulerunt illico et deposuerunt coram tumulo. Ibi paulisper jacuit, oravit et exoravit : virtutem sensit, surrexit, gratias reddidit, sanus recessit.

Cap. VIII. *De Ambianensium indignatione, et muti et surdi curatione.*

15. Adoleverat etiam inter Ambianenses et Corbeienses nova quædam religio, et ex religione pullulaverat consuetudo, quæ etiam reciprocabatur omni anno. Octavis denique Rogationum ab utrisque partibus conveniebatur in unum : ibique conferebantur corpora sanctorum. Solvebantur lites, ad pacem revocabantur discordes, mutabantur a populo orandi vices. Decreta utriusque loci renovabantur, populo perorabatur, sicque redibatur. Sed procedente tempore, cœpit aliquando res ipsa usu vilescere, et irreverentia fieri ex multa veneratione.

Petri adeptum esse. Et quidem per ea tempora id peculiare nomen erat pontificibus Romanis. Episcopi enim vicarii Christi passim dicebantur, imo reges etiam et abbates. Apud Hincmarum in epistola ad Carolum præfixa libro De prædestinatione, episcopi *Christi Dei nostri vicarii*, et in Admonitionibus ad Ludovicum Germaniæ regem cap. 7 appellantur. Guntarius vero Coloniensis antistes in epistola ad Hincmarum : *Ad vos confugi*, inquit, *qui Dei estis vicarius*. Idem elogium sæculo XII Guibertus abbas Gemblacensis tribuit Philippo Coloniensi episcopo non semel in epistolis mss. in quarum una hæc legitur inscriptio : *Excolendo Patri, vicario Christi et officiali cœlestis aulæ clavigeri, Philippo*, etc., et sanctus Bernardus in sermone 1 de Ascensione prælatos quosque Christi vicarios appellat. Hinc colligitur quam immerito Gervasius Tilberiensis pontifici Romano indigneturquod *vicarius Christi et successor apostolorum nominatur*. Cum nomen istud quondam aliis episcopis commune, citra arrogantiam ei reservari potuerit, uti et papæ vocabulum aptatum est. Ab eo tempore summi pontifices *vicarii Christi*; episcopi aliquando *vicarii sancti Petri* dicti sunt, ut patet in Petri Blesensis epistola 148, et in Petri Cellensis lib. VIII, epistola 7. At hoc quidem vocabulum episcopis tributum est, non tam communis appellationis causa quam honoris.

(45) Imo potius anno millesimo vicesimo quinto, in quem conveniunt omnes chronologicæ notæ, non in annum in textu expressum, quo Joannes papa XX, Conradus et Rotbertus obierant. Festum hujus elevationis solemniter quotannis Corbeiæ celebratur die decima Octobris.

Digitized by Google

Uterque siquidem sexus cachinnis et lusibus intendere, oriri choreas, et irreverenter agere : et sic pene omnes corpora sanctorum negligere. Displicuit res illa bonis, et maxime monachis.

16. Præerat abbas Richardus Corbeiæ, abbas utique beatæ memoriæ : qui cum talia fieri cerneret pluribus annis, aliquando cum processuri essent, fratribus convocatis : « Timeo, inquit, sanctos qui solent ferri offendere. Videtis enim singulis annis quantum fiat eis irreverentiæ. Sed si vobis videtur, in cubilibus suis requiescere sinantur. — Non ita oportet, inquiunt fratres, quia venturi cum suis, si nos aliter occurrerimus, superbiæ deputabunt Ambianenses. — Fiat, inquit abbas, sicut vobis videtur : sed si vultis, sanctum Adalardum deferte, quia nullus aliorum circumferetur. » Fit ratum quod jusserat ; nemo quippe contradicere poterat, imo Deus ita disposuerat : sicque sanctus Adalardus, quasi indignior cæteris, excipit injuriam, quam pro cæteris jussus erat. Exitur ad processionem : venitur ad statutam indictionem (46). Occurrunt Ambianenses cum sancto Firmino, Corbeienses cum sancto Adalardo : utque simul perveniunt, antiphonas ex more imponunt. Subsistunt ex utraque parte, et orant debita religione : sed ex brevi ignorantia grandis aliquando acquiritur gratia. Fuerunt enim aliqui ferentes indigne, quasi monachi cæteras sanctorum reliquias, sancti Petri scilicet et sancti Gentiani, dedignati fuissent illuc deferre. Revera tamen non erat omissum alio ex consilio, nisi, ut præscriptum est, pro irreverentia quæ fiebat eis a populo. Sed multi multa loquuntur, dum qualiter se res habeat a multis nescitur. Monachi itaque sancto Adalardo cominus decenter locato, ea qua debent diligentia assistunt patrono suo. Populus Corbeiensis ex more agit, sanctum Firminum muneribus donat, oratione petit. Sanctus Adalardus positus e regione non ea frequentabatur qua dignus erat veneratione. Nemo apud eum orabat, nemo aliquid ab eo petebat : et tamen nondum petitus jam dare disponebat.

17. Non tulit itaque Dominus dejectionem servi sui, sed per cujusdam relevationem statim ostendit præsentibus quanti essent apud se meriti. Exaltavit electum suum, et magnificavit præ omnibus, qui delati fuerant ante eum. Quidam enim Retbertus [*f.* Rotbertus], sicut monitus erat in somnis, veniens cum Ambianensium populo, minister scilicet cujusdam Roculfi ex castro Aliniaco, videntibus cunctis juxta feretrum cœpit orare, et eo attentius, quia privatus erat omnino auditu et voce. Suffundebatur lacrymarum imbre, exprimebat gemitu et capitis nutu quod nequibat voce, quasi sanctum sibi colloquentem videret, ita appetens loquaci corde. Intendebant omnes in eum, ipse autem in neminem : sed stabat percutiens pectus, et exosculans feretrum. Tandem respexit eum divina clementia, ut per eum ostentaret sancti confessoris sui merita. Cumque paulisper in se sensisset virtutem Dei, diu multumque oscitans cœpit in vocem inniti. Movebat multos ad pietatem, plures etiam usque ad lacrymarum effusionem. Totis autem viribus in vocem enitens, iterum per nares, per os, et per aures expectoravit sanguinis fluvium, qui totum guttatim respersit feretrum. Et sic emissa voce, erupit in hoc quod prius volebat, et non poterat proferre : « Deus, adjuva me, inquiens, et tu, sancte Adalarde ! » Hæc fuit prima vox recuperata salute : statimque omnes currere, et ipse cœpit vix subsistens quasi ebrius talipedare. Sed recipitur et leniter sessum componitur : interrogatur ; virtutem in se factam exponendo confitetur. Lætatur uterque populus, et referunt laudes uterque ordo et sexus. Nulla insidet dubitatio, ubi tamen manifesta facta est curatio. Erat sane maxima materies credendi, persona videlicet ipsis cum quibus venerat Ambianensibus nota, quæ receperat usum loquendi et audiendi. Ipse quoque Roculfus, cujus erat minister, testimonium perhibebat fideliter. Deus etiam qui fecerat miraculum, reliquerat evidens credendi signum : et sanguis qui resperserat feretrum, ab omnium cordibus extergebat infidelitatis venenum.

18. Ipsis etiam Ambianensium clericis quam certa res fuerit hinc perpenditur, quod ab uno eorum in eminentiorem locum statim ascenditur, et de ipsa re et de cæteris aliquantisper ad populum peroratur. Insonant voces dignæ laudis, crescitque tumultus tantæ exsultationis. Fit inaccessibilis circa corpus frequentia, funduntur preces, offeruntur munera, imponitur laus *Te Deum laudamus*, personat in ea uterque ordo et sexus : sicque sanctos ab injuria vindicat sanctus Adalardus, quam pro eis accipere fuerat missus.

Rebus itaque compositis solvitur conventus, et ordiuntur monachica processio, refertur ad propriam sedem : sequente etiam Ambianensium populo. Respondent cœpi in ejus laude : occurritur ei a vicinis digna veneratione. Quidam vero ex monachis præcuntes ad ecclesiam, albis et cappis induti cum reliquis sanctorum pignoribus exierunt ei obviam. Cumque simul ecclesiam hymnizantes repetissent, et corpus sancti Adalardi super altare posuissent, iterum ille qui sanatus fuerat ante corpus in pavimento se prosternens, gratias referebat, sanguinem rursus per aures, per os et per nares emittens. Resonat tota ecclesia vocibus gavisoriis : nemo in ea cessat a laudibus et hymnis. Nec immerito ; tali enim honore dignus est, qui honorari dignatur a Deo.

(46) Locus hactenus vocatur Indictum, *Lendict*, medio itinere inter Ambianorum urbem et Corbeiam.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS MIRACULORUM

Scriptus ab anonymo sæculi XII.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Virtutes et miracula, quibus in præsenti sanctos suos illustrare dignatur operationis divinæ potentia, quoties apparent, dignum est posteris transmittere litterarum notitia : ut corda ipsorum ad laudandam Dei virtutem excitentur, et ad exhibendum honorem reliquiis sanctorum magis accendantur. Unde virtutes aliquas breviter adnotamus, quas nostris temporibus patronus noster, sanctus scilicet operatus est Adalardus, imo per ipsum operata est divina virtus. Quas quidem oculis nostris non perspeximus, sed fidelium virorum qui viderunt et præsentes interfuerunt relatione didicimus, quorum relationi plena fides est exhibenda ; quippe quos commendat sanctitas morum, et ætatis reverentia. Non enim eis salutis commodum, nec sancto gloriæ cresceret augmentum, si modo aliquibus astrueretur mendaciis, quem constat multis antea glorificatum miraculis. Sicut autem ab eis accepimus, ita et prosequendo referimus.

CAP. I. *Causa cur sanctus Adalardus asportatus sit in Flandriam.*

2. Henricus igitur rex Francorum, qui patri suo Rotberto successerat in regnum, sororem nomine Adelam habuit, quam Flandrensium marchioni, Balduino scilicet seniori, nuptiali copula conjunxit, et ei Corbeiam quæ regno suo adjacebat, pro dotali munere cum aliis pluribus concessit. Pro hac autem conjunctione rex et comes fœdus inter se inierunt, et magna inter eos viguit amicitia, quoad vixerunt. Sed quia, sicut a quodam philosopho dicitur, Amicitia sæpe exhæredatur; postquam uterque, rex scilicet et comes, mortali concessit naturæ, inter filios eorum Philippum scilicet regem, et Rotbertum comitem fœdus ruptum est amicitiæ. Philippus autem rex reputans sibi detrimento esse, quod regnum suum quasi diminutum esset privatione Corbeiæ, quam pater ejus, sicut supra diximus, in matrimonio dederat sorori suæ, ipsam Corbeiam cum regali pompa intravit, et sibi sicut regi fidelem securitatem opidanos jurare coegit.

3. Quod postquam comiti Rotberto compertum fuit, injuriam sibi factam moleste tulit : quam quia sicut ira exigebat, ad præsens in regem vindicare non potuit, in Corbeiensem ecclesiam non tale quid meritam retorsit. Nam ejus villas et prædia per terram suam late diffusa statim invasit, et fratribus inibi Christo militantibus quæ vestimentorum eorum usibus deputata erant, denegavit. Unde Fulco abbas, qui tunc temporis ecclesiæ Corbeiensi præerat, et fratres non modice turbati, querimoniam lacrymabilem coram regis præsentia fuderunt, et super hoc ejus consilium et auxilium imploraverunt. Sed cum aut impossibilitate aut incuria regis nulla eis fieret recuperatio perditorum, magnumque damnum perpessi fuissent, suis carendo redditibus fere per biennium, quid facto opus esset cogitantes, super his animo fluctuare cœperunt. Tandem in Domino tanquam in portu jactantes cogitatum suum, anchoram suæ salutis in ipso fixerunt. Nam fuit eorum commune consilium ad divinum confugere auxilium, sanctumque comiti præsentare Adalardum, ut comes ejus præsentia flexus, ei et sancto Petro suum restitueret allodium.

CAP. II. *De asportatione sancti in Flandriam, et quod in adventu ejus apertæ sunt fores ecclesiæ.*

4. Igitur sanioris consilii fratribus qui sancto comitarentur electis, et omnibus quæ itineri necessaria essent paratis, cum magno honore, ut decebat, iter arripientes pervenerunt in Flandriam, de Dei misericordia et sancti merito non desperantes. Fama autem præeunte comes sibi sanctum a fratribus præsentandum audierat, et ne illis alicujus ecclesiæ pateret introitus interdixerat, existimans taliter nullum ad se ab illis posse fieri accessum. Sed secus ac ratus res habita est. Nam tendentibus illis ad villam quæ dicitur Curba, ubi Sancti Petri jure hæreditario habetur ecclesia, presbyter secundum comitis præceptum obseratis ecclesiæ foribus, secessum occultum, ne posset inveniri, petierat cum clavibus. Tandem ad ecclesiam pervenitur, claves requiruntur, presbyter circumquaque quæritur, sed quærentibus facultas inveniendi denegatur. Mirum dictu ! fidelem quærens auditorem, dum aliqua mora fieret quærendo templi sacerdotem, illico sponte sua confractis seris, dissilientibus repagulis, patuerunt fores ecclesiæ, et sancto cunctisque eum comitantibus se pervias præbuere. Non magica, non ars ibi operata est mechanica : sed ad ostendendum sancti Adalardi meritum, virtus apparuit cœlestis in apertione valvarum. Ecce alter in hoc facto Petrus; sanctoque Petro, cui commissæ sunt claves regni cœlorum, in tali miraculo comparandus. Sancto etenim Petro de carcere per angelum liberato porta ultro patuit ferrea : isti similiter de carcere, id est, de carnis ergastulo per angelum consilii jam educto, cesserunt ultro dura portarum robora. O stupenda dignatio ! gratiam meruit a Domino, quæ cœlesti concessa fuerat clavigero. Jure etiam in aliena terra patuit illi sancti Petri ecclesia, qui apud Corbeiam hospitium sortitus sancti Petri ecclesiam, quasi pro contubernali fœdere, ad requirenda ejus bona fungebatur legatione. Taliter in ecclesia prius inaccessa sanctus defertur, populus utriusque sexus qui convenerat prosequitur ; laudes cum vocis cordisque exsultatione a monachis et clericis divinæ majestati referuntur, populis applaudentibus, et gratias Domino referentibus.

CAP. III. *De eo quod comes reddidit ei omnia quæ abstulerat.*

5 Sequenti die inde asportatur, et ad quærendum comitem acceleratur iter. Ubicunque autem sancti audiebatur adventus, a longe pro jam divulgato miraculo immensæ multitudinis populorum ei fiebat occursus. Nec solum jam ei contra præceptum comitis januas ecclesiarum aperire certabant, sed etiam tam ecclesiasticæ quam sæculares personæ, ut sanctus in ecclesiis inferretur, postulabant, magis divinam quam comitis incurrere timentes offensam. Audientes autem fratres comitem in pago Tornacensi circa Schelmas (*Schlin*) oppidum, quod obsidione militum cinxerat, commorantem, illuc iter flexerunt, et quo cœperant tandem pervenerunt. Quem cum sibi comes audiret deferri, ejus præsentiæ se subtrahere festinavit. Tunc principes qui lateri ejus solebant assistere, et in quorum consilio ejus omnis pendebat dispositio; super hoc cœperunt eum arguere, dicentes quia nihil ei prospere cederet, quandiu sanctorum ecclesias suis rebus spoliaret. Consulebant autem illi ut sancto cum humilitate occurreret, et quidquid erga sanctum deliquerat, emendaret. Quorum prudenti consilio comes acquievit, et humiliter sancto obvius processit. Videres alium regem Ninivitarum de suo solio descendisse, pedibusque nudis præ humilitate incedentem, honorem suum deposuisse : cum tanta devotione, militum stipante caterva, comes ad feretrum sancti accessit, et sumpto manibus suis gestatorio, militibus onus ejus leve certatim alleviantibus in ecclesiam haud longe positam tulit. Ibi quidquid Corbeiensi ecclesiæ abstulerat, coram primatibus suis in præsentia sancti reddidit : et quidquid erga

Digitized by Google

sanctum Petrum et sanctum Adalardum deliquerat, A emendavit, postulans per eos sibi a Domino indulgentiam impetrari. Fratres vero vice Domini, qui cor contritum et humiliatum non despicit, sanctique Petri, cui data est a Domino potestas ligandi atque solvendi, eum absolverunt; et eum gaudentem suisque orationibus commendatum ad obsidionem oppidi remiserunt. Inde non ingrati divinæ misericordiæ, qui gratiam comitis meruerunt sancto Adalardo mediante, immensas laudes Deo altissimo retulerunt, cujus auris, quam precibus pulsaverant, præparationem cordis eorum audierat.

CAP. IV. *De eo quod comitissa voluit eum retinere.*

6. Sic non cassato itineris labore lætati, cum sancto arripuerunt iter remeandi. Sed intervenit eis aliqua turbationis molestia, ut major subsequeretur lætitia. Contigit enim ut ad oppidum quod dicitur Insula (*Isle*), pervenirent, et sanctum Dei in ecclesia Sancti Stephani protomartyris, quæ ibi B habetur, deferrent. Illis diebus apud idem castrum Adela comitissa, de qua supra mentionem fecimus, morabatur; dum ad obsidendum præfatum oppidum Schelmas comes, scilicet filius ejus, occuparetur. Quæ cum audisset adesse sanctum Dei confessorem, gavisa est valde sibi esse oblatam retinendi illum opportunitatem. Accersitis igitur monachis, inter alia quæ protulit verba, dixit eis: « Sciatis, Domini mei, sanctum Adalardum communis generis consanguinitate mihi esse proximum, et ideo ut honoris gratiam paret mihi in cœlis, volo ejus honorem sublimare in terris. Unde sedet mihi in animo eum retinere in hac terra, quia ad exsequendum quod volo magis hic ero idonea. Aut enim ei novam construi faciam ecclesiam, quam immensis opibus ditabo, deputatis monachis aut clericis, qui serviant sancto; aut in Blandiniensi monasterio, quod in honore sancti Petri apostoli situm est in castro Gandavo, faciam eum deferri, ubi præ omnibus sanctis qui C ibi habentur, faciam ei honorem exhiberi. Interdico itaque vobis, ut eum ab ecclesia Sancti Stephani non dimoveatis, sed ad locum vestrum redeatis; ni potius cum eo remanere placeat vobis. » Denique præcepit portas obseratas, et exitus viarum adhibitis custodibus observari, ne in noctis silentio clam sanctus posset asportari.

CAP. V. *De eo quod per medios vigiles sublatæ sunt sanctæ reliquiæ.*

7. Quid jam monachi facerent? In aliena terra positi suorumque auxilio destituti obviare non poterant comitissæ potestati, ut in asportatione sancti aliquam violentiam inferrent illi. Illico ad sanctum reversi sunt Adalardum: et extra spem positi deliberabant, quid potius eis esset faciendum. Consilium autem super hac re quærentes, tales inter se conquerendo proferebant voces: « Quid faciemus? quo divertemus? ad nostros sine sancto Adalardo D reditus nobis non est necessarius: quia forsitan aut nos expellent, aut (quod turpius est) lapidibus obruent. Denique nos non reverti prohibet improperium et dedecus, quia nobis non revertentibus tantum damnum imponent nostræ assensioni nostrisque machinationibus. Cæterum quamvis absque sancti repræsentatione gratiam eorum possimus habere, ejusdem Patris nostri ablatio, nostræ matris ecclesiæ fiet desolatio. Ipsa enim mater nostra, quæ nos tanquam filios in suo fovit gremio, relinquetur sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario. » Taliter prius navicula cordis eorum turbabatur in mari: et dormiente in eis Christo, quia dubitabant, cœperunt mergi. Sed cum clamassent, « Domine, salva nos, perimus, » illico excitatus est Dominus, ventisque imperavit et fluctibus.

8. Illis autem consilium capientibus cœlitus inspiratum est, ut intempestæ noctis silentio expositas de feretro sancti confessoris reliquias tollerent, et cum illis fugæ præsidio sibi suisque consulerent. Quod et ipse Salvator fecisse, suosque ut idem facerent legitur admonuisse: *Cum vos*, inquit, *persecuti fuerint in unam civitatem, in aliam fugite*, licet figuraliter possimus intelligere. Cunctis igitur per villam somno occupatis, monachi requiem suis denegarunt oculis, opportunitatem quærentes perducendi ad finem quæ inerant illorum animis. Media autem nocte ad thecam argenteam, qua pretiosus thesaurus tegebatur, accesserunt, ipsumque audacibus, ut ita dicam, sed fidelibus manibus exposuerunt. Denique ipsum super aurum et topazion pretiosiorem, omniumque aromatum fragrantiam suo odore vincentem, in mundo pallio, postea in byrso cervino involverunt: et uni eorum, domno videlicet Everardo, qui ad hoc sagacior videbatur, asportandum commiserunt. Qui cæteris cum scrinio sancti remanentibus, de commisso sibi thesauro sollicitus non modice animo angebatur, qualiter propter vigilum excubias civitatem egrederetur. Dumque totus in hoc studio esset positus, illuxit matutinalis hora, qua expulso vesperi luctu Christi resurrectione demoratur lætitia. Tunc Christus qui est verus Sol justitiæ, depellens tenebras erroris et tristitiæ, ostendit illi tramitem salutis et lætitiæ. Nam eadem hora obtulit se illi quidam monachus, quasi missus a Domino, quem Remensis civitatis archiepiscopus ad comitem direxerat pro suo negotio. Huic sanctarum bajulator reliquiarum sociatus, per medios vigilum cuneos, portis patentibus, exivit; deique providentia, per sancti videlicet Adalardi meritum, frustratas illorum excubias reliquit.

9. Renovatum est sane in hoc facto miraculum, quod ad Christi resurgentis contigit sepulcrum, si tamen gloriæ regis audemus æquiparare virtutem militis. Sed non minuimus gloriam regis, si virtutem prædicamus militis: quia virtus militis gloria est regis. Custodia enim militum ad Christi posita est sepulcrum, ne a suis furaretur discipulis: diligentia nihilominus excubatorum deputata est portis et exitibus viarum, ne corpus sancti Adalardi clam a suis efferretur monachis. Christus summo diluculo milites signatum monumentum custodientes resurgens irritos reddidit: sanctus quoque Adalardus summo mane vigiles portas et exitus viarum observantes exeundo fefellit. Milites Christo resurgente præ timore facti sunt veluti mortui: custodes, postquam sanctus asportatus est Adalardus, præ nimia admiratione redditi sunt stupidi. Taliter corpus sancti confessoris Corbeiam refertur, et a monachis cum magno cleri plebisque tripudio suscipitur. Qui cum magno honore, ut dignitas ejus exigebat, repositus in archivo ecclesiæ ipsam sua decoravit præsentia, quam primum obscuram reddiderat ejus absentia. Fratres autem cum cordis devotione laudes immensas reddiderunt super hoc bonitate divinæ, parvipendentes si scrinii fieret amissio, cum beatos et divites reddidisset eos pretiosi thesauri restitutio. Illud enim erat recuperabile damnum: hic, si eum amisissent, damnum irreparabile. Sed qui voluit corporis thesaurum restituere, dignatus est etiam vas ejusdem remittere: ut sicut in corporis asportatione, ita etiam sancti pateret meritum in vasis repræsentatione.

CAP. VI. *De relatione scrinii, et quod in repræsentatione ejus sanatus est claudus.*

10. Interea fama volante, cum comitissæ nuntiatum fuisset taliter sanctum Adalardum a monachis sublatum esse, moleste tulit se ita delusam esse. Tamen intelligens hoc esse voluntatis divinæ, et ideo jam non posse contra torrentem brachia tendere, postulata venia concessit illis cum scrinio sancti confessoris remeare ad propria. Taliter illi, quasi de Ægypto egressi, ubi jam quasi captivi fuerant detenti, protegente eos cœlestis defensionis nube, ne urerentur a sole tribulationis, pervenerunt,

Digitized by Google

duce novo Moyse nostro, in terram pacis et securitatis.

11. Cumque jam facti fuissent proximi Corbeiæ, præmittentes nuntios mandaverunt fratribus suis, ut scrinio sancti Adalardi mature occurrerent cum brachio ejusdem confessoris. Illico gaudium novum adhuc recenti gaudio superadditur : classica pulsantur : ecclesia tapetibus et palliis adornatur ; accensis etiam luminaribus plurimis illuminatur : denique facto populi conventu, festiva processio oritur, et cum brachio sancti Adalardi præcedentibus cereis et crucibus obviam proceditur. Tunc filii Israel quasi arcam Domini de Philistæis reductam suscipientes, in tabernaculo Dei referebant : et cum David in voce exsultationis et confessionis psallentes præcedebant, variis musicorum instrumentorum generibus ad augendam lætitiam circumquaque sonantibus.

12. Ecce autem quidam claudus ad portam templi jacebat, ita utroque pede contractus, ut plantæ pedum ejus (quod erat in visu mirabile) retro hærerent natibus. Venerat autem ibi reptando in quantum poterat manibus et genibus, non solum ut alimoniam peteret ab introeuntibus, sed ut sanctum Adalardum rogaret suis adesse doloribus. Qui cum feretrum sancti præcedente longo processionis ordine vidisset inferri, in quantum ipsa ægritudo patiebatur, clamare cœpit, ut sui misereretur. Sanctus vero Adalardus, more beati Petri, aurum vel argentum illi non dedit, sed quod melius erat, divina concedente gratia, illi tribuit. Nam mirum in modum statim videres nervos prius contractos extendi, cutem disrumpi, sanguinem manare, pedes cruraque ad naturalem locum redire; illum autem præ nimiis angustiis fatigari, ita ut pene videretur deficere. Tandem in suis erectus pedibus, jam nullius egens adminiculo ad feretrum sancti accessit. O laudandum Dei donum ! o prædicandum sancti meritum ! Præsentia corporis ejus aberat, et tanta in vase corporis ejus Dominus ostendebat. Sed hoc in vase corporis ejus ostendere potuit, qui per umbram corporis sancti Petri ægrotos sanare valuit. Tunc qui sanatus fuerat feretrum prosequens et bajulans gratias referebat Domino, imitans illum evangelicum leprosum, qui reversus laudem dedit Deo ? Cum tanto gaudio filiis in sinu matris ecclesiæ receptis, de thesauro conscientiæ proferentes sacrificium spei et fidei, quæ in aræ cordis accenderat fervor charitatis, hymnum *Te Deum laudamus* cantaverunt coram altario divinæ majestatis.

CAP. VII. *De repositione sanctarum reliquiarum in scrinio.*

13. Denique ascendentes gradus pulpiti, qui de valle plorationis per gradus virtutum ascenderant in montem exsultationis, populis infimis jacentibus nec ad altiora conscendere valentibus, condescenderunt propinatione salutiferi sermonis rei gestæ temporique præsenti respondentis. Nec siluerunt ad confirmationem sui sermonis quæ in via accidissent eis, quanta Domini gratia in omnibus adfuisset illis, quantisque sibi dilectum confessorem declarasset miraculis. Et ne aliquis eorum dubius existeret sanctum Adalardum esse relatum, reliquias ejusdem de secretario, ubi ante repositæ fuerant, præsentari fecerunt. Quas quidem in conspectu populi adstantis extulerunt, ipsasque, ut credi decet, antiquo ebore lucidiores, visuque pro sui raritate delectabiles, conspectibus omnium astantium cernendas præbuerunt. Postquam autem præsentia sancti remota est ab illis omnis nubes dubitationis, eum honorifice reposuerunt in eodem scrinio, quod paulo ante relatum fuerat cum gaudio.

14. Quo rite peracto, secus sanctum Gentianum martyrii rosa in domo Dei vernantem collocaverunt S. Adalardum, castitatis lilio ante Deum florentem. Felix aula, quæ tantis sustentatur columnis ! felix ecclesia, quæ tantis illuminatur lucernis ! ut taceamus cæteros, quorum præsentia feliciter ipsa floret Ecclesia, istis tutoribus protegitur contra ventorum flatus, et tempestatum fulmina. Istis enim illuminantibus, repelluntur ab ea tenebrarum caligines et mœrorum nubila. Istos itaque honoremus, istos veneremur in terris, ut nostri memores esse dignentur in cœlis.

S. GERALDI ABBATIS

CHARTA

De precibus pro fratribus suæ congregationis et aliis sibi confœderatis faciendis.

(*Circa annum* 1091.)

(Dom MARTEN., *Thesaurus Anecdot.*, tom. I, col. 255 ex Silvæ-Majoris chartario seu ex Necrologio.)

Cognoscant omnes, tam præsentes quam subsecuturi, quia ego Geraldus Sanctæ Mariæ Sylvæ Majoris abbas, quamvis indignus, utilitati vivorum et mortuorum consulens, communi totius congregationis consilio stabilivi, et, ut in æternum maneat, litteris mandari præcepi, quod si quis nostræ congregationis decesserit a sæculo, nobiscumque sepultus fuerit, usque ad annum panis et vinum pauperibus pro eo tribuatur, et usque ad triginta dies ab omnibus missæ et vigiliæ mortuorum communiter celebrabuntur; ita autem ut priores septem missæ et vigiliæ solemniter, pulsatis signis omnibus, persolvantur. Sacerdotum unusquisque septem missas perorabit; qui sacerdos non est, tria psalteria; qui ad psalterium nondum pervenit, usque ad dies triginta septem psalmos quotidie cantabit; qui autem nescit, septem quotidie *Miserere;* qui vero nec *Miserere*, septies similiter *Pater noster*. Quod si infra duos dies, vel quatuor, vel etiam amplius, alter decesserit, insimul utrisque positis, quod uni in principio

Digitized by Google

minuetur, finito alterius officio, restituetur. Omnis autem congregatio primis septem diebus ante altare post capitulum psalmos prostrata cantabit. Si vero in cella, quæ a monasterio longe sit, aliquis obierit, totum pro eo quod pro præsenti persolvatur, excepto quod panis et vinum in cella ubi obierit, usque ad annum, sicut jam dictum est, in eleemosyna constituetur.

De congregationibus autem quæ nobiscum societatem acceperunt, vel accepturæ sunt, si quis obierit, ad nosque nuntius pervenerit, septem missas, totidemque vigilias persolvemus communiter; tres autem vigilias primas cum lectionibus novem, signis omnibus pulsatis; reliquas vero quatuor cum tribus: ita tamen quod ipso die quo nuntius advenerit, post capitulum, signis sonantibus, psalmus *Verba mea* pro eo cantetur; et qui sacerdos fuerit missam orabit; cæteri vero psalterium unum; qui nescit psalterium, psalmos septem; qui nec septem psalmos, *Miserere* septies; qui vero nec *Miserere*, septies *Pater noster*. Congregationes autem nostræ societatis hæ sunt : congregatio sancti Sicarii de Branstosma, sancti Florentii de Salmurio, congregatio sanctæ Fidis de Conchis.

Hoc est fœdus indissolubile Majoris Monasterii, Sylvæque Majoris cœnobiorum, videlicet ut fratribus utriusque monasterii utrumque capitulum et omne benefactum spirituale et corporale sit utrimque omnibus commune, et omnis per omnia societas. Pro fratribus vero defunctis semel in anno plenariam vigiliam et missam festivam celebramus, et breve accepto, mox finito capitulo, *Verba mea*, cum appendiciis suis, pro absolutione fratrum qui recitati fuerint, pulsatis signis, persolvemus.

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod domnus Odo abbas Sancti Johannis Angeriaci venit in capitulo Sanctæ Mariæ Sylvæ-Majoris, et consilio domni Geraldi abbatis, et omnium fratrum, pro defunctis fratribus statuerunt invicem, ut ipsa die qua brevis ipsius veniret, pulsatis omnibus signis, plenissima vigilia oraretur, in crastino similiter missa plenissime, et usque ad dies septem similiter; sed signis non pulsatis, psalmus *Verba* post capitulum; quo die panis et vini prænenda pro eo dabitur. Pro abbatibus autem utriusque congregationis, quantum pro fratre ejusdem loci fit, in æternum constituerunt. Hoc ipsum fit pro congregatione sancti Benedicti Nantolii. Hoc ipsum agitur pro congregatione Lucionensi, et pro abbatibus tricenarium, et sanctæ Mariæ de Pampilona canonicorum, et sancti Michaelis de Eremo, et sancti Maurini de Agenno, et canonicorum sancti Romani de Blavia; similiter agimus pro monachis sanctæ Mariæ Dolensis, et sancti Vincentii Laudunensis, et sancti Petri Ferrariensis ecclesiæ, et pro abbatibus tricenarium complebitur, tam in missis, quam in vigiliis, et scribentur in martyrologio, ut semper agatur anniversaria commemoratio pro eis; et sanctæ Crucis de *Kimperlé*, et sancti Salvatoris Karrofii, sed pro Karrofensibus plus agitur; triginta diebus singulis horis psalmus *Voce mea*, ad psalmos familiares, et post matutinos, *Verba mea*. Similiter agitur pro congregatione sancti Petri Malliacensis, et pro abbatibus Malliacensibus triginta diebus prænenda dabitur, et omnes fratres ipsius loci in martyrologio nostro scribantur. Pro monachis sancti Pauli Cormeriacensis, breve accepto, post capitulum signis sonantibus, facimus absolutionem, et per septem dies septem officia plena cum totidem missis, et per triginta dies *Verba mea* et *Voce mea*. Similiter agimus pro congregatione Usercensi, et pro fratribus Generensis monasterii, et pro monachis sancti Launomari Blesis, et die quo breve recitatum fuerit, prænenda panis et vini, et sancti Petri Carnotensis, et sanctæ Mariæ Guistrensis, et sancti Stephani de Beania; pro clericis sancti Martini de Ruricienne tres vigilias et tres missas; prima tamen die, pulsatis signis, hoc idem agimus pro sororibus sanctæ Mariæ Suessionensis; similiter agimus pro monachis sancti Petri Solemniacensis, pro monachis sancti Martini de Campis, post capitulum, absolutionem, et unam plenam vigiliam, et unam missam. Pro congregatione Exiensis cœnobii septem missas cum vigiliis, et prænenda ipso die quo brevis in capitulo recitabitur. Hoc idem fit pro canonicis sancti Stephani Agennensis sedis.

APPENDIX AD S. GERALDUM.

COMMEMORATIONES

A SYLVÆ-MAJORIS MONACHIS PRO ALIARUM ECCLESIARUM ALUMNIS FIERI SOLITÆ.

(MARTEN., *Thesaur.*, *Anecd.* I, 257, ex Necrologio Sylvæ-Majoris.)

Primo Januarii, fratrum et parentum defunctorum commemoratio.

1. Canonicorum Sanctæ Crucis Aurelianensis missa plena et vigilia. 16 Januarii.

Digitized by Google

2. Canonicorum sancti Æmiliani, missa plena et vigilia. 26 Januarii.

3. Fratrum Casæ Dei, missa plena et vigilia, et tricenarium plenum, singulis diebus præbenda panis et vini, cum reliquis cibis. 3 Februarii.

4. Eodem die canonicorum sancti Joannis de Valentinas. 3 Februarii.

5. Fratrum de Borcieto, missa plena et vigilia. 13 Februarii.

6. Fratrum sancti Eligii Noviomensis, missa plena et vigilia; præbenda cum cibis danda : quilibet sacerdos dicet unam missam, alii septem psalmos. Feria IV Cinerum.

7. Fratrum Præmonstratæ ecclesiæ, missa et vigilia. 21 Februarii.

8. Canonicorum Catalaunensium, missa plena et vigilia. Feria II post Dominicam I Quadragesimæ.

9. Fratrum Auriliacensis monasterii, missa festalis et præbenda. 27 Februarii.

10. Fratrum sancti Severi, canonicorum Cæsaraugustensium, et Lincolnensium, et fratrum Sarlatensium, missa plena et vigilia. 10 Martii.

11. Fratrum Suessionensium, præbenda danda eodem die.

12. Fratrum Figiacensium, missa plena et vigilia, præbenda quatuor pauperibus. Feria IV post *Lætare*.

13. Aquiciensis monasterii officium, missa cum pulsatione signorum, tribus pauperibus præbenda datur. 16 Martii.

14. Majoris Monasterii. 15 Aprilis.

15. Commemoratio parentum et fratrum S. Asterii confessoris. Feria II incipientis passionis.

16. Canonicorum Cæsaraugustensium, missa, vigilia, tribus pauperibus præbenda datur. 26 Aprilis.

17. Fratrum Orbacensis monasterii, missa plena et vigilia. 11 Maii.

18. Fratrum sancti Martialis, præbenda datur cum reliquis cibis. 3 Junii.

19. Fratrum Uticensis ecclesiæ, præbenda datur cum reliquis cibis, eodem die.

20. Fratrum Grandimontis. 18 Junii.

21. Sancti Petri de Corbeia, missam quilibet sacerdos, et præbenda datur tredecim pauperibus. 20. Junii.

22. Canonicorum Aturensis ecclesiæ, missa festive, et vigilia plena, eodem die.

23. Sancti Joannis Angeliacensis, missa plena et vigilia, tricenarium plenum, dabitur præbenda cum reliquis cibis. 25 Junii.

24. Fratrum sancti Pauli Romæ et sancti Petri de Papia, missa festive et vigilia plena. 4 Julii.

25. Fratrum Burdigalensis monasterii. 7. Julii.

26. Commemoratio fratrum Casæ Dei. 12 Julii.

27. Item fratrum Gratiæ Dei, eodem die.

28. Canonicorum sanctæ Mariæ Laudunensis. 14 Julii.

29. Fratrum sancti Severi, tribus pauperibus præbenda datur, cum cæteris cibis. 27 Julii.

30. Canonicorum sancti Stephani Agennensis, missa festive, et vigilia plena. 4 Augusti.

31. Item canonicorum de Castris, eodem die.

32. Fratrum sancti Stephani Lemovicensis. 12 Augusti.

33. Sancti Joannis Novi monasterii Pictavis. 16 Augusti.

34. Fratrum de Cancellata, missa festive et vigilia plena. 23 Augusti.

35. Canonicorum Ausciensis ecclesiæ, missa festive et vigilia plena, eodem die.

36. Item fratrum sancti Isuadi de *Bardanay* in Anglia, eodem die.

37. Canonicorum sancti Caprasii de Agenno, missa plena et vigilia, et tribus pauperibus præbenda datur. 19 Septembris.

38. Inchoatio tricenarii pro fratribus sancti Dionysii, singulis annis reddendi octavo Kal. Octobris.

39. Fratrum de Belloloco. 10 Octobris.

40. Canonicorum Bajonensium, missa festive et vigilia plena. 15 Octobris.

41. Fratrum de monte Cassino, missa plena et vigilia. 19 Octobris.

42. Fratrum sancti Martini Guistrensis, missa plena et vigilia. 3 Novembris.

43. Fratrum de Burgo, missa festive, et vigilia plena. 4 Novembris.

44. Canonicorum Aquensium, missa plena et vigilia, eodem die.

45. Fratrum Solemniacensium, missa festive et vigilia plena, et præbenda tribus pauperibus, eodem die.

46. Commemoratio fratrum Cluniacensium, missa plena et vigilia, quilibet sacerdos unam missam, alii septem psalmos. 12 Novembris.

47. Fratrum sancti Faronis, missa plena et vigilia, eodem die.

48. Et sancti Stephani canonicorum de Mauritanea, missa festive et vigilia plena, et præbenda datur, eodem die.

49. Canonicorum sancti Martini de Corona, missa plena et vigilia. 13 Novembris.

50. Canonicorum sancti Martini Laudunensis, eodem die.

51. Fratrum Solacensis ecclesiæ. 4 Decembris.

52. Canonicorum sancti Amandi, præbenda datur, eodem die.

53. Fratrum sancti Remigii, missa plena et vigilia. 14 Decembris.

Digitized by Google

CIRCA ANNUM DOMINI MLXXX.

FOLCARDUS

CŒNOBII SITHIVENSIS APUD ATREBATES MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA.

(CAVE, *Scriptorum ecclesiasticorum Historia litteraria, pag.* 531.)

Folcardus, cœnobii Sithivensis apud Atrebates monachus, claruit anno 1060, diuque deinceps vixit. Vir pro sorte sæculi quo vivit non indoctus, Gulielmo Anglorum regi, quem *Conquestorem* vocamus, admodum familiaris, qui subacta Anglia ipsum Torneiæ præposuit, ubi XVI fere annis abbatis vices supplevit. Diu in Anglia versatus est donec ortis illum inter et episcopum Lincolniensem simultatibus, ad monasterium suum Sithivense recessit. In litteras misit primo quidem per compendium, deinde recognitos et auctos De vita et miraculis S. Bertini abbatis Sithivensis libros duos, quos Bovini abbati suo inscripsit. Hos ex mss. codicibus Bertiniano et Vedastino edidit Mabillonius Sæc. Benedict. III, part. I, pag. 104; qui etiam librum II Miraculorum, ab auctore anonymo circa initium sæculi X scriptum, subjecit. Recenset quidem Baleus (*De script.* cent. II, p. 164) Folcardum quemdam Dorobornensem, cœnobii Cantuariensis monachum, virum doctissimum, anno 1060 clarum, quem eumdem cum nostro fuisse existimamus, quemque Aldredi Eboracensium archiepiscopi, magni sui Mecænatis jussu, De vita et miraculis Joannis archiepiscopi Eboracensis libros duos, eidem Aldredo nuncupatos, atque alia quædam scripsisse, Baleus refert. Certe Folcardum nostrum S. Oswaldi Wigorniensis episcopi, aliorumque sanctorum Angliæ historias suaviter composuisse, testis est Ordericus Vitalis, ejusdem pene temporis scriptor Hist. Eccl. lib. II, ad ann. 1118, ubi plura de Folcardo habet. Vitæ Joannis archiepiscopi Eboracensis a Folcardo scriptæ meminit etiam auctor incertus De vita S. Joannis Monast. Anglic., tom. I, qui pariter ac Baleus Folcardum Cantuariensem vocat, montuchum scilicet, non quod Mabillonius male habet, Cantuariensem archiepiscopum. Vitam ipsam extuli Mabillonius Sæc. Benedict. III, part. I, pag. 433. Librum vero Miraculorum, quem etiam memorat Baleus, reperire non potuit. De aliis Vitæ Bertinianæ scriptoribus, anonymo quodam antiquiore, et Folquino abbate Lobiensi, Actorum etiam SS. Audomari, Folquini episcopi, Winnoci et Salvini compilatore anonymo altero, denique Simone abbate Sithivensi, exeunte sæculo XII claro, plura te docebit et Mabillonius in *Observationibus præviis*, ubi supra, p. 104.

VITA S. BERTINI

ABBATIS SITHIVENSIS IN MORINIS

Auctore FOLCARDO.

(Apud MABILL., *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. III, parte II, pag. 104

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Multi gesta S. Bertini abbatis in litteras retulere. Sex omnino invenio hujusce argumenti lucubrationes. Prima est anonymi cujusdam, quem cæteri postea secuti sunt. Secunda Folquini abbatis Lobiensis, qui Acta SS. Audomari, Bertini, Folquini episcopi, Winnoci et Silvini Waltero abbati Bertiniano, anno 996 mortuo nuncupavit. Tertia et quarta auctorem habent Folcardum, Sithivensis cœnobii monachum. Quinta et sexta metrice compositæ sunt, una quidem ab anonymo quodam, alia a Simone, ut putant, abbate Sithivensi sub finem sæculi XII, quanquam Joannes Iperius de Simone abbate agens, ejus rei, ni fallor, haud meminit. Quatuor postremas scriptiones e monasterio Sithivensi accepimus, beneficio tum viri religiosissimi D. Joannis *Le Pecqueur*, subprioris, tum humanissimi D. Gerardi *du Val* cœnobitæ. Hic unicum exhibemus Folcardum, de aliis auctoribus pauca dicturi.

2. Anonymum Vitæ Bertinianæ scriptorem perantiquum laudant auctor libri De gestis S. Winnoci abbatis, Folcardus et alii : Folquinum Jacobus Malbrancus passim, maxime in scholiis ad cap. 1, lib. III De Morinis, ubi ait Folquinum in Actis SS. Audomari, Bertini, etc., multa præterilisse quæ apud alios reperire est, quia solummodo ea inserere in votis habuit quæ lectionibus Breviarii possent adaptari. Hunc putant esse Folquinum levitam et monachum Bertinianum, qui principum ac regum diplomata aliaque instrumenta in unum retulit, et annis regum annos Dominicæ Incarnationis aptavit; qua in re a

Digitized by Google

vero calculo passim aberravit. Anonymum legit, et cum subjecta Folcardi lucubratione contulit D. de With, cœnobita Bertinianus, ante annos triginta vitâ functus; cujus animadversiones a D. Gerardo du Val communicatas in ora marginali apponemus.

3. Folcardus, Bertinianus monachus, primo quidem compendio scripsit Vitam S. Bertini, quam postea fusius a se reddendam promisit. Sic habet in prioris lucubrationis epistola dedicatoria. « Domino suo Bovoni Patrique desideratissimo Folcardus nulli inserendus paginæ, quod summum est coram summo pontifice. Fortassis, Pater mi, in tuum vernaculum tuo quondam lacte tuisque educatum alimentis merito frequentius stomacharis, quod solum terram occupem ut ficus illa inutilis, nec quidvis tuæ qua quondam puerum insevisti, pomam institutionis. Jus, fateor, esset, quæ insevisti, etsi non digno, tamen quocunque pullulare germine; sed cupido vires deficiunt, Pater optime, quo cogor inter privatos ignobilis delitescere. Hinc te sæpius rite indignatum meæ inertiæ concesserim, hocque a te summum in me beneficium libens conceperim. Unde quæ hactenus minus consulte egi, ad jussum paternitatis tuæ in melius transferre curavi. Quod meditanti occurrit in medio Vita beatissimi Patris nostri Bertini, quam rescribere orsus sum, impellente causa multiplici. Quod si sic ex re constabit, examinis tui trutina probabit. Bona siquidem dicturus facturusve, a nullo malui quam a te principium sumere, qui tot commodis inservis nobis omnibus quotidie. Dein vero quod quorumdam fratrum devotæ petitioni oportuit me satisfacere, qui dum aliquid apud tantillum videntur petere, magis imperare ex ipsa noscuntur petitione. Nec eo, fateor, ipsi petunt, ut reor aut ego subaudio, ut veteri posthabito sive neglecto hoc o, us rapiatur in publico : quod absurdum nimis esset, me tale aliquid inter tot et tales, ut ita dicam, nubigenas moliri. Sed si ita jubes, secundum illud quod lignea et fictilia vasa cum aureis aiunt in templo Domini, sic hæc meæ parvitatis descriptio servetur cum veteri. » Dein sequitur alius Prologus hoc exordio : *Deificæ Trinitatis clementia*, etc.; qui Prologus diversus est in exemplari Cisterciano. Sic vero incipit Vita : « Beatus puer Bertinus generosa progenitorum stirpe ortus traditur in Constantiæ finibus, » etc. Demumque ita librum concludit : « Hæc dicta sufficiant pauca e pluribus, quæ compendiosa quidem terminavimus diffinitione, sed patentioris textus serie disponimus elucidare. » Vides hic promitti prolixiorem scriptionem. Et infra librum De miraculis S. Bertini a se scriptum iri pollicetur his verbis : « Lectoris ergo nos accommodantes satisfactioni, ac si jam de Vita refecto Patris clarissimi, subsequenter scriptis textum exsequemur signorum, quæ per eum gessit Dominus Deus virtutum. » Quod utrumque præstitit, editis libris De vita et miraculis S. Bertini, quos hic primum typis donamus. Etsi enim libri manu exarati auctoris nomen haud præferunt, id tamen colligimus ex ejus ætate, quam ipse indicat libro I Mirac., cap. 11. Quanquam liber secundus De miraculis a principio antiquiorem sapit auctorem, cui cætera Folcardus adjecisse videtur. Ordericus Vitalis in eccl. Hist. lib. II, ad ann. 1108, laudat « Folcardum S. Bertini Sithiensis monachum, multa eruditione validum, quem Guillelmus Anglorum rex subacta Anglia Torneiæ præposuit, ubi Folcardus fere XVI annis absque benedictione abbatis vices supplevit. Hic affabilis, inquit, et jucundus fuit atque charitativus, grammaticæ artis ac musicæ peritissimus. Unde pretiosa peritiæ suæ monumenta reliquit in Anglia futuris generationibus. Nam plures dictatus memoria dignos edidit, et S. Oswaldi Guigornensis episcopi aliorumque sanctorum, quorum propago de Albione processit, delectabiles ad canendum historias suaviter composuit. Ortis postmodum quibusdam simultatibus inter ipsum et Lincolniensem episcopum recessit, » nempe in monasterium Sithivense, ubi Vitam S. Bertini exornandam suscepit.

4. Bovo, abbas Bertinianus, cui Folcardus primam scriptionem suam dedicavit, auctor fuit elevationis corporis S. Bertini, a Folquino Morinorum episcopo loco secreto reconditi ob Nortmannorum infestationes; ejusque facti relationem litteris mandavit, quam ex mss. codd. erutam publicamus post Folcardum, qui eamdem historiam in libro II Miraculorum præstrinxit. Bovo monasterio Sithivensi præfuit ab anno 1043 ad 1065, uti discimus ex Joannis Iperii Chronico Bertiniano, cap. 37, qui Iperius etiam gesta S. Bertini in Chronicon suum retulit cap. 1.

5. De duobus poetis, Anonymo et Simone, nihil est quod adnotemus. Eorum lucubrationes typis committere non visum est operæ pretium. Simon Bertiniano monasterio præfuit ab anno 1176 ad 1187, quo abbatis dignitatem abdicavit, febre quartana aliisque molestiis affectus, in quatuor annos superstes. Lege Joannis Iperii Chronicon, cap. 103. Simonis carmen de S. Bertino incipit hoc modo :

Filius et frater merito tuus, o pia mater,
Laudibus immensis celebremus, plebs Sithiensis.
Unam cum reputem tibi non satis esse salutem,
Me conferre putes tibi cum Patre mille salutes.
Ergo fave Simoni, quæso, Pater alme, Leoni,
Cui quod concepi dudum, modo scribere cœpi
Laude Dei festa nostri Patris inclyta gesta.

6. S. Bertini memoriam celebrant sincera Martyrologia Usuardi, Adonis, et Flori additamentum a Bedam. *Nonis Septembr.*, inquit Usuardus, *in pago Tarvennensi S. Bertini abb.;* et Ado eodem die : *Natalis S. Bertini abbatis, magnæ sanctitatis et innocentiæ viri.* Florus vero : *Depositio S. Bertini confessoris et monachi, qui in divinis rebus prudens, et in malis simplex, virtutibus claruit divinis.* Præterea S. Bertini absconsio a Folquino sæculo IX facta antiquis Kalendariis inscribitur XVII *Kalend. Augusti*. Elevatio sæculo XI celebrata a Widone

Digitized by Google

Remorum archiepiscopo VII *Nonas Maii;* Translatio denique in thecam pretiosiorem sæculo XIII per Petrum Morinorum episcopum XVII *Kalend. Augusti;* de quibus infra suis locis.

7. An Bertinus monasterii Sithivensis primus abbas fuerit, merito dubitari potest. Scriptor Vitæ S. Audomari episcopi Tarvennensis, editæ sæculo II Bened., primum locum tribuit Mummolino, Bertino secundum. Joannes Iperius e catalogo abbatum Sithivensium penitus expungit Mummolinum, quem Bertino postponunt Sammarthani in Gallia Christiana, at immerito certe. Siquidem Mummolinus B. Eligio successit in sedem Noviomagensem anno 669, eique præfuit *per viginti et sex annos*, testante auctore Vitæ S. Audomari: proindeque longe ante S. Bertinum vivere desiit. Veri simile est Mummolinum per annos XIV ante initam sedem episcopalem præfuisse abbatem *Veteri Monasterio*, quod nomen ipsius hactenus retinuit; et curam habuisse fabricæ novi monasterii Sithivensis; non tamen eo loci rexisse monachos, nisi forte ad breve tempus, eo quod vixdum perfecto cœnobio raptus sit ad episcopatum; mox vero Bertinum fabricæ supremam imposuisse manum, et coloniæ monachorum præpositum fuisse.

8. Sithivense seu Sithiense monasterium anno circa 660 ædificari cœptum in pago Tarvennico, a prima sui origine amplissimum, hactenus S. Bertini nomine celebratur, inclusum muris Audomaropolis, quæ urbs a monasterii celebritate orta, ab annis centum cathedra episcopali donata est, excisa Tarvenna. Duplex fere a cœnobii primordiis conventus monachorum isthic fuit, unus quidem in S. Petri basilica, constans monachis centum et quinquaginta; alter in S. Mariæ ecclesia cœmeterii loco ædificata, habens cœnobitas quadraginta, quos Fridogisus abbas sæcularis sæculares canonicos fecit. In hac demum S. Mariæ basilica sedes episcopalis erecta, in alia cœtus monachorum perseverat. Procedente tempore isthic etiam, ut et alibi passim, admissæ sunt sanctimoniales, quas *Conversas* appellabant, Gregorio nono pontifice per Romanum S. Angeli diaconum cardinalem expulsæ. « Erant tunc, inquit Iperius, cap. 46, parte XX, in hoc monasterio moniales quæ dicebantur conversæ sub habitu religionis, non tamen sub professione regulari inter duas portas monasterii, juxta ecclesiam S. Martini commorantes, de eleemosyna monasterii viventes, in hospitali pauperibus servientes, vestes sacras et ornamenta ecclesiæ cum opus esset consuebant et abluebant. Et quia non licebat mulieribus ingressus intra monasterium monachorum, matres, sorores et propinquas nostras cum ad nos veniebant, recipiebant. »

9. Ut vero intelligas ea quæ de variis monasterii principalis basilicis dicuntur, juvat Iperii verba e cap. 3 hic attexere: « Notandum est quod ecclesia ista diversis successive temporibus diversimode nominata fuit. Primo enim dicta fuit Sithiu a nomine villæ vel loci qui Sithiu dicebatur, quam ecclesiam B. Bertinus fundavit in honore B. Petri apostoli, qui adhuc nunc est et Pater et patronus. Deinde B. P. Bertino numero sanctorum adaucto, quia ipse primus fundator noster exstiterat, ab eo denominatus est locus monasterium S. Bertini Sithiensis. Et ut nominis recompensatio fieret, constructa fuit ecclesia B. Petro ad occidentalem partem templi ad plagam septentrionalem, a qua adhuc nominatur porta S. Petri ibidem. Beato vero Martino facta fuit ecclesia juxta illam quæ nunc est parrochialis ecclesia S. Martini in insula. Et inter duas has ecclesias sanctorum Petri et Martini factum est hospitale pauperum seu domus eleemosynæ; via quoque patens, per quam de una ecclesia ad aliam, ac de hospitali ad utramque patebat ingressus. Demum igne fortuito consumptis ecclesiis beatorum Petri apostoli ac Bertini, tempore domni Roderici abbatis (*qui anno* 1021 *præesse cœpit*) ordinatum fuit, quod adhuc hodie servatur, quod templi nostri majus altare, imo ipsummet templum semper consecratur in honore B. Mariæ Virginis, beatorum apost. Petri et Pauli atque B. Bertini confessoris Christi; secundum vero altare in quo solet dici missa matutinalis, semper appropriatur et consecratur in honore S. Martini Turonensis episcopi. » Hactenus Iperius.

10. Istud asceterium tanta religione et sanctæ Regulæ cultu per varias alternantis humanæ conditionis vices floruit, « ut de viginti duobus sanctis illius ecclesiæ monachis jam solemnizet Ecclesia, » inquit Iperius in Prologo. Viginti quinque numerat Locrius in Chronico Belgico, nimirum Bertinum abbatem et cœnobii conditorem, Ebertramnum abbatem Veromandensem, Walbertum comitem, ejusque filium Bertinum parvum, Mummolenum Noviomagensem episcopum, Winnocum abbatem Uvoromholtensem cum Quadanoco, Ingenoco, et Madoco ejus sociis; Erkenbodonem Sithivensem abbatem quartum hoc sæculo VIII; Humfridum ex monacho Prumiensi abbatem Bertinianum, et Fulconem Remensem archiepiscopum itidem abbatem, Wocardum, Winebaldum, Ragenardum et Gerwaldum monachos martyres sæculo IX; Grimbaldum Wintoniensem abbatem cum sociis Joanne et Assero, ac Gerardum abbatem sæculo X; Lambertum, Simonem et Leonem abbates Sithivenses cum Joscione et Bernardo monachis sæculo XII.

11. Ex eodem asceterio prodierunt quamplures alii qui ad infulas episcopales evecti sunt. Isthic etiam sæculi pompam et dignitates abdicarunt viri spectatæ nobilitatis, « Gunthertus clara stirpe, patre Gorberto, matre vero Ebertruda progenitus, » inquit Iperius, cap. 11, parte III; « Honrocus comes, Adalardi abbatis pater, » cap. 13, parte III; « Zoppo regis Caroli Calvi vicarius, » cap. 15, parte I; « Megenfridus puer nobilis, a patre Ruodwaldo oblatus, » cap. 16, et alii: quibus addendi Childericus rex ultimus Merovingicæ stirpis « in Sithiu

Digitized by Google

monasterio tonsus, » et Guillelmus Flandrensis comes, qui morte instante religiosam vestem induit, et in Sithivensi monasterio sepultus est, teste Ordérico Vitali in Hist. lib. XII, ubi ejus epithaphium refert ad annum 1127.

12. Præterea ex hac abbatia originem sumpserunt, scu, ut verbis Iperiani Prologi loquar, « sunt derivata quatuordecim honesta monasteria, » adeo ut Sithivensis Ecclesia « patriæ sedem primam obtineret post cathedralem Morinorum. » De monasteriis Woromholtensi, Bergensi, Alciasensi, Hunulfricultensi et aliis e seminario Sithivensi profectis, lege sæpe laudatum Iperium.

13. Non tantum sanctorum seminarium fuit iste locus, sed etiam sanctorum asylum et confugium. Istuc se recepere SS. Anselmus et Thomas Cantuarienses archiepiscopi. Admissi etiam non semel monachi Cantuarienses a regibus pulsi, primo quidem in S. Thomæ odium ab Henrico IV, deinde vero a Joanne rege anno 1207. De primis agit Iperius cap. 44, parte II, de aliis cap. 46, parte XII, ubi hæc verba : « Quibus adventantibus D. abbas et conventus inobviam eis cum cruce, candelis et thymiamateriis processionaliter incesserunt usque ad ecclesiam S. Dionysii, et eos huc in monasterium adduxerunt. Erant monachi septuaginta, familiares autem usque ad centum : qui omnes insimul per dies duodecim hic apud nos manserunt, donec per abbatias circumquaque bini vel terni a suo priore missi sunt, ipso priore cum sedecim monachis plus quam per annum nobiscum remanentibus, » etc. Egregium sane Christianæ charitatis et religiosæ hospitalitatis exemplum!

PROLOGUS AUCTORIS.

(*Ex antiquiori anonymo.*)

1. Domino omnipotenti bonorum munerum largitori multiplices gratiæ laudesque sedulo sunt referendæ, qui omnium creaturarum visibilium et invisibilium conditor et gubernator existens, Filium suum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum ad docendas redimendasque omnigenas gentes misit ad terras; et cætera ut in Vita S. Audomari *infra*.

INCIPIT VITA.

CAP. I. *In qua provincia natus est B. Bertinus, et quod in puerilia monachus factus est.*

2. Beatus puer Bertinus generosa progenitorum stirpe ortus traditur in Constantiæ finibus, quam Rhenus subterfluens sub ejusdem urbis muros in Apotamo lacu ferme tribus stagnatur millibus; quæ hinc e vicino Bajoariam, illinc Burgundiam, ab austro autem Alpina suspicit juga. Hic itaque suis pignus admodum dilectum progenitoribus nutriebatur diligenter infantulus, uti tantus in Domino post futurus. Cui cum ad mundi gloriam a Deo terrena nobilitatis suffragaretur dignitas, ab ipsis infantiæ cunis major servitutis Christi coadolevit charitas. Quod exhibens mox ut ad id ætatis pervenit, pueritiæ suæ principia evangelica perfectione Deo dicavit. Parentibus enim et patriæ Dominum secuturus abrenuntiavit: et ut perfectionis nil Domini servo abesset, monachum in Luxoviensi cœnobio sub patre Eustachio professus est. Cujus vita et doctrinæ institutio quam spiritualis gratiæ compos fuerit, scire datur in ipsa excellentia gregis cui præfuit, præsertim nunc cum evidentioribus sanctitatis eorum pateat signis, quos pluribus terris coram Domino suis scimus patrocinari meritis. Horum teneram vitam moresque Bertinus puer quidem ætate, sensu autem senior, imitari Spiritu sancto inspirante contendit, quem postquam suæ gratiæ charismatibus mancipavit, inter tales tantosque Patres, ut eorum exemplis instrueretur, adscivit. Omnibus tandem perfectioribus vita auctum muniis in pueritia, inexhaustæ cœlestis desiderii vigore præditum provexit in adolescentia.

CAP. II. *Quod adhuc adolescentulus ad S. Audomarum pervenit.*

3. Ergo cum jam Dominus militem suum mundo manifestius propalare disposuisset, ne in absconso lucerna tantæ claritatis lucens tot mortalium spiritualia commercia differret, egressus duobus tantum comitibus Mummolino et Ebertramno, magnæ scilicet sanctitatis viris, tertius adjunctus, perfectus sanctæ Trinitatis cultor in Galliam usque pervenit (1). Videntes igitur prædicti viri sancti, Bertinus scilicet et socii ejus, ibidem messem quidem multam, operarios autem paucos, cœperunt longe lateque verbum vitæ instanter per totam Galliam disseminare. Adhæserunt autem eis quamplures viri religiosi,

(1) Cisterciense exemplar sic habet : *Morinensium fines pervenit, quibus tunc ejus compatriota et (ut fertur) consanguineus, egregius Christi præsul Audomarus larga divinorum dogmatum fluenta propinabat.* Consanguinitatem istam probat Joannes Iperius cap. 1, parte I et V, ubi Audomarum et Bertinum ex S. Arnulfi prosapia descendisse affirmat. Lege hac de re, si tanti est, Malbrancum lib. III, de Morin., cap. 1.

Digitized by Google

qui ab eisdem a mane usque ad vesperum æternæ vitæ pabulis reficiebantur; nec minus quoque palatini proceres intermissa ad tempus regali servitute ad eos confluebant, eorumque modestam conversationem in recte vivendo ad exemplum sibi proponebant.

4. Tempore illo Lotharius filius Ludovici regis regni Francorum monarchiam gubernabat: cujus aures cum jam suorum procerum relatione pulsaret sanctorum Bertini sociorumque ejus eximiæ conversationis crebra opinio, mox eos suis astare jussit conspectibus. Quibus illatis a rege, vir Domini Bertinus et ejus socii honorifice sunt suscepti, et longo tempore intra regis palatium summa diligentia subrogati. Post longum autem temporis intervallum præmemorati viri S. Audomarum tunc Tarvennensem episcopum (cujus compatriota et consanguineus erat S. Bertinus) adierunt ut ei in prædicando essent comites, quatenus in æterna retributione a Deo mererentur fieri æqualis gloriæ participes. Sanctus vero Audomarus eosdem Dei famulos gratifice recipiens, omnipotenti Deo gratias egit, qui tales sibi ad prædicandum Evangelium adjutores misit. Erant enim in fide perfecti catholica, et in ecclesiasticis disciplinis atque in divina Scriptura eruditi. Subibant igitur officium legationis suæ labore prædicationis continuæ.

Cap. III. *Traditio Adroaldi.*

5. (2) Interea quidam vir nobilis valde prædives opum, Adroaldus nomine, nullum habens filium, tractare cum B. Audomaro et prædictis Dei famulis cœpit, qualiter possessionum suarum ecclesiam hæredem faceret. Quem B. Audomarus, inspirante gratia Spiritus sancti, hortatus est ut S. Bertino sociisque ejus prænominatis quæque habere poterat conferret, quatenus ibidem cœnobium in honore B. Petri principis apostolorum construendo, turbam monachorum non modicam coadunarent. Quod Adroaldus præsente B. Audomaro cunctisque proceribus urbis Tarvennæ magna cordis alacritate complevit, tradens villam suæ proprietatis nuncupatam *Sithiu*, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo sexto (3), anno autem undecimo regni Chlodovei filii Dagoberti, octavo Idus Septembris. In territorio igitur quodam ipsius villæ monasterium ædificare cœperunt, qui locus usque hodie Vetus vocatur monasterium.

Cap. IV. *Quare aptiorem locum sanctus vir Dei quærebat.*

6. (4) Interea decedente Achario (5) episcopo urbis Noviomæ ad episcopatum ejusdem urbis venerabilis vir Mummolinus provehitur, et Ebertramnus cœnobio S. Quintini a Mummolino præficitur; sanctus vero Bertinus in loco sibi a Domino collato annis quatuordecim resedit (6). Et quoniam locus ille permodicus minusque spatiosus erat, ut construendi alicujus magni caperet apparatus, sanctus vir Dei Bertinus cœpit cum suis sibi coadunatis ædificandi cœnobii aptiorem quærere locum. Sed dictum Dominicum animo revolvens: *Sine me nil potestis facere* (*Joan.* xv, 5), perfecto hujus consilio Dei providentiæ cuncta disponenti sese ex animo committens, protinus navim conscendit sine gubernatore et remige per spatiosum stagnum cui adhæret prædictum monasteriolum. Dei tantum nutu navis agebatur, angeli quoque ministerio cerneres carinam contra fluenta præcipitis fluvii impingi, quousque aptum tenendo portum consisteret, et venerabilis vir Bertinus hunc versiculum ex ordine decantati psalterii promeret: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam* (*Psal.* cxxxi, 14). Cognoscens igitur a Domino sibi locum illum electum, sine mora navim relinquens, monasterium nomine *Sithiu* in eodem loco in Dei nomine et in honore S. Petri ædificare cœpit. Confluentibus undique religiosis viris intra modicum tempus, multitudinem monachorum, videlicet centum quinquaginta (7) coadunavit, cum quibus multis in Dei servitio vixerat annis, turbamque sibi a Domino creditam sub districto sacræ regulæ jugo mente sollicita pervigil custodiebat pastor, sciens quod scriptum est (S. Bened. *reg.* c. 2): Cui plus committitur, plus ab eo exigitur (*Luc.* xii, 48). Beatis enim Dei famulis sub sua cura consistentibus Dominica atque apostolica prædicando mandata, sua quotidie districta conversatione ac religiosis actibus magnum bene vivendi præbebat exemplum, implens quod scriptum est: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra et glorificent Patrem vestrum* (*Matth.* v, 16), ne secundum apostolici præceptum aliis prædicans, ipse reprobus inveniretur. Nec decerant, providente Domino, vitæ eorum necessaria. Affines enim et quique nobiles Christo devoti ejus admonitione et doctrina,

(2) De verbo ex antiquiori Anonymo.

(3) Folquinus in Chron., lib. I, cap. 2, scribit anno 11 Ludovici, Christi 645, rectius anno 648, aut inseguenti, cui Chlodovei annus undecimus illigatur. Hujusce rei diploma ab Adroaldo confectum exstat apud Miræum cap. 3; Donat. et apud Joannem Iperium in Chronico, uti in Vita S. Audomari ad anu. 657 observavimus.

(4) Ex antiquiori Anonymo.

(5) Non Achario, sed B. Eligio in sedem Noviomagensem successit Mummolinus, ut in Vita S. Audomari adnotatum.

(6) Annorum numerum haud exprimit auctor primus; hæc vero addit: *Ut enim situm ejus loci loquamur nescientibus, hinc idem locus in humili colle situs fluvium Agnionam cum aquis palustribus, illinc silvam longis supereminentem habet tractibus.* S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus patrium solum vertere coactus, dicitur venisse *ad Vetus monasterium, eremitorium quondam gloriosi confessoris Bertini*, ubi per tres dies latuerit; et die quarto in Sithivensem abbatiam se recepisse, apud Iperium cap. 44, parte II. Nunc vicus S. Mummolini, vulgo *Saint-Mummolin* appellatur, uno miliari ab Audomaropoli.

(7) Exemplar Cistertianum habet *ducentos fratres.*

Digitized by Google

plurima terrarum fundorumque illi conferebant donaria, sicut inferiùs patebit.

CAP. V. *Traditio de villa de Worinhoud.*

7. (8) Post prædictam etiam venerabilis memoriæ Adroaldi traditionem, qua se in ejusdem loci constructionis primitias primum exhibuit, quidam prædives Heremarus suæ proprietatis villam *Worinhoud* (9) dictam, Deo sanctoque Bertino contulit. Qui scilicet beatus vir tantorum divinæ largitatis impensorum non ingratus, quidquid sibi a Dei conferebatur fidelibus, eorum saluti revera consulens supernis sancivit usibus. Nam in prædicto fundo sanctum Winnocum a puero sua disciplina instructum cum ejus aliis commilitonibus direxit, quibus ut ad pauperum receptionem cellam ecclesiamque in honore S. Martini ædificarent jussit : quod prædicti viri unanimes in Domino instanti labore compleverunt tempore modico. Statuto etiam fratrum conventiculo, suum in omni sanctitatis exercitio æmulum discipulum, sanctum scilicet Winnocum præfecit, quia de ejus vita et moribus non dubitabat, quem secum ab infantia sub Dominica monasterii schola nutrierat. Taliter ergo B. Bertinus omnium cœnobiorum Tarvennensis territorii auctor et pater exstitit, tantoque germine in provectu Ecclesiæ Christi fructificavit. Omissis tandem omnibus, quanta industria cuncta necessaria loco propriæ habitationis curavit providere, subsequenti narrabitur serie.

CAP. VI. *Qualiter cœmeterium acquisivit.*

8. Omnibus igitur commodis ejusdem loci sui fratribus perquisitis, cœmeterium parare non potuit, uti in palude. Super qua re sui in omnibus adjutoris dilecti Dei antistitis Audomari consilium et opem non distulit quærere. Qui præclarus pontifex solita charitatis adfuit exhibitione, ejusque consilio communicato et labore, fossa ambiens cœmeterium, eidem cœnobio consecravit in prædicti collis vertice, constructa in ejus medio basilica in veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ. Quam communi perfectam opere S. Bertino ejusque cœnobitis concessit integre anno sexcentesimo sexagesimo Incarnationis Dominicæ, donationem suam confirmans facta per privilegii descriptionem traditione, in qua se ejusdem beati Patris cunctorumque fratrum sub ejus patrocinio Deo servientium orationibus commendavit, petiitque ut in eodem cœmeterio, eo totius carnis viam ingresso, corpus exanime humarent. Cujus privilegii exemplar hic inscribere curavimus, uti tunc temporis a præfato Christi præsule Audomaro factum accepimus.

Exemplar chartæ S. Audomari de cœmeterio.

(Ex Chartulario Folquini, S. Bertini monachi. — *Vide Patrologiæ tom. CXXXVI, col.* 1189.)

9. Igitur decedente domno Audomaro episcopo, trigesimo quinto anno post prædicti cœmeterii et capellæ donationem in villa Waurantis dicta, distante a *Sithiu* cœnobio fere quatuor milliaribus a domno Bertino secundum ipsius beati viri in hoc privilegio rogatum exinde deportatus, in suprascripta basilica, ante altare sanctæ Dei Genitricis est humatus, ac deinceps ipsa basilica domno Bertino fuit subdita.

10. Largus igitur bonorum operum retributor contra diabolicas persuasiones indefessam sui militis Bertini aspiciens pugnam [*oculi enim Domini* aspiciunt *super justos, et aures ejus in preces eorum* (*Psal.* XXXIII, 16)], magnamque ejus de ovibus sibi creditis intuens curam, almificis eum signis ac virtutibus glorificavit, de quibus, favente Domino, pauca subsequenti narrabimus sermone.

CAP. VII. *Traditio Walberti* (10).

11. Fuit igitur quidam vir nobilis honorificus et comes secundum vanam hujus sæculi dignitatem nomine Walbertus, uxor vero ejus Regentrudis fuit nuncupata. Huic vero Waulberto et conjugi suæ pater confessionum (11) beatus fuit Bertinus, nec non et compater fuit secundum sæculi laudabilem ritum inter Christianos ad conjungenda fraternæ charitatis fœdera conservatum. Beatus igitur Bertinus utrisque verbum sæpe prædicabat divinum. Quapropter pius vir prædictus Walbertus ad B. Bertinum sæpe venire solebat, ut a beato viro divina præcepta audiret, et ut a sacro ejus ore post communicationem corporis et sanguinis Christi more benedicceretur solito. Quadam igitur die ad basilicam sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, ubi etiam B. Bertinus S. Audomarum sepelivit, supradictus Walbertus veniens, ibidemque orationem complens, aliqua eum necessitate subito retrahente ad beatum neglexit venire Bertinum, sed ad suam propriam incaute remeaverat domum. Tunc suus discipulus nomine Dodo beato nuntiavit Bertino dicendo : « Valde venerabilis Pater, admiror quod vester fidelis in Christo amicus Walbertus in proximo nobis hodie iter faciens sine vestræ benedictionis petitione ad suam insolenter perrexit domum. » Tunc sanctus Christi confessor Bertinus prophetico spiritu plenus prædicto ait discipulo : « Antequam, fili, ad suam Walbertus perveniat domum, ad quam nunc properando se credit cito esse venturum, valde pœnitebit, quod hodie sine nostræ benedictionis munere de hoc perrexit loco. » Quod secundum beati viri præscientis verbum effectus probavit rei. Eodem enim die post solis occasum nuntius a Walberto velociter secundum domini sui præceptum equitando ad beatum venit Bertinum, statimque postquam ad sancti viri præsentiam venit, ejus provolutus vestigiis, tremula ad eum ait voce : « Domine, vester benevolus in Christo amicus Walbertus modo in confinio mortis et vitæ positus vos in Dei postulat nomine, ut pro eo secundum solitam vestræ charitatis pietatem mise-

(8) Deest hoc capitulum in antiquo Anonymo.

(9) *Worimholt* dicitur in Vita S. Winnoci infra ad ann. 717.

(10) Verbatim ex antiquo Anonymo.

(11) Confessarium vocant : quo de munere seu officio lege præfationem huic sæculo præfixam.

Digitized by Google

ricordem deprecemini Dominum, ut per vestras in conspectu æterni Regis gloriosas preces de mortifero periculo quod sibi nuper accidit, solamen recipiat. Postquam enim in hac die sine vestra benedictione ad suam volens properare domum perrexerat, subito in medio viæ spatio de suo in quo velociter equitabat equo dejectus, super petrosam incautus corruit terram, multisque in ejus corpore membris collisis, femoreque ejus, beatissime Pater, penitus confracto, mortem sibi subditam adesse putat, nisi illum, ut credit, per vestras sacras orationes pietas liberet divina. Scit enim quod hoc sibi periculum per suam contigit negligentiam, quia sine vestræ benedictionis tutamine per hostis callidi astutiam, aliqua se necessitate retrahente de hoc hodie loco perrexit. Idcirco, vos in Dei nomine de prædicta negligentia veniam petendo precatur ut potum vestro sacro ore benedictum sacrisque manibus signatum ad eum antequam moriatur transmittere dignemini.» Tunc venerabilis senex casu fidelis amici commotus, suo inconctanter jussit discipulo ex œnophoro (12) quod in sacrario positum fuerat, vinum propinare, ut ad ægrotantem celerrime mitteretur amicum. At juvenis leviter sancto respondit abbati: «Est, ut reor, beatissime Pater, spatium mensis integri, aut eo amplius quo nec in eo de quo dicis vasculo una phiala fuerit vini.» Huic sanctus Christi confessor et fide perfecta et charitate plenus suo dixit discipulo: «Vade, fili, in Dei nomine ad illud de quo dicis vasculum; Dominus enim noster cui omnia possibilia sunt, qui adest in opportunitatibus (*prope est enim Dominus invocantibus eum* [*Psal.* CXLIV, 18]), nostro ægrotanti amico, credo, salutiferum dabit potum.» Tunc juvenis sancti viri præcepta secutus, in prædictum intrando sacrarium, illud vas de quo paulo ante sancto dixit abbati, quod nec una in eo fuisset vini phiala, divina largiente gratia, hac vice plenum optimo invenit vino, cujus mirabilis odor prædictam compleverat domum. Tunc sanctus Christi confessor Bertinus immensas omnipotenti Domino gratias agens, Walberti ait puero: «De hoc vino aliquid tecum portando ad tuum velox recurre dominum.» Tunc ille in eadem nocte immenso repletus gaudio ad suum reversus est dominum, totumque ei quod factum fuerat narrando miraculum, salutiferum sibi potum de prædicto propinaverat vino. Postquam vero de eodem benedicto biberat potu, in eadem hora, divina medente manu sanus effectus est, immensasque omnipotenti Deo salutis suæ auctori gratias referens, cordisque compunctione repletus, magnam hæreditatis suæ partem, villam scilicet Arkas et multa alia sicut antiquitas asserit, prædia B. Bertino tradidit, et usibus fratrum in *Sithiu* Christo famulantium perpetuo delegavit. Sicque paulatim rebus sæcularibus renuntians, omnique studio cœlestibus inhians, jamque monachus fieri desiderans, S. Bertini hortatu et consilio fretus, in Luxovio (13) habitum religionis suscipere irrevocabili spondet devotione.

CAP. VIII. *Traditio de Hunulfricurt* (14).

12. Vir quidam inclytus nomine Amalfridus tradidit domno Bertino monasterium quod ipse construxerat in proprietate sua, nomine *Hunulfricurt*, in pago Cameracensi super fluvio *Scald*, ubi et filia ipsius illustris viri, Auriana nomine, abbatissa sanctimonialium rectrix esse videtur eo tenore ut hoc ipse dum adviveret, per precariam haberet, et post suum obitum ac filiæ ejus Aurianæ, supradictus abbas Bertinus seu successores sui hoc habeant, teneant ac possideant: et quemcunque præpositum ibi præponere voluerint, licentiam habeant, sicut etiam exemplar illius traditionis apud nos hactenus conservatum testatur, actum anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo septimo (15), indictione sexta.

CAP. IX. *Quod plurima signa, licet nos lateant, per eum fecit Dominus* (16).

13. Præterea per sanctum virum mira divinitas egit, quamvis partim ipse celandi studio, partim tunc præsentium negligentia occulaverit. Sed omnibus miraculis labor in Dei servitio indeficiens est præferendus, et cura pervigil animarum sibi commissarum. Omni itaque tempore vitæ suæ in præparatione loci sibi a Deo traditi sudavit, cujus labori adeo divina gratia adfuit, ut suo tempore priscis monasteriis regia affluentia constructis, et numero pignerum sanctorum, et rerum abundantia coæquaretur. Sanctus igitur Christi confessor Bertinus, postquam Adroaldus in *Sithiu* locum tradiderat, quinquagesimum septimum annum regiminis sui agens, virum venerabilem suum monachum Rigobertum nomine, successorem sibi ordinavit; ipse vero privatim agens reliquum vitæ suæ, in divina se contulit contemplatione. Ædificaverat etiam oratorium quoddam, adhuc vivente suo prædilecto Audomaro Dei antistite, quod ab orientali plaga templi S. Petri constructum dedicari fecit ab eodem pontifice in veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ, quo potissimum pernoctans in precibus dies non minus indefessus Christi miles supplebat jeju-

(12) *Id est*, vase vinaceo.

(13) Hinc inferunt nonnulli Walbertum hunc non alium esse quam S. Walbertum abbatem Luxoviensem: quod rejecimus in hujus Elogio Sæculo II ad ann. 664.

(14) Deest in antiquo Anonymo.

(15) Rectius Iperius: *Actum Viromandis, quando fecit Februarius dies* 8, *undecimo regni domini nostri Theodorici gloriosissimi regis*, id est anno Christi 684. Addit Iperius cap. 1, parte XIV: *Quod Amalfridus regali privilegio confirmari fecit, quod sic incipit: Quoties recta postulatio*, etc. *Datum Kalend. April. anno* XIV *regni nostri, Barisiaco palatio. Deinde Amalfrido Aurianaque defunctis, moniales ibi succedere, S. Bertini successores inhibuerunt, et monachos ibi statuerunt. Quomodo vero sit alienata, et ab hac obedientia nostra recesserit, scripta nostra non continent.* Lege Vitam S. Austrebertæ ad ann. 704.

(16) De verbo ex antiquo Anonymo.

Digitized by Google

niis. Venerabilis igitur abbas Rigobertus vices excubiarum ejus in gregem Domini industria exsequens, ejusdem Patris jussu monasterium (17) in honore B. Martini paucis temporibus magno opere ædificavit. Erat enim summæ devotionis in hunc confessorem Domini, ejusque memoriæ plurimum inserviens et dilectioni.

CAP. X. *Qualiter vir Dei tentatus fuit a diabolo in specie mulieris, et per S. Martinum visitatus.*

14. Fertur siquidem a senioribus nostris, eumdem virum Dei quodam Sabbato sanguine minutum, a maligno spiritu sub specie puellæ regiæ personæ tentatum, nec primum dolos tantarum percepisse insidiarum. Sed cum jam, fratribus eum ad mandatum Domini (18), quod apud monachos singulis Sabbatis ex more celebratur, operientibus, vellet abire, illaque eum retinere tentaret, loquens quasi de monasterii necessaria utilitate, magis autem anhelans ut si posset captivum duceret servum Domini sua turpi commistione; prædictus Dei pontifex S. Martinus ei apparuit, fratrem et amicum dulci compellans affatu, insidiantis in pellice inimici cavillationes dolosque retexit, quod mox idem tiro Domini a se crucis signo abegit; surgensque fratres se ad mandatum Domini postulantes, Deum laudans super ejus tanta pietate petivit. Tanta nimirum de ejus sanctitate lætitia erat cœlicolis, ut non modo eos intercessores apud Deum mereretur in superis, sed etiam ut salutis ejus obsequio inservire præsentialiter parerent in terris, ne videlicet tantum remunerationis et gloriæ suæ cohæredem amitterent in cœlis. Considerans ergo pius Pater omnino monachis non expedire sexu femineo quovis modo communicari, penitus exclusit sub anathemate (19) ingressum feminarum de aditis ejusdem cœnobii. Quod nostro tempore a quadam religiosa servatum muliere, ut scilicet ulterius nollet ire quam ipsum virum Dei didicerat constituisse; ea quoque mortua corpus servavit exanime. Nam eam in feretro positam ferentes, cum in ipso ejus antiquæ adventionis pervenisset limite, tanto confestim divinitus figitur pondere, ut ultra ferri non posset, coacta etiam ad ferendum præsentium multitudine. Sicque anus præceptum quod ad reverentiam sancti excoluit dum vixit, defunctum corpus ad votum viventis animæ transgredi non potuit.

CAP. XI. *Quod Erlefrido post Rigobertum cœnobium suum commisit* (20).

15. Post paucorum annorum sudorem Rigobertus impetrata pii præceptoris sui indulgentia, et ipse se in otium spirituale contulit, perfectumque se tanti Patris discipulum doctrina ejus et exemplis instructum hac sui mutatione ostendit. Qui egregius Pater Erlefridum suum a puero nutritum abbatem successorem ordinavit, qui alteri non inferior, a paterna institutione non degeneravit.

CAP. XII. *De transitu B. Bertini.*

16. Condigna sancti viri laboribus Christus rependere præmia volens, vocatum ad se transire fecit plenum dierum perfectorumque meritorum. Quem præfatus abbas Erlefridus omnisque cœtus monachorum cum honore maximo, ut tantum decebat Patrem, conditum sepelierunt in cœnobio proprio, quod constructum erat in honore sancti præsulis Christi Martini. Translit autem idem Dei athleta nona Septembris, anno incarnati Verbi sexcentesimo (21) nonagesimo octavo, ætatis vero centesimo duodecimo, Childeberti vero Francorum regis quintodecimo, anno ex quo eumdem locum construere cœpit quinquagesimo nono. Eodem autem tempore venerabilis rex Childebertus cum regnasset annis sexdecim, migravit ad Dominum, regnavitque Dagobertus puer filius ejus post eum annis quinque. Sub cujus tempore prædictus abbas Erlefridus basilicam S. Martini supra S. P. Bertini cumulum ampliori opere reædificare cœpit, constructa venerationis ara ad caput tumuli, ubi plurima per beati viri merita Dominus peregit miracula, e quorum numerositate, Domino favente, paucissima promemus.

LIBER PRIMUS MIRACULORUM.

Ab eodem auctore compositus.

CAP. I. *De piscatore sanato* (22).

Tres viri in piscationis arte periti nocte Dominica in Rhodano flumine juxta beati Mauricii martyris monasterium (servi enim erant illius loci) navim ascendentes, retia ad capiendos extenderunt pisces: dein insolita eorum retia in eadem nocte intravit multitudo, ita etiam ut nec illis per prolixa annorum spatia, quibus in prædicto flumine retia extendere solebant, tales magnitudine apparuerunt pisces, nec tantam ante piscium multitudinem una

(17) Id est ecclesiam S. Martini quæ nunc parochialis est. *Sic S. Petri monasterium*, id est basilica, infra num. 14: quæ basilica amplius non exstat.

(18) Ex præcepto regulæ S. Benedicti cap. 35 id officii ministri mensæ aliis præstabant.

(19) Istius interdicti usus perseverabat adhuc sub finem sæculi tertii decimi, ut patet ex Iperio, cap. 52, parte IV. Confer. lib. II Mirac., cap. 12.

(20) Ex antiquo Anonymo.

(21) Annus quintus decimus Childeberti regis convenit cum anno Christi 709, cum jam elapsi essent anni novem supra quinquaginta ab origine monasterii Sithivensis. Quanquam Folquinus Bertino annos regiminis duntaxat 54 tribuit in Chron., lib. I, cap. 21, an librarii errore.

(22) Ex antiquo Anonymo.

Digitized by Google

cœperint nocte. Hinc læti navigantes ad portum, quem soliti erant post piscationem intrare, nequiverunt se de prædicta movere navicula. Duo enim ex ipsis pedum et manuum officio privati toto fuerunt corpore contriti. Tertius autem officio pedum privatus surdus effectus est; super eos enim propter noctis Dominicæ Resurrectionis transgressionem ultio supervenit divina. Hinc ille qui auditum et ambulandi amisit usum, duobus nitendo fustibus, atque aliorum comitantium suffragio fultus, loca sancta orationis causa circuire decrevit, ut amissam corporis sanitatem per gloriosa sanctorum merita recipere mereretur. Post intervallum igitur temporum, multis ab eo peragratis locis, ad prædicti confessoris Christi Bertini in *Sithiu* monasterio positum venerabile venit sepulcrum. Et cum fratres in prædicto loco commorantes nocte Dominicæ Resurrectionis in eadem ecclesia, in qua corpus beati pausat Bertini, nocturnas cantarent vigilias, prædictus vir immensa ægritudine correptus a suis sociis in ecclesiam deductus est. Et cum longo spatio cum lacrymis orando suam sanitatem per merita sancti Patris Bertini a Domino postulasset, quando lectio Evangelii more solito recitata fuit, vidit circa se lucere multa luminaria, paulatimque a se sentiens infirmitatem recedere, auditu recepto pedumque recuperato officio, subito divina largiente gratia in prædictorum præsentia fratrum sanus effectus est. Et post synaxim omnipotenti Domino et B. Bertino gratias agens, suis gradiendo pedibus lætus et sanus propriam repedavit ad domum.

CAP. II. *De quodam sacrilego* (23).

Quidam homo ex parte nobis incognitus, sed sicut postea probavit eventus, maligno spiritu repletus, cum cujusdam religionis se esse simulasset, per tres continuos dies quasi orandi gratia ecclesiam prædicti Patris nostri Bertini ingressus, multoties se humo prostravit quasi compuncto corde funderet preces; sed quoties exiit, seras valvarum diligenter consideravit, aliud tamen in præsentia custodum fingens. Nam aliquando se incurvavit, quasi ibi dissolutas religaret corrigias: aliquando vero casum simulans manicarum, in eodem exitu curvatus collegit. Expertus tamen totum quod voluit, notavit horam qua fratres post sextam causa refectionis ad panem percipiendum peterent refectorium. Sicque aggressus cultro arrepto pressit lignum per juncturas valvarum, quo ambæ in transversum stringebantur, cum aliunde ferreo pessulo firmatum non esset, ita ut capite vectis ejusdem sursum elevato aditum præberet intrandi. Tunc miser ille, sed non miserabilis, malitiæ suæ pandebat effectum. Nam ingressus furatus est vasa argentea, quæ sub coronis ac lampadibus coram retroque pendebant altare. At dum egressus cœpisset quærere aditum portæ, mirum in modum vidit, sicut postea narravit, quamplurimos sibi terribiles assistere inimicos. Nam tentatus a diabolo, permissus quidem est avidus rapere prædam, sed penitus auferre non est permissus. Unde contigit ut, dum portis patentibus minime pateret sibi regressus, revertens per medium monasterium iter arriperet, insulamque peteret quæ intra paludem ejusdem monasterii sita est, ut ibi apud quemdam sibi cognitum reponeret quod furtim a sacris abstulerat. Interea custodes ecclesiæ una cum fratribus refectorium exeuntes, dum prospiciunt sacrorum damna vasorum, mox coadunatorum concursus factus est monachorum, et in tantum sunt mente consternati, ut quid dicerent vel quid agerent, quo se verterent, non reperissent; sed suis hoc exigentibus peccatis evenisse concorditer clamabant. Miserebitur autem Dominus meritis S. Bertini confessoris sui, non diu est passus jugiter sibi servientium animos periclitari. Fur enim infelix jam memoratus dum hinc cuneos inimicorum, inde aquarum ac paludis impedimenta cerneret (nam, ut nescientibus loquar, locus ille talis est ut per mille passus et multo amplius nisi navigio non habeat ingressum, excepta una porta ab Occidente, per quam pedites et equites plaustraque ducentes liberum solent habere ingressum); consitos quasi per præcipitia parietum atque tectorum cœpit dare saltus. Quod cum vidissent ibidem degentes, sublata prorsus ambagine totius dubitationis, hunc esse reum, hunc clamitant sacri furem exstitisse thesauri; et ideo taliter a dæmonio agitari. Cum autem detinuissent eum, quolibet ingenio interrogatus est, quid sibi evenisset vel quare dementasset: et statim exposuit totius rei veritatem. Quid plura? prævaluit contra eum arbitrium ejus, unde missus est in Nervium (24), in loco famoso, castello videlicet Menapiorum. Condoluit autem super eo unanimitas jam dictæ congregationis, miseruntque ad comitem ejusdem loci, et redditum est ei liberum exire. Sed quia in aliis quampluribus tentus erat flagitiis, ut postea compertum est, ideo forte permodicum habuit pœnitentiæ tempus: septimanam enim tantummodo supervixit. O quam breve est præsentis vitæ tempus ad comparationem æternitatis! Hortamur ergo omnes qui hæc audierunt, omittere mala, sectarique bona.

CAP. III. *De quodam fugitivo, nomine Benjamin* (25).

Multis igitur sæcularium hominum turbis ad sæpe dictum monasterium ob amorem Dei confluentibus, et monasticæ religionis desiderio ardentibus, inter cæteros Benjamin nuncupatus, generis secundum sæculum nobilitate pollens, plurimum ex hæreditate propria monasterio conferens, aditum petiit conver-

(23) Ex antiquo Anonymo.

(24) Turnacum *Tournay*, ad Scaldim fluvium in confinio Hannoniæ et Aptesiæ, quam *urbem Menapiorum* vocat Philippus Bonæ Spei abbas in Vita S. Amandi episcopi. Et Julius Cæsar, De bello Gallico, lib. II, cap. 4, lib. III et lib. IV, cap. 38 Menapios Morinis adjungit. Hinc corrigenda Ferrarii sententia de Menapiis.

(25) Ex antiquo Anonymo.

Digitized by Google

sionis, laudabilique, ut facie tenus videbatur, simplicitate totum se contulit monasterio. Susceptus itaque hic atque inter fratres collocatus est cæteros. Sed non post multum temporis sagitta percussus diabolica, cœpit sua mala opera defendere, ac nimio instinctu inimici illudi, mortiferisque persuasionibus consensum præbere. Cumque a fratribus spiritalibus sæpissime corriperetur, non modo non emendatus est, verum exosos eos habuit, quos ob suam perversitatem plurimum contristari conspexit. Diu itaque in hac perversitate toleratus, tandem de monasterio est egressus. Igitur monasterium relinquens cœpit lustrare domos propinquorum, et quærere qui illi secum habitandi assensum præberet, nequam scilicet ejus operibus consentiendo. At cum nullum reperiret, omnesque eum propter remissionem propositi sui exosum haberent; cœpit demum frequentare furta, cœnosisque nimium inquinari stupris, et alia nefanda exercere facinora. Cum talia ergo solibus insequeretur quotidianis, omnipotentis clementia Domini quæ ingratos quosque per flagella vocat ad regnum, fecit eum ex nimio capitis dolore lumen amittere corporale. Vix autem post tam diram carnis afflictionem, obtinuit a propinquis suis ut, quocunque illis videretur modo, solatium ei propinquitatis aliquod impenderent. Susceptus ergo est ab illis, sed jugiter verborum contumeliis verberatus. Propter salutem enim suam misericors Dominus lumen ei abstulit oculorum, et solatia non sivit adesse propinquorum. Quadam igitur die cum valde contumelia frequenti mœstus foret, divino compulsus instinctu, ducatum sibi ad monasterium B. Bertini præberi rogavit. Quod cum factum fuisset, coram ecclesiæ januis prostratus quotidie Dominum de præteritis negligentiis placare studuit insistens jejuniis et orationibus lacrymisque assiduis, psalmodiansque dicebat: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis* (*Psal.* XXII, 7): *tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea*, exaltabis *caput meum* (*Psal.* III, 4). At Pater monasterii ejus videns humilitatem, a Domino cor ejus intellexit visitatum, et ad portam eum collocavit præbendo victum quotidianum. Ille autem, sicut jam dictum est, in pœnitentia perseverans, animum ut arcum habuit extentum, quatenus sæpissime humum lacrymis rigans mereretur audire: *Dimissum est peccatum tuum.* Quadam ergo die cum synaxis horæ tertiæ a fratribus cantaretur, memoratus frater juxta altare quod in media ecclesia situm est, ubi venerantur reliquiæ Dominicæ nativitatis, stetit, casuque subitaneo in terram proruit. Quem fratres citissime accurrentes a terra levaverunt, eumque aciem oculorum clarissimo protendentem videntes protinus rogitavere qualiter sibi a Domino foret salus data visionis. Dicebat autem eis quod, cum pura mentis intentione Dominum exoraret, duas faculas ex sepulcro S. Bertini vidit jactatas oculis suis clarissimum lumen infundentes, sicque lumen oculorum fore reparatum. Tunc omnibus claruit quod per merita B. Bertini pristinæ redditus sit sanitati: statimque sine mora eum in priorem revocavere locum, propensius majorem honorem quam in primis initiis vitæ monasticæ venerationem adhibentes. Ille vero nec in priore dejectione delapsus, nec præsentis honoris cumulo in se elevatus, rectissimæ pede fidei per semitam bonæ operationis ex hinc agebat itinera Christi, ac ei frequenter concinebat: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec dilatasti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Domine, eduxisti ab inferno animam meam* (*Psal.* XXXIX, 2). Sicque paulatim crescendo pervenit ad charitatem, quæ perfecta foras mittit timorem (*I Joan.* IV, 18). Igitur post hoc in sancta conversatione plures duxit annos, positus gratuita misericordia Domini Christi, qui est benedictus in sæcula.

CAP. IV. *De quodam pœnitente a vinculis ferreis soluto* (26).

Quidam vir civis Aurelianensis, Adam nomine, de vico Pruniaco (*Prunay*), ob fratricidium (27) jussu episcopi urbis Aurelianensis ferreis nexibus ventrem brachiaque constrictus, cum per plures annos sanctorum loca visitando, tantæ incommoditatis molem sustineret, tandem a B. Petro apostolo cujus limina Romæ frequentabat, duorum nexuum solutionem adeptus, per visionem, ut ipse testabatur, admonitus est ut cœnobium Christi militum Audomari atque Bertini per longa terrarum spatia exquirendo, eorum se patrociniis devote committeret. Qui monitis ejus parens, per diutinos anfractus locum designatum adiit, et nocte octavæ apostolorum secundo Nonas Julii, in basilica S. Petri fratribus nocturnas laudes celebrantibus, primamque lectionem lectore pronuntiante, horrore non modico circumfusus protinus cecidit, statimque ferreus nexus confractus, longiusque e brachio propulsus est. Quem voeibus lacrymabilibus Deo et sancto Bertino gratias referentem fratres a terra levaverunt, simul etiam ipsi auctori Deo et patrono suo Bertino debitas grates laudesque referentes.

(26) Ex antiquo Anonymo.

(27) Sic passim homicidia luebant illius temporis homines; alii vero dato pretio, quod *Wergildum* appellabant; alii verberibus et membrorum mutilatione. Qui ad ecclesiam confugiebant, aut deprecatores mittebant, levius puniebantur, aut ferreis nexibus, aut pecuniæ multa. Eginhardus in epist. 48 ad Marchradum vicedominum deprecatur, ut Williranno et Otberto, qui ad limina SS. Marcellini et Petri fugerant, *liceat solvere Weregeldum pro fratre suo*, qui quemdam socium suum occiderat, *et ut ei membra perdonentur*. Et epist. 25 pro alio qui eodem se receperat homicidio perpetrato, *ut indulta membrorum integritate verberumque pœna, liceat illi solutione pecuniæ componere atque emendare quod mala voluntate commisit*. Ex quibus patet non fortuita solum, sed voluntaria homicidia; non pœna capitis, sed levioribus pœnis expiari tum solita, et pœnas diminui ob confugium in loca sancta. Lege Miracula S. Bertæ infra ad ann. 725.

Digitized by Google

CAP. V. *De quadam puella contracta* (28).

Puella quædam de familia ipsius sancti, de territorio nuncupato *Mellingasele*, a primævo tempore officio ambulandi penitus privata, ita ut vix manibus rependo spatia necessaria sibi manibus permearet, octavo Kalendas Julii concurrentibus nostris provincialibus more regionis ad festivitatem Joannis Baptistæ, ipsa quoque adminiculo necessariorum fulta interfuit. Et cum signum vespertinæ synaxis jam tertium sonaret, ipsa procul ab Ecclesia quousque feminarum accessus licitus est, sese in terram dedit, et omnipotentem Dominum per beati viri patrocinium propitiari sibi deprecabatur. Statimque horrore concusso, omnibus cœpit membris distendi, protinusque erepta pedum recepit officia, Creatori suo gratias agens, qui cum meritis sancti patroni sui Bertini diu optatæ reddidit sanitati (29).

CAP. VI. *Quod Fridogisus, expulsis monachis, canonicos instituit.*

Multa quidem et alia signa fecit Jesus per merita confessoris sui Bertini, quæ non sunt scripta in libro hoc. Quare autem prætermissa sunt vel neglecta, ignoramus, nisi forte propter incuriam scriptorum, vel propter maximas persecutiones et inconvenientia quæ tunc temporis sancta mater Ecclesia, et maxime in isto loco passa est. E quibus omnibus unum solum incommodum seu infortunium ad posterorum memoriam hic duximus inserendum. Glorioso igitur imperatore Ludovico Caroli Magni atque imperatoris filio regnante, cum eatenus hoc antiquum et tunc regale cœnobium ex tempore beatissimi Bertini ejusdem fundatoris præcipui sacra monastici ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundum instituta canonum fratrum adeptione ipsius regimen commendaretur, contigit ut quidam Fridogisus (30) genere Anglus et abbas S. Martini Turonis anno Verbi incarnati octingentesimo vigesimo, et præfati regis Ludovici septimo, abbatiam Sithiensis cœnobii regia donatione susciperet gubernandam. Qui in initio tyrannidis suæ cum cerneret abbatiam universam tot monachorum usibus delegatam, utputa centum et triginta monachorum inter utraque monasteria S. Bertini scilicet sanctique Audomari degentium, nihilque suarum voluptatum usibus sequestratum; avaritiæ jaculo cæcatus, monachorum impudenter tentat vitam destruere, ut res eorum usibus a fidelibus traditas suæ lasciviæ potuisset facilius mancipare. Quod diabolica suggestione mente conceptum, nefanda est ab illo perpetratione peractum. Nam in capitaneo apostolorum seu S. Bertini loco, ubi octoginta et tres monachi deserviebant Domino, sexaginta pro humana potius laude quam pro Dei amore retinuit; reliquos districtioris vitæ viros, quos suæ perversitati putavit non consentire, A de monasterio expellens abire permisit. In S. Audomari (31) quoque monasterio, ubi regulariter viventes aderant quadraginta monachi, triginta canonicos ibidem ad serviendum deputavit in ministerio Christi. At posthæc totius abbatiæ circuiens villas, et quia duplex exstabat monachorum numerus, duplam eis portionem villarum est largitus; canonicis autem quia pauciores erant numero simpla contra monachos est data portio : ipse ea quæ sibi maxime placuerant, ad suæ perversitatis usum reservavit. Et quia canonicus erat, cum canonicis in S. Audomari monasterio sæculariter vivebat. Quid plus hujus abbatis referam versutiæ, cum veraci possem faniine dicere hunc primum loci hujus casum exstitisse? hic etiam secundum veridicam Veritatis vocem cum alii laborassent, in labores eorum introivit; B nec solum introivit, sed etiam quæ laboraverant, temeraria præsumptione destruxit. Hic etiam fraternæ charitatis utriusque monasterii destructor exstitit, dum et monachi sibi justum et ab antiquis Patribus traditum reverentiæ honorem vindicant, canonicorumque subjectionem sibi veraciter defendunt; et canonici ab ipso abbate canonico fallaci assertione principatum ad se monasteriorum pertinere dicunt. Pro his omnibus et reliquis tyrannidis suæ actibus hactenus blasphematur ab omnibus, nec dubium quod blasphemabitur et a succedentibus.

CAP. VII. *De subjectione canonicorum S. Audomari huic ecclesiæ.*

Mortuo vero dicto Fridogiso quarto decimo regiminis seu potius tyrannidis suæ anno, successit in C regimen cœnobii Hugo venerabilis filius Caroli regis magni et frater Ludovici Cæsaris. Qui Hugo anno incarnati Verbi octingentesimo quadragesimo quarto condolens infelicissimæ et miserrimæ divisioni et discissioni venerabilis Sithiensis cœnobii ab infando Fridogiso factæ, a domno Folovino tunc Morinorum venerabili antistite unitatem cœnobiorum pristino more reformari impetravit : quod et privilegio firmari fecit. Hujus autem privilegii hoc est exemplar:

Exemplar chartæ S. Folquini de eodem.

Ego Folquinus Dei gratia Morinorum episcopus, omnibus fidelibus tam futuris quam præsentibus. *Reliqua vide in Chartulario Folquini, Patrologiæ* D *tom.* CXXXVI, *col.* 1223.

CAP. VIII. *De translatione sive relatione S. Audomari.*

Sub hac tempestate invenimus ita adnotatum in decemnovennalibus annorum Dominicæ Nativitatis, quod est octingentesimo quadragesimo tertio, indictione sexta, quod postquam Hugo abbas jam memoratus, excepta causa quam refero, vir per cuncta laudabilis, locum hunc sua constitutione laudabiliter stabilivit, qua et canonicos S. Audomari monachis

(28) Ex antiquo Anonymo.

(29) Hic desinit antiq. Anonymus.

(30) Hic est Fridogisus qui in catalogo fratrum conscriptorum monasterii S. Galli apud Goldastum memoratur cum aliis monachis de *monasterio S. Martini Turonis*. Ergone tum ibidem erant monachi cum canonicis? Hic primus abbas sæcularis Sithivensium, *canonicus sæcularis*, inquit Joannes Iperius cap. 11.

(31) Primum S. Mariæ, quo de monasterio seu ecclesia lege Vitæ cap. 6.

Digitized by Google

S. Bertini etiam per descriptionem capitularem juste subjugavit, monachumque ab inferiori monasterio ad S. Audomari custodiam (ut supra dictum est) deputavit; diabolica sagitta jacultatus (*sic*,) cœpit excogitare qualiter S. Audomari corpus, cujus ope et auxilio una cum sodali suo Bertino Tarvennicus gubernatur populus, Vermandis ad S. Quintini monasterium, quoniam hoc ipsum gubernabat, posset deferre quantocius. Metuens tamen animositatem plebis, congregata Vermandensium multitudine, tentat vi abstrahere, si forsan impediretur a plebe. Accessit interim, et monacho quodam Moro nomine exstante custode, sacrum sancti præsulis ac patroni nostri corpus sumens, villam usque *Liesgensburtz* (Iperio, *Lisbourg*) nomine cum sua deportavit multitudine. Dei autem providentia operante, triduo in præfata villa manserunt cum sacrato corpore. Quod cum sancto præsuli Folquino nuntiatum esset, cum maxima multitudine populi per totum triduum congregati insequitur prædictum abbatem cum suis usque ad villam superius nominatam cum omni festinatione. At illi gestientes corpus sanctum sustollere fugamque inire, nulla hoc multitudine prorsus valebant a terra levare. Tunc absque retardatione ullius commodi accelerant fugam relicto corpore sancti; beatus autem Folquinus dans illis locum fugiendi, accipiens thesaurum (32) illud omni auro pretiosissimum, repetito calle cum tota plebium multitudine reportavit; et præcavens in futurum ne parili modo aut alio quovis ingenio corpus auferretur sanctum, illud in insu'a *Sithiu* juxta corpus B. Bertini sub terra recondidit.

Cap. IX. *Qualiter corpus Patris nostri Bertini a S. Folquino primo translatum est.*

Legitur in hujus loci archivis publicis quod sanctus Folquinus nostræ sedis episcopus (cujus etiam corpus magnis celebre virtutibus in hac quiescit ecclesia (33) grassante igne et ferro Danorum barbarie per loca maritima, paulo ante hanc vastationis diem corpus S. Bertini certa die sub terra recondiderit. Quod quando quibusve ex causis fecerit, vel quandiu sub terra tam sacra membra latuerint, ad laudem Dei et honorem hujus sancti perpaucis aperiamus. Glorioso igitur imperatore Ludovico Caroli magni æque imperatoris filio regnante, cum eatenus hoc antiquum et tunc regale cœnobium ex tempore beatissimi Bertini ejusdem fundatoris præcipui sacra monastici ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundum instituta canonum fratrum adoptione ipsius regimen commendaretur, cuidam canonico genere Anglo, Fridogiso nomine, ut jam prædictum est, in beneficium proh dolor! datum, a totius sanctæ religionis candore marcescere, in exteras manus devenire, et minorari a sua cœpit integritate. Denique numerum monachorum ibidem militantium, qui octoginta tres erant, diminuit, villas et fertiliora prædia victui monachorum deputata in dominium sibi usurpavit; monasterium vero S. Audomari quod cum monasterio S. Bertini idem erat, penitus evertit, quoniam quadraginta monachis eliminatis, triginta canonicos loco eorum substituit, tertiamque partem omnium bonorum ad monasterium S. Bertini pertinentium, eorum usibus deputavit. Quid igitur iste aliud quam hujus monasterii flagellum fuit? qui etiam a B. Bertino in numero abbatum merito undecimus exstitit; quia in eo quod ea quæ a decem prædecessoribus suis bene ordinata fuerant evertit decalogi metas excessit. Tantilla vero hæc nostris tetigisse sufficiat, ut quibus peccatis a sanctuario Dei exortis tanta mala consurrexerunt, ac quibus urgentibus causis sancti corpus margarita recondita sit, manifestius pateat.

Cap. X. *De divisione regni Francorum.*

Imperatore præfato decedente a sæculo, filii ejus Lotharius, Ludovicus et Carolus, singuli paternum imperium æmulati mox ab invicem dissentire cœperunt. Tandem pace facta, Francorum regnum sibi diviserunt, tuncque nostræ partes orientales Carolo regi cesserunt. Cujus pacis obtentu nequaquam mala desierunt; sed dum singuli per singula regna principari, seque secundum paternam magnificentiam protelare cupiunt, sese suaque confundentes dejiciunt.

Cap. XI. *Qualiter S. Folquinus corpus S. Bertini sub terra recondidit.*

Regnante eodem Carolo, tertio regiminis Adalardi (34) abbatis anno, præfatus præsul emeritos sancti Bertini artus anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo sexto, secretiori quam prius fuerat loco mire compositum locavit. Cujus etiam sanctam translationem distinctis temporum diebus a cuncto populo diœcesis suæ magnificentius celebrandam sancivit, ut quidquid in ejus sancta depositione, mense Septembri concurrente, urgente messis necessitate, minus digne celebrarent, hac sancta translationis solemnitate liberius exsolvere possent. Tanto igitur thesauro abditis locis assignato, non multo post temporis intervallo

(32) Sic *thesaurum* neutro genere non raro usurpant auctores mediæ ætatis. Alcuinus epist. 49 et epigr. 115, *thesaura* adhibet.

(33) Obiit Folquinus *anno Domini* 855, *regis Caroli* XV, *Adelardi abbatis* XIV, *episcopii vero sui* XL, *ad dexteram B. Bertini tumulatur. Conservamus cappam ejus unam processionalem, mitram, chirothecas atque sandalia, stolas quoque tres.* Hæc Iperius cap. 13, qui ex rerum istarum contactu mulieres partus periculo quotidie liberari affirmat. Elevatio corporis ejus anno 928, Idib. Novembr. facta dicitur cap. 22, parte II.

(34) Hic Adalardus *filius Henrici comitis de militia Caroli Magni, juvenis a patre suo, Deo, S. Petro sanctoque Bertino oblatus est in monasterio Sithiu: sed postea sub Fridogiso canonicus apud ecclesiam S. Audomari est effectus; deinde major annis post obitum Hugonis suscepit hunc abbatiam anno Domini* 844, ex Iperio cap. 13, jussu Caroli regis abjectus anno 859, subrogato Hugone juniore, Conradi filio, ipsius Caroli avunculo : ac post biennium restitutus, e vivis excessit anno 864, cui successit S. Humfridus Morinorum episcopus ex monacho Prumiensi

Digitized by Google

omnes istius patriæ nationes, hinc surgentis gravissimæ famis angustia consternati, illinc subitam Nortmannicæ incursionis rabiem suspecti, omnis pene nobilitas istius terræ, præter paucos, quos opum ac fundorum copia et castellorum vel munitionum fiducia detinuerat, post dominos suos vel quocunque tutius eis videbatur discedebant. Præterea residuos in manu famis, utcunque exutos periculo, demum rabida Danorum crudeliter laniatura invasit insectatio : qui postquam rabiem suæ tyrannidis exacturi huc hostiliter irruperunt, nullum hic fratrum, præter quatuor palmam (*de his* lib. II, cap. 1) martyrii præstolantes, invenerunt. Quid igitur si tunc præfati sancti corpus eminentioribus vel certis locatum locis debite veneraretur, exportandumne putatis in valida manu Domini eriperetur? An non tunc multo necessarium erat, quod jam dictus sacerdos Dei tantorum malorum præsagiis in conservandis sanctis pignoribus paulo ante effecerat? Necdum locum hunc aliqua castelli vel valli defendebat munitio : et ideo, magis autem peccatorum mole urgente, huc perfacilis inimicorum irrupit incursio. Nec modo semel, verum bis terque Sithienses fines profligare non cessarunt, donec prædicti sancti meritis multipliciter aucti in vaginam suam compulsi sunt regredi. Tantis divinæ ultionis cladibus hanc terram ferme centum annis occupantibus, denuo quasi quodam diluvio diluitur his decocta tribulationibus. Tantorum ergo malorum sacerdos Dei Folquinus sancti Spiritus illustratione præmonitus, dum advixit, venerabile S. Bertini corpus ignoto loco et ubi minus putaretur, occuluit, id nullis præter paucos cognoscentibus : ac ne palam quoquo modo detegeretur, gravibus eosdem interminationibus ac sacramentis constrinxit, solemnemque diem hunc nobis esse sancivit, qui est septimo decimo Kalendas Augusti : ubi usque ad hæc nostra novissima tempora, scilicet ducentis quinquaginta annis (35), altor et pastor noster latuit.

A

B

C

Cap. XII. *Miraculum in translatione S. Bertini factum.*

Dies festus translationis corporis beati Patris Bertini, quæ celebratur septimo decimo Kalendas Augusti, instabat, et presbyter futurum celebrandumque digno more ac solita consuetudinis reverentia indicebat. Eumdem itaque festum translationis diem quædam mulier postponens neglexit, opusque servile usque ad mediam diem peragere studuit : post vestes, sibi munditiæ parandas abluere festinavit; sed aliud quam rata erat, eadem hora sibi contigit. Nam subito primum rubræ effectæ sunt, tum infectæ cruore sanguinem distillare cœperunt. Instat illa lotum vestes superare accrescentem nitens sanguinem; sed quo magis abluebat, eo magis ipse sanguis incremento abundabat. Nam in primis guttatim stillavit, postea, uti per stillicidium aqua distillare solet, fluxit. Quid ageret? stabat stupefacta, superque tanto miraculo attonita. Protinus fama signi volat, concurrunt vicini, præsentes mirantur, et quidam ex illis verum protulit inquiens : Festum diem hunc solvisti, operata es cum minime tibi licuisset operari. Acceleratur ad ecclesiam, venia petitur, pœnitentia indicitur, cruor fluere desinit.

Cap. XIII. *De quadam muliere festum translationis non colente.*

Altera autem mulier eodem die, vanno annonam purgavit, purgatam molere volens. Verum antequam id operis aggrederetur, a nonnullis quod minime observaret festum diem reprehendebatur. Quorum verbis irritata fertur respondisse : Quot sunt, quotque numerantur anni soles, tot nostri presbyteri codex inscriptas habet festivitates. Dixit, et omnino molere voluit. In primo molæ rotatu lignum palmæ digitisque adhæsit, tum brachium quoque totum diriguit. Mox etiam mola immobilis stetit, adhærens manui lignum ad sese traxit; conata est avellere, sed non potuit. Tandem rubore confessa verecundiam, dextram ligno adhærentem ostendit, noxamque errati confitens ecclesiam adiit. Monitu sacerdotis orationem præsentes fundunt, lignumque cecidit, ipsa læta domum rediit : cui usque omnis festus dies timori fuit.

Cap. XIV. *De sanguine ex spicis manante.*

Alio quoque tempore eodem celebritatis suæ die spicas avulsas sanguine affluenter imbuit, sicque humanis usibus inutiles reddidit.

LIBER SECUNDUS MIRACULORUM,

Ab alio auctore anonymo scriptus circiter initium sæculi X, cap. 10.

PRÆFATIO AUCTORIS.

His itaque a reverendissimis Patribus nostris sui temporis omnium bonorum studiorum non solum appetentissimis, verum etiam status sui loci tam eorumnis solidissimis quam luminibus præclarissimis non minus veraciter quam fideliter de virtutibus beatissimi patroni nostri prælibatis, plurima post-

(35) Eadem annorum summa legitur in relatione Bovonis, a quo auctor ista mutuatus est. Quanquam legendum *ducentis decem annis* : siquidem S. Bertini corpus tectum est anno 846 ex dictis retectum anno 1056, infra.

Digitized by Google

modum, non (quod absit!) inopia dictatorum, vel defectu scriptorum, sed multimoda insurgente adversitate temporum exstant intermissa relatu dignissima. Quorum e numerositate pauca, ac ne forte frivolitatis vel mendæ notemur noxa, solum ea quæ aut ipsi vidimus, aut ab idoneis personis visa cognovimus, non propriæ temeritatis fisi audacia, sed potius illius freti fiducia qui linguas infantium facit disertas, quanquam minus eleganter, subinferre satagimus humiliter. Et licet ingenio tardi, sermone imperiti, hæc qualitercunque aggredimur notificanda, non ventosæ jactantiæ vanitate, sed simplicis animi devotione, ac præsumptibili humilitate, malentes potius, si qui æmuli fieri volunt, patere morsibus degannientium, quam miracula ad laudem et gloriam nominis Dei electi sui meritis nobis præsentibus celebriter perpetrata segniter reticere, et a memoria aboleri succedentium. Unde, quanquam simus inertes, nunc cordi adest proposita inchoare, et inchoata summa cum devotione pro posse edere.

INCIPIUNT MIRACULA.

CAP. I. *De adventu paganorum.*

Temporibus divæ memoriæ Caroli (36) filii Ludovici, prius regis, postea imperatoris, cum sæva tyrannides paganorum emergeret, famosa flumina Sequanæ ac Ligeris advolans, et per totam grassando Neustriam, ferro igneque non tantum circumjacentes terminos, verum etiam Armoricæ magnam partem consumeret, post non multorum tandem annorum rotatus partim ingeniose adacti, præsertimque respectu miserationis divinæ repulsi, abscedentes repatriaverunt, protestantes nullo modo usquam se amplius illius regni fines vastandi læsione repetituros. Quod tamen non multo post amica sibi fraude inficiati, more canino qui quanto plus alliciuntur, tanto magis insequuntur, pecunia avidi, rapina usitati, præda famelici, sanguineque mentiebantur sitibundi. Nam anno Incarnationis Domini Christi octingentesimo sexagesimo immodica iterato coadunata manu, plurima classe iter notum repetentes, ac toto nisu alto mari velificantes, spumantia certatim sulcabant freta, pertinacique cursu applicuerunt in finibus Menapiorum, in sinu qui vocatur (37) Iseræ portus : et ibi prosilientes nulloque a publico pervio divertentes, incendiis quoque ac cædibus illius ergo indulgentes, ut ad famosissimum locum pausationis Christi confessorum Audomari atque Bertini furtim properarent, aviditate thesauros ecclesiarum latenter subripiendi ac spe servos Dei improviso inibi comprehendendi, brevibus noctium meatibus, scilicet Sabbato hebdomadis Pentecostes hora secunda pervenerunt ad locum quo tendebant. Sed provisione jugiter in se confidentium tutantis Dei, nullos ex fratribus ibidem repererunt; verum monitu jubentis Domini obtemperantes, quo dicit : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23), subduxerunt se ad tempus, servantes secundis et melioribus rebus præter quatuor qui devoverunt se (si Deo placuisset) ibi martyrio potius velle vitam finire quam desolationi sui loci supervivere. Quod quia ex parte aliter Deus fieri disposuit, subsequenti eventu patuit. Nomina autem illorum qui se taliter devoverunt, hæc sunt : Worardus [*al.*, Woradus] et Winebaldus sacerdotes, Gerwaldus et Raynardus diaconi. Quorum Worardus, qui ab ipsis pene cunabulis sub norma monasticæ religionis educatus, et veluti tunc jam decrepitus, ita et in Christi tirocinio emeritus miles erat, diris colaphorum tunsionibus ictus nuditateque triduana et algu fere letho tenus profligatus exstitit; Winebaldus autem licet pro afflictione nimia sui corporis macrore attenuatus pro Dei nomine fuisset, acribus verberibus maceratus, atque etiam per nares infusione viscera distentus, semivivus est relictus. Gerwaldus itidem, quanquam senior, quoniam vegetior et fortior aliis videbatur, licet diversis multoque gravioribus vexatus fuisset ludibriorum suorum irrisionibus, servante eum tamen Domino, etsi non pristinæ sanitati, saltem est vitæ concessus : ac sic non sunt fraudati martyrio, quod inhianter toto appetebant voto. Quartus proinde eorum qui et junior ac succulentior (ut prætulimus) Raynardus nomine, variis contritionibus fractus illisque abscedentibus et secum ducere conantibus, cum viribus quibus potuit ne cum eis iret obniteretur, eligens potius in Christi nominis confessione, si id quoquo modo ab inimicis extorqueri quivisset, martyrio ibi animam Deo commendare, et corpus paternis cœmeteriis concinerari, nomenque fraternis dypticis inscribi, quam ludibriorum suorum exsecrabilissimis spurcitiis pollui; diris tamen ut erat nexibus vinctus, miserabiliter protractus est ad villam propriæ humanitatis de matre profusionis, distantem a monasterio tertio milliario ad aquilonalem plagam dictam Miramo. Stipatus itaque multitudine iniquorum ac tam pro plurima vallantium quam densitate noctis, quia in ipso crepusculo per eam transierunt, nesciens ubi esset, dictum est ei a concaptivis notis : Ecce e regione portæ quondam nativitatis tuæ imus. Quod cum advertisset, subito in terram corruit. Cumque aversis telis ab inimicis ducentibus tundendo cogeretur ut surgeret, et ille protestaretur se nullo pacto velle, sed magis inibi pro Christo oppetere, crebris lancearum punctioni-

(36) Id est Caroli Calvi, qui anno 840 successit in paterni regni portionem, anno 875 imperator salutatus. In Chronico Nortmannico edito apud Chesnium tomo II Hist. Franc. dicuntur Nortmanni his Sithivense monasterium diripuisse, nimirum anno 845 et 881.

(37) *Iseræ* portus Iperio cap. 14 modo Neoportus, vulgo *Nieuport*, oppidum ad Iseræ ostia.

Digitized by Google

bus perfossus una cum sanguinis effusione animam efflans Christo libavit.

CAP. II. *Qualiter Dani Danos suspenderunt.*

Nec etiam reor silendum rei eventum, divino judicio meritis B Bertini in ipsa egressionis hora peractum. Donaria enim immodica conjicientes argenti, super altare ecclesiæ requici ejus cumulaverunt, et uni ex jam dictis fratribus ne ab aliquibus raperetur servandam delegaverunt. Illis autem euneatim globatimque exire præpropere certantibus, restiterunt latenter quidam illorum, temere pecuniam involantes. Quod cum primoribus innotuisset jam egressis, subsistentes insonuerunt tubis in interstitio duum monasteriorum, subsistentes et coadunantes se sibi, quoadusque rei sunt requisiti et inventi coramque deducti : eisque convictis et judicio B sacrilegorum condemnatis, suspensi sunt in australi parte juxta introitum portæ monasterii, evidentissime promulgante Domino, judicio etiam infidelium, pœna brevi quali cruciatu plectendi sunt perpetuo sub prætentu Christianitatis, nisi recipiscant sacrilegi. Unde, charissimi, elucubratissima diligentia advertendum nobis est quam clementer Dominus trahentes quasi longum funem irrumpibiliter peccata nostra, improvisa, imo invisa hostium invasione dignanter castigando nos redarguit : parique modo exactissima circumspectione considerandum quod misericorditer et locum tunc servavit, et habitatoribus gratuita pietatis miseratione pepercit. Meritis quoque patronorum loci dignum annumerari, quod C eodem tempore captivati in brevi reversi sunt gaudentes universi et læti.

CAP. III. *Qualiter quidam opifex a summitate ecclesiæ in terram ruens nihil mali sentit.*

Post discriminis præfati liberationem fratres ejusdem cœnobii convenientes, lacrymisque non minus gaudii quam mœroris illiti, post tamen animæquiores facti, cœperunt præcordialiter tractare qualiter Domini offensam placabilem sibi potuissent facere, seseque ei placabiles reddere. In argumentum etiam hujus rei, veluti mansueti filii admonitionem patris pii generali pacto consenserunt, gratiosiores se super hac castigatione, imo emendatiores fieri velle. Solerti quoque priores cura cum senioribus consuluerunt, quibus potissimum D occupationibus quivissent priorum negligentiarum redhibitionem reddere. Sicque communiter tractatum est, ut tecta ecclesiarum vetustate consumpta, cæterarumque officinarum perstillantia non solum resarcirent, verum sine intermissione vel alterius negotii interpositione pleniter renovarent. Quod sicut summa devotione inchoatum, ita nostro opere ocius quam putabatur, Deo effectum subministrante, pulchre strenuissimeque est perfectum. Ecclesia quoque requiei S. Bertini celerrime exstitit miro opere plumbo cooperta. Sed et turrile ipsius licet noviter esset superpositum, quia antiquo more erat factum, deposuerunt, et aliud miræ magnitudinis

(58) Id est summo campanili, vulgo *le clocher*.

A mirabilisque fabricæ studuerunt ædificare, cujus longitudo consistentis in terra æquabat altitudinem culminis ecclesiæ cui superponendum erat. Nec mirum, tristegum enim (ut vulgariter loquamur) trium tripodum ordinibus factum fuerat, excepta summa claxendice (38). Itaque ecclesiæ superposito et erecto, per singulasque compagines juncto, cum tholus pomifer in edito una cum triumphali signo crucis erigeretur ac in gyro ejusdem stipitis superrima rota, ubi hastulæ et tabulatæ præfatæ claxendicis superinniti ac configi debuerant, humerando copularetur, unus artificum nomine Bertus, stans super eodem circo arripuit malleum, et quasi gratulabundus pro appropinquata pene consummatione tam miri operis, ictum veluti jactanter longius colligens incaute jecit. Sed eheu! resiliente rota et quatiente, vacillans pedibusque lubricans, de tanta altitudine præceps terra tenus venit. Sed, mirum dictu mirabilisque miratu! adeo nullam læsionem passus, nisi quod tantæ altitudinis præcipitatione consternatus fuit, quatenus ambiguum fieri fas non sit supportatum esse eum alis subventionum beatissimi Patris cui servivit Bertini. Astipulationique tanti miraculi apponimus quam risibile et plausibile responsum accurrentibus, et aquam sibi quasi pro refocillatione offerentibus, sine doloris anxietate protulit, scilicet quoniam in opere suo semper et labore jucundus erat, pro certo aiebat eos scire, quod sitim restinguere potius gaudebat jugiter vino quam aqua, nec oblato tunc egere lymphæ liquore. Actutum enim quasi tanti opinione infortunii fratres cum cætera familia mistim manipulatimque sicut ad exsequias illius lapsi accurrentes, cum comperissent stare incolumem, duxerunt eum gaudentes in ecclesiam, fletus tristes in lætitiæ lacrymas permutantes, campanas solito prolixo clangore grandisonas increpitantes pariter, simulque solemniter odas Domino auctori et B. Bertino ejusdem miraculi subventori psallendo ferentes. Artifices quoque hac virtute nedum dicamus animati, quin etiam roboratiores et audaciores effecti, inchoatum opus explicuerunt constantes et læti.

CAP. IV. *De quodam cive Viridunensi naturaliter surdo et muto ad sepulcrum S. Bertini sanato.*

Succedente quoque tempore accidit ut quidam et natione et nomine ignotus, nec mirum, quia gemino miserabiliter morbo fuerat constrictus, (auditu etenim a primævæ profusionis hora exstitit vacuus, et loquela privatus) veniret peregrinando ad monasterium præfati Patris. Qui cum ibi multum temporis perageret, utque prætulimus quia fari non potuit, pulsatibus taratarantium tabellarum stipem mendicaret, nulloque se alicubi diverteret, ejusque continuæ constantiæ jugitatem ecclesiarumque frequentiam Christicolæ loci detractantes, conferentesque non sine nutu Dei talem significantiam fieri, cœperunt eum humanius colligere et in xenodochio quotidianæ receptionis pauperum delegato mansio-

Digitized by Google

nem illi designare. Ibi autem pene annum conversatus, post hebdomadæ Dominicæ Resurrectionis completionem, decimo die, id est quarta feria, monachis vespertina debita in ecclesia persolventibus et cantore inchoante antiphonam ad crucem salutandam, ita incipientem : *Ite, nuntiate fratribus meis*, puerooque subsequenter pronuntiante versum : *Dicite in nationibus*, cæteris etiam sueto more ipsum tractim ac submisse persequentibus, in ipsa quasi silentii hora cœpit jam dictus surdus ac mutus blaterando imitari auditas psallentium voces. Fratres itaque ad tam insolitum horrendumque sonum pavefacti, substiterunt annuentes œconomo pauperum ut inquireret causam. Qui cum solito ei annueret, nec proficeret, irascibilis ut erat, cœpit eum verbis increpare. At ille ipsa eadem verba, quia aliud loqui nescivit, blissando respondere tentabat. Tunc fratres protinus intelligentes ei a Domino meritis B. Bertini concessum esse auditum et fatum, hymnicanoris psallentiis cum signorum pulsatibus Deo grates ac sanatori ejus totis referebant viribus. Hujusque virtutis exhilarati tripudio, quia in primis auspiciis floridæ juventutis erat, miserunt eum ad canonicorum scholam, litterarum studiis quantulo posset imbuendum, continuoque ubi diurnalia capitula cum vespertinalibus psalmis didicit, comam sibi capitis deponere poposcit. At non longo post tædere cœpit, professusque est cordi sibi fore Romam petendi, acceptaque licentia, junxit se Saxonibus ultramarinis Romam petentibus. Cumque una cum illis pervenisset ultra Lingonum civitatem, consociaverunt se eis Viridunenses negotiatores eamdem viam tendentes usque ad divaricationem viæ ducentis Hispaniam. Ibique tunc innotuit quod antea fuit ignotum, civem videlicet ipsum esse Viridunensem ; quia ibi agnovit suos, licet difficiliter ab eis posset ipse cognosci propter insperatam reformationem ingenitorum morborum. Iter tamen cœptum strenue peragens, indeque rediens, sine divertendi ad propria desiderio directum locum sanationis suæ revisit, ac Deo et reparatori suo gratias retulit. Nomen etiam in baptismo sibi inditum quod prius nescivit quam a notis didicit, tunc notificavit; Ermenfridus enim vocabatur : sicque suis benefactoribus valedicens, refertus benedictionum copia lætus remeavit ad propria.

A affatus a primatioribus ut secum iret, appellaretur; nedum dicamus, ivit, verum etiam monita salubria adversus audire dissimulavit, pergens ad paucula pecora quæ videbantur esse sui juris procuranda. Cui priusquam pervenisset ad pascuarum loca, accessit angor animi cum timore intolerabili et nimia horripilatione : atque, ut ab ipso post didicimus, videbatur ei quasi totum perfusum se fuisse calore ferventis aquæ : et veluti ignotis loquamur, quia situs ejusdem fundi ubi hoc provenit talis est, ut illic viantium obtutibus clarescat prospectus ecclesiarum Christi confessorum Audomari atque Bertini; miser ille licet ob duritiam sui seu subsequens miraculum minime miserabilis, nisus eo quanquam sero se divertere, quatenus illorum precibus juvaretur, non potuit, sed pene exanimis ante in terram proruit, nequaquam ut passione scotomatica (vertiginosa) ictus, sed pro animæ illius (ut postea claruit) salvatione, imo magis nominis Dei laude ipsiusque dispositione luminum delectabilium visu privatus, ac bimatu vel eo amplius in hujus cæcitatis permansit amaricatu. Qui cum adhuc torpors teperet desidia, quasi funditus de suæ sanitatis reformatione diffidens, hortatu tandem suorum, beatissimi Patris Bertini perrexit visitare limina, afferens quæ obtinere potuit, maxime cerea munera quo si Deo et clementissimo jam dicto Patri placuisset, ejus meritis recipere mereretur amissa captorum orbium lumina, spondens ac confirmans quidquid super eo divinæ pietati placeret, reliquum vitæ suæ spatium ibi peragere velle. Quam ejus intimam cordis devotionem constantissimamque confessionem inspiciens occultorum cognitor Deus, meritis et precibus clementissimi Patris reddidit illum visui et visum sibi, tanta scilicet perspicuitatis claritate, ut, quoniam a pueritia in domo cujusdam nobilissimi ejusdem regionis viri adulto tenus educatus et altus fuit, atque in genæcio ipsius nendi, cusandi (*id est*, consuendi), texendi, omnique artificio muliebris operis edoctus, quidquid in prædicta postmodum ecclesia pallorum ornari habuit et emendari, seu ecclesiasticarum vestium lavari, ipse sollicita intentione procuraret, anhelanter aspirans et suppliciter implorans, quo velut ipse elaborando desudat quæque emendare necessaria et emundare lurida ; sic divinæ miserationis clementia delinquentiarum suarum omnium dignetur ablui inquinamenta, quo mereatur ad Auctoris suæ reformationis feliciter pervenire vocamina.

B

C

D

Cap. V. *De quodam per biennium excæcato, pristino lumini restituto.*

Sicut nonnulli suæ negligentiæ tempore periclitantur, ita divinæ dispensationis saluberrima castigatione (ut in præsenti eventu perspicue claret) multi salvantur. Quidam enim vir coloniæ ejusdem Ecclesiæ, de oppido ei appendente occupato Gimiaco, Letfridus nomine, in Christianitatis devotione (ut rei congruentia post declaravit) cæteris communicipalibus suis minus curiosus exstitit. Idcoque et accidit ut, dum quadam die Dominica cives illius more solito ad ecclesiam non minus intima mentis devotione anhelarent, quam gressibus pedum properarent, et ipse ut solito mulcimine blandiloquii

Cap. VI. *Quod Dani altera vice redierunt.*

Ea etiam tempestate qua prægravantibus ac præponderantibus multimodis, non modo solius vulgaris populi, imo omnium dignitatum et ordinum deliquentiis, non tantum Franciæ fines, sed etiam totius regni principalia quæque loca Armoricaque provincia diutina (quod nunc enumerare longum est) sacrilegæ Danorum gentis oppressione crudeliter licet juste invaderentur ab illa classe, plurimaque pro sui numerositate (veluti epitheticōs loquamur)

Digitized by Google

magnus exercitus ab omnibus dicebatur : anno adventus sui in regnum duodecimo, ab omni plaga uti diffusus erat adunatus in loco qui, ob concursum insignium inibi aquarum Confluentia vocatur, ascendit flumen dictum Iseram, pervenitque et equitatu et navigio subusque Noviomam (*Noyon*) civitatem, faciens ibi munitionem circa villam ex australi plaga, natura munitam, scilicet aqua et silva, vocatam Chyrisiacus, [*al.*, Kyrisiacus], intendens si in brevi nequiret arcta et diutina obsidione civitatem, quia parva videbatur, capere posse. Sed cum hemisphærium nihil ibi prævalentes consummarent, et (nedum dicamus) aliquid proficerent, verum magis fame ac siti omnique penuria arctati pene deficerent, consultum (ut eventum subsequens patefecit) habuerunt, ut in regnum quondam Lotharii irent, tractantes per maritima transire, et castella ibi recens facta obtinere, incolasque omnes, nisi se dederent, mortificare. Quo comperto pars juvenum qui sibi cæteris agiliores audacioresque fieri videbantur, numero quingenti quinquaginta, selegerunt se insciis aliis abripientes clam noctu quasi solito in aliam partem pergendo, arreptoque itinere insubsistibili cursu directim tendebant ad munitiunculam paupere (proh dolor!) sumptu parvoque licet strenuo incolarum comitatu factam in pago Tarvanensi, in loco qui vocatur *Sithiu*, circa monasterium eximii præsulis Audomari, fuste, gleba et cespite sicut artificiosissime, ita etiam firmissime constructam, jactanter in via proludentes primo impetu eam infringere velle, ac pro tenuitate seu paucitate inhabitantium facile capi posse. Auxiliante tamen illis Deo et patrociniis sanctorum, qui requietionis ibi elegerunt sibi locum, more solito intervenientibus, indignante Christo præsumptuosa illorum jactantia versa est cominus in dignam vindictam, ad quam promulgandam calamum nunc vertimus nostrum.

Cap. VII. *In quo tempore venerunt, et quod nihil prævaluerunt.*

Nam post sanctum Paschalis resurrectionis diem transcursis quatuordecim diebus, die Dominico hora qua cardinalis missæ conventus publice agebatur, apparuerunt protinus præfati invasores descendentes per clivum montis prominentis villæ, quæ Locus-ecclesiæ (39) vocatur, pro eo quod beatissimi martyres Fuscianus et Victoricus in fronticipio Christianitatis incolarum terræ primariam feruntur ibi construxisse ecclesiam, respiciens contra monasterium ex parte occidentali. Quod cernentes excubiæ, autumantesque quod plurima totius subsequeretur, veluti prius essendi fama percrebuit, exercitus, protinus populo in ecclesia consistenti notificaverunt. Illi vero non adeo tali nuntio consternati, imo magis animæquiores facti, Deo et patrociniis sanctorum causam sui commendaverunt, et compunctive [*f.*, compuncti se] mutua confessione rebaptizaverunt, ac humili perceptione mysterii corporis et sanguinis se munierunt, dantes invicem dextras pro libertate et loci tuitione se velle aut agiliter oppetere, aut strenue defendere, murumque protinus optimis (ut mos incolarum regionis est) armis præparati conscendentes, una cum prius præparatis bellicis instrumentis munitissime arcem vestierunt. Tali eorum constantia paulo ante arrogantes inimici comperta, nec non et parte inclusorum audacter sibi obvios ire extra munitionem visa, Deo illos quammaxime terrificante, animositatis superbia mollita, jactantia pressa, audacia remissa ac liquefacta minime audentes aggredi cœpta, diverterunt se ad pecora per agros pascentia capienda, ocius repedare cupientes vel cum tantilla præda; residui vero virorum nostrorum hac invasione commoti, præsertimque de Dei auxilio testatorumque proprium interventu fisi, repente eruperunt de munitione, irrumpentes post eos, equites quidem per compendia præanticipando illos in planitie montis unde ante descenderant, quia lentim pecora minabant, habentes contemptui talia eos audere; pedites autem post tergum insequentes, ponentes hostes in medio. Itaque comperientes cunctos se undique secus fugam molientes, desperabiliter ruperunt ad orientalem plagam per sinistrum cornu vallantium, tendentes ad quemdam quercuum lucum, putantes se ibi frustra aut defendere aut effugere posse. Nostri itaque eos occidendo insequentes (hora enim fuit diei nona, quando exibant de castello) antequam pervesperasceret, omnem illam plurimam, ut ipsi jactabant, selectorum pugnatorum Dei bello consumpserant, licet non sine nostro damno, majore tamen suo. Facta est autem cædes hæc in loco nomine Windigamo [*al.*, Windingahamo]. Omnes enim ibi occisi sunt, præter quod quot de nostris mortui, tot sunt ex illis fuga elapsi, novem autem tantummodo ex omni illa plurima evaserant, et ex ipsis etiam a persequentibus eos in via mortui sunt quinque reperti, quatuor tantum protendentes, ut postmodum ab eis qui tunc interfuere exercitui didicimus, pervenerunt ad socios, temeritatis audaciam vituperantes, tanquam præsumptivæ rei eventum elucubratim perscrutantes. De exuviis quoque tres divisiones fecerunt, unam Ecclesiis concedentes, aliam oratoribus et pauperibus dantes, tertiam æqua lance nobiliores cum inferioribus compartientes. Et merito. Scrutemur enim humanitus verbi gratia quibus magis addicenda sit hujusmodi victoria, oratoribus an bellatoribus, etc.

Cap. VIII. *Quod S. Audomarus cuidam monacho apparuit.*

Præterea, fratres dilecti et commilitones Christi, quibus cordium votis vel laudum psallentiis idonei esse poterimus agendis Deo gratiis pro inopinata

(39) Iperius cap. 20, parte III : *Sanctus campus vulgariter* Helechvelt, *nunc vero corrupto nomine* Hellefaut *nominatur*. Hoc factum refert ad annum 891. Distat hic vicus duobus milliaribus ab Audomaropoli.

Digitized by Google

ereptione tanti discriminis, quave temeritate possumus dicere quod istiusmodi ausus esset cœptus, nisi magno zelo misericordis Dei fuisset instinctus? horribilis enim fuit dictu, horribilior et cœptu; quia pene nobilitas terræ illius ex multo jam tempore ob amorem vel dominatum sibi dominorum charorum abscesserat nativitatis patria relicta, præter paucos qui ita hæreditariis prædiți erant patrimoniis, ut non esset eis necesse subdi nisi sanctionibus publicis. Horum pars cum nobilissimis ac religiosis illius loci monachis simulque Deo devotissimis ac strenuissimis canonicis, quos nunquam persecutionis ulla tribulatio exterrere prævaluit, locum propositi sui derelinquendi sustentabant, pariterque confortabant reliquiarum remissos fere animos et invalidam plebeam manum. Hoc præsertim in tutissimæ spei anchoram præsumptibilisque in Dominum fiduciæ; (ac quia pro vita res erat) necessariæ audaciæ indubitanter assumentes quod anteactis temporibus, Folconis videlicet generosissimi ejusdem loci tunc abbatis, post vero sanctæ matris Romanæ (40) Ecclesiæ reverendissimi archiepiscopi, incolis terræ adhuc omni abundantia refertis et absque sui diminutione integerrime vigentibus, ambitus castelli cum consensu populi et procerum condictatus, mensuratus, ac per potestates et ministeria ad perficiendum distributus, receptus ex immodica parte jam cœptus, sed proh dolor! tam præpedientibus peccatis inconsummatus, quam pro gyri amplitudine excusatione nefaria atque infelici fuit impeditus et intermissus. Processu autem temporis, videlicet anno gratiæ octingentesimo nonagesimo primo, cum tota jam terra incensa et depopulata et plurima hominum fere consumpta fame attenuata, dispersioneque fugæ propulsata exstitisset, respectu tandem clementis superque paucas reliquias miserantis Dei, ostendens quod non in multitudine populi salus ejus consistit, sed potius in misericordiis et miserationibus suis, propalans etiam quod competentibus necessuosorum (indigentium) vicissitudinibus dignatur precibus electorum suorum pro sibi votivis supplicatibus præbere effectum; voluit B. Audomarum exorabilissimum antistitem cuidam monacho cœnobii S. Bertini, ædituo scilicet ecclesiæ præfati præsulis, memorabilis personæ viro nomine Herrico apparere in visione. Qui, ut ipse postmodum delectabiliter multis audientibus referre solebat, proceræ erat staturæ, venerandæ canitiei, habens in fronte stigmata nitorem pulcherrimæ calvitici divaricantia, facie venustus et gracili, naso mediocriter longo et parum adunco, manibus cum digitis longissimis pulcherrima macroris tenuitate translucentibus, infula episcopali vestitus, quem sibi protestabatur dulci famine subinferre ita appellando: Gravarisne, frater, sopore, an vigilas? Qui cum ei pro tam insolita visitatione personæ tremens nec in totum se dormire respondisset, nec pro insita generaliter angustia (quia timor somnolentiam solet ingerere) posse se contineri, quo nimio labore fessa et anxietate laxa non refocillaret membra, exerto brachio manum quasi versus illum porrigens subintulit: Vigilandum potius vobis est et animo et corpore, monitisque meis salubrius summopere insudandum, quam segni pigritia tricandum. Unde surge, et reliquiis populi ex asse devoti salvationis suæ tenore obnixe contestare quatenus, juxta quod sibi videtur prævalere posse, non cessent arcem die nocteque firmare. Qui cum partim gaudio refertus, partim visionis terrore pavefactus, post consultum tamem super eo prius idonearum personarum populo convocato, præfatam visionem Patris monentis, affectuose hortantis, studiose jubentis strenue intimasset, compunctivo corde lætantes, lacrymis gaudiosis flentes, omnes unanimiter cœlo pansis utrinque votis succlamare cœperunt dicentes: Gratias omnipotenti Deo referimus, qui nos salutari visitatione Patris nostri providendo, monendo, consolandoque reficere et confortari dignatus est. Monita salubria viribus quibus possent studiosissime adimplere velle promittentes, quamque promissionem instantissimo protinus inchoaverunt cœptu, ac quam pervicacissimo quibant, perficere satagebant effectu, digneque non modo de jam dicto, sed et, quod majus multo ac periculosius fuit, subsequenti discrimine tam clementis Dei provisione adjuti piique Patris hortatu animati, imo de experta Patrum intestatorum solita et provida defensione salvati, merito exhinc profusius Dominum et proprios protectores inibi devotissime jugiter collaudant et læti.

Cap. IX. *Quod sequenti die Dominico venerit reliquus exercitus paganorum ampliori multitudine, sed meritis S. Bertini nihil prævaluerunt.*

Nec etiam longa post prædictam hostium cædem intercurrente mora, neque enim patitur ille antiquus Leviathan inexplebiliter esuriens ac sitiens humano generi moliri insidias, habere membra sua moras in persecutione ac læsione piorum. Siquidem invidiæ succensus livore quoniam nostros recenti beneficio ac summa devotione doluit fervere. Nec mirum quia eo tempore maxime tanto assidit infestior, quanto quosque in proposito voluntatis Dei persenserit fieri fortiores. Ideoque occumbentium cognatos vel socios contribulesque ac complures totis suæ crudelitatis viribus furendo excandescere, compulit in iram sævissimamque suorum (si Deus permisisset) vindictam. Pondus enim hostium totius regni adunari suggessit in brevi arctissimas in angustias unius fundi. Nam peracta post præfatam stragem revolu-

(40) Forte Remanæ, id est Remensis Ecclesiæ, cui post Hincmarum Fulco præfuit ab anno 882 ad 900. Notandus hic locus, quo discimus Fulconem Sithivensis monasterii abbatem fuisse: cujus rei nulla mentio apud Frodoardum. Audi Iperium cap. 18: *S. Fulco, hujus loci abbas decimus octavus, canonicus ecclesiæ S. Audomari, post Hilduinum est hic abbas subrogatus,* anno scilicet 877 mortuo post annos octo regiminis Rodulfo, iterum abbas electus anno 893.

Digitized by Google

tione, ni fallor, proximi Dominici diei hora secunda, nebula pro natura loci manicanter (mane) nata adhuc aerem maculante, apparuerunt pedites inæstimabilis plurimæ (41) eodem clivo quo et anteriores descendere, cursuque concito castellum tendentes minime introierunt, subsequendos ante januam exterioris introitus præstolantes. Equites vero quasi arena innumera multitudinis diverterunt ad locum quemdam certaminis, nil secus quam sicuti prospectu novæ visionis dolore suorum occisorum recrudescente, more elephantum qui sanguinis visione excitantur in iram ad præliandum; ita isti exacuerunt ad suorum severius et crudelius sanguinem vindicandum. Et cum aliquandiu dolendo ibi deliberarent, nilque aliud proficerent, nisi quod tabida et putrida corpora conspicerent, facto præpeti cursu tanquam primo impetu munitiunculam capturi pervenerunt ad socios, unaque rabido cum fremitu irrumpentes, peditibus decretum est dira impugnatione castellanos incendere. Equites quidem Deo tribuente properabant ad locum naturaliter munitum, scilicet S. Bertini piissimi suorum protectoris ac promptissimi maximis in necessitatibus liberatoris monasticum (42) monasterium. Talia quoque nec sine Dei dispensatione exstitisse credimus, sicuti protinus perspicue experti sumus nutu, ut ubi major fienda erat communis victoria et perficienda, cœlitus auxilii divini copia, numerosior ibi congregaretur hostium plurima. Venientes autem statim eodem momento, remiserunt equos per pabulatores in pascua ad villarum loca, talique studio acceleraverunt mansiones ædificare, veluti post munitiunculæ infractionem pro firmitate loci gromnarumque (43) opportunitate longo tempore inibi velint consistere. Interim pedites ex tempore introitus totam diem cum agilioribus equitibus ad castelli munitionem pugnare non cessantes, diversis et insolitis artificiorum generibus per vices successionum globatim et cuneatim contrarios lacessendo respirare vel ad modicum non patiebantur. Siquidem ignita ustensilia et frusta candentis ferri more grandinis fundibilis in eos jacientes, sagittarum quoque imbres in eos pluere non intermittentes, multaque alia quæ enumerare et fastidit et difficile fit, offendicula molientes; ad postremum fossas circa munitionem miræ et altitudinis et amplitudinis factas munientes, ceu vimineis parietibus stramine et omnigeno siccamine compleverunt, conantes incendio profligare, quibus aliorum artificiis argumentorum non potuerint prævalere. Sed aliquantisper eis se subtrahentibus, nostri in eosdem straminum aggeres lignorumque strues, Deo donante, prosperoque eis venti turbine flante ignem caute immittentes, illisque nescientibus minusque sperantibus, æque ignem ut idipsum eis facerent inferentibus, excandescente stramine plerique eorum ustulati sunt, vix subrepti mortis discrimine. Deo autem propitio, nulli ex nostris vitam prolixo scammatis (conflictus) spatio magnopere periclitabantur, nisi tantum unus frater (44) monastici ordinis ictu sagittæ inter duo tabulata propugnaculi ubi stabat, percussus est sub inguina : qui et ipse convaluit. Verumtamen ad vindictam minus armis excitati, ac ideo minus cauti plagiatique sui famuli, alium æque ejusdem ordinis fratrem permisit retribuere hostibus dignam repensionem.

Cap. X. *De monacho qui tyrannum sagittando occidit.*

Fuit namque tyrannus quidam partis contrariorum cæteris omnibus, ut videbatur, asperior et robustior, ac in arte pugnandi argumentosis factionibus astutior, qui nec ad punctum cessavit fortiter pugnare, aliosque quasi sine mora mœnia capturos instigare. Ex nostra quoque parte, quanquam pro crebra hostium ingestione tenacius instarent defensioni quam objectioni, artibus tamen viribusque quibus poterant et habile fuit, strenue atque agiliter resistebant, omnes intentissime omnimodis certantes, si quo modo infestissimum illum quivissent impedire inimicum. Sed non fuit ulli eorum tributum, pro eo quod voluit illos Deus intelligere, et in confinio vitæ mortisque constitutis significare, ex qua parte imminentis levamen periculi deliberaret eis clementer transmittere. Ac ideo decrevit, ut prætulimus, monastici habitus juvenem arcum arripere, quanquam illicitum vel inhabile sit huic ordini arma tractare; intendensque illum diligenti consideratione jactante prosiliendum, de propriis viribus licet dubius, sed Dei tamen auxilio minime ambiguus, inserta arcui sagitta implorans Dei auxilium tensa chorda traxit fortiter, ac divinæ impulsionis datione infixit fronti jam dicti tyranni viriliter. Hoc autem mortuo, cessaverunt alii ab impugnationis tumultu, mittentes protinus qui eventum rei senioribus eorum nuntiarent, morando in atrio jam dicti monasterii, curialibus tamen in ecclesia beatissimi Petri in concilio residentibus : quod factum cum a referentibus illis conquereretur, eosque hoc aliquantisper, non tamen magnopere gravaret, lentiusque ac securius quid illo vesperi agendum esset deliberarent, in tali interstitio cucurrit aliquis ex eis, et deposuit crucem retro altare B. Bertini stantem; reversusque ad socios, irreverens coram eis cœpit eam defabricari stylo ferreo, qui sol vocatur, unde solet excuti ignis silice. Nuntii autem præfati tantæ morositatis spatio iniquam accensi, procacibus conviciis aggressi sunt eos increpare durius dicentes : Calumniosa multum res fuit et indigna quam agitis. Non enim

(41) Eadem voce non semel usus est auctor, infra capp. 10 et 11; supra item non semel.

(42) Nota vocabulum; non erant tum temporis monasteria monachorum et canonicorum.

(43) Gromnæ seu gronnæ, loca palustria et herbosa; in alio ms. legitur *grumarum*.

(44) Et *fratres* etiam tum dicebantur clerici et canonici; unde hic *frater monastici ordinis*, discriminis ergo.

Digitized by Google

de vindicta occisorum nostrorum indignamini, nec de nobis certantibus partimque pro nobis deficientibus succensemini, nec super castelli captione, quæ nihil tardaret, solum si libuisset, illos impetere studetis : insuper quoque nec de præda inhabita advertitis, quoniam si hi tantum habuerunt spatium noctis, omnia sua aut infodient, aut in puteis, seu abditis quibusque locis abscondent ; quia timent se pro certo in deditionem vel in mortem ire. Atque illi in iram versi furibunte exarserunt, continuo de sessionum locis exilientes, suisque diis vota solventes, scilicet si munitionem illo vesperi capere potuissent, nemini masculi sexus usque in mane parcere. Cujus fastuosæ jactantiæ superbissima verba horrendæque temeritatis minacia prolata, nulli fas est fieri ambiguum interventu B. Petri apostoli precibusque exaudibilis Christi confessoris Bertini, in quorum quasi in eorum contumeliam ecclesiis hæc fuerunt facta et dicta, ad aures pietatis Dei super his indigne ferentis fuisse suppliciter prolata. Actutum etenim jam fatus violator salutiferi signi, ut credimus, ad impeditionem tam crudelis edicti, percussus protinus est plaga insanabili. Nam os ei subito contractum est cum aure adusque occipitium, oculique subversione retorti, et spumans et tremens volutabatur per terram. Quod cernentes paulo ante arroganter sævientes cœperunt angustiari, pallere, tremere, percussosque commanipulares dilectos prius tunc velut abominabiles exsecrati, solum sibi asylum perfugii reputantes, si viam prius ventam repetere concederetur. Tali itaque Dei vindicta alii icti, alii territi, præpropere arripuerunt propria vexilla parietibus ecclesiarum innixa, quæ inibi missa byssino splendore candentia recipientes, mirati sunt piceo colore nigrantia ; sicque rapido cursu per medias præcipites vacillando proruperunt ecclesias, non vino ebrii, sed indignatione Dei et offensis sanctorum consternati : tardumque eis videbatur monasterii portas attingere, ita ut potius lætarentur tunc de exitu, quam paulo ante super diu desiderato introitu. Egressi vero et aliquantisper pene elapso spiritu resumpto, residuorum recordati sunt debilium. Nec tamen ullus eorum ausus est pro eis reverti, sed vocantes ad se quemdam strenuum juvenem quondam captivatum de colonia S. Wlmari, qui ab initio huic facto intererat, præceperunt ei ut quantocius tentaret redire, ac si vivi fuissent eos adduceret. Qui reversus injuncta perficere, reperit ut ante errando huc illucque eos palpitantes, ac contractum ut prius jacentem fere exanimem, qui et inibi, quia egredi nequivit, remansit, plurimisque diebus miserabiliter tabescens eleemosynis bonorum hominum vixit, latratibusque quibus valuit miracula Dei illic effecta testificatus fuit. Præfatus vero juvenis data uni ex cæcis manu, sicque unus post unum sibi hærentes, protracti sunt ad cæteros : qui etiam interim horrore mortis trepidi clangore frequenti increpare citabant, stridentibusque tubis sonitu magis significante, imo compellente A fugam quam hortante ad pugnam. Quod audiens omnis plurima [*i.*, turma], ubicunque fuerant sive circa castellum seu in tabernaculis vel in pagi constituti, noto plangore fugæ pavefacti, magisque divina virtute conterriti, nec dominos, nec socios, nec notos repetentes, præcipiti fuga ubicunque visum fuerit quo ocius aut fugere, aut abscondere potuissent tendebant. Principes autem præfati cum eis quos secum habere poterant se adunant s, et et regione munitionis per portam introitus sui exire velociter anhelantes, nedum dicamus quod illo propinquassent, nec vultum illuc divertere vel quamvis tunc vesperasceret, illa nocte infra sex milliaria restare audebant, sed directim tendebant adusque arcem quondam opinatissimam Menapum, Domino B illos Christo sicut suos misericorditer liberando, ita alienos a se dignis calamitatum cruciatibus percutiendo, divinitusque terrendo, longe perditione tenusque propulsando. Relatione enim eorum fidelium qui prælio interfuerunt didicimus quod pervenientes ad locum quo tendebant, in uno prælii congressu duodecim nobilium pugnatorum de illis profligati sunt, Deo illis dignanter in numerum occisionum et sacrilegiorum meritam pensionem recompensante.

Cap. XI. *Qualiter labarum (vexillum) paganorum positum fuit nitidissimum, et inventum teterrimum.*

Antelatis etiam dignum cœlitus transmissum et eodem in tempore visum. Post exterius atrium portæ C cœnobialis monasterii non longe retroactis temporibus a religioso quodam ejusdem loci monacho nemus quoddam frugiferum pulcherrime plantatum fuit : cujus in medio quasi collis tumbalis exstitit, habens in summitate sui pirum, cujus pira nimiæ grossitudinis dulcissimique saporis erant ; referebaturque a senioribus ex plantariis fuisse beatissimi Patris Bertini. Quamobrem Patrum sancivit industria, fratres omni anno solemniter vestitos secunda feria Paschæ cum reliquiis et psallentiis (sicut mos est totam illam hebdomadam per diversas officinas facere), idem pomarium visitare, et in ipso monticulo completa oratione ad publica solemnia reverti. Quod nemus quia inter duo monasteria erat, ne forte latibulo inimicis esset, Christiani D exstirpare decreverunt. Venientes itaque, ut prætulimus, pagani, in antefati collis cacumine principale vexillum, quod labarum vocari fertur, alto stipiti pro terrore infixerunt, quo eminus prospicientibus terrorem incuteret. Sed et regione eodem in loco misericors Dominus evidentissime declarare voluit quod ipse *de cœlo* respicit *super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum* (*Psal.* XIII, 2). Nam labarum præfatum quod nitidissimum fuerat ibi positum, abreptum inde, teterrimum evulsum est : ac in tempore inceptionis mirabilium præfatorum, nebulosa caligo totum jam dictum texit nemoris locum, ita ut nec montani ab junioribus, nec inferiores a superioribus videri possent. Columna quoque nubea in medio caliginis

Digitized by Google

cœlitus pendula super ipsum collem videbatur, simulans speciei suæ colore pluvialis iridis varietatem, coæquans sua etiam amplitudine supposiți collis latitudinem : nec antea se fidelium intente eam considerantibus subduxit obtutibus, quam omnis illa hostium plurima [*i.*, turma] funditus discessit : evidentissime visibiliter omnipotente monstrante, imo provocante misericorditer nos Deo, ut illuc jugiter omni mentis intentione totaque cordis devotione debeamus oculos tam exteriores quam interiores in omnibus necessitatibus figere, quo nos pretiosissimi Filii sui sanguinis redemptione dignatus est invitare, qui cum eo vivit, gloriatur et regnat Deus, in unitate Spiritus sancti, per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

(45.) Cap. XII. *De ingressu feminarum.*

Cum venerandus Pater noster Bertinus postquam a diabolo in specie mulieris tentatus esset, et a S. Martino visitatus et liberatus, considerans omnino monachis non expedire sexu femineo quovis modo communicari, sub anathemate ingressum feminarum de aditis ejusdem cœnobii penitus exclusit. Quod ab ipsius B. Bertini tempore bene ab omnibus observatum est, usque ad illud tempus in quo Adala nobilissima conjux Arnulfi comitis et abbatis (46) istius loci cum sæpissime magnis infirmitatibus esset aggravata, desiderare cœpit ut in hoc monasterio ei licentiam monachi darent intrare, ut coram altari sancti Bertini pro salute deprecatura liceret se prosternere. Hujus igitur rei causa advocatis venerabilibus episcopis Wicfrido (47) Tarvennensis Ecclesiæ episcopo et Folberto Cameracensis, denudavit eis desiderium suum; accepta etiam a monachis licentia anno Nativitatis Domini nongentesimo trigesimo octavo, annoque quinto Ludovici regis, feria secunda Paschæ introduxerunt eam præfati episcopi in eodem monasterio, non sine tremore maximo; quoniam hoc illa prima facere præsumpserat, quod antea reginarum nulla concupiscere vel audebat. Sicque introducta, et ante altare B. Bertini prostrata, devote oratione fusa plenam corporis sospitatem recepit. Intrando autem plurima huic loco ornamenta (48) contulit, et quandiu vixit, nunquam donare cessavit.

Cap. XIII. *De illo qui S. Bertino filium suum morti proximum obtulit.*

Eodem tempore Rodulfus ipsius castelli prætor urbanus, filium suum nomine Walterum cum morbo quem medici variolam (49) vocant, morti videretur esse proximus, ulnis propriis sustollens ante S. Bertini altare deportavit, monachumque effecturum si ejus pia juvaretur intercessione, spopondit. Quem mox saluti restitutum ac Omnipotenti famulum et S. Bertino obtulit monachum perpetualiter permansurum (50).

Cap. XIV. *Qualiter hic locus meritis sanctorum Vincentii, Audomari et Bertini ereptus est ab incendii discrimine.*

Veridicorum virorum qui interfuerunt, sedula compertum est relatione, quomodo tempore viri venerabilis domni Odberti abbatis, locus Sithiensis cœnobii meritis S. Vincentii Christi martyris et sanctorum confessorum Audomari atque Bertini dudum divinitus ereptus sit ab incendii discrimine. Quod quia videtur adeo audientium utilitati congruere, licet tandiu celatum sit scriptorum negligentia incuriæ, tamen dignum ducitur officio styli commendari memoriæ. Nulla istic antiquitus de præfato Christi martyre custoditio agebatur solemnitatis, nisi tribus lectionibus totidemque responsoriis : at ubi propria ipsius a quibusdam fratribus huc allata devenere responsoria, extemplo a fratribus eorum suavis mulcedinis percepta harmonia, uti sunt admodum delectabilia, his fratrum juventus plurimum est delectata, atque futuræ ex tunc observandæ celebritati adplene instructa. Exin depositio supradicti sancti singulis annis præter solitum duodecim lectionibus decentius coli cœperat, ac fratrum devotio magis magisque erga sanctum Dei quotidie crescebat. Quod cum aliquorum annorum fieret revolutione, nec fratres desisterent ab hujusmodi sancta devotione, contigit uno anno paulo post transacta decenter ejusdem celebri depositione, scilicet in ipsa S. Gregorii festivitate quæ constat quadragesimali tempore, magnam domum unius advocatorum claustro atque monasterio contiguam ex immortuo cerei fungo succensam ardere. Quæ ut erat valida, horribiles flammas evomens, claustrumque illa parte qua steterat, fumo igneque velans, omnibus monasterii officinis excidium minabatur, fratresque jam de tanti loci desperati liberatione solum ad extrahendos ecclesiæ thesauros et quæque suppellectilia occupabantur : cum propitia Dei providentia tres columbæ instar nivis candidæ, cœlitus (ut credo, utque post res edocuit) elapsæ, campanarium palam multis videntur ter circumvolitare, et nunc hic, nunc illic super

(45) Quæ sequuntur, alterius videntur esse auctoris.

(46) Is Sithivensis monasterii collapsam disciplinam reformari curavit anno 944, per S. Gerardum, ex Iperio capp. 23 et 24.

(47) Frodoardus in Chronico ad annum 935 : *Artaldus archiepiscopus Wicfredum quemdam Monachum* (nempe Sithivensem teste Iperio cap. 22, parte II) *Tarwanensi ordinat Ecclesiæ præsulem*, quo ex auctore discimus *Wicfredum* Morinensem episcopum synodo Trevirensi interfuisse anno 948. Lege Iperium cap. 23, parte II.

(48) In his *cortinum miræ magnitudinis operisque præcipui quæ adhuc durat*, inquit Iperius cap. 28.

(49) Vulgo *la petite vérole*. Boam appellant medici.

(50) Hic supplendum id quod dicit Iperius in Chron. cap. 27, parte II : *Abbas Rayenoldus jussu comitis Arnulfi*, cognomento Vetuli, *reliquias SS. Audomari et Bertini trans Rhenum ultra Neomagum, ubi tunc imperator residebat, detulit, ut terras suas sibi vindicarent. In qua deportatione miraculum accidit in Tiale portu, de custode ecclesiæ illius dictos sanctos blasphemante, et eis ingressum ecclesiæ prohibente, ibi a Deo percusso et mortuo.* Aliam delationem anno 1087 factam in villam Ostreselam lege apud eumdem cap. 39, parte II.

Digitized by Google

pinnacula sessiones alternare. Quod nonnulli cernentes, a Domino talia effici existimabant, talibusque indiciis locum istum a tanto incendii discrimine servatum iri orantes exoptabant. Cumque adeo ingens esset, uti principis [*f.*, principi, *id est* principali; *aut* principis S. Petri] adeo claustro imminneret, ut vix aliquod intervallum interfuisset, tantumque incendii ex hac grassaretur ut longe hinc distantia domata exinde invaderentur, magna etiam pars ipsius castelli consumeretur, Deo gratias non solum omnis hic locus a tanto periculi dispendio ereptus, verum etiam ejusdem ereptionis manifestiori revelatione non multo post glorificatus est. Adhuc autem duraverat illud avitum S. Petri monasterium a S. Bertino patrono nostro (ut dicebatur) constructum, ad quod crypta quædam permodica ab oratorio S. Martini præbebat accessum. Quod quidam fratrum Rambertus nomine, hujus loci monachus, ob amorem S. Petri apostolorum principis sanctique Bertini ejusdem structoris recolens, singulis noctibus, peractis matutinorum excubiis frequentare ac ibidem psalmodiis et sanctis meditationibus pernoctare solebat. Hic cum in eodem quadragesimali tempore paululum post præfatam illius combustionis comminationem quadam nocte peractis matutinis talibus operam daret, et quoniam matutini solito citius ipsa nocte sonuerant, vigiliis fatigatus sessum peteret, atque, sicut est infirmitatis humanæ, ibidem somno gravatus paululum dormitare cœpisset, visum est ei videre quemdam magnificum virum dalmatica leviticisque cultibus candidatum sibi astitisse, seque an dormiret rogasse. Cum vero præ timore nihil, ut sibi videbatur, ad hæc posset respondere : Noli, inquit is qui videbatur, metuere. Adjecitque : Sed nosti quis sim ego? Ad hæc ille : Ignoro, domine. Tunc ille : Ego sum, ait, frater Vincentius, et gratias refero vobis pro observatione meæ celebritatis atque proba devotione quam circa me geritis. Nunquid etiam vos latet quid illæ tres columbæ super nivem candidæ quæ istic in immensum furente Vulcano apparuerunt? Cui ille : Latet nos, sancte Dei; auspicato nostræ protectioni a Domino talia arbitrabamur propalari. Et ille : Rite, inquit, arbitrabamini. Ego enim eram cum sanctis Audomaro atque Bertino, qui huc vobis venimus præsidio. Nam, quorumdam culpis exigentibus, omnis locus iste in deditionem flammæ a Domino fuerat traditus, verum causa meæ memoriæ quæ hic in tam longinquis oris a vobis agitur, et quia tam devote festivitas meæ depositionis observatur, ego cum sanctis quorum hic emerita corpora venerantur, coram majestate Domini pro vobis opportunus interventor adfui, et a benignissimo Jesu ereptione hujus impetrata cœnobii, nec mora huc adventavimus vestræ conservationi. Quæ omnia abbati Odberto, cunctæque congregationis fratribus detege, et ut ex his miserantis Domini objurgationibus emendatiores fiant commone, ne aliquando districtius feriantur correctione, meaque ex parte magnas gratiarum actiones cunc is ne negligas reddere, quod tantum devotionis affectum circa me gerere, quodque mei natalis observationem tam decenter tamque humiliter instituerunt colere. His dictis somniator evigilavit, et is qui videbatur, disparuit. Cujus revelationis nectare frater ille mellificatus animum, imbre perfundebatur lacrymarum. Mane autem facto cum in utroque nutaret, scilicet utrum reticeret, an palam faceret, quemdam priorum nomine Grimwaldum accersitum consuluit super hoc, quid facto opus esset. Illo autem hortante ac suggerente sancti ipsius jussionibus parendum esse, nec occultari debere, una utrique Patri vadunt indicare, deinde ejusdem Patris jussu omni congregationis phalangulæ. Testabantur vero fratris ipsius lacrymæ, quarum ubertim in referendo manabat inundatione, omnia quæ dicebantur vera fuisse. Cumque inter plorandum et hæc inter dicendum audissent fratres gratias sibi referri ex parte tanti martyris, actutum cuncti prorupti in lacrymis terras petiere oculis, ac plurimum conjubilantes super his benignissimum *Dominum laudaverunt et benedixerunt in canticis labiorum et citharis* (*Eccli.* XXXIX, 20), qui sic placatur, et fertur in iniquitatibus nostris sanctorum suorum intercessionibus ac meritis. Qua de re prædictus abbas cum sibi subjectis omnimodis excogitans quo pacto præcipuum militem Christi dignius valerent extollere ac venerari, quatenus tantum pro se intercessorem coram divina majestate jugiter possent promereri; peracto quod nunc superest oratorio B. Petri apostoli, aram ipsius martyris in eodem jussit constitui, et ex tunc omni anno ejus natalem in albis cum omni devotione decentissime custodiri. Nos autem, fratres charissimi, jam districtiorem prælocutæ comminationis correctionem experti, utpote qui nostro tempore omnem locum nostrum traditum desolationi oculis nostris, peccatis nostris hoc promerentibus, perspeximus igne devorari, tantem tempus visitationis nostræ in hoc nos oportet cognoscere, et quidquid in nobis Domino nostro perspeximus displicere, a sanctuario suo, hoc est a cordibus nostris festinemus auferre, atque gentes vitiorum quæ in hæreditatem suam venere, *ne ponant Jerusalem in pomorum custodiam* (*Psal.* LXXVIII, 1), eminus a nobis studeamus propellere. Illius quoque Dominicæ super Jerusalem factæ comminationis memores simus, quod *non relinqueretur* in ea *lapis super lapidem* (*Matth.* XXIV, 2), qui non esset destruendus, eo quod non cognoverunt suæ visitationis tempus (*Luc.* XIX, 44) : atque post tantam incendii desolationem jam Dei gratia monasterio nostro ac omnibus reædificatis et restauratis in melius, hoc speculo castigatiores atque emendatiores effici omni conamine procuremus, atque innumerabilium vitiorum exercitus, qui Jerusalem sanctam Domini, scilicet nos, oppugnare non cessant, diebus ac noctibus repurgantes Christo nobis præsule effugemus, ac sacraria sua Domino nostro sanctarum virtutum decoremus ornatibus, quatenus ejus ad nos adventum quandoque

Digitized by Google

promereri possimus. Sanctos etiam et electos Dei ad nostrum jugiter invocemus auxilium, quos ita promptos per hanc revelationem novimus nobis ad succurrendum, ac eorum exempla sequentes crucifigamus nos mortificatione vitiorum et concupiscentiarum, quatenus nos Dominus noster possideat filios mortificatorum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(51) CAP. XV. *Miraculum in villa* de Caumont.

Sancti Patris nostri Bertini hæreditatis pars Noviomæ urbi habetur contigua. Nam ibidem villa *de Caumont* adjacet, quæ tota juri ejusdem Patris debetur: tradita enim illi ab antiquo tempore titulis auctoritatis sancitur. Verum hujus villæ colonus quidam tyrannica abutens potestate nimiumque opprimebat bona illorum, modo vi quidem, tum autem quocunque modo poterat auferens. Hujus itaque insania ad id quidem deflectitur criminis, inque deterius evasit, ut partem coloniæ ipsius villæ invaderet, pervasamque suo juri ac ditioni vindicaret. Cujus vim invasionis cernens ministerialis qui ab abbate positus in sui loco cuncta villæ providebat, nefaria machinanti totis viribus obviabat, furibundo resistebat, atque fieri Deo sanctoque Patri injustitiam proclamabat. Tandem adeo multum ac sæpenumero reclamante, nonnullis æque etiam scientibus hujus rei veritatem, contradicentibusque insano cœpto illius, in jus ventum est: tantum enim suis præsumebat viribus. Ab hoc itaque injuriæ causa demonstratur, ab illo vero minime quidem fore injustitia denegatur. Sic controversia agitur et ab utraque parte discurritur. Opponitur primum causa, ea palam statuitur, post eadem deliberatione sancitur. Tum demum ultima judicialis causæ res subsequitur. Si negas, inquit noster propugnator, Dei ditioni sanctique Bertini juri hujus coloniam villæ quam injuste tibi vindicas deberi; victus tamen confitebere, suam sancto victus reddes, et istam tuam minime recognosces: Opponam, inquit, enim caput (et monstrat dextra caput) periculo, tantum ob Dei justitiam ipsius confisus auxilio. Et econtra, inquit alter, me ipsum invenies paratum certare, nunquam victum fore dices. Vades (52) itaque dantur, duellum firmatur, dies statuitur. Post itaque rem tali jure firmatam minime sui villicus obliviscitur, sed adit Odbertum (53) abbatem (is enim eo in tempore *Sithiu* regebat cœnobium), omnem rei seriem ordine pandit, orat sibi subveniri, ut constituto die aut idem præsens adsit aut in sui loco aliquos boni testimonii viros illo mittat, maxime autem orabat quod idem abbas præsens esset. Spondet is id quidem sese facturum, et auctoritate sui præsentialiter subventurum. Tum vero prostratus ante sanctum altare, Dei providentiæ solo diuque se totum commisit, suique misereri oravit: ac tandem petita benedictione abbatis, utens quasi quadam agilitate, magis solito raptim revertitur. Primum tamen sæpe et multum obnixe orabat, ne sui oblivisceretur. Veniente igitur statuto die se duello præparabat, tamen juxta promissum aliquos suo venturos auxilio sive ipsum abbatem exspectabat. Itaque post celebratam a presbytero missam, devote finita prece, Eucharistia digne percepta, quod extra ecclesiam forte jacebat super saxum magnum assedit, versus locum *Sithiu* superius dictum erigens lumina, tensas palmas, vultum tenuit, solumque movens labia, magne puro corde clamavit. Forte Dei providentia ut declararet dignum meritum sui militis, abbas alias intendens promissum neglexit Tum vero adversarius minas ingerens, verbis lacessens, moram facientem incusabat, et nonnulli suæ parti faventes probra contumeliarum ingeminabant, eum timoris arguentes. Ille tamen manebat, exspectabat, orabat parvipendens exasperantes. Et tandem erumpens in vocem: Adhuc, inquit, una morula meum operibor dominum. Post vero ecce eminus aspexit, et duas columbas nive candidiores aera secare pennis vidit. In has ita diu lumina fixa tenuit, quorsum tenerent volatum, quodve signi volatus portenderet scire desiderans. Audierat enim quondam se dignari ostendere pium Patrem Bertinum, et in visione tenere hujus avis similitudinem. Itaque veloci volatu omnem procinctum ter ambiunt, postque ab oculis videntium evanescunt. Illico surrexit et horrendum tonans, clypeo fulminans, cum baculo in hostem venit. Fertur denique quia dum surgeret, versoque baculo saxum percussisset, hoc ex se sanguinis rivulum emisisse. O digna quæ roboratur astipulaturque altero signo, mirum dictu, mirum visu sanguinem de saxo manare! verum quidem Dei est omnia posse. Tandem perfidus invasor crebris ictibus victus superatur et solo prosternitur. Tum adeo male mulctatus sese victum multoties profitetur, injuste invasisse villæ illius coloniam proclamat. Igitur vix creptus a manibus victoris domum deportatur, et post triduum mortuus est. Omnis vicinia hoc merito factum esse dixit, miraculi signa celebravit, sanctumque Patrem Bertinum devote extollendo coluit.

CAP. XVI. *Secundum miraculum de eadem villa.*

Verum quod nonnunquam bonis formidini est et unde virtuti studentes maxime corriguntur atque interius divino munere nitescunt, inde reprobi exterius audaciam sumunt, peccatum peccato addunt verum postponentes, cæcatique nube mortalis rei deterius sequuntur, et in eis illud propheticum impletur: *Sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV. 2), id est iniquus prava sive pessima malis sedulo fac is addit.

(51) Quæ sequuntur, item ab alio auctore scripta videntur.

(52) In duellis factis ad dirimendas res controversas dabantur utrinque vades, ut victori certa esset causæ oppigneratio. Guibertus abbas de Novigento in lib. III de Vita sua, cap. 14: *Datis vadibus, inquit, bello eum pugillaturus impetiit.* Lege Acherii notas in hunc locum.

(53) Odbertus abbas ab anno millesimo, post annos duodecim Hemfridum habuit successorem, testante Iperio cap. 34 et 35.

Digitized by Google

Igitur alter tyrannus innutritus sceleribus in prædicta urbe Novioma exstitit, ferox animo, immanior scelere, ante omnes alios die noctuque sanguinem sitiens. Itaque cum talis fama foret suæ iniquitatis, dolos fraudes hac illacque expandebat. Nam strages miseri populi dabat, non viro, non mulieri, nec parvulo parcens quidem. Sed cum jam maxima ex parte quæque villarum adjacentia devastasset, *Caumont* villa minime quidem secura ab ejus insania exstitit, timens valde, quod sibi timebat postea evenit. Et cum audisset et revera sciret peremptum sorte duelli, et injuste agentes in villam admittentesque injuriam sanctum Patrem Bertinum vindicare, nullo modo insana mens ejus a solita rabie seu ab assueto furore requiescendo cessabat, verum quidem opportunum locum conveniensque tempus quo villam invaderet volvebat. Sed cum deesset ubi suæ rabiei audaciam verteret (jam enim incendio, rapina cætera pene omnia consumpserat), armat ducentos equites, versus *Caumont* villam iter arripuit. Attamen primum per devia tendebat simultates fingens, quasi alio festinaret, forte e regione in villam irruit, armatis circumdedit, tum cuncta quæ infra erant bona diripuit. Casu omnia sua animalia, pecudes, pecora ad pastum extra villam die illo ierant; quæ cum redirent passim pascentia campis invenit. Heu! heu! duplex infortunium illis subito advenit. Infra villam quidquid habebatur melius, diripitur; extra vero quæcunque pecora pascebantur, abducuntur; cum ecce monachus, nomine Winradus, bonæ memoriæ vir dignus laude, missus ab abbate Roderico (54), utili quidem Ecclesiæ Dei nostrisque necessario temporibus, depopulata villa supervenit. Duplicatur ergo clamor ejulatusque, postquam eum videre: Succurre, succurre, optime vir, bone domine, iterant, accelera vadens post hostem, ad ipsum verba precantia funde, certi sumus ut quando te viderit, illico tibi reddet cuncta quæ per se ducit, quia omnia quæ infra villam erant deprædatus est. Tactus igitur mitis vir intrinsecus cunctarum magnitudine querelarum, velociter post ipsum admisso equo festinavit, consecutus eum salutavit. At ille typo [typho] superbiæ ferocitate animi minime quidem respexit, nec salutanti monacho servo Dei reverentiam exhibuit, quo saltem verbulum redderet. Urgens tamen isdem calcaribus equum, habenis moderans propius accessit, audacius locutus est: Prædam hanc a villa sancti Patris Bertini abripiens injuste ducis; redde igitur ne ob injustitiæ temeritatem, ne propter injuriæ severitatem iram Dei digne incurras. Noluit respicere, dedignatus est oranti reddere responsum. Ignorat is quid ageret; dubitabat enim ignorando, ignorabat dubitando ad quid rationis seu consilii se vertere posset. Videbat enim se contemni, cernebat preces suas despici: verumtamen præmeditabatur quod ferocitatem animi ejus pollicendo aliquid molliret. Duo igitur illi offerre, cœleste et terrenum bonum, sententiæ fuit. Obtulit primum, alterum quidem haud obtulit, non enim effectus, non causa, non tempus fuit. Hic equidem submissa voce, humili oratione hæc cœpit proferre, vultu ordinis servans reverentiam quam et habitu et mente gestabat. Oravit equidem, non autem peroravit. Vere spondeo, ait, certe promitto tibi ducentas missas. Cum perorare voluit, verum ille indignans imperfectam orationem ab illius ore tulit, (ut ut communi vulgarique verbo utamur) monachus pie ducentas missas, alter prave despectiveque protulit ducentas fessas. Ter denique eadem verba repetit, et ferum calcaribus urgebat. Adhuc itaque verbum contemptibile in ejus ore versabatur, cum subito de equo cadit, in caput ruit, galea terra figitur, collum ruinæ casum sentit; tum quoque humana et secreta alvi per naturalem meatum erupere. Merito ergo ex illa parte plectitur dignaque multatur pœna, unde in sanctum Patrem emanavere opprobria, et juste digneque quidem inferius putorem emisit, qui superius similem fetoris causam labiis et lingua in ore revolvit. Interea sui ducebant prædam, ignorantes dominum suum passum fuisse talis casus ruinam, et tamen, fama cogente, prædam dimittunt, ad dominum suum festinant, mortuum quidem et multatum vindicta cœlestis iræ reperiunt. Tandem præda reducitur ad propria, nomen Domini ab omnibus laudatur, sanctique Patris Bertini patrocinium veneratur. Hi læti insignis triumphi gaudia celebrant, illi tristia funera ducunt. O Dominum omnipotentem in sanctis suis glorioeum! o Deum in altitudine majestatis, in potentia magnitudinis mirabilem! Quis dubitet hanc palmam nobilis triumphi ascribi posse meritis sancti Patris Bertini? In argumentum itaque fidei monachus supervenit, accedens humiliter oravit, verba precantia coram Deo fudit, qui nunquam despicit sperantes in se, superbos semper humilians, et humilibus dans gratiam, redditurus unicuique secundum opera sua, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum.

CAP. XVII. *Tertium miraculum S. Bertini de villa* de Caumont *tempore Bovonis abbatis.*

Quidam, Bodera nomine, subministerialem agebat causam cujusdam majoris præditi potestate, advocationemque sibi vindicantis villæ proprii juris S. Bertini, *Caumont* nomine. Hic quia una et timeri ac placere desiderabat, nimium nimiumque vicicolas labore usque impense acto premebat. Verum pro causa hujus moliminis et pro tantæ controversia injustitiæ, quidam monachus, Heribertus nomine, qui abbati Bovoni in regimen hujus cœnobii successit, ex (55) præcepto venerandæ memoriæ jam dicti Bovonis agens curam ipsius villæ, curavit hunc sæpius admonere ut desisteret a nequam actu et ab omnium oppressione. At palam arguentem scele-

(54) Rodericus ex monacho Vedastino abbas post Hemfridum creatus anno 1021, obiit anno 1043, cui successit Bovo, dignus tanto patre filius et hæres.

(55) Anno scilicet 1065. ex Iperio, capp. 57 et 58.

Digitized by Google

ris velut metuens fugiebat, clam autem illi detrahens subdolus machinamenta instruebat. Super his vero dolens monachus, dominum illius adiit, suorumque ac suam injuriam patefecit. Ego ipse, inquit, per me hunc primum curabo minari : et si deinceps hæc admiserit, pecuniæ sentiet damnum. Revertente vero monacho forte alter jam dictus advenit. Cui dominus ejus : Heribertus, inquit, monachus tibi succenset, dicens, quia ruricolas meo servitio subdis. Redit siquidem ille armatus præcepto domini, malumque evomit latentis veneni. Nam apprehendit boves illius in agro pascentes, et servitio domini sui subdidit, eosque per totum triduum tenuit. Ut autem placuit, macilentos multumque afflictos, uti fit, tot laboribus reddidit. Inde adeo motus quidem monachus nequam hunc verbis aggreditur. Usque ad id temporis libera exstitit nostra curtis ab omni servitio, fuitque suæ potestatis, nec quis priorum ausus fuit in ea sibi vindicare aliquod jus sive vim invasionis. Quamobrem ergo nostros boves abegisti, et in servitium alterius vindicasti? Non mirum quidem si nequam prava ore profert, majus est opus ac si esset dictum : Si tuus, inquit, sanctus Bertinus bos esset, jugo meo jungeretur, subque labore ingemeret, qui tuos quereris meo labori insudasse. At ille inquit : Quid dixisti, nequam vir? et si cogitares quod nefas dictu est, nequaquam palam proferres. Plectere, miser, merita plectere pœna, multabere cœlestis iræ virga. Dum igitur isdem valde motus super his pedem averteret, merito digna percussus est plaga. Nam facies illius ad posteriora illico flectebatur, adeo ut occiput, quod erat sinciput, et sinciput, quod erat occiput, haberi videretur, præter quod facies suis formis insigniri deberet : collum enim distortum et tumidum, labia æque quidem tumentia, et aliorsum ac deberent versa, lumina quoque oculorum inversum aspicientia cernere erat. Et quid plura referam? quod mirum dictu, magisque visu est, nihil humani in eo intuebantur : talis itaque domum deportatur. At taurinos mugitus emittens omnem viciniam suæ pœnæ cruciatu movebat. Erat enim in homine videre miseriam. Verum suis precibus aliorumque rogatu, et quia voluit videre multatum, una cum aliis noster monachus Heribertus illo venit. Cujus præsentiam intelligens voce (non enim visu hunc ipsum agnoscere quiverat) quo pro se oret deprecatur intente, ac sæpe multum rogat. At ille compatiens misero, (quis enim mortalis hunc hujusmodi cernens non compateretur?) sciscitatur an velit amodo resipiscere funditusque priorem vitam corrigere. Eadem, inquit, passio et incurabilis percellat me feriens, si sane sanatus in omnibus emendari neglexero. Credidit igitur bonus vir sponsioni illius, reversus est continuo, oravit, sanitati restitutus est. Sequente autem die claris indutus vestibus, valentior atque sanior solito apparuit. Mirantur omnes qui eum novere perculsum, tam repente convaluisse; sed ipse alia fingebat, componebat orationem aliorsum verba detorquens ac deberet. Verum cum sæpe mendacio contra verum stare homo assuesceret, faciendi assiduitas aluit audaciam, audacia vero congeminavit crimen, crimen quoque meritam intulit mortem. Necdum triduo post hæc transacto, boves cujusdam pauperis rapuit, ditioni falsi juris subdidit, nimiisque laboribus pro libito sui proque temporis quantitate insudatum tenuit. Necdum boves reddiderat, et majora quidem actum ire forte cogitatu volebat, cum forte eadem passione qua primum percutitur, cadit in terram, miser tum quoque non homo esse, non mortale sonare videtur. Nam pro humanis verbis mugitus dat pro planctu, pro querela rabiem agrestium ferarum imitatur; orat amicos quo pro se rogent, nec refert quidem; deprecatur nuntiis, ut sese visitatum veniat monachus : id quoque minime quidem meretur. Igitur eodem die quo rursus percussus eadem infirmitate est, vitam quam postposuerat, perdidit, mortem quam secutus fuit, vidit, invenit, sensit.

Cap. XVIII. *De inventione corporis S. Bertini.*

Modernis temporibus exigentibus iniquitatibus nostris, ut oraculo cœlesti ostensum est, utque digestum penes nos invenitur in memoria S. Vincentii martyris, ultio super nos divinæ pendebat indignationis : nosque usque ad animam perculisset, nisi idem sanctus martyr cum sanctis patronis nostris, Audomaro videlicet atque Bertino, intercessores pro nobis coram Domino assurrexissent. Verum misericors Dominus sanctorum suorum interventionibus flexus ad pietatem, indignationis suæ ad tempus distulit correptionem, confessionis plenitudinem ac sanctæ conversationis præstolans meliorationem. Hac itaque redargutione unanimiter perterriti et ad tempus pœnitentia ducti, cum finetenus in novi hominis sinceritatem æmulatione sancta foret enitendum, a nonnullis iterato reditum est in luti volutabrum. Tandem iniquitatum nostrarum enormitate irritatus supernus Arbiter, exteriorem domum suam, uti longe antea divinitus comminatum fuerat, igni miserabiliter ad devorandum deliberarat, et ut dictum est, *a sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX, 6), ædes Dei subito igne invaduntur : qui rapacitate sua totius claustri gyrat confinia, et nihil intermisso exterminavit omnia. His ita consumptis, insecuta nocte cuidam seniorum nostrorum in somno visum est videre quemdam magnificum virum, habitus candore niveum, vultus splendore fulmineum, quodam loco claustri perstitisse, diligentique obtutu circumspectis omnibus extenta dextera omnem cœnobii locum benedixisse. Qua de re etiam colligitur locum a quibusdam commissis jam expiatum, demumque in pristinum vel potiorem decorem aliquando miseratione Dei convertendum. Interea nobis dio expositis denuo necessitate cogente tecta reparantur, murisque utrimque adhuc stantibus superponuntur. Cunctis pro tempore ac pro posse repa-

Digitized by Google

ratis seu potius dealbatis, ædificandæ ibidem cryptæ causa cardinale (56) S. Martini altare mutandum fuerat, quod sine pontificis fieri præsentia minime decebat. Cujus rei gratia accitus episcopus satis benevole accurrit, aram destructurus cum multis accessit, illaque subversa domum rediit. Quo in loco dum uti ad locanda fundamenta altius foditur, dum multa terrarum copia effertur, ecce sub ipso sacrato altaris loco quoddam apogæum (57) duris lapidibus, tegulis, antiquoque cæmento operose conditum offenditur : nec tegi, nec detegi ultra illud permittitur, ne forsan si absque bonorum virorum testimonio detectum solveretur, aut tectum aliquandiu fratres hujus loci occultare conarentur, quorumcunque æmulorum derogationibus criminarentur. Tandem super hoc communicato proborum consilio, pluribus idoneis testibus circumstantibus, cum processionibus, crucibus paratis et cereis acceditur, et fratribus, ut decebat, interim litanias cantantibus, cunctisque demirantibus apogæum detegitur, ac multo multorum sudore a prima diei hora usque in vesperum ferreis instrumentis vix dissipatur. Quod tandem apertum, plumbeum scrinium omnium astantium oculis apparet continuisse, illoque soluto cunctis circumstantibus emerita cujusdam sancti membra revelantur, et sub dextero ejusdem sancti humero crux argentea reperta extrahitur, fratribusque ad manus profertur, has tantum trium verborum continens notulas : Sanctus Bertinus abbas.

CAP. XIX. *Miraculum quod factum est eodem momento quo sancti viri corpus inventum est. Leonis papæ licentia pro ejusdem elevatione.*

Talibus ergo indiciis pretioso super aurum et topazion invento ac comperto beatissimi Patris corpore, cum eatenus diutina et gravissima omnis terra decocta pessumdaretur siccitate, ecce eodem momento præmissis multis tonitruis atque coruscantibus fulminibus plurima subsecuta est inundatio pluvialis. Qua sufficientissime debriata tellus, cultoribus suis in novos fructus sese rediviva spe jamjamque cœpit dilatare. Facta est autem hujus sacratissimi corporis inventio anno assumptæ humanitatis Christi millesimo quinquagesimo, decimo sexto Kalendas Julii. Sacro igitur corpore jam revelato, ut dictum est, ac detecto, eadem urna sua retegi, et loculus, ut pridem fuerat, jubetur remuniri, quousque majorum consultu, quid super ipso foret agendum posset deliberari. Hac tempestate domnus papa Leo, cognomento Bruno, sanctæ Romanæ præsidebat Ecclesiæ, cujus sagacitatis ac probitatis fama per totum orbem spirabat odorem suavis fragrantiæ; ad quem necessitate urgente, quo majorum auctoritate fratres hujus loci corroborarentur, fidelis legatus exquisitus et repertus dirigitur, quatenus quid quid de his ipse apostolicus cum gravioris consilii viris egregium sentiret, eis pro nomine Domini mandare eodem legato non differret. Quem cum adiisset, ac jam coram eo admisso sibi data copia fandi esset, rem gestam per ordinem domno papæ succincte, prout in multis tunc occupato exposuit, testimoniaque Scripturæ, et crucem cum sacro corpore repertam quam secum pro testimonio tulerat, obtutibus ejus præsentavit. Quibus visis, et hi qui tunc forte secum aderant, uti qui ad Romanum concilium tunc convenerant, scilicet patriarchæ Aquileiæ, archiepiscopis, præsulibus, abbatibus, ducibus ac primoribus, demonstratis talibus ait veritatis indiciis nequaquam debere diffidi, sed tutius ac firmius credi, præsertim cum in multis annalium gestis satis possit inveniri, cunctos pene Galliæ terminos, maximeque nostra ac cætera maritima loca frequentibus Danorum incursionibus, deprædationibus incendiisque populata, et ob id multa sanctorum corpora quædam a locis minus tutis translata, quædam vero clanculum, sicut de sancto Bertino factum constat, vel maceriis vel terris sunt recondita. Quibus responsis apostolici domno abbati Bovoni fratribusque hujus loci ab eorum nuntio relatis invitantur domnus Wido Remorum archipræsul et Drogo Morinorum episcopus cum multis spectabilibus personis. Diversique cum eis adsunt abbates e diversis locis adventantes; innumeræ populi huc ruunt multitudines.

CAP. XX. *De elevatione ejusdem protectoris nostri Bertini.*

Anno igitur Verbi incarnati millesimo quinquagesimo secundo, sexto Nonas Maii, paratis præsulibus, abbatibus, monachis atque canonicis, quibusdam etiam laicorum majoribus in testimonium intromissis, cum processionibus ad sanctum locum acceditur, litaniæ canendæ incœptantur, missisque operariis scrinium sacrati corporis effodi jubetur.

CAP. XXI. *Miraculum factum dum sacrosanctum corpus a terra elevaretur.*

Cum vero sanctissimi Patris Bertini membra per manus pontificum atque abbatum extraherentur, et, ut decebat, venerarentur, aqua vinoque rorata piarentur, astabat seorsum quidam clericus, Berwoldus nomine, unius oculi lumine orbatus, qui jampridem eousque utrosque oculos perspicuitate pares habebat, sed nescio cujus mali causa antehac quamdam venam secandam contiguam oculo, ut medicaretur, sibi incidi fecerat, unde omne lumen ejusdem oculi amiserat; sed id præter paucos et domesticos suos ruboris causa pene cunctis celaverat. Hic sancti Bertini patrocinium, ut a Domino sibi reddi lumen amissum obtineret, intimis precibus deposcebat atque quolibet sanctorum membrorum quæ inibi

(56) *Cardinale altare*, infra cap. 31 *capitaneum altare*, id est primum altare in apside seu in fronte basilicæ pone majorem aram locatum, in quo missa matutinalis celebrari solita dicta *missa cardinalis*, supra lib. II Mirac., cap. 7. Certe altare S. Martini hactenus eodem loco existit, et in eo missa prima quotidie celebratur. Cardinalis ara dicitur *principalis* infra.

(57) Apogæum, fornix subterraneus, crypta.

Digitized by Google

attrectabantur tangi sibi oculum multopere anhelabat; sed appropinquare minime sibi permitti metuebat. At fratribus tantæ rei sollicite psallendo intendentibus jam dictus clericus oculi unius carens lumine, cum sanctis artubus, ut jam dictum est, vereretur accedere, quemdam fratrem aliquod sacrorum membrorum summotenus digitis suis obsecrat attingere, suoque cæcato oculo eisdem digitis signamen imprimere. Quo facto, mox ille lumine ditatur diutius exspectato. Et sane quod Dominus ad laudem sui nominis et ad sancti meritum propalandum fieri concessit, in se ipse stulto pudore reticeri voluit, sed forte tunc cuidam Arnoldo sibi familiariter adhærenti mussando intulit, bono omine suo se illuc admissum, eo quod præsentis sancti attactu diu amissum receperit visum, eumdem omnino obtestans ut hoc taceret, nulli unquam aperiret. Verum alter nequaquam tantæ ejus insensibilitati acquievit, sed circumstantibus mox detexit. Quod quidam fratrum vere contigisse comperiens, extenta manu cunctis silentium indicens, eumdem unius oculi visu diu damnatum, tunc vero meritis sancti exspectato luminis dono clamitat reparatum.

CAP. XXII. *Secundum miraculum eodem die patratum.*

Quædam mulier cum filio brachia cruraque constricto S. Bertinum pro illius salute rogatura foris extra templum perstabat in atrio; quæ etiam antehac cum eumdem puerum duodennem Coloniam ad S. Heriberti cæterorumque sanctorum inibi quiescentium suffragia cogitaret devehendum, quatenus eorum meritis obtinere forsan mereretur officia membrorum. Ad hæc idem, quanquam puer, inquit se per visum jam ter admonitum ne quoquam deportaretur, nisi prius ad S. Bertinum latus ejusdem merita experiretur. Cumque illuc etiam per visum ventum esset et oratum, item idem quatuor columbas candidissimas vidisse se ait avolantes foras monasterium ipsumque altare concussum instar folii contremere, seseque coram eo prosternentem, nec mora inde meritis sancti sospitem surrexisse. Id ergo puero genitrici referente jamjamque fama elevandi sancti assequente, eodem cum puero multis comitata advolat, proventumque Domini interventu S. Bertini pro foribus præstolans monasterii, supplex cum filio perstabat. Cumque ipsa inter comprimentes turbas ad osculandum sancti feretrum impingeret, ac repulsa importuna repeteret, puerumque sancti feretro apponere multo conamine niteretur, Deo annuente idem puer brachia cruraque directus sospitati donatur. Quod multi cernentes, quidam astantium oppressæ matri succurrunt; quidam vero puerum comprehensum efferunt. Quo facto, tumultuantis innumeræ multitudinis clamor attollitur, Deus mirabilis in sanctis suis (*Psal.* LXVII, 36) vulgo prædicatur; quoniam puerum quem paulo ante vix repentem noverant, hunc præ oculis suis incedentem prævia matre cernebant. Fratribus interim in choro ad missas psallentibus, hujus rei odor illis illabitur suavissimus. Quod dum ab illis utrum verum foret adhuc quæreretur, idem puer meritis S. Bertini sanatus ingreditur, erectusque in medio illorum ducente matre coram altari secundum modulum suum Deo gratias acturus prosternitur, et dicto Evangelio domnoque archiepiscopo coram, altari hymnum *Te Deum laudamus* inchoante atque multipliciter choro subsequente, multos Christo in re gesta conjubilantes, multos lacrymari præ lætitia cerneres.

CAP. XXIII. *Tertium miraculum eodem die de muliere cæca.*

Necdum vero hymno completo et adhuc multis flentibus præ gaudio, quædam etiam mulier cæca hujus civitatis mansionaria, ideo cunctis fratribus notissima, tunc visum recepisse denuntiatur; ipsaque in conspectu omnium nuntium hujusmodi comitatur, ac puero ad laudem Dei et ad meritum S. Bertini protelandum prostrata admiscetur. Quanta vero exsultatione quantave dignitate ea die in Domino exsultatum ac delectatum est, nullius assertio ad plenum expedire sufficiet. His ita gestis, celeberrima dies illa cum inenarrabili gloria consummatur. Sequenti vero die item ad diem acceditur, atque testis gestæ rei cautio ordinem, tempus, personam ac testes continens, astante innumera populi multitudine recitatur, ac perlecta cum inventa cruce sacrosancto corpori componitur: sicque compositum summi præsulis sigillo signatur, scrinium claditur, ferreis circulis clavisque arctatur, consuitur, vincitur, indissolubiliterque connexum cum innumeræ multitudinis tripudio in Sancta sanctorum (58) cum reliquis inducitur magnificandum: ubi nunc usque veneratur et, Domino annuente, venerabitur in sæcula sæculorum. Dehinc autem sacræ elevationis diem memorialem summus præsul ac domnus episcopus noster a cuncto populo hujus diœceseos deinceps venerandum multaque devotione singulis annis indixerunt colendum. His ita peractis et dominis præsulibus et abbatibus quiddam sanctarum reliquiarum impetratis, singuli singulis donati muneribus ad sua remearunt lætius.

CAP. XXIV. *De quodam cæco, dente S. Bertini illuminato.*

Quorum unus, videlicet abbas S. Walerici (59), sanctarum reliquiarum quiddam adeptus, postquam peracto sacræ elevationis solemnio domum est reversus, quidam rusticus utrorumque orbium pupillis gravibus maculis obductis cæcatus, puero sibi dirigente gressus accessit ad eum, quidlibet medicationis postulaturus. Cui ille: Nihil, inquit, antidoti tali morbo novi salutiferum, præter cunctipotentis

(58) Id est in sanctuarium seu locum majoris altaris. Iperius cap. 28 Mathildis *cortinam dedit mira magnitudinis operisque præcipui, quæ adhuc hodie durat, et est illa qua utimur in Quadragesima sancta, distinguens a Sanctis sanctorum.*

(59) Is erat Waso, abbas monasterii Leuconaensis seu Walarici ad ostia Somenæ in Oceanum, infra cap. 31.

Digitized by Google

salutarisque Domini nostri Jesu Christi proventum. Verumtamen cujusdam celebris sancti sanctissimo elevationis obsequio nuperrime nonnullis concurrentibus et ego conveni, sanctoque hujuscemodi negotio quamvis immeritus interfui, ibi quoque quanti idem sanctus fuerit meriti, diversis miraculorum magnalibus Dominus cunctis nobis declaravit. De quo etiam unius sacrorum dentium dono ditatus huc regrediens attuli tali munere gavisus, et si fidem adhibueris ejusdem meritis sancti te posse sanari, acturum tibi jubebo præsentari. Ad hæc ille : Confido, inquit ; isque mox in conspectu astantium afferre præcepit. Quo allato et utrisque ejus luminibus adhibito confestim revelatis oculis, clare videre cœpit, atque super hoc nomine Domini benedicto sospes hilarisque domum rediit.

CAP. XXV. *De quadam muliere vinculis ferreis ligata, et ad sepulcrum sancti viri soluta.*

Mulier quædam de Lotharingia, vinclis ferreis brachia utraque habens pro pœnitentia constricta, in hoc cœnobio anno Verbi incarnati millesimo centesimo vigesimo quinto, multis astantibus, precibusque sanctissimi Patris nostri Bertini a dictis vinculis solvitur.

CAP. XXVI. *De quadam puella nervis contracta.*

Puella quædam, Goduina nomine, membra habebat integra, sed nervis contracta. Ad sepulcrum beati viri anno gratiæ millesimo centesimo, vigesimo sexto sunt ei crura erecta.

CAP. XXVII. *De abbate Lobiensi.*

Quidam abbas Lobiensis, nomine Leonius, postea in regimen hujus Sithiensis cœnobii postulatus et assumptus, in parochia S. Bertini in territorio Furnensi quamdam ecclesiam anno gratiæ millesimo centesimo trigesimo quinto sine assensu capituli ejusdem sancti construxit : quam ita ventus vehemens meritis sancti jam dicti concussit, ac de terra evolare fecit, ut nec junctura lignorum alteri remaneret.

CAP. XXVIII. *De quodam abbate de Claromarisco.*

Anno assumptæ humanitatis Christi millesimo centesimo septuagesimo primo, tempore bonæ memoriæ domni Godescalci hujus loci abbatis, res accidit celebri et illustri digna memoria, et omnibus Sithiensium possessionum pervasoribus terribilis et formidanda. David enim non multo postquam consecratus est abbas in ecclesia de Claromarisco, levato calcaneo contra ecclesiam B. Bertini, conductus aquarum et fossata per mediam terram prædictæ ecclesiæ in villa de Arkas molitus est facere. Quæ villa ab antiquis temporibus absque omni calumniæ inquietatione ejusdem ecclesiæ propria et libera fuisse dignoscitur. Nec hac præsumptione contentus, insuper ecclesiam S. Bertini ingressus, quod præsumptuose incœperat, effectui se daturum secundum voluntatem suam, licet contradicentibus monachis, superbe et arroganter comminatus est. Verum tantæ arrogantiæ et præsumptionis impatiens ultio divina haud longe post subsecuta est ut illud impleretur :

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum.

Nam sequenti die prædictum opus aggressus, operarios suos pro libito suo de conductu faciendo docturus, in eodem loco equo suo sub eo calcitrante humi prostratus est ; ibique confracto crure, qui sanus equi transvectatione advenerat famulorum manibus domum in lectica deportatus est, ab invasione terræ nostræ deinceps desistens, et terribile et formidandum invasoribus terræ sanctorum (ut dictum est) exemplum relinquens.

CAP. XXIX. *De quodam homine festum sancti non colente.*

In burgo S. Audomari, anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo quarto decimo, homo quidam, Michael nomine, professione tonsor, in die depositionis B. Patris nostri Bertini, cum a nonnullis vicinis suis objurgaretur quod festum sancti non observaret, nec ideo minus operabatur ; sed sanctum verbis convicians et in contumelias prorumpens, a dæmonio correptus per longum tempus in vase ligneo quo pasta pistari solet, fauibus ligatus jacuit Quem tamen aliquanta sanitate per Dei misericordiam et sancti patrocinium recepta, melioratum in Ecclesia nostra ante sanctum altare in choro vidimus, astante domno abbate Joanne tertio et monachis quampluribus, Dei exorantem humiliter et devote clementiam et sanctorum suffragia implorantem.

CAP. XXX. *De quodam sacerdote S. Bertinum et omnia ad eum pertinentia maledicente.*

Cum presbytero de *Remynghem*, anno Domini millesimo ducentesimo nono decimo, non licuerit comedere in refectorio in depositione B. Bertini, iratus in burgo comedit. Qui cum domum rediret, cum canonicis Watiniensibus in navi sanctum Dei Bertinum cœpit maledicere, et excommunicare et omnia quæ ad eum pertinent. Quem gladius Dei, vindictam sumens ab eo, fere medium secuit, cum in amne nescius a quo præcipitatus fuisset submersus, nisi canonici extraxissent eum. Quod quia blasphemo ore et corde maligno iteravit, iterato factum est.

Item de alio sacerdote sanctum Dei blasphemante.

Eodem anno, Joannes presbyter de *Rubroch* cum talis ludens ad aleas nescio seu ad scacos, dum perdidit, sanctum Dei Bertinum maledicere cœpit et omnia quæ ad eum pertinebant ; et cum improperium ejus quamplurima blasphemiæ verba protulisset, ac si ventus validus veniret, sonitum audivit, et alapam magnam in maxilla recipiens super scacarium vel alearum tabulam recidit, et per triduum mansit incibatus, neque audiens, neque videns.

CAP. XXXI. *Copia translationis S. Bertini.*

« PETRUS Dei gratia Morinorum, et Asso Dei gratia Atrebatensium episcopi, universis Christi fidelibus

Digitized by Google

ad quos præsentium notitia pervenerit, æternam in Christo salutem.

« Cum ad honorem Dei qui in sanctis suis creditur honorari, de corpore B. Bertini abbatis fieret translatio a scrinio in quo per centum et octoginta quinque annos jacuerat, sicut ex scripto ibidem reperto perpendi potuit evidenter, inventum est sanctissimum illud corpus scrinio memorato pannis sericeis, licet vetustate vehementer attritis, diligenter involutum et ligatum, et sigillis authenticis consignatum; et cum solutum et apertum fuisset, inventa est inter ipsa sancta ossa crux argentea, in qua fuit manifeste litteris capitalibus exaratum : Sanctus Bertinus Abbas. Deinde a perquirentibus studiosius intra pannos prædictos inventum reconditum illud scriptum, de quo supra fecimus mentionem, cujus tenor talis erat :

[« Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, regnante Francorum rege Henrico anno vigesimo quarto, et octodecimo anno præsulatus domni Widonis Remensis Ecclesiæ archiepiscopi, anno vigesimo nono Drogonis Tervanensis Ecclesiæ episcopi, principatum Flandriæ regionis tenente inclyto marchione Balduino (Insulano *scil.*) anno septuagesimo, anno regiminis domni abbatis Bovonis quinto decimo, corpus beatissimi Patris Bertini, quod biennio necdum expleto sub capitaneo S. Martini altari fuerat repertum, levatum est sexto Nonas Maii ab iisdem dominis episcopis de plumbeo scrinio ab eo loco, ubi olim a sancto Folquino translatum et recondi- C tum fuit. Hæc autem inventionis, imo levationis hujus fuit causa : Monasterium incendio dissipatum minabatur ruinam; cujus restaurationi dum fieret crypta, et ejus jacerentur fundamenta, insperato apparuit tam sanctissimi corporis gleba. Jacuerat in sarcophago, quo ab Helfrido, quem ipse adhuc vivens abbatem ordinaverat, sepultus est, annis fere centum quadraginta novem; in plumbeo vero scrinio, quo (ut diximus) a S. Folquino sub altare terra reconditus est, ducentis et sex annis usque ad tempus nostrum : quo levatus præsentibus viris A boni testimonii et vitæ probabilis, videlicet Widone archiepiscopo et Drogone episcopo in præsentia dominæ Athletæ (60) comitissæ, uxoris prædicti marchionis, quæ in hoc officio devotissime descrivit Deo et sancto Bertino; præsentibus quoque abbatibus his, Bovone abbate hujus loci, Heremaro abbate cœnobii S. Remigii, Renuldo abbate S. Winnoci, Gervino abbate S. Richarii, Folberto abbate S. Bavonis, Heriberto abbate S. Judoci, Wasone abbate S. Walrici, Alfrido abbate Sancti Wlmari; canonicis vero Remensis Ecclesiæ Olrico, Constantio, Hugone; Tervanensis Ecclesiæ clericis Joanne archidiacono, Theodorico, Gozelino, Balduino, et aliis quampluribus; S. Audomari Regardo, Norberto, Auberto, Odberto, Margero, B Remboldo. His omnibus cum innumera multitudine est levatus et in hoc scrinio repositus per omnia benedictus. Amen.]

« Quo etiam die Dominus per ejus merita tria miracula operatus est. Igitur memoratum corpus a prædicto scrinio in aliud novum decenter transpositum translatum est a nobis, et repositum in capsam novam de auro et argento et lapidibus pretiosis ad hoc honorifice præparatam, XVII Kalendas Augusti, quarta (61) scilicet feria ante festum Mariæ Magdalenæ, anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo septimo, regnante excellentissimo Francorum rege Ludovico filio Ludovici, et fratre ejus inclyto Roberto comitatum Atrebatensem obtinente in principio comitatus sui, præeunte abomnibus et cooperante gratia Dei Salvatoris nostri, qui sanctorum corpora reformabit claritati sui corporis conformata. Facta est autem hæc translatio solemniter a nobis et per nos in ecclesia prædicti sancti, præsentibus quampluribus abbatibus et præpositis, cæterisque Ecclesiarum prælatis et aliis bonis viris, Jacobo tunc Ecclesiæ B. Bertini venerabili abbate præsidente. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillis nostris fecimus roborari, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo, septimo decimo Kalendas Augusti. »

(*Hic index capitulorum apponitur in mss. codd.*)

(60) Lege *Adhelæ* filiæ Roberti Francorum regis, uxoris Balduini Insulani, quæ mortuo marito anno 1057, *in Messinis sanctimonialium construxit cœnobium : et devote limina apostolorum visitans, a papa Alexandro secundo vidualem suscepit habitum. Sicque reversa in monasterio suo Messinensi humillime vixit, et plena pietatis operibus obiit, ibique sepulta est.* Ita Iperius cap. 38 parte II.

(61) Lege *quinta :* nam eo anno dies Dominica littera D prædita erat.

Digitized by Google

RELATIO

DE INVENTIONE ET ELEVATIONE

S. BERTINI ABBATIS

QUÆ FACTA EST ANNO INCARNATIONIS DOMINI 1052,

A. BOVONE *abbate Sithivensi digesta.*

(MABILL. *Acta SS. Bened.* Sæc. III, parte II, pag. 153. ex mss. codd. Sithivensi et Claromariscensi.)

Epistola Bovonis ad Widonem Remorum archiepiscopum.

Domino præstantissimo archiepiscopo WIDONI frater Bovo indignus abbas Sithiensis cœnobii, inter benedictos benedicit.

Dum in corpore sanctæ Dei Ecclesiæ sub Christo summo capite eminentius membrum, domine Pater, sis constitutus, et, ut ita dicam, collum te capiti oporteat uniri atque inhærere vicinius, utriusque partis, animæ videlicet et corporis, valitudine omnimodis tuam reverentiam pollere desidero, quatenus nos suprema atque debilia membra, te salubriter mediante, tam sano capiti Domino nostro possimus concorporari: ne (quod absit!) secus agentes, penetrabiliore ejus gladio scindamur juxta illud Evangelii: *Non veni*, inquit, *mittere pacem, sed gladium* (*Matth.* x, 34). Quod autem sublimitatem tuam talibus imperitiæ meæ convenerim verbis, haud tantum temeritatis quantum instinctu agitur charitatis, quæ juxta Apostolum *omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII, 7). Salus etenim pastoris tuta spes est gregis. Nam postquam promerui ad tuæ paternæ charitatis benignitatem notificari, tametsi minimum profuerit, semper tamen tuæ salutis sollicitus fui, et quosque ad nos de illis partibus supervenientes de fortuna tui percunctari solitus, dum incolumem ac valentem tuam haberi nobilitatem comperiebam, gaudebam; sicut e contra dum ægram, condolebam: quippe qui Pater noster spiritalis ac summus pastor haberis. Præterea devotio paternitatis tuæ, quæ elevandi corporis S. Bertini causis dudum tam prompte tamque devote deservivit, nos fidelitati tuæ gravioris debiti obnoxios reddidit, ut jugiter salutem tuam suspirare, eademque continua intercessionum vota divinis auribus debemus infundere. Quæ res etiam, ut charitas tua meminit, apprimum meam exiguitatem tuæ magnificentiæ notificari compulit. Cujus rei gratia cum tuam adissem paternitatem, super hoc tuæ consultum quæsiturus, non modo ad investigationem meam satis utili consilio instructus, verum etiam exspectata adventus tui sponsione domum redii lætus. Ubi, domine Pater, cum dicto die una cum sancto cleri tui conventu adesses, atque elevandis sacris artubus ipse satis devote inservires quam honorifice quamque mirifice ipsa celebris sancti elevatio peracta sit, nullus tua experientia profecto melius norit: quippe quæ celsitudinis tuæ potentia sublimata, auctoritate consistit subnixa. Quod cum ita sit, ad describendum idipsum ac posteris notificandum meæ imperitiæ manum charitativa fratrum nostrorum exactio suggerit, non quia illis quavis præstem scientia, cum cuncti me probitate, nonnulli etiam intellectus præcellant perspicacia; verum ut ipsa sanctæ elevationis series dignior censeatur, si majoris nominis titulo, scilicet abbatis nomine insigniatur. Quorum tamen conatibus nec in totum renitens, nec in totum cedens, tuæ magis judiciali sententiæ relinquo, meque sequendum profiteor quidquid super hoc potissimum judicaverit paternitatis tuæ celsitudo; ita tamen ut, si relatu dignum duxeris, meamque exiguitatem imperiosa auctoritatis tuæ potentia ad id denotandum impuleris, cum tuis sanctis promptus pro posse paruero jussionibus, tuæ paternitatis excellentiæ utcunque congestum venerit ad manus, quæque ejus superflua apostolicæ auctoritatis confodiatur obelis, minus dicta dilucidentur asteriscis; quatenus sicut tua gloriosissima et exspectata sanctæ auctoritatis præsentia eadem sacra elevatio magnifica habetur, sic ejusdem denotatio eodem astipulatore ac præside corroboretur.

Widonis rescriptum.

WIDO Remorum archiepiscopus venerabili abbati BOVONI.

Quoniam opera Domini narrare honorificum est, dignum ducimus tuæ consulere inquisitioni, quam pro describenda inventione pariter et elevatione corporis S. Bertini nobis effudisti. Gaudemus enim et judicamus idipsum gestis litteralibus mancipari, unde Deo placuit Ecclesiam vestram tam sublimiter insigniri. Et ut tuis apicibus denotasti, cum hæc tuo stylo descripta fuerint, nobis referenda mandamus, tuæ paternitati injungentes, ut sicut vere factum est describas: quatenus descriptioni tuæ, cum in manibus nostris venerit, nihil sit addere necessarium vel auferre. Fideliter plane veraciter-

Digitized by Google

que talia oportet describi, ut hæc ipsa ei placeant, qui se Veritatem innotescit. Vale.

Bovonis epistola dedicatoria ad Widonem.

Glorioso Dei gratia domno WIDONI *archiepiscopo cum omni suæ curæ credito sanctæ Ecclesiæ Remensis clero, frater* Bovo *peccator quem dicunt Sithiensium abbatem, beatam cum dextræ partis ovibus portionem.*

Suscepto reverentiæ tuæ mandato, o præsul magnificentissime, quo elevationem sacrosancti Patris nostri Bertini jubes pauperis styli nostri ordiri denotatione, tum ejusdem sancti pia devotione, tum tuæ apostolicæ auctoritatis præcep ione, tum fratrum nostrorum quotidiana obsecrationis importunitate, ne tuæ celsitudinis jussioni contrarius videar, pro captu ingenioli nostri, quanquam minus idoneus, eam utcunque narraturus aggrediar. Cumque veritatis viam cursurus nostræ imbecillitatis manibus jam ventis vela prætenderim, si forsan æmulæ tempestatis turbines naufragosa discrimina intentaverint, tuæ ad hæc stationis sinu recreandus excipiar, benefidæ manus tuitione defenser. Par est enim me tuæ nobilitatis tutela confidentem sauro tuæ defensionis protegi, cujus jussu tantæ oneris onera quanquam fragilis perferenda suscepi.

Dehinc vos sanctæ Remensis Ecclesiæ filios dominos nostros supplex deposco, quatenus fraterni affectus reminiscentes, nunc mihi sitis præsidio: et quandocunque hæc nostræ nugacitatis congeries apostolica porrigente dextera vestras devenerit in manus, eidem vestros reverendos ne avertatis intuitus; sed quæque ejus insulsa sale vestræ peritiæ jussu domini archipræsulis condire non negetis, sicque fratres fratris onera ad jussum Apostoli ferre juvetis (*Gal.* VI, 2). Non autem congestum est ut hoc sibi peritorum solertia dignetur, sed ut in hoc vel simpliciores nostri meditantes occupentur, aut saltem parta dictandi materies inde perito cuiquam quomodocunque habeatur, ut etiam, juxta Apostolum qui non laboravit sibi soli, sed omnibus (*I Cor.* XV, 10), sedulo in Christo laborare volentibus series nostræ orationis ordiatur, tum vero exemplar Justi, tum quidem viri speculum pro posse nostro imitetur. Sic ergo fiat, ut et deliciosi reperire valeant quid optent, et fame sitique gravati viatores unde Dominum sibi concilient. At vero qui sunt, et quæ ac quibus infundant, puer Ægyptius in via lassescens a domino suo Amalecita abjectus congrue dilucidat. Qui a David persequente repertus ac ejusdem dapibus sufficienter refectus, eidem non solum ad insequendum Amalecitam conjungitur, sed et eo duce profanus ille inventus perimitur. Ad has quoque quibusdam invitatis dum varias occasionum suarum causas prætendunt, pauperes, debiles, cæci et claudi ad exitus viarum reperti admissi sunt. His igitur simpliciores nostri accumbentes consedeant, hi soli, hac nostrum sumpturi, participari congaudeant. Et ne vestram magnificentiam, o viri apostolici, illarum sufficientia divitiarum tam quotidiana tamque sedula fastidiat, his abjectionis nostræ oleribus aliquantisper vobis cum vestris intendere libeat, donec examinis vestri sententia discernatur utrum vel parvulorum usibus digna an indigna habeatur. Hinc affectu infantis quodcunque audierit fari volentis, sed necdum verba ad plenum formare potentis, cum nonnullas rerum convenientias scribendis gestibus antehac pervenisse meminerim, quorum plura ego ipse viderim, quædam majorum haud spernendorum virorum relatu didicerim, eademque hic utcunque balbutiens prælibare quam tacere malim, quatenus his aliis admistis, quomodo hoc tempore circa nos, in quos fines sæculorum devenerunt, mirificaverit misericordias suas Dominus, lucidius cunctis emicet, et ex hoc dignius in laudes Dei sanctique sui Bertini totus nostræ religionis incolatus tripudiet.

Dehinc diligens lector haud mihi nunc indignetur, si simplicioribus nostris notandi opusculi intentio prælibetur, ne cum solito duriora legentes offendederint, extimescant; sed quomodo et ad quod dicantur significantius capiant. Dulcior quippe nobis est apum labor, si prius ora tinxerit malus sapor. Gratius astra micant, ubi notus nubes fugaverit densissimas. Haud secus Dominicas imprimis comminationes atque castigationes re gesta cum subsequente provectu divinæ misericordiæ posterorum traditurus memoriæ, pium ac justum judicem Dominum nostrum nos multipliciter delinquentes, nunc minis suis terrificasse, nunc duris objurgationum suarum immissionibus digne multoties dixerim correxisse, quatenus nobis ejusdem mali saporis gustu ad tempus exacerbatis, post supervenientis grex Dei gratioribus exhilaremur donis; atque toties super nos factæ visitationis semper memores, in reliqua vitæ nostræ tempora simus emendatiores. Verumtamen non hæc Dominicæ invectionis flagella cujusquam aures offendant, sed potius quicunque his se correxerint, in susceptionem filiorum recipiendos congaudeant, recolentes quod sacra Scriptura nos instruit: *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6), etc.

NARRATIO AUCTORIS.

1. Cunctis namque sanctæ Dei Ecclesiæ filiis habetur notissimum civitatem Hierusalem quondam, sicut evangelica approbat assertio, misericorditer deflevisse Salvatorem nostrum, ejusdemque civitatis comminando futuræ ruinæ cuncta prædixisse dispendia, ac postea ad dictum Domini contigisse omnia. Haud secus modernis temporibus exigentibus iniquitatibus nostris, ut oraculo cœlesti ostensum est, utque digestum penes nos invenitur in memoria S. Vincentii martyris, ultio super nos divinæ pendebat indignationis, nosque usque ad animam perculisset, nisi idem sanctus martyr cum sanctis patronis nostris, Audomaro videlicet atque Bertino, intercessores pro nobis coram Domino assurrexissent. Verum miserator Dominus, piis sanctorum suorum interventionibus flexus ad pietatem, indi-

Digitized by Google

gnationis suæ ad tempus distulit correptionem, confessionis nostræ pœnitudines ac sanctæ conversationis præstolans meliorationem, ut enim propheta memorat: *Non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 23). Hac itaque redargutione immaniter perterriti et ad tempus pœnitentia ducti, cum fine tenus in novi hominis sinceritatem æmulatione sancta foret emitendum, a nonnullis more suillo iterato reditum est in luti volutabrum. Tandem iniquitatum nostrarum enormitate irritatus supernus Arbiter, exteriorem domum suam, sed malis nostris urgentibus speluncam latronum factam, uti longe antea divinitus comminatum fuerat, igni miserabiliter ad devorandum deliberarat. Nulli autem sit dubium utrum casu fortuito an prælibatæ rei gratia hujus combustionis super nos ingruerint dispendia, cum procul a monasterio illo igne exsurgente ac crescente, et ventus ei consurrexerit et concreverit, ac nonnulla domata transgressus, versus templum vehementiore flabro, imo peccato urgente, impulerit. Et ut dictum est : *A sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX, 6), sedes Dei subito igne invaduntur, lamentabiliterque edacis flammæ voracitate liquantur; et quod diutino multoque sudore elaboratum exstitit, tunc, proh dolor! unius diei hora consumpsit. Dehinc rapacitate sua totius claustri gyrat confinia, et nihil intermisso exterminat omnia. Verum, ut dictum est, nihil in terra fieri sine causa (*Job* V, 6), haud credendum est Dominum domum suam dimisisse perire frustra; sed ut diutinis malis penitus expiaretur, et ut domus sua interior, ibidem videlicet commanentes, a pravis actionibus suis deterrerentur, ne si malis suis nollent renuntiare, deterius ignis æterni post in æternum punirentur damnatione. Huc etiam illud memoriæ occurrit quod Quadragesimæ observatione illud discrimen nobis acciderit, quando cuncti sanæ fidei cultores potissimum errata aliorum temporum punire, atque ab his digna pœnitudine se operam dant expiare. Sic sic longanimis et multæ misericordiæ et verax Dominus, illo in tempore, hoc cœnobium cœnobitasque nos tanta incendii percussione multatos a cunctis peccati spurcitiis examinasse, et in reliquum vitæ tempus o utinam velit emendatiores esse, quatenus hoc rogo exstinguibili effecti castigatiores, æterni ignis cruciatus possimus evadere inexstinguibiles! Sic etenim plerumque Dei sapientia in corripiendo immissionem virgæ suæ modificat, ut et delinquentium emendanda pie puniat, demumque in ipsa castigatione quiddam boni miseratione sua foveat quod post in tempore suo opportune demonstrat, quemadmodum loco suo diligens lector inveniet.

2. His ita consumptis, insecuta nocte cuidam nostrorum seniorum (quem quia adhuc superest nolo nominare) in somnio visum est videre quemdam magnificum virum habitus candore niveum, vultus splendore fulmineum, quodam claustri loco perstitisse, diligentique obtutu circumspectis omnibus extenta dextra omnem cœnobii locum benedixisse. Qua de re etiam colligitur, locum a quibusdam commissis jam expiatum, demumque in pristinum vel potiorem decorem aliquando miseratione Dei convertendum. Interea nobis divo expositis ac murorum parietibus tectorum suorum honestate nudatis, denuo necessitudine urgente tecta reparantur, murisque utcunque adhuc stantibus supponuntur. Quid plura? cunctis pro tempore ac pro posse reparatis seu potius dealbatis, quidam nostrorum citius recto non multo post tempore visitationis suæ obliti et ad abrenuntiata irreverenter reversi, necdumque fæce malorum suorum exinanita, demum diabolicæ malignitatis illaqueantur pedica : cum ecce divina majestas nos territura, demum post aliquorum annorum curriculum in nos *gladium suum vibravit* (*Psal.* VII, 13), ac subita peste multam partem nostrorum lethotenus perculit. Nec erat tunc ulla morientium requies, sed dietim corruebant velut morbidæ oves. Cum illo vel illis defunctis adhuc eorum sepulturis inserviretur, ecce aliorum exitus subiti denuntiantur. Plurimi interim ejusdem pestis horrore affecti, atque singuli super se subito futuræ mortis suspecti, multam malorum suorum pœnitudinem iterato cœperunt gerere, ac intimis lacrymarum suspiriis exacerbatam malis suis Domini nostri faciem placare. Tunc cerneres illud apostolicum bene compleri : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* V, 16). Nec minus omnis peculiaritatis reculas in medium prôferri, ante pedes domini abbatis Roderici cunctas exponi, dignæ pœnitudinis et lacrymarum fluentis rebaptizari et, ut brevius concludam, his cunctisque malis abrenuntiari, et omnibus bonis inniti. Nec tamen sic omni Quadragesima cessatum est ab hujusmodi lue lethifera, donec undecim nostrorum defunctis, ac totius anni diebus quibus diutius abusi sumus in tali mœrore atque anxietate decimatis, festivum paschale solemnium instaret, omnemque ejusdem cladis lacrymam ab oculis nostris pietas Dei abstergeret. Quod undenarius numerus ad peccatum pertineat, sacræ auctoritas Scripturæ satis demonstrat; quia sicut Decalogus denarii summa completur, sic undenarii incremento transcenditur. Quare quemadmodum per denarium Decalogi observatio, eodem modo per undenarium peccati figuratur transgressio. Cur et hæc Quadragesimæ tempori convenerunt, et quod de eodem tempore supra notatum sit, diligens lector videat, ac quomodo res rebus, temporaque temporibus hic consequantur, rationis vivacitate colligat. At paululum cœptæ narrationis digressus textum, ad idem jam nunc reflecto calamum.

3. Interea sic nobis virga Domini flagellatis ac meliori viæ impulsis, paucorum annorum tempore emenso, sanctuarii parietes partim antiquitate, partim incendio cœperunt dissolvi, atque se cernentium capitibus ruinam minari. Unde consultu principum nostrorum meliorandi gratia ad destruendum illud manus injecimus, quatenus hoc renovato, in

Digitized by Google

reliqua renovanda operam extenderemus. Interim quidam de nostris simplicioribus nos adeuntes, hortati sunt cœpto constanter insistere operi, pollicentes Dominum nobis cooperari, atque post non multum temporis Sithiense cœnobium magnifice a Domino visitandum, et quiddam magni circa idem declarandum. Quibus tunc parvipensis, ad alia me mox convertebam, et maxime opportunis cœpti operis administrationibus sedulus intendebam. Sic inter operandum cum tempora forent emensa quatuor annorum, ac quinto dehinc anno exterior murus iam aliquantisper exsurgeret in altum, ædificandæ ibidem cryptæ causa cardinale sancti Martini altare mutandum fuerat, quod sine pontificis fieri præsentia (62) minime decebat. Quod post octavas Paschæ dum pararetur, dum absente episcopo ingentes terrarum moles quibus ara circumcingebatur, interim jussu nostro exportarentur, subito vehementioris ægritudinis molestia me graviter invasit, debilitatumque sine mora lectotenus prostravit : sicque servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, plagis vapulavit multis. Nec credo me tantum peccatorem cuncti reatus obnoxium tam sanctæ rei futuræ aliquomodo promereri interesse, in prius tanto Domini castigatus expiarer verbere. Ideoque aliquandiu res destruendi altaris tunc differebatur, ac interim copia terræ usque ad altare circumfossæ exportabatur; cum jejunio quarti jam me a languoris vexatione aliquantulum convalescente, quidam seniorum nostrorum me adiere dicentes aram illam jam exportata quæ in circuitu ejus erat congerie nutare, et, ni cito subveniretur, casuram fore; et ob id episcopum, quoniam tunc Tarvennæ fuerat, eclerius mandari oportere. Cujus rei gratia accitus satis benevole accurrit, sextaque feria ejusdem jejunii quarti aram destructurus cum multis accessit, illaque subversa eadem die nobis invitis domum rediit. Quo in loco dum sequenti die, hoc est septima (63) feria jejunii, uti ad locanda fundamenta altius foditur, dum multa terrarum copia effertur, ecce sub ipso sancto altaris loco quoddam apogæum duris lapidibus, tegulis, antiquoque cæmento operose conditum offenditur. Hoc comperto, nos quidem idipsum visuri accurrimus, et videntes super eo admodum mirati sumus. Nec tegi, nec detegi ultra illud permittitur, ne forsan si absque bonorum virorum testimonio detectum solveretur, aut tectum aliquandiu occultari conaremur, nos nostra imprudentia quorumcunque æmulorum derogationibus criminaremur. Neque ea die episcopus attingi poterat, quoniam præterita die statim evulso altari, ut dictum est, domum redierat. Tunc huc, tunc illuc vertitur animus, quod potissimum eligat valde anxius. Tandem super hoc communicato nostrorum consilio, huc nos converti visum est melius, ut his quos eadem dies attulerat innixi testibus, ad investigandum quodcunque esset procederemus. Tunc post vicedominum et castellanos et quosque majores cleri directo nuntio, ut nos omnes citi adeant invito. Et quoniam Sabbatum erat, quibusdam vero ad forensium legum jura convenientibus, nec mora haud contemnendus spectabilium personarum adest populus. Præterea fama hujuscemodi exciente plebeiam multitudinem eadem res non quivit latere; segregatim perstrepentes accurrunt stupide. Ut autem majoribus cessimus ad accedendum, data copia videndi loculum, actutum Landbertus prætor urbanus, aliis iisdem personatis viris conclamantibus, nequaquam se inde inquit amoturum pedem, donec rei inibi latentis dignosceret veritatem. Jam tum enim a nobis certum habebatur quod ibidem aliquis sanctorum corpore detineretur : verum de nullo minus quam de illo qui præter spem reperiendus erat sperabatur. Interea cunctis circumstantibus investigandæ tantæ rei gratia cum processionibus, crucibus et cereis peractis acceditur, et nobis, ut decebat, interim litanias cantantibus, cunctisque demirantibus detegitur, ac multo multorum sudore a prima diei hora usque in vesperum ferreis instrumentis vix dissipatur. Quod tandem opertum grandi satis artificii molimine plumbeum scrinium omnium astantium oculis apparet continuisse : illoque soluto cunctis circumstantibus dum panditur, emeriti cujusdam sancti membra revelantur. Deinde nondum apparente ejus sancti nominis titulo omniumque oculis ad hoc ipsum intentis, bis terque scrutato totius busti loculo, novissime sub dextro ejusdem sancti humero crux argentea reperta extrahitur, nobisque ad manus præfertur, his tantum trium verborum insignita notulis : Sanctus Bertinus abbas. Nec horret ab hujus sancti præconio, quod nobis adhuc insciis, neque de hoc donec contigit quidquam præmeditatis animo, satis congrue in jejunio quarti mensis tam dilecti Patris sancta contigerit inventio. Condecens enim fuit et valde commodum ut ad tam sacrosanctum accessuri commercium, quartæ et sextæ septimæque feriæ ejusdem jejunii parcimonia aliquantisper effecti purgatiores, ad tam venerandos sancti artus investigandos properaremus aliquanto digniores. Quæcunque vero antequam fiant possunt præsciri, ea pro modulo suo providentia valeant gubernari. Verum ista unde nulla cuilibet nostrum fuit notitia, quis ita disposita moderaretur, nisi solius Dei præscientia? etc.

4. Talibus ergo indiciis pretioso super aurum et topazion invento ac comperto beatissimi Patris corpore, cum eatenus diutina et gravissima omnis terra decocta pessumdaretur siccitate, ita ut universa segetum spe jam penitus sese frustrari quererentur agricolæ; ecce eodem momento præmissis multis tonitruis atque coruscantibus fulminibus plurima subsecuta est inundatio pluvialis, qua suf-

(62) Nota religionem illius temporis, quo aram loco movere citra nutum præsentis episcopi non licebat.

(63) Nempe XVI Kalend. Julii, anno inc. 1050, ut legitur in lib. II Mirac., cap. 19.

Digitized by Google

ficientissime debriata tellus, mox fructificando virescere, atque cultoribus suis in novos fructus sese rediviva spe jamjamque cœpit dilatare. Itaque ex tunc salubri rore omnes segetes confotæ assurgunt auris spirantibus, ac jam maturæ messi, quamvis ingens, vix sufficit operariorum numerus, ut instantis anni rotatus terrigenas Dei gratia omni segetum educaret sufficientia.

5. His ita dictis, sacrum corpus jam revelatum ac detectum eadem urna sua retegi, et loculus, ut pridem fuerat, jussum est remuniri, quousque majorum consultu quid super hoc ipso foret agendum esset deliberari. Quantis interim vexationibus, blasphemiis affecti sumus, nobis ad purgationem noscat ac illis ignoscat Dominus. Hac tempestate domnus papa Leo, cognomento Bruno, sanctæ Romanæ præsidebat Ecclesiæ, cujus sagacitatis ac probitatis fama per totum orbem spirabat odorem suavis fragrantiæ. Ad quem necessitate urgente quo majorum auctoritate corroboraremur, fidelis legatus exquisitus et repertus, dirigitur, quatenus quidquid ipse de his apostolicus cum gravioris consilii viris egregium sentiret, nobis pro nomine Domini mandare eodem legato non differret. Quem cum adisset, ac jam coram eo admisso sibi data copia fandi esset, rem gestam per ordinem domno papæ succincte, prout in multis tunc occupato, exposuit, testimoniaque scripturæ et crucem cum sacro corpore repertam, quæ secum pro testimonio tulerat, obtutibus ejus præsentavit. Quibus visis et his qui tunc forte secum aderant, uti qui ad Romanum concilium tunc convenerant, scilicet patriarchæ Aquileiæ, archiepiscopis, præsulibus, abbatibus, ducibus ac primoribus demonstratis, talibus ait veritatis indiciis nequaquam debere diffidi, sed tutius ac firmius credi, præsertim cum in multis annalium gestis satis possit inveniri cunctos pene Galliæ terminos, maximeque vestra ac cætera maritima loca frequentibus Danorum incursionibus, deprædationibus, incendiisque populata; et ob id multa sanctorum corpora quædam a locis minus tutis translata, quædam vero clanculum (sicut de sancto Bertino factum constat) vel maceriis vel terris sint recondita. Quibus responsis apostolicis nobis nostro nuntio relatis, ex hoc ad memetipsum reversus meminisse cœpi Vitæ S. Folquini quiddam super hoc ipso loquentis; eaque allata, quod volebam exquisitum recitabatur quomodo idem sanctus pontifex venerandum sancti corpus translatum recondiderit, et quod ejusdem translationis festivum diem singulis annis agi per omnem diœcesim suam instituerit. Quod exempli etiam causa hic denotari placuit, S. Bertini corpus transtulit et recondidit, solemnemque hunc diem nobis esse sancivit, qui est septimo decimo Kalendas Augusti. Diu rei etiam hoc vulgaris opinio adjecit, quod prælibatus præsul id nullis præter paucos agnoscentibus clanculum fecerit, ac ne palam quoquo modo fieret gravibus eosdem interminationibus ac sacramentis constrinxerit. Hoc igitur viso et necdum cujus necessitatis gratia vel quoto Dominicæ Incarnationis anno id factum sit satis manifestato, nec mora quoslibet Annales ac antiquorum gestorum Historias recitando percurrens, eorumque discerpta quæ investigationi nostræ videbantur opportuna conferens pro nostræ parvitatis modulo commentatus sum hoc magno divinæ dispensationis præsagio factum; scilicet venerabile corpus opera prædicti pontificis de noto loco in secretius penetrat translatum. Quod ut dilucidius aperiatur, eorumdem excerptorum collatio aperiatur. Sed ne cœptæ rationis ordo aliquantulum intermitti videatur, hæc alias plenius texenda conserventur.

6. Glorioso igitur imperatore Ludovico Caroli Magni atque imperatoris filio regnante, cum eatenus hoc antiquum et tunc regale cœnobium ex tempore beatissimi Bertini ejusdem fundatoris præcipui sacra monastici ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundum instituta canonum, fratrum adoptione ipsius regimen commendaretur, tunc cuidam canonico genere Anglo, Fredegiso nomine, in beneficium, proh dolor! data, ac totius sanctæ religionis candore marcescere, in externas manus devenire et minorari a sua cœpit integritate. Denique numerum monachorum ibidem Domino militantium qui octoginta tres erant, ad sexaginta diminuit, villas et fertiliora prædia victui monachorum deputata, in dominium sibi usurpavit. Monasterium vero S. Audomari quod cum monasterio S. Bertini idem erat, penitus evertit, quoniam, quadraginta monachis eliminatis, triginta canonicos loco eorum substituit, tertiamque partem omnium bonorum ad monasterium S. Bertini pertinentium eorum usibus deputavit. Quid igitur iste aliud quam hujus monasterii flagellum fuit? Qui etiam a beato Bertino in numero abbatum merito undecimus exstitit, quia in eo quod ea quæ a decem prædecessoribus suis bene ordinata fuerant evertit, Decalogi metas excessit. Omne enim peccatum undenarium dicitur, quoniam quandocunque aliquod illicitum committitur, Decalogi summa, quantum in peccante est, violatur. Merito igitur præsumptor iste, Fredegisus videlicet, quasi Frigidus vocatus est, quia nisi cordis ejus aquilo ille possessor exstitisset, ad hujusmodi præsumptiones nullatenus aspirasset. Quia ergo præsumptio hujus Frigidi monasterio huic tanti excidii caput et causa exstitit, actio ejus perversa et peccatum fuit, et pœna peccati, et causa alterius peccati. Peccatum etenim vel etiam sacrilegium fuit, cum illud quod mensæ monachorum delegatum erat, in jus alterius cessit. Pœna quoque peccati exstitit, quia nisi in Fredegiso aliquod peccatum gravissimum præcessisset, unde cum sordidus esset magis adhuc sordescere deberet, nunquam eum Dominus adeo excæcari permisisset ut de tanto sacrilegio cogitaret. Causam vero alterius peccati illud idem peccatum Fredegisi successoribus propinavit, quia quod ipse in dominium sibi vindicavit, apud omnes successores ipsius usque ad modernum tempus inextricabile

Digitized by Google

perduravit. Tantilla vero hæc pueris nostris me tetigisse sufficiat, ut quibus peccatis a sanctuario Dei exortis tanta mala consurrexerint pateat, ac quibus urgentibus causis sancti corporis margarita recondita sit, manifestius pateat. Imperatore præfato decedente a sæculo, filii ejus Lotharius, Ludovicus et Carolus, singuli paternum imperium æmulati, mox ab invicem dissentire cœperunt, atque ferocissima inter se pugna inserta in pago Antisiodorensi bellum cruentissimum commserunt: ubi cum Francorum proceribus et cum cunctis nationibus sibi subjectis mutua se cæde prosternentibus, tandem Lodoicus et Carolus fugato Lothario triumphum adepti sunt. Cujus seminarii discordia durante per quinquennium, ubi pene omnes Francorum regiones cum habitatoribus suis ad nihilum redacti sunt, tandem pace facta Francorum regnum sibi diviserunt, tuncque nostræ partes occidentales Carolo regi cesserunt. Cujus obtentu pacis nequaquam mala desierunt; sed tripertito paterno imperio, dum singuli per singula regna patrizare, sequeque secundum paternam magnificentiam protelare cupiunt, seque suaque confundentes dejiciunt. Non enim verbum Domini excidit: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet* (*Luc.* XI, 17). Regnante eodem rege Carolo, tertio regiminis Adalardi abbatis anno, præfatus præsul emeritos S. Bertini artus anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo tertio, secretiori quam prius fuerat loco mire compositum [*lege* compositos] locavit: sicut paulo ante S. Audomari venerabile corpus furtim ereptum, sed suæ diligentiæ divinitus concessum loco suo restituit, ne hæc patria tanto unquam fraudaretur patrono, haud dissimiliter abditioribus locis mandavit. Quorum etiam sanctas translationes distinctis temporum debus a cuncto populo diœcesis suæ magnificentius celebrandas sancivit, ut quidquid in eorum depositionibus sanctis mense Septembri concurrentibus ingente messis necessitate minus digne celebrarent, his sanctarum translationum solemnitatibus liberius exsolvere possent. Tanto igitur thesauro abditis locis assignato, non multo post temporis intervallo omnes istius patriæ nationes hinc surgentis gravissimæ famis angustia consternati, illinc subitam Nortmannicæ incursionis rabiem suspecti, omnis pene nobilitas istius terræ præter paucos, quos operum ac fundorum copia et castellorum vel munitionum fiducia detinuerat, post dominos suos vel quocunque tutius eis videbatur discedebant. Præterea residuos immani famis utcunque exutos periculo demum rabida Danorum crudeliter laniatura invasit insectatio: qui postquam rabiem suæ tyrannidis exacturi huc hostiliter irruperunt, nullum hic fratrum præter quatuor palmam martyrii præstolantes invenerunt. Quorum tres quantis pœnis affecerunt, qualive quartum letho multati sunt ac quomodo cunctis quæ invenire poterant direptis monasteria cunctasque officinas incenderint, cunctaque exterminaverint, textus Vitæ (64) sancti Bertini satis evidenter disserit. Quid igitur? Si tunc præfatorum sanctorum corpora eminentioribus vel certis locata locis debite venerarentur, exportandane putatis in valida manu Domini eriperentur? An non tunc multum oportebat, quod jam dictus sacerdos Dei tantorum malorum præsagus conservandis sanctorum pigneribus paulo ante effecerat? Necdum locum hunc aliqua castelli vel valli defensabat munitio: et ideo, magis autem peccatorum mole urgente, huc perfacilis iniquorum irrupit incursio. Nec modo semel, verum bis terque Sithienses fines redivivis irruptionum suarum vastationibus repetentes profligare non cessarunt, donec prædictorum sanctorum meritis divina ultione multipliciter attriti, in vaginam suam compulsi sunt regredi. Dehinc ut tertia quoque orbis examinaretur plaga, demum famis et barbaricæ cladis residuos ubicunque locorum rabies insequitur belluina, quos miserabiliter suffocatos trucidat, atque inhumatos membratim discerpens exterminat. Tantis divinæ ultionis cladibus hanc terram ferme centum annis occupantibus, denuo quasi quodam diluvio diluitur his decocta tribulationibus.

7. Tantorum ergo malorum sacerdos Dei Folquinus sancti Spiritus illustratione præmonitus, dum adhuc vixit, venerabile S. Bertini corpus ignoto loco et ubi minus putaretur occuluit, ubi usque ad hæc nostra novissima tempora, scilicet ducentis quinquaginta (65) annis, altor et pastor noster latuit, donec fundandæ cryptæ causa, uti jam prænotatum est, eumdem subversio principalis (66) aræ detexit. Quibus indiciis jam certior factus, suscepta ab episcopo nostro epistola, Remis ad archiepiscopum proficiscor super his consultum quæsiturus: ubi cum venissemus, domno archiepiscopo locuturi processimus. Nobis quoque coram se intromissis moxque sese toto exposito ad seriem nostræ dicendæ rationis, gestæ rei novitatem ei per ordinem primum retulimus, ac deinde epistolam domni episcopi cum teste Scriptura super hoc ipso loquente ac crucis titulo ipsi dedi in manus. Qui mox convocatis abbatibus, archidiaconibus et quibusque sanioris mentis monachis atque canonicis, in conspectu ducentorum, tertio Idus Januarii in festivitate depositionis S. Remigii in hæc verba eadem recitata est epistola:

Domno WIDONI *Dei gratia Remorum archipræsuli* DROGO *episcopus eorum qui dicuntur Morini.*

Cum divino munere apicem summæ dignitatis obtineas, et pastoribus sub te constitutis uti præcluens pastor auctoritate simul et vigilantia consulas, de te actus nostri pendent, ad te respiciunt

(64) Lege lib. II Mirac., cap. 1, quem librum, uti et primum, non a Folcardo, sed ab alio antiquiori auctore scriptum fuisse constat ex hoc loco.

(65) Imo *ducentis novem annis;* tot quippe anni factæ translationis ab anno 843 quo S. Bertini corpus humo absconsum dicitur supra, ad annum 1052 factæ translationis.

(66) Nota hic *principalem* aram dici quæ superius et inferius dicta *cardinalis*.

Digitized by Google

consilia : quæ si deifice et laudabiliter disponantur, tua est utilitas simul et nostra. Unde si quando in Ecclesiis nostris aliquid contingit insolitum, ubi pro rei magnitudine seu novitate non satis plene nobis sufficimus ad consulendum, consequenter ad te quippe ut ad caput a membris recurritur, quatenus in dubiis nostris certiores nos tua auctoritas faciat, quorum humilitas nihil per se temere definit, quod altiorem considerationem et deliberationem requirat. Noverit itaque paternitas tua, in diœcesi nostra his diebus novum quiddam contigisse et mirificum, quod ut tibi scriberem, tuamque super hoc efflagitarem sententiam, visum est mihi fuisse consilium. Locus dictus *Sithiu* virorum Dei est cœnobium et sedis nostræ parochia, eorum quoque non ultimum, quæ olim a regibus fundata simul et ditata antiquitatis reliquit memoria. Celeberrimum sane est multis sanctorum inibi quiescentium pigneribus, inter quæ quasi quodam specialis meriti privilegio beatus eminet Bertinus, ipsius videlicet loci rector præcipuus. Res postulabat ut pro construenda crypta mutaretur cardinalis ara, quod altiore consilio abbas facere instituit in nostra præsentia. Ubi dum post altaris destructionem terra altius effoditur, reconditorium quoddam lateritio opere ac cæmento pene indissolubile oculis astantium offertur. Quod tandem multo sudore destructum, scrinium plumbi et ossa cinerati corporis monstrat contineri cum sigilli notamine satis evidenti. Sigillum crux fuit argentea, titulus vero : S. BERTINUS ABBAS. Hæc res tam mira, tam insperata cum quosdam perfunderet gaudio, quosdam vero diffidentia turbaret et stupore amio, abbati et fratribus super hoc testimonium redit ad memoriam et ad aliorum minus credentium perducitur notitiam, cujus etiam tibi breviter perstrinximus sententiam. Legitur in ipsius loci archivis publicis, quod S. Folquinus nostræ sedis episcopus (cujus etiam corpus magnis celebre virtutibus in eadem quiescit ecclesia) grassante igne et ferro Danorum barbarie per loca maritima, paulo ante hanc vastationis luem corpus hujus sancti certa die terra recondiderit : cæterum quando vel a quibus post inventum sit, ne mentio quidem aliqua, excepto populi rumore, qui sicut certa pro incertis, ita plerumque falsa pro veris inducit. Hujus rei testatio ad rei fidem nobis satisfacit; sed est aliud quod partim nos, vulgus autem minus intelligens non mediocriter angit. Nam quid de reliquiis sub ejusdem sancti nomine in eadem ecclesia in reverentia habitis fieri oporteat, si recens inventum sancti corpus ad debitum honorem transferatur, nulla nobis ad votum definitio suffragatur. Precamur itaque per eum qui te nobis præfecit antistitem, per sanctæ charitatis mutuam connexionem, ut ascitis viris quos divinæ legis illustret scientia, vitæ etiam laudabilis approbent testimonia, super hoc utroque consultum habeas, et auctoritatis tuæ rescripto nobis super utroque consultum facias : ut omni nebula ambiguitatis remota, dissensionis etiam totius pellantur scandala, et pacis concordia in nobis augeatur, et laudetur nomen Domini in omnibus operibus nostris, Amen. Qua perlecta omnium consultu omnium votis aliam jussit rescribi epistolam continentem hujusmodi responsa.

WIDO *Remorum archiepiscopus* DROGONI *fratri coepiscopo feliciter vivere in utroque sæculo.*

Quia sapientia semper sapienter agit, et Salomon dicit : *Fili, omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebit* (*Eccli.* XXXII, 24) ; laudamus, frater charissime, prudentiam tuam, a nobis uti par est consilium petentem super recens inventi sancti reliquiis. Nos autem consilio super hoc ipso cum nostris habito ut petiveras, corpus quidem repertum S. Bertini esse decernimus, quia incerta certis omnino postponimus, quod et scripturæ quam nobis misisti confirmant testimonia, et loci in quo repertum est dignatio, ac evidens indicium, crucis videlicet nota. Ipsum itaque sanctum corpus cum debito honore levatum in reverendo (uti decet) loco ponite; sed et alterius incerti, ut dicitis, sancti reliquias juxta ipsius S. Bertini corpus locate, confidentes de misericordia Dei, quia et ipsæ cujus sunt, in ipso revelabitur (67) tempore. Cæterum tam ad incerti sancti revelationem quam ad certi revelationem triduanum jejunium populo indici statuimus, ut orationibus ac jejunio populi sui complacatus, quando vult et quomodo vult, nobis aperiat Dominus. Amen.

8. His peractis, quibusdam domesticis ejus seorsum excitis eumdem summum præsulem his internuntiis deprecamur supplices, quatenus dies Dei auxilio agendæ elevationis futurus sui adventus præsentia honoraretur, suæ dignitatis auctoritate solidaretur. Qui mox tempus diemque percunctatus quando id Domino suffragante acturi essemus, ut primum vel secundum Maii mensis diem nostro responso percepit, sese futurum, vita tamen ac salute sibi comite, benigne spopondit. Unde aliquantulum iam effecti animæquiores, suscepta descriptionis epistola acceptaque licentia, domum regredimur celeres. Ubi autem Tarvennæ pervenitur, domnus episcopus ibi offenditur : cujus præsentiæ admissi, epistolam ad verba sua renotatam dexteræ ejus injeci. Qua recitata, sese ad summi præsulis consultum cuncta pollicitatur per diœcesim suam indicenda. Dehinc nobis domum digressis, obsecrationibus, jejuniis, vigiliis pro modulo nostræ exiguitatis misericordiam Dei patrociniaque sanctorum medullitus quærere, jam jamque appropinquantis agendæ festivitatis apparatibus omnimodis studuimus intendere : cum quidam pro hoc ipso grandes contradictionum inquietudines, molestias, persecutiones, injurias nobis inferre, et

(67) Aiunt posteri istas reliquias, hactenus cum reliquiis S. Bertini abbatis uno scrinio inclusas, esse S. Bertini junioris, filii Walberti comitis in Vita S. Bertini abbatis memorati, quem Bertinum juniorem Bertinus senior e fonte baptismi susceperit. Bertini junioris qui meminerit neminem legi antiquiorem Lamberto Ardrensi presbytero.

Digitized by Google

agendis sancti mysteriis plurimum moliebantur impedire. Ut autem de nobis sileam, quippe qui non satis dignam malis nostris recepimus pœnam; sed in sanctos Dei quidlibet moliri quanti sit criminis, arca illa testamenti bobus calcitrantibus inclinata evidentibus monstrat figuris; quoniam dum eam levites temere tractando relevare nititur, divina mox ultione addictus mortali vita frustratur. Haud secus quicunque quodlibet a servis Dei dispensatorie factum objurgare moliuntur, caveant ne quandoque, ni pœnituerint, vehementiore animarum damnatione percellantur. Multis dehinc vexati tribulationibus, tandem ab his Christo propitio liberati fumus. Quid plura? Primo Maii mensis die domnus Wido summus pontifex (68) cum multis spectabilibus personis, Drogo etiam episcopus noster cum suo honorabili clero, diversique cum suis domni adsunt abbates. Nec deest domina Adhela, fratre suo Odone multoque procerum stipata milite. Nihilominus e diversis locis adventantes innumeræ populi huc ruunt multitudines, ecclesiæ implentur parietes. Verumtamen domno archiepiscopo cum suis cæterisque hospitibus, quoniam ex itinere fatigati erant, ea die quiescentibus, interim nos quibuscunque necessariis præparandis intendere procuramus, ac omnia de sancto agenda in crastinum differimus. Cum enim jampridem prima Maii mensis die idipsum faciendum deliberarem, ac super hoc domni episcopi nostri assensum misso ei nuntio quærerem, ille mox salubriore consilio in secundum ejusdem mensis diem potius indixit differri, ne celeberrima sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi solemnitas, quæ eadem die esset, a sua celebritate videretur minorari, utque eadem præcedente, et demum salutiferæ crucis Inventionis festivitate subsequente, quique huc adventantes vel hinc revertentes festiva otii perfruerentur exsultatione. Qua de re nobis necdum id cognoscentibus divina factum esse dispensatione credimus, ut futura dies jam quidem convenientia decoraretur : ut sicut sancti Walberti depositione magnificata, sic demum sancti Bertini elevatione magnificanda haberetur, quos unius Vitæ lectiones commendarent, eademque responsoria concelebrarent. His omissis sequentis diei primo mane paratis præsulibus, abbatibus, monachis atque canonicis, quibusdam etiam laicorum majoribus in testimonium intro admissis, cum processionibus ad sacrosanctum locum acceditur, litaniæ canendæ incœptantur, missisque operariis scrinium sacrati corporis effodi jubetur. Nec jussa differuntur, sed ejecta lumo sacer locus eousque paratur, quo ad extrahendum sancti scrinium facilis ac cessus cunctis daretur. Tunc pontifice nostro cum quatuor abbatibus probatioris vitæ viris qui tractarent sacri corporis artus circumpositis, panso scrinio summus præsul responsorium : *Dirigatur oratio mea*, cantando incœptat, A choroque suscipiente : *Sicut incensum in conspectu tuo, Domine*, idem intus extraque thurificat. Hoc præcantato, dum eodem præcinente ejusdem responsorii versus *Elevatio manum mearum sacrificium vespertinum* subsequeretur, quod antehac cujuscunque rei gratia a nonnullis tentatum difficultate quadam denegabatur, tunc paucorum manibus insertis cum agilitate ac facilitate extrahitur, in eminentiores scamnorum apparatus effertur, nobis terram cunctis petentibus veneratur, itemque thurificatur, nostris quoque tunc maculosis conspectibus tam sacrata membra revelantur, aqua vinoque (69) rorata piantur.

9. Interea quidam clericus Berwoldus nomine, unius oculi lumine orbatus seorsum astabat, qui B jampridem eousque utrosque oculos perspicuitate pares habebat, sed nescio cujus mali causa antehac quamdam venam secandam contiguam oculo ut medicaretur sibi incidi fecerat, unde omne lumen ejusdem oculi amiserat; sed id præter paucos et domesticos suos ruboris causa pene cunctis celaverat. Hic sancti Bertini patrocinium ut a Domino sibi reddi lumen amissum obtineret, intimis precibus deposcebat, atque quolibet sanctorum membrorum quæ ibi tractabantur tangi sibi oculum multopere anhelabat, sed appropiare minime sibi permitti metuebat. At nobis tantæ rei sollicite intendentibus, ac interim quibusdam canticis dictis eidem sacramento convenientibus, responsorioque sanctæ C Trinitatis asignato, *Quis Deus magnus sicut Deus noster, tu es Deus qui facis mirabilia*, decantato; item ejusdem sancti responsorium : *Gloriosus igitur Dei athleta, ac eximius sacerdos Bertinus, in prolixa ætate jejuniis et orationibus famulans regi superno*, a choro morose cantandum suscipitur; sicque inter canendum jam dictus clericus rebus sufficiens, sed oculi unius lumine carens, cum sanctis artubus (ut jam dictum est) vereretur accedere, quemdam fratrum nostrorum aliquod sacrorum membrorum summotenus digitis suis obsecrat attingere, suoque cæcato oculo eisdem digitis signamen imprimere. Quod nobis insciis dum fieret, magis autem ob devotionem præsentis sancti hic finis responsorii animos adhuc psallentium demulceret, *hodie suscipit* D *meritorum præmia in angelorum choro;* mox ille lumine datur exspectato. Et sane quod Dominus ad laudem sui nominis et ad sancti meritum propalandum concessit fieri in se, ipse stulto pudore reticeri voluit; sed forte tunc cuidam Arnoldo sibi familiariter adhærenti mussando intulit, bono omine suo se illuc admissum, eo quod præsentis sancti attactu diu amissum receperit visum, eidem omnino attestans ut hoc taceret, nulli unquam aperiret. Verum alter nequaquam tantæ ejus insensibilitati acquievit, sed circumstantibus mox detexit. Quod quidam Walterus vere contigisse comperiens,

(68) En archiepiscopus *summus pontifex* dicitur medio sæculo XI, supra *summus præsul*.

(69) Moris erat antiquis, ut sanctorum reliquias, si quando eas efferebant tumulo, aqua lavarent, quod factum in elevatione S. Ethildritæ docet Beda, lib. IV, cap. 19.

Digitized by Google

extenta manu cunctis silentium indicens, eumdem unius oculi visu diu damnatum, tunc vero meritis sancti exspectato luminis dono clamitat reparatum. Quibus auditis, plurimum exhilarati, præ gaudio infundimur lacrymis, hac jam quadam spe consolamur, quod quibuscunque divinæ gratiæ indiciis omnibus a cordibus diffidentium dubitatio pelleretur.

10. Tum quidam etiam domesticus noster, sed nimis eatenus nobis hac parte dissentiens, nimiumque huic rei insolens, tunc primum multa pœnitudine ductus, multo lacrymarum fonte perfusus, sed necdum eidem rei satis credulus, votis quibus valebat ipsum pietatis fontem Dominum supplici.er orabat, ut si id corpus S. Bertini foret quod ibidem tunc attractabatur, trino miraculorum signo cunctis declarare dignaretur.

11. Interea candido linteo pretioseque pallio, quæ comitissa ad hæc libens paraverat, sanctis membris ut olim concorporata fuerant compositis, ac in immodico scrinii busto a domno archiepiscopo reverenter collocatis, item præfata venerabilis matrona magnæ devotionis suæ quæ erga sanctum habebat propalans desideria, quamdam salinarem terram coram cunctis qui aderant eidem sancto donatione tradidit legaliter facta.

12. His ita gestis, cum ingenti psallentium tripudio in ulnis extollitur, ac foras crypta in sacrarium venerandum defertur, cum ecce reliqua sanctorum inibi quiescentium corpora præ foribus cryptæ protenduntur obvia. Nec archiepiscopo tunc missas celebraturo turbis comprimentibus et accurrentibus facilis dabatur exitus: ideoque extra limina monasterii tunc cuncta jussa sunt efferri, quatenus ea comitante majoris multitudine populi, summus pontifex missas acturus Sancta sanctorum sine impedimento posset ingredi. Quod cum opportune efficeretur, maximeque partes totius plurimæ [*id est*, turbæ] sanctorum pignora subsequerentur, summo pontifice sanctuarium ingresso missæ cardinales agebantur.

13. Interea mulier quædam cum filio brachia cruraque contracto S. Bertinum pro illius salute rogatura foris extra templum perstabat in atrio. Quæ etiam antehac cum eumdem duodennem Coloniam ad S. Heriberti cæterorumque sanctorum inibi quiescentium suffragia cogitaret devehendum, quatenus eorum meritis obtinere forsan mereretur officia membrorum; ad hæc idem quanquam puer inquit se per visum jam ter admonitum, ne quoquam deportaretur, nisi prius ad S. Bertinum latus ejusdem merita experiretur. Cumque illuc etiam per visum ventum esset et oratum, item idem quatuor columbas candidissimas vidisse se ait avolantes foras monasterium, ipsumque altare concussum instar folii contremere, seseque coram eo prosternentem, nec mora inde meritis sancti sospitem surrexisse. Id igitur puero genitrici referente jamjamque fama elevandi sancti assequente, eadem cum puero multo comitatu advolat, proventumque Domini interventu S. Bertini præ foribus præstolans monasterii supplex cum filio perstabat. Cumque ipsa inter comprimentes turbas ad osculandum sancti feretrum impingeret, ac repulsa importuna repeteret, puerumque sancti feretro apponere multo conamine niteretur, Deo annuente, idem puer brachia cruraque directus sospitati donatur. Quod multi cernentes, quidam astantium oppressæ matri succurrunt, quidam vero puerum comprehensum efferunt. Quo facto, tumultuantis innumeræ multitudinis clamor attollitur: Deus mirabilis in sanctis suis (*Psal.* LXVII, 36) vulgo prædicatur; quoniam puerum quem paulo ante vix repentem noverant, hunc præ oculis suis incedentem prævia matre cernebant. Nobis interim in choro ad missas psallentibus, hujus rei odor nobis illabitur suavissimus. Quod dum a nobis utrum verum foret adhuc quæreretur, idem puer meritis sancti Bertini sanatus ingreditur, erectusque in medio nostrum ducente matre coram altari secundum modulum suum Deo gratias acturus prosternitur. Et dicto Evangelio, domnoque archiepiscopo coram altari hymnum *Te Deum laudamus* inchoante, atque multipliciter choro subsequente, multos Christo in re gesta conjubilantes, multos lacrymari præ lætitia cerneres.

14. Necdum vero hymno completo, et adhuc nonnullis nobis flentibus præ gaudio, quædam etiam mulier cæca hujus civitatis mansionaria, ideoque cunctis nostris notissima, tunc visum recepisse denuntiatur, ipsaque in conspectu omnium nuntium hujusmodi illuminata comitatur, ac puero ad laudem Dei et ad meritum S. Bertini protelandum prostrata admiscetur. Quanta vero exsultatione quantave dignitate ea die in Domino exsultatum ac delectatum est, nullius assertio ad plenum expedire sufficiet. Nam quorumdam inquietudinibus, molestiis, ignominiis eousque exacerbati, tunc Dei nostri super nos gratius coruscante gratia, *Facti sumus sicut consolati; tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione* (*Psal.* CXXV, 1).

15. Jam nunc prælibatæ singularis gratiæ causa emicat, jam illud quiddam boni quod miserationе Dei confovendum temporeque suo perducendum præ dixisse memini infulminat. Nullum nostrorum hæc gratia ingratum habeat, omnes nos Christo deinceps devotiores exhibeat, omnes ad laudem Dei vigilantiores impellat. Dum profecto his intendo, etiam trium verborum in inventa crucicula sculptorum mihi incidit mentio. Ut enim tunc tribus evidentioribus signis claruit elevatio. Nam sicut in inventione quisnam esset nesciretur, ni tria verba loquerentur; sic quoque in elevatione haud satis ab omnibus crederetur, nisi his trium miraculorum indiciis veritas clarificaretur. Quid igitur? Tantane nihil harum rerum convenientia moveremur? Tria verba inventionem, tria miracula prædicant elevationem. O quanta operum Dei consequentia, quanta lucet concordia! Hac verborum signorumque (*supple*, luce)

Digitized by Google

omnia ab omnibus Dei gratia pelluntur umbracula, hac tanti patroni nunc fulgurant merita.

16. Cæterum, peractis cum tantæ gloriæ magnificentia sacrosanctis missarum officiis, cæterisque sanctorum corporibus locis suis deportatis, scrinium sancti Bertini adhuc immunitum super aram sanctæ crucis populo frequentandum exponitur, jam sole ad occasum vergente, positis custodibus in diem crastinum signandum conservatur. His bene gestis corpora rebus procurantur, atque sic celeberrima dies illa cum inenarrabili gloria consummatur. Sequente vero die item acceditur, atque testis gestæ rei cautio ordinem, tempus, personam ac testes continens astante innumera populi multitudine recitatur, ac perlecta cum inventa cruce sacrosancto corpori componitur, sicque compositum summi præsulis sigillo signatur, scrinium clauditur, ferreis circulis clavisque arctatur, consuitur, vincitur, indissolubiliterque connexum cum innumeræ multitudinis tripudio in Sancta sanctorum cum reliquiis inducitur magnificandum : ubi nunc usque venerator et, Domino annuente, venerabitur in sæcula sæculorum.

17. Dehinc autem sacræ elevationis diem memorialem summus præsul ac domnus episcopus noster a cuncto populo hujus diœceseos deinceps venerandum, multaque devotione singulis annis indixerunt colendum. His ita peractis, et domnis præsulibus et abbatibus quibusdam sanctarum reliquiarum impetratis, singuli singulis donati muneribus ad sua remearunt lætius.

18. Quorum unus, videlicet abbas S. Walerici Wazo, sanctarum reliquiarum quibdam adeptus, postquam peracto sacræ elevationis solemnio gaudens domum est regressus, quidam rusticus utrorumque orbium pupillis gravibus maculis obductis cæcatus, puero sibi dirigente gressus, accessit ad eum, quidlibet medicationis postulaturus. Cui ille : Nihil, inquit, antidoti tali morbo novi salutiferum, præter cunctipotentis salutarisque Domini nostri Jesu Christi proventum. Veruntamen cujusdam celebris sancti sanctissimo elevationis obsequio nuperrime nonnullis concurrentibus et ego conveni, sanctoque hujuscemodi negotio quamvis immeritus interfui : ibi quoque quanti idem sanctus fuerit, diversis miraculorum magnalibus Dominus cunctis nobis declaravit. De quo etiam unius sanctorum dentium dono ditatus huc regrediens attuli, tali munere gavisus : et si fidem adhibueris ejusdem meritis sancti te posse sanari, actutum tibi jubebo præsentari. Ad hæc ille : Confido, inquit. Isque mox in conspectu astantium afferre præcepit. Quo allato et utrisque ejus luminibus adhibito, confestim revelatis oculis clare videre cœpit, atque super hoc nomine Domini benedicto, sospes hilarisque domum rediit (70).

70) S. Bertini corpus thecæ argenteæ super altare majus, caput scrinio deaurato inclusum in sacro penu a Bertinianis nostris asservantur.

SERMO IN FESTO EJUSDEM SANCTI.

(Fragmentum.)

Gaudete, dilectissimi fratres, in Domino, qui ad sanctissimi Patris et protectoris nostri, sancti scilicet Bertini solemnia convenistis, et spirituali jucunditate lætamini, et ex intimo cordis affectu clementiam Domini nostri Jesu Christi collaudate, qui nos ab idololatriæ erroribus ad agnitionem sancti sui nominis per hujus sancti sacerdotis prædicationem perducere dignatus est. Sequamur unanimiter tam sancti doctoris vestigia; non simus tanti Patris degeneres filii, sed sanctitatem vitæ illius morum nobilitate imitemur. Abjiciamus a nobis opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus (*Rom.* XIII, 12) : quia nox ignorantiæ recessit, et veræ scientiæ nobis lumen illuxit, ut filii lucis in omni castitate et pietate ambulemus. Non sint alicujus nequitiæ vel malitiæ occulta in nobis semina; quia homo videt in facie, Deus autem corda considerat (*I Reg.* XVI, 7), nec aliquid illius omnipotentiæ oculis occultari potest. Præparemus et nos in omni bonitate, ut præclarus pastor et pius prædicator noster sanctus Bertinus abbas, gaudens nos ante tribunal summi judicis in die ultimo deducat : quatenus ex numerositate filiorum illius cumuletur gloria, et nos cum illo desiderabilem mereamur audire sententiam : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Ille de cœlesti patria piis orationibus nostrum quotidie agonem adjuvare non desistit, desiderans suos charissimos filios, quos paterna pietate genuit in Christo, ad gloriam perpetuæ beatitudinis pervenire. Quapropter, charissimi, unusquisque in suo ordine secundum virium suarum facultatem fortiter diabolicis resistat suggestionibus; ut æternam triumphi coronam cum pio parente nostro accipere dignus efficiatur : *Non sunt enim condignæ*, ut ait Apostolus, *passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Igitur breve laboris tempus divina nobis voluit esse pietas, et agonis nostri retributionem esse perpetuam, et pro temporali tribulatione permanentis gloriæ mercede gaudere. Audivimus itaque, cum Deo dilecti sacerdotis Vita legeretur, quantum in omni bonitate habuit devotionem; quomodo per abstinentiæ rigorem suum castigavit corpus; qualiter per charitatis officia omnibus prodesse contendit. Incedamus cum omni

Digitized by Google

alacritate mentis et tota virium facultate illius vitæ vestigia, ut beatitudinis, in qua regnat cum Christo, consortes effici mereamur. Ideo ergo nulla carnalis concupiscentia, nulla sæcularis ambitio impediat iter nostrum. Exspectant nos cives æternæ civitatis; et Rex ipse, qui vult omnes homines salvos fieri, nostram cum sanctis suis vehementer desiderat salutem, etc.

VITA S. JOANNIS BEVERLACENSIS

ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS,

AUCTORE FOLCARDO SITHIVENSI MONACHO.

(Apud Bolland. Maii tom. II, die 7, p. 166, ex ms. Anglicano.)

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Beverlacum, *oppidum amplum et perfrequens*, Cambdeno, situm est in parte orientali ducatus Eboracensis, vulgo *East-Riding*, haud procul ab Hallo fluvio, qui aliquot inde leucis in æstuarium Humbri fluminis dilabitur. Ea ditio Bedæ appellatur *Deirwaud*, id est *silva Deirorum*. Ibi. *S. Joannes*, de quo hic agimus, *reperit ecclesiam parochialem, S. Joanni Evangelistæ sacram. Acquisitis hujus loci situ et dominio, prædictam ecclesiam sanctam in monasterium convertit et monachis assignavit. Presbyterium, id est chorum ecclesiæ, ibi construxit, habente priore ecclesiæ S. Joannis locum in navi ecclesiæ. Fabricavit ad Australem prædictæ ecclesiæ oratorium S. Martini, ubi postea moniales collocavit. Associavit monasteriis istis septem presbyteros et totidem clericos in navi ecclesiæ S. Joannis. Acquisivit suis monasteriis munerium de Riding. Extrinsec construxit ecclesiam S. Nicolai in fundo dominii sui.* Quæ omnia ex Collectaneis Lelandi indicantur tomo primo Monastici Anglicani, pagina 170, ubi repræsentantur sculpta ipsius Beverlacensis monasterii structura, et facies occidentalis ecclesiæ conventualis. Huc se contulit *S. Joannes*, cum, senio gravatus, sese archiepiscopatu Eboracensi abdicasset; et tandem hoc 7 Maii anno Christi 1221, sanctam animam Christo tradidit, miraculis in vita et post obitum clarus.

2. De virtutibus rebusque gestis S. Joannis pluribus locis agit venerabilis Beda, potissimum lib. v. Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap. 2, et sequentibus. At postea res ejus gestas in unum volumen collegit *Folcardus, ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Cantuariæ monachus, ad precem et instantiam Aldredi archiepiscopi Eboracensis*: ut titulus actis hisce præfixus indicat. Videtur hæc scripsisse, cum S. Eduardus confessor rex præesset Angliæ, mortuus anno 1056, a cujus conjuge Editha regina, ob commendationem Aldredi archiepiscopi, se adjutum in monasterii sui desolatione commemorat, in præfatione ad hanc Vitam, quam damus ex ms. Anglicano, nobis Macloviopoli submissam a reverendo domino Leandro Pricharto, monacho Benedictino. In citato Monastico Anglicano, pag. 169, indicatur quod *Folchardus Cantuariensis scripsit Vitam D. Joannis archiepiscopi Eboracensis*, non tamen dicitur *Folchardus archiepiscopus Cantuariensis*, uti dicta verba interpretatur Joannes Mabillon, et corrigit, eumque asserit *monachum Bertinianum initio sæculi* XI *in Anglia degisse*. Verum *Folcaldus* hic Bertinianus altero Cantuariensi aliquanto junior fuisse videtur, evocatus in Angliam a Guilielmo rege, et præpositus Torneiensi cœnobio, quod eum fere 16 annis (absque benedictione, abbatis vices supplendo) rexisse testatur Ordericus Vitalis, lib. XI ecclesiasticæ Historiæ ad annum 1108, quod initium est XII non vero XI sæculi. Subjungit Mabillon aliquam Vitam S. Joannis, ex ms. legenda monasterii S. Gildasii de Nemore acceptam, opinatus esse scriptam a Folcardo monacho Bertiniano. Verum ea solum est aliquod compendium ex majori Vita, quam damus, excerptum. Aliud, sed magis contractum, habemus in antiquo pergameno, ab Henrico Huntindoniensi, sæculo XII conscriptum. Alia ejus Vita, anno 1516 excusa, exstat in legenda Anglicana Joannis Capgravii. Quibus omnibus omissis, subjungimus miracula illustria, a quatuor diversis auctoribus et fere testibus oculatis conscripta, a laudato Leandro Pricharto submissa. Horum primus appellatur Willelmus Kecellus, ac primo attingit tempora Guilielmi Conquestoris regis, ut videatur sub finem sæculi XI aut initium sequentis scripsisse; sequentium auctorum nomina non indicantur. Qui ex his proxima miracula conscripsit, meminit Stephani regis, anno 1136 coronam regiam adepti, et ultimorum Thurstani archiepiscopi temporum, qui anno 1140 obiisse dicitur. At tertius auctor indicat miracula intra quinque annos patrata. Quartus meminit generalis interdicti cui Anglia sub Joanne rege subjecta fuit, ac videtur sub Henrice III ultima miracula adjunxisse.

3. Exstat inter decem scriptores Historiæ Anglicanæ, Londini anno 1652 excusos, Chronicon Thomæ Stubs, sive Stubei Dominicani, XIV sæculo scriptum De actibus pontificum Eboracensium; in quo columna 1691 et sequenti continentur acta S. Joannis archiepiscopi, et sub finem ista leguntur: *Secessit in monasterium suum, quod apud Beverlacum fundaverat, ibique miraculorum gloria insignis, Nonis Maii feliciter vitam finivit. Sepultus est ibi in ecclesia, ex tunc usque nunc semper gloriosis non cessat publicari virtutibus.* Deinde in Alfrico archiepiscopo, qui præfuit dictæ Ecclesiæ ab anno 1023, usque ad annum 1051, hæc scribit: *Iste capsam, auro et argento et lapidibus pretiosis opere incomparabili, apud Beverlacum fabricari fecit; et elevatum de sepulcro ligneo, mirabili artificio insculpto, pretiosum corpus gloriosi Patris S. Joannis archiepiscopi, cum ingenti cleri plebisque exsultatione, multis additis reliquiis, in eam honorificentissime collocavit. Ipse etiam a quodam divite, nomine Forceo, pecunia sua acquisivit ecclesiæ S. Joannis terram apud Milletune et apud Holm, et quinque bovatas apud Fredichthorp, cum pecunia et hominibus in ea:* Hæc ibi. Est autem *bovata terræ* quantam bos unus colat. Contigit autem hæc translatio 25 Octobris anno 1044, et solemni cultu dictum diem, æque ac diem hunc natalem, celebratum fuisse constat ex relatione miraculorum; et apud auctorem secundum num. 13, dicitur femina, septem annis contracta, in *una solemnitatum ipsius, quæ Translatio corporis sancti nominatur*, scriptore cum aliis psallente, sanata. Alia iterum

Digitized by Google

translatio anno 1307, facta traditur in Monastico Anglicano.

4. Eduardus Maibew agit de priori translatione ad dictum diem 25 octobris, et illud memorandum interserit : *Anno Christi* 1415 *invictissimus rex Henricus, ejus nominis quintus, eo ipso die ejus translationi sacro nimirum* VIII *Kalendarum Novembris, id est* 25 *octobris, celebrem illam victoriam, in loco qui Angicourt appellatur, contra Gallos obtinuit, quam sanctissimo huic pontifici ascribens, in Angliam reversus, tam depositionis seu natalis, quam translationis ipsius festa per totam provinciam Cantuariensem (nam in Eboracensi, ut videtur, antea celebrabantur) solemniter celebranda curavit. Exstat sane in constitutionibus provincialibus Angliæ, titulo de feriis, Henrici Chicheley archiepiscopi Cantuariensis in synodo provinciali, quæ anno Christi* 1416 *habita est, hac de re decretum, cujus exordium est : Anglicanæ Ecclesiæ. Paulo autem inferius hæc habentur verba : De fratrum nostrorum et cleri in præsenti concilio præsentium voluntatibus et assensu, et nihilominus ad Christianissimi principis et regis nostri (Henrici quinti) instantiam specialem, sanctissimi confessoris et pontificis Joannis de Beverlaco memoriam ubique per nostram provinciam votivis et devotis affectibus duximus exaltandam. Statuimus igitur*, etc. *Statuit, ut retulimus, de duobus illius festis celebrandis. In posteriorem vero hujus decreti partem, quæ ad translationis ejus festum spectat, hoc modo scribit doctissimus vir Guillermus Linwede, ista die (*25 *mensis Decembris) qui tunc accidebat die Veneris, fuit bellum de Agnicourt in Picardia anno* 1415, *ob cujus victoriosum exitum dictus rex Henricus quintus procuravit per Ecclesiam Anglicanam sic ordinari, prout hic habetur; et sic non solum hoc festum numerari potest inter ferias solemnes, sed etiam repentinas*, etc. *Hæc ipse. Videat igitur lector non solum præcedentibus sæculis, sed in his etiam ultimis, beatissimum antistitem Joannem de Beverlaco regibus Angliæ in bellis adfuisse.* Huc usque Eduardus Maihew.

5. In pervetusto missali, in cœnobio Gemeticensi asservato, et circa annum millesimum exarato, præscribitur ad diem 7 Maii festum *S. Joannis episcopi in Beverlisco.* Habemus antiquum Martyrologium in Anglia conscriptum, in quo hisce nonis Maii, primo loco collocatur *depositio S. Leotardi episcopi Cantuariæ* defuncti, et mox subjunguntur ista : *Et natale S. Joannis Eboracensis archiepiscopi.* In Martyrologio Coloniæ et Lubecæ, anno 1490 excuso, ista habentur : *Beverlaci natale S. Joannis episcopi et confessoris Eboracensis.* Sequuntur hos auctor Florarii ms. Grevenus, Molanus, Canisius, Galesinius, cum hodierno martyrologio Romano, item cum Anglicano et variis monasticis, quorum varii referunt ejus translationem ad diem 25 Octobris. In Breviario secundum usum ecclesiæ Sarum an. 1499 excuso, ad hunc 7 Maii præscribitur in Kalendario, ut præcipua festa solent, rubro charactere festum *S. Joannis de Beverlaco, cum regimine chori*, ubi propositæ lectiones continent compendium Vitæ, et additur hæc oratio : *Deus qui præsentem diem B. Joannis, confessoris tui atque pontificis, migratione consecrasti; da Ecclesiæ tuæ digne de ejus solemnitate gaudere, ut apud tuam misericordiam exemplis ejus adjuvemur et meritis.* In Breviario Sarisburiensi, anno 1557 excuso, præscribitur etiam ad diem 25 Octobris sacra ejus solemnitatis memoria. In quibusdam Fastis mss. aliqua ejus notitia ad diem 17 Januarii, et 28 Aprilis habetur, uti tunc inter prætermissos observavimus.

6. His deductis accipimus Historiam et Antiquitates universitatis Oxoniensis, anno 1674 Oxoniæ excusas, auctore, ut ex præfatione colligimus, Antonio Woodo, et ex his pag. II contentis, ubi de scholarum Oxoniæ, ipsis Britannorum et Saxonum temporibus, scilicet ante regem Alvredum florentium, vindiciis agitur, ista describimus : *Primo itaque*, inquit, *cum sancto Joanne de Beverlaco auspicabor, anno circiter* 720 *diem obeunte; quem ingenuis apud Oxonienses artibus operam dedisse scripta antiqua haud pauca prodiderunt, depictis etiam fenestrarum indiciis, lucem hac in re copiosam affundentibus. Scriptor enim, qui florebat anno* 1373 *in ejusdem Beverlacensis Vita (cujus initium : Antiquioribus Britonum sola*, etc.) *Harphamiæ inter populos Deiræ natum, annos autem vernantes apud cœnobium S. Hildæ in studiis collocasse perhibet; primumque ex Anglis doctoris vel magistri gradu ornatum fuisse. Erat autem, inquit ille, doctor ejus Theodorus alienigena, qui in Oxonia summum conscendit apicem*, etc. *Quod et Lelandus ex auctore anonymo retulit de Beverlaco, dictoque ejus loci sancto, opere trifariam partito, scribente, quem ego quidem Gulielmum quendam Asketellum fuisse arbitror, qui regnante Edoardo II eumdem sibi materiam sumpsit, edidique libros pariter tripartitos; multa, ut opinor, e Deiracensi aliisque trans Humbrum bibliothecis edoctus, cujus regionis monachi, cum Angliam Dani ubique persultarent, historias suas et antiquitates variis perpetim cladibus summa industria eripuere. Huc accedunt sacristæ Beverlacensis, a prædicto etiam Asketelio memorati, verba, sanctum Joannem de Beverlaco primum in artibus magistrum apud Oxonienses exstitisse memorantis. Quæ egregie etiam confirmantur ab ipsius Beverlacensis imagine, sinistro bibliothecæ Sarisburiensis latere, fenestram olim sextam decorante, imo nescio an ibidem etiamnum comparente, hac inscriptione : Doctor sanctus Joannes de Beverlaco fuit primus magister artium liberalium in Oxonia.... Poteram etiam alia proferre testimonia, iis quæ de Beverlacensi adducta sunt communiendis perquam accommoda.... Sed me alio rapit succincta destinati operis brevitas.* Hæc ibi : et pag. 12 sub finem definit, *Oxonii his annis generalia quæ vocant studia floruisse, aut academiam artium et scientiarum professoribus, graduumque aliquorum distinctionibus instructam fuisse, cum sanctus Joannes de Beverlaco magistri ibidem gradum capessiverit.*

7. Idem auctor libro II Historiæ et Antiquitatum universitatis Oxoniensis pag. 61, agens de scriptoribus ante recreatam ab Alfredo Academiam, primo loco collocat *S. Joannem de Beverlaco;* deque illo scribit *addendum, quod, cum in media ecclesiæ Beverlacensis collegiatæ parte terram contumulandæ mulierculæ effoderet ædituus* 14 *Septembris anno* 1664, *hypogæum retexit lateritium; inque eo loculos binos reperit : quorum alter pulveres continebat, alteri vero ossa humana includebantur, his porro verbis eorum uni inscriptis; Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo octavo cumbusta fuit hæc ecclesia in mense Septembris, in sequente nocte post festum S. Matthæi apostoli, et in anno millesimo centesimo nonagesimo septimo, octavo Idus Martii, facta fuit inquisitio reliquiarum B. Joannis in hoc loco, et inventa sunt hæc ossa in orientali parte sepulcri, et hic reconditu, et pulvis cæmento mistus ibidem inventus est et reconditus.*

Digitized by Google

INCIPIT VITA.

PROLOGUS

1. Lucernæ ardenti et lucenti in caliginoso loco, Anglorum archipræsuli ALDREDO (71), minimus devotorum ejus frater FOLCARDUS, salutem cum fideli famulatu.

In præcepto servitutis tuæ, mi reverentissime Pater et Domine, necesse est parvitati meæ memorari non solum veterum amicitiarum et frequentis beneficii, verum etiam (quod his pluris est) auctoritatis tuæ, quæ inter homines est Christus Dei. Tanta quippe cœlestium charismatum prærogativa suffultus, pondus habes præcepti, unde et gravius quoque imminet judicium resistenti. Et cum hæc pusillanimitatem meam persuadeant patere jussioni tuæ, plurimum succurrit memoria ejus misericordiæ quam nobis fecisti fidei hac commendatione.

2. Turbato siquidem fluctuantis cœnobii (72) mei pelago, gementibusque pene cunctis charissimis pignoribus monasterii, quod is qui pastoris et medici locum occupaverat, in languente ovicula non culpæ pressuram, sed veterem familiaris odii insequeretur jacturam; et cum collatis totis animi sui viribus consociam ovem ab irruente (proh dolor!) nimis familiari lupo non conaretur tueri, sed perperam comparato potentatu sæculari exturbatos nos e carina monasteriali fluctibus immitteret ponti; jamque irruentibus vicissim et involventibus undis, cum interitus solummodo immineret, nec ulla spes emergendi esset, hæc tandem, velut maris stella, pio illuxit fulgore, naufragumque suum portu recepit miserationis suæ, et doloribus vulnerum adhuc hiantium et recentium compassa, materno conductu tibi, velut sagaci medico, misit curandum et consolandum pro tempore, secuta scil cet fideli Deo femina exemplum illius electi Samaritani, qui, vulnerato a latronibus et a sacerdote et Levita neglecto, miserans appropinquavit, saucium vino lavit, olco fovit, pietate alligavit, stabulario sub promissione mercedis curandum commisit. Utque tantam pietatem omnis noscat posteritas, reginam (73) dico fuisse quæ hæc fecerit, cujus probitates nullius unquam quantumlibet diserti rethoris facunda evolvet loquacitas; quam idcirco divinitus adjunctam regio credimus lateri ut tanta ejus invigilantis industriæ solertia emolumentum providcatur præsentis regni.

3. Ut autem superius relicta repetam, consolatione et medela tui, mi amantissime Pater, clauduntur quidem vulnera, sed e vicino quorumdam lividorum clam insidiantia perhorresco jacula. Verum multum respiro, sub potestate patronæ, quin et sub commendationis tuæ constitutus tutela, nec per Dei gratiam timendum est quod, te tutore vel rectore, nos ulla, quantumlibet minax et insidians, obruat procella. Nam semper, Domini præcedente gratia, sperabo sub umbra alarum tuarum, donec transeat iniquitas omnium insidiarum. Sed hæc hactenus. Ad pondus autem imperii tui vertatur sermo meus, qui, ex consequentia sui, hoc necessario paucis prælibabit, quibus incrementis divini famulatus sancta Eboracensis Ecclesia, tui præsulatus (tempore), pristinam rusticitatem excusserit; et in Dei laudibus, rudi novitate tuis doctrinis commonita, decenter adoleverit. Hoc divinitus coronæ tuæ dixerim adauctum, quod clerus, a sæcularium hactenus usitata veste indiscretus, nunc in veste nuptiali laudes celebrat Dei, et talaribus tunicis conventum celebrat synodi; itemque nimis neglectum in eleemosynis et pauperum oblationibus opus exercet misericordiæ, et quod memoriam fidelium defunctorum assidua eis inculcasti commendatione. Quod dico, non ut laqueum adulationis tibi injiciam, sed potius (si dicendum a me est) ut ad talia accendam quæ utique necessario te Deo debere cognoscis e suscepto munere prælationis cum imposita dignitate honoris.

4. In hoc quoque dignum successorem præcedentium sanctorum tuæ sedis præsulum te præbes, cum eorum actus et vitam celebrare et litteris commendare sedulus studes. Unde et accidit ut, responsoriis sanctissimi Joannis te jubente compositis pro modulo parvitatis meæ, præciperes ad ejus Vitam inchoandam stylum vertere; quod opus certe tanto magis cognoscitur difficile et arduum, quanto magis fuerit notum. In nomine ergo Domini, tu remigium subige, vela pande, cursum nostrum Deo commite. Eo gratiam suam precibus tuis accommodante, ripam attingentes, feliciter arenam calcabimus littoris, securi nec solliciti de tumultuantibus æquoris canibus, qui quanto acutius in latratu cristas erigunt, tanto imbecilliores eos natura prodit (74).

(71) Aldredus ex episcopo Wigorniensi, in Nativitate Christi, anno 1060, electus archiepiscopus, et Romæ consecratus.

(72) *Cœnobium SS. Trinitatis* Cantuariæ fuerat ante a Danis combustum, postmodum *cœnobium Christi* dictum.

(73) Regina Editha, uxor S. Eduardi confessoris, de qua ad hujus Vitam egimus 5 Januarii. Ingulphus Croylandensis ejus pietatem, castitatem, doctrinam aliasque virtutes deprædicat.

(74) Hoc quasi prologo finito subditur in ms. per modum rubricæ. *Hic redit Fr. Folcardus ad propositum suum de S. Joanne*: ex quo colligas cæteras rubricas, per modum titulorum capitalium consequenter interjectas, non esse auctoris, sed transcriptoris; quas tamen, pro antiquitatis veneratione hic voluissemus subjungere continua serie, nisi eas deprehendissemus satis temere descriptas fuisse, uti mox post num. 8 apparebit.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Studia, conciones, episcopatus Hagulstadensis, archiepiscopatus Eboracensis, miracula.

5. Æterna compatientis Dei miseratio, mundo succurrens perdito, per incarnatum suum Filium antiquum damnationis humanæ dissolvit judicium, ut sicut per transgredientem Adam eramus filii mortis et inferni: sic per Christum Jesum, Dei et Virginis Unigenitum, restitueremur filii vitæ in hæreditatem cœlestis regni. Per hunc conregnantem sibi in cœlis, et hominibus cohabitantem in terris, divinum dispositionis suæ reseravit mysterium, in quanta scilicet misericordia salvare decrevisset Deus filios hominum, cum ad eos vivificandos in mortem tradiderit unicum Filium suum. Accepta siquidem injuria illatæ contumeliæ, hac in contemptoribus suis usus est lege misericordiæ, ut ubi superabundavit culpa, ibi miserationum ejus largiora redundarent exempla. Confirmatis itaque discipulis suis, doctoribus nostris, per divinorum præceptorum dogmata, omnem pene jam mundum, a sui denominatione, sub Christiano prætitulavit nomine; penetraruntque verba eorum fines et angulos terrarum, unde et pervenit fides ad notitiam omnium linguarum. Ut enim fideli patrum traditum est relatione, jamdudum fide illuminatis finibus totius Galliæ, serius perlatum est verbum Dei ad hanc insulam Britanniæ. Quæ, secuta exemplum illius evangelici junioris filii, qui primo repugnans jubenti patri, postea vero pœnitentia ductus acrius perstitit in excolendis fructibus vineæ patris sui, eo cœpit devotius in suscepta religione proficere quo se vidit ad fidem Christi tardius venisse.

6. Cœpit jam hinc Christi propitia bonitas in tribulis dulces ficus procreare, in rubo decoras uvas multiplicare, et novellæ gentis suæ stirpem sanctorum filiorum prole fecundare. Ergo, inter cætera rudi Britanniæ divinitus tunc collata luminaria, ad depellendas veterum errorum tenebras clarius a Deo accensa, effulsit hic beatus puer Joannes, velut matutina stella; qui ab ipso nominis initio in Christi initiatus gratia, gloriosus Dei miles finetenus in Christi perstitit militia. Subduxit primo manum ferulæ (75) Theodori archipræsulis Cantiæ, cujus doctrinis ac cura erat institutus, a summo doctore summum conscendit apicem philosophiæ. Hujus excellentiæ evocatus gratia in monasterio Streveshalensi aliquantis detinetur diebus ab Elfleda abbatissa (76). Sed clemens Deus tantum lumen non passus diu modice includi locello, eductum de modii latibulo imposuit candelabro, ut omnibus luceret ingredientibus in sua domo.

7. Exiens ergo inde, fraterna commonitus charitate, rudibus adhuc Anglorum populis verbum Dei cœpit evangelizare. Divina autem affatim præditus largitione, facundus rhetor erat in verborum digna effusione; præbebat etiam sancta vita competentem favorem assiduæ prædicationi, cum a semita auditæ institutionis nusquam diverteret exhibitum exemplum in se conversationis. Comitabatur præterea virtus Dei virtutem verbi sui, et sanabantur per eum quique infirmi, ut et in hoc fideli servo suo promissio firmaretur Christi. Signa, inquit, quæ ego facio, et vos facietis, et majora horum facietis. (*Joan.* XIV, 12). Tanta autem ditatus gratia divinitatis, acceptum talentum Domini sui vario multiplicat fenore, ut in gaudium Domini sui læta intraret vocatione.

8. Litterarum enim affluenti imbutus copia, in docendis discipulis suis solerti instabat vigilantia; inter quos Bedam, qui inter doctores Ecclesiæ clarus habetur, caro affectu pro capacitatis suæ vigore amplectebatur; quem secutus industrius tirunculus, a tanto pædagogo affluenter imbutus, et in exponendis Evangeliis, et in historicis rebus digerendis magnus enituit; et descriptis temporum et computi rationibus subtilissimis, inditam Britannicæ gentis hebetudinem purgavit, scriptorumque suorum dignitatem Romanæ sedis acquisita auctoritate nobilitavit, quodque his majus est, servata innocentia vitæ, Deo fideliter studuit fine tenus placere, ut cum sancto sanctus esset, et cum electo magistro suo sanctissimo Joanne in electione discipulatus Christi permaneret. Succedente etiam tempore, quem a primis sacrorum graduum ordinibus Deo mancipaverat, sacerdotii dignitate hunc Bedam cum aliis quibusdam suæ institutionis viris, dignos Deo adjutores promovit; ut tanto tenacius Christo viti suæ adhærerent, quanto strictius complexi palmites ejus essent. Verum quia horum aliquorum memoria reliquæ vitæ, ex necessitate rerum convenientium, fuit inferenda, redeamus nunc ad acceptæ narrationis gesta evolvenda (77).

9. Regnante inclyto Anglorum rege Aldfrido (78), excedente humanis rebus felicis vitæ Eata (79) epi-

(75) Colitur S. Theodorus 19 Septembris. Is Romæ consecratus venit Cantuariam anno 699, mortuus ann. 690. Thomas Stubs asserit *ab eo, excellentem in Scripturis ingenii vivacitatem, Joannem, id est gratiam Dei appellatum.* De eo plura infra, num. 15, referuntur.

(76) Vitam S. Elfledæ illustravimus ad diem 8 Februarii, ubi, num. 60, hæc S. Joannis ibi residentia e Thoma Stubs adducitur, Beda, lib. IV, cap. 23 asserit, *ex hoc monasterio Streneshalensi prodiisse quinque episcopos, et hos omnes singularis meriti et sanctitatis viros*, inter quos numeratur Joannes.

(77) Hic interponebatur iste tutulus: *Qualiter S. Joannes electus est in archiepiscopum Eboracensis ecclesiæ.* Verum quæ sub initio referuntur, pertinent ad ejus episcopatum Hagulstadensem; et ejus episcopatus Eboracensis erat perperam infra, num. 14, insertus, et inde hic sub finem relatus.

(78) Hic est *Alfridus nothus* seu *junior*, a seniore Alfrido fratre apud Malmesburiensem et alios non distinctus, qui successit Egfrido fratri, anno 684, circa Pentecosten occiso. Consule Ricardum priorem Hagustaldensem, cap. 10.

(79) *S. Eata*, teste eodem Ricardo, mortuus est anno 685, inscriptus Fastis Anglicanis ad diem 26 Octobris.

Digitized by Google

scopo, cunctorum votis poscentibus, maxime vero nutu Dei agente, hic dilectus Dei in ejus successit episcopatu : unctusque in Christum Domini, opera auxit pietatis et fidei, competentia utique tanto ordini et divinæ dignitati, quæ licet omnia enarrare nequeamus pro numero sui, saltem ad aliqua explicanda accinganur, ad honorem et gloriam Domini, quæ utique veridicis tradita agnovimus testibus, et potissimum a beato Brithtuno (80) qui primo ejus erat diaconus, et postea ejus dono et consecratione monasterio ab eo funditus constructo, quod Beverley dicitur, abbas præfuit dignissimus.

10. Dedicaverat idem dilectus Deo præsul ecclesiam in honorem beati Michaelis archangeli, in villula dicta Carnesboc, non longe a defluente amne Tynæ fluvii (81). Hic frequenter, et maxime Quadragesimali tempore, quod a populari frequentia locus remotior erat, in jejuniis et orationibus et eleemosynarum largitionibus intentus sanctus Joannes manebat, ubi cum quodam tempore turbam pauperum, solito suo more, consolandam jussisset introduci, convenit inter eos quidam miserabilis formæ vir. Nam et mutus erat a nativitate, et adeo obscœnus lurida capitis fœditate, ut præoccupato a tinea toto circulo capitis, pro pilis horrebat raris et hirsutis quasi porcorum setis (83) : quem sanctus episcopus bene noverat, quia ad eleemosynam suam inter alios pauperes eum frequenter viderat. Tandem ergo dilectam Deo animam talis facies miseriæ altius pungens, clementius tetigit; injectaque manu, ut erat benignissimus, mento pauperem comprehendit, benedixit (83), et in Dei nomine ut loqueretur præcepit. Præcedit episcopus litteras quasdam et verba dicendo; ille qui mutus erat, soluto linguæ officio, subsequitur eadem ex ore episcopi loquendo. Tandem post verba paulatim invadit orationis sententias, prout præsulis exigebat sanctitas. Fugatur etiam ab illo omnis illa horrida capitis contagio, vestiturque capillorum ornatu crispo et nigro; sicque consolatis reliquis pauperibus simplici alimonia, ille per Sancti Joannis merita redit ditatus multiplici miserationum Dei copia (84).

11. Post hæc ergo B. Wilfridus episcopus, qui longo tempore ab episcopatu suo ejectus fuit, a Romano concilio et a D. papa Agathone epistola accepta in patriam revenit, et episcopatum Hagulstadensis ecclesiæ cum synodali concilio recepit, et sanctus Joannes in Eboraco civitate episcopatum accepit, et annis triginta tribus nobiliter tenuit.

12. Alio quoque tempore, cum iter faceret Sanctus Dei, pervenit ad vicum qui Yatadini (85) dicitur, ubi tunc erat monasterium ancillarum Christi, quibus præerat Hereburgis dicta abbatissa, mulier fide plena, et tunc ob adventum viri Dei cum filiabus suis in Christo valde jucundata. Refert ergo illico pia mater cum luctu, conquerens sancto præsuli consororem quamdam magna corporis ægritudine deprimi, nec aliquam spem vitæ ejus haberi. Precatur suppliciter ut eam dignaretur visitare, dicitque se in Dei pietate et ejus meritis multum confidere, quod ei melius proveniret ex impositione manus suæ. Requirit beatus pontifex causam morbi, discitque ab abbatissa illam in quarta luna sanguinem minuisse, turbatoque corporis statu, brachium ejus miserabiliter intumuisse. Protestatur hoc comperto esse factum imprudentius, memoratque se a B. Theodoro archiepiscopo magistro suo audisse, cum puer esset et ejus discipulus, periculosissimam esse in quarta luna imminutionem sanguinis, et non oportere hujusmodi curationes exercere in teneriori crescentis lunæ ætate, vel recenter erumpente fluentis pelagi rheumate. Victus tandem lacrymis atque precibus mœrentis abbatissæ et consororum, infirmantis feminæ intrat cubiculum; visoque nimio tumore brachii, signum opponit crucis, prælibatque Deo intensius thura puræ orationis, consolatusque jacentem egreditur e domo. Sed cum languente femina efficax permanet benedictio, et omnis illa cum recedente episcopo recesserit inflatio. Vix sanctus consederat ad cibum, et Capuburgis (sic enim vocabatur) ad ejus diaconum Brithtunum, suum mittit nuntium, petens ut illi suum præstaret colloquium. Petita ille episcopi benedictione cum iret, illam jam sanam obviam habet, discitque medelam curationis provenisse sibi per orationem pontificis. Post hæc vixit sana longo tempore, jucunda frequentans relatione curationem sibi a beato præsule impensam.

13. Invitatus quoque hic Deo electus pontifex ad

(80) Beda. lib. v, cap. 2, sequentia habet, quæ, inquit, *dicere solet vir reverendissimus et veracissimus Berhthun, diaconus quondam ejus, nunc autem abbas monasterii quod vocatur Indera-vuda, id est insula Deirorum.* Pro his in Vita a Mabillone edita legitur : *Nunc autem abbas monasterii quod Beverlick dicitur.* In monastici Anglicani tom. I, pag. 170, dicitur *obiisse Brithunus primus abbas Beverlacensis Idibus Maii anno Domini* 733, *et sepultus juxta S. Joannem.* Hujus Vitam illustramus 15 Maii.

(81) Addit Beda, *non longe ab Hagulstadensi ecclesia, id est unius ferme milliari et dimidii spatio.* Videtur a Thoma Stubs Arneshange dici, id est *Mons aquilæ.*

(82) Beda : *Scabiem tantum et furfures habebat in capite, ut nihil unquam capillorum ei in superiore parte capi is nasci valeret, tantum in circuitu horridi crines stare videbantur.*

(83) Beda. *Signum sanctæ crucis linguæ impressit,* ubi et reliqua accuratius profert.

(84) Hæc ad num. 25, perperam translata culpa amanuensium, reposuimus, uti et habet Vita apud Mabillonem. Ricardus *anno uno* solum et forte non integro Hagulstadensi Ecclesiæ præfuisse asserit. Factus ergo esset archiepiscopus Eboracensis anno 686, scilicet, ut Beda ait lib. v, cap. 5. *Cum Wilfridus in episcopatum esset Hagulstadensis ecclesiæ receptus, est idem Joannes defuncto Bosa episcopus pro eo Eboraci constitutus.* Vitam *B. Bosæ* dedimus 9 Martii, quando eum dicto anno 686 obiisse diximus. Vitam *S. Wilfridi* illustravimus ad diem 24 Aprilis.

(85) *Yatadim*, Bedæ *Vetadum* aut *Wetadum* in Vita apud Mabillonem *Humedatum.*

(86) Bedæ dicitur, *filia carnalis abbatissæ.*

Digitized by Google

dedicandam ecclesiam villæ (87), quæ Australis Burton dicitur, officii sui non instrenuus exsecutor, accessit et dedicavit, perfectisque, ut mos est, omnibus, ad propria redire voluit. Is vero cujus villa erat, qui eum invitaverat, precibus humillimis cum suis instat ut domum ejus intrare et ex ejus obsequio prandium dignaretur suscipere. Cui cum sanctus Dei Joannes diceret magis episcopum decere ad monasterium redire, et Deo in suis pauperibus servire quam per domos divitum convivari, promissis sub hac gratia eleemosynis pluribus, et maxime a B. Brithtuno idem pollicente persuasus, assensum tandem præbuit poscentibus.

14. Materfamilias autem, uxor ejus qui eum invitaverat, gravi corporis invaletudine detinebatur, ita ut plus tribus septimanis lecto decumbens periclitaretur. Quo comperto vir Dei, verus medicus animarum et corporum, de aquis ad dedicandam ecclesiam consecratis jussit eam potari; et, ubi morbi dolor acrius urgebat, ex eadem aqua rigari. Quo facto omnis morbus subito fugatur, et illa in novum sanitatis vigorem reparatur. Surgit mulier continuo, parat se ornatu suo, ingrediensque petit benedictionem, et convivantibus læta exhibet servitutem, tantamque valetudinem sibi collatam cunctis innotuit, ut pio præsuli secumque sedentibus in potu fidelis pincerna serviens, nec semel ut quiesceret recederet. Videte, quæso, in beato Joanne hic impletum quod Christus promisit suis : Opera quæ ego facio et vos facietis. Ille Dominus noster domum intravit, socrum Petri febricitantem invenit, febres depulit, illumque sibi ministrare præcepit. Uterque unum et simile faciunt opus; sed ibi absque servo Dominus, hic vero per Dominum et cum Domino fidelis et prudens servus.

15. Clarificat item Dominus in simili opere Joannem servum suum, cum per quemdam divitem Adam (88) nomine, invitatur ad consecrandum ecclesiæ opus novum. Erat huic diviti quidam suorum, valde charus illi et utilis; qui ex incumbente morbo ad id pervenerat ut juxta decumbentem in lecto feretrum corpori aptaretur, sudaria pararentur, et quæ funeri congruerent in præsentia languentis ad manum essent. Hic invitatur iterum ille homo Dei, noster medicus, qui pressuris gravibus antidotis occurreret validioribus, visisque ex more funereis apparatibus, magnus orator totus intro fertur ad cœlestia, et rogata obtinuit. Ad præceptum mox conversus, velociter eum sanari et surgere jussit, moxque recessit. Ille fugato morbo redditus vitæ, paululum hæsit stupens, utrum esset idem ipse. Caro ad vitam reparata cœpit exigere vitalia, mittit ad prandentem dominum, petitque ut aliquid sibi mittat ad bibendum. Exsultant omnes quod is petit bibere, de cujus paulo ante sollicitabantur funere. Porrigit illico inclytus præsul calicem vini, jubetque sitibundam sitim ex eo refocillare. Quo hausto ille acceptis indumentis vestitur, ad convivantes ingreditur, et quia jam diu non manducaverat, esurire se fatetur, et escam postulat. Lætari solemniter videres omnes convivas pro consocio reddito vitæ, venerari sanctum Dei virum mundo tanta clarificatum sanctitate, laudantes Dominum procul dubio qui talia in suo Joanne favore operatur propitio.

CAPUT II.

Alia miracula ante et post obitum. Tempus sedis et mortis.

16. Magnificavit Dominus illum in conspectu regum, et in conventu principum ostendit illius gloriam et meritum. Regali edicto conveniunt primates regni; convenit etiam cum aliis et hic vir Dei. Adfuit quoque et ipse Osredus rex, vir religionis et fidei, et communi tractatu fidelium ordinationes ibi constituunt multarum rerum utilium. Nam et injuriæ ibi corriguntur, leges Dei sanciuntur, pacis æquitas firmatur, res ecclesiarum et monasteriorum regis munimine corroborantur. Quibus feliciter statutis, dominus archiepiscopus, Dei gratia et nomine et officio Joannes, regem cum suis ad mensam suam invitat; qui gratifice obedit, ut decebat, comitatusque proceribus suis discumbens ad nutum assedit pontificis, utiturque cum carnalibus epulis cœlestium monitis. Quibus cunctis affluenter refectis, audite, queso, cordibus intentis, audite et hic operationem Dominicam, videte et hic assertionem evangelicam : Opera quæ ego facio et vos facietis. Implete, ait S. Joannes pincernis suis, implete tres hydrias, unam vino, aliam mulso, tertiam cervisia.

17. Quibus impletis usque ad summum, Joannes qui et gratia Dei, extensa manu benedixit et propinari præcepit. Hauriunt pincernæ crescentia hydriarum fluenta fecundis calicibus, et per lætos convivas propinando redeunt frequentius, hauriunt inexhauste, nihilque in hydriis apparet toties hausisse; semper redundant ad summum usque. Potantes ipsi stupent renovato nectare, quodque bibunt mirantur crescere, et placida dulcedine et mirabili cœlesti exundatione. In hujus potus crescenti valentia recolite nuptias in Cana Galileæ; nam ibi architriclinus vinum bonum esse pronuntiat. In exundatione autem hydriarum trium, mementote Dominici convivii, quo quinque millia hominum et eo amplius satiavit, et considerate in vestris cordibus quid per Joannem suum operatur Dominus suus. Legitur ibi quia viso signo vini crediderunt in Jesum sui discipuli; hic quoque rex Osredus (89) principesque sui

(87) Bedæ cap. 4, *villa a monasterio Beverlaco norum fere millium spatio separata.* Eidem *comes Puch* dictus, cujus *filia Yolfrida, monialis facta apud Beverlic, obiit* in *Idus Martii, anno Domini* 712, *cujus ossa sepulta sunt Beverlaci. Puch cum filia dedit manerium de Valkingtone.* Ita Vita S. Joannis in monastico Anglicano.

(88) Bedæ, cap. 5. *Addi* dicitur, ubi eadem narrantur.

(89) *Osredus* regnavit ab anno 705 usque ad annum 716, quo belli infortunio interemptus est.

Digitized by Google

experti sunt, viso hoc signo, esse in Joanne suo gratiam Dei, veneratusque Dei hominem, vocat ad se ejus pincernam, Brithdredum nomine; lætusque regia jucunditate, optime, inquit, profecisti in servitute tua, nam et optimo potu et mirabili a Domino tuo refecti sumus affluenter, sanctitateque sancti lætificati quam vidimus, discedere nunc habemus cum ejus gratia.

18. Audite, quæso, adhuc Dominum in exemplo sui mirificantem Joannem suum, exhibentemque novum sanctitatis ejus indicium. Si quando in metropoli Eboraco archiepiscopatus scilicet sui sede, eum contigisset morari, amplectebatur valde basilicam Sancti Michaelis archangeli, ibique excubias celebrabat soliti operis sui; contigua enim erat mansioni suæ. Unde accidit quadam vice ut, eo latenter agente inibi illas orationes suas, visibiliter cernendam se in specie candentis columbæ illi præberet Spiritus sancti majestas, flammeo splendore corusca, supra caput orantis episcopi sedis suæ gloriam (ponere) dignata, Deus æterne et benignissime, de quam mundo corde processerunt orationes illæ quæ sancti Spiritus præsentiam obtinuere, illam, inquam, eamdem quæ in Jesu filio Dei baptizato apparuit in Jordane! Quam placitæ ascenderunt in conspectum divinitatis, fidelibus etiam perlatæ internuntiis, quæ tantum referunt effectum virtutis! Irradiat ergo per quæque foramina et fenestras basilicæ illa immensa claritas majestatis inclusæ, ac si relicto æthere sol illuc commigrasset, splendoremque suum in ejus loci augustias inclusisset. Utique rei veritatem digna prosequamur laudum novitate, vere includebatur ibi sol justitiæ Deus, in suo inclusus Joanne, illuminans eum gratia Spiritus sancti, nec cum ullo errore permittens obtenebrari.

19. Cuncti hoc videntes stupent, ut de re insolita, miranturque quæ esse possint illa luminaria, unde tot lucis radii tanto lucerent splendore tantaque emicarent claritate. Accessit tandem Sigga (90) ejus diaconus, pessuloque soluto aperit ostium, participatque gloriam visionis. Videt sanctum pontificem, intentis in cœlum luminibus erectisque manibus, in conspectu Dei effundentem, sicut aquam, animam suam, et in ejus capite columbam super nivem candidam. Cujus viso candenti splendore diaconus, velut decoctus, facie contracta in rugas, tota cute pœnas excepit temeritatis illatæ. Sensit sanctus Dei diaconum participem visionis; et quamvis irritatus, habitum tamen non exuit mansuetæ intentionis. Accitum ergo ad se tactu emaculat dexteræ, compositaque in pristinum decorem facie obsecrat, protestatur, adjurat ne, quoad ipse in hac vita viveret, visionem illam alicui mortalium detegeret. Audistis Dominum Jesum, post gloriam divinitatis suæ ostensam in monte Petro Jacobo et Joanni, descendentibus illis commendantem taciturnitatem, donec filius hominis resurrectione sua mortem calcaret, et vitam mortuis repararet. Videtis et hic Joannem imitatorem Domini sui, testem divinæ glorificationis suæ, quasi mercede, conducere, precibus alligare ut visa conticeret donec hoc mortale exueret et beatæ immortalitatis gloriam indueret. Dubitandum ergo non est quin hic sanctus Dei magnæ puritatis fuerit in conspectu Dei in cœlis, qui tantæ claritatis compos factus sit coram hominibus in terris.

20. Habuit etiam et alium testem signorum quæ per eum propitia gessit divinitas; Herebaldum (91) scilicet Tenemuthenensis cœnobii, qui ejus discipulus a puero et doctrina erat imbutus, comesque commanens individuus. Testabatur hic sæpius se bene etiam per seipsum comperisse hunc S. Joannem vere esse sanctissimæ vitæ; qui inter alias multis infirmis præstita beneficia, ipsum de morte reduxerit et subitæ sospitati condonaverit. Dicebat semel contigisse convivantem cum suis hunc charum Dei hominem devenire in planioris viæ grata spatia, cujus jucunda planitie delectati juvenes, militari consuetudine precantur hunc dominum suum, ut liceat eis equos suos in eodem probare inoffenso campi æquore. Quod cum primo vir Dei pro levitate ducens denegaret; tandem petendo instantibus: Agite, inquit, ad libitum, Herebaldus vero maneat mecum. Quod ille audiens juvenili cœpit tristari levitate, quia recenter datum ab episcopo equum, cui insedebat, volebat probare.

21. Tandem ergo cum laxis frenis omnis campus discurrentibus perstreperet, Herebaldus, ac si invitus et quasi incitatum equum retinere non posset, reclamante episcopo evolat, volucremque cornipedem laxioribus frenis ad cursum concitat. Testari solebat idem Herebaldus se tunc audisse ab episcopo post tergum clamante: Male, inquit, agis discedens a me, et hoc modo cognosces. Vix finita comminatione viri sancti equus labitur Herebaldi; excussusque Herebaldus super ingens saxum, ruina decidit præcipiti, capite confringitur, interioribus discinditur, defilisque manu et pollice redditur. Turbati omnes eo concurrunt, relictis equis ad terram prosiliunt, sed is qui colliditur magis videtur absque sensu quam sapere, magis putatur mori quam vivere. Tenditur super moribundum papilio, et ejus causa per spatiosum æquor cujusque frequentatur obumbratio. Dolent omnes cucurrisse, sed nesciebant quid de cursu providisset Deus ipse

22. Sanctus autem Dei de ruina mœret specialiter dilecti discipuli, compositisque saccis in tentorio insomnem noctem ducit, propitiumque Dominum inobedienti suo propitiari precibus et lacrymis convenit. Et valde mane ad debilitatum charum ingreditur; primum oratur, et deinde dulci affectu ex nomine compellatur Herebaldus. Et mirum in modum,

(90) *S. Sigga, diaconus S. Joannis*, dicitur in Monastico Anglicano.

(91) Beda hæc refert, cap. 6 et *Herebaldus*, inquit, *tunc in clero illius conversatus, nunc in monasterio, quod est juxta ostium Tini fluminis, abbatis jure præest*, uti hic sub finem dicitur.

Digitized by Google

dum, cum a præcedentis diei hora septima usque ad illud mane quasi exanimis jacuerit, a sancto Dei vocatus, quasi de gravi somno excitatus, oculos aperit, et in virum Dei intendit. Interrogat pius doctor utrum agnoscat colloquentem sibi, moxque respondet ægrotus voce lacrymabili : Tu es, inquit, Joannes episcopus dilectissimus dominus meus. Et ipse : Putasne, inquit, ex instanti periculo cum vita posse evadere. Scio et credo, inquit ille, si per preces tuas hoc mihi Deus annuerit. Quid plura? Imponit præsul Dei manus confracto capiti, sacratas aquas debilitato irrorat corpori; Deum invocans cernuus illi inspirat, deinde cruce signat, et subitam medelam Deus præstat. Hoc sæpius idem ipse referebat postea longo vivens tempore; maturiorque ætate, factus est abbas vigilantissimus eo in loco ubi pelagus influit Tina fluvius; unde et Tinemuta idem dicitur.

23. Referebat etiam venerabilis vitæ abbas ille cujus supra meminimus, quod quadam vice hic sanctus Dei Joannes Beverlacense monasterium adierit, duabus causis poscentibus, ut scilicet gregem Dei ibi commorantem in obsequio Dei commonefaceret salutis suæ, et ut in temporalis substantiæ administratione nihil illis abesset quo minus divinis intenderent. Ibi cunctis manifestum dedit prompta Dei largitio, quantæ integritatis præconio apud se exstiterit hic suus magnus servus. Paraverat idem venerabilis abbas balneum jam defesso ex instanti senio præsuli. Quo, post longius protractas ex more suo psalmodiarum et orationum celebrationes, abluto, postulat abbas ut cellarium ingrediatur, et quæ Deus ibi in usus servorum suorum præstiterat, benedicere dignaretur. Quibus ad votum abbatis impletis fessus senex consedit; quem abbas humiliter consulit, utrum post balneum aliquantulum vini degustare velit. At ille placido vultu dicit sibi placere, si ad manum possit sibi venire. Detulerat autem pridie quidam mercator a civitate eidem abbati flasconem vini; quem lætus suscipiens, in cellario reponi jusserat ad opus ejusdem sanctissimi viri.

24. Accersitur Brithredus pincerna, jubeturque ut vinum propinet episcopo in vitrea phiala. Qui dum festinus paret jubenti, properantius agens ex affectu obsequii, incautius reliquit dependentem in pariete prædictum flasconem vini; qui ex alto corruens per medium rumpitur, ita ut in duas partes divideretur. Sed, quia is cui potus ille servabatur vas electæ integritatis Deo erat, nil mirum quod ipse Deus potum illum in partibus vasis divisis conservaret. Nam hinc inde semota pars a parte stabat, vinumque in se quasi congelatum liquorem vel solidam crystallum continebat. A cujus ruentis sonitu permotus idem pincerna Brithredus currit intro, invenitque quod ibi actum erat divinitus. Sed quia hujus rei relationem ingratam sciebat ei cujus agebatur meritis, accersitum quemdam fratrem, Plechelmum nomine, introducit ad visionem rei insuetæ et mirabilis, ut testimonium haberet in tempore relationis. Suscipiunt ergo illud in alio vase, gratias agentes Deo, qui talia operatur in S. Joanne, complacito vase inhabitationis suæ.

25. Multa quidem et alia signa per eumdem Dominus operatus est. Quotquot enim vestimentum ejus cum fide tangebant, omnium infirmitatum suarum celerem sibi sanitatem advenisse gaudebant (92). Dum autem quadam die ad sanctum Joannem episcopum multa conveniret turba, ut sacri chrismatis unctionem acciperet, quemdam juvenem mortuum inter alios sacris chrismatis unctione linivit, et sic de morte ad vitam reduxit. Similiter et dæmonem ab homine quodam expulit; insanos etiam et infirmos semper sanavit, ubicunque eos invenit; sed et tempestatum habebat potestatem per sancti Spiritus vigorem.

26. Nec mirum si gratiosus apud Dominum et homines hic electus Dei Joannes exstiterit, utpote qui a magistro et doctore clarissimo et inter theologos facundissimo sufficienter edoctus sit, Theodoro scilicet Cantuariensi archiepiscopo, de quo sanctus Beda refert in ecclesiastica Anglorum Historia. Erat, inquit, tempore Ceddæ episcopi, Romæ quidam monachus, nomine Theodorus, natus Tharsi in Cilicia, vir et sæculari et divina litteratura Græce, et Latine, et Hebraice sufficienter instructus, probus moribus, et ætate venerandus, qui ordinatus a Vitaliano papa Britanniam missus est, et venit ad ecclesiam suam Cantuariæ, secundo postquam consecratus est anno. Hic etiam Theodorus in suam suscepit disciplinam quamplures de regione Britannica, inter quos quemdam habebat magnæ sanctitatis discipulum, nomine Joannem, quem postmodum vidimus archipræsulem metropoliticæ ecclesiæ B. Petri Eboracensis, tempore Alfridi regis, ordinatum, quem Dominus Jesus Christus tantum dilexit ut ei in columbina specie Spiritum sanctum divina celebranti transmiserit. Fuit autem Theodorus in archiepiscopatu Cantuariensi per annos viginti et unum, menses tres, dies viginti et sex, et sic migravit ad Christum, Joannes vero multos quoque diaconatus ordine et presbyterii sanctificavit honore, de quorum collegio sanctus exstitit Beda, qui multa apostolicæ fidei scripsit utilia. Ipse etiam Joannes habebat quemdam magnæ sanctitatis diaconum, nomine Brithianum, quem in monasterio suo, quod Beverley dicitur, abbatem sanctimonialis vitæ constituit. Idem vero Joannes episcopus omnes ad se venientes ad viam veritatis convertit, et pro grege sibi commisso et omni populo Christiano jugiter et sine intermissione oravit.

27. Mansit autem in episcopatu (93) hic Christi athleta Joannes triginta tribus annis, octo mensibus,

(92) Hic interponebatur laus discipulorum, quam transferimus ad finem numeri seq. et electio ad Eboracensem archiepiscopatum, quam dedimus suo loco, num. 11.

(93) In episcopatu utroque, sive ab ordinatione in episcopum.

Digitized by Google

et tredecim diebus, et postea, cum jam episcopatum præ majore senectute circuire non posset, suo sacerdote Wilfrido (94) cum totius populi electione pontificatum commisit Eboracensem, et ipse cum consilio S. Brithuni abbatis sui Beverlacum petiit, et ibi diu in Dei servitute persistens, Nonis Maii vitam feliciter finivit (95) : et sic ad cœlestia regna conscendens, sepultus est in porticu S. Joannis evangelistæ, in monasterio suo, anno ab Incarnatione Domini septingentesimo vicesimo primo. In eodem autem loco ubi sepultus est, per ejus merita infirmi sanantur, dæmones effugantur, cæci illuminantur, surdis aures reserantur, mutis verba reparantur, claudis vestigia condonantur, cuncta genera dolorum effugantur, ejusque interventu crimina nostra delentur, et gaudia cœlica conceduntur, præstante illo, cui cuncta famulantur.

28. (96) Dominus et Salvator noster Jesus Christus multa miracula per dilectum suum Joannem operatus est. Quorum primum hoc est : accidit quodam tempore ut quidam, ardore febrium oppressus, ad sanctum ipsius sepulcrum pervenerit, ac sensu alienatus, dum ibi diu devolveretur, tandem spiritus malignus ab ipso fugatus est. Qui et integræ sanitati per S. Joannis merita restitutus, assumpto baculo suo, ad propriam domum perrexit; atque ipsum postea nunquam eædem infirmitates invaserunt.

29. In quodam postea tempore abbas Brithunus invitavit abbatem de Swina (97) in anniversario die S. Joannis ad Beverlev, habentem secum illuc quemdam presbyterum, nomine Druchwald, qui et tanta infirmitate detinebatur ut vix illuc ire poterat. Item postea cum abbas de Swina domum redire proposuit, rogatu suo Brithunus abbas ipsum infirmum presbyterum, donec incolumis fieret, in custodia recepit, et maxime propter invocationem nominis S. Joannis atque amorem. Cum quo et ipse abbas de Swina quemdam diaconum suum, qui vocabatur Adde, quatenus procuraretur attentius, reliquerat; cui enim vero abbas Brithunus Welverd presbyterum addiderat, ut ipse infirmanti presbytero omnia ei procurando necessaria famularetur. Tunc autem qui infirmabatur sacerdos rogabat ipsum Brithunum abbatem, ut corpus suum, si obisset inibi, in cœmeterio illo sepeliri permitteret : quia ipse sanctus episcopus, inquit, se antea ad sacerdotalem promoverat gradum. Quod postquam impetraverat, ei ea ipse presbyter gratias prece supplici atque devota persolvit.

30. Insequenti vero nocte in tantum aggravabatur infirmitate, quod eam vivus minime putabatur posse transire. Mane autem facto ipse abbas venit ad ipsum, dicens ei : Credo cito melius te fore futurum, si allatus fuisses ad monasterium, in quo sunt multæ reliquiæ sanctorum martyrum. Hoc idem quoque (ait) se credere ipsum, et contestans continuo, post horam tertiam allatus est in ipsum monasterium, ipsi etiam Deo grates referens quia in ipsum vivus meruit introire. Et cum intentius ante altare S. Joannis evangelistæ orasset, inde ad sepulcrum ipse progressus est, supplici eum prece deposcens quatenus sibi in infirmitate sua erga suum medicum dignaretur auxiliari. Ac sæpius gratia impetrandi commemorata, quam erga Deum habebat, inde progrediens monasterium S. Martini, quod in se continebat multas quoque sanctorum martyrum reliquias, ingressus est. Quarum igitur impressione ut signum sanctæ crucis fronti suæ intentum est, ac eo regresso ad tumulum sancti confessoris, continuo ab ipsa infirmitate qua detinebatur curatus est; et postea sanus et incolumis domum rediens, hoc ipsum miraculum, quod in se factum fuerat, cum ingenti lætitia sæpe et multum solebat referre.

31. Quodam etiam tempore contigit quamdam sanctimonialem de Esech, cujus manus contractæ erant, membraque universa invaletudine detinebantur, ad sancti confessoris tumulum devenisse, ac sui universi languoris sine mora curationem inibi recepisse per intercessionem ipsius sancti Confessoris. Sanitate igitur recepta, ipsa multis hominibus in eodem die quo curata est propinando ministravit, et in ea postea sanitate multis vixerat annis. Et hæc per intercessionem hujus sancti confessoris fiebant ad laudem et honorem Creatoris nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

(94) Hic est S. Wilfridus junior, cujus Vitam dedimus 27 Aprilis.

(95) Beda, *ibique Deo digna conversatione complevit*, omissa particula *diu*, pro qua substituunt Thomas Stubs et auctor Vitæ S. Brithuni *quatuor annos*. Ricardus *annos tres* asserit; at non integros duos reperimus. Nam Easa mortuo anno 685, et fortè 26 Octobris, etiamsi paucis solum diebus interjectis fuerit ordinatus episcopus, et in illa administratione permanserit annos 33, menses 8, dies 13, antequam relicta sede migravit Beverlacum, pervenitur ad annum 719 et mensem Julium, et ultra octavum diem; unde ad hunc diem 7 Maii anni 721, vix decem menses ultra annum possunt superesse; quod sufficit ut dicatur ibi adhuc *diu* perstitisse.

(96) Quæ sequuntur miracula, ut ex novo apparet exordio, aliunde adjecta sunt.

(97) Abbatiæ Svviniensis in agro Eboracensi mentio celebratur in monastico Anglicano, pag. 1026, cui ex hoc loco ejus antiquitas adstruitur, cum hæc contigerint ante annum 733 quo Brithunus abbas obiit.

Digitized by Google

CARMEN FOLCARDI DE S. VIGORE.

(Achery, *Spicil.* vet. ed. IV, 576.)

Festa dies Patris rutilat celebranda Vigoris,
Patrem Bajocas, quem fratrem gaudet Atrebas.
Hujus grata Deo genitrix, generosa virago
Pignore de tanto capit assertore superno
Natum, quem gestat, benedixit diva potestas,
Sacravitque sibi, cuncto sacravit et orbi.
Nascitur ergo puer forma speciosus, et alter
Fit Samuel, Domino condignus ab ungue tenello.
Moxque jugo Domini subclinat lenia colli,
Inferturque gregi monachus puer Atrebatensi :
Proficiens cunctis Patribus, profecit ab illis,
Inclytus ille puer, cunctis subjectus ovanter.
Jam quoddam majus meditatur tiro beatus,
Fiat ut a patria peregrinis cum patriarcha.
A Exsulat ergo procul hic seminiverbius exsul;
Tendens ad populum sibi cœlitus insinuatum,
Urbs est Bajocas, quam prisca Neustria monstras.
Hanc adit ut doceat quos impius error habebat,
Gratia virtutum Christi comitatur alumnum.
Quæque docendo monet, signis probat, actibus implet.
Viribus exsangues reparavit, depulit angues,
Ad superos vita functum traxit prece fusa.
His populus visis, se sacris devovet undis;
Hancque Deo prolem per sacri fontis honorem,
Sancte Vigor, generas; sacras cui solvimus odas.
Flammarum domitor, qui mundi comprimis ignes,
B Ne nos exurant, flammas compesce gehennæ.

FOLCARDI OPUSCULA DUBIA.

VITA S. AUDOMARI

EPISCOPI TERWENNENSIS,

Scripta ab auctore anonymo, qui ante Normannorum cladem vixisse videtur : apud Surium contracta, et interpolata fortasse à Folcardo monacho Sithivensi sæculo XI; *restituta ad apographum Corbeiense.*

(Apud Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.*, Sæc. II, pag. 559.)

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Domino omnipotenti, munerum spiritalium magnarumque virtutum largitori, multiplices gratias laudesque sedulas dicere debemus, qui, omnium creaturarum visibilium et invisibilium Conditor et gubernator existens, Filium suum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum ad docendas redimendasque omnigenas gentes misit ad terras, etc. Qui duobus et decem apostolis de turba totius generis humani electis, alios quoque alterius ordinis sexaginta et duos regionibus albis ne multæ operarii deessent messi jubet Omnipotens discipulos esse suos, hosque in cœnaculo Sion sancto spiramine repletos, omniumque linguarum mirabili dono ditatos, ad docendas baptizandasque omnigenas gentes ire præcepit, etc. Post hos postque ipsorum successores alios homines agios Dei gratia prædi- C tos, eodemque spiritu repletos apostolorum vicarios in omnibus mundi partibus esse concessit, etc. Unde occidentalibus mundi partibus, divinis muneribus decoratum, signis ac virtutibus in multis orbis partibus notum Audomarum (*S. Omer*) apostolicum donavit doctorem. Ideo te, Deus omnipotens, per gloriosa ejusdem pontificis patrocinia precamur ut largiflua tuæ sapientiæ de supernis fluenta nostris licet maculatis mentibus rorare concedas, ut, de tanti viri meritis atque virtutibus quæ per illum tua gratia gessit scire volentes, licet de magnis parva ac de multis pauca depromere possimus. Quis enim quotidianam ejus conversationem atque in Dei servitio constantiam, cunctosque labores quos in occulto, Deo tantum teste, operatus est, scire atque narrare potest? D

Digitized by Google

INCIPIT VITA.

2. Hic igitur agius pontifex Audomarus et nobilibus et inclytis secundum sæculi dignitatem et in fide catholica eruditis ortus fuit parentibus (98) in Constantinense regione, nec longe a Constantia (*Constance* ad Rhenum) civitate, et in eo specialiter loco qui Aurea-Vallis (Imperio vulgo *Guldindal*) vocatur, natus est. Genitor vero hujus inter suos clarus Friulfus vocabatur; Domitta autem sua nuncupata fuit genitrix. Hi vero religiosi parentes prædictum puerum secundum Christianæ religionis a cunabulis ritum divina gratia suffragante in ecclesiasticis nutriebant disciplinis : unicum enim Audomarum habebant filium. Friulfus vero post prædictæ conjugis suæ obitum, et puero ætate et gratia crescente, suavi jugo Christi ac levi, divina famulante misericordia, cum confortante ac suadente Audomaro filio suo se subdere studuit.

3. Ambo igitur, genitor videlicet Friulfus cum beato filio suo Audomaro, implentes quod scriptum est : *Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni; sequere me, et habebis vitam æternam* (*Matth.* xix, 21), mundo mortui, Deo vivi, caducis inopes, perennibus locupletes, Deo subditi, diabolo rebelles, mente similes, ætate dispares, ad Christi militum perrexere cœnobium quod famoso nomine vocatur Luxovium, quodque a sanctæ memoriæ Hibernense viro B. Columbano abbate in Burgundiæ regione in Dei nomine fuit fundatum. Sancto igitur Austasio abbate qui tunc in prædicto monasterio sanctæ atque beatæ monachorum multitudini præerat, Audomarus cum suo unanimiter genitore religiosa manifestaverunt desideria, sequentes quod scriptum est : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, et majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* xxxii, 7). Sanctus vero Austasius eos Dei amore flagrare cernens, et in B. Audomari vultu et verbis gratiam cognoscens esse divinam, salubre atque perfectum secundum sacræ Scripturæ auctoritatem prædictis Dei famulis dedit consilium, suadens videlicet utrisque aliquando simul, aliquando separatim, ut sub regulari disciplina secum in Dei perseverarent servitio. Ambo igitur divino ardentes amore, spiritalis Patris Austasii sequentes consilium, sub sacræ regulæ jugum mente devota se subjecerunt. Beatus igitur Austasius immenso gaudio repletus, eos sancto monachorum consortio conjunxit. Dehinc S. Audomarus spiritali gratia plenus, ætate tener, fide robustus, districto regulæ rigori subditus, inter agium monachorum populum fuit imbutus, omnibusque Christi militibus in prædicto monasterio habitantibus, divina suadente gratia, amabilis fuit. Erat enim mente castus et corpore, obedientia atque humilitate refertus, in divina scientia eruditus, charitate et mansuetudine plenus, districtis parcimoniæ castigatus jejuniis, prolixis noctium pervigil excubiis, sciens quod scriptum est : *Beati sunt servi illi quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes* (*Luc.* xii, 37).

4. Dehinc B. Audomari fama per multa loca vulgata usque ad Dagoberti Francorum regis notitiam pervenit : abscondi enim non potest civitas super montem posita (*Matth.* v, 14). Posthæc, multis intervenientibus annis, a reverendissimo prædicto principe Dagoberto, et ab omni Francorum populo vocatus, S. Achario Noviomense episcopo opitulante, ad docendum atque ad gubernandum Terwanensis urbis populum, episcopalem cum magna mentis humilitate sumpsit honorem : in quo gradu verbum divinum in corda credentium seminans, animarum corporumque languores curans, captivos vinculatosque redimens, viduarum inopumque præ omnibus curam gerens, plebem sibi a Domino creditam rite gubernabat. Prædictus igitur Terwanensis populus licet ante adventum B. Audomari a sociis Dionysii martyris, Fusciano videlicet et Victorico, verbum audivit divinum, eodem tempore quo S. Quintinus in Ambianense prædicabat urbe; multi tamen adhuc ex ipsis Terwanensibus cultui adhærebant idolorum. Postquam enim duo beati viri prædicti Fuscianus et Victoricus de prædicta Terwanensium urbe perrexerunt, et in Ambianensium civitate martyrio coronati sunt, tunc Terwanenses ad culturam iterum reversi sunt idolorum. Non solum enim hi qui nomen Domini antea recipere noluerunt, sed etiam hi qui a prædictis Patribus fuerunt baptizati, pari errore ducti idola colebant. Summus igitur prædictus pontifex Audomarus eamdem ingressus urbem, salutifera divini verbi præcepta stolidis paganorum cordibus tradidit, ferasque eorum mentes tetris ignorantiæ caliginibus cæcatas largo Evangelii lumine illuminavit, vanaque simulacra destruenda igni tradidit, sacrilegamque idolorum culturam in prædicta urbe funditus evertit, omnemque in ea habitantem populum ad fidem convertit catholicam, divina sibi suffragante gratia : omni enim operanti bonum (*Rom.* ii, 10) Deus cooperatur. *Si* enim, testante Apostolo, *Deus pro nobis, quis contra nos est?* (*Rom.* viii, 31.)

5. Postquam vero prædictam plebem ad veri Dei cultum præfatus pontifex convertit, verbum divinum concurrentibus ad eum undique prædicando turbis, multosque in Dei nomine variis liberando languori-

(98) S. Audomari consanguineus dicitur qui popularis ejus fuit S. Bertinus; qua de re in Actis S. Bertini sæculo insequenti. Addit Joannes de Ipra seu Iperius abbas Sithivensis in Chron. ms. quod ad annum 1295 perauxit, Audomarum in quodam instrumento Caroli Magni consanguineum ab ipso imperatore appellari.

Digitized by Google

bus, magnarum sibi signa virtutum largitio concessit divina, de quibus nunc almigeris illius virtutibus subsequens sermo, Christo favente, pauca depromere properat. Quadam vero die Audomarus egregius Christi confessor in Bononia (99) urbe perseverans, post nocturnas vigilias diluculo more solito surgens, in ecclesiam intravit orare, ibique prolixum æstivi diei spatium verbum Dei circumstantibus turbis prædicans. Missamque Christiano populo cantans, ægrotis variis generibus morborum manus imponens, meridianis diei horis vitæ venerabilis senex lassus sese locavit ad lectum. Dehinc parvum pausandi spatium volens suo indulgere multis laboribus fatigato corpusculo, unus de circumstantibus ipsius ministris juvenili ætate lascivus accessit ad illum dicens : « Domine, da mihi nunc tuam mecum habere licentiam; ad vicina pelago volo nunc pergere loca. » Tunc senex juveni dixit coram turba petenti : « Non habes licentiam, fili mi, adhuc pergere foras; nam tibi hic melius reor exspectare parumper, donec me sospitem de somno surgere cernas. » Prævidit enim providus speculator sui gregis prophetico plenus spiritu, erranti juveni quod esset malum abire. Tunc sommo sopitus fessus sic siluit senex. Ast juvenis optimi spernens præcepta patroni, ut mos est juvenibus jussa sic spernere senum, tunc rapidis gressibus velox ad mare migravit. Tum parvam naviculam cernens in littore stantem, qua soliti fuerunt homines parvum transscendere flumen quod accolæ nominant ipsis in partibus Elna (*Elne*), immemor at juvenis, cæcatus amore ludi, inconsulte actutum solus ascendit in illam, ipse volens ludere in hujus rivuli ripas. Ast illum in pelagus rapuit vis valida venti. Tunc subito surgens in ponto sæva tempestas, ipsa navicula undis tumescentibus quassata, nec gubernacula nec gubernatorem habens, huc et illuc fluctibus errans natabat in mari quod magno Britanniam gurgite secernit a Francis, quod sæpe fortissimis mersis hic navibus nocet. Ast miser nec propriam cernens nec alteram terram, tunc illum pœnituit quod sprevit verba patroni; mori sese credidit ventis pugnantibus in undis; nec navis nec juvenis poterat resistere ponto. Tunc illum per merita Deus Audomari precantem, trepidum Saxonicam [Anglicanam] illico deduxit ad terram. Tum iterum stupidus ignota cernens arva, raptores tremulus se denudare timebat, si solus diutius illic exspectare tentasset.

6. Hinc notam confitens inobedientiæ culpam, lacrymis ubertim profusis postulans opem, Audomarum tremula clamans tunc voce patronum, in Dominum fidens cito recurrit ad navem. Illico Omnipotens ventum illi concedens aptum, mitescere pelago jubens ante tumenti, navicula natans rursum per mare serenum, actutum iterum salvus remeavit ad portum, de quo illum antea fortis rapuerat Eurus et prædictus rivulus Elna, ubi intravit in mare. Nauta surgens illico notos agnoscens agros, illæsam linquens suam in littore navem, littoreas calcans rapidis gressibus algas, multimodas agens gratias Omnipotenti, ad suum pœnitens rursum recurrit patronum. In eo episcopus adhuc moratus quo somno sopitum ante reliquerat illum, mira omnipotentis Dei misericordia in eisdem horis celer ille reversus est. Tunc proximans postibus aulæ ubi senex orabat, miser multis vocibus cito prostratus ad terram, humidis vultibus culpam confessus, cum fletu suspirans, lacrymis veniam flagitabat profusis. Tunc senex leniter inquit corripiens illum : « Fili, tibi antea dixi quid esset venturum, quod non te decuit hodie pergere foras, cur ausus es postea nostrum contemnere verbum? » Tunc tremulus juvenis suo respondit patrono : « Mea culpa, domine, mea veraciter culpa, ignosce misero mihi per te a morte reducto. » Tunc ipse, ut diximus, sua pericula narrans, quod solus inter tumentes Oceani fluctus, interque voraces circa scopulos currentium gurgitum æstus in parva navicula, multa perpessus in ponto, nec mari se credidit vivum evadere posse, nisi illum misellum humanam desperantem opem Audomari meritis Deus liberasset de morte. Tunc silere juvenem jussit sic sobrius senex, incautum discipulum humili reprimens mente : « Nec hoc verbum, inquit, iterum foras ab ore depromas, nec ulli hominis hæc de me dicere debes, quandiu me videris hac brevi perfrui vita, ne zabulus superet nos jactantiæ culpa; nec ab ore hominum quærere laudem, ne inanis gloria cor nostrum levet in altum. » Hinc post hujus obitum cuncta per ordinem monstrans narravit discipulus ille qui passus est in undis (100).

7. Post hoc non multo temporis intervallo ad B. Audomarum de prædicta Constantinense regione tres una cum mente viri Mummolinus, Ebertramnus (101) sanctusque Bertinus pariter venerunt, relinquentes etiam secundum Domini præceptum parentes, patriam, omnesque propinquos (*Matth.* XIX, 29). Sanctus vero Audomarus prædictos Dei famulos gratifice recepit, immensasque omnipotenti Domino gratias agens qui tales sibi ad prædicandum Evangelium adjutores deduxit. Erant enim præfati viri in fide perfecti catholica, et in ecclesiasticis disciplinis atque in divina Scriptura eruditi.

8. Parvo posthæc temporis spatio transacto S. Audomarus cum prædictis beatis viris, divina sibi stimulante gratia, monasterium cogitavit in Dei

(99) Bononia, alias Bolonia, *Boulogne*, haud procul ab Oceano ad Elnam fluvium, sedes episcopalis Morinorum, uti et Tarvenna quondam civitas, ad Legiam fluviolum, a Carolo V imp. anno 1553 excisa. Episcopus olim pro temporum occasione in alterutra civitate sedebat. Morinorum sedes modo tripartita, Bononiæ, Audomaropoli et Ipiæ attributa est.

(100) Posthæc in apographo Fuliensium Parisiensium recitatur tentatio carnis, quam S. Audomarus, exemplo S. Benedicti, urticarum et spinarum aculeis superasse dicitur.

(101) Ebertramnus fuit postea abbas monasterii S. Quintini apud Augustam Veromanderum; de aliis infra.

Digitized by Google

fundare nomine : ad habitandum enim monachis, divina sibi largiente misericordia, locum habebat aptum. Erat enim quidam vir potens Adrowaldus nomine, in divitiis hujus sæculi vanis valde dives, quem B. Audomarus de errore gentilitatis ad fidem convertit catholicam, quemque cum omni sua baptizavit familia. Adrowaldus vero prudenti consilio fallaces divitias præsentis sæculi spernens, nec ullum habens filium, magnam suæ hereditatis partem cum omni sua multiplici substantia Deo et beato obtulit Audomaro, villam videlicet quæ noto nomine vocatur Sithiu. Beatus vero Audomarus in prædicta villa ante adventum prædictorum virorum ecclesiam ædificavit, in eo etiam loco in quo suum pausat in pace corpusculum. Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum pervenerunt, concessit illis ut monachorum habitaculum ædificarent, ubicunque illis in prædicta placuisset villa. Sancti igitur viri Mummolinus (102) atque Bertinus cum cæteris eorum in Christo sociis monasterium ædificare in quodam cœperunt loco, quod usque hodie Vetus vocatur monasterium (103) ; sed in eo loco paucis morantes annis, divina eis suadente gratia, alium voluerunt eligere locum.

9. Beati igitur viri, in Domini confidentes misericordia, perfectum invenerunt consilium. Protinus enim in navem ascendentes sine gubernatore et remigio, ac sine ulla cibi et potus cura, huc atque illuc spatioso stagno adhærente prædicto eorum habitaculo navigantes, omnipotentem rogabant Dominum ut ad locum quem sua illis præparavit misericordia eos deduceret illæsos; dicentes invicem quod non ascensuri essent de prædicto stagno, nisi quando, navicula eorum aptum tenendo portum, contigisset illis secundum ordinem psalterii subsequentem cantare versiculum : *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI, 14). Misericors igitur Dominus qui suis ubique præsens est famulis, prope est enim Dominus invocantibus eum, navem in qua beati fuerunt prædicti viri post aliquod prævisum sibi spatium illico deduxit ad terram. Tunc etiam illi, prædictum canentes versiculum, sine mora navem relinquentes læti intraverunt in terram, cognoscentes etiam locum illum a Domino ipsis traditum. Dehinc B. Audomaro, pio eorum Patre, favente, monasterium nomine Sithiu (104) prædicta villa nominatum super Agnionam fluvium in Dei nomine ædificare cœperunt. Confluentibusque undique religiosis viris ad prædictos Dei famulos, B. Audomarus Mummolinum multitudini præposuit monachorum ; sed non multo posthæc temporis intervallo, præfatus venerabilis abbas Mummolinus ad Noviomensis urbis episcopatum, divina largiente gratia, provectus est, et per viginti et sex (105) annos prædictæ civitatis populum a Domino sibi creditum rite gubernavit.

10. Gloriosus igitur pontifex Audomarus post Mummolinum in prædicto monasterio sancto monachorum choro beatum præposuit Bertinum (106); sanctis enim fratribus in eodem loco sub strictæ regulæ rigore Deo servientibus dilectus atque amabilis beatus fuit Bertinus. Erat enim vir venerabilis, in divinis rebus prudens, et providus gregis sui pastor, in malis vero simplex et innocens, secundum Domini præceptum : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16).

11. Posthæc vero, multis intervenientibus annis, B. Audomarus carnales amittens oculos temporali privatus est lumine, ut perpetua luce illuminatus in Dominum semper aspiceret, sicut B. David dicit : *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XIV, 15) ; et idem dicit : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII, 1). Per amissionem vero carnalium oculorum spiritali lumine repletus, populum a Domino sibi creditum eodem regebat ordine (107).

12. Posthæc vero paucis intervenientibus annis cum prædictus venerabilis vitæ senex Audomarus nimio febris ardore fuisset fatigatus, cumque diem obitus

(102) *Adroaldus* (scribit Iperius) *voluit donationem suam litterarum attestatione firmari, ut futuris temporibus validior permaneret. Sic ergo ea incipit :* Dominis sanctis Patribus Bertino, Mummelino, etc. *Facta donatio* VIII *Id. Septemb., anno* XI, *regni domini nostri* Chlodovei *regis. Actum in Sithiu villa dominica.* Et tamen apud Miræum, Donat. piar. cap. 3, legitur : *Actum Ascio villa dominica.* Annus XI Chlodovei anno Christi 648 respondet.

(103) Surius legit *vetus templum.* Iperius : *Jussu,* inquit, *B. Audomari tres viri sancti prædicti ecclesiolum construxerunt et cellam in territorio ejusdem villæ, in loco qui adhuc et propter hoc Vetus vocatur monasterium super fluvium Agniona anno* 626. (lege anno circa 649.) *In eo loco supradicti viri sancti quasi in eremitorio sederunt cum conventiculo parvo constricti annis* 14, etc.

(104) Monasterium Sithivense, alias Ulterense, dictum a fluvio Ultro (qui et Agnio, Agniona, Enneno, nunc Aa vocatur) modo S. Bertini appellatur, vel ipso nomine celeberrimum, de quo in Actis S. Bertini fusius agemus.

(105) Nempe post Eligium, qui, cum Chlodovei II anno tertio, Christi 640, ordinatus sit episcopus. præfueritque Ecclesiæ Noviomagensi et Tornacensi annis decem ac novem, anno 649 locum fecit Mummoleno, qui ob equum sancti viri subreptum abbati basilicæ S. Eligii correptus dicitur in Vita ipsius Eligii, lib. II, cap. 44, ubi S. Audoenus Mummolenum *virum apostolicum* vocat. Decessit proinde Mummolenus anno 684, die 16 Octob. quo die in Martyrologiis Benedictino et Gallicano celebratur. Ejus corpus in majori ecclesia Noviomagensi, pars capitis in monasterio Sithivensi adservantur. In ejus Actis mss. nihil præter ista occurrit, nisi quod a Chlothario Chlodovei filio promotus ad episcopatum legitur.

(106) Et tamen Bertino primum locum in catalogo abbatum Sithivensium tribuit Iperius, Mummolino prorsus expuncto.

(107) In Vita S. Vedasti Alcuinus scribit Audomarum S. Vedasti translationi interfuisse : *In qua translatione,* inquit, *perhibetur B. Audomarus lumen recepisse oculorum, sed illico precibus eamdem quam ultroneus ferebat reimpetrasse cæcitatem.* Quod etiam Fulbertus in Actis S. Autberti testatur.

Digitized by Google

sui adfuisse cognovisset, eodem die de lectulo in quo jacebat surrexit, atque in ecclesiam ingressus, pronus coram altare, cum lacrymis Dominum pro se et pro circumstante eum oravit populo. Corpus vero Christi et sanguinem communicando turbisque se circumdantibus prædicando, oculis in cœlum elevatis, tremulisque manibus quatiente febre atque senectute extensis, suos devota mente benedixit discipulos, dicens : « Immensam omnipotentis Domini precor clementiam ut vos, filioli mei, in regno Dei merear videre felices. » His vero omnibus in eodem die rite peractis, ad suum iterum reversus est lectulum, atque in eodem jacens toto corpore solito more extenso, vultuque sereno, anima sui sancti confessoris angelorum agminibus circumdata ad omnipotentem egressa est Dominum (108). Hi vero, qui in eadem hora in ea domo præsentes fuerunt, testati sunt quod talis eorum nares et ora intravit odor, quasi illa domus omnibus aromatibus fuisset plena, sicut sæpe in aliorum sanctorum exitu contigit : *Pretiosa* est enim *in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* cxv, 15).

13. Prædictus vero venerabilis abbas Bertinus, divina sibi gratia revelante, statim ad locum ubi venerabilis senex obiit cum suis pergendo monachis, sacrum B. Audomari corpus cum psalmis et hymnis et canticis ad locum sepulturæ deduxit, eumque in prædicta ecclesia quam ille B. pontifex in Sithiu ædificavit cum immenso circumstantis populi sepelierunt luctu (109). Sanctus enim Audomarus beato prædixit Bertino cunctisque fratribus tempore illo Domino in Sithiu servientibus, ut quando ei mors incerta extremæ contigisset horæ, in prædicto loco suum sepelirent corpusculum. Parvo igitur temporis intervallo, postquam corpus venerabilis viri in prædicto loco fuit sepultum, juxta sepulcrum ejus expendente desuper lampade, divino lumine repleta, per prolixa annorum spatia lucifluum stillabat oleum. In hoc vero divinam clementiam diligenter intuentibus apparet quantam in conspectu æterni regis beatus suus confessor Audomarus gloriam habet, cum juxta suum venerabile sepulcrum gloriosa sæpe hucusque ostendit signa. Multi enim variis languoribus fatigati, cum ad B. Audomari tumulum perveniunt, divina largiente gratia, subitam recipiunt sanitatem. Omnipotens enim Dominus non solum gloriosas per suos famulos perficit virtutes dum hac utuntur vita, sed post felicem eorum obitum, signis ac virtutibus in diversis mundi partibus eos glorificare non cessat, sicut per prædictum agium suum confessorem Audomarum multas post obitum suum fecit virtutes, quas, favente Domino, subsequente narrabimus sermone.

14. Parvo igitur post B. Audomari obitum spatio transacto, quidam vir avaritiæ aestibus accensus, pravisque (ut fertur) moribus plenus ad suum accessit compatrem, postulans ab eo ut unum sibi argenteum usque ad statutum tempus accommodaret solidum, per suam etiam subdolam testando fidem quod statuto ad eum tempore iterum redditurus esset. Alter vero simplici animo suum credendo compatrem, argentum callido precanti præstitit amico. Paucis vero transactis statuto ad eum venit tempore dicens : « Redde mihi meum quod tibi accommodavi argentum ; statutum enim tempus tuæ promissionis advenit. » Tunc fallax amicus torvis eum intuens oculis, asperisque cum eo loquendo verbis, audaci animo juravit negando quod nunquam ab eo ullum accepisset scriptulum. Tunc ille qui prædictum accommodavit solidum, recta respondit ratione dicens : « Pergamus simul usque ad B. confessoris Christi Audomari venerabile sepulcrum, ut tu mihi ibidem per gloriosa ejusdem pontificis merita jurando confirmes quod hic negare conaris. » Tunc ille miser mortalis, lucri amore cæcatus et a principe mendacii diabolo etiam confortatus, qui mendax fuit ab initio et in veritate non stetit, vesano animo ad B. Audomari iturus basilicam iter arripuit, paratus etiam in sua perseverando nequitia perjurium perficere. Tunc ambo asperis inter se loquentes verbis, per unam commeando viam ad venerabilem B. Audomari basilicam, eam cernendo approximabant. Tunc ille qui solidum requirebat, ad suum ait compatrem : « Quid nobis est necesse ad B. Audomari propius accedere basilicam ? Deus enim ubique præsens est, jura mihi in isto loco in quo stamus, per B. Audomari merita, quod accommodatum a me non accepisti solidum. » Tunc ille iniquus extendens manus, linguamque ad proferendum perjurium movens, oculosque ad basilicam B. Audomari elevans, subito ultione percussus divina pronus ad terram cecidit, oculique in eodem crepuerunt momento : et posthæc duobus tamen diebus vita sibi concessa, ad terrendos videlicet alios qui eum in tali angustia viderunt, die tertia miserrima defunctus est morte.

15. Est ergo aliud miraculum quod per B. Audomari merita factum fuisse non dubitatur, quodque usque ad præsentem diem, divina operante potentia, certis declaratur indiciis. Quadam forte die dum de Terwanensi urbe ad vicina pergeret loca, cumque meridianis diei horis parvum pausandi spatium suo voluisset indulgere corpusculo, sub quadam jacuit

(108) Nimirum *in villa Waurantis* (*Wauvrant*) quæ a *Sithiu tribus fere distat millibus*, inquit Iperius, quo in loco S. Austreberta velum ab ipso Audomaro accepisse dicitur.

(109) Interpolator ita scribit : *Translatum est autem corpus ejus a reverendissimo abbate Bertino ac choro monachorum, et sepultum cum gloria in monasterio* Sithiu, *in basilica quam ipse præclarus pontifex in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ ad tumulanda monachorum corpora construxerat*. Lege Vitam S. Bertini. Iperius in Chron., cap. 11, § 1 scribit Fridogisum abbatem sæcularem Sithivensis monasterii *in capella sanctæ Dei Genitricis, quam B. Audomarus ad sepeliendos monachos dedicaverat, expulsis quadraginta monachis, triginta canonicos sæculares instituisse*. Nunc est ecclesia cathedralis Audomaropolitana.

Digitized by Google

arbore non longe a villa quæ Orneacus vocatur. Dum vero vir venerabilis evigilasset, ligneam statim dolavit crucem, et eam in prædicta sub qua jacuit arbore fixit ; in sequenti vero nocte in eodem loco in quo agius Christi confessor jacuit, immensum apparuit lumen, omnesque in illius loci circuitu habitantes, hoc videntes miraculum dicebant : « Hic etiam locus idcirco tali nunc lumine fulget, quia ex B. Audomaro in præcedente die ibidem paulisper pansante fuit consecratus atque benedictus (110). » Et usque ad præsentem diem multi infirmi in eodem loco sanitatem recipiunt, largiente Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto per æterna sæcula. Amen.

(110) Interpolator alia refert S. Audomari miracula, de reo prope basilicam in qua S. Audomarus jacebat, ejusdem S. meritis soluto ; de quodam vineæ Sithivensis prædatore punito et sanato ; de puero e putei lapsu reducto incolumi. Aliis omissis sic Vitam concludit : *Rexit autem Ecclesiam per spatia triginta annorum, atque his expletis, ultima depositionis hora, circumstante flentium discipulorum multitudine,* v *Idus Septemb. plenus Spiritu sancto migravit ad Christum : cujus corpus translatum est* (id est delatum) *a S. Bertino, et sepultum in monasterio* Sithiu, *regnante,* etc. Proinde S. Audomari ordinationem ad annum circa 647, qui Dagoberti penultimus fuit, mortem vero anno circa 647 collocamus. Hinc in telligas Audomarum abbatis nomine concilio Rothomagensi sub Ansberto non subscripsisse, ut quidam post Baronium aiunt. Audomarus Waldetrudem sacerdotio, Austrebertam et Waldetrudem velo consecrasse in propriis istorum sanctorum Actis dicitur. Commendatur in sincero Usuardi Martyrologio v Id. Septemb. his verbis : *In territorio Tarvennensi S. Autmari episc. et conf.* Et apud Adonem : *Natalis S. Audomari Tarwannensis episcopi, cujus gloriosa conversatio miraculorum præconio collaudatur.* Corpus ejus in ecclesia Sithivensis monasterii habetur, præter caput et ossa quædam, quæ in B. Mariæ ecclesia Audomaripolitana B servantur. De ejus variis translationibus, ad Vitam S. Bertini agemus Sæculo insequenti.

VITA S. OSWALDI

EPISCOPI WIGORNIENSIS ET ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS,

Auctore anonymo incertæ ætatis.

(Mabill. *Acta SS. Bened.* Sæc. V, parte 1, pag. 727, ex Capgravio et Bollando.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Ex tribus illis, quos sæpe laudavimus, eximiis Angliæ episcopis, Dunstano, Ethelwoldo et Oswaldo, aliis duobus supervixit Oswaldus, nempe « *quinque annis Dunstano, decem Ethelwoldo,* » inquit Willelmus Malmesburiensis in lib. III, ubi de pontificibus Eboracensibus : *tantamque sui admirationem Angliæ præbuit, ut solus eos exhibere videretur, auctoritate illum, efficacia istum, ambos sanctimonia.* Ejus Vitam scripsisse dicitur *Senatus* Bravonius, quem Wigorniensium monachorum præfectum sub annum 1170 floruisse ferunt. Sed alium quempiam auctorem antea id præstitisse constat; quos inter Fulcardus *Sancti Bertini Sithiensis monachus*, quem Guillelmus rex, teste Orderico Vitali in Historiæ ecclesiasticæ lib. II, circa annum 1108 *Torneiæ præposuit. Hic affabilis et jocundus fuit*, addit Ordericus, *atque charitativus, grammaticæ artis ac musicæ peritissimus; unde pretiosa peritiæ suæ monumenta reliquit in Anglia futuris generationibus. Nam plures tractatus memoria dignos edidit, et sancti Oswaldi Guigornensis episcopi, aliorumque sanctorum, quorum propago de Albione processit, delectabiles ad canendum historias suaviter composuit.* Nescio an sit ejus hæc scripio, quam primus typis vulgavit Capgravius, Surius expolivit, Henschenius in nativum stylum restituit.

2. De monasterio Ramesiensi (*Ramsey*), cujus auctor Oswaldus, fundator dux Ailwinus, Aimoino Helhelguinus, multa leguntur in actis sancti Abbonis abbatis Floriacensis, et apud Willelmum in lib. IV De pontificibus Anglorum, ubi de episcopis Dorcestrensibus, atque in Monastico Anglicano a pag. 251, ubi Ailwini ducis genealogia profertur. Ethelstanus ejus pater, *Semirex* dictus, Glastoniæ monachus factus est. Monachorum duodecim colonia Ramesiam deducta est anno 971 ex Westbiriensi C monasterio, quod itidem Oswaldo originem suam refert acceptam. Sed præ cæteris illustre fuit monasterium Sanctæ Mariæ ab eodem conditum apud Wigorniam, prope ecclesiam cathedralem, quæ hac arte ad monachos facile transiit. Hinc Willelmus Malmesburiensis in lib. II De regibus, cap. 8 : *Sedem episcopalem Wigorniæ, clericis non vi expulsis, sed arte sancta circumventis, replevit monachis regularibus. Expulerat antea regali jussione Ethelwoldus episcopus clericos de Wintonia,* etc. Angliæ reges tres una cum Dunstano coronavit. Eadgarum anno 973, Edwardum biennio post, atque Ethelredum anno 978.

3. De morte S. Oswaldi ista tradit Florentius Wigorniensis : *Sanctus Oswaldus archiepiscopus indict.* V, *prid. Kal. Martii, feria secunda, transiens ex hac vita, regni cœlestis gaudia conscendit, et Wigorniæ in ecclesia sanctæ Mariæ, quam ipse a fundamentis construxerat, conquiescit.* Hæ notæ chronicæ coincidunt in annum 992, qui bis-extilis erat, ac proinde eo anno Februarius constabat diebus viginti novem, quorum extremus Oswaldi supremus fuit. Hunc annum ejus obitu insignem tradunt Anglicani scriptores, ex quibus corrigendum monasticum, in quo refertur ad annum sequentem. De sancto Oswaldo fit mentio in recentioribus Martyrologiis VII *Kal. Martii*. Molanus eundem laudat ad diem 15 Octobris, et Thomas Maihewius, qui ea die de sancto Oswaldo se actorum promiserat, hunc diem ejus translationi attribuit. Verum prima ejus translatio facta est *prid. Id. Maii*, ut mox dicemus. Henschenius alium sanctum pro Oswaldo in diem 15 Octobris intrusum fuisse scribit.

4. Oswaldo in sedem Eboracensem successit *venerabilis abbas Medeshamstedensis, id est Burghi Adulfus, qui* et ipse, sicut prædecessor ejus sanctus,

Digitized by Google

Oswaldus, concedente *rege Adelredo*, *Wigornensem episcopatum in manu sua habuit*, teste Thoma Stubbio: *Ipse duodecimo episcopatus sui anno, congregatis coepiscopis, abbatibus, multisque religiosis viris, sancti Oswaldi archiepiscopi ossa anno regis Adelredi* XXV, *indict.* XV, VII [lege XVIII] *Kal. Maii, feria* IV, *e tumulo levavit, et in scrinio quod paraverat, honorifice collocavit; et non multo post, id est prid. Nonas Maii, ipse defunctus est, et in ecclesia Sanctæ Mariæ Wigorniæ sepultus.* Florentius Wigorniensis eadem habet ad annum 1002, quo hæc elevatio facta est. Uterque exscripsit Simeonem Dunelmensem in lib. De gestis regum Anglorum. Ejusdem elevationis meminit Willelmus Malmesburiensis in episcopis Eboracensibus. *Tunc*, inquit, *in ecclesia B. Mariæ sepultus, post duodecim annos signis divinitus ostensis a terra elatus est. Quid sane miraculi sit, quod toto corpore in pulverem assumpto, stola sacerdotalis, qua fuerat amictus, corruptelæ usque ad hanc diem damnum non sentiat, Domini reservetur examini.* Tum A de Aldulfo: *Successit ei in utraque sede Aldulfus ex abbate Burchensi, sanctus, ut perhibent, vir et reverendus. Ipsi pro sanctitate ignoscitur quod contra regulas canonum duas sedes tenuerit, quod scilicet non hoc ambitione, sed necessitate fecerit. Wlstano non ita, qui sanctitate discrepabat et habitu.* Illic in Malmesburiensem indignatur Godwinus sectæ Anglicanæ, quod Adulfum duarum ecclesiarum episcopum probet Willelmus, contra id Wlstano pro scelere imputet. At legitimam causam hujus discriminis affert, nempe in Adulfo sanctitatem ambitionis expertem, et necessitatem Ecclesiæ; quæ in Wlstano non inerant. *Jacet Aldulfus Wigorniæ*, subdit Willelmus, *etiam Floriacensi monasterio, pro copia xeniorum quibus Oswaldi munificentiam æmulari sategit, prædicandus.* Lege acta S. Abbonis. Oswaldi stolam sacerdotalem *purpuream, auro et gemmis ornatam, ac prisca pulchritudine fulgidam*, in Beverlacensi ecclesia servatam suo tempore fuisse Thomas Stubbius tradit. B

---

1. Sanctus Oswaldus archiepiscopus, nobilissima progenie ortus, eleganti forma enituit. Hic, puer factus, pueriles ineptias devitare, et ad sanctitatis opera semetipsum informare cœpit. Frater enim patris sui erat sanctus Odo, Cantuariensis archiepiscopus, discretione sublimis, moribus gravis, justitiæ cultor, et omni actione sua circumspectus. Huic enim nepos suus Oswaldus doctrinis imbuendus, et bonis exemplis et moribus instruendus a parentibus commendatur. Sæculari demum scientia et Scriptura sacra ad plenum informatus, a S. Odone apud Wintoniam canonicus effectus, cum cæteri spreta institutione ordinis sui, desideria cordis sui sequerentur, institutionem vitæ canonicorum indefessus C exsequebatur. Decanus itaque in brevi factus, maculatam senum vitam emendare, et pueriles eorum sensus studio disciplinæ cœlestis evacuare adhuc ipse juvenis curavit. Illi vero magis antiqua pravæ consuetudinis itinera tenere volentes, nullo pacto illum in talibus se audituros affirmabant.

2. Quo intellecto, sprota sæculari pompa nec non divitiis, Floriacum, ubi corpus sancti Benedicti requiescit, pergere decrevit. Missis enim a sancto Odone commendatitiis litteris, et donis plurimis, juvenem dicto commendavit et facto. Idem vero sanctus Odo in juventute constitutus, mari transito habitum monasticum apud eumdem Floriacum susceperat. Suscepto itaque habitu (111) sacro, qui ab D aliis doceri venerat, talem se exhibuit, ut satis in eo quod docerent, quod imitarentur haberent. Erat enim somno parcus, cibo sobrius, in loquendo discretus, in oratione assiduus. Quam patiens, humilis, benignus, mansuetus exstiterit et benevolus, ex sincera charitate, qua supra æstimationem humanam enituit, perpendi potest. Secretum ab abbate in ecclesia accepit locum, in quo Deo familiarius adhæreret. Illic enim orationi, meditationi, contemplationi vitæ perennis, ab aliorum inquietudine remotus, operam dare solitus, magnum humani generis hosti fomitem livoris et odii ministrabat.

3. Una nocte quadam, dum contemplationi et orationi vacaret, adfuit spiritus malignus, et sonos horrificos edens ut cœpto desisteret, et segnius aut nullatenus talia attentaret, hominem Dei terrere moliebatur. At ille, fidei scuto protectus, non magis ad fremitum leonis vel sibilum serpentis, quam ab balatum ovis exterritus est. Harum et aliarum bestiarum ei improbus ille voces ingessit; sed imperterritus cuncta cum suo Auctore derisit. Quod dæmon advertens disparuit; sed in Angelum lucis e vestigio transfiguratus, eidem sancto apparuit. Sed vir Dei signo crucis se munivit, sciens exinde angelum lucis non irritandum; angelum autem tenebrarum eminus effugandum. Et factum est ita. Nam malignus tentator, viso crucis signaculo, velut fumus ab oculis ejus evanuit.

4. Audita tandem sancta conversatione nepotis sui Oswaldi, immensas omnipotenti Deo gratias egit sanctus Odo, et missis diversis muneribus abbati et monachis, pro suo nepote gratias exsolvit. Indicavit etiam illis se illius præsentia magnopere velle potiri; tum quia senio fessus mortem sibi propinquam sciebat; tum quia regulari conversatione suæ gentis viros per eum instituere disponebat. Quo audito, gravi mœrore dejecti, non audentes tamen voluntati antistitis obviare (112), parent, et debito cum honore ad nutum præsulis dirigunt. Antequam tamen Cantuariam venire potuit, sanctus Odo debitum carnis humanæ exsolvit. Præsidebat illis diebus Dorce-

(111) Willelmus: *Apud Floriacum*, inquit, *alteratus est in monachum, familiari per id tempus Anglis consuetudine: ut si qui boni afflati essent desiderio, in beatissimi Benedicti monasterio cœnobialem susciperent habitum, a quo religionis hujuscemodi manavit exordium. In hoc ergo loco juventutis fregit lubricum, multis annis religioni et litteris serviendo.* Oswaldus Floriaci habitum monasticum suscepit, non a Wifaldo abbate, qui iniit regimen anno 962, sed ab ejus decessore Archembaldo, de quo lege Aimoini lib. I De miraculis S. Benedicti, num. 13 et 14, et notas ad Aimoinum in tomo superiori.

(112) Willelm.: *Et licet ab archiepiscopo intimaretur, crebris restitit epistolis, prætendens causam novitatis in vesta, teneritudinis in religione: nec nisi*

Digitized by Google

strensi (113) Ecclesiæ quidam Osketillus nomine, qui, audito nepotis sui Oswaldi adventu, benigne suscepit illum, et sincere dilexit, et sui secreti conscium fecit. Assumpto tandem ad archiepiscopatum Eboracensem Osketillo, sanctus Dunstanus Oswaldum regi Edgaro commendatum familiarem effecit, et jussu regis Wigorniensi (114) ecclesiæ præfecit.

5. Congregavit autem Oswaldus duodecim monachos in villa, nomine Westbyri (115), quos frequenter visitare, monita salutis æternæ ministrare et consolari, et jejuniis, vigiliis et orationibus solebat operam dare.

6. Accidit etiam ut Ailwinus comes diurno ac laborioso cruciatu podagræ pedum suorum multis laboraret annis: et cum piscatorum quidam, nomine Walgit, cum navicula sua aquam, Ramesmere nuncupatam, piscandi gratia ad usum domini sui comitis ingressus esset: et diu frustra laborans, nimio tædio fatigatus, tandem obdormire cœpit; cui sanctus Benedictus apparens dixit: « Aurora cum surrexerit, tuum ejice tragum, et multitudini copiosæ voti compos obviabis piscium. Captorum quoque piscium majorem, Haket, id est Lucium vocatum, Ailwino domino tuo mea ex parte offerens, dices ei ut, meam donationem benigne suscipiens, piæ matri misericordiæ Mariæ, mihi, omnibusque sacris virginibus monasterium in hac insula monachorum sine dilatione studeat fabricare; scrutetarque quomodo nocte in insula animalia sua incumbunt, et ubi taurum surgentem dextro pede viderit, terram percutere, ibi aram erigere festinet: utque certius meis credat mandatis, hunc tuum tibi exteriorem incurvo digitum, quem et ipse, mox a nexu podagræ solutus, tibi erigat reparandum. Evigilans autem copiosam piscium multitudinem conclusit, majoremque domino suo ex parte sancti obtulit, quæ viderat et audierat replicans; ut digitum suum incurvatum erigat obnixe rogavit. Tunc Ailwinus digitum viri manui hærentem erexit, et ad insulam ut potuit properavit. Cumque in insulam ingressus a suo morbo perfecte curatus fuisset, taurus de medio animalium exsurgens, terram pede percutiendo locum altaris construendi divinitus significavit. Comes ergo Deum laudans, confestim truncatis lignis capellam ibi construxit. Non multo vero post, comite Ailwino (116) amplas possessiones concedente, S. Oswaldus infra quinquennium ædificavit insigne ibidem monasterium, et anno Domini nongentesimo septuagesimo quarto solemniter dedicavit, Ednothum monachum abbatem constituit.

7. Per idem tempus auctoritate Joannis papæ Dunstanus archiepiscopus coacto generali concilio (117) statuit et decreto firmavit ut omnes canonici, presbyteri, diaconi, subdiaconi aut caste viverent, aut ecclesias quas tenebant dimitterent. Habebat autem regem Edgarum in hoc negotio fidelem adjutorem et firmum defensorem. Hujus enim decreti exsecutio Oswaldo Wigorniensi episcopo et Ethelwoldo Wintoniensi episcopo commissa est. Beatus ergo Oswaldus septem monasteria in sua diœcesi, ejectis clericis insolenter viventibus, construxit, et monachos introduxit, et abbates eis præfecit.

8. Interea abbas Persorensis quem instituerat, nomine Fudbertus (118), morigeratus et fervens religionis monasticæ zelator, scilicet in subditos, quod valde in eo reprehendebatur, nimiæ et indiscretæ severitatis fuit. Is ad extrema perductus, et huic vitæ sublatus, et in feretro locatus, recepto spiritu, trepidantibus cunctis, erexit se dicens a beato Benedicto in visionem Dei se perductum fuisse, et Deum sua peccata meritis dilectoris sui Oswaldi indulsisse, atque ad intimandam sanctitatem ejus se revixisse asseruit. Quo dicto conticuit, et accepto viatico Dominici corporis dimidium diem supervixit, et vitam obitu iterato finivit.

9. In aliis enim Angliæ partibus insignes ecclesias ob præfixam causam clericis evacuavit, et eas viris monasticæ religionis sublimavit, quorum hæc nomina sunt: Ecclesia S. Albani, S. Etheldredæ virginis in Hely, et ea quæ apud Beamfledam constituta honorabilis habebatur. Instituit enim in ecclesia S. Albani Elfricum abbatem (119), qui ad archiepiscopatum Cantuariensem postea sublimatus fuit, in Ecclesia Elyensi Brithnotum abbatem, Beamfledensi chronographo probatur.

tarde venit, nuntio ægri jam discumbentis (a) *avunculi perculsus. Jam ergo Dofus appulsus, ut defunctum audivit, minimum abfuit quin statim Floriacum rediret. Sed admonitu sociorum necessitates parentum non negligendas, post justa sancto archiepiscopo soluta, ad archiepiscopum Eboracensem Oskitellum, quem proximo consanguinitatis gradu attingebat, venit: ejus dulcedine captus, non paucis annis religione et contubernio ejus fruitus est.* Odo archiepiscopus Cantuariensis mortuus est anno 961, quo proinde anno contigit Oswaldi reditus in Angliam, cum Archembaldus abbas Floriaco præesset, ut mox notabam.

(113) Dorcestrensem etiam episcopum vocat infra chronographus Ramesiensis: Willelmus Eboracensem. Utrique sedi successive præfuisse ex eodem

(a) Lege *decumbentis*. *Discumbere* enim verbum triclinare, de pluribus, diversos lectos conandi causa petentibus, dici solitum. *Decumbere* autem de ægrotantibus: *Fatigatione itineris affectus, .. aliquammulis diebus decumbo* Apul. *Apol.*); *Accedente febri, decubueram* (Gell.). Ed. Patrol.

(114) Infra ad annum 960 referunt Simeon Dunelmensis et Rogerius Hovedenus, qui Odonis mortem anno 958 consignant, quæ triennio secus accidit, ut probatum est ad Vitam S. Odonis. Non ergo ante annum 961 promotus est Oswaldus in sedem Wigorniensem.

(115) De Westburiensi monasterio agri Wigorniensis lege Monastici tomum I a pag. 125.

(116) De Ailwino comite in alia Vita. Oswaldus duodecim monachos de Westbiri Ramesiam misisse dicitur in Monastico pag. 231.

(117) De hoc concilio vide Acta S. Dunstani supra.

(118) De eo apud Pitseum ad annum 980, ubi eum Fuldebertum vocat. De eo et de Pershorensi monasterio lege dicta superius pag. 641 Sæculi V.

(119) Fuit et alius Alfricus seu Elfricus abbas Abandoniensis post S. Ethelwolfum, cujus Vitam Alfricus ipse scripsit, ut superius vidimus. Godmannus Thorneiensis abbas fuit, ex secundæ Vitæ et ex actis S. Ethelwoldi.

Digitized by Google

Ecclesiæ Godmannum constituit abbatem. Monasteria quæ ædificaverat circuire, verbo simul et opere, quæ salutis erant paterno quodam affectu ministrare curavit.

10. Posuit quoque in monasterio Rameseiæ Abbonem Floriacensem monachum, morum sanctitate præclarum, litterarum scientia excellenter instructum, qui monachos doceret, scholas regeret, et in disciplina regulari et scientia litterali prodesset. Dunstani insuper hortatu passionem B. Edmundi regis et martyris idem Abbo laudabiliter scripsit. Postea Floriacum regressus et abbas effectus a monachis (120) suis occiditur.

11. Cum autem monasterium in Wigornia infra ipsam sedem episcopalem construere cœpisset, in quo cum monachis conversaretur, non longe ab opere ipso quidam lapis quadrus jacebat ad operis fabricam omnino necessarius : quem cum artifices levare vellent, quasi radicitus terræ inhæsit, et nullo conatu moveri potuit. Stupor ingens omnes occupat, mandatur de negotio Patri Oswaldo : qui veniens, et multitudinem magnam circa lapidem casso labore sudantem aspiciens, miratus est et attonitus stans, Deumque silentio deprecans, aspexit in lapide illo Æthiopem quemdam sedere, et obscenis motibus laborantes subsannando deridere. Et statim contra dæmonem signum crucis intorsit, et territum illum fuga sibi consulere compulit. At lapis quem octoginta movere nequibant, a paucis hominibus facillime levatus in opere collocatur. Perfecta itaque ecclesia in honore B. Mariæ, et congregatis ibidem quibusdam monachis, clerici in sede episcopali nonnulli, spreto sæculo monasticum habitum susceperunt : et ab ecclesia B. Petri ad ecclesiam B. Mariæ a clericis ad monachos episcopalis sedes translata est.

12. Mortuo Eboracensi archiepiscopo (121), cogentibus rege Edgaro et sancto Dunstano, omniumque clericorum assensu, ad archiepiscopatum assumptus est. Et ne monachi quos instituerat, aliqua, ultra quam ferre valerent, tentatione concuterentur, si pastorali cura destituti non haberent quo niterentur, auctoritate S. Dunstani episcopatus Wigorniensis curam una cum archiepiscopatu (122) sollicite rexit.

13. Cum autem monachi Rameseiæ, episcopo Oswaldo in ripa stante, aquam navigio transire vellent, navis nimis onerata mergi cœpit. Turbati monachi, et mori metuentes opem sancti pontificis implorabant. Quod videns sanctus signum crucis edidit, et navis ab aquarum profunditate emergens, quasi nihil oneris ferret, ad ripam prospero lapsu evecta est.

14. Cum enim nuntiaretur ei quemdam monachum Eliensem ab opere ecclesiæ præcipitatum subita morte occubuisse, vehementi mœrore turbatur; noverat illum non usquequaque vitam duxisse felicem. Convocatis autem Rameseiæ monachis rei eventum retulit, et ut pro anima defuncti Dominum studiosius orarent, admonuit. Vigiliis igitur vacant, psalmis et lacrymis, et ad januam misericordiæ Redemptoris pulsant : et ecce nocte quadam episcopo orationibus insistenti idem defunctus visibiliter apparuit, et percontatus quis esset, illum se esse pro quo Deum rogaverat respondit. At ille respirans : « Qualiter, inquit, frater, tibi fuit, vel qualiter nunc est? — Hactenus, ait, valde male, nunc autem valde bene. Tuis quippe meritis et precibus a pœnis quibus cruciabar per angelum suum me die hesterna eripuit Dominus. Quod et tibi insinuando veni gratias agere, et, quoniam gratiosus pro hoc et aliis jure debeas Deo existere merito, insinuare. » Quo dicto non comparuit.

15. Diœcesim suam opportunis temporibus peragrans, quidquid elicere poterat in moribus suorum oculos summi Dei offendere, paterna castigatione corripere atque corrigere satagebat. Hæc agenti contigit vice quadam venisse Ripum, ubi beatus quondam Wilfridus (123) nobili constructo monasterio meruit sepeliri. Locus tamen ille a barbaris olim magna ex parte diruptus, latibulis tamen ferarum fuit accommodus. Illic enim pervigil in orationibus noctu persistens, divina revelatione didicit ipso loco sanctorum corpora condita esse : quæ investigans cum nominibus singulorum procul dubio inveniret. Facto autem mane cum terram foderent, sanctorum corpora cum tabula hæc continente reperta sunt : *Hic requiescit sanctus Wilfridus antistes Eboracensis, et reverendi abbates Tilbertus, Botwinus, Albertus, Sigredus atque Wildenus.* Reliquias autem repertas interim loco apto collocavit. Postmodum vero corpus sancti Wilfridi (124) in feretro decenter aptato cum reverentia condidit, utpote quem magno Wilfrido illius loci fundatori consanguinitate junctum noverat. Corpus namque majoris Wilfridi a S. Odone Cantuariensi archiepiscopo dudum translatum fuerat. Locatis itaque in feretro reliquiis, Wigorniam cum magno honore transmisit.

16. Vir quidam potens valida febre correptus, per nuntium viro Dei se infirmari insinuavit. At ille benedicens panem, eique transmittens, ut cum fide sanitatis consequendæ comederet jussit. Quod

(120) Non a monachis, sed a servis monasterii regulæ tumultuantibus, infra in ejus Actis.

(121) Osketello scilicet, superius laudato, cujus mortem anno 972 assignant Ingulfus, Simeon Dunelmensis, Rogerius Hovedenus, Florentius Wigorniensis, et alii.

(122) Hujus facti causam suggerit Radulfus de Diceto, *quia Dani Northanimbriam vastaverant.*

(123) Wilfridi senioris acta retulimus tum in prima parte Sæculi tertii, tum in Appendice Sæculi quarti, ubi de Ripensi monasterio actum est.

(124) De Wilfrido juniori lege carmen de episcopis Eboracensibus in Appendice Sæculi tertii, de hac vero translatione Gervasium monachum, et Chronicon Joannis Bromtonis.

Digitized by Google

cum fecisset, perfecte saluti se restitutum sensit. Sedens autem ad mensam episcopus et panem benedicens, et considentibus distribuens, forte micas decidentes sorex superveniens avido morsu colligere cœpit, et statim suffocatus periit, et quod in ore voraverat, nullatenus evomere quibat. Et ne suæ laudi quivis hoc ascriberet, exanimem bestiam a conspectu intuentium abjici vir sanctus jussit.

17. Monachus quidam post balneum, in loco ubi episcopus frequentius sedere consueverat, somnum capere cœpit. Et ecce astant illic plures spiritus teterrimi, et ab eo districta examinatione perquirunt, cur in loco tanti pontificis quiescere non timeret; ipsum invadunt, torquent, laniant, hac et illac trahunt; ab imo sursum rapientes, desursum ad ima dejicientes, horrido tandem clamore vociferans, quid sibi contigerat, omnibus palam enarravit.

18. Singulis diebus, præter alios, quos quotidie innumeros alebat, duodecim pauperum pedes abluere, deosculando crine et linteo tergere, manibus aquam fundere, denarios præbere, cibum et potum apposita mensa ministrare, in Pascha vestibus novis indutos, per aliquot dies in curia sua secum habere consuevit. Nulla eum infirmitas corporis ab istis retardabat; sed quo se corpore sentiebat debiliorem, eo sibi ad serviendum eis vim validiorem ingessit.

19. Die quadam cum suis oratorium egressus, et sub aere stans, acies oculorum cœlo intentissime fixit, Christum ad quem anhelabat pio corde et ore intentius orans. Nec erecta lumina, ut fit, cito deflexit; sed quasi aliquid novi ac delectabile contemplaretur, ubi ea fixerat, diutissime fixa tenebat. Sciscitatus autem quid vidisset, ait: « Considero quo tendo, et cras, vobis et me tacente, res ipsa notabit. Salus etenim æterna, pro qua huc usque laboravi in terra, instat, nec ante transibit crastina dies, quam me in eam Dominus meus, sicut pollicitus est, introducat. » Et regressus in oratorium, convocatis fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ unctionis (125) cum viatico Dominici corporis.

20. Nocte sequenti, languoris sui oblitus, ecclesiam intrans officium explevit, et residuum noctis spatium divinis laudibus expendit. Mane autem solito more, linteo præcinctus pedes pauperum lavit, et osculans eos et tergens, quindecim psalmis, quos inter ipsum ministerium psallere solebat, decantatis, subjunxit: *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.* Et cum pauperes solitas gratias assurgentes exsolvissent, ipse dicendo *et Spiritui sancto*, ante pauperum pedes in manus Christi spiritum (126) emisit. Cumque ad ecclesiam quam erexerat deferretur corpus ejus, nivea columba de cœlo descendens, expansis alis lento volatu protegere corpus antistitis visa est. Igneam quoque sphæram instar scuti de cœlo lapsam super feretrum intuebantur. Deposito autem coram altari corpore sancto, visio quæ apparuit quasi locum designans sepulturæ, in australem ecclesiæ plagam prope altare divertit, et ab oculis intuentium evanuit. Ailwinus (127) vero comes post obitum sancti viri nimia cordis angustia et dolore pressus, universæ carnis viam ingrediens Rameseiæ cœnobio sepultus est.

21. Cum autem S. Oswaldus in juventute sua in cœnobio Floriacensi vitam monasticam in omni duceret sanctitate, juxta locum in quo orare solebat, erat crypta quædam, præ foribus cujus duodecim pauperes conversantes, quotidianum victum a ministerio percipiebant, de quibus viro Dei sacras hostias offerenti unus ministrare solebat. Quadam enim die dum sanctus post Evangelium oculis in cœlum erectis orationem præmitteret, vidit minister ejus reverendi vultus personam candidissimum panem, sed quantitate modicum, inter manus, quas usque ad caput suum porrectas habebat, digno cum honore tenentem: et licet nimio terrore perterritus obstupuisset, sustinuit tamen, nec subitam arripere fugam voluit. Verum cum eumdem panem secundum sacerdotis in missa processum paulatim crescere ac insolitæ magnitudinis crescendo fieri conspexit; ultra residere non ausus, extra ostium fuga lapsus est. Remansit itaque presbyter solus, et qui videbatur in dextra stans angelus ejus. Minister vero per vices ostio caput ingerebat, et quid circa altare gereretur, trepidus explorabat. Cumque Dei servus, *Per omnia sæcula sæculorum*, et alia diceret, nec ullatenus respondere auderet, audivit angelum ad singula respondentem et obsequium ei deferentem. Peracta autem missa minister introspiciens, et angelum non videns, trepidus ad virum Dei accessit, et causam fugæ suæ ei exposuit, sciscitans ab eo utrum et ipse angelum vidisset. At ille: « Bene, inquit, vidi et quæ dicis audivi; sed benedictum sit nomen Dei omnipotentis; quia, licet a te sim relictus, in sacro tamen Dei mysterio non sum ab eo desertus. » Interdixit enim ei modis quibus potuit, ne, dum viveret, cuiquam rem illam innotesceret. Obiit autem S. Oswaldus anno gratiæ nongentesimo nonagesimo secundo, et episcopatus sui trigesimo (128), pridie Kalendas Martii.

22. Post obitum vero ejus anno duodecimo, Aldulfus (129) Eboracensis archiepiscopus revelatione divina admonitus Wigorniam, ubi S. Oswaldus sepulturam elegerat, properans, ossa sancti antistitis de terra levavit, et in scrinio cum maximo honore

(125) Unctio infirmorum ubique per id tempus viatico præmittitur, ut alias diximus.

(126) Dominica tertia Quadragesimæ ejus obitum accidisse tradit infra Chronographus Ramesiensis; sed feria secunda alii, et rectius, ut dictum est in observationibus prævi.s.

(127) De Alwini obitu atque rebus gestis fusius in libro sequenti.

(128) Ergo anno 962 aut sequenti ordinatus est episcopus Wigorniensis, ut superius præstriximus.

(129) Istius translationis seu elevationis mentio facta est supra in observationibus prævis.

Digitized by Google

collocavit. Aqua vero cum qua ossa lavata sunt, A cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, et quibuscunque debilibus sanitatem restituit. Vestimenta enim omnia integra et illibata in sepulcro odore suavissimo fragrantia reperta sunt.

23. Monachus quidam Rameseiæ cancri ulcere in maxilla ita percussus erat, ut consumpta cute et carne nuda mandibula, nudi dentes cum gingivis apparerent. Hic in festo S. Oswaldi de scypho, in quo idem sanctus bibere solebat, cum magna devotione et fide bibens, et sumpto potu vas vacuum tabescenti maxillæ statim apposuit, et strictius junxit; et amoto post modicum a maxilla vasculo ita totius morbi sanies atque putredo vasi adhæsit, ut redintegrata a languore maxilla nullum præteriti mali indicium deprehendi posset in illa. In testimonium autem tanti miraculi et virtutis Dei, maxilla illa paulo semper rubicundior erat altera. B

24. Quidam mutus ab infantia in quadam S. Oswaldi festivitate vidit quemdam sibi ignotum reverendi vultus hominem, decora canitie fulgidum, sacerdotali veste amictum, baculum manu gestantem, quasi a loco sepulcri sancti episcopi ad se properantem : cui coram se transeunti dum caput humiliter inclinaret, ipse levato baculo eum in collo percussit et disparuit. Ad quem ictum ille territus, illico magna coagulati sanguinis massa ex ore illius in terram cadente, clamare cœpit : « Succurrite, quæso, succurrite, et ne sanguine meo ecclesia Domini violetur, hinc me festinanter ejicite. » Eductus C extra ecclesiam ubertim sanguinem emisit, et modum suæ curationis circumstantes edocuit.

25. Voraci flamma urbem Wigorniæ vice quadam conflagrante, mox ut ad feretrum sancti flamma accessit, ignis elanguit, nec ulterius aliquid assumpturus in se defecit. Stabat enim pauperis cujusdam domus arundine tecta, a sui medio integra et sana altera ejus medietate, quasi ad perpendiculum a summo usque in terram conflagrata.

26. Alio in tempore memorata ardente urbe, cum monachi feretrum sancti ad villam deferrent, occurrit quidam qui nuper domum pulchram ædificaverat, et exclamans dixit : « O sancte Pater et pastor Oswalde, ecce domum meam voracibus flammis obnoxiam tibi dono, et jure perpetuo possidendam sub tuo dominio pono; tu eam, si placet, a præsenti periculo liberare digneris. » Introducto itaque in domum illam feretro ex domo vicina igne penitus consumpta, aula Patri Oswaldo commendata nec ab igne contingi potuit, nec ullum vestigium ignis in ea resedit.

27. Sæva pestilentia Wigorniensem provinciam vice quadam depopulans, viros ac mulieres, juvenes et parvulos interitu repentino involvit. Ambulantes quandoque aut stantes subito cadebant, et impœnitentes inconfessi exspirabant. Monachi vero cum feretro sancti antistitis per circuitum urbis litanias cantantes pro salute populi devote supplicabant : et ecce confestim pestilentia tota non solum Wigorniam penitus reliquit, sed et villas circumjacentes, de quibus incolæ opem sancti implorantes advenerant.

ANNO DOMINI MLXXXI.

EUSEBIUS BRUNO

ANDEGAVENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN BRUNONEM.

(*Gallia christiana*, vet. ed. tom. II, col. 126)

Eusebius Bruno suffectus est Andegavensis Ecclesiæ pontifex anno 1047, VI Decemb. ex Chronic. Vindocin., quo anno ædem B. Martini de Bello Prato consecrat, ut aiunt tabulæ S. Laudi. Concilio Remensi interfuit 1119, tuncque donationi ecclesiæ Omnium Sanctorum a Goffrido Martello monachis Vindocinensibus factæ subscripsit : circiter vero an. 1033 transegit cum abbate Frederico Salmusiensi, pro ecclesiis territorii S. Florentii veteris; paulo post astitit inaugurationi basilicæ S. Joannis Angeriacensis in Santonibus 1058, nominaturque in charta Goffridi comitis qua cessit Majori monasterio montem Ildulphi 1059. Anno 1062 II Nonas Aprilis dicavit monasterium novum Andegavi, et in notitia Vindocinensis abbatiæ S. Trinitatis de ecclesia Vetuli Campi data apud Credonum castrum 1067, pontificatus sui designat annum decimum nonum : chirographo postea firmavit 1074, mense Augusto, membranam Vindocinensis abbatiæ, et 1077 instrumentum Goffridi comitis scriptum apud Calmontem pro ecclesia collegiata Fayæ : hoc eodem anno pactum iniit cum monachis S. Albini de pensionibus ecclesiarum quæ ab ipsis pendebant. Idem Eusebius ædem B. Mauritii per B. Castriguntherii dominum manu laica possessam redemit, ac tulit sententiam inter Gofridum cantorem et Marbodum scholasticum ecclesiæ Andegavensis, postea Redonensem præsulem, 1081, quo anno diem ultimum clausit 27 Aug., ut notat Chronicon Vindocinense et charta S. Martini Turonensis fidelem Dei virum clericalis ordinis amicum appellat. Iste Eusebius fuit notatus pravæ opinionis de sacramento altaris, qua etiam infamatus hoc tempore hæresiarcha Berengarius, archidiaconus Andegavensis et archiclavis, qui ado-

Digitized by Google

lescens Fulberti præsulis doctissimi auditor in academia Carnotensi, in errorem lapsus. negabat veritatem corporis Christi in Eucharistia, affirmare ausus umbram et figuram esse tantum corporis Dominici, quod liberius ut promulgaret, aiunt Brunonem Andegavensem antistitem in suum errorem perduxisse. Damnatus ergo in synodis Romana, Vercellensi, et Turonensi ubi hæresim juravit, rursus eam propugnare arroganter molitus est, ac toties relapsus, pœnitens tandem eam abjuravit. Anno 1060 de eo sic chronicon Turonense ; « Clarebat Berengarius grammaticus Andegavensis archidiaconus et thesaurarius, necnon magister scholarum et camerarius S. Martini, in grammatica et philosophia clarissimus et in neomantia peritissimus, a Roma discedens Turonis venit, ibique in insula quæ S. Cosmæ dicitur, sæculi pompis abrenuntians, fide per viginti octo annos assidue Domino militavit, aliique plures canonici B. Martini sancto Spiritu, nec non salutari ejus admonitione mutatis vestibus, sese ad illam insulam contulerunt. » Tandem mortuus est die Epiphaniæ nonagenarius 1088, ac Turonis in claustro S. Martini parte læva sepultus cui epitaphium scripsit Hildebertus postea episcopus Cenomanensis, magnæ eruditionis et sanctitatis inter præsules Gallicanos, laudatus etiam hocce encomonio a Baldrico Burguliensi abbate in carminibus historicis.

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni viguere magistro.
Porro Latinorum facundia florida marcet,
Invida sors Turonis ubi tantum lumen ademit
Clauditur in Jano tibi, doctor, janua vitæ,
Ve, magis in Jano patuit tibi janua vitæ.
Eu tua, magne senex, jacet hoc sub fornice gleba
Ad reditum propriæ suspirans conditionis,
Promittatque licet veniam tibi spes meritorum,
Hanc tamen acceleret, lector, pia vota vovendo.

Eusebius igitur insimulatus affatu nimio Berengarii, ejus hæresi si non adhæsisse omnino, saltem indormiisse negligenter creditus est, donec pestilentissimam hæresim, quam exstinguere nascentem potuerat, epistola tandem ad hæresiarcham scripta tentavit abolere, et famam suam purgare; quam primus e membranis ms. eruit, et in publicum evulgavit dom. cl. Menardus Andegavensis. Lege notas eruditionis plenas Joannis Picardi ad librum sancti Anselmi Cantuariensis de sacramento altaris. Unde facile colliges deceptos fuisse eos qui epistolam contra Brunonem episcopum Andegavensem, et Berengarium tribuunt Durando episcopo Leodiensi; quæ auctori suo legitimo restituenda est, Deoduino item episcopo Leodiensi, errore nato ex littera D singulari, utriusque nominis initiali, quod non advertit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, et Historiæ ecclesiasticæ parentem illustrissimum fugit, eam epistolam nomine Durandi ad annum Christi 1035 referentem, quæ etiam habetur tom. III Bibliothecæ Patrum, in qua auctores editi tom. VI, qui contra Berengarium scripserunt, Lanfrancus Cantuariensis, Adelmannus Brixiensis, Algerus Corbiensis et Guitmundus Aversanus; qua de re quoquè consulendum est Sigeberti Chronicon ad ann. 1051. Legendus etiam Vincentius, lib. XXV, cap. 30, et ex eo sanctus Antoninus, tit. 16, cap. 1; Bellarminus, tom. II, lib. I De Eucharistia, cap. 1, et lib. III, cap. 8; Baron., anno 1088, ubi de morte Berengarii agitur, et de epitaphio seu epicedio quod Hildebertus amico Berengario apposuit.

EUSEBII BRUNONIS

EPISTOLA

AD BERENGARIUM MAGISTRUM

De sacramento Eucharistiæ.

(Edidit Franciscus de Rove, antecessor Andegavensis, in libro cui titulus : *Vita, Hæresis et Pœnitentia Berengarii.* Andegavi, 1656.)

Fratri et sinceræ dilectionis cultu amplectendo consacerdoti B. E. salutem.

Scripsistis ad vos pervenisse relatu credibilium testium Gaufridum Martini summa ope et præconio publico ineptiæ atque insaniæ Lanfranci suffragari, et quibusdam interpositis obtestati estis, ut vos et ipsum sub judice audiri faciam, in libro B. Ambrosii De sacramentis. Super quod quid responsi, quidve consilii mihi vobis, quæ (si dignaremini) habeam, patienter æquanimiterque advertite. Veritatis asserendæ an famæ quærendæ gratia, nescio, Deus scit, hæc orta motaque quæstio, postquam Romani orbis maximam pene partem peragravit, ad ultimum nos cum infami longinquorum et vicinorum redargutione acerrime pulsavit. Contra quod, quamvis humili hebetique meo sed et doctorum et me meliorum consilio tale responsionis elegi temperamentum quod a veritatis tramite nullo erroris diverticulo deviaret, et universalis Ecclesiæ sublimioribus et dignitate et eruditione personis, super hac re commotis offensionis scandalum jure incutere minime deberet, quod et simpliciores fide attingere inevitabiliter oporteret, et eruditiores quosque fastu aliquo transcendere non liceret. Quod quidem relictis turbulentis disputationum rivulis de ipso veritatis fonte sincerissima abundantia perfluenti, et singulari singularitate salubri, et nobis ipsis necessarium ducimus haurire, et omnibus quibus placeret nobiscum proponere, quod est : Dominus Jesus pridie quam pateretur, accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in cœlum, benedixit, fregit, dedit discipulis, dicens : Accipite et mandu

Digitized by Google

cate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum. Simili modo accipiens præclarum calicem, item gratias agens benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes; hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, quod pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. Hujus verbi, per quod omnia facta sunt, virtute et effectu panem post consecrantis in hæc verba sacerdotis sacrationem, verum corpus Christi, et vinum eodem modo verum sanguinem esse credimus et confitemur. Quod si quis hoc qualiter fieri possit inquirat, non ei secundum naturæ ordinem, sed secundum Dei omnipotentiam respondemus: Et hoc et omnia quæcunque voluit fecit Deus in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Neque enim qualiter secundum naturæ ordinem Verbum Deus, in principio apud Deum, de Spiritu sancto et Virgine concipi, et quomodo post resurrectionem verum corpus Domini Jesu ad discipulos clausis januis intromitti et palpari potuit, quælibet verborum affluentia disserere potest, et tamen secundum Dei omnipotentiam in veritate facta esse firmissime et fidelissime credi necessarium est. Si vero aliquis qui de hac re Patres doctoresque nostri senserint quidve scriptum reliquerint a nobis requisierit, ad eorum libros, si ad hoc idoneus est, eum mittimus, ut quid ibi invenerit diligenter legat, pure intelligat, et quod accommodatius evangelicæ veritati senserit, cum gratiarum actione et studio fraternæ concordiæ sibi eligat. Porro nos non Patrum scripta contemnentes, sed nec illa qua Evangelium legentes (neque enim ipsi viventes et scribentes hoc voluerunt et in suis opusculis ne id fieret voluerunt) eorum sententiis, salva quæ eis debetur reverentia in tantæ rei disceptatione abstinemus, ne si Patrum sensa aut aliquo eventu depravata, aut a nobis non bene intellecta, aut non plene inquisita inconvenienter protulerimus, scandalum illud, quod tantopere fugimus, incurramus, et cum unus de pusillis Christi scandalizator mole asinaria ad collum suspendio et in profundum maris præcipitio judicetur dignus, nos totius Ecclesiæ scandalum jure meritoque exhorrescimus, nec tinnere ob hoc nos frustra periclitari dissimulamus, cum salubriter et cum quiete pacis Christianæ contenti vivere possimus sacrosanctorum illorum verborum Christi, quæ superius posita sunt, simplici compendio et sufficienti sanctæ fidei firmitate, quantum nos sentimus et multos nobis satis superiores viros sentire cognoscimus. Hoc consilio querimonia, quæ in præsentia Domini Geraldi, tunc legati apud Turonum, emersit, sedata est. Hoc consilio eodem tumultus qui in audientia domini Eldebrarini in eadem civitate efferbuit sopitus est; hac veridica confessione exactioni principis hujus nostri, in capellula cujus in vestra epistola mentionem fecistis, satisfactum est, et rediviva pestis, quæ nescio quorum improbitate exagitata caput extulerat, domini Bisonticensis archiepiscopi et eruditorum qui adfuerunt auctoritate calcata est. Ac nullam aliam de hac re disputationem vel controversiam, nec accusatores, nec defensores, nec testes, nec judices, nec causidicos, nec auditores, me quærere, procurare, congregare aliquando sciatis. Omnibus vero pro hac re, me volente, quod si parum est, quamvis parvipendatur, contradicente conventum publicum aggregare volentibus, consensum non tribuam, confluentibus humilitatis meæ personam subtraham, confligentibus audientiam, perseverantibus communionem, est enim causa ter provinciæ nostræ judicio terminata, quarto sedis apostolicæ synodi sententia exstincta. Valete E. (1).

(1) Epistola illa docet omnino quam magna fuerit Eusebii fides, quam pia simplicitas, dum ex solis Christi verbis mordicus asserit in sacrosancta Eucharistia verum esse Christi corpus et sanguinem, dum ita intellectum suum captivat in obsequium sanctissimæ illius fidei, ut de ea nec disputare, nec controversiam movere, nec alibi quærere velit præterquam in verbis Christi. Et tantum abest ut Berengario adhæserit, quin potius eum fugerit nec voluerit audire aut admittere ad congressum aut colloquium. Undenam igitur ea suspicio in nostrum hunc Brunonem? an quod Berengarium Turonibus evocatum statim elegerit archidiaconum? sed sanæ mentis erat eo tempore. An quod æmulos virtutibus offenderet? nam et piissimus erat et doctissimus, ut statim docet auctor Galliæ Christianæ. An quod a Remensi concilio rediens (cui adfuit inter palmares) gloria vicerit invidiam? Hinc forte quidam verberones in eum non satis bene animati inverecundo vultu sparserunt in vulgus Brunonem adhærere Berengario. Nec viderunt illud anathema: *Homo quicunque fecerit superbiam in sacerdotem morietur* (*Deut.* XVII), nec etiam illud: Cum Samuel sperneretur a Judæis, ait Dominus: Non te spreverunt sed me (*Reg.* VIII, 7). Unde et sacri canones non patiuntur episcopum a plebe aut vulgaribus hominibus argui aut accusari, ne temere macula ponatur in electo, *can.. Non est* II, *q.* 7. Ex quibus omnibus Bruno ab ea suspicione vindicandus videtur.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLXXXII.

GEBUINUS

LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana*, nov. edit., tom. IV.)

Gebuinus, qui et *Gibuinus*, imo et *Geboinus* dictus est, ac successu temporis mutata prima nominis littera in J. ejusdem soni, *Jebuinus* appellatus est, ut videre est in antiquo Lugdunensium præsulum indice relato in antiquitatibus insulæ Barbaræ. Denique per apocopen unius litteræ *Jubinus* nuncupatus, ut videre est in Missalibus, Breviariisque ad usum Lugdunensis Ecclesiæ, ex hoc vero postremo nomine manavit Gallicum *saint Jubin* quo a vulgo designatur. Fuit Hugonis III comitis Divionensis filius, fuit et postea Lingonensis archidiaconus. Ejus ad episcopatum electionem sic refert Chronicon Virdunense : « In synodo Heduensi quam anno 1077 tenuit Hugo Diensis episcopus et legatus apostolicus, quinta die, quia Lugdunensis sedes, Humberto Simoniaco expulso et in locis Jurensibus monacho facto, vacabat antistite, totius concilii assensu electus Gebuinus archidiaconus, vir morum probitate venustus. Id ægre tulit Lingonensis præsul, conquestus quod Patres dextrum sibi oculum eruissent, cui suum abstulissent archidiaconum, *virum in ecclesiasticis et sæcularibus negotiis pernecessarium*, in quo suum ipsius consilium, totiusque diœcesis solatium residebat : sed prævaluit concors sententia concilii, quia sic erat præfinitum et placitum in oculis Domini. Nec mora, uno die, id est Dominico XV Kal. Octobr., Heduæ summa omnium exsultatione et tripudio a legato consecratus est. Nec id tantum, sed statim pallium pro eo postulavit Hugo, his verbis : « Summopere poscimus ut per dominum Valentinum episcopum pallium nobis mittatis ad confirmandam ordinationem religiosissimi Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopi contra oblatrantes hæreticos, et de regis indignatione adversus ordinationem Dei carnaliter gloriantes; ipse enim postpositis omnibus incommodis et periculis penuriæ atque itineris sanctitatis vestræ conspectui devotissime se præsentaret, si Ecclesia illi commissa tandiu languida et pastoris solatio destituta, quoquo modo absentiam ejus sine magno detrimento pati potuisset. Valentino episcopo præcipite..... quatenus circa festum sancti Joannis Baptistæ, prout nos cum eo condiximus, ecclesia sua ad celebrandum officium illum accipiat, quia valde opportunus videtur ad oppugnandam provincialium arrogantiam. » Nihil negavit pontifex, tot præclaris novi antistitis dotibus commotus.

Anno 1078 memoratur in charta Widelini Forensis comitis Saviniacensi cœnobio nonnulla concedentis; sic enim in ea temporis nota inscribitur : « Domino Henrico IV Augusto bellum cum Rodulpho rege gerente, sanctoque papa Hildebrando in apostolico solio residente, atque archiepiscopatu Lugdunensi sub regimine domini Gebuini quiescente : domino etiam Dalmatio Saviniensis baculum tenente ..... mense Maio feria 2, et XV (die) anno Domini 1078, indict. I concurrente VI, epacta IV. » Eodem anno seu potius sequenti juxta hodiernum anni inchoandi modum, Petrus Albanensis episcopus, Romanæ Ecclesiæ cardinalis, et papæ legatus in partibus Burgundiæ, episcopo Matisconensi Landrico, et Gebuino archiepiscopo Lugdunensi significat se ex parte domni papæ eos excommunicaturum, nisi a molestiis quas Cluniacensibus monachis inferunt, abstineant. « Actum Ansæ apud S. Bernardum, VIII Februar., indict. II. » Circa hoc ipsum tempus Gebuinus videtur Romam cum nonnullis ex suis canonicis petisse; id enim significat Gregorius epistola 36, lib. VI, ex qua patet tunc regularem, communem ac peculii expertem vitam duxisse cathedralis ecclesiæ canonicos : enim vero cum a Landrico Matisconensi episcopo, facto ad hanc causam pontificis cognitore anathemate perculsi fuissent, quia communia Ecclesiæ bona inter se partiti fuerant, ut privatim viverint; cumque nonnulli Romam profecti fuissent ut et absolutionem et benedictionem impetrarent, hanc non tantum non concessit pontifex, imo apostolica auctoritate præcepit, ut qui sic acquisierant omnino dimitterent, volens ut nobilitatem, qua inter omnes Gallicanas Ecclesias Lugdunensis resplenduit in religionis exemplo, nunc quoque vigilanter custodiat; ut et gloriam quam hactenus præ cæteris illis habuit in dignitate, nunc augere incipiat in forma religionis. An. 1080 ab Hugone abbate Cluniacensi rogatus favit electioni Walterii Cabilonensis episcopi; Ecclesiæ Saviniacensi dedit basilicam S. Mariæ de Jo.... apud Lugdunum in

Digitized by Google

curia S. Nicetii, ipso pontifice ibi jacente in ægritudine. Certe calculo laboravit et acutos morbi illius paroxysmos tanta patientia pertulit, ut, in virtutis præmium illius curandi vim maximam habere prædicetur, et ea ratione a Lugdunensibus et finitimis invocetur. In veteri Lugdunensis Ecclesiæ Martyrologio vitæ ipsius terminus consignatur decimo octavo Aprilis. In Necrol. S. Benigni Divion. legitur : « XV Kal. Maii depositio D. Gibuini archiep. Lugdun. » Jacet in ecclesia S. Irenæi. Ejus tumulo superpositum est altare Deo sub ipsius nomine consecratum, et uti sanctus in sua Ecclesia colitur.

Ad annum ejus obitus quod spectat, in antiquis monumentis non exprimitur. Dominus de Lamure ejus vitam ad annum usque 1087 exeuntem protendit, et protendendam probat ex veteri ms. cœnobii Saviniacensis, in quo veteres illius tabulæ continentur, et tres chartæ referuntur, in quibus Gebuini adhuc viventis mentio fit annis 1086 et 1087. Prima continetur codicis folio 123 sub hoc titulo : De ecclesia S. Mariæ de Diniciaco... et ecclesiam de Comiaco... nec non et capellam de Montelardo... Hoc donum laudavit archiepiscopus Gebuinus in choro Lugdunensis ecclesiæ, teste Landrico Matisconensi episcopo, Bladino decano, etc... Actum in capitulo Saviniacensi sexto nonas Februarii, sexto et decimo quinto, indict. nona, epacta tertia, cyclo decimo nono, regnante Henrico in Burgundia. Scripta manu Stephani vicecancellarii anno Dom. 1086 secunda exstat codicis citati fol. 122 quo Agna cum filiis suis dat S. Martino Savinieusi pro filio suo Lenchone quem tradit ordini monastico in eodem loco, dimidiam partem de ecclesia S. Joannis de Dnerna cum decimis et appendiciis suis. Actum pago Lugduni cœnobio Saviniaco, laudante archiepiscopo Gebuino, mense Junio, feria quarta, luna quinta, regnante Philippo in Francia, Henrico in Burgundia, anno incarn. Domini millesimo octogesimo septimo, ind. decima. Tertia jacet ibidem, eodemque fol. Ea S. Saviniensi Ecclesiæ..... ubi D. Iterius secundus abbas præesse videtur, Ermengardis bona dat pro sua sepultura, ecclesiam S. Verani in Graziaco. Actum pago Lugdunensi, cœnobio Saviniacensi cum laude archiepiscopi Gebuini, anno Domini incarnationis millesimo octogesimo septimo, indict. septima, mense Junio, feria quarta, luna quinta, regnante Philippo rege in Francia, Henrico in Burgundia. Hæc quidem validissima videntur, imo indubia, si bene exscripsit D. de Lamure; si autographa sunt instrumenta quæ exhibet, non vero transsumpta. Hæreo tamen, imo in contrariam sententiam, vi veritatis abreptus ire cogor non esse autographa quæ refert instrumenta, vel inde probabilissimum sit quod cum innumeris aliis in uno eodemque codice continentur, quæ nisi ab uno eodemque exscriptore exarari nequaquam potuerunt. Atque adeo vel oscitantia vel inscitia amanuensis error potuit irrepere; vel deluso exscriptoris aspectu chronicæ notæ corrumpi potuere; et corruptas reipsa fuisse inde patet, quod in chartis anni 1087, indictionem decimam altera, altera septimam cum eo anno conjungat. Inde iterum quod in prima dies assignetur sextus ante Nonas Februarii, qui talis nunquam exstitit hoc mense. Inde demum quod nec genuinum, nec intelligibile quod habet prima charta : Actum VI Februarii, sexto et decimo quinto. Aliunde vero, si quid in ejusmodi rebus historicis constare potest, Hugonem Gebuini locum ante annum 1087, imo et ante 1086 obtinuisse demonstratur. Argumenta referre necesse est; non quidem omnia sed præcipua.

Primum dicitur a S. Anselmo Lucensi episcopo, qui in epistola scripta Pontio, ex Casæ Dei monacho, abbati Fraxinensi, quam refert Mabillon, mentionem facit venerabilis Patris Hugonis Lugdunensis archiepiscopi, et ad cujus calcem jubet suo nomine salutari domnum Lugdunensem archiepiscopum. Cum ergo in ejusdem Anselmi Vita ab uno ex suæ ecclesiæ canonicis scripta, dicatur : Anno incarnationis Domini nostri J. C. 1086, episcopatus vero sui anno XIII, indict. IX, obdormivit in Domino XV Kal. Aprilis; constat ante hunc annum Lugduni præsulem fuisse Hugonem. Secundum suppeditat Gregorius VII papa; sic enim epist. 19, lib. IX, inscribit : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri H. . . . Lugdunensi archiepiscopo H. . . . » Ille non potest alius esse ab Hugone Gebuini successore, tum quia H prima est illius nominis littera; tum quia is cui scribit, Romanæ sedis legatus erat, ut ex contecta patet, quam dignitatem nunquam habuit Gebuinus. Sed et epistola 32 ejusdem libri data est venerabili Lugdunensi archiepiscopo, ac simul sedis apostolicæ legato, ut cuilibet eam legenti palam est. Porro constat obiisse Gregorium papam anno 1085, die 25 Maii. Ergo jam antea Lugdunensem sedem occupabat Hugo.

Tertium illudque invictum habemus ex Vita ejusdem Gregorii VII, ab auctore synchrono, Paulo scilicet Bernriedensi conscripta, in qua hæc leguntur : Rogatus (Gregorius papa in extremis positus) ut in tanta fidelium perturbatione sibi successorem designaret . . . . . trium edidit optionem, videlicet Desiderii cardinalis et abbatis cœnobii Cassinensis, atque reverendissimorum episcoporum Ottonis Ostiensis, et Hugonis Lugdunensis. Additurque : Verum quia . . . sua lustrans gubernacula procul aberat, suasit eligi vicinum Desiderium. Idem confirmatur ex Vita Desiderii, seu Victoris III, in qua hæc leguntur : Anno Dom. incarnat. 1085, indict. VIII, Gregorius VII interrogatus ante diem tertium obitus sui ab episcopis et cardinalibus qui tunc una cum Desiderio præsentes erant, quid post suum obitum de Romanæ sedis ordinatione juberet, respondit ut, si unquam aliquo modo possent, eumdem Desiderium ad hoc officium promoverent; si vero hunc nullatenus flectere ad ista valerent, aut archiepiscopum Lugdunensem Ugonem, aut Ottonem Ostiensem,

Digitized by Google

aut Lucensem episcopum, quem prius ex his habere possent, in papam eligere post obitum suum quantocius festinarent. Hæc adeo clara sunt et expressa, ut ab iis recedere vix possibile videatur. Hinc Bollandiani in append. ad diem 25 Maii tom. V ejusdem mensis part. I, pag. 1951, aiunt eum obiisse 1082, 16 Aprilis, vel, ut alii volunt, 17 Maii.

GEBUINI

LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI

EPISTOLA

AD RODULPHUM TURONENSEM.

(*Bibliotheca Patrum Lugdun.*, tom. XVI, pag. 768.)

G. Lugdunensis Ecclesiæ presbyter indignus eximio Patri et specialiter colendo † R. Turonicæ sedis archiepiscopo cum grege sibi commisso æternæ Leati udinis gloriam.

O quam bona et quam sublimis est humilitas, quæ potentes elatos de sede superbiæ dejicit, et pauperes humiles de stercore erigit (*Psal.* cxii, 7)! Ipsius est enim tanta potestas, ut per ipsam de labore ad requiem, de morte ad vitam, de pœnis ad gloriam transire debeamus. Ipsa est per quam fortes deprimuntur, humiles exaltantur, humilitate profecto Deus super omnia manens de forti armato nobiliter triumphavit, et de mundo, quem captivum tenebat, exclusit humilitas Dei, propter quod « exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philipp.* II, 9). » Hac itaque virtute vestram benignitatem plenam esse reperimus, cum sanctæ meæ Lugdunensi Ecclesiæ more prædecessorum vestrorum tam humillima devotione, tam charitativa supplicatione humilitatis ac totius obedientiæ obsequium reddere non dedignamini. Unde quatenus penset magnitudo vestræ discretionis, cum quanta dulcedine, cum quanto charitatis fervore humilitatem vestram diligamus, certi quod nos a vobis diligi scimus : quia Scriptura dicit : *Amat anima amantem se.* Præterea sciat dilectio vestra quod cum tanta dulcedine vos amamus, ut si vestra postularet necessitas, qua dilectione Apostolus pro Galatis oculos dare profitetur, eadem nos oculos nostros pro vobis eruere, et pro vobis dare non dubitaremus. Nam ubi humilitatem matri vestræ ostenditis, quid aliud hoc faciendo agitur, nisi ut vos ex debito nostri, et nos ex charitate vestri efficiamur? Unde tanto magis ac magis vestra apud pium Redemptorem erit uberior, quanto magis humilitatem per quam cunctorum fratrum concordia, et sanctæ universæ Ecclesiæ unitas custoditur, retinere studueritis. De charitate igitur vestra, sicut revera de charissimo amico confidentes, aures pietatis vestræ fiducialiter pulsare non dubitamus, procul dubio credentes quod minime patiamini nos contristari, maxime in tali re, unde anima vestra multum poterit adjuvari. Est enim vobis abbatia quædam Sabiniacus nomine, locus ab antiquo nobilissimus, antiquam Deo gratias adhuc servans nobilitatem, qui suo jam diu est orbatus pastore, pro quo rogo ego, rogat Ecclesia Lugdunensis, pro quo huc ad vos imploraturus venissem, nisi quod tot ac tantis infirmitatibus premor, ut non dicam me ad vos ire, sed respirare vix licet. Nunc igitur, quia præsentia corporali vobiscum esse nequeo, Spiritu autem vobiscum semper maneo, deprecor ut in uno spiritu congregati domnum † B., Majoris monasterii abbatem, cum multa dulcedine ex nostra parte et vestra, monendo, deprecando exoretis, quatenus mihi suo dilecto, et desolatis fratribus misericordiam suam poscentibus, consulere non differat. Mittat Patrem, mittat pastorem, qui cum tanta cautela gregem suum custodiat, ne antiquo hosti ex aliqua parte aditus pateat, per quem ad ipsum gregem unquam irrumpere valeat. Valete. Omnipotens Deus vitam vestram per multorum annorum curricula extendat, et post longa tempora in cœlestis vos patriæ mensa suscipiat. Item valete, mandatis insistite.

Digitized by Google

GALTERIUS

COGNOMENTO SAVEYR MELDENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia christiana*, nov. edit., tom. VIII; pag. 1608)

Galterius, dictus *Saveyr*, id est Sapiens, quod A disposuerat Bernerus prædecessor, at morte præventus adimplere nequiverat, fratribus cœnobii Lacellensis duo altaria donavit in villis Lacella et Vaira IV Kalendas Aprilis 1045, Henrici regis anno XVI, cujus placito pro monachis S. Medardi adversus Robertum Cociacensem subscripsit anno 1047, ejusdemque diplomatibus pro cella sancti Aigulfi cœnobio Sancti Petri Trecensis uniendа, et pro canonicis Carnotensibus anno 1048. Eodem anno astitit concilio Silvanectensi, ubi restitutum et confirmatum Sancto Medardo Castellum de Vico. Ab Henrico rege cum Wascelino de Chalinaco missus fuit anno 1050 in Russiam, ut Annam, regis Gerîselonis filiam, peteret in uxorem Henrici ipsius post prioris obitum, quod Russiæ rex gratanter B accepit. Detectioni corporum sanctorum martyrum Dionysii et sociorum ejus in æde Sandionysiana adfuit anno 1053. Sacro Philippi I regis anno 1059 interfuit, eodemque synodo Romanæ, ubi definita querela monachorum Sancti Albini adversus Vindocinenses, uno ex arbitris Galterio. Subscripsit diplomati Henrici I regis pro restauratione Sancti Martini a Campis anno 1060. Memoratur in præceptis Philippi regis an. 1064 pro monachis Sancti Petri Senonensis, et 1066 pro cœnobio Sancti Nicasii. Interfuit dedicationi ecclesiæ Sancti Martini Campensis, et subscripsit diplomati Philippi regis pro eadem ecclesia anno 1067; eodemque anno litteris ejusdem Villani de la Chapelaude S. Dionysio donatam confirmantis. In concilio Burdegalensi anno 1068 lectæ sunt ejus litteræ quibus testabatur causam de cella Credonensi in synodo Romana secundum Vendocinenses adversus monachos Sancti Albini a Nicolao papa fuisse definitam. Dedicationi Sancti Quintini Bellovacensis astitit anno 1069. Subscripsit instrumento Gaufridi Parisiensis episcopi pro monachis S. Germani a Pratis anno 1070; diplomati Philippi regis anno 1071 in concilio Senonensi confirmantis donatam ecclesiam Sancti Andreæ ab Hugone Trecensi ascetis Cellensibus, eodemque anno præcepto Burchardi, Corbeliensis comitis, pro ecclesia S. Exuperii. Inter concilii Parisiensis, anno 1071 habiti, Patres annumeratus subscripsit diplomati Philippi regis omnia bona Ecclesiæ Compendiensis confirmantis. Concilio Senonensi adfuit anno 1080, eodemque Meldensi, in quo S. Arnulfus creatus es Suessionensis episcopus, amoto Ursione, et Lambertus Morinensis excommunicatus. Terram Morissarti Gauterio abbati et monachis Pontisarensibus circa id tempus approbavit. Subscripsit judicio a Philippo rege lato apud Pisciacum die 6 Januarii anno 1082 in gratiam monachorum Sancti Germani adversus Hugonem militem, cognomento Stavellum. Sigillum quoque apposuit suum chartæ Richeris archiepiscopi Senonensis ecclesiam Sancti Baldi monasterio Sancti Remigii ejusdem urbis concedentis anno XXIII Philippi regis. Galterii obitus notatur XIV Kalendas Novembris anni 1082 in Chronico S. Petri Vivi. In Necrologio Meldensi commemoratur hoc modo : IX *Kalendas Novembris obiit Galterius Saveyr, Meldensis episcopus, qui dedit ecclesiæ B. Stephani ecclesiam S. Martini.* Fulcoius habet diem 20 Octobris in hocce epitaphio, ubi sepultum dicit in ecclesia Majori, quam de novo construxerat :

Hic pius antistes situs est Galterus, honesta
Cui domus hæc mater sponsaque salva fuit.
Quam ne pœniteat te clarum vota secundum
Rem pretiumque tulit glorificata viro.
Cum sit iners, inculta simul, cum nuda venusta,
Erigit hanc quantum corpore, mente potest.
Hanc novat, hanc ornat, cultuque reformat et arte,
Hanc facit ecclesiam, diruta facta prius.
Octobris bis dena dies fuit exitus ejus :
Mœsta dies, qualis non fuit ante suis.

Digitized by Google

GALTERII EPISTOLA

AD BARTHOLOMÆUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM

De cella Credonensi in concilio Romano sub Nicolao papa Vindocinensibus asserta.

(Mansi, *Concil.*, t. XIX, col. 901.)

B. Turonensi archiepiscopo, E. Andegavensi episcopo, et comiti Gaufrido Hugo Nivernensis episcopus unicuique perpetuæ felicitatis munus.

Præterito anno dum Romæ in sancta synodo essemus, dubitabilis querela ad aures papæ N. venit de quadam ecclesia S. Clementis Credonensis, quam sanctæ Trinitatis Vindocinensis Ecclesiæ fratres, et S. Albini monachi invicem proponentibus nobis ostenderant. Papa vero, pluribus intentus, hoc Metensi episcopo atque Tricassino, nec non et mihi A Nivernensi, et Cenomanensi, atque Aretensi et Liminensi seorsum euntibus indagari jussit, cui supradicta secundum jus concederetur ecclesia. Nos vero ut ab utrisque monachis audivimus, idipsum papæ retulimus. Ipse vero in plenaria synodo supradictam ecclesiam S. Trinitatis cœnobio vindicavit, quoniam hoc judicavimus quod nemo sevum quod tenet ab aliquo potest dimittere ecclesiæ, nec alicui nisi per commeatum illius a quo descendit. Valete.

ANNO DOMINI MLXXXV.

ALPHANUS

SALERNITANUS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ughelli, *Italia sacra*, t. VII, p. 380.)

Alphanus, Salernitanæ Ecclesiæ et urbis egregium B ornamentum, parentibus nobilissimis natus, ab ipsis incunabulis pie educatus, et in Scripturis sanctis eruditus insignis, evasit doctus clericus, et ecclesiasticarum rerum peritus, carmine et soluta oratione illustris, monasticis institutum, deposito cingulo clericalis militiæ, adhortante Desiderio, qui postmodum Victor Papa III fuit, circa annum Domini 1056 ultro complexus est in Casinensi cœnobio, nec multo post a Gisulfo principe expostulatus, primo apud Salernum monasterii S. Benedicti abbas effectus, deinde Salernitanus archiepiscopus creatus, a Stephano IX papa ordinatus, consecrationis munus accepit an. 1058. Ejus primordia, monasticæ disciplinæ progressus, et ordinationis tempus notum reddit Chron. Casin. lib. III, c. 7, in hæc verba:

« Desiderius ob nimiam abstinentiam, multasque vigilias, in languorem non modicum decidens medendi gratia Salernum perrexit; ubi itaque illo aliquandiu remorante, Alphanus, qui postmodum C ejusdem archiepiscopatum civitatis adeptus est, prudentissimus et nobilissimus clericus, maxima est illi familiaritate conjunctus. Cujus animum frequentibus monitis ad mundi contemptum exhortans, sic tandem ab illo exegit, ut monachus fieret, si prius, ut jam dudum mente conceperat, Hierosolomam ire permissus fuisset. Hac inter illos sponsione firmata, Beneventum reversus Desiderius est, atque post non multos dies mandat eidem Alphano ut ad se veniat. Cum vero cœpissent Alphanum nobiles quique viri ac clerici frequentare, eumque ob maximam ejus prudentiam decenter excolere, propositum Hierosolymitanæ viæ paulatim cœpisset in ejus mente tepescere, seque a Desiderii latere nullo unquam modo, nullo unquam tempore assereret velle dividere, tempus ab eis aliquantum apud monasterium S. Sophiæ exactum est. Cum ecce fama percrebuit Victorem papam ab ultramontanis partibus Romam venisse, eumque ad partes istas in proximo venturum fore. Territus Alphanus hujusmodi nuntio, quod fratres suos super Guaimarii principis occisione insimulandos procul dubio nosset, præoccupare statuit apostolicum, secumque ire orat suppliciter Desiderium. Et quoniam miram cantandi peritiam, et medicinæ artis scientiam non parvam habebat, ejusdem artis codices nonnullos secum a domo detulerat, magni aliquid se habendum in summi pontificis curia omnimodis confidebat. Confectis igitur atque aptatis quotquot potuit medicaminibus, una cum civitatis ipsius archiepiscopo ad Romanum pontificem in Tusciam proficiscitur, eumque apud Florentiam remorantem reperiunt. In brevi itaque maximam apud illum familiaritatem adepti, et satis honorifice habiti sunt. Sed cum jam ibi per temporis

Digitized by Google

aliquantulum remorati pro certo Desiderius comperisset papam minime ad partes istas venturum, insuper etiam ultra montes proxime profecturum, simulque valde inutilem esse proposito suo considerans in ejusdem pontificis curia conversationem, cœpit omnimodis instare Alphano, ut jam jamque peteret ab eo licentiam revertendi. Petrus ante non multos dies huic monasterio electus fuerat a fratribus in abbatem, qui pro sua ordinatione insinuanda, duos hujus loci ad papam tunc fratres transmiserat. Igitur Desiderius optata jam dudum opportunitate reperta, accedit pariter cum Alphano ad Romanum pontificem, simulque pedibus illius se prosternentes, orant recedendi licentiam. Adduntque petentes ut gratia religiosius vivendi, per monachos, qui ad eum a Casinensi monasterio venerant, illuc eos transmittere, suisque litteris illos abbati dignaretur ac fratribus commendare. Annuit apostolicus, atque ita sicut proposuerant cum fratribus illis ad cœnobium transmissi sunt; receptique decenter ab abbate et fratribus sociati honeste nimis atque humiliter inter illos aliquandiu conversati sunt, et ab universis in dilectione plurima habiti, necnon et monasticam ab eodem abbate consecrationem adepti, Friderico super eorum adventu plusquam satis est gratulante. »

Et cap. 8: « Viderat per hos dies Desiderius visionem non contemnendam, quam satis proxime rei commendavit effectus. Ceruebat siquidem se una cum Alphano in quadam ecclesia, ac valde pulcherrima turri, quæ juxta capitulum fratrum sita esset, consistere, in qua nimirum Pater Benedictus videbatur sede decentissima residere. Cumque ad illius visionem stupefacti paverent, et accedere propius nequaquam præsumerent, B. Benedictus Desiderio hilarius innuebat, eumque juxta se sedere manu porrecta jubebat. Alphanus vero, quoniam vocatus ab eo non fuerat, quasi indigne ferens, de domo illa exibat; quæ nimirum visio manifestissime portendere visa est, et Alphanum in loco hoc non diu remoraturum, et Desiderium Benedicti Patris vicem in hoc monasterio susceperum. Non multo post igitur a Gisulfo principe Alphanus expostulatus, primo apud Salernum in monasterio Sancti Benedicti abbas effectus, dehinc ejusdem civitatis archiepiscopatum adeptus est. »

Alphanus post suam consecrationem ab eodem Stephano papa, quibus diebus uti pallio deberet ad missarum solemnia celebranda, privilegium obtinuit, facultatemque nominandi, eligendi et consecrandi undecim episcopos suos suffraganeos, videlicet Pestanum, Compsanum, Acheruntinum, Nolanum, Cusentinum, Bisinianensem, Melfitanum, Policastrensem, Marsicanum et Cassanum iisdem litteris concedituc, quas non vidimus, sed citantur a Musca. Quod vero dicitur in iisdem, Cusentinam, Compsanam Acheruntinamque Ecclesias fuisse tunc temporis suffraganeas Salernitani archiepiscopi, puto eas subjectas fuisse primitiali jure, cum ecclesiæ illæ tunc archiepiscopali honore fuissent insignitæ, ut suis in locis dicemus. Anno 1059 Alphanus celebri illo concilio Romano a Nicola II coacto interfuit, quo Berengarius, hæresi sua tertium abjurata, fidem catholicam coram 113 episcopis professus est; quo etiam concilio constitutio illa de electione Romani pontificis edita est, redactaque est ad solos Romanæ Ecclesiæ cardinales et episcopos, eorumdemque potestati attributa atque decreta electio. Eodem anno aliæ synodo apud Beneventum ab eodem Nicolao celebratæ interfuit Alphanus, ac primus post Humbertum Silvæ Candidæ episcopum cardinalem se subscripsit. Anno 1066 Alphanus Risonem primum episcopum Sarnensem ordinavit, ac privilegio munivit, cujus exemplar in episcopis Sarnensibus refertur. Anno vero 1067 Alexander II papa Alphano archiepiscopo ac Salernitanæ Ecclesiæ vetera privilegia confirmavit hoc cuso diplomate, A cujus exemplar exhibemus ex archiepiscopalis mensæ tabulario hisce verbis conscriptum:

« Alexander, etc.

« Ex consideratione pastoralis curæ, » etc. *Vide in* ALEXANDRO II, *privileg. sub num.* 55, *Patrologiæ tom. CXLVI.*

Sequenti vero anno 1068 ad res Campaniæ visendas more instituto profectus Salernum accessit, ac conventum episcoporum abbatumque egit, cui Gisulfus princeps Salernitanus, et Robertus dux, et Rogerius comes frater ejus interfuerunt; ibi Guillelmus, Tancredi filius, quæ possidebat Ecclesiæ bona, eidem reddidit, eaque Alexander Alphano archiepiscopo adjudicavit hoc modo:

« Alexander, etc.

« Notum sit omnibus S. Ecclesiæ filiis, » etc. *Vide in* ALEXANDRO II.

Paucis inde post annis, hoc est 1071, Alphanus diploma scripsit Leoni abbati Cavensi de exemB ptione ecclesiæ S. Nicolai de Palma cum omnibus juribus et bonis suis, capitulo et clero consentientibus, in quo eam ab omni jurisdictione sua successorumque suorum exemit. Actum anno 29 principatus Gisulphi, indict. IX. Ejus exemplar infra damus.

Alphano archipræsule, ut tradunt, Robertus dux Apuliæ, rebus in Sicilia prospere gestis elatus, exercitum Salernum adduxit, idque, Richardo fratre Capuæ principe auxilio advocato, acriter oppugnare cœpit. Qua re cognita, Gregorius VII Desiderium abbatem Cassinensem ad rem inter Gisulfum Salerni principem et Robertum componendam misit. Quæ intempestiva Gisulphi pertinacia convenire non potuit. Robertus autem cum maxima militum manu ad muros accessit, parteque eorum vi machinarum disjecta, aditum sibi in urbem aperuit, atque Idibus Decembris forte repugnante principe, in ditionem adduxit, eamque urbem deinde mirifice variis ædificiis nobilitavit, suo ære ædificandum curavit miræ pulchritudinis ac magnitudinis templum beatissimo apostolo et evangelistæ Matthæo anno 1075, primo anno postquam cepit Salernum. Post adventum vero Michaelis, Constantini imperatoris filii, anno 1080, in civitatem Salerni ad Robertum Guiscardum invisendum, Gregorius pontifex Robertum ipsum absolvit, et Alphano gratulatus est quod ossa Matthæi apostoli, quæ ignorabantur, invenisset et in novum templum recondidisset, monuitque ut hortaretur Robertum ducem et conjugem ad ea summa reverentia amplectenda. Porro translationis historiam scripsit ex veteri monumento M. Antonius Marsilius Columna archiepiscopus in Vita et rebus gestis Matthæi, c. 8.

Robertus dux, templi conditor, post multos triumphos et partas victorias mortuus est in Coropoli insula Græciæ, ætatis anno 72, Christi vero 1079, Alphani præsulatus 23. Corpus ejus, Venusiam relatum, in majori ecclesia tumulo honorificentissimo D conditum, cui in principatu successit Rogerius filius. Anno sequenti 1080 Robertus dux Alphano archiepiscopo plura reddidit bona, quæ ab Ecclesia Salernitana occupata fuerunt, ut in documento sequenti.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ROBERTUS divina favente clementia dux.

« Justitiam facimus, et rem publicam tum augemus, cum ecclesiarum jura illibata servantes ea ipsis divinæ misericordiæ intuitu confirmamus. Ea propter notum esse volumus in perpetuum universis, quod nos scientes, et per legitima documenta nobis ostensa agnoscentes, castrum Olibani, casale Liciniani, ecclesiam S. Angeli de Monte Auro, casale Cusentinorum, ecclesiam S. Georgii, prope ipsum casale existentem, casale Salsanici, casale S. Victorii, casale de Scalcinatii cum omnibus hominibus, et præsertim eorumdem tenimenta Doleave, et Pressani, Portum, et Lintum cum passagio suo, et can-

Digitized by Google

nittas in fluvio Silarii, tenimenta de Pecta, de Fasanara, lacum majorem, cryptas maris de Tusciano, Castellutium de Battipalla, nec non et sylvas de Laurito, Maleuritunde, Calezani, et de Lama, atque terras alias laboratas, et incultas in Tusciano, et in Foria civitatis nostræ Salerni existentes ad ecclesiam S Matthæi apostoli, et evangelistæ de prædicta civitate nostra Salerni, in qua domnus Alphanus vener. archiepiscopus præest justo titulo, et vero dominio pertinent, et sunt omnia et alia plura stabilia ipsam ecclesiam, ac prædictum D. archiepiscopum juste tenere, et pacifice possidere divino intuitu, et jubente D. Sicalgaita conjuge nostra, prædicta omnia, et singula et alia contra quæ ipsa Ecclesia rationabiliter tenet et quiete possidet, atque decimas de omnibus redditibus nostris civitatis nostræ Salerni, et terræ Ebuli d. Ecclesiæ S. Matthæi, et præfato D. archiepiscopo et successoribus suis concedimus, et in perpetuum confirmamus. Quod si quis temerario ausu hujus nostræ concessionis, et confirmationis in parte aliqua violator exstiterit, sciat se compositurum auri purissimi lib. 50, medietatem Cameræ nostræ, et medietatem parti ipsius ecclesiæ S. Matthæi. Textum hujus nostræ concessionis, et confirmationis per manus Joannis notarii nostri scribere præcepimus, et typario nostro plumbeo roborari anno Dominicæ incar. 1080, mens. Octob., ind. IV, ducatus autem nostri anno 20. Cum autem ipsum privilegium ostensum ac lectum fuit, quia intererat eidem D. archiepiscopo et prædictæ suæ ecclesiæ ipsum publicatum seu insinuatum habere, idcirco idem D. archiepiscopus meum officium implorando me deprecatus est quatenus ipsum privilegium publicandum seu insinuandum admitterem; cujus ego precibus annuens, quia eas vidi consentationi, ipsum privilegium publicandum, seu insinuandum admisi totum per ordinem de verbo ad verbum, nullo in eo addito vel mutato, per manus prædicti Philippi publici Salerni not. in hanc scripturam publicam transumendo, quod ego prædictus Philippus publicus Salerni notarius rogatus interfui in hanc scripturam publicam redigendo scripsi, et meo solito signo signavi, quod autem superius desturpatum est legitur dilectæ conjugis. Locus signi.

« Ego qui supra Matthæus judex.

« Ego prædictus Matthæus de Silicibus testis sum.

« Ego prædictus notarius Jacobus testis sum.

« Ego prædictus notarius Joannes Scaut. testis sum. »

Præsule Alphano insigne miraculum in monasterio Sancti Benedicti apud Salernum anno 1078 contigisse narrat Chron. Casin. lib. III : « Tunc temporis, inquit, in monasterio B. Patris nostri Benedicti, quod intra Salernitanæ urbis mœnia constructum est, et huic Casinensi cœnobio ab ipso constructionis suæ exordio subditum, satis insigne miraculum contigit. Ex ipsius namque monasterii familia, vorax hominum lupus parvulum puerulum clandestinus impetiit, rapuit et abiit, post quem transfixa dolore mater, inclamans ait : « Adjuro te, bestia, per beatum Benedictum, cujus servus est, ne filium meum ulterius feras, sed eum sub omni celeritate dimittas. » Quo lupus audito hunc quidem, quem ferebat, aperto protinus ore deposuit : alium vero puerum repentinus insiluit, eumque subito dissecans, truncum cadaveris sprevit, præcisumque caput mordicus confixum, in suas latebras concitus asportavit. » His fere temporibus aliud miraculum memorat Petrus Damianus lib. IV epist. ad episcopos, quod apud Salernum fortasse contigit, « quod cuidam suo presbytero venerabilis Alphanus Salernitanus archiepiscopus nuper evenisse perhibuit : qui nimirum presbyter ad cumulandos pecuniæ quæstus non mediocriter a viduis et fenorum captabat usuras, et de cætero carnali conversatione vivebat. Hic ali[illegible]undo dum missarum celebraret officium, inter ipsam Dominici corporis fractionem repertæ tres favillæ ignis ex ipso cœlesti sacramento prodeuntes emicuerunt, et in pectus sacrificantis terribiliter impegerunt, quod nimirum quid esse potuerit, subtiliter inquirentis prudentia judicabit. » Hoc tempore celebris erat ecclesia S. Michaelis Archangeli apud Salernum, cujus mentio in quodam instrumento monialium Sancti Georgii. « Anno, inquit, 1079, temporibus dom. Roberti gloriosi ducis ego Lando quondam Joannis... habet casus humanæ fragilitatis ægrotavi, et in lectulo jaceo, etc., et pro anima mea judico de rebus meis in ecclesia Sancti Michaelis Archangeli, quæ constructa est in jurisdictione loci ubi padulecta dicitur, et est ipsa rebus, etc., ad faciendam pars prædictæ ecclesiæ, et ejus rectores quidquid voluerint sine omni contradictione, » etc. Cæterum Alphanus tres partes absidis templi Sancti Matthæi opere elegantissimo, musivo dicto, ornavit, in eoque Gregorium VII pont. max., quem exsulem hospitio susceperat, ac defunctum solemni pompa tumulo elegantissimo (*opus splendidis. Roberti ducis*) clausit anno 1085. Hunc sanctissimum pontificem elegisse sibi, dum Salerni degeret, ad altaris ministerium viginti quatuor canonicos, quos et presbyteros cardinales nuncupasse, quatuorque diaconos, quos similiter diaconos cardinales vocasse tradunt Salernitani scriptores. Quibus per successores pontifices fuit in posterum concessa facultas gestandi mitras sericas, quas vocant de damasco. Talibus porro nominibus et mitris usque in hodiernum diem utuntur. Alphanus vero innumeris mirabilis in Deum obsequiis, animarum salute, religionis augmento, Ecclesiæque suæ decoramento, vicesimo nono sacerdotii sui anno, salutis vero 1085, VII Id. Octobr., plenus dierum atque virtutum migravit ad Dominum, ac prope tumulum Gregorii VII sanctissimi pontificis, paulo ante ad cœlum evocati, terræ mandatus est, et inter sanctos fertur relatus. Plura edidisse Alphanum sui ingenii monumenta testatum reliquit Petrus Diaconus Casinas lib. De viris illust. ejusdem cœnobii, quem nuper publici juris fecit eruditus amicus noster Jo. Baptista Mari, canonicus Sancti Angeli in foro Piscario, ac notis illustravit. « Alphanus, ait Petrus, Salernitanus archiepiscopus, et Casinensis cœnobii monachus, vir in Scripturis sanctis eruditus, et notitia ecclesiasticorum dogmatum ad plenum instructus, composuit nudo et lucidissimo sermone passionem S. Christinæ, hymnos præterea de eadem virgine duos, de S. Benedicto versus ad Pandulphum Marsorum episcopum; Cantus S. Sabinæ; Versus S. Christinæ; S. Petri apostoli; in laudem monachorum Casinensium; De situ, et constructione ac renovatione ejusdem cœnobii; Metrum Sapphicum hendecasyllabum de S. Mauro; item ejusdem hymnos; de S. Matthæo hymnos tres; de S. Fortunato duos; de S. Nicolao ad Actonem episcopum Theatinum; ad Gisulphum principem Salernitanum, ad Guillelmum ejusdem loci grammaticum; ad Guidonem fratrem principis Salernitani; ad Goffridum Aversanum episcopum; ad Hildebrandum archidiaconum Romanum; ad Romualdum causidicum Salernitanum; ad Rofridum monachum Casinensem; metrum heroicum in honorem SS. duodecim Fratrum : Confessionem metricam ejus; Versus de ecclesia S. Joannis Baptistæ in Casino; Epitaphia quamplurima virorum insignium, et alia quæ ad nostram notitiam non venerunt. Fuit autem temporibus supradictorum imperatorum. Sepultus vero est apud Salernum. » Hæc Petrus. Porro hæc quæ notavit Petrus, demptis versibus quos cecinit in laudem Romualdi causidici, et Sigismundi Casinensis, edita sunt ad calcem nostræ Italiæ sacræ. Præter hæc, alia scripsisse Alphanum opuscula narrat idem Marus in adnotationibus ad eumdem : « De unione Verbi Dei et hominis librum unum; De unione corporis et animæ, lib. unum;

Digitized by Google

De quatuor humoribus corporis et animæ lib. unum: exstabant prædicta opuscula in Casin. bibliotheca ms. pluteo 8, ad sinistram. Passio sanctorum martyrum duodecim fratrum Beneventanorum, ad fratrem Rofridum Casin. monachum, habetur apud Lippomanum t. IV et Surium t. VII, sub die prima Septembris. » Plura alia opuscula et versus Alphani ad fidem ms. codicis, correcta, omnibusque numeris absoluta dabit idem Joan. Baptista Mari. Quæ autem in fine de Alphano hoc laudatissimo archiepiscopo poematum auctore libuit adnotare, ne quis fallatur ex adnotatione Antonii Caraccioli in indice ad Alphanum secundum, qui immediate primo successit, falso ab ipso ascribi poemata quæ exstant in bibliotheca Casin. quorum meminit Baron. t. XII, cum ex ea, quæ Petrus, Alphani synchronus, ac Chron. Casin. scripsere facile colligi potest Alphanum primum poemata dictasse. Libet etiam hic exscribere oblationem Joannis cujusdam fabriferrarii Salernitani, quam fecit ecclesiæ sanctæ Sophiæ coram Sicone comite ac judice eodem anno, ac mense Octobri, quibus Alphanus defunctus est, ubi et Alphanus ejus successor, tunc presbyter custos S. Maximi, adfuit cum aliis pluribus Salernitanis presbyteris, ecclesiarumque custodibus; sic enim se habet ab exemplari.

« In nomine Dei æterni, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejusdem 1085, temporibus domini nostri Rogerii gloriosissimi ducis, mens. Octobris, IX indict.

« Ante me Siconem comitem et judicem venit Joannes presbyter custos ecclesiæ S. Sophiæ, quæ condita est intra hanc Salernitanam civitatem, et cum eo venerunt testes. Hi sunt Alphanus presbyter custos ecclesiæ S. Maximi, et Petrus presbyter custos ecclesiæ S. Marci prope portam Rotensem constructam, et Manso clericus, et primicerius ejusdem ecclesiæ S. Marci, et Petrus presbyter custos ecclesiæ S. Gramatii, et Maurus presbyter ipsius ecclesiæ S. Sophiæ, et ipsi testes testificati sunt, et coram illis sex pluribus aliis Joannes faber ferrarius filiusque Radecisii, et Isa uxor ejus filiaque Maraldi, bona illorum voluntate pro salute animarum suarum obtulissent in ipsa ecclesia S. Sophiæ, cui D. Muscanus vener. abbas præest, omnes res illorum, quas eis quomodocunque pertinuit, et pertin. foris hanc civitatem in locis Saraniano, et Pelliciano, et per fin. et vocabula, et pertin. ipsorum locorum cum omnibus, quæ intra ea sunt, cunctisque suis pertin. et cum vice de viis suis, et cum muniminibus ex eis contin. ea ratione, ut semper sint in potestate custodum ipsius ecclesiæ S. Sophiæ, et licentiam habeant pars, et rectores ejusdem ecclesiæ de eis facere quod voluerint, et ipsius, et uxoris, et illorum hæredum semper integras dictas res, qualiter prædictum est parti ipsius ecclesiæ defendere ab omnibus hominibus, et quando pars ejusdem Ecclesiæ voluisset, potestatem haberet illud per se defendere, qualiter voluisset cum omnibus muniminibus, et rationibus, quas de eo ostendisset tantum dum ipse vir et uxor vixissent, jam dictam rem suæ potest. tenerent usufruendi nomine, et de usufructu ejus, quod vellent facerent, et si ipse Joannes vivente ipsa uxore sua obiisset a præsente mediet. ex ipso usufructu perveniret in potestate partium, et custodum præd. Ecclesiæ S. Sophiæ facien. ex ea, quod vellent, altera vero medietas ex ipso usufructu esset in potestate dictæ Isæ dum vixisset, et si ipsa ante virum suum obiisset, tunc quarta pars ex ipso usufructu perveniret in potestate partium, et rectorum ipsius ecclesiæ S. Sophiæ ad faciend. ex eo quod vellent, reliquas vero tres partes ex ipso usufructu sit in potestate d. Joannis, post vero amborum ipsorum, et Isæ obitum, totum ipsum usufructum redeat ad suam proprietatem, et per conv. ipse vir, et uxor guadiam ipsi Joanni custodi pro parte ipsius Eccl. S. Sophiæ dedissent, et fidejussiones ei pro eisdem Eccl. par. potuissent semetipsos, et per ipsam guadiam ipse vir, et uxor obtulerunt se, et suos hæredes, si sicut dictum est, non adimplevissent componere par. et custodi ipsius ecclesiæ S. Sophiæ 50 aur. solidos constanti. Et si sicut dictum est adimplere, et ipsa Isa dixerunt dicta facisse cum voluntate dicti viri sui, cum autem ipsos testes, ut dictum est certificantes audivi, interrogavi eos si illorum testimonium legaliter firmare possent.: illi autem hoc audito dixerunt, et spoponderunt, se hoc quod testificati sunt secundum legem firmare, cum necesse fuerit, atque testificari, quod superius inter virgulas scriptum est, legitur vir, et uxor, eo taliter tibi Joanni notario, qui interfuisti, et eo quod dicti vir, et uxor peregerunt teste te esse promisisti scribere præcepi.

« † Ego qui supra judex. »

Sub idem tempus Gauferius Salernitanus, monachus Casinas, vir sapientissimus ac facundissimus maxima cum pietate vixit, pluraque sui ingenii monumenta reliquit, quæ referuntur a Petro Diacono in lib. De vir illustr. Casin., de quo etiam Chron. Casin. lib. III.

ALPHANI

PRIMI SALERNITANI ARCHIEPISCOPI GREGORII VII PONF. MAX. COÆTANEI

CARMINA,

ALIAQUE PAUCA IN QUIBUS MULTA AD SACRAM HISTORIAM PERTINENTIA ADNOTANTUR.

Quorum exemplar ex vetusto manuscripto codice litteris Longobardicis exarato, bibliothecæ Casinensis haud unius opera petitum, nunc primum publico donatur commodo.

(Ughelli, *Italia sacra*, tom. X, col. 47.)

I.

Versus Alphani Salernitani archiepiscopi ad Pandulphum episcopum Marsicanum, quos fecit ejus rogatu in laudem beatæ Sabinæ illustrissimæ martyris, in cujus honorem episcopatus ipsius est ecclesiæ consecrata.

Præsul amande, magis multo quam credis amari,
Aspice compositum mente verentis opus.

Digitized by Google

Non secus ac potui, fuerant quæ jussa peregi,
Dulcius ut referunt carmina, prosa metrum.
Vox tua me monuit, pariterque monendo rogavit
Laudes Sabinæ martyris ut canerem.
Forte quidem volui carmen vitare laboris
Obice, sed timui displicuisse tibi.
Velle tuum novi, quod nondum posset amoris
Exiguo solvi crimine jam didici.
Non ego sic adeo sum mente munitus, ut ultro
Expers pertulerim muneris esse tui.
Res in amicitia nimis hæc laudabilis exstat
Apta quidem fieri quælibet unanimi.
Barbarus est misere, qui viverit hoc sine more
In medio Getici cui placet esse soli
Lætus spe veniæ tantum mihi, postulo, præbe
Jussis quod fuerim tardior ante tuis.
Maxima res erat, atque meis non viribus apta,
Ardua dactylicis pangere gesta metris.
Rite tamen feci tibi quod veneranter adhæsi,
Sustulit opprobrium vox tua nempe meum.
Ordine pro vario numerosis legibus hymnos,
Respice compositos non sine mole duos.
Versibus antiphonæ binis sunt pene notatæ
Membra quod octo tenent jure duæ pariles.
Et sunt ter septem sicut mos exigit esse
Priscus, et est natis consona quæque suis :
Inde tibi restant ter responsoria terna
Sicut ter in his novies ter sine labe pedes
Conscripsi tandem pede liber martyris artes
Obsequio fuit hic res aliena mihi.
Profuerat studium Cypriani sæpe relectum
Optime quo fertur scribere martyribus
Ardet in antiquis, ut stella retrograda libris,
Lumen in Ecclesiæ dat speciale fide,
Fas ibi rhetoricis fuit ejus floribus uti,
Atque coloratis ludere sæpe jocis,
Nunc licet, ut licite scribentibus, atque licebit,
Usus et hic morem legis habere solet.
Solvi non poterit res hæc rationibus ullis,
Si non solvuntur cætera jura simul.
Arbiter hæc sapiens tantum discernere debes,
Lætitiæ poterunt si tibi ferre locum.
Esto quod esse velis, mihi non mea causa nocebit;
Restat et hic fidæ pignus amicitiæ.
Nec timeo verbis aliorum rite refelli,
Judice dum fuero te fruiturus ego.
Tu mihi cordis apes fugiunt quibus antra Cyclope,
Ac tua non pariter pungere tela valent.
Non ego confertum virtutum munere pectus
Vidi sic penitus, ut patet esse tuum.
Solus amara sapis dulcedine nobilitatis,
Auxiliumque satis ferre tuis famulis.
Rursus et ista tui facient rata scripta propinqui
Cum quibus, ut spero, te duce, tutus ero.
His ego pro muro jam lassus ab hostibus utor,
In quibus esse nihil vita dedit vitii.
Esse tui memores non cessant nocte, dieque
Pro te conveniunt sæpius ante Deum.
Instat Oderisius lacrymis, precibus Theodinus,
A Sed Transmundus agit hoc quod uterque facit.
Cognosco reliquos, sed ut his artibus aptos
Ore canunt solis vocibus atque notis.
Prosit et hæc istis bonitas, quæ profuit illis,
Ut studeant pariter prospice sollicite.
Sed tamen, ut possum, quos dixi prædico prorsus
Semper dum fuero, quos amo, quos timeo,
Accipe quæ potui tibi præmia ferre roganti
Levia sunt, placidis sed tamen apta locis.
Ut merces tanti non sis mihi cassa laboris,
Tu fac implores martyris hujus opes.
Et super hæc rogito Pandulphi vota memento
More pii Patris digna juvare tui.
Integra sit pueri bonitas tibi grata Leonis,
Nec tibi displiceat, hunc, ut ameris, ama.
B Ut tibi quo semper te diligat, atque libenter
Obsequium possit solvere sæpe tibi.
Mente satis miti devotus in ordine vivit,
In quo perficitur Cunctipotentis opus.
Nunc tibi sint satis hæc, valeas, vestrumque meumque
Onoma quæsitum carminis ora ferunt.

II.

Hymnus ejusdem in laudem S. Sabinæ.

Præbe, Christe, canentibus
Munus lætitia martyris, ut tuæ
Sabinæ sacra præmia
Promantur pariter vocibus, et lyra.
Claris orta parentibus,
C Pollens eximii conjugio viri
Præstanti facie nimis,
Morum plena satis, dives opum fuit.
Hanc virgo monitis suis
Seraphim probe fecerat idola
Toto corde relinquere,
Factorique suo credere concite.
Sprevit jura potentium,
Durum non timuit supplicii genus,
Sed præbens gladio caput
Centenæ merito frugis adit gradum.
Sic in morte semel suos
Abscondens oculos semper ovans videt,
Solis perpetui jubar
Nunquam deficiens hujus erit dies.
D Felix orbe potentior,
Quæ cœlum recipit sanguine pro suo,
Cui merces paradisus est,
Vitæ deliciis moribus affluens.
Illic purpureus rosæ
Flos, et nardus inest, vernat amaranthus,
Floret cum violis crocus,
Spirant thura, thymus, lilia, balsamum.
Hymnos angelici chori,
Condignum resonant carmen apostoli,
Psallunt quam bene martyres,
Et plectro feriunt tympana virgines,
Salva sancta perenniter
Horum quæ medio psallis in agmine,
De quo jam specialiter

Digitized by Google

Marsorum, petimus, munera respice.
Locus æterni, salus, honor,
Virtus, imperium, lux sine termino,
Rex regum, tibi, Christe, sit,
Et cum Patre Deo, Spiritui sacro. Amen.

III.

Item alius hymnus in laudibus ipsius.

Ad Patris decus optimi
Cordis vocibus intimi
Sabinæ celebres chori
Laudes pangite martyris.
Cœli scandit ad arduum
Sanctorum vice martyrum.
Et regis sibi Filium
Junxit fœdere virginum.
In cujus diademate,
Gemmæ more hyacinthinæ
Summis pro meritis nitet,
Quæ Christi meruit fide.
Cœlestis sibi dignitas,
Divo sanguinis indita
Novit solvere præmia
Metæ temporis inscia.
Ejus gloria circulos
Semper præterit annuos,
Quæ tanto fit amatior
Est quanto pretiosior.
Mundi deliciæ tetrum
Mortis possideant locum,
Cujus supplicii genus
Vitæ sit dare præmium.
Ora pro famulis tuis,
Martyr germine nobilis,
Multo nobilior magis
Sacri fenore sanguinis.
Moles dissipa criminis,
Finem posce periculis,
Et mortis febre languidis,
Da munus valetudinis.
Nostris insere mentibus
Christo reddere debitum,
Ne nos fortia judicum
Perdant jura potentium.
Præsta, Conditor optime,
Qui cum Patre Deus manes
Cum sancto quoque Flamine,
Qui regnas sine termine.
Amen.

IV.

In sancti Mauri abbatis metrum Sapphicum.
Hendecassyllab.

Quid tuo nobis potius placere
In die debet, tibi quam decoris,
Fortius niti precibus, vel hymnis,
Optime Maure?
Tu sacris quondam puer institutis
Maximum vitæ studium perennis,
Unde præclaris rutilas triumphis,
Hic didicisti.

A Es memor quantæ fidei fuisti,
Cum tuos mollis tulit unda gressus
Excito cursu Placidum profundo
Fonte levasti.
Illud est inter tua signa valde
Dulcius nobis, quod, et hac in arce
Languido gressum, simul et loquelam
Restituisti.
Hic viam longe positus videbas
Palliis stratam, facibus coruscam,
Quam Pater cœlum Benedictus olim
Noster adivit.
Quod tibi quondam fieri petebas
Lege sub qua nos modo regulari
Graviter vivens prece da perenne
B Vivere nobis,
Ipse fundator placidæ quietis,
Hujus hoc tecum faciat rogamus,
Nam quod optamus, bene si velitis,
Ferre potestis.
Velle det vobis pietatis auctor
Rex Deus, cum quo sine fine regnet
Filius compar, sed et utriusque
Spiritus almus. Amen.

V.

Item ejusdem metrum.

Gaudere, fratres, nos hodie decet,
Et quæque cordis tristia spernere
Summa beati lætitia viri,
His, cujus odas pangimus organis.
C Hæc illa lux est qua subiit polum
Mauri solutus corpore spiritus;
Sic regis acta militia sui
Tantæ quietis præmia pertulit.
Cœlestis aulæ factus œconomus,
Præstat benigne digna petentibus,
Qui nostra sumpto mox sibi munere
Illustret almo pectora lumine.
Hic Arderadi membra miserrime
Collisa casu protinus integre
Sanavit olim, cum sua sæculo
Fulgebat omni mens simul, et caro.
Fracto medelam de pede Sergio,
Lumenque cæco præbuerat Lino
D Sensu carente sustulit a nece,
Ejusque vixit mortuus ad precem.
O Maure felix, quæsumus, utere,
Quo jam solebas, et modo pleniter
Noscat Casini dulce solum tibi
Quid tanta possit gloria quam cluis.
Fac quo rogatur nunc tua charitas,
Nam juris hoc dat legibus æquitas
Debere quemquam pro patria mori
Tu vive, sed nos vivere fac tibi.

(*Quatuor ultimi desiderantur versiculi, et hymni conclusio.*)

Digitized by Google

VI.

De S. Matthæo apostolo.

Apostolorum nobili victoria,
Et retributa pro labore gloria
Cœli, solique læta fit respublica,
Ut summa laudum conferunt præconia
Quibus decora mater est Ecclesia.
Hic est senatus, Rege qui cum gloriæ
Die supremo præsidebit arbiter
Ad judicandum omne semen Israel,
Cujus potestas novit altas claudere
Seras, iterumque clave linguæ pandere
In hoc beato principum collegio
Matthæus almo gloriatur præmio,
Qui mox relicto merito negotio
Christum secutus ejus a primordio
Humanitatem scripsit omnibus prior.
Auriga currus primus est mirabilis,
Servat Phisonis et figuram fluminis,
Evangelistis cui datur præ cæteris
Formam supremæ ferre pulchritudinis;
Nam solus ex his est homo notabilis.
Trina refulget dignitate munerum,
Refert ut omne concinendo sæculum,
Evangelista, martyr, et apostolus.
Quod tale nulli de suis consortibus
Videtur unquam contigisse præmium.
Gentes propinquo solis ustas climate,
Intusque tinctas criminum fuligine,
Ne mortis atra vergerent caligine,
Nitere fecit mente, dum fideliter
Signis, et almo liberavit famine.
Matthæe, grates debitas, apostole,
Digne tuorum civium jam suscipe,
Quos fac ab omni esse tutos crimine,
Ut se futuro sentiant examine
Tali patrono paruisse strenue.
Sit Trinitati summa laus, et gloria,
Salus, honorque perpes, et potentia
Simplex, et una gen. . . . æternitas,
Et quam creata confitentur omnia,
Per cuncta semper sæculorum sæcula.
Amen.

VII.

Item alius ejusdem.

Lætare, mater, parturis quæ filios,
Fecunda Ugo semper, et purissimos
Quos lympha partus edit, atque spiritus,
Tibi per omnes motiones temporum.
Primum salutis tam sacro mysterio
Apostolorum fulgis ex collegio,
Nites et ejus inclyto certamine,
Cui dat triumphos laudis mundus hac die
Est hæc Matthæi nobilis festivitas;
Modos sonantes dulce die Ecclesia
Lyras, ut omnes fistulas, et tympana
Præcellat a te cantilena condita.
Utaris idem fac tuis, apostole,
Loco Magistri, voxque si quid disson
A Sonat, canente plebe, claro dogmate
Tibi decenter, ut placet, sic corrige.
Tu prava quorumdam dæmonum ludibria
Magis peracta clarius detexeras,
Qui damna mortis pertulere pessima,
Quibus latenter tot reos effecerant.
Utraque lapsum morte regis unicum
Orationi suscitasti filium.
Post hæc tyrannum dum refutas Iriacum
Hinc martyr astra scandis, hinc apostolus.
Evangelista gloriose numerum
Acceptione dedita, jam, quæsumus,
Cœleste regnum impetra fidelibus,
Quorum videris hospes esse sedulus
Cum Patre præstet hoc supernus Filius,
B Sanctus simulque parilisque Spiritus,
Quibus sit omnis laus, honorque debitus,
Perpes potestas absque fine temporum. Amen.

VIII.

Alius ejusdem.

Adesto, sancte Spiritus,
Nobis tuas canentibus
Laudes in hac apostoli
Festivitate nobili.
Quem pro lucri cupidine,
Foro vacante, sedule,
Ex publicano protinus
Facis replens apostolus,
Hic languidis pectoribus
Perustione criminum
C Verbis medelam præbuit
A te sibi jam creditis.
Lavit sacro baptismate
Regem simul cum conjuge,
Quorum potenter filium
Resuscitavit mortuum.
Sermone justo nuptias
Confuderat tyrannicas,
Pro quo decorus laurea
Martyr polum transcenderat.
Concede jam, Paraclite,
Ut nos in isto tempore
Possimus omnes libere
Ejus triumpho vivere.
Tuæ refertur gratiæ
D Nostræ quod idem patriæ
Civis, paterque dicitur,
Quod et patenter creditur.
Summo Parenti gloria,
Et Filio victoria,
Tibique laus sit debita
Per sæculorum sæcula. Amen.

IX.

In sanctorum martyrum Fortunati, Gnii et Anthes.

Sanctis martyribus laus, honor et decus,
Qui cœli Domino sanguine proprio,
Sacrati superæ militiæ vicem
Invicta retinent fide.
Conflictus validos ferre viriliter

Digitized by Google

Hostiles cuneos frangere fortiter,
Certavere sui corporis obice,
Ut post funera viverent.
In regis positi nunc diademate
Stellarum potius lumine prænitent;
Donativa suis militibus dedit
Christus Filius hæc Dei.
Ex quorum numero sunt quibus optime
Gaudet plebs hodie cantica promere,
Plebs laudis nostra piæ tanta velut decet
Hujus lumina patriæ.
Fortunate, tuis utere prosperis
Rebus cum meritis cui nota nominis
Concordat pariter, nosque tua prece
Da gaudere perenniter.
Et tu, Gnie, bonis moribus annue
Nobis assidue corda retundere,
Et quod nunc petimus, sumere postea
Nos feliciter adjuva.
Anthes perpetuo lumine splendide
Ilis et par merito jure nec ultime
Communem Dominum fac toties roges
Pro nobis, quoties potes.
Hoc nobis Deitas, rex, tua conferat
Discordem numeris congeriem ligans,
Ut tecum stabili pace per omnia
Vivamus tibi sæcula. Amen.

X.

Item alius de eisdem.

Salve, dies, tutoribus
Nostris dicata, laudibus
Insignis, et virtutibus
Summis decora martyrum.
Qui rite temporalibus
Dum sempiterna præferunt,
Mucronis ictu concite
Christi probantur milites.
Sunt mira quæ post transitum
His contigisse creditur.
Aves eorum corpora
Custodiebant splendida.
Obsessa dire patria,
Et pene morti tradita,
Mansit repente libera
Horum quidem victoria.
Secura jam concivibus
Sancti Salerne dulcius
Præbe tuis victoribus
Laudis novæ præconium.
Hi sunt quibus sæpissime
Te gratulari condecet,
Quorum putaris munere
Metu represso vivere.
Hostes tibi visibiles
Pellat, et invisibiles;
Augmenta pacis præbeant,
Summæque vitæ præmia.
Summo Parenti gloria,
Natoque sit victoria,
Et Flamini laus debita
Per sæculorum sæcula. Amen.

XI.

De sancto Nicolao.

Rex regum, Deus omnium,
Sanctorum decus et gloria, qui duces
Sacræ militiæ novis
Semper muneribus perspicuos facis:
Ornas et diademate
Regni perpetuo, quo pariter frui,
Tecum vixisse tempore
Ante principii constitit ut diem.
Adsunt unde celebria,
Horum festa piis laudibus annua,
Cum mundus sua præmia
Per dimensa sui climata prædicat.
Te poscentibus annue
Uti dulcisonis cantibus
Nicolaus adit sidera fulgidus.
. . . . . .
In quarta puer hic semel,
Et sexta feria suxerat ubera,
Quod mirabile prandium
Contractum minime te sine creditur.
Transactis puerilibus
Annis, Ecclesiæ limina sæpius
Observans patrimonii
Hæredem fieri te voluit sui.
Auro non modico viri
Sedat pauperiem, quam patitur misse
Stupro germine nobiles
Tres a se genitas tradere virgines.
Hoc Myrea metropolis
Digna promeruit præsule pro sui,
Quem divina fidelibus
Vox audita tuis signat episcopum.
Compulsus precibus, maris
Compressit citius grande periculum,
Et ponto prope subrutos
Tranquillo penitus restituit loco.
Nautis nil minuit, datum
Angusto sancis in tempore triticum,
Sed per juge biennium
Cunctis hoc fuerat copia civibus.
Hostis fraudibus obvians
Versuti pelago vas oleum ferens
Effundi jubet ocius,
Quod combussit aquæ materiam diu.
Post pœna capitis reos
Tres a morte viros eripit impiger,
Cujus namque potentiæ
Et clausæ bifores sponte sua patent.
In somnis modo Cæsarem,
Exarchumque modo territat acriter,
Et valde positus procul
Pellit parta trium funera principum.
Nicolae, salutifer
Et tutor famulis esto perenniter
Cunctis te celebrantibus

Digitized by Google

Hoc festo placidis cum tibi laudibus.
Te mirabiliter colit,
Laudat, magnificat Græcia nobilis;
Imo totius orbis hæc
Gaudet meta tibi munera solvere.
Mundi Roma caput tuis
Æqualem celebrat semper apostolis,
Cujus crebra juvamina
Non multis precibus quærit, et impetrat
Quis non duceret hunc diem
Festum plus reliquis, cum genitoribus
Natus reddit ab hostibus
Raptos ad varii servitii jugum.
Ponti multiplices sinus
Observans facili cum prece poscerîs.
Tempestatibus horridis
Submersis miseros navibus eripis.

XII.

In laudem sanctæ Christinæ.

Virgo dicata Deo nobis, Christina, faveto,
Sit decus, atque quies omnibus ista dies.
Plebs bene docta nimis tibi laudibus instat amicis,
Possit ut auxilio tuta manere tuo.
Tu patriæ legis mores nihil esse fateris,
Ut doceas comites, quæ sit habenda fides.
Idola confringis, præfectum dogmate vincis,
Esse Deum credens, qui super astra sedet.
Flagra, rotam, gladios primum depellis acutos,
Post pelago mersam te dedit unda foras.
Sed pater infidus miser occidit hostis iniquus,
Ipse quidem petiit, te Deus eripuit.
Frangitur olla satis conferta liquoribus atris,
Aurea delusi solis imago ruit.
Hoc male turba ferens ad judicis intonat ædes,
Fit reus in causa censor et ipse tua.
Tradiderat diri flammis tua membra camini,
Quæ tamen, ut voluit, perdere non potuit.
Occubuit Marsus serpentum morsibus aptus,
Nomine sed Domini restitit incolumis.
Inde cares lingua, truncaris utraque mamilla,
Inficeris jaculis, sic celer astra petis.
Ergo doce, virgo cœlesti docta magistro,
Quid tua plebs faciat quo cluis ut veniat.

XIII.

In eumdem.

Intemerata fide nostræ succurre ruinæ,
Ipse dedit vires, cujus amore viges.
Tu, patre contempto, Regi conjuncta superno,
Jurgia derides, verbera nulla times.
Et quia te Christus Salvator possidet intus,
Ira, furor, gladius nil valet exterius.
Jussa ducum spernis, temnis præcepta parentis,
Sic servat sponsam rex in agone suam.
Æstuat Urbanus, fremit Idion, et Julianus.
Arma pudicitiæ quis superare potest?
Sed quia mente colis Christum, quem nomine prodis,
In fragili sexu fortis inest animus.
Cœlitus igniti frigescit flamma camini.
Virgineum corpus non retinet pelagus.

A Non rota, non ferrum, non spicula mille furentum
Immutant animum, virgo beata, tuum.
Virgineis precibus juvenis de morte resurgens
Ætherei Regis subditur imperiis.
Quid Juliane facis? quid censor inique moraris?
Victus es, ut video, pectore femineo.
Perfice quod restat, tenta quod durius exstat.
Non cesset feritas, non vacet impietas.
Aufer adhuc linguam, miser, aufer utramque mamillam;
Sed si non loquitur, mente Deo fruitur,
Nos tibi commissos, Christiana piissima virgo,
Protege perpetuis, poscimus, auxiliis;
Affluat in nobis æterni munus amoris,
Quam colis ad patriam grex tuus ut veniat.

B

XIV.

In eamdem.

Virgo, sidericis ardua sedibus,
Te, Christiana, tuis insere plebibus,
Ut possint placido nunc tibi pectore
Laudis munia solvere.
Tu patris rutilo splendida germine,
Sed multo melius moribus et fide,
Dum casto refugis corpore sæculum,
Acquiris comitem Deum.
Cujus jussa probis actibus exsequens,
Quem sævis ducibus prodere non times
Contemptis valido pectore fortius
Pœnarum genus horridum.
Quæ, vel quanta quibus prælia gesseris:
C
Ignis cum gladiis, fustibus, et rotis,
Vinclis, verberibus, cumque ferocibus
Telorum probat ictibus.
Jam suprema poli quæ penetras loca,
Nobis ut pateant, hoc prece fac tua.
Et semper memorum, si memoraberis,
Felix esse memor velis.
Sic nobis Deitas, Rex, tua conferat,
Discordem numeris congeriem ligans,
Ut secum stabili pace per omnia
Vivamus tibi sæcula.

XV.

In eamdem.

Fontem perennis gratiæ
1 Præbe, quod es, Jesu pie,
In laude tantæ virginis
Pro te paratis servulis.
Illæc namque primum nomine,
Post te notarat dogmate,
Sic sponsa sponsi gloria
Apte frui decreverat.
Exosa pompas sæculi
Te forma quæsivit boni,
Quem fixa telis horridis
Laudare nunquam desiit.
Nunc grata carpens gramina
Inter rosarum germina,
Gemmis micantem fulgidis
Gestat coronam luminis,

Digitized by Google

Vere perauctis fructibus
Semen reduxit centuplum,
Cum rite fuso sanguine
Talis tibi lux parta est.
Per sæculorum sæcula
Patri supremo gloria,
Virtus tibi sit Filio,
Cum Spiritu Paraclito.

XVI.

De sancto Petro apostolo.

Alma dies rutilat toto celeberrima mundo,
Sanguine quam proprio Petrus decoravit in ævum.
Ardua purpureis tinguntur templa triumphis.
Laus manet æqualis numero librata duali,
Ecce ratis pleno confertur concita velo,
Credula falcato jam bellua carpitur hamo.
Auxiliare tuis patet, archiapostole, servis.
Nosque Deo caute sinuosis retibus affer.
Imperio Christi dum rete, ratemque relinquis,
Claviger in cœlis, terris piscator haberis.
Esse Deum credis, quem miscet turba prophetis.
Unde manes clarus, Petre, princeps Ecclesiarum.
Fallitur incautus te tanto milite Malchus,
Cum piger immissum ferientis sustulit ictum.
Tu quoque respondes, cum vos genus arguit omne,
Impetus iste meri non est, vel sermo Joelis.
Poscit opes claudus, nec habet, quia defuit aurum,
Nomine sed Christi gressum illi restituisti.
Ut Simon abscedit defunctus vivere cœpit.
Fit sua nil virtus ; stat Simon Simone victus.
Pervolat ille miser, cœlos se dicit adire,
Altius unde cadit sibi deficientibus alis.
Pestifer exstinctum postquam Nero cernit amicum
Te cruce dando mori, cœlestibus adderis oris.
Jam cape Romanum consul, Cæsarque senatum.
Ecce tibi cunctus servit sub sidere mundus.
Omnibus humanus famulis sis, Petre, rogamus,
Atque potens nostri, totique salutifer orbi,
O Deus, æterni genitor clarissime verbi,
Da mentis Petri nos scandere mœnia cœli.

XVII.

De sancto Benedicto.

Aureo solis radio perennis
Hac die totus decoratur orbis,
Ut suis felix Benedicto festis
Clarior adsit.
Bella mirandis opulenta factis,
Signa virtutum speciale munus
Regulæ, præbent sibi sempiterno
Tempore laudes.
Claret ætatis teneris ab annis
Moribus quibus vitam ordinasti
Cum voluptati dederis nec ulli
Intima cordis
Deditur tanto prius id triumpho.
Vas quidem fractum muliebre damnum,
Quod puer sanum prece lacrymosa
Restituisti.
Exhibens sanctum celer institutum
A Arctius summis studiis relictis,
Rebus et patris fugis, et salubri
Veste bearis.
Foveras antro tua membra parvo
Mensibus versis novies quaternis,
Quo manens nullis hominum, sed uni
Notus haberis.
Grata divino tibi festa nutu
Conferunt pastum latitans videris,
Fama fit, vulnus perit omne mentis
Vulnere carnis.
Hinc cujus signum vitreum veneni
Poculum frangit, vaga mens fugatur
Virgulæ tactu, fluit e cavato
Marmore lympha.
B Insilit ferrum capulo reversum.
Mollis humanos regis unda passus,
Qua tuam raptus Placidus meletem
Cernere fertur.
Charus horrendam tulit ales escam,
Fles nimis sontis nece motus hostis;
E loco cedens solito petisti
Liris amœna.
Lubricus strata furit anguis ara,
Aggravat pondus, strepit igne falso :
Sed nihil contra valet inchoatum
Ferre laborem.
Membra collapso laterata muro
Sana redduntur, patulo probantur
Fratribus furtim male facta, regis
C Panditur actus.
Noxa libantem necat, et ruina
Sedis electæ patet, obtinentur
Spiritus, rapto latitare vino
Cernitur hydrus.
Objicis fratri quod inane fecit,
Inspicis mentem penitus rebellem,
Copiam prodis, gravidisque somno
Consulis index.
Perfidos tellus procul egit artus.
Sistit errantem draco, cessit ulcus
Regium nummi subiere, fugit
Horrida pestis.
Quod cadit vitrum patet esse salvum.
D Vasa producunt oleum, chelydrus
Pellitur dextra, manuumque loca
Visio solvit.
Reddito vitæ puero, subire
Cœlicas sedes animam sororis,
Et velut solis radio sub uno
Omnia cernis.
Scandis ardenti sacer orbe præsul.
In via cœlum facibus corusca,
Quando ter ternis tribus et Kalendis
Instat Aprilis.
Te canit lætus chorus angelorum
Patriarcharumque, et apostolorum,
Et prophetarum meritis ab omni
Parte beatum.

Digitized by Google

Ut sit hujus plebs memor ista laudis,
Hic ames dici pater, hanc decenter
Si doces, laute refove, polumque
Scandere præbe.
Christe devoti pretium laboris,
Confer istius prece nos juvari,
Cujus exemplo peritura fœdi
Liquimus orbis.
Hymnus hic noster, Benedicte princeps,
Sic tibi semper placidus, tuorum
Qui salus es, lux, decus et perennis
Laus monachorum.
Meta cœlestis pretiosa Regis
Te facit veris celebrem tropæis.
Unde nos semper petimus frequentes
Nocte dieque.
Doxa sublimi maneat Parenti.
Ejus et sacro diadema Nato.
Et tibi virtus utriusque compar
Spiritus alme.

XVIII.

Sequens hymnus ejusdem auctoris Senariolis constans, de virtute humilitatis, superbiæque vitio tractare videtur, qui quidem est satis elegans, sed in eo pangendo, more comicorum, multa utitur pedum licentia. Dolet autem mihi reperisse in eo quasdam dictiones vitio scriptoris corruptas, quas corrigere nequivi.

Gaudete justi, mites et pacifici,
Et omnes recti corde gloriamini,
Semper manentis possessores bravii.
Filii Dei, conspectores Domini.
Sic ordo sacri testatur eloquii.
In nobis quidem sanctus ille jugiter
Spiritus pietatis, sapientiæ
Et intellectus, timoris, scientiæ
Consilii, fortitudinis residet,
Largiter satis unumquemque imbuens.
Inenarranda Domini est pietas,
Qui tantum corda diligit humilia,
Ut ea replens septiformi gratia
Spiritus sui condat habitacula,
Cujus est fructus gaudium, pax, charitas.
Sternit elata, fundit arrogantia,
Brachio suo conterit prælustria.
Sic quondam summa redimitum gloria,
Pro sola tantum angelum superbia
Felicitate repulit perpetua.
Qui tam formosus, et decorus exstitit,
Ut nihil intra paradisum Domini
Æquari posset ejus pulchritudini.
Platani, cedri vertex ac abietis
Frondibus ejus non fuit æquabilis.
Similitudinis Dei signaculum
Erat decorus specie prænimius.
Cujus in veste fulserat carbunculus,
Sapphirus, jaspis, salius, chrysolithus,
Smaragdus, onyx, berillus, topazius.
Infelix homo, quid, cum superbierit,
Elationis crimine passurus sit,
Si justus judex veniam non tribuit,
Cui claritatis tantæ lumen intulit,
Ut rite cunctis præferrentur angelis.
Sed felix ille, quem res istæ possident,
Mens bona, pectus purum, vita innocens,
Cujus in cœlo merces orbe major est,
Et nomen ille magnus liber continet,
Quem ante tempus scripserat Omnipotens.
Illic divinæ pietatis munere
Vos oderis. . . tudine. . . tras mudule.
Conscriptis vitæ fulgitis charactere.
Apostolorum chorus hinc, et martyres,
Et confessores exsultant, ac virgines.
Postquam finita statione sæculi,
Vos scriptos idem antiquus citaverit
Cœlorum regni claviger mox aperit.
Regis æterni Virgo mater excipit,
Et statim choris sociat angelicis.
Sanctorum omnis concinit exercitus.
Jubal est primus in choro canentium.
Pulsat Maria soror Aron tympanum.
Rex autem David personat psalterium.
Et Benedictus regulare præmium.
Cernit insignes legis suæ dogmate,
nter ignitos, et condensos lapides
Nitore miro coruscare pariter
Miratur opus, et laudat artificem.
Inde scholarem rimatur originem.
Accedit Maurus, Honoratus, Placidus
Et Constantinus, Faustus et Simplicius.
Beato Petri omnes ita referunt.
Quos sic miraris ex Casino prodeunt.
Nos expolivit noster Desiderius
Cui Pater almus grates fert innumeras,
Eique digna præmia pronuntiat.
Auctorem rerum omnium expostulat,
Ut in superna angelorum gloria
Sibi cum illo congaudere liceat.
Inter hæc vobis seraphin micantia
Sanctus, et sanctus, sanctus proclamantia
Inæstimanda conferunt tripudia,
Canere jubent canticorum cantica.
Ut illa quater triginta sex millia.
Citharizantes cantico virgineo
Decenter agno psallitis purpureo.
Laudatis eum in choro et tympano,
Cantatis ei in chordis et organo,
Cœli terræque jubilatis Domino.
Cujus effecti gloriæ participes,
Jam precor sitis mei semper memores.
Sic eum mihi facite placabilem,
Ut me dignetur superis conjungere,
Unde vos possim vel longe respicere.

XIX.

De Casino monte.

Mons bone, salveris pacis dator, atque quietis,
Qui facilis regni via crederis esse superni.
Tu lapides illos servas in pectore fixos,
Aula quibus cœli constructa notatur haberi.

Digitized by Google

Quanta tibi, bone Christe, sua
Factus imagine debet homo,
Vis animi penetrare nequit,
Lingua retexere nec poterit
Ullius arte magisterii.
Rhetoris interit officium,
Finis et ars studiosa perit,
Nec sua dogmata philosophos
Plus satis ingeniosa juvant,
Se quibus omnia scire putant.
Creditor hæc numerare vales,
Quem data præmia nulla latent.
Tu lucra solus et exigere,
Cedere qui facis imperio,
Quidquid habetur in orbe suo.
Illisque tua pietate sibi
Contuleras potiora nimis.
Nam faceres ut in arce poli
Hunc tibi participem fieri,
Passus es in cruce sponte mori :
Illius insuper ad decus est,
Forma tibi quia carnis inest,
Qua rutilas Patris in solio
Edite Virgine jure novo,
Et Deus omnipotens, et homo
Civibus hactenus hæc superis
Vilis erat species hominis,
Nunc quod habent hominem dominum
Hanc venerantur, et obsequium
Commoditate pia tribuunt.
Graviter hos, simul ut maneant
Perpetua quoque pace ligas
Unde polique, solique tua
Una videtur, et est patria,
Res ubi publica tanta micat.
Lege sed hæc posita fruitur
Infima pars, ut in alterius
Gaudia transeat, immo suum
Sumere jam valeat bravium,
Perdiderat quod Adæ vitium.
Præterito vitiato modo
Nulla manet sine labe caro,
Crimine labitur assiduo.
Rursus, et ipse refugit homo.
Sic habet ex fide merito.
Pœna modo datur ex scelere,
Gratia redditur ex opere,
Nempe bono neque militiæ
Splendida quisque potest aliter
Te duce, signa movere tuæ.
Dantibus his operam studiis
Vivere das operam multiplici,
Cumque nec omnibus una satis
Regula sit tamen officii
Hujus erunt habiles meritis.
Virginibus, viduisque, viris,

A

B

C

D

Conjugibus, simul atque sacris
Ordinibus patet aula poli.
Pius operantibus ac monachis
Notior hæc solet esse magis.
Ecce Casinus abundat eis,
Mons venerabilis aula Dei.
Mons Sion altera, dux fidei,
Mons, ubi jura Deus populo.
Scripta suo tribuit digito.
Tu sapientia summa Patris,
Qui dubio sine cuncta sapis.
Da facies, ut amœna loci
Hujus, ut est, referatur eo,
Quod tibi complaceat, studio.
Scire volentibus hoc animus
Fert modo dicere, nam reliquum
In bonitate tua remanet,
Qui famulantibus hic merita
Multiplici pietate paras.
Italiæ jacet in gremio
Montibus obsita planities;
Pampinus hanc viridis decorat.
Est nemorosa parum, sed aquis,
Fluctibus et variis celebris,
Rebus in omnibus hæc locuples
Indigenis, sed et hospitibus
Est locupletior, hinc etenim
Est iter Urbis apostolicæ,
Totius orbis adhuc dominæ.
Collibus ejus oliva decens,
Cedrus, et alta cypressus inest.
Cætera partibus arboreæ
In sua lyris amœna ruens,
Et rigat, atque rigando fovet.
Mons ibi Casini nomen habens
Omnibus eminet. ipse quidem
Pectore mœnia prisca nimis
Pertulit, in quibus ara fuit,
Qua perhibetur Apollo coli.
Hic Pater ante monasterium
Constituit Benedictus, habens
Pignora luminis ætherei,
Plebs quibus inscia dæmonicis
Eriperetur ab opprobriis.
Sed Patris omnipotentis idem
Judicio ruit, eximie
Postquam refulsit, et hinc cecidit.
Inde domus renovata diu
Mansit in his quoque temporibus,
Quod bene condita non fuerat
Casibus agnita signa dabat (1).
Materies lubricabat et ars;
Cella nec una monasterii
Officiis erat apta suis.
At Patris omnia consilio,
Hoc dare carmine quem nequeo,

(1) Postrema pars hujus hymni apud Ughellium desideratur. Reliqua ex codice Casinensi n. 47, folio 22 verso, edidit D. Ozanam in libro cui titulus : *Documents inédits pour servir à l'histoire littéraire de l'Italie, depuis le* VIII^e *siècle jusqu'au* XIII^e.

Digitized by Google

Diruta rite fuere solo,
Sunt modo cujus et arbitrio
Lumine prædita continuo.
Nomen ob hoc operantis opus
Nec reticere valet penitus,
Nominis usus et ut proprii
Postulat, anterior poterit
Syllaba longa brevis fieri.
Ergo licebit et expedit hic
Nomen inesse desiderii,
Qui dedit, o Benedicte, tibi
Tam pretiosa domicilii
Præmia, ductus amore tui.
Marmoreo foris est lapide
Intus et ecclesiæ paries
Splendidus. Hic tamen haud facile
Ducta labore vel arte rudi
Omnis ab urbe columna fuit,
Undique cætera lata loci
Pondere præ nimio pretii
Empta fuere, nec Hesperiæ
Sufficiunt satis artifices :
Thracia merce locatur ad hæc,
His labor in vitrea potius
Materia datur eximius ;
Nam variata coloribus hæc
Sic hominis decorat speciem,
Non sit ut alter in effigie.
Lustra decem novies redeunt,
Quo patet esse laboris opus
Istius urbibus Italiæ
Illicitum ; peregrina diu
Res modo nostra sed efficitur.
Hic alabastra nitere lapis
Porphyreus viridisque facit ;
His proconissa pavita (*sic*) simul
Sic sibi marmora conveniunt,
Ut labor hic mare sit vitreum.
Tanta decoris in hoc rutilat
Gloria, Roma quod ipsa sua
Pluris ut æstimo non faciat ;
Sic quoque vota Desiderii
Convaluere benigna Patris.
Aurea vasa, vel alterius
Ponderis ingenui potius,
Gemma quibus pretiosa nimis
Enitet, aut micat, aut rutilat,
Hinc ope contulit innumera.
In casulis trabeisque stolis
Maximus est numerus pretii.
Ara grisea labore suo
Plus pretiosa refulget, et æs
Carius exsuperant bifores.
Omnia pene quibus locus hic
Condecoratur et est celebris
Sponte pia Pater ipse dedit.
Sunt nova, sunt bona, sunt solida ;
Ad sua digna sat officia.
Patricios comitesque duces

A Sustulit huc bonitatis ope ;
Et satis undique clara domus
Fulget in orbe, velut speculum
Solis in æthere perspicuum.
Quis meliora, Casine, tuis
Mœnia porticibus statuit?
Aurea non domus ipsa Cyri,
Non Salomonis opus valuit
Sedibus his rutilare magis.
Atria Justiniana situm
Hunc sibi diligerent satius.
Est tibi grande nimis meritum,
Fertur ubique sub æthere tuum (*sic*)
Sanctius esse domicilium.
Tu speciosa fenestra Dei,
B Proxima luminibus superis,
Unde videntur ad hæc animæ
Tendere, mundus et hic hominis
Visus ab unius est oculis.
Ut paradisus amœnus Eden,
Omne soli superos specimen
Ejus aromatibus redoles ;
Deliciæ tibi non aliæ
Sunt nisi forte suæ pariles.
Cantica conficis angelicis
Consona vocibus atque modis :
Corde videris et ore Deum
Poscere continuis precibus
Crimine pro populi potius.
C Jam poteris, Pater, angelicis
Pollicitis, Benedicte, frui :
Ditior est domus ista satis
Quam fuit hactenus ; at meritis
Fac sit ut ante beata tuis.
Tu bone, tu pie, tu Domine
Sancte Deus, Pater omnipotens,
Cui nihil est dare difficile,
Hic habitantibus ætherea
Da liqueat, peto, lucis iter.
Sic placeat modo nostra tibi
Concio, prisca velut placuit,
Integra quæ penitus meruit
Partibus hujus ab hospitii
Lucida regna subire poli.
D

XX.

Cantus in laudem beatæ Margaritæ virginis, et martyris.

Si sua vaniloquo tumefactus carmine mundus
Facta refert, num nostra manus torpere valebit,
Ne pulset cum voce lyram, dum cœlica narrat?
Ergo age vox omnis, quæ cantat verba choreis
Vana cadat, ludos omnes proscribat inanes
Nostra chelys, sed diva ferat. De civibus ora
Antiochena olim magni produxit in orbem
Feminei generis titulans jubar. Illa meretur
Baptismo mundata Dei non esse parenti
Chara, sed hinc Patri placuit magis illa superno,
Pulchraque cœlicolas traxit nimis, atque caducos

Digitized by Google

Margarita oculos; mnonesto lumine præses
Inspicit oblatam quærens mulcere puellam;
Dumque negat calido ore fidem secura fatetur.
Ille minis molem credens impingere mentem,
Invenit in tenera pectus latitare virile
Virgine, non poterat tenebroso carceris antro
Vincere. Non virgis carnem ferientibus, unde
Sanguinei currunt rivi, nec pectore traxit
More puellarum suspiria: jungitur illis
Ungula quæ laceret denudans ossaque pandat
Viscera plus poterat fortis sufferre malorum,
Quam manus inferret mentem miserata manentem.
Clauditur in tenebris, radius quos pellit ab alto.
Hostis adest specie, et vasti terrore draconis
Mollitur, victusque fugit, sed ad altera tendit
Inveterata doli figmenta ac vincitur inde,
Dum pede virgineo collum calcatur inane,
Nec licuit repeti sine nutu virginis umbras
Ducta dehinc constans dum spernit sacra deorum,
Jungitur exurens lateri pro vulnere lampas.
Sed caro dum patitur, mens prorsus ad alta levatur.
Cumque ligata datur dolio sua vulnera rumpi
Sensit, ob hoc populi vocesque ad sidera tolli.
Confessique Deum cœlorum munera sumunt.
Denique ne populus in Christum crederet omnis
Ad loca sanguinei jussa est certaminis ire,
Emissæque precis post sacra oblata feritur,
Et caro dum jacuit, mens ejus in æthera fertur.

XXI.

Incipit ode in laudem sanctæ Ursulæ.

Fulgor aspectus placuit virorum
Viribus, mentis decor at supernis
Ursulæ turmis, merito potentis
Nobilis ortus.
Luctibus patris tulit hæc juvamen
Non timens regis furias caduci
Nixa virtuti Domini potentis,
Virgo pudica
Quæritur sponso, trahit illa sponsum,
Dumque se profert socias requirit,
Aggregat festo celeres ministros
Læta futuro.
Jungitur sacræ comitum cohortis
Sanctior cleri celebris caterva,
Advenit patrum cupidus coronæ
Fulgidus ordo.
Summus oblatum decus, et resignat
Pastor, haud damni pavidus minoris
Dedicans Christo comites lavacro
Virginis almæ.
Irruit cultro ferus interemptor,
Agminis sacri madidus cruore,
Spiritus cœlo subeunt aperto,
Ossa colonis.
Ergo pulsantes Dominum rogate,
Parva quo virtus meritis juvetur
Nostra sub magnis laqueis malorum
Undique cinc ta.

XXII.

Cantus in laudem S. Catharinæ virginis.

A Pulchra nimis nullum cupiens admittere sponsum,
Quem non perfecti compleret forma decoris,
Omnia qui nosset, quærens virtute potentem,
Et qui præcipua foret ex pietate benignus,
Virgo pudica Dei martyr Catharina quod optat,
Obtinet, illecebras dum carnis abhorret iniquas.
Dumque refutat opes, dum vanos spernit honores,
Ictibus objicitur, victrix per singula fulget.
Auxilio stabilita Dei mortalibus audax
Restitit insidiis, promissa nec aspera curans.
Doctaque non timuit confundere pectora doctrix,
Nec verita in tenera sufferre flagella juventa
Altior imperio, dum carcere clauditur atro
Nulla fames sanctam potuit percellere mentem,
B Dante Deo famulæ, quæ sunt accommoda vitæ,
Visitat ancillam Dominus, reginaque clausam.
Nec tenebras patitur, dum lux diffunditur intus.
Conscia congreditur famulorum turba, fidemque
Suscipiens apto quæsivit tempore palmam.
Nec potuere rotæ constantia vota rotare.
Nec metuit mortem portans ex morte coronam.
Sanguineas vulnus dum mittere debuit undas,
Lac dedit, egregio corpusque dedere sepulcro
Turba supernorum, guttas funditque salubres.

XXIII.

Ode in laudem ejusdem virginis

Multa nos cogit bonitas puellæ
Cantico laudes agitare nostro.
Pauca dum spernit, sibi quæ parentes
C Liquerant, multis opibus fovetur.
Sceptra dum regis fragilis reliquit,
Alta dotavit juvenem corona.
Plurima fulsit Catharina forma,
Sed magis pulchram numerosa virtus
Reddidit, summi meruitque Patris
Unico jungi speciosa Nato.
Ejus amplexu cupiens foveri,
Terras quod posset dare, non cupivit.
Prosperum quidquam, mala nec refugit.
Unde nec præsul potuit minaci
Pectus illius removere vultu.
Ejus et sprevit placitis favere.
Monstrat arguto rationis acta.
D Quæ fidem lustrent senibus togatis.
Vicit, et victis placuit subesse,
Fine dum vitam subeunt carentem.
Carnifex ferro lacerat tenellam,
Forte sed pectus nequiit ferire.
Carceris tetra latuit caverna,
Splendor ast summi patuit decoris.
Et lucrum Christo parat in caterva.
Jam novum pondus cecidit rotarum
Ante se sacrum tulit et manipulum.
Jussa sed tandem caput amputari
Supplices Christo rogitat favendos.
Vulnus illatum laticem dat album.
Cœlicæ turbæ sepelivit ossa
Puritas manant oleum salubre.

Digitized by Google

XXIV.

Alia ode in ipsius laudem.

Laudes non pigeat prompsisse cantibus
Quas virgo meruit, nec meritis pares
Candor virgineus præcipuus nitor,
Quod fulsit sapiens, et stabilis valor,
Extolli titulis jure petunt novis
Virtutum numerus, quo viguit brevi
Hoc vitæ spatio suo fragili statu.
Extollens Catharinæ niveum decus.
Quod non dilacerent plurima commoda
Non tollat species, divitiis cadat
Sexus feminei libera portio,
Grandis sub teneræ visa scientia
Arcano invenis multa scientibus
Dum profert fidei mystica dogmata,
Non infert aliquid conscia concio,
Victricis retinens lumina fulgidæ,
Perdentesque animas inveniunt eas.
Excellentibus fragili robur in arbore
Experta est regimen, quæ tenuit manus.
Dum pulsat precibus, dum furiis minax
Carnem dilacerans sub tenebris locat,
Ut demptis dapibus præcipitet neci.
Splendor, sed famulæ gaudia congregat,
Ut carnem foveant, pabula præparat.
Verbum fructificat, germina colligit.
Fortis terribiles non timuit rotas,
Et mortem patitur, ne subeat necem.
Et lac consequitur vulnera candidum.
Montanoque locant vertice funera
Dextræ cœlicolum, quis refluit liquor
Reddens debilibus membra valentia.

XXV.

Loquitur virgo Maria ad Jesum natum.

Has mundi tenebras noster bene veneris infans
Visere, qui lato diffundis lumina cœlo.
Fili mei, filique Dei, novus accola, salve.
Sed quis, quo properas compar genitoris? ab alto
Prosiliens quo nate venis? qui rata polorum
Reples, tellus sinus hic mage complacet artus,
Concludi num forte venis, qui fine carebas,
Qui stans cuncta movens venisti in carne moveri
Qui geris in dextra mundanæ pondera molis,
Ancillæ, tremulique senis portabere palma?
Cujus cœlicolæ pascuntur munere, parvas,
Quas tamen implesti, placuit tibi suggere mammas?
Quem superi cecinere chori, quod ante beati
Exsultant animi venisti emittere luctus?
Euge jam nostros subeas, mi nate, lacertos.
Parva geret magnum genitrix, fragilisque potentem,
Factorem gestabit opus, nubesque decorem.
Astat inops ancilla tibi, quæ mollia parva
Membra tegat panno, non hic domus inclyta sumptus
Apparat, ancillæ desunt, ignavique ministri,
Cumque furit Boreas, non igne, aut pelle fovebo.
En tenerum patere loculo deponere corpus,
A En tibi pro lecto præsepe insternitur amplo,
Qualia nate legis, tali tibi more parabo.

XXVI.

Ad laudem sanctæ Luciæ virginis et martyris.

Qui cœlo quondam statuisti lumina terris
Spargere, de tenebras pellentis munere lucis,
Nocte licet pressos nubes nos pallida condat.
Lucida gaudemus tamen hic quandoque tueri.
Clara quidam fidei gestant sub agmine virgo
Lumina, nos docuit constanti lucida bello
Sistere, dum precibus Dominum vicisse tonantem
Visa quoque est morbo præstans suffragia matris.
Multa parat dæmon, vis carnis, prælia mundus.
Docta ferit jaculo latitantem nubibus hostem,
Luce micans fidei carnis molimina vincit,
B Dum se terricolæ facibus non jungit amantis,
Quæ potiora quidem cœlestis fœdere sponsi?
Quem fovet in minima diffundens munera membra
Fortior insurgit mundus pro Marte secundus.
Inde sinister adest et verbo, et verbere turgens,
Nulla potest animum fragilis sub carne virilem
Frangere vis clausum, de cujus robore traxit
Robora mortalis moles, nam sistere visa est.
Multimodis hominum conatibus acta, bonumque
Ad loca perdendi, ut traheretur fœda pudoris.
Incensas superat flammas, nec vulnera mortis
Expavit, sacraque charismate fota reliquit
Membra quidem terræ, sed spiritus æthera scandit:
Hic tua lucifero resplendet culmine sedes.
C Ecce sacer implexus tibi porrigit oscula sponsus,
Huc quoque nos tua vota trahant o lucida virgo.

XXVII.

Incipit ode in honorem Innocentum.

Candentem segetis novæ
Miremur cumulum chorus,
Qui fauces teneras agant
Coram principe canticis.
Gaudet primipilus recens
Ductor mittere prævios.
Lætatur paribus puer
Florum primitias legens
Hic gaudet titulis loqui,
Quos prorsus dabat inscius
Ætas, et sine crimine,
D Sic dignis canitur prior,
Iustas innocuum tonat,
Si linguæ officio carent,
Clamat sanguineus rubor.
Occisi resonant decus,
Quod vivi nequeunt loqui.
Quid vis, tigride durior?
Quid sævis, carnibus canis
Pejor? quid sociis vacas?
Pignus cœlicolum putas
Infundis manibus premi?
Sed frustra tumeat furor,
Et te magnificum puer,
Materna ubera subbibens
Vincat, te fugiens domet.

Digitized by Google

XXVIII.

Incipit de sancta Agnete virgine et martyre.

Si tibi difficile fortasse videtur habere,
Quæ fortis potuere viri, quæ virgo pigebit,
Amplecti potuit, quæ nomine dicitur Agnes?
Quam non naturæ fortem perfecit origo,
Nec tulit expertam prudentia temporis ampli.
Forma decens extra, sed forma decentior intra.
Hinc oculis hominum placuit, sed abunde supernis
Egregii redolens per singula germinis actus,
Quæ sibi sacra fides dederat speranda colebat.
Huic quoque proposito tali se robore junxit.
Neu blandum quidquam, nec durum verere mentem
Posset, ceu nihil mortalia cuncta putantem.
Quæ mulier, vel forte magis robusta virago
Tale genus belli superet, si forma decora,
Si tenerætatis fluxus, si munera quisquam
Plurima protulerit, si nobilis adsit amator?
Ista tamen superans, illata flagella timebit.
Hæc simul hanc juvenem cinxerunt commoda sa-
[cram
Organa non vitii, sed quæ virtutis habebat,
Utque magis teneræ virtus occulta puellæ
Cresceret, et pavidas igniret ad ardua mentes.
Præparat insidias præfecti natus iniquas.
Carnis amator, eam, sua ne connubia spernat,
Exhortans, placidusque illi sua munera profert.
Est mihi, virgo refert, melior te sponsus, amans me.
Esca necis discede procul, scelerisque minister.
Hujus virtuti quæcunque potentia cedit.
Sidereusque decor speciei culmen adorat.
Apta quidem facies, hilarique affecta nitore
Voce pia dulcis, cui sermo nescius iræ,
Non asper miseris, mœroris mens sedet expers.
Unde nec exterior facies sua turbida visa est.
Candor inest, fulgensque decor, speciesque rubo-
[ris,
Egregium facit hunc genitor, quam prosit imago.
Et regale genus, animi quoque plurima virtus.
Perpetuas contrectat opes sitibunda potentes
Corda fovere, quibus prorsus tollatur egestas.
Huic mihi dilecto placui, connubia secum
Contraxi nullo penitus mutanda valore.
Aureus et digitum circumdat circulus, ut sim
Sponsa fidelis ei, quo sim redimita, benignus
Plurima dona dedit, facies ornata cruore est,
Complexumque tulit gemmarum lumine sertum,
Excellensque genus vestis, ne forte videret
Tanto dissimilis sponso, nec digna decoris
Admitti thalamum, præ cunctis quos mihi legi.
Sicque mihi adjunxit se, ego sic quoque copulor illi.
Neu me blanda trahant, neu frangat grando mina-
[rum
Ecce hostis si bella paret, certamine victrix
Fulgebo, teneros si nudet turpiter artus,
Cæsaries me densa teget pro veste decenti.
Si quoque prostibuli tenebris intacta locabor,
Angelicæ tutela manus mea membra juvabit.

A Si locus infamis, Domino mea vota dicabunt.
Si tenebrosa loci facies, perfusa recenti
Lumine fulgebit melius, vestisque feretur.
Liberta sua male mihi si transmittat ephebos,
Hinc, sua si sapient bene corda, redire licebit
Illæsos, sed non veritus divina peribit.
Quem tamen effusis spero concedere votis,
Qui sibi me junxit speciali munere, Christum.
Cujus cantabit titulos de morte resurgens.
Hinc rabies exorta malos sævire ministros
Compellet, datus alter erit, qui cœpta sequatur. D
Illaque qui in cinerem convertat membra parabit.
Hæc injecta rogum, divisaque flamma quiescet,
Utque meo tandem conjungar in æthere sponso,
Gutture transfigar, sed mens ad celsa volabit.

B

XXIX.

In eamdem.

Igne divini radians amoris
Corporis sexum superavit Agnes,
Et super carnem potuere carnis
Claustra pudicæ.
Cogitur stupris maculanda vulgi,
Nuda famosum subeat lupanar,
Angelus castæ pudibunda servat
Membra puellæ.
Candidi cœlo veniunt amictus,
Clarus obscenis Dominus refulget
Splendor, et gratos superant odoros
Fornicis arcus.
C Perdidit vitæ juvenis decorem
Ausus intactum violare corpus,
Virgo sed veræ revocat saluti
Funus acerbum.
Flamma, divino dominante nutu,
Friget æstivos imitata rores,
Virginis corpus Domino dicatum
Jussa cremare.
Mista sacrato moriens cruore
Lactis effudit nivei fluenta,
Quam ferus lictor lateri profundum
Condidit ensem.
Spiritum celsæ capiunt cohortes
Candidum, et cœli super astra tollunt,
Jungitur sponsi thalamis pudica
D Sponsa beatis.
Diva nunc nostræ miserere sortis,
Et tuum quisquis celebrat tropæum,
Impetret sibi veniam reatus,
Atque salutem.
Redde pacatum populo precanti
Principem cœli, Dominumque terræ,
Donet ut pacem pius, et quietæ
Tempora vitæ.
Laudibus mitem celebremus Agnum,
Casta quem sponsum sibi legit Agnes,
Astra qui cœli moderatur, atque
Cuncta gubernat.

Digitized by Google

XXX.

In eamdem.

Ardet intactæ faciem puellæ
Præsidis natus, stabilis sed illa
Tale responsum juveni pudico
Retulit ore.
Quid meos frustra thalamos requiris
Pabulum mortis, laqueusque vitæ !
Turpis obsceni procul hinc recede
Criminis auctor.
Dona, quæ jactas pretiosa dives,
Pauperis mentem moveant puellæ.
Dignior sponsus meliora multo
Munera præstat.
Clarior luna, radiisque solis,
Cuncta cui parent elementa mundi,
Se mihi sponsum dedit, et perennem
Sidera dotem.
Jamque complexu fruimur pudico,
Jam caro carni sociata gaudet,
Jam sacer sanguis faciem nitentem
Murice tinxit.
Quare mortales perituræ formas :
Cœlitus nostri placuere vultus,
Vivet in terris amor iste, celsis
Vivet in astris.
Virgo nec mirum videatur alma,
Cuncta si sprevit monumenta mortis,
Quæ pium vitæ Dominum perennis
Semper amavit.
Ad tuas Agnes rogitamus aras,
Flagret in nostris amor iste fibris
Comprimens blandæ stimulos juventæ
Flamine sancto.
Ure lascivas hominum medullas,
Tutus ut dulces fugiat procellas
Spiritus mundi, domitaque victor
Carne triumphet.
Virginum laudent pia vota Regem
Quem decet sacræ genus omne laudis,
Cujus in trino veneramur unum
Numine numen.

XXXI.

Sermo ad clerum in laudem Vincentii martyris.

Hactenus almorum referentes facta virorum
Tegmine prosarum vestivimus, ast nova patres
Ac fratres placuere magis, veterata tueri
Non placet, ipsa cibos renovari mensa requirit.
Vos igitur namque huc vos traxit causa ciborum,
Non quos corpus amat, gustum præbete recentem,
Quodque dabit Dominus læto portabimus ore.
Utque magis possit refoveri vestra voluntas,
Ad Domini matrem solito properemus honore.
Quod portemus ei, docuit nos angelus olim.
Auxilium postquam de cœlo sumpsimus, inde
Confortata vigent et corda, et lingua loquentis,
Ut nostis, reverenda cohors fratresque patresque,
Vita sub hoc lapsu decurrens militat omnis.
Ergo hostes superare vacat, quod aptius ardor
A Mentis agat, quando promittitur inde corona,
Quanta est celsorum conscendere regna polorum.
Namque hic mortifero vita est exempta pavore,
Nullaque, quæ frangant, obstant adversa, salutem
Hic animam divus sitibundam pascit abyssus,
Hic quoque largifluis exundat copia donis.
Hic, qui constiterit, supremo effertur honore,
Hic quæ non cessat, circumdat gloria dignum.
Non murmur, non rumor ibi quæ fœdera rumpant.
Si qua potest pensare animus, vel si qua loquentis
Lingua potest fari, si lumina cernere quidquam,
Istis nunc conferre voles? de talibus audax
Verba dabis? nunquid meritorum gaudia tentes?
Qui volet hæc, fiat valido certamine victor.
B Vincenti dabitur sertum, dulcedoque mannæ.
Quæris amica? prius inimicos vince furentes.
Tres siquidem nobis objectos novimus hostes.
Tres hi lethiferis impugnant pectora telis,
Nec cessant lassare virum, nisi colla sub ipsis
Dejiciat, fractoque manus det robore victas.
O quantos latitans prostravit carnis iniquus
Pulsator, quantos detraxit ad infima mundus.
Quantos prædo vorax tenebrarum trusit ad ima.
Hi primos traxere patres ad funera prima.
Horum prima fuit proles prostrata nefando
Vulnere, quo victus periit Sodomita ruinæ
Sulphureæ adjectus quorum almus decidit ictu
Psalmographus, sobolesque nitens, quo plurima, [jamque
C Turba cadit, quis namque orbem sine vulnere lin- [quit?
O nimium felix, qui tantos propulit ictus!
Hunc laudes, titulique notent, hunc fulva corona
Si quis adest talis, nostro sermone notetur.
Ignoscat tamen egregio si non sit honore
Compar, cui tamen hic dulcescat cantus in aurem,
Si modicus, libeatque graves ad summa levari
Audistis reverenda phalanx, quem laude decoret
Sancta parens hymnos, psalmos, responsaque can- [tans.
Hunc quoque carminibus nostris describere fas est.
Hic est occiduo generatus climate victor
Prodiit, atque illi nomen Vincentius exstat :
D Hinc nitidus juvenem cinxit decor, altior intra
Splendor erat, quo summa potens, atque ima tueri.
Quem mage virtutum fecerunt agmina clarum.
Obsequiisque Dei non mundi membra subegit.
Hic postquam campo tot vinci pectora videt,
Et pavidos fugitare duces, atque hostibus ultro
Cedere projectis a sese protinus armis,
Infremuit, validumque tulit sub corde dolorem.
Ulciscique cupit, pudet hostes ferre triumphum,
Nec tamen, ut præceps se opponere tentat inermem,
Festinus petit arma dari, gestuque minaci
Bella parat, gaudent stantes hinc inde sorores,
Nec passæ externum circumdare militis artus
Officium voluere suis hunc cingere dextris,
Ecce, inquit, scutum, velo fuscata serenam

Digitized by Google

Prima soror faciem, fidei quam nomine dicunt.
Hoc te, ne laudant, quæ sunt infesta, juvabit.
Altera quæ capiti galeam succurreret, affert.
Quæ sperat secreta Dei, celsamque salutem,
Tertia dat totum quæ possit cingere corpus
Loricam multi quam nectunt ordine cycli :
Hæc est, quæ innumeras jungit dilectio mentis.
Quarta dedit stabilem justi vestita decore
Thoracem, femorique tulit, qui congruat ensem.
Virgo pudica suo gestans cognata pudori
Tegmina texta dedit, telum prudentia triplex.
Sacraque lex pugilem forti præmunit in arcu,
Unde queat validis hostes penetrare sagittis.
Cruribus aptatur quam protulit ocrea duplex
Virgo humilis, pedibusque dedit calcaria binis.
Hinc amor, inde timor, domitum qui subsit habenis
Sobrietas sternebat equum. Patientia sellam
Attulit. Aurato præfulgens tegmine tandem,
Quod rex contulerat, adversos quæritat hostes,
Et vincens exit quo vinceret, inde superbæ
Stant acies, stat et ipse micans cœlestibus armis.
Prima aciem juxta movit caro, nulla minatur
Vulnera, non torvos demonstrat in agmine vultus,
Lubrica sed placidi speciem mentitur amoris.
Oscula lethifero dans inviscata veneno,
Arridensque parat fletum cantansque dolorem.
Pulchra affert oculis animam prædantibus aures,
Dulcisonis pulsare modis molitur inertem
Hinc reddens animum, nares demulcet odore
Multimodo, gustumque trahit varia arte saporum,
Inque cibis firmenta novat, dans mollia tactum
Allicit, hinc miseram confundens crimine mentem.
O te felicem, quæ tantos viceris hostes!
Hanc ubi persensit juvenis clam sistere bellum,
Non tulit ingenuos secum miscere lacertos,
Blanditiasque pugil dedignans sprevit iniquas.
Sic fugiens vicit, nam sic fugisse decorum est.
Calcibus urget equum, rigidasque imponit habenas.
Mundus adest contra, trinumque præordinat agmen.
Errorum præcedit onus, nam dira tyrannis
Arbitrata Deum, quod fictos fictile sculpsit,
Spicula falsidico lethalia sparserat ore
Ictibus opponit clypeum, vicitque superbum.
Ecce aliud pugili vincendum opponitur agmen
Vanus amor, quo pulchra domus, quove uxor amatur
Quo soboles dulcis, quo pulchrum quæritur aurum,
Istaque cœlesti miles superabat amore.
Obvius interea robustam impingere mentem,
Ipse timor sæcli tentabat, casside fortes,
Reppulit impulsus, dum nulla infensa malorum
Vis potuit mentem prosternere militis almi.
Ille, inquit, manda, Pater inclyte, verba tyranno
Opponam. Jubet ille libens, quæ verba tyranne
Infelix, quæ verba refers? cur sacra negari
Nostra jubes? me, me credis pavescere vultum,
Terroresque putas animum pulsare minaces?
Plus te torquebo si torqueas, ipsaque pœnas
Ultrix pœna dabit, fericreque, quam trahit arcu,
Taliter infestum miles superaverat hostem,
Cum procul indignas, armatas Marte catervas,
Stare jubet quondam de cœli culmine jactus,
Insidiasque parat, fraudes petiere priores.
Insultans tenso, sed cavit vulnera telo
Christifer athleta, nec Martis ferre furorem
Disjectæ potuere acies, fugit omnis in umbras,
Aspectumque pavet pugilis, telumque caterva.
Inde cruentorum trux illi opponitur agmen
Carnificum, gens hæc sequitur vexilla tyranni.
Illis tormentorum varia committitur arte
In juvenem sævire sacrum, cupit omnibus unus
Opponi, celerem sellæque innixus agebat
Quadrupedem geminis idem calcaribus urgens,
Immotusque suos ad vulnera concitat hostes.
Turba ferit pugilem, et feriens magis inde ferimur.
Plus siquidem validus poterat tolerare malorum,
Quam manus inferret Christi succensus amore,
Quemve putant vinci, sublatus ad æthera vincit.
Obviat alticulis circumdatus undique turmis
Princeps, qui pugilem quondam fulciverat armis,
Qui bello fulgere dedit, manibusque juvamen
Attulit, æterno concludens munere palmam.
Nos trahat hoc speculum, nos instruat ista virilis
Nobilitas animi. Visus sufferre laborem est
Iugentem, succedit ei præstantior illa
Longa quies, vitam dum perdere creditur illi,
Vita manet nullus quam possit claudere finis.
Parva pugil dum tecta abicit, datur alta superæ
Aula domus, fragili quia sustulit in vite plagas,
Pectinibus, flagrisque rogi, seu carceris antro,
Insuperis recipit superantia munera victor.
Transiit opprobrium, transacta est pœna, laborque,
Sed non casura modo gaudet in æthere palma.
Hujus chara phalanx, validis si innitimur armis,
Sectari si gesta juvat, si compare gressu
Hostiles in Marte manus superare placetque,
Qui pugili, et palmam dedit ille, et nostra juvabit
Pectora, prostrato donans ex hoste decorem.
Impetret hoc fusa nobis prece victor ab alto.

XXXII.

Incipit oda excitativa militibus Christi.

Quid stas? otio quid pugil hæres?
Belli moveat fervidus horror.
Quod si retrahat frivola virtus,
En auxilium dextera Christi
Præstat fragiles portans humeros.
Intende ducis quam cape formam,
Exemplar erit vita proborum.
Dabitur forti fulva corona.
Prudentia te protegat ante,
Et justitia postera purges
Ac ne tumeas, temne secunda.
Lævam retine robore fortis.
Summi capias jussa magistri.
Servant fragilem, si bene servas.
Sermone sacro sternitur hostis.
Ensem capias hunc tibi tutum,
Nec te subigi crux sinet hosti.
Hac qui steterit, non timet illum.

Digitized by Google

Tegitur miles, votaque fundens
Moyses populum protegit orans.
Scutum fidei suscipe fervens,
Ictus poteris tollere victor,
Spes det galeam, quæ caput obdit.
Cape loricam membra tegentem,
Quam justitiæ dextra propinet.
Juvat et multum cingere lumbos.
Caligis pacis subdere talos.
Hostis latitans his cadet armis.

XXXIII.

Item oratio, seu confessio metrica.

Prisca lavans proprio mundi delicta cruore,
Christe, tibi dignas fac mea verba preces.
Id quibus obtineam solus potis ipse docere :
Nam nego, quæ bona sunt te nisi dante dari.
Principio non ulla malo possunt bona gigni,
Sunt quia principio te generata bono.
Ergo boni quidquid mea lingua referre valebit
Pro certo credam te tribuisse mihi.
Os ego Davidico patulum sermone tenebo,
Illud tu repleas polliciti memorans.
Tu fons es vivus, tu fons plus sole serenus,
Quem quicunque bibit non aliunde sitit,
Mane tuum tenebris nox non interpolat ullis.
Quisquis in hoc ierit non ruiturus erit,
Hunc mihi da fontem, da lumen, et hoc mihi post hæc
Quod peto quin habeam non dubitare licet.
Cur ego me miserum tantum confidere de te
Debeo, qui tantis criminibus teneor.
Debeo, Rex pie, debeo, tu caro, victima, census,
Factus es, exitio liber ut esset homo.
Mors tua vita fuit cunctorum, vitaque vita,
Quam diversæ res esse probant ide n.
Iloc hominis meritum, non, sed tua gratia fecit,
Quæ confidendi jus mihi semper erit.
De te dum fuero confidere non dubitabo,
Quod quicunque tuo servet amore facit
Arsit piscator hoc, et publicanus amore,
Cum subito merces sprevit hic, ille ratem,
Hinc est pro minimis redemptio maxima don),
Claviger hic cœli, legifer ille Dei.
Arsit amore tuo, qui te suscepit ovanter.
Hospitio princeps, arsit amore tuo.
Arsit amore tuo cujus nec in Israel esse
Æqua fides potuit, arsit amore tuo.
Arsit amore tuo, quæ sæpe repulsa salutem
Obtinuit prolis, arsit amore tuo.
Arsit amore tuo, cujus tua fimbria fluxum
Sanguineum statuit, arsit amore tuo.
Arsit amore tuo, tua quæ vestigia tersit
Crine, lavans lacrymis, arsit amore tuo.
Nemo sed ex illis arsit, nisi cum voluisti.
Si vis hoc et ego munere dignus ero,
Sive fides fuerit, sive spes, aut amor idem,
Quidquid eos juvit, gratia dico fuit.
Gratia dico dedit bona si mortalibus ægris,
Vera quidem data sunt, gratia dico dedit.
Non fuit æger homo postquam male credula pomo

A Fregerat Eva virum quam superarat hydrus.
Vixit homo misere postquam se limine vitæ
Mortis in hoc miserum se tulit hospitium.
Id sine labe fuit, sed tabes sordida rupit.
Mundus ab opposito nomen habere putem.
Mundus erat mundus, mundus cum munda creares ;
Immundus cœpit sordibus esse hominis.
Ille vir, ille nocens qui sacra cupidine ductus
Jura novo primus fregit in orbe fuit.
Principium litis fuit, exemplumque furoris,
Qui prius humano sanguine sparsit humum.
Sed licet hic sanguis pœnas indixerit orbi
Grande sacramenti prætitulavit opus.
Scilicet e lateris stillavit vulnere sanguis,
Qui pepulit pœnas, lavit et omne nefas.
B O pia latronis vox hujus digna cruoris,
Cui dedit ad vitam sanguinis unda viam!
Hoc etenim valido conspersus membra liquore
Æthereo posuit primus in axe pedem.
Principibus vestras hic dixit : Tollite portas
Et pateant Domino cœlica regna suo.
Unde novum genus hoc, et gloria tanta triumphi,
Uti pro pœna proque salute cruce.
Cur inopinus amor duci pro crimine justi
Audet in ore Dei tale . Memento mei.
Nonne tuæ, Deus, est hæc immutatio dextræ.
Fit tuus hoc verbo signifer, ante latro.
Sic quoque vermiculo delicta simillima rubro
Alba velut nivei lana coloris erunt.
C Hæc enim bibulis si connumerentur aren.s,
Deleri subito te miserante puto.
Credere sic docuit, cujus centesima pronis
Ad reliquas humeris perdita fertur ovis.
Credere sic docuit meretrix, quo munda recessit
Omnibus hæc vitiis plena Maria fuit.
Credere sic docuit qui flentes crimina lavit
Præcipue Petrum quando negavit eum.
Esse tibi tanti pietas me summa rogarem,
Sed maris admissis cedit arena meis.
Attamen hoc pacto, quo se David, ipse rogabo,
Judex par paribus jus scio juste dabis.
O bone mi Jesu, dementia quanta videtur
Iloc dare me cuiquam ne David esse parem.
Sed quid agam toto cum nil sit prorsus in orbe,
D Cui possit sceleris par mundus esse mei.
Quotidie pecco, momentis omnibus erro,
Utque canis vomitum sæpe relambo meum.
Prætereo vitiis lethalibus omne creatum
Consiliis spes est, qui mihi præstet abest,
Quid faciam, quid agam, quo me, Pater optime, vertam.
Ultimus ecce dies ille tremendus adest.
Quid faciam, quid agam, cum non qui liberet adsit,
Dum sua facta nocens nemo negare potest!
Quid faciam, quid agam, cum tanti judicis ira,
Omnes perpetuo damnet in igne reos.
Tu mihi quid faciam, tu consule consiliator
Unice, qui veniæ totus haberis iter.
Tu mihi quid faciam, tu dic, qui condita quæque

Digitized by Google

A te sunt, facere nulla fuisse potes.
Tu mihi quid faciam tu dic, qui fluminis undam
Astra, solum, pelagus, unde laventur habes.
Desidiose puer, quantum tibi prava voluptas,
Temporis eripuit, cum primo semper ab ævo,
Usque senectutem, tantis impune vacares
Deliciis, quando tenuis propriusque salutem
Languor erat, sola ruinis medicina paratis
Absque labore uti poterat, nunc viribus ipsis
Est opus. Ista quidem jam non sunt ulcera solum
Mollibus unguentis credenda, nec apta tumori.
Auxilium valido præstabit spongia morbo.
Expedit indulgere tibi tam rebus acerbis,
Et frenare voluptatem. Lætissima traxit
Hactenus ad culpam caro, nec te afflicta reducat
Ad veniam constanter age, pro viribus ista
Assidue vigila, noctesque, diesque labora
Omne scelus populare manu. Sitientibus haustum,
Tegmina da nudis, sed et esurientibus escam.
Ablue te lacrymis, emunda fletibus, omni
Evacua mentem vitio, virtutibus imple.
Sint moderata tibi jejunia, lectio jugis,
Psalmodia frequens, oratio sedula, nullum
Te moveat, vel solvat onus, metire laborem
Pollicitis, operam mercede, brevemque triumphis
Pugnam perpetuis. Minus est quodcunque laboras
Præmia si spectes, non ut nitentis ad alta
Ascensus facilis, sudorem denique quantum
Perpetitur qui conatur juga summa subire.
Tu quid ut in cœlum vadas? te maxima merces
Vita beata manet, tantum fac jura sequaris
Præsignata tibi, semper reminiscere, nullum
Te moveat, vel solvat onus : non miles habetur
Dura reformidans, marcet cum deside virtus.
O bone mi Domine, spes mea, lux mea, Christe,
Qui vigor est verbis, qui medicina tuis.
Hactenus in pœnas me lapsum culpa petebat,
Nunc est cum pœnis culpa remissa meis.
Languor heri valido fregit mea membra dolore,
Sana sed hæc hodie sunt pietatis ope.
Sero fui scopulis collisus, et omnibus undis,
Mane mihi potior littore portus adest.
Omnibus affirmo falli veraciter illos,
Qui veniam lapsis sæpius esse negant.
Qui dare te veniam lapsis post mille negarit
Non possit veniam lapsus habere semel.
Qui dare te veniam scelerum post millia credit
Millia post scelerum nulla negetur ei.
Es totus pietas, es et indulgentia totus,
Totus pax, totus gratia, totus amor.
Tam leve quis dat onus, mandatum mite, fidele
Consilium, munus fertile, suave jugum.
Mitibus ista quidem sunt levia, dura superbis
Semper, et ignaris est labor iste gravis.
Quam super imponis sit sarcina magna laboris,
Me modo delicti sarcina nulla gravet.
Me jussis expono tuis, maris alta secabo,
Tu ne retrorsum dent mea vela, fave.
Ut nihil impediat me prorsus ab orbe tuere,

A Quo ruit ille tuis factus homo manibus.
Transactis enim plusquam sex millibus annis
Pugnat inhumanum hic sine fine genus.
Insidias doctus, fraudes, artesque nocendi,
Estque magisterium nosse nocere suum.
Ille vetustatis didicit quæcunque per usum,
Fert et ubi virtus non ruitura manet.
Nonne Job impetiit maledictis, cæde, ruinis,
Vulneribus flueret totus ut in saniem ?
Et nisi tunc animas tantum servare juberes
Perderet hunc intus ut sua quæque foris.
Unde tibi genus est natalis, et unde secundus
Magnum constat ei succubuisse David.
Sed tamen, ut flevit, fletu scelus omne peremit,
Unde ruit victus, victor eo rediit.
B Ille Salomonem sua nec sapientia juvit,
Nec summis opibus regius auctus honor,
Quem penitus stravit consuetis fraudibus hostis ;
Causa quod iste ruit improba flamma fuit.
O quoties studiis a te pastore malignis
Perderet ut captas sollicitavit oves.
O quoties animas, quas curia celsa manebat,
Tartareas usque præcipitavit aquas.
O si nunc tellus, aer, mare, tunc quod olympus
Posset ut infernus solus habëret eum.
Sulphureos lapides in quam jaculeris, et ignes
Impia Leviathan mittere tela veta.
Hujus et infestant capitis nequissima membra,
Sed confringe caput, membra repente cadunt.
C Jam dedice puer puerilia verba, tuisque
Pone modum nugis ; tua vota silentia longa
Poscunt : fac sileas ; nullum dabit emolumentum
Copia dicendi rerum jactura tuarum.
Regis habes animum, nec ab hostibus ut violeris.
Momento pateris, tibi jus, quodcunque licere,
In te nobis, hoc amor efficit, hoc optatur,
Ille tui nimius. Quid enim mirabile ducis
Edere prava malos ; inferre maligna malignos?
Estne navi quidquam, si callidus insidiatur,
Hostis prosequitur, nocet adversarius? an non
Filius offendit, servus delinquit, amicus
Labitur? humana pravos, et perfidiosos
Fert natura : licet metuas, patiaris oportet,
Quod metuis pugnare, tibi pugnare necesse est.
D Felices hæc pugna citat, miserosque perurget.
Aggreditur reges, et vulgus inane lacessit.
Exceptum nullum patitur, victoria litem
Hanc dirimet, sedabit et hunc suprema furorem.
Ne timeas, ne formides, ne forte, quod absit!
Desperes, poteris, poteris reparare salutem
Sæpe resistendo. Quo missile quodque repelias,
Robur habes fidei : tenebrarum damna pavescit
Lucis filius, aut nocturna pericula, cujus
Est pater ipse dies, an signa minantia, cujus
Est dux invictus. Confide, juvabo, nec esse
Plasma meum dubites, manuum factura mearum,
Quem tanto pretio, quem tanta merce redemi.
Num patiar perimi? quid enim descensus, et ortus,
Esuriesque, sitis, lacessere, flere, pavere,

Digitized by Google

Quid colaphi, sputa, spinæ, quid arundo, flagella,
Quid crux, quid clavi, quid acetum, fongia, et fel,
Lancea, mors, tumulus, descensus ad ima, vel ipsum
Profuerat redimi? dum spectas ista, timere noli:
Tanta tibi longe providimus arma. . . . .
Hæc ubi confidas, hæc hostis signa veretur,
Hæc timet, hæc refugit, vires his denique sensit
Fractas esse suas, enervis hic, invalidusque
Est, sed ob innumeros nervoso poplite casus
Disca frequens ejus callum durabile duxit.
Cunque cadens alitur, nequit, et de cruore laborat,
Deque genu pugnat, nullum quod debilitatus
Exerat est robur. Levis hæc, sed sedula lis est,
At lis membrorum licet hac de lite sit orta,
Et licet ad finem lis utraque tendat iniquum;
Scilicet ut mentes humanas dissipet, instat.
Divinæ mentis ratio tamen una duabus
Vincendis non est, aliam patientia frangit,
Vis aliam, dignam illa dabit post prælia palmam;
Hæc cœli regnum. Gaudent hæ bella supernæ
Virtutes, gaudent vates, gaudent patriarchæ,
Ista senatus apostolicus lætatur, et hæc sunt
Dulcis martyribus, tales et læta triumphos
Spectat virginitas, exsultant rebus in istis
Felices animæ, mihi sunt hæc grata corona,
Quas ego præmeritis victoribus ipse rependo,
Confirment animum constanter ad omne ferendum.
Me genus humanum patrium cognoscat habere,
Atque severum animum, cui complacet ire fre-
[quenter
Ad studia prolem, feriatis nulla diebus
Otia concedi, sudorem sæpius illis
Excuti, et interdum lacrymas, nec servat in um-
[bra,
Nec fovet in gremio, tristari, flerique, patique.
Grandia perpetitur, per tædia pinguia languent.
Quolibet hæc motu fuerint agitata laboris
Deficiunt onere proprio, nullum feret ictum
Prosperitas illæsa. Quis et non otia pœnam
Strenuus æstimat? ingentes industrius omnis
Res gerit, ut faciles nisi cum majore recusat
Vel pace componi; nam vincere digna paratum
Vinci nec laus est, nec gloria. Fortis ab illo
Cum quo luctatur securus poscit in ipsum
Viribus eniti totis, at læta feriri,
Cædi, vexari, patitur, nisi par reperitur.
Pluribus objicitur, tum quid patientia possit,
Polleat et quantum, clarescit. Sic faciendum
Esse bonis perpende viris. An forte vereris,
Quos tibi conspicuos dat imago sola bonorum,
Quorum sunt animi veluti per somnia longa,
Vanaque delusi, quos ebore mundus et auro
Compsit et argento. Tu pro felicibus illos
Aspicis, at si qua lateant speculabere, non qua
Occurrunt, miseros, fœdos, turpesque videbis
More suæ fabricæ cultos exstrinsecus. Ista
Prosperitas stabilis non est, sed vitrea, crusta,
Et tenuis. Dum stare licet, propriumque videri
Ad votum, rutilant, cum quod disturbet et illos
A Detegat, occurrit, mox apparent aliend
Quæ fuerint sordes tunc sub splendore latentes.
Do bona certa bonis, quo plus versaveris illa.
Undique, et in species meliora forinsecus illi
Non fulgent, introrsus enim bona semper eorum
Sunt obversa, bonis non prosperitatis egere,
Prosperitas est nil modo deridere potentes,
Atque probare potes miseros, quorum gravis ira
Pusillis animo terrores insidiosis
Intentat studiis lethalis tela pharetræ,
Nequitiæque manus, necis arcus, impietatis
Arma, mali facies sunt materiæ cruciatus.
Quos lædit odisse juvat, faciuntque nocentes
Quos nocuere timent et se quibus esse timori
Summa putent, hi felices quoties jacuere
B Illorum ante pedes, quos fastu sæpe superbo
A pedibus pepulere suis, quoties et in istos
Felices aliis quibus invidere parata
Pœna redundavit, quoties qui sæpe negavit,
Ipse petit veniam. Felix est jure putandus
Invidiosus quem torquet felicior; esto.
Sint felices; die ubi sunt quos noveris ata
Sede triumphantes populis dare jura subactis?
Olla fuere vitri, confracta est, grando liquata est,
Flumineæ bullæ ruptæ sunt, umbra recessit,
Fumus præteriit, nubes disparuit. Hæc sunt,
Quæ metuis, hæc sunt; non vis pugnare, recede.
At regione times aliena vivere pauper:
Et quis tam pauper vivit, quam nascitur? Iliis te
C Eripe deliciis, te rebus, et eripe mundi,
Quæ quanto fugies tanto mihi propter adhæres.
Christe Deus, vitæ veræ fabricator et almæ;
Christe Deus, pulchri conditor atque boni;
Christe Deus, per quem quod non est redit ad esse
Atque quod est factum creditur ex nihilo.
Christe, malum qui non ullum facis, et facis esse,
Pessima ne fiant, et bona perveniant.
Christe malum nihilum, qui confugientibus ad te,
Qui vere bonus es ex ratione probas.
Christe Deus, per quem sunt et cum parte sinistra
Omnia perfecta, condit pulchra bona.
Christe Deus, quem quisquis amare potest, amat,
[illud
Sive sit ignorans, sive sciens quod amat.
D Christe, pater clemens, cui verum non nisi mundos
Noscere perfectum, et reperire placet.
Christe, sator veri, per quem sunt omnia vera,
Et per quem sapiunt omnia quæ sapiunt.
Christe, pater clemens, perfectaque summaque vita,
Quo vivit summo vivere quidquid habet,
Christe Deus, cujus totius machina mundi
Est regnum, qui non sensus obire potest.
Christe Deus, cujus de regno venit in ista
Lex enim regnat, justitiæque vigor.
Christe, pater clemens, a quo divertere labi est,
In quem converti surgere. Prædico te,
Christe, Deus clemens, a quo discedere mors est,
Et in quem regredi vita, manere salus.
Christe Deus, nisi deceptus, quod nemo relinquit,

Digitized by Google

Quem nisi prænonitus quærere nemo valet.
Christe, pater clemens, quem non nisi purificatus,
Non nisi mundatus invenit, invoco te.
Christe, pater clemens, ad quem contendere, amare,
Et quem conspicere, est illud habere quod est.
Christe, fides cui nos vera excitat, erigit et spes,
Jungit amor, per quem vincimus omne malum.
Christe, pater clemens, qui nos miserando reducis
Ad te, qui vera janua, vita, via es.
Christe Deus, proprio qui nos dignaris honore,
Quique cohæredes nos facis esse tuos ;
Pax mea, laus mea, spes mea, res mea, lux mea, [Christe,
Glorifico, veneror te, benedico, colo.
Te solum lætor, te solum gaudeo, solum
Amplector, cupio, diligo, quæro, sequor.
Omnia si fierent rutilantia sidera linguæ,
Hoc et arena maris, semen et omne soli.
Hoc enim guttæ pluviales, littoris undæ,
Cunctaque quæ nullus dinumerat numerus,
Non tibi pro meritis laudes persolvere possent,
Immeritum tanti quod tibi, Christe, facis.
Verba mihi pietas pietatis plena dedisti ;
Ad te, qua veniam, sunt ea verba, via.
Dum te non potero, potero tua verba videre,
Verba Dei Verbum visa videre dabunt.
Verba novo tua sunt mellis condita sapore,
Quem semel imbuerint, nil nisi dulce sapit.
Sermo novo tuus est perfusus aromate vitæ,
Vita cadaveribus cujus odore redit.
Hunc sine te nullus potuit sentire saporem
Usus, et hoc sine te nullus odore fuit.
Tu novus es cordis, quem fundis in ora liquorem,
Tuque quod in mentes fundis, aroma novum,
In me, quod fuerat, sapor hic exclusit amarum,
Et quod fetebat, hic procul egit odor.
Ergo tua vitiis longe virtute repulsis,
Ne repetant, templo tu, Deus, hoc reside.
Tu, Deus, hoc reside, defende forinsecus, intus
Custodi, domus hæc ut tibi tota vacet.
Dum moror in terris, habilem me fac tibi regni
Post habitatorem, participemque tui.
Et quoniam prius es, quoniam pietatis amore
Protegis humanum compatiendo genus,
Archiapostolici, qui culmine fulget honoris
Protege Gregorium, scis quod amare Petrum.
Septimus in numero vigilantum munera septem
Possideat semper flaminis illa tui.
Cum populo reges in pace faveto fideles,
Possit, ut Ecclesiæ tuta manere quies.
Deprecor Agnetis reginæ fac memoreris,
Quæ regum Regi, seque, suumque dedit.
Te desiderii memoro, Pater optime patris,
Tu desideriis semper adesto suis.
Lumina luminibus totum quibus aspicis orbem
Cerne suo studio quanta Casinus habet.
Cerne domicilium Benedicti, contulit omne
Hoc decus ad laudem nominis ipse tui.
Cerne domicilium, quod te custode regatur;
A Agmina jus sanctum cerne professa tuum.
Hæc benedic, illoque sacro perfunde liquore,
Quem Patris, atque tuus Spiritus almus habet,
Cerne sacerdotes, levitas cerne, ministros
Ecclesiæ reliquos, vulgus et omne suum.
Omnes conveniunt, et noctibus, atque diebus
Horis, momentis te sine fine canunt.
Christus pro manibus, Christus pro lumine, Christus,
Pro labiis, Christus pro lare cordis habent.
Redde vicem vicibus, meritum meritisque repende.
Mutua majoris sunt tibi danda modo.
Quos dilecta tuis manibus plantata decores
Vinea producit, tu lege, Christe, bonos.
Non sit amara, nocens non extera vitis in illa,
Ut rapiat fructus hinc aliena manus.
B Hanc Pater, hanc Dominus jugis custodia servet,
Sint et ei sepes spes, amor, atque fides.
Atque cum cherubim munimina sunt paradisi,
Undique rhomphæa flammea vallet ea.

XXXIV.

Ad Gisulfum principem Salernitanum.

Urbana potius nobilitate
Pro certo nihil est sola, quod actus
Munitos probat, et cuncta refellit,
Quæ prodit levitas, maxime princeps.
Quidquid nempe probi possidet orbis,
Hoc totum probitas fecerat Urbis,
Quam servare domi, militiæque
Decrevit stabili jure senatus.
Tu virtute animi corporis, et vi
C Augustos sequeris, nulla Catonis
Te vincit gravitas, solus haberis
Ex mundi dominis rite superstes.
Quis jam frondifera tempora lauro
Miles te religat dignius usquam.
Si Carthaginis hic victor adesset
Consul sponte tibi cederet ipse.
Tarpeiæ solitæ cernere rupes
Victrices aquilas, protinus omni
Pulsa mœstitia, Cæsaris acta
Gaudent præside te posse novari.
Gallos namque duces colla ligatos
Antiquo gravibus more catenis,
Nec vidisse juvat, ni videant nunc
Hos a te reprimi Marte recenti.
D Paulos, et Fabios, Corneliosque,
Gracchos, Fabricios, Roma Lucullos,
Te viso memorat, hisque decenti,
Quem virtute parem monstrat, et armis.
Hæc mucrone tuo frangere Pyrrhi
Jam festinat opes, Annibalisque
Fortunas veteres, atque furores,
Ut stringat solitis legibus orbem.

XXXV.

Ad Guidonem fratrem principis Salernitani

Cognita causa mei, fortissime Guido, vigoris,
Sume licet modicum carminis hujus opus
Non fero divitias, amor est, cui nullus habendi
Des nisi quæ larga munera digna manu.

Digitized by Google

Fama tuos permittet constanter ubique triumphos,
Quos mea non patitur dissimulare lyra.
Qui genus a regum contraxit stirpe, probaris
Guaimarii magni filius esse ducis.
Hujus in imperio quæ nunc est parca, Salernus
Præcipua Latii ditior urbe fuit.
Lucanus, Beneventanus, Calaber, Capuanus,
Appulus huic bello quisque subactus erat.
Principium lyris (*sic*) fuit urbs et regia finis:
Non tamen hoc uti sufficiebat ei.
Extulit hanc Babylon peregrinis rebus, et auro
Sphæra quibus solis accidit ampla locis.
Æmula Romanæ nimium Carthago salutis
Plurima pro pacis fœdere dona dedit.
Theutonici reges donati sæpe fuere
Magnificeque sui ponderibus pretii.
Tum medicinali tantum florebat in arte,
Posset ut hic nullus languor habere locum.
Sed postquam patriæ pater et tuus ante suorum
Ora propinquorum confoditur gladiis,
Quidquid habere prius fuerat hæc vita decoris,
Momento periit, fumus et umbra fuit.
Nam velut una lues pecorum solet omnibus agmen
Aere corrupto debilitare modis,
Sic gens Gallorum numerosa clade Salerni,
Principe defuncto, perculit omne solum.
Non sine divino nutu fortasse fiebat:
Viribus ut fieret fortior ipsa tuis.
Denique bis novies juvenis tua nobilis ætas
Solis, ut anfractus verterat et reditus,
Totus in arma ruis, neque te nisi congrua bellis
Præmia delectant, militiæque loci;
Impetus, ira, furor, labor, impatientia, virtus,
Motibus his etiam proxima si qua manent.
Hasta, micans galea, clypeus, lorica, pharetra,
Suntque tuæ, sonipes, arcus, et ensis, opes.
Quis modo Phillyrides velut ante docetur Achilli
Instrumenta tibi luxuriæ tribuit?
Vir citharam tantus forti pulsabat inanem,
Quam sensurus erat Hector et ipse manu.
Non adeo potuit tantum diversa voluntas
A semel incœpta te prohibere via.
Publica continuo quam jura labore tueri
Vivere non præstat, vel ratione frui.
Hoc animo sedet; interdumque, sit utile quamvis, D
Privatis studium non adhibere placet.
Omnibus armorum quæsitis rebus ad usum,
Hostilem versus signa moves aciem.
Sunt in Lucana portus regione Velini,
Qua Britianorum vallis amœna jacet;
Hanc, quoniam longe fuerat ditissima rerum,
Subdiderat penitus gens inimica sibi.
Hic tua præcipue patuit quod dextera posset;
Hostibus hæc duris magna ruina fuit;
Quorum turba tuo numerosior agmine multo,
Et tibi non miles strenuus omnis erat.
Parva manet socios laus in certamine tanto;
Est diuturna nimis gloria cuncta tibi.
Invis inter tot, sicut leo, millia solus,
A Et perdis sontes cæde repente viros.
Occidit hic jaculo, flatus huic cuspis ademit,
Obrutus et telis pluribus ille perit.
Non clypei, non loricæ munimina corpus
Custodire valent quod semel ense feris.
Quælibet insidiis non est tibi cura gerendis;
Omnia vis audet, fraus tibi nulla placet.
Vi pereunt plures, fugit et post turba superstes,
Et data victori sunt bona cuncta tibi.
Quid meruit laudis, cui tantus cesserat hostis
Hactenus invictus, qui modo victus adest?
Majus onus cœptæ fuit et præsumptio pugnæ,
Sed vitium virtus, palma repellit onus.
Nunc residens alta pale (*sic*) castri victor in aula
Tædia jam patriæ unde fugentur habes.
B Spem modo fecisti quod possint cætera vinci,
Et subdi quod non credo fuisse suum.
Siciliæ tellus Arabum miratur acervum,
Quos tuus ipse dedit ensis, et hasta neci.
Gentibus et validis timor, et nova causa timoris,
Ut fuerat Macedo maximus ille puer.
Fac igitur vincas quodcunque repugnat, et instat
Civibus, et perimas quæque nociva putas.
Laus et honos equitum, Guido, te nobilis usus
Armorum faciet Cæsaris esse parem.
Jam prius augusto dederat tua curia nomen;
Nos quoque debemus hoc tibi nomen, eques.
Quam cuperem posses (poteris puto) Cæsar ut orbem,
Constantinopolis subdere regna tibi.
C Tempora Cæsarium quantum tua posceret aurum
Sceptra manus, humeros purpura, gemma pedes.
Tu satis a Parthis auferres concitus armis
Pignora Græcorum quanta pudoris habent.
Quos neque pestiferæ servarent tela pharetræ
Nec punctus rapidi grandia cursus equi.
Jamque vale, sed ab his rebus desistere noli.
Evigilent studium Græca trophæa tuum.

XXXVI.

Ad Gosfrit episcopum Aversanum.

Gosfrit pontificum lætitiæ penus,
Perlongus valeas usque tibi mala
Possint nulla nocere.
Nunquam livor edax, ira, superbia,
Fœdavere tuum pectus amoribus
Et virtute repletum
Nulli namque magis quam tibi charitas
Se prodit, meritis cujus ab impetu
Es liber vitiorum.
Nemo te cupidum dixit episcopum,
Nec dicet penitus: « Præsul avarus es, »
Dum sit vita superstes.
Sic vitæ placidus moribus undique
Suspicis, veluti quum rutilum ligat
Aurum Sardina gemma.
Resplendes pario marmore purius,
Effulges roseo sole micantius.
Quam sis cerne decorus.
Extra sic renitens pulchrior intus es:

Digitized by Google

Sed neutra specie cuilibet imparem
Te vel dicere fas est.
Tu lux Ecclesiæ, cui modo præsides,
Tu cleri decus et præsidium, tuæ
Plebis spesque vigorque.
Aversum studiis, philosophos tuis
In tantum reliquos vincis, ut optimus
Dispar non sis Athenis.
In quo condita sunt organa, te duce,
Quæ plus Threiciis sistere mobiles
Possunt vocibus amnes.
Grates, Parthenope, dirige Galliæ,
Ejus muneribus læta quod obtines
Tantum taleque lumen.
Cœlestis patriæ Paulus œconomus
Te salvet precibus, gloria præsulum,
Et conservet in ævum.

XXXVII.

Ad Attonem episcopum Teatinum.

Multa promittis, tibi quæ nocere
Rite debebunt; neque te solutus
Proteget risus, nec honor juvabit
Præsulis, Atto.
Sacra mendacem canonum statuta
Præsulem damnant, vetat atque vulgus
Legis in contractibus approbando
Dicere quidquam.
De tuo lectas grege sponte vaccas
Sex mihi, mirabile forte munus
Tunc inauditum quod erat, Casino
Teste, dedisti.
Neuque sex harum velut intimatas
Prima cum Nino Babylonis altos
Condidit muros, cataclysmus illa
Sensit in arca.
Omnium linguis, avium secunda,
Te loqui plane docuit, beatus
Si tuis scires mundo sic Latina
Reddere verba.
Artium septem studiis et omni
Pene doctrina fuerat perita;
Teque Timæum socio Platonis
Tertia scripsit.
Quarta qua felix recrearis aurum
Semper a cauda tibi sufflat aptam,
Nec, suis cœlum nisi te levarit
Cornibus, ibis.
Semivestitum genuit cuculla
Quinta causarum comitem tuarum
Pontium, cum quo sine fine mendax
Totus haberis.
Febribus te sexta tuetur atris.
Floribus lætis speciebus; herbis
Hia tuo fit stomacho salubris
Potio truci.
Si potes, noli mihi, præsul Atto,
Ultro mentiri; cole sic, amicum
Ut decet fidum; tibi mox nec ulla
Causa nocebit.

XXXVIII.

Ad Transmundum puerum scholasticum

Transmundum metrica laude sorores
Dignum dulce melos fingere doctæ,
Ut vos voce quidem vultis acuta,
Vel Phœbi cithara dicite dulci.
Hic Aristotelis philosophi
Versutas hereses, atque Platonis
Fastus eloquii, mense per annum
Uno pene studens arte refutat,
Qua non Attica dat vincere norma,
Sed Zetina palus, noxia semper
Crudis cardiacis, utericisque,
Et splenis vitio vindice passis.
Deridet studium sæpe decenne,
At quando libet, hoc monte relicto,
Lætus tendit eo tempore veris
Causa tam citius multa sciendi.
Fertur corde tenus sic homilias
Quadraginta legens scire, sed illic
Nam post tot reditus, muneris hujus
Expers prorsus adest, utpote pridem.
Versus tam bene scit Virgilianos
Discens a puero, quam bene novit
Quos irata libros igne Sibylla
Combussit, quod eos renuit emptor.
Tales grammaticos mittit Aternus.
Hic oblivio sic juxta perosi
Amoris, philosophos præbet inertes.
Felices quibus hæc cognita non est.
Si, Transmunde, mihi credis, amice,
His uti studiis desine tandem;
Fac cures monachi scire professum,
Ut vere sapiens esse puteris.

XXXIX.

Ad Guillelmum monachum, grammaticum.

Sæpe te risu puer affluenti
Nocte post cœnam memini, Guillelme,
Quam modo laudas nimis improbare
Rem monachorum.
Non sit effectus quod in his voluntas
Ullius, saltem neque pro tuenda
Lege naturæ sine instituta
Voce prioris.
Veste quod pulla referant volucrem,
Cui frui lymphis toties negatur
In sua lactens quoties manebit
Arbore ficus.
Divites tantum merito beatos
Esse narrabas, quibus hic ad usum
Factus humanum sine mole præstat
Omnia mundus.
Ipse de quorum numero fuisti,
Cui tot Aversæ studiis acutum
Oppidum census dedit atque dulcis
Culmen honoris.
Per tui summum capitis vigorem,
Perque tantorum comitum cohortem,

Digitized by Google

Dic quid ob causæ profitens subisti
Quod reprobaras.
Nec satis pensi nec honoris ulla
Dignitas tandem miseris catervis
Liberasset me, nisi tutus isto
Jure fuissem.
Mundus hic vincit laqueis amicos,
Cum quibus voto meliore lusit,
Atque momento spoliat sub uno
Rebus opimis.
Hoc in antiquis puto lectitari
Fabulis, quod si patienter audis,
Congrua certe ratione factum
Ipse probabis.
Plus lupis sævis vitiosa vulpes
Belluis ut rex etiam marinis
Nave per pontum fieret leoni
Consulit ire.
Inde beluarum vaga multitudo,
Pro suo quæque officio, carinam,
Omne naucleri subitura jussum
Et ducis implet.
Flante vento, per pelagus levatis
Navis it velis, sed ut est in altum
Ducta, mox frendens nimis esurire
Bestia cœpit.
Ursus immane cadit ante, postnunc
Cæteros mactat, velut exigebat
In dies ventris jugis appetitus
Ingluviesque.
Sola jam vulpes sibi cum leone
Despicit pugnam fore, seque multum
Arguit tarde placiti laboris
Consiliique.
Tum secus littus prope funerata
Mille cervorum quibus in regenda
Puppe sors esset, titubante jurat
Fraude videre.
At leo descendere sævus illam
Imperat; hos ducere fortiori
Quo valet cursu; caritura morte
Paruit ultro.
Cumque se rupem supereminentem
Ferret, ejus non comes, inquit, optem
Esse naucleri, fera cujus exstant
Prandia nautæ.
Sic suos mundus perimit sequaces,
Cujus omnino metuenda dona.
Dedicant regis vice purpuratos
Pauperiei.
Sponte nunc coram vacuus latrone
Si volo saltus per inhospitales
Canto secure, rota me nec hujus
Atra revolvet.
Non mihi marsupia plena nummis,
Non honor desunt epulæque regum,
Dum ceres detur simul et caleno
Plena diota.

XL.

Ad Hildebrandum archidiaconum

Quanta gloria publicam
Rem tuentibus indita
Sæpe jam fuerit, tuam
Hildebrande scientiam
Hic latere putavimus.
Et putamus. Idem sacra
Et Latium refert via,
Illud et Capitolii
Culmen eximium thronus
Pollens imperii docet.
Sed quid istius ardui
Te laboris, et invidæ
Fraudis aut piget, aut pudet?
Id bonis etenim viris
Peste plus subita nocet.
Virus invidiæ latens
Rebus in miseris suam
Ponit invaletudinem,
Hisque non aliis necem
Et pericula confert.
Sed ut invidearis, et
Non ut invideas, decet
Te peritia quam probi
Et boni facit unice
Compotem meriti sui.
Omne judicio tuo
Jus favet, sine quo mihi
Nemo propositi mei
Vel favoris inediam
Præmiumve potest dare.
Cordis eximius vigor
Vitæ nobilis optimas
Res secuta probant quidem
Juris ingenium, modo
Cujus artibus uteris.
Ex quibus caput urbium
Roma justior, et prope
Totus orbis, eas timet
Sæva barbaries adhuc
Clara stemmata regio,
His et archiapostoli
Fervido gladio Petri
Frange robur, et impetus
Illius vetus ut jugum
Usque sentiat ultimum.
Quanta vis anathematis?
Quidquid et Marius prius
Quodque Julius egerant
Maxima nece militum,
Voce tu modica facis.
Roma quid Scipionibus
Cæterisque Quiritibus
Debuit mage, quam tibi
Cujus est studiis suæ
Nacta via potentiæ?
Qui probe quoniam satis
Multa contulerant bona

Digitized by Google

Patriæ, proMLentur et
Pace perpetua frui,
Lucis, et regionibus
Te quidem potioribus.
Præditum meritis manet
Gloriosa perenniter
Vita, civibus ut tuis
Compareris apostolis.

XLI.

Ad Stephanum cardinalem epitaphium.

Stephane qualis in æde Petri, quantusque sacerdos
Exstiteris, novit Gallia cum Latio.
Edidit hæc, et nutrivit, timuit. Hoc amavit
Hoc te dilexit, compsit, et auxit idem.
Judicio canonum noras terrere nocentes,
Et sine lege reos legibus erigere.
Nobilitas, gravitas, probitas, et mentis acumen,
Et virtus animi magna fuere tibi.
Quinque manere... cum sol deberet : in urna
Clausus es hac. Requiem det tibi Christus. Amen.

XLII.

Epitaphium Attonis episcopi Teatini.

Præsulis Attonis tumulasti membra, Casini
Marsia cui tribuit justa priora tuis.
Istius unde domo manavit origo parentum,
Regibus a Gallis linea ducta docet.
Principibus Marsis satus est de stirpe Quiritum;
Mane cum sedis Thetis honore dedit.
Iste nam Genitrix operum tibi virgo locavit,
Monstrat ut Ecclesiæ jura laborque suæ.
Unus amicorum qualis cum utiliores
Marsia vel Thetis novit habere, fuit.
Ante dies septem quam sol in piscibus esset
Annos triginta natus et octo fuit.

XLIII.

Leonis Romanorum nobilissimi epitaphium scriptum ab Alphano archiepiscopo Salernitano.

Hoc jacet in tumulo Leo vir per cuncta fidelis,
Sedis apostolicæ tempore quo viguit.
Romæ natus, opum dives, probus, et satis alto
Sanguine materno nobilitatus erat.
Prudens et sapiens, et cœlo pene sub omni
Agnitus et celebris semper in Urbe manens.
Virgo ter senis fuerat cum sole diebus,
Quando suum vitæ finierat spatium.

(*Carmina quæ sequuntur edidit novissime* D. OZANAM *in opere supra laudato.*)

XLIV.

Ad Romualdum causidicum.

Dulcis orator, vehemens gravisque,
A Inter omnes causidicos perennem
Gloriam juris tibi, Romoalde,
Præstitit usus.
Te tui census ope vel paterni
Æris insignem, studiisque mores
Aureos sudantibus et propinquis
Protulit orbis;
Ulla quem nunquam potuit notare
Criminis labes, graviter tenentem
Nunc viri prudentis ubique callem,
Nunc sapientis.
Civium nulli, spatio sub hujus
Temporis, fortuna serenitate
Prævalet ridere beatori
Quam tibi nuper.
Quam nimis dives stipis et domorum,
Ruris, et quantum probitate clarus,
Conjuge et natis fueris, Salernus
Optima novit.
Cumque sic felix, ut in orbe sidus,
Fulseris, mundum roseo jacentem
Flore sprevisti, simul et suarum
Commoda rerum;
Quod licet visum populis amarum
Sit, tamen, me judice comprobante,
Rite fecisti, potiore vita
Perfruiturus.
Vivitur quod hic libet æstimari
Verius mortem, misere dolores
Corporis grandes animæque curæ
C Nos ubi perdunt.
Non ab incœpto volo pœnitentis
More vel cordis moveare mota,
Cui satis constat fore profuturum
Spernere mundum.

XLV.

Epitaphium Joannis Salernitani nobilissimi viri.

Quam fuerit vetiti crimen miserabile ligni,
Sat patet ex solo quod perit omnis homo.
Simplicitas puerum, juvenem vis nulla tuetur,
Nec valet ingenii dogma favere seni.
Ilis fuerat functus juvenis, hic forte sepultus
Sed ibi nil valuit, mors fera cum rapuit.
D Est dolor immensus, quibus est modo nota Salernus
Flent procul exanimem; flos fuerat patriæ.
Tertia cum terris se lux daret arcitenentis,
Ad patriam pacis crimine liber abit.
Omnibus his sanctis animam commendo Joannis
Hunc habeant secum, deprecor, ante Deum.

XLVI.

Versus de sancta Sabina martyre.

Antiphonæ et responsa.

Invitat. Æthereo regi populi jubilate redempti;
Martyris eximiæ subeunt pia festa Sabinæ,
Ad noctem. In labiis diffusa tuis est gratia Christi :
Propterea benedixit te semper Deus idem.
a Sanctificavit eam Dominus, qui condidit illam,

Digitized by Google

Lætificat verus quam fluminis impetus ejus.

a Rex elegit te, summi Patris unica proles.
Ex Jacob specie cujus Deus exstitit hæres.
a Mons Sion exsulta, congaude, filia Juda ;
Judicio Christi super æthera martyr abisti.
a In te lætetur tua plebs, Rex maxime regum,
Ad te conversis qui pacis munera reddis.
a Porta Sion, dilecta Deo super atria Jacob,
Voce Creatoris tibi laus confertur amoris.
a Permanet ante Deum confessio martyris ejus,
Atque decor clarus nulla qui labe notatur.
a Lux hodie justis et rectis corde refulsit,
In qua pro summis lætare, Sabina, triumphis.
a Vocibus et psalmis sapienter psallite, sancti,
Quos Dominus vitæ comites facit esse Sabinæ.
a Induerat te Rex cinctus virtute decorem :
Justitiæ pennis nos indue, maxima martyr.
a Rite Deo jubilat læto jam corde Sabina,
Ejus in aspectu quæ sic intrare meretur.
a Ante Deum vigilat felix de luce Sabina,
In quo quam nimium mens sancta sitiverat ejus !
a Quanta tribus pueris ignes tribuere camini,
Tanta tibi miseri tormenta dedere tyranni.
a Gloria, vita, decus sanctis est omnibus ejus,
Cum quibus es semper vitam sortita perennem.
℟ *br.* Ecce tuum roseis superaddita lilia sertis
Exornant illustre caput : timor est tibi nullus.
Hostili direpta manu, nos cerne precamur
Semper et a nostris tutos fore fac inimicis.

℟ Ante Dei faciem mors est pretiosa Sabinæ,
Quæ, moriens mundo, vivit super æthera Christo
℣ Martyris est hodie festum : gaudete, fideles.
℟ Mente satis stabili tulerat tormenta tyranni,
Ut patriam vitæ posset cœlestis adire.
℣ Rebus opima nimis cum mundo cuncta reliquit.
℟ Lætitiæ summam per sanguinis excipis undam :
Martyribus semper fuit hæc obnoxia merces.
℣ Gaudia digna Deo tanto cumulata trophæo.
℟ Quam pia, quam felix, quam sancta Sabina videris
Est tibi concessum scelerum dissolvere nexum.
℣ Omnibus ecce modis te poscimus, annue nobis.
℟ Pulchra tibi species : ut regis purpura, crines ;
Lumina præfulgent ut fontis Hesebonis undæ
℣ Emicat ex ulnis collum velut invia turris.
℟ Dulcis amica Dei, luci collata diei,
Dote pii Regis thalamum conscende quietis.
℣ Nocte sibi media cum venerit obvia turba,
℟ Vincla tuis precibus nostri dissolve reatus,
Ne nos pro culpa perdat lex Judicis ulla.
℣ Si poteris veniam, poteris bene poscere curam.
℟ Judicium verum trepidanti corde timemus,
Quando Deus sontes et justos judicat omnes.
℣ Nostri fac petimus, memores in fine dierum.
℟ Pectoribus nostris spem dona, Conditor orbis,
Semper et adde fidem meritis precibusque Sabinæ.
℣ Adsit amor verus veteri qui lege jubetur.

Ad vesp. a Qui splendoribus in sanctorum, Christe, refulges
Sabinæ precibus, nostri miserere, rogamus.
a Omnia fecisti mandata fidelia Christi :

Digitized by Google

Fac et agone tuo jam nos fore pectore puro.
a Gloria, divitiæ tibi sunt, Sabina, verennes.
His quoque nobiscum, si qua valet, utere, virtus.
a Quem pueri laudant humilem te duxit ad astra,
Nos inopes morum relevet virtute bonarum.
a Cum populis gentes Dominum laudate decenter,
Quæ cupitis munus conquirere martyris hujus.
a Magnificat Dominum Sabinæ spiritus almus,
Gaudet et exsultat, nec contristabitur ultra.
Hanc humilem Christus foris ut respexit et intus,
Auxit et ornavit, cœli super astra locavit.

SERMO ALPHANI

Super evangelium : *Cum transiret Jesus per civitatem suam, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me,* etc.

(Ughelli, *Italia sacra*, tom. X, col. 79.)

Evangelica lectio quæ nunc auribus vestris insonuit, dilectissimi, velut insignis inter cæteras Dominicæ eruditionis oracula mœrentem peccatorum conscientiam recreat; tabescentes animos erigit, pusillanimitatis et diffidentiæ frigus excludit, et ad concipiendam spem veniæ dejectum in alta suspendit. Quis enim de scelerum suorum quantumlibet immanium enormitate diffidat, cum audiat beatum Matthæum venalis lucri quæstibus inhiantem non modo repente vocatum, sed ad obtinenda præcipua duo ministeria curiæ cœlestis adscitum ? Nimirum ut apostolici senatus conscenderet apicem, et inter socios evangelistas, in eo quod primus est, privilegii susciperet dignitatem, quod utrumque munus nulli prorsus alii collatum est, nisi Matthæo tantummodo et Joanni. Et quoniam Joannes *Dei gratia* dicitur, Matthæus etiam *donatus* interpretatur, dum uterque geminæ dignitatis dona promeruit, ut, inquam, profecto gratia doni cœlestis infulsit, sed ut impleretur illa sententia qua dicitur : « Ubi abundavit iniquitas, superabundavit gratia (*Rom.* v, 20). » Matthæus quoniam scribendi in evangelica veritate fecit originem, ducis ac præceptoris inter cæteros evangelistas possidet claritatem, cui nimirum aptissime congruit illa sententia qua dicitur fidelissimus et omni acceptione dignus, quoniam « Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, ut in me primum ostenderet omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam (*I Tim.* I, 15). » Unde factum est, sicut nunc evangelica narravit historia, ut « eo discumbente in domo ejusdem Matthæi, multi publicani et peccatores venientes discumberent cum Jesu et discipulis ejus (*Matth.* IX, 10). » Quos enim scelerum suorum mordax conscientia a Redemptoris accessu arcere poterat, Matthæi familiare cum Domino contubernium, ut accederent, provocabat. Et dum ad pietatis fontem propinquum conspiciunt publicanum, felici jam audacia præsumentes, ipsum fontem non adire dubitant cum reliquis peccatoribus publicanis. De qua nimirum publica communione fontis æterni per Prophetam dicitur : « In illa die erit fons patens domus David, habitantibus in Hierusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ (*Zach.* XIII, 1). » Fons opertus ac occultus est unigenitus Patris invisibilis Deus; fons vero patens est idem Deus incarnatus, qui fons patens recte domus David dicitur, quia Redemptor noster ad nos venisse ex David genere non dubitatur. Hunc profecto misericordiæ fontem tu, Pharisaica superbia, paras obstruere, dum sitientes et aridos ab ejus accessu niteris elato supercilio prohibere : hic per os Isaiæ tibi promittebatur haustus cum dicebat : « Effundam enim aquam superficientem, et fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem super stirpem tuam; et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas (*Isai.* XLIV, 3). » Hic iterum promittebatur, cum et alibi diceret : « Et eris quasi hortus irriguus; et sicut fons aquarum, cui non deficient aquæ (*Isai.* LVIII, 11). » Sed tu in fastum tumidæ elationis impudenter erecta, et de falsæ justitiæ singularitate lenocinanter inflata, gratis expositum salutis æternæ fontem contumaciter despicis, et vivifica superni fontis fluenta fastidis. Accedens enim ad discipulos Domini, tumens et arrogans, Pharisææ pestiferæ superbiæ virus, quod in pectore tuo erat, effundis, et elationis ventum, quam tumida mente conceperas, prærapidi ac male spumantis oris spiramen exsufflas. Quare, inquiens, cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? Idcirco plane cum talibus comedit, ut de publicanis justos, de peccatoribus sanctos, de criminosis reddat apostolos. Vocat enim peccatores, ut eos propria virtute justificans efficiat innocentes. Sic nimirum, sic alibi, dum bona tua, Pharisæe, in tem-

Digitized by Google

pio constitutus arroganter enumeras, et alterum publicanum te præferendo condemnas : et ille de reatus sui barathro ad promerendam veniam justificatus ascendit, et tu a falsæ justitiæ tuæ culmine ante omnipotentis Dei oculos infeliciter corruisti. Hoc itaque modo dum de fucato vacuæ justitiæ vestræ nitore præsumis, et cæteros de suis excessibus judicabiles submorderis, et justitia vestra per elationem in peccatum vertitur, et illorum perpetrata nequitia ad obtinendam veniam per humilitatis gratiam reperatur, unde et per prophetam dicitur : « Et erit desertum in charmel, et charmel in saltum reputabitur (*Isai.* XXXII, 15). »

VITA ET PASSIO SANCTÆ CHRISTINÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS, AB ALPHANO ARCHIEPISCOPO SALERNITANO SCRIPTA.

(Edidit Ughelli, *Italia sacra*, tom. X, col. 80.)

PROLOGUS

In claro et exornato triumpho Christinæ nobilissimæ virginis dicere existimavimus aliquid, et ex admirandis ejus actibus posteritatis memoriæ tradere, atque id potissimum prosequi quod, adhuc in tenero adolescentiæ flore, cum pertinacissimis Christianæ professionis insectatoribus pro æterni regis amore certando perpessa est. Honor quippe Dei esse perpenditur cum hæc referuntur; laudes martyribus exhibentur, et animæ bellatorum ad festiva prælia diligentius incitantur. Certissimum est enim in humanis dimicationibus feroces animos militum subito bellorum timore, vel fragore fortuito exterritos deficientes mollescere, ut potius cogantur fugere quam arma corripere : at ubi fortissimorum veteres victorias, gloriam, decus, libertatem, præterea sua quoque clarissima facta meminerint, ex ignavis strenuissimi et ferociores subito alterati in confertissimorum hostium cohortes insiliunt. Ita quidem in certaminis agone divini, cum libidinis tyrannidem immanissimis cruciatibus et illecebrosis dæmonum immissionibus dimicaturi nutaverint, gloriosissimas sibi martyrum passiones, et coronas perpetuas post victoriam proponentes, maxima spe triumphi decertare nituntur. Sic et ipsi post felices conflictus gaudii quæsiti adipiscuntur æterna. Dumque laborum suorum meritis in æterni cubiculi tribunal inthronizantur, angelorum comites, amici Dei omnipotentis effecti, per triclinia aurora radiantia, et amœnissimos campos rosis vernantes, liliis albescentes, violis purpurizantes, pro distributionis quoque titulo indeficiente ætate spatiantur, omnia sunt quieti staturæ opportuna, omnia delectabili viriditate recentia, quibus in pace fruuntur optata. Hæc sunt itaque præmia, quæ timidos fieri fortes instigant, hæcque instructissimos milites divini prælii bellatores dextris suis victorias portare [reportare] compellunt.

INCIPIT VITA ET PASSIO.

Igitur Christina gloriosissima virgo, gente patricia Aniciorum exorta, in puerilibus admodum annis veterum philosophorum argumentis edocta, in ratione dicendi exercitata, poetarum usa carminibus, posse subtiliter disputare, civiliter agere, metro ludere præ cunctis comitibus videbatur. Ast ubi talibus disciplinis est plenius erudita, incunte adolescentia, in qua nimirum maxima exstat dubietas quibus quisque velit vivendi studiis implicari, deliberatione habita cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram vero virtutis, illam denique quæ honestatis, decoris ac pudicitiæ est cura ferventi ingreditur. Erat enim hæc puella non solum generis ingeniique nobilitate fortunata, sed et pretiosissimæ pulchritudinis specie decorata, ob quam multi eam in matrimonium juvenes petere. Quibus tanquam semper adversus tædas jugalis amoris, connubiique illecebras pe horrebat. Pater vero ejus, Urbanus nomine, nolens deesse tam laudabili voto filiæ, ratus eam vestali instinctu perpetua velle virginitate frui, hortatur uti cum duodecim ancillis diutina sibi familiaritate conjunctis more majorum suorum, quorum beneficia plurima in Romana republica essent, diis immortalibus debita absque ulla procrastinatione persolvat. At visa tametsi de exhibendis cæremoniis patris sanctione concutitur, tamen quia penes eumdem si adversaretur, cogendi potestas erat; ita sicut censuerat, simulato animo promissionem facit. Erat autem turris miræ altitudinis miræque structuræ.

His obsequiis destinata, clauditur hic Christina cum collactaneis accuratissimis vestibus, et ornamentis præcipuis decoratis, quibus Urbanus in mandatis dat uti sacrificorum ritum magnifice doceant, simulque sacrorum numinum majestatem accuratissimis dictis extollant; et minatur pœnam capitis nisi decretis suis parucrint. Stabant autem

Digitized by Google

in ea pyramide, a parte occidentis, statuæ Jovis et Apollinis, utræque ex auro purissimo fusiles. Cumque famulæ Dominici mandati memores statuunt ut ex condicto sacrificent, prosternentes se ad pulvinaria, offerre thura, hortantur dominam ut eadem faciat; at illa recusat; rogant, et abnegat; affirmat se palam Christi sponsam esse, et ideo manufactis simulacris supplicare in perpetuum non debere; ad hanc denique vocem comites obstrepunt, vestes quibus induebantur repente discindunt, et sese manibus lacerantes his in puellam clamoribus invehuntur: « Dic age, sacrilega, cujus fiducia in hanc declinas insaniam? unde tam reticendum nefas ore polluto evomis peritura? Quæ te res ad tantam obscenitatem impulit? non forma, non genus, non divitiæ deerant; huccine Urbani patris vitæ peracta studia evasere? Ergone eo miseriarum perducitur, ut quam ipse primo ad honorem deorum immortalium, inde senatus plebis populique Romani artium liberalium disciplinis instrui voluit, per te potissimum clarissimi generis sui infamiam et perniciem sortiatur? Qui et si nihil sævi criminis alias videatur in patria commisisse, tamen quod te talem educaverit filiam, meritissime censebitur inter maximi reos facinoris. Ad hoc itaque obstinato animo dulcissima connubia exsecraris? et illustrissimorum juvenum amplexus, quibus nihil ne conjicitur quidem dulcius, reformidas, ut homini perdito virginitatis tuæ insignia perdas? et numina, quibus, si optares, usui maximo fores, ad tui pœnam exitii perhorresces? An te latet quia ex quo tantæ calamitatis portentum urbem irrepsit, Romani imperii status externarum gentium præliis lacessitus imminuitur, variisque calamitatibus mancipatur? Exhibe ergo, dum vales, gratum diis obsequium, ne, ad iram ulterius provocatis, Augustalis sententiæ motu immaturam mortem experiaris. »

Ad hæc cum alia maledicta adderent: « Quæso, inquit Christina, quorsum hæc corruptionis evadit temeritas? Bacchamini multum in dominam, resipiscite in hoc; quippe, ut noscitis, Minerva nihil docet. Servata disputantium consuetudine alternis ad comprobandam rei veritatem obtemperando doctorum testimonio procedamus. » Et illæ: « Si potes, inquiunt, tu prior quid censes agendum aggredere. » At puella, ut erat oratorum studiis accensa, ita sibi eas affectare benevolentiæ locis primo conata est. « Meministis, sociæ, quanta in prosperis et adversis utrorumque communicatur erga vos exitium, quod etiam neque animo, neque corpore a vobis abfuerim. Sæpius ego mecum proposueram uti, post patris matrisque extrema, totius patrimonii summam, famam tamen intelligere meam, cæterum usum et procurationem ejus penes vos esse, avos mihi parentum, vos affinium loco ducere. Præterea hæc, quæ præ manibus sunt, monilia, dextrocheria, annulos præfulgentibus gemmis mirabiliter insignitos, vestes purpureas, et auro purissimo redimitas, omniaque, quibus regiæ proles mirifice adornantur, eadem mihi et vobis fore imperavi. Spem, fortunam, dominationem, consilii mei summam arbitratui vestro commisi, atque ideo, quod fides vestra admodum mihi opportuna jamdudum spectata fuerat. Si quid horum forte inficiamini, reipsa in propatulo constituta convincam. » At comites plura dicere cupientem, talibus aggressionibus appetunt. « Facilius clavem de manu divellere valebis Herculea, quam nos, a cunabulis devote numinibus sacra solventes, tuis ferventibus in arte rhetorica studiis Christianæ sectæ absque promissa disceptatione adjungere Tantum si in deorum divinitate aliquo modo hæsitas, sit a Jove principium, quod si omnipotentem non esse poetarum vel philosophorum testimoniis comprobaveris, quandoquidem tum de cæteris reticendum est, tuis jam assertionibus nos assentire amota dubitatione videbis; sin autem hoc asserere forte nequiveris, æquitatis ratiocinatio præstat ut pari modo deorum nostrorum una nobiscum subdaris imperio. » Sapientissima virgo respondit: « Sit juxta vestram sententiam; rem, quam modo dictura sum, puto, corde tenetis; sed in auctoris sententiam pedibus ire ad præsens fastiditis. In illo namque libello Apuleii, qui De Deo sacratis titulatur, in quo propter incredibilem copiam suavitatemque dicendi sæpe et multum studere solebamus, non solum de impotentia Jupiter, verum etiam de commissis ad posse sceleribus apertius inflammatur. Nam cum iste vester omnipotens summæ potestatis gloria Cretensium regno potiretur (sic enim ibi accepimus), Ascribatis filio magna vi, multoque labore oppugnatus, dum resistere nequit, solio expulsus abscedit. Et quia ludibrio a suis complicibus habebatur, diu sua indagatione incertus tamen habitis auspiciis sese empireum injecit; diis sacrificia exhibuit, eosque postulat sibi opitulari, quibus suffragantibus hostis devincitur, et ita Jupiter exstitit laureatus. Plane, ut reor, mecum acuminatis eum de impossibilitate satius posse notari, qui regnum, quod suo juri vindicaverat, bellis aperte convinctis, hosti reliquit, et qui cum cum quo manus conferre solus erubuit, aut certe timuit, auxiliis alienis, quem fletibus obtinuit interficit. » Et paulo post idem Apuleius de incestuosis ejus facinoribus ita orditur. « Expergiscimini pulcherrimæ matrum familias; Liberi quidem patris feriæ mense sequenti subintrant, certe vicissim illius simulacrum per rura, per compita, imo per urbem. . . . . Marcus etiam Varro quid de hac cui supplicatis, Vesta in digestis suis affixerit, satis legentibus patet. Vesta, inquit, quæ nuperrime virginitatis privilegio gloriabatur, Jovis adulterio incestata, cum de ejus corruptione quæstio vereretur, corruptionis suæ instinctu cribrum de aqua implevit Tiberis, et quia non perfluit facti abstulit controversiam. O delirum caput! o hominem totius sceleris fæce pollutum! o exsecrabile, et omni oppletum deformitate monstrum! vio-

Digitized by Google

lentiam non sponte perpessus hujusmodi cessit; filiæ pudorem rapuit, Agenoream prolem tauri imagine delusit, omne etiam, quod sibi collibuit, scelus admisit, et divinitatis sibi majestatem opinione impia usurpare non puduit. Ecce quali quantoque Deo arcem etiam Capitolinam Romani observandam se commendasse gaudebant; sed ubi invisarum gentium potestati urbs tota nocte intempesta dedita est; illud certe clarissimi imperii domicilium esset cum eodem custode captum, nisi vigiles anseres Jove incautius dormiente arcis custodes excitassent. Unde mirum est tam cordatos homines in hujuscemodi postmodum culturis decipi potuisse. Sed quia jam de illustrium virorum testimoniis, de impotentia ac turpitudine Jovis proposita ratio mihi videtur ad unguem perducta, vos, si quid ad hæc opponendum putatis, ut dicta confirmaturæ objicite. » Et illæ : « Evidentissime, inquiunt, rationis judicio a divinitate temere affectata, noster tigrellus excluditur; nos autem nihil opponimus; solum posthac quid divinitatis de Christo autumas, nobis a te poscimus luculentissime explanari. » Christina dixit : « Satis probe, superstitionis errore suppioso, omnipotentis Dei divinitatem exquiritis, ut quæ a fescenninis errorum tenebris mente obductæ cæcutitis, veri luminis, qui Christus est, æternaliter resplendeatis. Exbibete itaque animos ad ea quæ flagitatis, et me simpliciter perorantem diligenter attendite. Dominus Jesus Christus, de cujus divinitate me famulam suam scienter inquiritis, verus Deus est ante mundi originem, ex Deo vero genitus, per quem omnia facta sunt, non adoptivus, nec phantasticus, sed consubstantialis, et coessentialis Patri omnipotenti unigenitus Filius. Qui post multa a condito mundo annorum curricula, non coactus, sed sua et Patris voluntate ad liberandum genus humanum, originali vinculo irretitum, quod primi parentis culpa, diabolico instinctu contracta, ab illa angelorum felicitate perpetua in barathrum æternæ mortis inciderat, de cœlis in uterum Virginis venit, et quem cœli ambitus, orbisque totius capacitas capere nequit, angusto utero Virgo pertulit. Ex qua carne nostræ mortalitatis indutus, perfectus Deus et homo periclitanti mundo se præbuit; ab hominibus quidem visus, et cum hominibus conversatus, peccatorum et publicanorum amicus, et pauperum piscatorum comes effectus, de quibus fecit apostolos, quos constituit patriarchas, præcones veritatis, judices sæculi. Et ut vobis quod prædico melius innotescat, hunc ad cujus vestigia supplicandi gratia ex toto orbe concurritur, piscatorem quondam hamo parvoque reti contentum, principem mundi et cœli clavigerum adornavit. Talibus utique ministris majestatis suæ secreta aperuit, et eosdem sua prædicatione docuit humanitatem, dæmonum exorbitatam illecebris, in Creatoris sui gratiam revocare; et, ut fides exhiberetur dictis, virtus que divinitatis claresceret, leprosos mundavit, paralyticos curavit, cæcos illuminavit, mortuos suscitavit. Postremo ne solum hoc ad libertatis nostræ parvipenderetur auxilium, spontaneum crucis assumpsit patibulum; moritur vitæ Dominus; mundi gloria tumulatur; terra concutitur, sol obscuratur, legem non servant elementa naturæ, quorum Dominus est crucifixus, Claudebatur in sepulcro caro, et divinitatis suæ potentia frangebat claustra inferni. Concurrunt ad eum populi, tot sæculorum spatiis continua morte damnati. Adest primus parens terrigenum, et primordii sui agnoscit indicium; obsecrant unanimiter Creatorem suum, atque ad se excusandos prævaricationis ostendunt principium. Motus interea Dominus æternis vinculis humani generis alligat inimicum, et eos quos voluit secum deducens, ad corpus rediit, ac tertia jam die, sicut discipulis suis prædixerat, surrexit. Post quadraginta vero dies ad cœlos, unde venerat, cum corpore manifestissime rediit. Comprobat hoc certissime intemerata sanctorum apostolorum auctoritas, qui veritatis amore felici morte damnati sunt. Testantur id et gloriosissimi martyres, qui, inter equuleos flammasque victores, Creatorem omnium rerum prædicare non metuunt. Hi autem dum hæc astruunt, animos audientium ad cœlestia regna compellunt, et hanc, quæ tantum dicitur vita, penitus contemnentes, aliam, ignaram mortis, et quæ finiri non novit, acquirunt. Ad quam procul dubio, si volueritis, et vos, dulcissimæ comites, ire poteritis. » Et illæ : « Volumus modo; divinitatis potentiam omnes valde miramur, sed maxime de tali tantoque pietatis genere obstupescimus; inenarrabilis, ut nobis videtur, et exstat hæc pietas, ac totius mundi fabricæ nostro quidem judicio incomparabilis. Age ergo, et quod tibi ad tantum gaudium obtinendum Christiana professio expetit, secura nobis sine mora exsequere. » At Christina, prudentissima virgo, tanti tripudii hilaritate perfusa, ad simulacrorum imagines citissimo se cursu proripuit, et virgula, quam manu gestabat, Jovem primitus feriens. « Experire in me, ait, si quas habes vires, teque si potes ab illata tibi injuria consueto more ulciscere. » Cumque hoc alternando unicuique inferret opprobrium, omnia simul arripiens in unum coacervavit, seque cum illis proxima videlicet nocte parvorum adminiculo resticulorum per fenestram dimisit, Christianis latentibus quidquid erat exhibuit, atque per manus eorum egenis erogando distribuit.

His itaque peractis, gressus unde tulerat retulit, et comitibus, quæ gesserat, ordine intimavit. Interea dum res taliter ageretur, magna militum stipante caterva, eo quod urbis præfecturam agebat, Urbanus advenit; festus enim apud eos dies tunc agebatur. Dumque in Apollinis stipitem intenderet, ut ei, ad quem venerat, thura incenderet, simulacrum nullum videt; magnaque diu admiratione attonitus primum decenter filiam, ubi essent, interrogat. Ad quem Christina : « Pro culmine honoris tui unigenitum Filium Dei semper colui, et pro valetudine

Digitized by Google

totius reipublicæ Christum, qui in cœlis est, adoravi; cujus instinctu, cujusque fiducia perniciosissimum esse existimans sceleratissimis et miserrimis homuncionibus divinitatis majestatem ascribere, atque eorum supplicando simulacris, Creatorem omnium rerum offendere, statui ea manibus meis confringere, et quidquid inerat argenti vel auri pauperibus erogare; idque nocte transacta peractum est. » Urbanus autem ad hæc nullo modo assensum præbere poterat, quod ostii obseratione, et excelsæ turris altitudine ad eam hominibus negabatur ingressus. Cumque secum plurima volveret, et præ nimio dolore obstinata per domum mente incederet, casu fenestræ incumbens, videt repente resticulos, quibus abinde hujusmodi facti conferebatur fides. Tunc immensa accensus ira, et ultra quam parentibus conveniat in liberos sæviens, alapis et calcibus mitissimam prolem aggreditur. Suggerebant autem milites circumstantes, uti eam paterne afficeret, et suasoriis insinuationibus, quid in re esset exquireret, simulate addentes non esse verisimile feminam, tam solertem, tamque in Romanis legibus eruditam ejusmodi patri voluisse inferre injuriam, unde jure civili testamento paterno exhæres merito scriberetur, sicque rebus privata hæreditariis improvide aut voluntarie sibi obesse videretur. Beata Christina respondit: « Si hoc leges constituunt, hoc volunt, ad hoc spectant, ut omnes, qui opprobria patribus ingerunt, eorum possessione priventur, vestra sententia jure plectemini, qui, a vestro Creatore divisi, qui ad similitudinem suam creavit, dæmonibus vos ultroneos exhibetis. Ego vero ejus hæreditatem jure obtineo, in qua mihi cohæres Christus est, concives angeli, consortes apostoli, consocii martyres, amici confessores, affines virgines; ubi nullus mihi subrogabitur hæres, nullus prætor poterit bonorum possessionem adimere, nullus audebit exactor pensitatione vexare fiscali. » Urbanus dixit ad hæc: « Resipisce, temeraria, et ab intentione nefaria animum averte; afferto deos, quos abscondisti, et libato eis, alioquin in membris tuis tanta pœnarum genera experieris, quanta te in alienis solum vidisse terreris. » Beata Christina reposuit: « Deos tuos desine ulterius, Urbane, perquirere; cum quid de eis laudabiliter gestum sit recognoveris, tam male animatus, atque immemor sui, ut in pretiosissimo metallorum nitore dæmonum imagines cælatas patiatur, et non qua potest celeritate tam nefanda monstra eliminet. » Urbanus dixit: « Ergone fortissimi Jovis imaginem auream delesti? » Beata Christina respondit: « Ego totam massam tali pollutione dedecoratam in frusta distribui, ne et ea . . . . Jovis effigiem insensatam deleverim. » Mox Urbanus incredibili furore correptus: Extendite eam pronam, inquit militibus, et atrociter fustibus castigetur, ut animadvertatur quanto exitio digna sit, quæ deos immortales atroci injuria violaverit.

His jussis duodecim, qui vicissim parerent electi, illico divino examine retroactis vestigiis, quasi passibus senis vicino parieti adhæserunt, ut profecto tyrannus agnosceret milites a puellari cæde expulsos viribus alienis cessisse. Tunc beata Christina hac valde admiratione secura ait: « Agnoscis pœnas tuas inefficaces, Urbane; perpendis milites quanta in me possunt uti credulitate; occurrant dii, et quia pro se certantibus nequeunt suppeditare auxilium, ipsi sibi opitulentur; experiantur in me si quam habeant divinitatis potentiam; quia eis non parvum intuli dedecus; quos dictis confutando contempsi, contemnendo delusi, deludendo confregi; quibus oculos erui, quibus ora nefanda obstruxi, quibus pedes fugaces abscidi, brachia fregi, sine actu membra comminui. » Audiens hoc Urbanus, nimio mœrore confusus, ferreis vinculis colla delicata constringit, et in inferiori parte carceris loco quodam subterraneo clausit, ac se inde domum proripiens, ibique furibundus secum multa revolvens, quod insperatæ rei malus eventus incurrerat, conjugi tristitiæ causam poscenti rem aperit, filiam Christianam effectam multis astantibus patefecit. Fit amicorum repente conventus, et matronarum maximus undique cursus; concrepat domus diversis dolorum turbata generibus, virorum ac mulierum, amicorum, et familiæ repleta lamentis.

Dum hæc apud eos geruntur, beatissima Christina aliquantisper orationi incubuit, obsecrans uti ei Dominus contra diabolicas acies impenetrabile scutum fidei conferat. Oratione autem facta, subito cum exsiliret, ante oculos ejus juvenis splendidissimus igneo splendore circumfusus apparuit; cui hæc dixit: « Misit me dominus Jesus Christus, cujus te famulam toto corde confessa es, ut sim tibi æternæ salutis galea, et impenetrabilior ab omni immissione lorica; » et hæc dicens, panem, quem secum detulerat obtulit, eique ut comederet imperavit. Deinde, brevi peracto spatio, ecce mater muliebri fragilitate remissior, sparsis crinibus, veste discissa, luto cœnoque volutata, ad ejus quippe calamitatis locum advenit, filiamque catenis innexam ferreis conspexit. Hinc irremediabilis cruciatus, hinc incomparabilis luctus, hinc dolor oritur inauditus; confluitur ex urbe tota ad tam exitiale spectaculum; quid agat miserenda anus, quo se vertat incerta est. Appellare filiam incipit, sed intercipit anhelitus vocem; quid velit ignorat, quidquid factura videtur displicet. Videt in gyro dispositas sedere matronas, et unamquamque nominans appellat, rogat, obsecrat, obtestatur uti materna pietate motæ filiam sibi unicam reddant. Adeunt itaque illæ beatissimam Christinam, et verbis eam suasoriis taliter occupant: « Repugnant, Christina, virtuti scientiæque quam de te opinabamur, vincula quibus innecteris; ut et cernimus, tuum exornatissimum studium nobilitate tua indigna obscœnitate fœdasti; videtur de te congrue dici vulgare illud proverbium: Quanto altior gloria post triumphum, tanto inferior igno-

Digitized by Google

minia post ruinam. Unde tibi tam ferreum pectus? an te feræ genuere tigrides, Gorgonei aluere parentes? solam namque hominis exterius indutam figuram, intus portentosam deprehenderis gerere feritatem, dum quæ te genuit matrem tu magni causa doloris facis esse ostentui. Placetne eam tantis incitatam furiis circumspectantium oculis ludibrio haberi? Quod si aliis, quæ multæ sunt causæ, vel blanditiis, quibus te pusiolam fovit, convenit, moveare. Per caput hoc speciosiss. perque corpus omni formitate decorum te deprecamur ab hac impietate desistere, et matri jam periclitanti remedium consolationis afferre.» Quibus beata Christina paucis respondit: « Breviter ac copiose de obsequiis parentibus exhibendis perorastis, meque impietatis in matrem arguistis, quæque dicenda verborum ac sententiarum coloribus arte mihi non incognita distinguentes. Cæterum divinæ leges sanciunt quod quicumque dilexerit patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut filios plusquam Deum, Deo dignus non sit. Qua de re consequitur ut pietas quam in matrem habendam suadetis, impiam in Dominum facit famulam, atque ita hoc pietatis genus vera intuentibus censetur impietas.»

Postquam vero animum ejus mutare nullo modo queunt, domum cum matre redeunt multiplicibus aucta doloribus. Deinde ubi Urbanus ex iis qui interfuerant filiam sibi non consensuram accepit, reminiscitur Fulvii cujusdam senatoris filii, quem retractum ex itinere qui cum Catilina conjuraverat pater necari jussit, et maximo præfecturæ suæ monimento fore existimans si id consimiliter faceret, jussit eam suis exhiberi conspectibus. Ducitur autem Christina sanctissima ferreis nexibus illigata ante oculos spectantium quid rei hujusmodi statueret exitus: clamor undique grandis attollitur contra salutem reipublicæ innocentem videri absque legali discussione damnari. At simul ut ventum ad tyranni aspectum, tali eam ille allocutione aggressus est: « Longe melius, Christina, ageres, si saluti tuæ, qua tibi nil debet videri utilius, meditando consuleres. Non esse mihi videtur jure temerario animo mortem appetere, bono et utili molis omnibus repugnare.» B. Christina respondit: « Non omne quod tibi videtur, ita esse necesse est. Alioquin tuus, quem colis, Jupiter, deus esset, quem nego, inque hac sententia mori honestum duco.» Urbanus dixit: « Duo sunt quæ te velim mihi ostendere, unum Jovem deum non esse, alterum, tibi mori honestum, quæ manifestissime peto ut doceas.» B. Christina respondit: « Quicunque sani capitis esse perpenditur, nullum alium Deum esse intelligit, nisi qui omnia fecit.» Urbanus dixit: « Hoc nullus vivens ignorat.» B. Christina dixit: « Constat ergo omnia fecisse Jovem, si deus est.» Urbanus dixit: « Liquido patet.» B. Christina dixit: « Si omnia fecit, aliquid absque eo nullatenus fieri potuit; at Saturnus, qui illum genuit, fieri absque eo potuit; non ergo Jupiter omnia fecit. Deum igitur non esse Jovem manifestissima ratione colligitur. Ecce habes quod quæsisti; confitearis oportet quod sine contradictione tua necessario conclusum est. Alterum vero, quod similiter ostendi tibi postulasti evidentissima ratione monstrabo, si quæ refellere non vales veracissime prolata iis præsentibus manifestaveris.» Urbanus dixit: « Non est in post quæsita facienda digressio, ubi prioris quæstionis argumenta possit pars diversa reprehendere; prioribus itaque insistens, paucorum commutatione verborum, quod in me torsisti, in te retorquendo rationem tuam redarguam. Dic ergo, Crucifixus tuus, quem unigenitum Filium Dei esse prædicas, Deus est, omnia fecit; si omnia fecit, nihil fieri absque eo potuit; sed genitor suus, quem ipse non fecit, fieri absque eo potuerit, et ita omnia non fecisse, Deumque non esse, pari demonstratione convinceris.» B. Christina respondit: « Deum creatorem esse intelligis, an creaturam?» Urbanus respondit: creatorem. B. Christina respondit: « Creatorem omnium creaturarum, an aliquarum?» Urbanus respondit: omnium. B. Christina respondit: « Si cum Deus creatura non est, creator est omnium creaturarum. cum Pater et Filius Deus sit, nec Pater creator est Filii, nec Filius creator est Patris. Ita quidem unigenitum Filium Dei omnia non fecisse, quod Patrem suum non fecerit, atque ideo non esse Deum, videris, omni semota ambiguitate, mentitus; liquet ergo unigenitum Dei Patris omnipotentis Filium et Deum esse, et cuncta creasse, licet Patrem suum non fecerit.» Urbanus dixit: « Omnia hæc convenientius de Saturno et Jove dicta sumuntur, quibus omnia quæ facta sunt obediunt, quibus etiam disponentibus cuncta a principio gubernantur.» B. Christina respondit: « Falleris, præfecte, erras, judex perite; dicis eorum dispositione a principio omnia gubernari, ante quos et multa millia hominum fuisse et tempora plurima exstitisse compertum est, ut poetæ narrant, probantque philosophi. Disce eos homines fuisse, non deos, incestuosos, homicidas: propterea in tartara retrusi; te et alios cultores suos perpetuis ignibus secum exspectant arsuros.»

Tunc Urbanus impietatis furiis exagitatatus, jussit afferri rotam, et gladios acutissimos superaptari, et ignem copiosum subter accendi. Cumque ex tyranni decreto B. Christina tanto crudelitatis generi incurvaretur, dum rota revolvitur, corpus ejus pretiosissimum scinditur et exuritur. Tunc tyrannus cum fautoribus suis ei insultans ait: « Constans esto, Christina, noli pertimescere pro Crucifixo hoc sustinens, qui noluit, cum potuit, de cruce descendere.» B. Christina respondit: « Nunc miser infelix ausculta: quanto sunt humiliora quæ pro me passus est, tanto illi plus debeo; et cum omnia in me tormentorum genera consummaveris, Crucifixum laudabo, mihi autem absit gloriari nisi in cruce D. N. Jesu Christi! (*Galat.* VI, 14) in qua de hostibus triumpho, quam adversantibus cunctis objicio.» Hæc illa prosequente, rota eversa est, et contrivit

Digitized by Google

circumstantium maximam infidelium partem. Præfectus illico, ingenti terrore attonitus, dimisit conventum, et carceralibus illam custodiis mancipari præcepit. Ingressa autem B. Christina obscurissimum carceris locum, angelus ei Domini quasi sol meridianus apparuit, et dixit ad eam : « Misit me Dominus Jesus Christus, pro cujus amore gravia passa es, ut membris tuis conferam sanitatem. » Et cum hæc diceret, ita solidata sunt omnia vulnera ejus, ut nullum in eis signum incisionis remaneret. Nocte autem subsequente Urbanus optimum factu credens iterum illius animum dulci colloquio et blanditiis ad deorum culturam revocare, fecit eam suis obtutibus præsentare; cumque ab ea nullum penitus potuisset extorquere responsum, immensis eam alligatam ponderibus pelagi fluctibus destinavit; sed cum eam in medio mari nautæ præcipitem darent, angelicis adjuvata suffragiis, alacris ad littus delata est. Urbanus interea arreptus a dæmonio exspiravit.

Post non multum vero temporis, cum iniquissimus Lilon Urbani loco præfectus eligeretur, B. Christina a persecutoribus coarctatur, et Solis simulacro sacrificare compellitur. Quibus cum consentire nollet, perditissimo judici præsentatur, ad quam sæviens præfectus dixit : « Tu ne es Christina quæ omnipotentes deos nostros sæpius philosophando deludis? » B. Christina respondit : « Justum est nec in nullo obviat rationi ut quæ merito contemnenda sunt deludantur, et quæ vana sunt pro nullis penitus habeantur. Vos vero non deos, sed dæmones, non cœlicolas, sed homines impuros et flagitiorum immanitate in inferno damnatos in metallicis simulacris adoratis. » Præfectus his verbis commotus extemplo jussit eam fustibus cædi, ac deinde vas æneum ad instar cunæ figuratum sub magna celeritate afferri, quod milites, ex præfecti imperio, oleo, pice, resina et sulfure replevere, et ad ignem, ut calefacta liquescerent, posuere, cumque ex nimio calore commista fervescerent, præfectus dixit : « Unum tibi e duobus, o puella, elige, aut deo colitura incende, aut corpus tuum tam delectabili rore perfunde. » B. Christina signum sibi gloriosissimæ crucis impressit, et se in ollam ferventem citissimo cursu projecit. Mox cuna disrumpitur, et quidquid in ea fuerat foras per scissuras deducitur, beata quidem Christina incolumis perseverans erigitur. Præfectus illico indignatus fecit eam nudam torqueri, et raso capite ad templum Solis perduci.

Erat autem in medio templi tribunal argenteis parietibus in sublime erectum, cujus fastigia ebore nitidissimo tegebantur, in quo aurea solis imago micantibus e cæsarie radiis coruscabat, quæ quasi stellarum repetendo zodiacum cursu citissimo ferebatur. Signa quippe sex a dextris, totidemque a sinistris occidere et exsurgere alternatim bina quæque sibi ex adverso obsistentia videbantur : ibi horæ, ibi dies, ibi menses, ibi annus suis spatiis circumibant;

Aureus axis erat, radiorum argenteus ordo,
Per juge chrysolithi fulgebant ordine ducti.

Ad hoc spectaculum B. Christina adducitur, data a præfecto sententia ut, si deo soli sacrificare renuisset, statim gladio interiret. B. igitur Christina illico poposcit silentium, et erectis ad sidera manibus, oratione Dominum hujuscemodi deprecata est : « Rex invictissime, Pater omnipotens, Deus immense, qui rudem et indigestam materiem in quatuor elementa conformans perfectis partibus perfectam mundi constitutionem mirabiliter operatus es, quique in ipsa mundi genitura angelum immoderatæ superbiæ sedem sibi aquilonem, contra voluntatem tuam, ipso tantummodo motu animi usurpantem de summo cœli fastigio ejecisti, concede mihi famulæ tuæ ut ex hoc Solis simulacro, in quo idem pessimus ludificator habitat....., et hoc opus mechanicum et ipso artifice patratum comminuat, et ita cognoscat omnis hic senatus cum populo tibi omnium creatori universam ex debito obedire creaturam. » Et cum hæc dixisset, ecce ignitus dæmon apparuit, qui, totum illud mechanicum magicumque opus confringens, maximam metalli partem in præfectum projecit, indeque ejus feriens colla illico interfecit. His ita peractis, Julianus judex jussit B. Christinam teneri, et in camino æstuantis incendii concremari. Milites vero iniqui crudelissimi principis iniqua mandata sunt protinus exsecuti. Cumque sanctissima virgo esset in fornace trium horarum spatio, existimans tyrannus esse consumptam, ignem amovere fecit. Tunc vox dulcis psallentium de camino repente insonuit, ac inter angelorum choros virginis Christinæ sacer vultus effulsit. Matronæ quidem, quæ illuc spectatum venerant, attonitæ super his quæ viderant, credidere. Julianus vero hæc audiens, vehementi indignatione commotus, jussit illam præsentiæ exhiberi, cui et dixit : « Tædet nos, o puella, injuriarum quas nobis et diis nostris, nemine tibi resistente, aut ulciscente, satis multas intulisti; ergo nobis dabis pœnas, adversus quas magicæ artes minime prævalebunt. » Et statim, ut jussum fuerat, unus de magorum collegio, qui ea tempestate in arte detestabili Romæ celeberrimus habebatur, duos dracones in medium detulit, quos in famulam Christi, ut ab eis absorberetur, immisit. Mox B. Christiana signum eis salutis opposuit; qui, divino examine revoluti, magum arripuerunt, et sub momento ante totius conventus faciem peremere. Censore itaque cum omni comitatu suo obstupescente, B. Christina ad locum ubi defunctus jacebat accessit, et cunctis audientibus ait : « In nomine Domini mei Jesu Christi, qui crucifixus est, surge, miser, ut perpendat omnis hæc turba quia ipse est verus Deus vivens, et regnans in sæcula sæculorum. » Ad hanc vocem cadaver, recepto spiritu, videntibus cunctis, erigitur, asserens et prædicans quod non sit alius Deus nisi quem Christina prædicat, Dominus Jesus Christus. Dracones interea absque ulla hominum læsione unde profecti sunt revertuntur.

Digitized by Google

Julianus igitur, timens fieri in plebe tumultus, et magis seditionis terrores effugiens, quam rationi satisfaciens, jussit ei mammillas et linguam abscindi; deinde fecit illam in hippodromum duci, et tam diu sagittarum jaculationibus infigi, quousque spiritum exhalavit. Est autem passio invictæ martyris Christinæ, nono Kal. aug. Juliano terminato

Cur insensate furis Urbane? Cur Idion æstuas perditissime? Ad quid truculentissime niteris, Juliane? excogitate nova et prioribus graviora supplicia, multiplicate verbera, accumulate pœnas. At quid juvat sævire in carnem quam ultronea obtulit lacerandam, et animam quam voluit servare, non delere? Discite tandem, miseri, discite illius gaudium, et sic vestrum spectate interitum. Ecce jam speciosissima virgo post fustes et vincula, post ignem et rotam, post torturas et verbera, post cunam et tonsuras, post truncationes et jacula, ad æterni regis thalamum angelicis manibus asportatur. Vos e contrario dum ad Elysios campos tenditis, arietem Acheronti porrigitis, tamen malorum vestrorum pondere pressam cymbam Stygialis palus absorbuit, ingens Cerberus devoravit. Majore quam queat dici pœna plectemini, qui in Crucifixum credere contempsistis. Sed tu, o devotissima sponsa Filii Dei, amica Patris omnipotentis, jam habes quod voluisti, jam obtines quod rogasti, jam frueris inenarrabili lucis gaudio, intra ardua divinæ majestatis secreta versaris, ubi familiarius Deo gaudens, cubantem in meridie sponsum juncta adolescentulæ reperisti. Nunc per amœna convallium purpurei cespitis carpis florentes violas, colligis immarcessibiles rosas metis nardostacheas spicas. Tu modo secus aquarum decursus et vitrei fontis marginem sedes, leni epithalamia murmure concinis. Tu inter virgineos choros regio diademate illustrata refulges. Tu solio Christi assides facta regni æterni particeps. Salve perenniter, puellare decus, pudor virgineus, virtutis exemplum. Salve perenniter, quæ tuos speciosos artus perpetuæ pudicitiæ devovisti. Salve perenniter, quæ totius libidinis nescia templum te sancti Spiritus dedisti. Salve perenniter, quæ amplas porticus, et ingentia fundorum spatia fugiens, suscipiens hæreditatem Dei, facta es cohæres Christi. Salve perenniter, quæ tanta exaggerata suppliciis, patrias leges repudiasti, et ad crucis vexillum toto desiderio evolasti. Salve perenniter, quæ principum jussa contemnens pro veritatis testimonio crudeli morte damnata es. Salve perenniter, quæ cœli jam sublimata fastigio digna es filio Dei sponso, et Domino. Et quia nos parendi voto tibi fideles conspicis, audi quod petimus; attende quod per te obtinere desideramus; impetra nobis quoque promissæ vitæ supernæ felicitatem, ad quam ascendere sine tuo juvamine minime confidimus peccatis nostris ita merentibus. Tu ergo apud Creatorem omnium delictorum nostrorum posce veniam, ut cognitor pius commissis ignoscens nobis famulis multa nostris digna meritis non infligat, et dum in hujus vitæ fragilis brevi tempore degimus, nos ditioni tuæ subjectos protege, conserva, benedic, defende, guberna, ac tuis nostras fac mentes laudibus aptas. Ecce, virgo beata, nos gloriosi triumphi tui gesta narravimus, et magni laboris copiosam mercedem paucis significavimus. Tu, si quid minus quam decuit, si quid aliter ac oportuit, dictum est, parce benigna; virgo, ignosce, pia. Igitur, fratres beatissimi, quia beatæ Christinæ triumphalem diem celebri solemnitate deferimus, nobis, quod possumus, de ejus virtutibus vindicemus: ut tanto erga nos ipsa se benevolentius habeat, quanto illam assequi studeat animositas nostra ferventius. Ad hoc namque Dominus feminei nobis sexus exempla proposuit, ut virilis animi robur, quod prave vivendo amisimus, saltem mulierum virtute provocati recto gradiendo tramite resumamus, et sic, beatorum laboribus sociati, per Jacob scalam conscendere illuc ubi dominus Jesus Christus residet valeamus, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit passio S. Christinæ.

ANNO DOMINI MLXXXIV.

GUAIFERIUS

CASINENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN GUAIFERIUM

(FABRIC., *Biblioth. mediæ et infimæ Latinitatis*, III, 25.)

Benedictus qui et *Gauferius*, *Guaiferius*, *Gaviferius*, Salernitanus, monachus Casinensis, circa an. 1060 scripsit, teste Petro Diacono, De viris illustribus Casinensibus, cap. 29, ad Stephanum Trojanum episcopum *Vitam S. Secundini* Ecanensis sive Trojani episcopi, *et cantum ejus : Versus in laudem Psalterii. De miraculo illius qui se ipsum occidit et per B. Jacobum vitæ redditus est. De conversione quorumdam Salernitanorum. De laude S. Martini* (1) episcopi. *In laudem S. Secundini. Hymnos de eodem. Homiliam de Ad-*

(1) Non *Marbini*, ut vitiose excusum in clariff. Leyseri Historia poetarum medii ævi, pag. 548

Digitized by Google

ventu. Sermones de Nativitate Domini, de Epiphania, de cœna Domini, de Septuagesima, de ramis Palmarum. *Passionem S. Lucii papæ.* Ex his *Vita S. Secundini* edita est ab Ughello, tom. I. Italiæ sacræ, pag. 1536. Et carmen elegiacum *in ejus laudem*, quod incipit :

Adsit tota tuis festis festiva diebus,

p. 1341, et *Hymnus* sapphico carmine, cujus initium *Christe Rex regum, pretium piorum* pag. 1342 seq. *Vitam S. Lucii I* papæ A. 255 defuncti, sed extrema parte mutilam, ex ms. Casinensi vulgavit Henschenius in Actis Sanctorum, tom. I Martii die 4, p. 304-307. Cætera in lucem proferre promiserat an. 1655 Joan. Baptista Marus, notis ad Petrum Diaconum, sed morte præventus aliis hæc edenda reliquit.

[Acta inventionis S. Secundini, non vero illius Vitam edidit primus omnium Ughellius; eamdem, aliquantisper tamen diversam e ms. codice reproduxit Bollandus ad diem 11 Febr. Utramque ab autographo Cassinensi nonnihil discrepare monet Gattola, Histor. Cassin. Sæcul. VI. pag. 187. In præfatione præsertim discrimen illud notatur. Quo enim loco Bollandi editio præfert : *Coepiscope sancte*, ex quo episcopalis dignitas Gauferio assereretur sincerus auctoris codex (in Cassinensi bibliotheca servatus, ut credo) legit *Episcope sancte*. Ita vero legendum, quamvis etiam in edito Gattolæ mendo typographi sit : *Coepiscope sancte*, idem Gattola monet. Mansi.]

CARMINA GUAIFERII

CASINENSIS MONACHI

(Partim primus edidit, partim edita recognovit domnus Ozanam *in libro supra laudato : Documents inéd.*, etc., pag. 272—287.)

I.

Versus in laudem Psalterii.

Verba tene vitæ; quæ Verbum, vita, notavit,
Regia lingua tulit, de cujus semine regis
Rex regum mundo voluit sine semine nasci.
His ergo libeat, quibus utens vixeris, uti :
Ipse per hæc vitam qui protulit ipse recepit,
Factus et exemplum, scelerum qui morte labarent
Ad vitam docuit virtutum posse reverti,
Ac velut emeritos ad præmia digna citari.
Sed fletu, gemitu, lacrymis imiteris oportet
Cui par esse velis venia, virtute, triumpho :
Qualiter admissum deflebat qui comedebat
Ut panem cinerem, miscebat pocula fletu!
Quamque gemebat et hærebat, cui sumere panem
Exciderat gemitu, gemitu quoque qui rugiebat
Præ nimio cordis, lacrymarum quanta profudit
Flumina, non alio qui stratum fonte rigabat
In noctes, scelerum lacrymas æquabat acervo!
Quo desiderio, quo flendi flebat amore
Cui lacrymæ panes, habitatio, deliciæque,
Cui lacrymæ potus noctesque diesque fuere!
Diluvium hic lacrymas, lacrymas appellat abyssum,
Quod nec diluvium plus diluit his, nec abyssus
Altior est, tetram penetrant quæ mentis abyssum.
Hoc in diluvio Domino vicinius hæres :
Hoc habitat Deus, invocat hæc et abyssus abyssum.
Scilicet amplexat pietatis cuncta profundum.
His vates lacrymis lacrymas evasit Averni :
His veniam meruit, virtutibus et reparari,
His nive candidior fieri, mundisque creatis
Visceribus, rectus his spiritus est renovatus.
His Deus inspicitur, his spiritus almus habetur,
Hisque salutaris redduntur gaudia Patris.
His quoque qui Pater est confirmat Spiritus : hæc [sunt
Lætitiæ summæ quæ gignunt semina fruges :

A Hæc sunt vitales quæ mittunt germina fructus,
Fertque salutiferos talis plantatio botros.
Ecce magisterium debenti flere reatum :
Ecce rudimentum sperandi, norma cavendi.
Peccasti, reus es, defle cum rege reatum :
Saucius es graviter, spera cum vate salutem.
Justus es, inde cave : quis enim vel justior iste
Justitiæque fuit dilectior Omnipotenti,
De cujus fructu ventris, cui sidera sedes
Sede super propria juravit se positurum,
Et posuit; quem præcipuo testatur amore
Servum sæpe suum preprioque oleo se unguente [peructum?
Sed magna tantus vir corruit iste ruina :
Mox tamen unde ruit mœrore levante resedit.
B Tu tamen audita venia peccare recusa,
Vel quia non tantos valeas tolerare labores,
Vel quia pugnet ad hoc fragilis breviatio vitæ,
Et quia non tantæ virtutis es ante reatum,
Ut vitiis careas, virtutibus ut renitescas,
Utque beatorum felici sorte fruaris.
Hic docet in proprio loca per diversa libello :
Pestis avaritiæ fons et caput est vitiorum,
Quæ partim rerum, partim cupiens et honorum,
Hinc et perfidiam, sordes, insomnia, curas,
Commenta, fraudes, homicidia, furta, rapinas,
Cæteraque innumeram generat generantia prolem·
Illinc invidiam, contemptum, bella, furores,
Id genus et reliqua creat amplo germine feta.
Hinc alios spoliat spoliis, quibus ipsa gravetur;
C Inde suos, alios ut ditet; vendita quorum
Lingua graves vitiis clamet virtute refertos.
Illinc occultis jaculis, hinc sævit apertis,
Membra lupina gerens, speciem hinc affectat ovi- [nam.
Nil habet hæc pensi turpis vel fœda videri,
Vertice verticibus tot vipera crescit utroque!

Digitized by Google

Sic et pestiferum diffundet utrinque venenum,
Sint ut ab ingenuo mala cuncta fluentia fonte.
Perde biceps monstrum, proles monstrosa peribit;
Et duplici duplex, et summo maxima virtus
Succedit vitio dilectio larga rapaci.
Virtutum caput est hæc, et caput hoc vitiorum :
Sicut in hoc vitio vitium concluditur omne,
Sic et in hac omnis virtus virtute tenetur.
Certe si linguis hominum, angelicisque loquaris
Hanc et non habeas, es ut æra sonantia factus.
Si vates fueris, mysteria cunctaque noris
Sciri quæque valent, habeas omnemque fidem sic
Ut transferre queas montes, tamen hac sine nil es.
Si tua pauperibus res omnis distribuatur,
Sive tuum corpus tradatur ut ardeat igni,
Hanc et non habeas virtutem, nil tibi prodest.
Non est impatiens, non ambitiosa; benigna est :
Non hæc oerperam agit, non hæc quæ sunt sua [quærit,
Non irritatur, non inflatur : meditatur
Tantum quæ bona sunt, vero congaudet, iniquo
Haudquaquam gaudet, non invidet, omnia credit,
Omnia suffert, omnia sustinet, omnia sperat.
Excidet hæc nunquam : non evacuabitur unquam
Sive prophetia cesset, sive scientia, sive
Linguæ cessabunt : manet hæc dum spesque fides- [que est;
Cumque transierint, major sine fine manebit.
Hanc imiteris, ames; hunc amplectaris amorem
Hunc tota virtute colas, habeas, teneasque,
Cujus flamma, modum numerum si vincat et om- C nem,
Congeriem scelerum, stipulam velut ignis, adurit;
Cujus dulcedo quodam dulcore superni
Nectaris obdulcat mentes, omnisque futuræ
Quemdam lætitiæ sapit hic et in orbe saporem,
In terris positos videas ut in æthere locatos.
Hic in martyribus habet insuperabile robur,
Hic in virginibus tenet inviolabile votum :
Ungula torturæ, gladius, rota, verbera, flammæ,
Omneque pœnarum genus hoc superatur amore,
Hic amor, hic pugnat, hic vincit et ipse triumphat;
Laurea martyribus hinc, virginibusque corona est :
Omnibus hinc justis merces datur ampla laboris.
Hujus et, o quisquis legis hæc, repletus amoris,
Redde preces merito, cujus tibi ceu sibi scriptum
Hoc opus est opera; nam si memoreris alius,
Et Deus ipse tui memorabitur : hujus amoris
Jus dat, ut hoc alios quo juveris, ipse juveris.

II.

De miraculo illius qui seipsum occidit.

Mortis in immanem te mersit culpa ruinam,
Christi mors erexit, homo. Mors sola redemit,
Sola dedit vitam, sola spem, sola salutem.
Sed tu tantæ spem vitæ, bona tanta salutis
Oblitus, repetis quæ te traxere trahuntque
Sub captivantis crudelia jura tyranni.
At jam non moritur Christus de morte resurgens,
Et sacrosanctum, cujus tibi pœna salutis
A Causa fuit, clavi, flagra, crux et lancea corpus
Jam non afficient : cruor ille salutifer ultro
Non fluet; aut tumulo Christus, tua vita, secundo
Claudetur; barathra nec descendetur in ima
A tenebris animus revocatus lucis ad ædem.
Quis novus ergo modus fuerit quo tam miserando
Eripiare jugo? Repetiti fortius arctant
Nexus, et carcer serat arctius ac religatus,
Vis minor et major (*sic*), graviorque secunda ruina.
Tanta nec ulterius patientia conteret hostem,
Nec mors morte semel neriens jam morte peribit.
Hinc tamen, hinc spera. Cujusnam vita triumphat
Vita triumphabit, nec non in æthere vincet
Qui vicit tumulo. Nam sic semel illa beati
Sanguinis unda ferum restrinxit fusa draconem,
B Ut qui sorbuerat diris jam faucibus orbem,
Ipse sub orbe gemat, nec jus quoque possit haberi
In quemquam, velut ante, suum, surgente ruinæ
Quo surgunt : hominum. Solum dominatur in illos
Quos non pœniteat scelerum, vel credere nolint.
Ergo salutaris stola quem pretiosa lavacri,
Et nive candidior Phœboque micantior ipso,
Texit, spe certus, cum te tua crimina fuscent,
Intercedentes ad Christum dirige mistas
Cum gemitu lacrymas. Sat enim nunc tergere sor- [des
Immensas scelerum lacrymæ gemitusque valebunt.
Nec modo confesso veniam lamenta parabunt;
Præmia restituent commissa perdita culpa.
Nec per multa fides longeque vetusta petatur :
C Est satis exemplo quod nostro contigit ævo
Multiplex mirumque modo, numero tamen unum,
Spem lapsis magnam, cautelam stantibus addens.
Gallorum cœtus partes qua fulget Iberas,
Corpus apostolicum gentis de more petebat,
Ut devotus amor, sacra dum loca viseret, ipsa
Asperitate viæ scelerum se mole levaret.
Quorum, naturæ persimplicis et puerilis
Unus erat, facilis quo velles flectere flecti
Hos ut ad hospitium jam tardior hora coegit,
In partem simplex divertit ab agmine solus,
Dimotusque via modicum, fraudisque dolique
Invenit auctorem, juvenilis corporis instar.
Inchoat astutus dirum cum simplice bellum,
Non flagra, non gladios, sed pacis habentia signum
D Primum verba movens : « Quo frater, duceris, in- [quit? »
Sed quid ad hæc simplex? facies humana, serenus
Vultus, et eloquium cum nomine fratris amicum,
Quæ bene cordatos homines multumque probatos
Exciperent, ad colloquium miserabile mentem
Allieiunt stolidam; quo tendat, pandit. At ille
Subsequitur : « Quare tantum vis ferre laborem? »
Hic via, consiliumque viæ : — « discrimine nullo
« Atque mora nulla, conquiri posse quod optas. »
Utque magis capiat miserum, magis ora serenat,
Voceque demulcens, ait : « Agnoscisne loquentem? »
Cernere se juvenem quis sit nescire fatetur
Simpliciter simplex. Tunc inquit : « Apostolus ille

Digitized by Google

« Sum quem quæris ego. » Credit miser, atque re-
[pente
Stratus humi deposcit opem, scelerumque levamen.
Mox auctor mortis mortis prorumpit ad atrum
Consilium, sed facturum quid consulat illum
Accipit ante fidem. Tunc sic ait : « Haud, nisi solvas
« Ipse tuos artus animæ compage, salutem
« Quam cupis, æternam speres. Vis vivere vitam
« Semper mansuram? vitam tibi tolle caducam. »
Horrescit facinus bruto sub pectore tantum,
Audet, et hoc fidei. . . . . esse repugnans
Dicere : sed monitis persuasus cedit iniquis.
Flagitat ergo modum, tantum quo crimen agatur.
Hospitium repeti, cœna, sermonibus ore
Sollicitum pectus claudi, cunctisque sopore
Immersis, fauces gladio penetrarier imas,
Et ventris medium, tantum post vulnus, eodem
Consulitur gladio transfigi. Suadet iniquus
Quod cupit. It, cœnat, simul atque gravatis
Somno consociis, immergit gutture telum,
Amputat et venas, secat et cum gutture nervos.
Nec mora, configit præcordia : sed dolor ipse
Criminis ac mortis miserum clamare coegit.
« Me miserum! perii; scelus hoc mea dextra per-
[egit. »
Et ruit exanimis : miseram mox turba ferorum
Spirituum capiunt animam, rapiuntque trahuntque,
Per summas valles agitantes atque per imas.
Apparet subito facinus qui suaserat hostis,
Juris et esse sui, sceleris qui causa sit, inquit.
Ceditur, insequitur, magis omnibus urget et unus.
Ad loca Romanis sic itur proxima muris.
Vox sonat hic : « Sinite; » stolidi cessere parumper.
Sed repetunt animam, dum vox silet, atque coarctant.
Intonat hæc eadem propior mage, terribilisque :
Diffugiunt omnes subitis terroribus hostes,
Nec quatiunt animam jam sancta voce solutam.
En specie vera juvenis pulcherrimus astat :
Novit apostolici formam quasi præscius oris
Spiritus; hunc sequitur, super ardua tecta venitur
Principis Ecclesiæ regnantis; in æthere Mater
Virgineis stipata choris astare videtur.
Accedit Jacobus, pro tanta labe precator.
Audit ab ore pio : repetat nisi carnea claustra,
Et cum carne luat factum cum carne reatum,
Non animam tanto damnatam crimine solvi.
Ergo repentino rediens jam libera cursu,
Intrat apostolico dimissa cubilia ductu.
Oscitat, erigitur, loquitur, graditurque cadaver :
Dat res ipsa fidem sociis, nam vivere cernunt
Quem videre mori; sed testis sola cicatrix
Esse potest aliis, quæ vulnere sic in utroque
Cernitur, ut talem vitæ jam nemo redisse
Ad postliminium dubitet. Huic Cluniacensis
Cœnobii vicina loco loca sacra feruntur,
Cui Pater haud parvi meriti vir præsidet Ugo.
Hæc petit, hunc orat habitum dare, cuncta professo
Quæ sibi contigerant. Pater at discretus, et actus
Et mores hominis perquirens artis et usus,
A Contentum reperit quibus ars sutoria sese
Foverat et matrem, quam ne sinat imperat. Ergo
Ad matrem redit; ipse sibi jam causa cavendi,
Exemplumque spei quocunque crimine lapsis.

III.

De conversione quorumdam Salernitanorum.

Res nova magna satis perhibetur facta Salerni,
Plena piis lacrymis, laudibus et celebris.
Una domus locuples, sublimis, docta potensque
Tota simul sacræ induit arma togæ.
Hæc vir et uxor erat, dilectaque pignora septem,
Quinque mares, sexus cætera feminei.
Quis, bone vir, Domini melius te jussa peregit?
Vel quis adimplevit his ita temporibus?
Uxorem, sobolem, matremque patremque relinqui,
B Et quod habet pro se præcipit Omnipotens.
Tu simul ista sinens, tecum fers omnia Christo.
Plus Evangelium quam jubet ergo facis.
Quæ tam dulce Deo nunc offert femina munus,
Uxor magnamini, jam soror ipsa viri?
Qui sua det rarus, qui se prope nullus habetur :
Tu tua, tuque tuos, teque dicas Domino.
Quid fecit imperio sic te deferre parentum
Egregia proles, spes et honor patriæ?
Ætas illa tibi, quæ, mundi fessa labore,
Cogeret id non est, spes et honor patriæ.
Lex ea qua soboles ad patris velle dicatur
Nota tibi non est, spes et honor patriæ.
Huic autem imperio si contradicere velles,
Te sibi, te patria legibus eriperet.
C At patris et matris minor esset gloria, certe
Nec tibi præter eos gaudia plena forent.
Lex dat et usus habet patris ut sit filius hæres :
Vobis est hæres, germina clara, pater.
Propensam celeremque vicem sumpsere parentes;
Imo magis multo quam dederint capiunt.
Quæ datur accipitur certissima portio rerum ·
Nam nisi sumpta, minus nunc aliena foret.
En rerum dominos, dulcissima pignora septem,
Cum rebus quasi res, donat uterque parens.
Non igitur quondam plus detulit ille parenti,
Qui mactandus abit qua vocat ipse parens.
Vos quoque patris amor Christi mactavit ad aram,
Dum perimens mundo, vos dedit ipse Deo.
D O sacra turba, pater, materque, beataque proles,
Hæc pia sunt, bona sunt, facta decentia sunt.
Sed gaudere licet, quia præmia retribuentur,
Quæ nullus sensus, mens quoque nulla capit.
Prædia, fundus, ager, simul est omissa supellex,
Dulcis et affectus spretus amicitiæ.
Sed dabitur cœlum, dabitur paradisus et ipse
Christus; et æthereus cœtus amicus erit.
Quam tunc felices eritis lætique parentes,
Vobiscum soboles cum super astra cluet!
Et quam tunc felix poterit pia turba videri,
Cum vos inter oves pascet uterque parens!
Quanta ducum vestris inviderit ala triumphis,
Vestro non misam se dolitura modo;
Cum post delicias mundique sequantur amorem,

Digitized by Google

Perpes et ampla fames et stygiale chaos!
Et vos ad cœlum tegeticula nigra, diæta,
Libratusque cibus per pie vota ferunt.
His quoque perpetui vermes pascentur et ignes :
Vobis angelicus panis edendus erit,
Qui semper satiat nec fert fastidia, plenu
Cujus vivificat tactus, odor recreat.
Hoc ut et ipse cibo potiar, pia concio, tecum,
Ad Dominum juges, obsecro, funde preces.
Et precor ut fratris placeat meminisse Joannis
Ut quod amatis amet, quod facitis faciat :
Nam sine stirpe sua, prope toto quemlibet orbe
Solum velle frui dedecus, haud decus, est.

IV

In laude sancti Secundini Trojani episcopi (2).

Adsis tota tuis festis festiva diebus,
Troja, quibus cessit altera Troja tibi.
Plures illa viros terraque marique potentes,
Quos tamen haud potuit semper habere, tulit.
Horum sensit opes vivorum, sensit honores :
Defunctis periit quidquid honoris erat.
Tu, nova Troja, duces cœlique solique potentes,
Qui tibi plus aderunt cum moriuntur, habes.
Ex his unus adest, proprio qui more secundans
Cuncta, Secundinus rite vocamen habet.
Hujus ad egregium præsens accingere festum,
Lætaque significent mens, habitus, facies.
Sume lyram : medias placeat contendere metas,
Carmen lætitiæ lingua manusque sonent.
Ut colat, hunc ut amet nimis urbs nimis urbis [amantem,
Condecet; indicio id quod amere sat est.
Ignotus jacuit, cum tu destructa jaceres;
Mœnibus ut surgis, surgit et ipse tibi.
Plurimus et pulcher lapis a fossore repertus
Pulchra quod exstiteris et spatiosa refert.
Sed sacer inventi thesaurus corporis, omni
Splendidior lapide, sis mage pulchra facit.
Parge quod exhibitas dum præsul præsulis odas *(sic)*
Ridet, in extremum it prope supplicium.
Supplicat ecce, rogat modo qui destruxit, et orat,
Cumque doloris abest causa, dolore caret.
Sic sacer irrisus punit, juvat atque rogatus,
Sic renitet virtus, sic pietatis opus.
Credulus ergo fidem cui restitit exprimit idem
Præsul, relliquias dum probat igne sacras.
Relliquias ambit nec habet vim flamma cremandi.
Sic illæsa foras ossa cremata volant.
Summa refrigerii residet loca, cujus os ignis
Urere nec potuit, nec retinere diu.
Collocet ergo sacra sacra membra præsul in ara,
Detque Secundino non aliena suo.
Laudat, honorat, amat, veneratur, supplicat, orat :
Hæc sua sunt equidem : urbs, facias eadem.
Plures, Troja, vales hujus numerare triumphos,
Sed satis hoc laudis suppetet ad cumulum
Non sat erat Latium virtutum præmia totum
A Et præclara tui facta videre ducis :
Gallia tantorum spectatrix ipsa bonorum,
Ipsaque materies, testis et ipsa venit.
Gallorum celebrem Sancti Michaelis ad ædem
Venerat oratum more suo populus.
E quibus unius totos circumplicat artus
Languor inauditus et gravis et subitus:
Omne quidem corpus sic sic contraxit, ut instar
Sphæræ, non hominis, redderet ille globus.
Crura, pedes stabili compagine natibus hærent:
Vix habet officium lingua manusque suum.
Cætera membra premunt, nec omittunt ista dolores.
Vivere jam patitur qui toties moritur.
Fama Secundini jam pluribus agnita terris,
Evolat ad Gallos tum sibi contiguos.
B Mox insperatæ spes sumitur ampla medelæ,
Languor et ut pelli possit, adesse salus.
Ergo Secundini venerandam fertur ad ædem,
Cujus eum nusquam ferre pedes poterant.
Psallitur, oratur, lacrymatur, vota moventur,
Munera spondentur : fit cito quod petitur.
Qui simul ulnarum, manuum, crurumque pedumque
Perdidit officium, suscipit omne simul.
Jam graditur, loquitur, vegetatur corpore toto
Corpore qui toto pene solutus erat.
Quem voti præsens morbi facit esse recessus
Dum novus est, memorem; cum vetus, immemorem.
Ad patriam lapsis aliquot parat ire diebus,
Qui novit nusquam si foret incolumis.
C Non impune tamen; nam mox intratur in urbem,
Pœna priore nimis asperior rediit.
Si patriam peteret, gressum valitudo negabat;
Si Trojam vellet, pes sibi liber erat
Ergo libet Trojam remeare salute recepta,
Seque Secundino dedere servitio.
Obsequium reducem solidat stabilitque salutem,
Et repetita salus roborat obsequium.
Sit satis ad laudem tanti Patris ista tulisse,
In quibus aspicias quæ fuerint merita.
Certe non pietas, probitas, non illa voluntas
Cuique suum tribuens, non amor ille duplex,
Certe non gravitas, non denique cætera virtus
Hujus ab hospitio mentis abisse potest,
Quem sic virtutum Rex largitorque bonorum
D Audit et exaudit, glorificat, decorat.
Respice jam cives, Pater optime, respice alumnos,
Respice prænones, præco superne, tuos.
Si tua suscipiat suffragia non tua tellus,
Jus dat ut hæc tellus plus tua suscipiat.
Cum noviter notos morbo faciente procures,
Cura devotos sponte duque tuos.
Fit cum sanatur sananti debitor æger :
Præco quem cecinit creditor esse potest.
Ergo modo quodam meriti subeamus alumni
Quod nihil immeriti nunc subiere rudes.
Corporis et cordis mala destrue, siste salutem,
Pars vacet ut nunquam utraque laude tua.

(2) Carmen de S. Secundino jam ediderat Ughelli Italiæ sacræ tom. I, col. 1341.

Digitized by Google

V.

Hymnus de sancto Secundino (3).

Christe, Rex regum, pretium piorum,
Nostra, qui digne tibi militantis
Res Secundini canimus secundas,
Vota secunda.
Hujus insignem celebremque vitam,
Nobiles mores, veteres triumphos
Mira virtutum noviter suarum
Prodita pandunt
Falsa promentem jaculo doloris
Percutit vero, videt hic reatum,
Pœnitet dicti; sua pœnitentem
Pœna relinquit.
Cujus oblectant animam tepores
Veris æterni, fovet et quietis
Aura cœlestis, nequit hujus artus
Flamma nocere.
Omnibus membris pene destituto,
Quem suum tantum poterat tueri
Jus, preces fundens celerem refundit
Lingua salutem.
Præsuli tanto vacuare facta
Vota tentantem valetudo nectit
Sospites gressus eadem paranti
Solvere solvit.
Fimbriis pallæ decorantis aram
Cereus mistus penitus crematur;
Fimbriæ vero nihil ustionis
Perpetiuntur.
Splendor æternus, decus et triumphus
Cum coæterno tibi sit Parente,
Atque cum sacro pariter, superna,
Flamine, Proles.

℟ Ecce Secundinus, cœlesti sede potitus,
Transit ab hac vita, vere bonus Israelita.
Nunc chorus exsultet psalmisque sequatur eum-
Transit, etc. [tem.

℟ Euge, Dei regis cultor bone, serve fidelis,
Multa supra felix, quia supra pauca fidelis!

℣ Dupla repræsenta tibi tradita quinque talenta.
..... quia, etc.

VI.

In laudem sancti Martini episcopi.

Gemma sacerdotum, votis assiste tuorum,
Ut resonent meritis cantica digna tuis.
Facta triumphorum celebrantur ubique tuorum,
Cum rutilas primo sub fidei titulo.
Quem tegis in terris tuus est super æthera testis :
Pars chlamydis Dominum fœnerat æthereum.
Fit latro prælatus virtutum præco tuarum,
Cœlestem profitens ad tua verba fidem.

A Prævalidus fortem sermo procul effugat hostem,
Ellebori clades vi precis omnis abest.
Quod fuerit latro teterrima pandit imago,
Cui datur obsequium martyris atque decus.
Maxima ter barathrum virtus evicerat atrum,
Criminibus pressos suscitat atque reos.
Dum crucis arma moves, stat plebs ut saxea moles,
Nec nisi quando voles quolibet ire potest.
Te subeunte, suam pinus vertendo ruinam,
In qua parte fuit non ruitura, ruit.
Ignea vis refugit, dum flammis obvius exis;
Ardet et his solis, est ubi jussa, locis.
Plebe reluctanti, cœlestibus obsitus armis
Dæmonicæ totum diruis ædis opus.
Te quoque dum gladio petit unus et alter iniquo,
B Ille ruit, gladium perdit hic e manibus.
Quot prece das salvos morbis et dæmone captos!
Leprosum curant oscula sola tua.
Innumeros pellit languores fimbria vestis :
Febres charta fugat sunt ubi scripta tua.
In nimium diris confractus membra ruinis,
Illitus unguento sospes es angelico.
Uteris angelicis, hominum parcendo, loquelis,
Vultibus æthereis ac tibi conspicuis.
Quod facit invitus hostis tibi prodit iniquus :
Non te facta latent, sæpe futura patent.
Cum trahitur tunicæ tibi forma videnda fugosæ (*sic*),
Mox evanescit : ars simulata perit.
Purpureo Christum mentitur ut hostis amictu,
Notus, ut umbra, tuis labitur ex oculis.
C Magna sacramenti dum tractas dona superni,
Divino proprium emicat igne caput.
Dum sacer expansas sustollis ad æthera palmas,
Cernuntur gemmis brachia nuda tegi.
Hunc tibi virtutum cumulum fert copia morum,
Quos liquet humanum transiluisse modum.
Unde potes, moriens, prope dicere solus in hostem :
« In me funestum nil reperire vales. »
Te canit in cœlis, de corpore quando recedis,
Sanctorum numerus angelicusque chorus.
Obvia tota venit cœlestis curia Regis,
Et datur ipse Deus, palma decora, decus.
Nobilis in terris accedit gloria membris,
Quæ solis superant irradiando jubar.
D Sic sacer, ornatus, sic omni parte beatus,
Hic et in excelsis præmia digna metis.
Quæsumus inde, Pater, quibus es spes, esto juvs [men;
Et quibus ipse times, hos refovendo vide.
Non piget ætatis, non tædet in orbe laboris,
Vivere si liceat, te duce dum vigeant.
Velle sit in cœlis tibi nos, Martine, tueri,
Mox ubi quæque voles absque labore potes.

(3) Exstat apud Ughelli *l. l.* col. 1342.

Digitized by Google

VITA SANCTI SECUNDINI

EPISCOPI TROJANI,

AUCTORE GUAIFERIO MONACHO CASINENSI.

(Ughelli, *Italia sacra*, I, 1336, ex cod. ms. Casinensi.)

MONITUM.

S. Secundinus Æcæ in Apulia, hodie Troja ; cujus corpus, cum novæ basilicæ foderetur fundamentum, cum inscriptione, non sine magna populi lætitia, repertum est. Cujus inventionis Historia Romæ in bibliotheca Vallicellana asservatur. Ejus dies festus celebratur XI Februarii. Æcæ apud Plinium lib. III, cap. 11, pop. Æcanos memor. Æscæ, seu Escæ apud Anton. Aug. in Itin. Æcana posteris (quod potius adjectivum est) nunc Troja [*et ideo* Trojana. E. P.] civitas episcopalis Apuliæ Dauniæ, loco editiore constructa, Luceriæ, et Bovino ad VIII M. P. vicina, Benevento metrop. ad XXX, a Neapoli duplo remotior. Tempus quo Secundinus floruerit adhuc mihi incompertum.

INCIPIT PROLOGUS

AD STEPHANUM TROJANUM EPISCOPUM.

De bono dilectionis et obedientiæ, frater et coepiscope S., cum ex illa opaca et condensa lapidearum descriptione Tabularum, tum Evangelii sermone perlucido et patulo, regula nobis norma et disciplina porrigitur. Placuit enim ipsi summo Opifici, et incomprehensibili Deo qui omnem mundum regit, prius instrumenta hujusmodi sub Moysi velata facie quodam sacramento signare, quibus in se gentibus crediturus, post incarnati Verbi mysterium, evidentissimæ pietatis patrocinio potissimum patrocinaretur. Nihil est autem quod in terris ei fiat acceptius quam cœtus hominum, unda sacri baptismatis mystica quidem spirituque sociati, his rebus operam, his laborem, his denique diligentiam suam locantes.

Notarat enim et hoc columna nubis et ignis, illa Israelitica secta. Jubemur ex toto corde Deum diligere, jubemur proximos admonere, parentibus obedire. Magisteria sunt ista divina, et quædam propria in utrisque Tabulis Dei digito designata. Sunt et hæc fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis. Ex hujusmodi nempe origine torrente prophetarum et legis emanante procedit, et ille sermo brevissimus irrigans omnia, rivulus fidei quæ per dilectionem operatur. Sed cur ista præmiserim scias licet. Quæsisti a me per Casinensem abbatem, quem ego causa honoris Desiderium nomino, virum inter bonos antistites opera et religione laudatum et moribus comprobatum, ut si quid mihi otii posset sua amicitia suadere, ad scribendum potissimum Historiam confessoris Secundini conferrem. Faciam rem mihi difficilem, sed causam facilem agam; neque illi hortanti deero, nec tibi roganti, cum et illi obedientiam, tibi debeam charitatem. Aggrediar ergo animæ tuæ diu desideratum opus, nec formidabit dura, difficilia, quæ sustinet omnia, charitas. Erit profecto tantæ rei maximum emolumentum Casini etiam secreta secessus facies, ubi pro venerabili fundatore quietis, diuturnitas pacis sacrum otium confirmavit. Antiquitas etiam refert et illum Varronem, tot sæculis celebratum, hujus ædis auctorem fuisse, qui, M. Tullio judice, Romanorum alios religione, alios rerum gestarum memoria, omnes autem litterarum scientia vicerit. Id mea quoque interierit. Veniam et ad Trojam, cujus nomine gloriaris. Istam ad undam frigidi Simoentis, perlustrabo oculis famosissimam Tenedon, ascendam ad illas, omnium doctrinarum inventrices, Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa est et perfecta ; quæram ostiatim platanum, quæ ad opacandum patulis est diffusa ramusculis, cujus umbram secutus est Socrates; mutuabor ab illo rationem dicendi, constructionem verborum, leporem, dulcedinem, venustatem, ut etiam ego ab urbanitate non excidam, et rerum cognitione florescat historia et redundet oratio. Est enim *Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis* (Cic. *Orat.* II, 9) ; quæ perennibus titulis Oratoris voce commendatur. Contra plerique, pro amplissimis eloquentiæ propositis laudibus ad gloriam adispicendam nudi veniunt et inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati, ut is qui hanc eamdem quam in manus habemus Historiam, postquam attigit, incommodavit penitus et turbavit. Mihi vero dum scribens aliquid ista recogito, magis venit in mentem vituperationis quam laudis. Constat enim quia, si eleganti eloquentiæ gloria, ineptæ potius ignominia debeatur,

Digitized by Google

Tu ergo, frater mihi in Christo charissime, locantem felici vineæ operam orationibus juva, utque hanc Secundinus sacer pro voto suo meoque secundet, intercessionibus obtine. Oportet autem expeditis his, quæ apud nos de eo sunt pauciora, miraculis (habetis enim et alia, quæ in his exemplaribus non habentur), ad ea, unde ad hæc tuo amore descendimus, studia animumque revocemus.

In quibus petimus et rogamus ut manu misericordiæ suæ nobis ad rationem bene vivendi patrocinium conferat, et possessionem felicitatis æternæ, qui [*f*, quæ a digno hærede precario et pro indiviso suscipitur, pro mercedis pretio suis promerentibus meritis acquirat.

INCIPIT VITA.

Troja quondam ducibus, divitiis et bellica laude insignis, cujus diuturna incommoda et diversa excidia iisdem regionibus nota sunt quibus et solis cursus, in Peloponnesi regione et serenissima loci facie, tellure fertili, agro aquis et omni viriditate jucundo, prope Pontum et insulam Tenedos sita fuit. Unde demum plerique duces fortissimi in priori discrimine, in tempestate horribili, cum tantæ urbis commercium totum jactura fieret, evaserunt. Ex quibus Anchisiades vir acer et strenuissimus fuit, a quo Quirites, orbis terrarum principes, qui Trojanorum quoque hostes talione ulciscerentur, nobile generis et laudis habuere principium. Jacuit hæc diutini temporis intervallo, omnibus destituta solatiis : nullæ opes, nullus decor, nulla denique religio. Semiruti tantum et exesi ignibus exstabant muri ; Xanthus, Simois, et insula Tenedos Trojam ibi fuisse signabant. Hæc vero excitat tandem et colligit se memor pristinæ virtutis et gloriæ, reducit longam ex pronepotum generatione progeniem, reficit lares, studet illi suo mirabili et singulari militiæ sacramento, ut Syllæ dictatori favens a Fimbria Marianarum partium obsidione vastetur, ut tormentis quassetur, ut mater iterum concidat gladiis filiorum. Ex illa igitur tempestate usque ad hoc fere tempus vixit tantum sine corpore nomen, absque Latio quidem, cunctis æque gentibus exsecrabile ob Romanorum monarchiam, cujus ipsa etiam causa exstitit et principium dignitatis.

Fuit autem et in Apuliæ solo civitas quædam, quantum ad frumentariæ rei copiam, nulli solo inferior ; ubi etiam multa gustu suavia, quæ natura desiderat, ex terra arboribusque gignuntur, cum copia facili, tum suavitate præstanti. Vites et arbores ibi humiles sunt, neque se tollere a terra altius possunt ; ex his tamen aliæ semper virent, aliæ hieme nudatæ verno tempore tepefactæ frondescunt, et fundunt odoriferos flores et germinant uberrimas fruges. Hæc vero civitas, si nominis significationem advertimus (Ecana etiam dicta est), antiquissima fuit, cum monumentorum marmoratio, scenarum columnatio, eminentia culminum id designent. Huic serio in reconciliatione Trojæ nomen imponitur, ut egregii titulus nominis auctoramentum faciat novitati. Putamus ista fidem posse quærentibus facere, quos sub Trojæ nomine appellatio moverit urbis Ecanæ. Nunc ad propositum Historiæ veniamus.

Cum igitur pro diligentia principum in fabricandis ecclesiis, in mœnibus constituendis, quibus salvis, ipsis salvis esse liceret, magna popularibus cura insisteret ; dum pars marmoribus tabulandis, pars lapidibus poliendis, fodiendis lateribus alii, alii diversis laboribus, quorum quisque admonebatur, intendunt : ab his, quorum votum erat templum perficere ad salutiferæ crucis honorem, in cœmeterio B. evangelistæ Marci (erat enim ibi ejus structa basilica) monumentum pretioso tabulatum marmore reperitur, quod dum curiosis oculis collustraretur, propter magnam, quæ circum erat, frequentiam sepulcrorum, advertunt cælatum epigramma, exesis jam inferioribus partibus, sed quod legi poterat ; hæc ferebat :

Hic requiescit S. ac venerabilis Secundinus Episcopus, qui sanctorum fabricas renovavit, raptus in requiem, III *Idus Februarii.*

Immissi ergo multi cum ligonibus, purgant et aperiunt locum ; qui cum patefactus esset tumulus, in labro mirifico inferiori, quod monumentum forinsecus ab injuria tuebatur, pretiosissimum margaritum inventum est. Circumfunditur extemplo civitas ad thesaurum inventi corporis ; putant fas esse, quod pium est, osculari reliquias, invitare votis, efferre præconiis, intercessionibus poscere, lacrymis invocare : nocentibus veniam, innocentibus præsidia, subsidia indigentibus ; de civitatis statu, de salute communi, de spe bonorum omnium in communi precatur. Non in cute solum hujusmodi putes fuisse lætitiam ; pectus et viscera ipsa commovit ; desideriis omnium satisfactum est in remedium omnium, oblectamenta omnia cucurrerunt. Effertur venerabile corpus manibus sacerdotum, ubi novæ urbis fundamenta jaciuntur, ubi nomen novum exstincto priore vel in accessionem validioris converso, exoritur ; ac in salutiferæ crucis sacrario tantam dignitatem et ornamenta reponunt. Cumque felices reliquiæ signis, virtutibus ad amorem suum civium in dies accenderent animos, et erumpentia in maturos beatitudinis botros religionis germina propagarentur, ab episcopo tamen urbis nihil factis hujusmodi adhibebatur fidei. Impingit contra salutem patriæ crimen civibus, plebem stultitiæ arguit, accusat principes temeritatis, Ecclesiam contumaciæ criminatur. Nulla est improperii, nulla insaniæ, nulla derisionis, quod eum præterierit, contumelia. Degenerare quippe ab optimis institutis multiformi malo civitas poterat, ni felix hanc Secundinus,

Digitized by Google

quantum valeret, manu misericordiæ tenuisset pene jam cadentem, jam pessumeuntem. Quid agis, o episcope? Putas ulli injuriæ eum esse obnoxium qui se in æthereum verticem, unde nemo dejicitur, collocavit? Quid tua refert, cum multa in illum maledictionis tela conjeceris? Est autem ejus impenetrabilis ab omni immissione lorica. Nescis duritiam lapidum, quibus civitas summi Regis extruitur, contumeliæ ferro inexpugnabilem? Cædis cœlestem adamantem, et deteris petulantibus verbis quod incurrentia cuncta retundit. Respice ad obryzi rigorem, cujus habitum nulla circumfusa flamma contaminat; multa et id genus sunt, quæ communi igne lædi non possunt. Respice scopulos in altum projectos, qui mare quidem frangunt, sed, verberati per multa millia temporum, vestigia sævitiæ nullius ostendunt. Tutus est ab omni injuria Secundinus, abductus est majori intervallo a jactu telorum; quidquid autem in illum proterve, petulanter, superbe niteris, frustra tentabis. Cœlestia humanas manus effugiunt, nulla in solem missilia prorsus incurrunt. Erit, erit pro certo, qui illum vindicet; erit qui et in te spicula doloris intendat, quæ non illo nervo quatiuntur ut frustra et citra se concidant, sed latus, sed viscera, sed cor ipsum tormentis expressa [*f.*, impressa, E. P.] configant. Feritur interea ex improviso episcopus telo lateris, quocunque miserabile corpus inclinat, incumbit doloribus, suspenduntur in longam vigiliam oculi, fiunt refrigeria cruciatus, remedium pestilentia, medicina venenum, vita interitus. Mœret domus, turbatur civitas, impendendis remediis medici laborantes nihil proficiunt. In contrarium enim vertitur quidquid tutelæ corporis invenitur, aspernantur remedium validiora tormenta, et insanabiles morbi fugiunt medicinam. Fuerunt plerique qui illum prope funeratum facti improperii memorarent (4), « dum pœnitentiæ locus esset, mutaret propositum, rediret in viam, errorem sperneret, de Secundini virtutibus non desperaret. » Intendit in monitores suos episcopus, et submisse quidem, non enim aliter poterat, facturum se, cujus erat admonitus, pollicetur, sperans, si modo pœnitentiæ spatium intercesserit, salutem veniamque Secundini meritis promereri, quem nominans sic appellabat. « O felix Secundine, quem Deus rerum omnium Parens parentem Trojanæ providit patriæ, in cujus commodum impendendi beneficii, constituendæ salutis, conservandæ libertatis, totus incumbis: adsis mihi tuæ bonæ voluntatis indigno, nec patiaris partem a toto divelli, cujus potestatis est omnium in integrum misereri!

« Me miserum! delicti accusor, an peccati? Equidem utriusque, non enim in te, quod debui, solemniter colui, sed tui, quod non debui, oblitum ire populum concitavi. Solve tamen peccati jugum, assere doloris irremediabilis servum, confer quemvis alium pœnitentiæ cruciatum. Injuria quippe est aliquem criminaliter plecti, qui in principem potentissimum, non odii, sed fatuitatis insania insanivit. »

Inde vertitur ad circumstantes: « Reminiscimini, inquit, o filii, reminiscimini Patris, reminiscimini amoris, reminiscimini clementiæ, reminiscimini dignitatis. Scitis quid amor, quid virtus, quid gravitas, quid denique diligentia mea vobis contulerit; juvate me precibus, servate patriæ, servate vobis, servate liberis vestris; placeat vobis salutem poscere a quo constat equidem multa vos beneficia suscepisse. » Igitur ad hæc episcopi verba funditur omnis domus in lacrymas, mistæ orationes gemitibus, pro conferendis suffragiis, Dei Genitricem et confessarem ejus postulant Secundinum. Videres pro salute pontificis, de rebus suis multa cives profundere, vota numerosa promittere, Dei omnipotentiam modis omnibus supplicare. Dum hujusmodi rebus insistitur, sentit episcopus orationum suffragia, penitus discessisse dolorem clamat, liberum se multiformi malo pronuntiat. Quanta ad hæc Trojani populi gratulatio, quanta lætitia oborta fuit, cum ea, quæ pro salute pastoris communi suffragio, una mente atque virtute gesserant, prospere evenisse arbitrabantur! Igitur episcopum, beneficiis Secundini liberalitate conquisitis, nullum tempus, nulla vis, nulla occasio tenuit; sed confestim, utens pro pedum officio manibus, ubi erant Secundini reliquiæ pergit; quem sacerdotes cum aromatibus, cum candelarum populus hostiis subsecutus, ubi ad Crucis vivificæ templum ventum est, se toto in terram corpore prostravit episcopus; illum poscens peccatorum suorum veniam, qui verberato doloribus corpori jam contulerat medicinam. Sancto Secundino quoque antisti maximas egit et habuit grates quod voti compos factus esset, quod in ejus, quem offenderat, gratiam venisset, per quem posse pedem ponere in vitæ æternæ possessionem speraret.

Fuere qui episcopo de industria suaderent (putabant autem eum dubitare) ut, (qui debebat subjectis consulere, constituendæ credulitati laborare, cujusque juris esset quibus parerent quemque sequi deberent ostendere,) reliquiarum partem in ignem probatum mitteret, ut ex multorum pectoribus dubietatis vulnus omne recideret. Probata tamen reliquiarum virtus, quod suadebatur, dissuadebat episcopo; sed quod animadvertebat posse ad compendium populi legaliter fieri, fidem suadentibus commodavit. Jaciuntur in prunas reliquiæ, instatur undique flatibus, fit in illis color rubicundus; saltum tandem ex igne faciunt; nulla in illis combustionis nota invenitur, sicut hi qui præsto erant retulerunt. Gaudent populi mirabile factum, sumunt alacres animos secundis rebus. Episcopus autem magna exspectatione in concionem venit; concionatus est quod perutilia patriæ patrocinia possiderent, si illis uti honestate magistra placuisset; concionatus

(4) Improprie, pro *commonefacerent*; i. e. *suum ei improperium in memoriam revocarent.*

Digitized by Google

est, et gratias egit quod sic de sua, ut de communi omnium salute, lætarentur; concionatus est ut constituendæ ecclesiæ operam darent, eamque demum perficerent, quæ Secundino venerabili digna esset, unde idem posset semper advertere, semper habere Trojam in vultu, Trojam in oculis, Trojam in ore. Sed hæc hactenus, nunc ad reliqua veniamus.

Vir quidam, Teuzo nomine, genere Aquitanus, orationis studio, quod præcipue gentis illius moris est, ad apostolorum principem Romam venit, admittente quidem matre, quæ amoris affectu seipsam filio comitem itineris præbuit. Ubi per sanctorum locorum circuitus solemniter officiis pro tempore datis (citabat enim eum ad alia loca venerabilia transitus) domum beatissimi archangeli Michaelis, quæ sita est supra Gargani montis altissimum verticem, adiit; in qua nimirum, et quia devia erat, et quia orationi pacare decreverat, dum stationem suam in diutinum tempus extenderet, mater, quæ illum fuerat secuta, defungitur. Qui cum jam fere cunctis destitutus vitæ solatiis, orationibus, lacrymis et ejulatibus incubuisset (fit enim sæpe ut majores tristitiæ majorem pariant valetudinem), insanabili, ut videbatur, pestilentiæ morbo percussus est; ita quidem ut pars membrorum suorum eo invito moverentur, alia quoque sic essent arida ut ex illis nullum, quod sentire posset, haberet; vix oculi, vix manus in suo erant officio, crura quoque et pedes natibus adhærentes gressus ademerant; lingua tantum, ne recte quidem, naturæ beneficium tuebatur. Quid ageret procul a parentibus, procul a domo, et, quod verius dico, procul a seipso? Miserebantur ejus prætereuntes inopiæ, cujus valetudini non poterant subvenire. Intimabatur illi de Secundini virtutibus: sed si vellet ire, non poterat; si portari ab aliis, unde conduceretur, nihil habebat pensi; ab his tamen qui ejus quotidie afficiebantur miseriis de itinere agi cœptum est; qui domo demissi cum illo Trojam cursu citissimo contenderunt. Festinabant autem, quia confessoris Secundini collocandis reliquiis solemnis instabat dies. Postquam vero ad urbem veniunt, et debilitatum membris omnibus hominem ante Secundini confessionem deponunt: « Quantum nobis, inquiunt, attinebat, fecisse satis voto tuo videmur: de cætero age, ut libet; consulimus tamen tibi in tanta præsentis celebritate diei orationi vacare; putamus enim et credimus id tibi valde profuturum, ad quod pro salute tua ipsi etiam summa ope nitemur. » Factum est: et jam tempus aderat ut ad officium ingrederetur episcopus; populi vero, omnibus studiose ad honorem Dei compositis, intus et præ foribus ecclesiæ assistebant. Multi quoque ad hæc solemnia, vicis, agris propinquis, hospitiis, multi denique, qui procul degebant, domibus abducuntur. Intrat episcopus cunctis ecclesiæ stipatus choris, incipit agere pontificalibus institutis. Dum hæc aguntur, ad Deum languidus toto corde conversus trahit ab imo pectore alta suspiria, implet lacrymis et luctibus omnia, facit verba A quæ Dei possent inclinare clementiam, erigit se totum mente, quasi in Secundini visibiles oculos precatur, obtestatur, vovet se nunquam ab illo recessurum, si pristinam sibi redderet sanitatem.

Cumque in ejus affectum reliqua, ut linguam, membra nesciens movet, recurrit ad animum: tentat revera movere manus, movet; extendere pedes, extendit; surgere, surgit; incedere, incedit. Exclamat quo altius valet « sanum se esse pedes, et omnia membra officium suum habere. » Hæc igitur vox magno audita desiderio, aliquantulum sustulit ad ædificationem ordinis sacerdotum. Tantus enim fuit in laude vera splendor, tanta in populis jubilatio, tanta denique lætitia in clero ut præ nimia exsultatione universitas illa gestiret. Videres incolumem operam suam medico affectuosissime polliceri, stabilitum ire; se illi, ut convenerat, mancipio dare: illum corporis sui auctorem, illum custodem animæ, illum sui largitorem beneficii gloriabatur. B

Mansit in hoc proposito dies admodum paucos. Ratus enim pro se esse patriam petere, amicos visere, fregit quod in Dei facie stabilierat pactum, mutavit præcipitatione consilium, negavit nulla necessitate promissum; et, quia timori erat solum et incomitatum tam longinquam aggredi viam, ad inveniendum itineris socius Romam accessit. Ubi autem repertis sociis pergit ire, valetudo pristina adimit gressus, parat redire, gressus resumit officium; parat abire, iterum pedibus, manibus et toto ei corpore interdicitur. Accedente igitur malo perterritus, quod viderit jam in se mala obliterata recurrere, ne tantæ calamitati ulterius inserviret, gressus unde tulerat, retulit; ubi autem, quoad vixit, in confessoris Secundini obsequiis devotissimus perduravit. C

Præterea cum Trojanus populus tantam auctoritatem, tantamque confessoris Christi virtutem potissimum enitere in dies singulos cerneret, ad illustrandam omnibus ornamentis, in qua reconditus erat, ecclesiam, consensione quadam unanimis intendebat. Quippe ex illo spes, ex illo fiducia, ex illo eorum maxime cura pendebat; de quo urbis præsule, de quo custode, de quo denique principe quotidie apud eos agitabatur. Videres singulum quemque ejus domui, ut suæ, ut liberis providere, in privatis rebus minimo et tenuissimo cultu contentos vivere, at in ejus publico apparatu ad dignitatem, ad gloriam, ad splendorem omnia parare. Fiebat autem ei assidua non solum de patrimoniis, verum tabulis emptionis, codicillis etiam omnium bonorum delegatio. Fumabant aromata, candelabra radiabant, omne illud domicilium cereis, lampadibus, nocte, interdiu coruscabat. D

Nocte vero quadam cum pro devotione populi, ut hodieque moris est, magna cereorum serie ara cingeretur a deferentibus, ut custodes diu eos accensos sinerent oratum est. Accensis ergo dimissis luminaribus, cum ad alia custodes animum verterent, dilata exstinctio memoria excidit. Inter cereos

Digitized by Google

autem et aram in anteriori parte illud erat spatii quod gradus, cui cerei capitibus accensis adhærebant, latitudo faciebat; ex aliis vero partibus sola interstitium palla erat. Arsit ergo ignis continue, nullusque illi ardendi finis, nisi cum materiæ fine fuit. Hæc interim sollicitudo hymnorum matutinalium somnum custodibus adimit; unusquisque se ad sua ministeria levat; alius aperire fores, pulsare cymbalum; alius libros extrahere, thura incendere. Ut autem cum thuribulo ad aram ventum est, ex illa cereorum multitudine nullus superesse videtur; vertit se per circuitus aræ custos, inspicit lineatim jacere cineres, sicut illorum fuerat ordinata compages. Excepit igitur admiratio admodum magna custodem, quod erant pallæ fimbriæ cineribus involutæ, sed integræ. Cumque ad illas manus admovisset, reperit, ut viderat, ab omni læsione ignis alienas. Hæc denique ut potissimum facerent videntibus fidem, putavit fore opportunum, ita ut repererat, reservare. Peractis igitur psalmis matutinalibus, cum clero populus ad tam grande spectaculum invitatur. Tollunt ad hanc visionem manus omnes ad sidera, multiplices referunt gratias Conditori, qui facturam non despicit, qui miraculis hominibus innotescit, qui Secundinum de virtute in virtutem sic enitescere frequentissime facit. Confestim deinde civitatem omnem accersere; dona decenter ministrare, vicinis quoque tantam gloriam intimare mandatum est. Hæc vera beati viri virtus maximam dignitatem in civibus, maximum vicinis gaudium, longinquis etiam urbibus commodum maximum comparavit.

S. LUCII PAPÆ ET MARTYRIS VITA

AUCTORE GUAIFERIO.

(Apud Bolland. *Acta sanctorum*, Martii tom. I, die 4, pag. 304 ex ms. Casinensi.)

CAPUT PRIMUM.

Encomium martyrii. S. Lucii ortus, sancta juventus.

1. Fortissima et præclara virtutum studia, quæ credentis ad commune compendium sacræ fidei documento formata sunt, altius cælata et impressa in martyrum maxime cernimus armatura. Illuc enim labore, illuc constantia et in eum verticem animi se magnitudine contulerunt, unde facta eorum clarissima ubique gentium, ubique terrarum, præter oculos omnium sempiterna memoria præsentantur. Efficit hoc obstinata patientia exercitii, quæ non modo illis delicata et mollia non admovit, sed robur etiam lassandi manus cædentium, et vincendi omnem vim totius hostilitatis indulsit. Hos enim virtus Dei et sapientia Christus in illud suum frequentissimum et singulare famulitium ascivit: hoc lectum bellatorum genus novo militiæ sacramento inter prætorianos suæ curiæ milites consecravit: ut armati fortitudine animi, nudo corpore sub ictum venirent, nihil durum extimescerent, nihil difficile formidarent, nihil intolerandum putarent: omnia humana despicerent, omnia graviter, omnia constanter, omnia splendide factitarent: orbem denique ipsum non modo prælio, sed bello superarent. Porro hæc consecratio imperatoris æterni, et ad ejus gloriam (non tamen ut alicujus egeat) instituta est, et ad humanæ reipublicæ præsidium comparata: ne velut navem solidam et durabili materia fabrefactam, tenaci compage solidatam, variisque coloribus auroque distinctam, mobili clavo, firmis rudentibus, malo excelso, carchesio insigni, velis splendentibus, postremo omnibus armamentis et ad usum idoneis et ad contemplandum honestis, si eam nulli gubernatores regant, nulli remiges agant, facile cum hujusmodi instrumentis aut pelagus merget aut in scopulos tempestas allidet, ita per pulchram et eximiam hujusmodi creaturam, dilectum animal Conditori, imaginem Dei, similitudinem Redemptoris, orbis speculum, ætheris dignitatem, principatus et potestates hujus mundi, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus, crebra, vehementi et usitata incursione perditum irent; si pro ea plures martyres divino magisterio minime dimicassent.

2. Sed adversus hujusmodi acies earumque manus, in potentes tyrannos, per urbes universas toto terrarum orbe diffusos, non multitudine militum, non numerositate legionum, non fulgentibus armis, non pecuniis infinitis; sed a duodecim tantum primariis, qui simul Imperatoris et Militis officia gererent, obviatum est: qui se copiis exponerent, qui receptui signa dare nescirent, qui pugnam nullatenus detrectarent: nulla materiali armatura, ne levi quidem, quibus etiam baculo interdictum erat, insignes. Ex quibus nempe primariis Simon ille, longe omnium excellentissimus, omnium princeps, omnium antesignanus, cui, ex fidei soliditate et amoris affectu erga Dominum Salvatorem, Petrus est nomen impositum; in Urbe, ubi thronus, ubi dignitas terreni rutilabat imperii, suarum posuit castra virtutum: tantusque vir Deo plenus, in superando fuit, ut nemo post ipsum, vel sperare similem audeat, vel optare triumphum. Neque enim se digno negotio decertasset, si se cum aliis composuisset, qui vinci sine laude maxima et gloria potuissent. Ad ardua et difficilia Capitolinæ arcis ascendit, ut excusso Jove de solio, reliquos facilius dæmones alibi civitatum eadem

Digitized by Google

ruina sequeretur. Intentus igitur diligentissimo operi, disceptatores et arbitros ad suum arbitrium informavit, qui et ipsi monstra immania Crucifixi virtute subigerent, sordibus orbem terræ purgarent, malitiam perdomarent, qui iracundiam, invidiam; qui avaritiam, libidinem, omnesque pestes ab humanis mentibus cohiberent; nudi et ipsi, quibus nullum erat in re familiari præsidium, nullum sub cœlo commodum divitiarum. Mutaturi equidem pontificio consulatum, præsulatu imperium, sacerdotio magistratum; præturam, præfecturam, ipsam denique senatoriam dignitatem et reliqua id genus officia in ecclesiasticam dignitatem : eorumque coruscantibus signis sic mundum subacturi, ut hodie omnes gentes, omnia regna, ipsum etiam imperium Romani sacerdotis decretis jussionibusque videas famulari.

5. At contra eos Romana potentia illa sua victricia, non solidis tamen successibus, signa movet : ferocioribus adversus illos animis, quam in quoslibet hostes, vim suam intendit; ut veneficos, ut patriæ proditores, ut in exitium publicum generatos, omni genere tormentorum aggreditur. Experitur in Petro crucem, in Clemente exsilium, in marcello servitutem, catenam in Alexandro, gladium in Lucio. Et cum per totum orbem de familia Christi quosdam velut rabidas feras affligeret; quosdam ut truces et immansuetos occideret; in alios velut in aliquid morbidum ferrum dimitteret, alios ut portentuosos fœtus exstingueret, alios ut monstruosos debilesque necaret; non a familiaribus, non a domesticis. nec a seipsa quidem immanem avertere potuit crudelitatem. Ecce hic Porphyrides Lucius, civis Romanus, pontifex maximus, de cujus triumphi titulo dies hodierna gloriatur, illius familiæ pollens nominis dignitate, quæ, ut Roma superesset, Carthaginensi et Numantino furori imo toti orbi, modum et finem imposuit; propter suam opportunam in Romano populo operam, sub Valeriano Cæsare capitali sententia necatus est.

4. Sed videtur operæ pretium ad posteritatis compendium seriatim evolvere, quod homo totius integritatis et magno natu, patricius, ingenio prudenti auctus, oratione limatus, juris peritorum eloquentissimus, eloquentium juris peritissimus, cujus majestas et amplitudo et dignitas sacerdotii cœlum destinaverat, interdicturus sibi voluptatibus et vitiis, ab ineunte ætate totum se sacris moribus officiisque indulserit : quodque derelictos a pietate, a misericordia, ab humanitate, inveteratos etiam perfidiæ, libidinis et odii loris, non severitate austera, non emissione diffusa, non gravitate tristissima, sed machinatione orationis variæ et vehementis, plenæ animi, plenæ spiritus, plenæ dulcedinis, plenæ veritatis, in arcem pacis, quietis et religionis eduxerit. Nec illud quoque alienum fore, quonam modo in titulo Christianitatis cum Cæsare furibundo compositus, uti ancillari Romana et gentium jura videbantur, a litis intentione ad depulsionem, a depulsione ad statum abeundo, prudenter et splendida ratione et concertatione verborum ea locutus, quæ versantur in societate civili, in sensu communi, in natura, in moribus semper superior fuerit. In campum enim patentem, ubi spectatores Christum, principatus et potestates haberet, proposita illum præmia et animi magnitudo sustulerat : cui pro vallo et hostium statione dimicanti deprimi, inclinari, nec moveri quidem contigit, ut triumphum ex virtute nascentem ad cœleste imperium gratia maxima potitus, asportaret

5. Ad hanc igitur gloriam et nobilitatem expetendam exsecrandum id admodum ratus, quod perturbationum omnium fontem principiumque persenserat; primum intemperantiæ monstro (quod scilicet est a recta mente, ab omni ratione defectio, ut hac animus infectus, nec regi nec contineri potuerit) fores animi clausit admissa semel in mentis hospitium moderatrix virtutum et domina temperantia : appetitiones quidem, ut rectæ rationi parerent, effecerat, utque frugi homo judicia sana servaret, omnia recta faceret, moderati, constantis et quieti animi esset; ne tabesceret molestiis, ne frangeretur timore, ne inani claritate gestiret, nec denique nisi cœlesti desiderio arderet : quia cum se virtus in editissimo et eminentiori loco recepisset, unde vacare sibi totum, quod illustraverat, conspectum iret, bene usa viribus suis, pectus beati viri comitibus tantum liberum scilicet atque mirabile dedicavit ærarium : unde res bonæ, utiles et honestæ, justitia, continentia, prudentia, magnitudo animi, liberalitas, pietas, amicitia, spes, fides, caritas, cæteræque contrariæ vitiis virtutes expeti facile potuissent. Ita quidem divina providentia ei, qui jura, qui Urbem, qui vera sacra servaturus esset; qui in forum, qui in rostra, qui in curiam de Christo dicturus procederet, hujusmodi competere jussa sunt ornamenta. Humano igitur generi ut summæ divinitatis facturæ, imo ut Dei similitudini intentus, circumspicit largam ubique et assiduam mali materiam : alios egestate laboriosos, alios ambitione sollicitos, alios torpentes desidia, alios sordidatos luxuria; hos impatientia concuti, illos sævitia inflari; quosdam iracundia, furore, crudelitate quosdam insanire; adversus quos miserandos affectus vir bonus operam et robur pectoris experitur, et secundum Apostolum (*I Cor.* IX, 20) omnibus omnia factus, quod referret omnium, unicuique omnium gerit; et modum præstat unicuique, indulgentiam tanquam fratri, venerationem tanquam parenti, cultum tanquam superiori; hujus miseretur, illi moderatur; huic succurrit, hunc instruit; omnibus autem inter tot errores dies noctesque malæ mentis laborantibus, ad beate æterneque vivendum, tutissimum quoque et celeberrimum in hac vita iter ostendit.

CAPUT II.

Adhortatio S. Lucii de rerum terrenarum despectu et imitatione Christi et virtutum acquisitione.

6. Lubrica sunt et incerta omnia, nec dici possunt bona, quæ speciosa, sed fallaci voluptate, miseros,

Digitized by Google

mortales alliciunt : pecunia, dignitas, potentia, et alia id genus ; ad quæ tot homines inducti, cæca cupiditate obstupescunt : ista cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur, neminem non sollicitum faciunt, neminem bene felicem, neminem bene securum. Nullus stabili consistit loco, jactantur omnes, pendent, fluctuant, in alterutrum illiduntur: alii alios cadentes trahunt, alii aliis exitio sunt. Strages est ista, non vita, et coacervatio aliorum super alios ruentium. Respondeat sibi licet quisque ad votum, credatque voluptatem summum bonum, gloriam et seculi pompas et ultima vitia in summa felicitate ponat : omnia tamen humana brevia et caduca sunt, nec procedentia in partem aliquam temporis longioris : cito transeunt, et immaturo citra incrementum termino concluduntur, ut nec illis diu stare contigerit. Etiam ad illa, quæ vetustate gloriantur, extendamus, si libet, ætatis nostræ metam, cujus medium pauci computant in annum centesimum : inde ducatur animus ad longissima et infinita ævi spatia ; hæc tempora, æternitati comparata, quam proportionem facerent, etiamsi nobis ætas annum millesimum indulgeret? Quæ cum hujusmodi sint, exiguum istud et breve, quo cogimur ad morem aliorum vivere, ita totum negligentiæ desidiæque mandamus, ut id ipsum plane sit mori, quod vivimus. Humana enim per luxum et intemperantiam a pueritia vita diffluit, torpore iners, defatigata lasciviis, ambitione suspensa, mercandi cupida, vaga et inconstans et sibi displicens, quam undique vitia urgent, undique circumstant : nec eam bene collocari, nec ulli bonæ rei impendi, nec erigere vultum, nec attollere lumina in aspectum veritatis sinunt. Cogit tandem se miseram, fabricatos digitis suis adorare deos : gaudet ante inepta simulacra, ante inepta figmenta, ante nefandissima monstra corpus inclinare captivum ; placetque statum sublimem ad cœlum, et ad Deum suum vultum erectum, cum ceteris animalibus pronis ad terram situ vergente deprimere.

7. Huic porro vitæ in tanta tempestate, in tam reciproco mari, in procelloso pelago naviganti, nulla salus nisi jactura, nulla quies nisi naufragium, nullus portus nisi interitus est. Supersedendum ergo est omnibus illecebris sæculi et idolis errore humano adinventis : ad Deum eundum est, ad cœlestia intendendum : illuc intuere, illuc oculos erige, illuc suspensum pectus attolle : ne te ad pulvinaria mortuorum hominum sternas, ne ante creaturam in tuum conditam famulitium cadas : serva dignitatem, serva sublimitatem, serva Dei similitudinem : tantus quantus es, persevera : talis sis, qualis a Deo factus es : respice te, fac sis tecum, redi ad animum : ut cognoscere Deum possis, te prius agnosce. Ille in se credentibus cœlum patriam facit, super solem et stellas mansionem ædificat, ubi honores æterni sunt, gaudia infinita, pax sempiterna, quies perpetua : ad hæc inæstimabili charitate adoptat in filios homines, et quod solius ipsius est, participare eosdem facit divinitas nomen et dignitatem. Ergo ab hoc exiguo et caduco temporis transitu, in illa toto nos demus animo, quæ immensa, quæ æterna sunt, quæ melioribus meliora : ad quæ nimirum sola Christi charitate deducimur, ubi nobis nulla sæculi diuturnitate interdicitur, ubi omnes admittimur, ubi non constringimur, non asserimur ; sed tuti, sed liberi, sed æterni libero et aperto fruimur cœlo : ubi nos terror nullus invadet, non ira torquebit, non morbus afflget, non suspicio lacesset, non invidia insectabitur, non metus sollicitabit, non levitas inquietabit. An non, si bene æstimes, sola hæc nobis ipsa quodammodo æterni beneficii loca erepta, et ablata sortirentur? Agedum, ex hodie magistratus, aut quæstionis aut tantum animi causa, duci juberet, ut primo virgis cæsus, inde ligatus ad palum, securi feriendam cervicem lictori exponeres, sicque, propinquis et necessariis, conjuge et liberis assistentibus, exsecrabile populo spectaculum dares, supplicationibus undique pro ereptione actis, parum succederet, quod inanis illius et ventosæ felicitatis in tanti terrore discriminis scires pondera, et eam ad omne vitæ tempus recoleres. Certe, si tum tibi possibile esset libere magnitudinem et illa fulgentia bona æstimare, lectos aureos, aureis mensas fulgentes vasis, supellectilem grandem, servorum turbam, unguenta, coronas, odores, conquisitissimas epulas, quæ fastidienti gulæ a Gadibus, ab aurora, et ab ultimo portantur Oceano ; sentires utique dispungendo et recensendo omnes vitæ tuæ dies, nullum memoria dignum, sed omnes æque perditos, æque exitiabiles apud te resedisse ; magisque te miserum et infortunatum, quam Syracusanum illum, cujus impendere cervicibus, in illo tam desiderato apparatu, gladius a tecto demissus seta equina cernebatur.

8. An tu ilios vivere putas, qui tetri, rabidi, et concitatissimi sunt impetu doloris, armorum, sanguinis, suppliciorum ; quorum est minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, manus inquietæ, color versus, suspiria crebra : micant oculi, horrent capilli, stupet spiritus, quatiuntur labra, comprimuntur dentes ; qui pulsant humum pedibus, qui complaudunt sæpius manus, qui totum concitant corpus, fœdi visu, horrendi facie, omni denique irarum affectione deformes? aut illis jure tuo vitam cedis, qui quorumdam inhonorifico facto vel dicto moventur, si illorum sermonem superbus aliquis aversatus est aut palam risit ; qui si cum aliis ad cœnam non admissi sunt, aut si admissi, non in medio, sed in ultimo forte locati, si illis salutantibus mutuam salutationem non de industria salutatus non reddidit, serio ista fieri ad suam contumeliam credunt? Quid de invidis censes, qui aliena felicitate tristantur, alienis malis delectantur, qui ut commodum aliquod consequantur, alios violant, naturæ leges invertunt, ab humanitate exeunt, et hominem ex homine tollunt? Nonne hæc æterna miseria est, et inhumana voluptas? Nec illos mortuos putas, quibus longæ paratæ opes, et rerum

Digitized by Google

abundantia, et magnificentia ædium regiarum semper timori sunt, ne tantos eorum apparatus, aut prætoris sævitia, aut aliqua intercedens culpa depleat? Exagitati etiam morbis doloribusque, quibus ferrum et ignis admovetur, quorum ossa frangi et lædi videmus, quorum venæ extrahuntur, membra amputantur, vivunt? Quid inconstantes illi, qui fluctuationem suam sistere nequeunt, qui tranquillitatem abhorrent, qui omni motu animi tumultuantur, quos pœnitentia cœpti tenet, incipiendi timor: infirmi ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis: qui proposita sæpe mutant, et in eadem revolvuntur: qui quodammodo se fugiunt, qui nullum novitati locum relinquunt, quibus fastidio vita est et ipse mundus? Omnes profecto istos, in quos tam pestilentes affectus incursant, potius miseria mortuos, quam vivos, non immerito dixerim, præsertim cum ad votum parum detur, corporis custodia retentis, suis abuti voluptatibus, et ejectis super omne, quod dicitur miserum, miserabile, et irremediabile, sententia irrefragabilis sit illatura tormentum.

9. Retinendus est ergo in proclivi animus, et adversus ardua impellendus, non est dubium, quin ascendens nitatur: obluctari patientia, fortitudo, et perseverantia debent, ut ferentia pessimum hominem vitia subigant, utque tam claram et nitidam neque uno genere formosam, natam fastigia cœli transcendere, creaturam infernali præcipitio non condant. Eamus itaque perditum, quod melius et æquius est, sæculi voluptates; opibus vero, quæ verius occupationes sunt dicendæ, renunciemus: his enim admissis, bona omnia subvertuntur. Exigua porro sunt, quæ in tutelam hominis necessaria sunt, quæ desideriis corporis satis facere possunt: facili tegumento submovetur frigus, alimentis modicis fames sedatur et sitis: non est quod naturam accuses, passim quoque et omnibus locis jacent, quibus te nutrire potes. Quid denique tua intererit, si exquisitis artibus ventri serviatur et gula irritetur, stomachus impleatur? non diu ista fient. Hospitabundi hic, imo hospites sumus; in alieno manemus. Vis probare. Exspecta parum, et parte luxuriæ et dilecti penitus oblivisceris hospitii. Corrigamus errata, quibus satis indulsimus: redeamus ad limitem nostrum Christum, qui nos errare non patietur; in quo qui fortiter ambulat, non offendit; qui concitatius fertur, non labitur; in quo nullum velocitas patitur intervallum. Ecce militiæ supernæ adscriptos, ad donativa recipienda nos citat: ingentia sunt, ut diximus, et æque divina, quæ pro tanta nobis expeditione promittit: nihil frustra tentabimus, nihil prohibebimur. Omnia cedent, omnia obsequentur: ita quidem famulatum imperio, servitutem libertate, jam non mutandi mutabimus.

CAPUT III.

Gesta S. Lucii in pontificatu. Cœpta in eum persecutio.

10 Hæc cum a Lucio dicta essent, populus frequens Christianam ad cœlum religionem attollere, nomina dare, fidem poscere, alii satagebant ante alios. Fideles vero non parvo in dies desiderio accendebantur ad mandandum ei pontificatum, quam primum Cornelio cœlum obtingeret: eum successione aptissimum, qui Romanum sacerdotium cum doctrina tum virtutibus etiam administrare posset, acclamantes. Cornelio interea dum Martyrii laurea cœlo candida exhibetur, pontificii Maximi Lucius, omni Ecclesia annuente, potitur. Erat ei vetus opera, æs alienum pro eo, qui solvendo non erat, solvere; factioni prætorianæ privatum etiam intercedere, ut oppressos judiciis liberaret: misereri pupillorum, consolari afflictos, egentium providere inopiæ; advenam viduamque defendere. Illum enim Patrum nostrorum et memoriam et exemplar, Job virum fortissimum affectabat, cujus hæc et alia liberalissima verba de hujusmodi officiis eum Scriptura docuerat: Salvabam pauperem de manu potentis, et adjuvabam pupillum, cui non erat adjutorium. Os viduæ me benedixit, et indutus eram judicium, et circumdatus æquitate: ego eram oculus cæcorum et pes claudorum: ego impotentium pater, examinabam causas sine exceptione et confringens injustorum molas, auferebam rapinas de mediis dentibus eorum.

11. Cumque totus ad hæc eotenus immigraret officia, ut vix satis otii suppeditare aliis institutis pietatis ac religionis posse putaretur; ita tamen aurea idem statera summam rerum erat solitus examinare, ut æque in alteram partem magna cum admiratione omnium mentes et oculos flecteret. Septem nimirum Antistites, quasi artifices et vitæ humanæ custodes (sic enim decebat ut suum habitatorem Paraclitus, donorum suorum re et numero potentem, ostenderet) lege magistrante, consecravit: quibus pectusculum et separationis brachium dexterum obtingeret, ut sacerdotes essent, ut ad Dominicum altare ascenderent, ut sacrificium salutare offerrent: qui essent pleni scientia, pleni diligentia, pleni magnitudine, pleni fide, pleni omni divina intelligentia, imo pleni omnium virtutum Dei. Hos denique opportunissimo munere ad audiendum causas in judicii ac defensionis possessionem constituit, ut in Ecclesia, doctrinæ verbo, sollicitudine multa, vigiliarum labore peccantium benevolentiam sibi conciliarent; ducturi eos potius illum sequi tramitem, per quem possent ad veri Dei notitiam, unde discessum fuerat, pervenire. Tales quippe antistites, Præsul præsulum, pontificum Pontifex, Sacerdos sacerdotum, principum Princeps, Rex regum, Dominus dominorum ad ferenda vasa Dominica probat, nihil remissum, nihil dissolutum habentes, nullum animæ, nullum corporis lapsum exstimescentes, ut sint sancti corpore et spiritu, ut magni vocentur in regno cœlorum. Neminem ergo ex his communem (essent enim multorum) sed solius Dei, ut separata pars sacrificii ostendebat, esse Lucius voluit: nec hos equidem ad bellum ire, nec in hostem pugnare, sed cum Moyse elevatis manibus orare, ut, donec

Digitized by Google

orationi vacarent, de invisibili hoste triumpharet populus, ut pessimos Amalecitas, dæmones scilicet, ab ipsa procul statione submoveret ; ne, si desisterent, manusque dimitterent, fundi se victores a victis, redintegratis iterum legionibus, persentirent.

12. Servabatur præterea apud eos, in sacrosanctis ministeriis singulari apparatu exsequendis, constitutionis ecclesiasticæ mos antiquus : nam et ministrorum constipabatur magna quidem et felici frequentia, cum esset ad divina secreta solemnis accessus ; et legalibus indumentis, quæ possent inaugurato pontifici obvelata facie lituum exprobare (1) vel coronam, etsi mentis habitu ornatiori insigniebatur. Adinvenit etiam vir studiosissimus vestem illis omnibus, ut oblectamento luminum et diligentia cresceret, meliorem, cui nomen dalmatica (2) est : quæ cum per se, tum ex dignitate sacerdotii, pretiosior toga picta, palmata (3) tunica, purpureoque sagulo (4) clavato fibulis aureis apparebat. Hujusmodi autem utendi levitis etiam potestatem fecit. Ita vir singularis, non modo virtute, constantia, et gravitate, verum ornamentis insignibus præditus, cum illo stipatore suo senatu, ante res divinas et cæremoniarum sacra, de sacratis legibus, de tabulis Testamenti, de privilegio Evangelii sitientibus populis daturus vitæ fluenta procedebat : ut auctoritatem indumenta pontificalia, fidem sacri verbi copia faceret, dum civitatem fractam malis, abjectam metu, debilitatam luxuria, ad spem cœlestis dignitatis et libertatis certat erigere. Sic profecto, quod mirabile videri potuerat, diuturno labore religio inter ipsa scelera valuit, ut legitimis verbis, sermonibus liberis, Christi nomen et fides vicatim tota Urbe celebraretur.

13. Ad hæc pontifices Capitolii, gregales dæmonum, procella patriæ, turbo pacis, tempestas otii, omne scelus, omne nefas, omnem discordiarum impetum, omnes denique invidiæ faces et odii venenati tela nefaria temere turbulenti, per vim atque furorem in præsulem Lucium intorquebant : qui de repente tota Urbe sui juris fanaticos, omnium delubrorum quisquilias, ad conjurandum in profes- A sores Christiani nominis impellebant : inde per forum et rostra populares quosque, ut ejus sceleris homines, quanto valerent studio, convenirent, eosque vel acerrimis stimulatos odiis, vel datis opibus acceptos, ad hujusmodi quæstionis præsidium compararent. Ex his autem instructis testibus, et accusatoribus institutis, prorumpunt in curiam, vociferante, quidem multitudine, se venisse interpellaturos cæsarem ac senatum : dicunt causam fere minuendam penitus majestatis et tollendæ reipublicæ, nisi provisum extemplo fuerit : propterea supersedendum aliis omnibus oportere, et conjugibus et liberis, aris atque focis, maximeque diis immortalibus consulendum, cavendumque ne, cum improvisos ruina præceps involverit, frustra dii implorentur : B qui quantum infesti sunt eorum sacra violantibus, tantum etiam ulcisci nolentibus. Hæc vox non modo senatui et cæteris dignitatibus, sed Urbi et ipsi cæsari, pavore incusso, animi fortitudinem expectoravit : statimque illis, ut libere quæ vellent, dicerent in Jovis atrio, faciunt potestatem. Senatu dato, maximus ex his, et dignitate et natu : « Utar (inquit) meo jure dicendi, Cæsar, pace quidem tua et magistratus, quod Jupiter optimus maximus hac in æde primo pontificibus et regibus, dein consulibus, tandem vobis privato creditur auctoramento cessisse : neque enim sententia mea aliter contra vos, quam pro vobis dicta, fas est indignari, quos recenti beneficio in collegium nostrum admissos instituendi corrigendique auctoritas nobis vetusta C subegit. Sed liceat stomachari ferreque acerbe, dummodo tam miserabili jactura labefactari rempublicam taciturnitate non patiar, dummodo ejus, recte si dici possunt, conservatores, desidiæ accusem : dummodo divinarum religionum interpretes non tantum voce, verum omni virtute animi et corporis, deorum immortalium fidem ab improbis atque furiosis hominibus oppressam, desertam, ac perditam tuear : quia talia negligentibus, ut inferentibus cœlo lucem, contra ignea jacula non erit posse diuturna impunitate muniri. . .

Reliqua in manuscripto non habentur.

(1) Id est efficere ut papa Romanus sic indutus nihilo inferior quoad ornatum videretur pontifice maximo idolorum. Pontifices autem profanos illos summi, statuæ aliaque ejusmodi antiquitatis Romanæ monumenta exhibent velato capite per posteriorem togæ partem sursum attractam : eadem lituum, seu baculum auguralem, sæpe repræsentant, pontificium gestamen ; item coronam ; quamvis pro hac in ms. potius legi videatur *cornu*, cujus non video quis fuerit in sacris usus.

(2) Ea tunica manicata est ; cujus et nomen et usum volunt e Dalmatia fluxisse : hac uti solitum Pertinacem imperatorem scribit Dominicus Magrus in notitia vocabulorum ecclesiasticorum. Et *primo quidem*, inquit Walefridus Strabo apud Octavium Ferrarium lib. I, De re vestiaria, cap. 39, *Sacerdotes dalmaticis ante casularum usum induebantur. Postea vero cum casulis uti cœpissent, dalmaticas diaconibus concesserunt* : siquidem *Silvester ordinavit ut diaconi dalmaticis in ecclesia uterentur*, ut ait idem : ut autem uti possent Lucius indulserat tantum : nam hic D dicitur eam vestem Sacerdotibus adinvenisse. Cæterum hanc concessionem soli Romano clero factam ex S. Cæsarii Arelatensis Actis colligimus, *cujus Diaconos Symmachus pontifex, præclara meritorum ejus dignitate commotus, perinde ac Romanæ Ecclesiæ diaconos dalmaticis uti voluit.*

(3) Agit de his prædictus Ferrarius lib. II, cap. 8, suntque triumphales vestes : et *toga* quidem *picta, quæ nunc dicitur*, inquit apud Sextum Pompeium Verrius Flaccus, *purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura : hanc autem*, ait Plinius, *acu facere Phryges docuerunt, ideoque Phrygiones appellati sunt* : et quidem auream hanc picturam fuisse tum ex aliis multis locis ostendi potest, tum ex illo Ausonii ad Gratianum longe clarissime : *Hæc est picta ut dicitur vestis, non tam auro suo quam verbis tuis.*

(4) Sic dictam Festus ait a clavorum magnitudine, quod nempe latis clavis ad instar palmæ manus distincta esset ; deinde a genere picturæ, quod palmas intextas haberet. Servius autem ad XI Æneid. quod eam mererentur, qui palmam de hostibus reportassent.

Digitized by Google

INDEX IN JOANNEM ROTOMAGENSEM.

Revocatur lector ad ciffras crassiores textui insertas.

A

Abbates juxta regulam suum eligendi, 229, 240. Obedire debent episcopis suis, 251, 257.

Abbatis monachorum ordinatio, 238.

Abbatis canonicorum ordinatio, 257.

Abbatissæ ordinatio, 240.

Absolutio duplex in die cœnæ, 55, 131. Eam recipiebant ab archiepiscopo canonici S. Laudi Rotomagensis, 295, 296.

Acolythorum origo et officium, 387, 409. Eorum est portare sacras Scripturas, 387. Acolythus defert chrisma in ordinatione episcopi, 215 Acolythi 7 cum candelabris in missis pontificalibus, 103, 215. Duo cum thuribilis 215.

Adventus Domini quando incipit, 255. Adventus Christi in Jerusalem quid designat, 368.

Agenda mortuorum quando celebranda, 31. Cum 9 lectionibus quando celebratur, 111.

Agni cum Christo comparatio, 60, 384.

Agnus Dei in missa quis instituit, 25, 111, 422. Tempore confractionis debet decantari, 25, 11.

Alba quid denotat, 85, 410, 416. Ea olim erat sine rugis, 85, 416. Albis debent in hui acolythi ad altare ministraturi, 13. His uti licet baptizatis, 62, 138, 139. Per 7 dies a neophytis deferendæ, 62, 138, 139. In octava deponendæ, 62, 139.

Albanenses clerici ad decantandum cum canonicis officium instituti, 122, 427. Inter eos 4 subdiaconi, 3 diaconi, 3 presbyteri, 425.

Alleluia duo in missa quid designant, 44. *Alleluia* olim post laudes septuagesimæ dicebatur, nunc ad vesperas sabbati, 43, 124, 125, 279. In sabbato sancto ad missam 22 cappatis decantari debet, 63. 139, 317. In duplicibus et semiduplicibus similiter, 85, 139, 337, 353. In feriis ab acolytho, 13, 102.

Altare quid designat, 13.

Altarium et chori aspersio in Dominicis, 258. Nudantur in cœna Domini, 55, 56. 134, 297. Vino et aqua benedicta abluuntur, 56. 134, 297. Quando cooperienda, 312. Quando ad altare sacerdos et ministri procedant, et quo ordine, 15.

Ambrosii (S.) locus lib. 1. Offic., c. 41, quomodo legendus, 107.

Ambulare, in Scriptura sacra idem est ac operari, 464.

Amen vox Hebræa quid significat, 36

Amictus collo circumdatus quid significat, 85, 410, 41.

Angelus vox Græca quid significat, 36.

Annotini paschatis officium, 201.

Annuli episcopalis benedictio, 223. Quid designat, 110.

Antiphona quid designat, 6. Ad *Magnificat* et *Benedictus* in festis triplicibus ter canitur, 53, 55, 66, 72, 80, 173, 205, 347, 349, 350. In Assumptione B. V. M. ad *Magnificat* quomodo olim cantabatur, 202. Octo diebus ante Nativitatem Domini antiphonæ *O* quot, quando, et quomodo canendæ, 176, 262, 339. In feriis ad omnes horas de ultima séde inchoantur, 183. Pro peccatis in feriis quadragesimæ, 48. *Vidi aquam* tempore paschali ad aspersionem dicatur, 66, 320.

Apostolus vox Græca quid significat, 372.

Appellatio ad revestiendum pulsanda, 258, 335.

Aqua ab acolytho quotidie ministratur in missæ sacrificio, olim tantum in feriis, 20, 106. Eam linteo coopertam cantor in festis diacono offerebat, 19, 106. Mixta vino quid designat, 20. Aquam benedictam quis instituit, 121. A Christianis ad domos suas delata, 316. Non benedicitur nisi in missa parochiali sub pœna suspensionis, app. 42. Aspergitur post completorium in Quadrag., 173.

Ascensionis Domini festum quomodo colitur in ecclesia cathedrali Rotomagensi, 73, 148.

Asperges me a cantore ubi est septimana debet inchoari, 258.

Aspersio aquæ benedictæ in capitulo, dormitorio, etc., 259, 272.

Assumptio B. Mariæ inter ejus festivitates præcipua, 80.

Avaritia clericorum taxatur, 457, 464, app. 20.

Audoeni (S.) et S. Petri ecclesia, quæ, 71, 117.

Audoeni (S.) festum quomodo celebratur, 156.

Augustinus (S.) sol in Ecclesia, 452.

B

Baculi episcopalis seu pastoralis benedictio, 222. Quid ille designat, 223, 410. Abbati et abbatissæ traditus in ordinatione, 238, 239, 243. Ejus festiva acceptio in festo fun centum, 2 5. Baculi deponuntur diacono legente evangelium, 17, 101, 390.

Baptismus in remissionem peccatorum datus, 461. Ad salutem necessarius, 484. Ejus administratio sacerdotibus commissa, 483, 484. Generalis hora nona conferendus, 407.

Baptizati in manibus lumen tenent, 62, 138, 139.

Barba clericorum radenda, 3, 91, app. 22. Quid designat, 3.

Benedictio chrismatis et olei cum ceremoniis, 184. Novi ignis, 53, 58, 61. Episcopalis in missa ante *Agnus Dei*, 109, 142, 244, 245, 246. Aliquando pro oratione sumpta, 152, 395, 397. In fine missæ super populum novissime introducta, 26, 64, 111, 112, 318, 393.

Beneficiis non tam dominandi amici, quam idonei et utiles, 427. His non privandi clerici honesti, senes, et infirmi, 426. Beneficii curati collationem postulantes personaliter episcopo se præsentent, app. 9, 13.

Beneficiatorum curatorum vita saltem a decennio examinetur ante collationem, app. 14.

Bertrandus Chariti archidiaconus Augi in Ecclesia Rotomag. et apost. sedis nuncius, executor fundationis Clementinorum, 457.

Bona Ecclesiæ superflua ad quos usus deputanda, 451.

Bonum esse inter malos, maxima corona, 471.

Bullæ summorum pontificum Urbani et Gregorii X, de residentia, app. 60, 61.

C

Calix ad dexteram partem hostiæ olim positus, 20, 106. Corporali olim coopertus, 20, 22, 394. Huic participabant diaconus et subdiaconus, 24, 109. Eum levabant sacerdos et diaconus, simul ponebant, et cooperiebant, 22, 108, 394. Illum mundabat diaconus, et quod remanserat is se cum subdiacono sumebat, 24, 109. Alius ad manubrios digitos post communionem ab acolytho detersus, 24 Calicem et patenam tenebat mantili involuta usque ad completionem primæ postcommunionis, 25.

Camisiæ laciniosæ clericis olim prohibitæ, app. 22.

Campanæ unde originem traxerunt, 385. Earum expositio, *ibid.* Omnes in festis solemnioribus pulsandæ, 12, 55, 65, 73, 76, 80, 101, 115, 159, 264, 266, 319, 330, 349, 356 Duæ in feriis 12. Duæ item pulsandæ apud canonicos S. Laudi dum transit corpus Domini in ramis palmarum, 286, 287. Omnes olim ad vesperas in die cœnæ, 53. Triduo ante Pascha non pulsandæ, 53, 296, 404. Omnes pulsantur ad *Gloria in excelsis* in sabbatis Paschæ et Pentecostes, 63, 139, 317, 329.

Candelabrum cum 7 cereis ante majus altare, 204. Septem in missa pontificali quid significent, 16 Lecto evangelio olim extinguebantur, 19, 105, 390. Illuminabantur dum psallebatur *Agnus Dei*, 25. Ad *Te Deum* teneantur, 181. Ad evangelium sabbato sancto non portantur, 317. A clericis deferenda, non a laicis, 167.

Candelas deferunt pœnitentes publici in sua reconciliatione, 195.

Canonici olim fratres vocati, 7, 10, 11, 12, 47, 252, 254, 266, 284, 290, 291, 294, 313, 316, 329. Eorum est officia ecclesiastica agere, 4, 98. Trium regum personas exhibebant in die epiphaniæ, 206. Canonici regul. S. Laudi Rotom in processionibus ad ecclesiam cathedralem sedent in choro sinistro, 325. Eorum et canonicorum cathedralis ecclesiæ in festo S. Audoeni eadem distributio, 175. Canonici regularis S. Laudi instituto, 247.

Canonum et ministerii contemptores suspensione plectuntur, 480. Canonis missæ explicatio, 369 Dum recitabatur in missis quadragesimalibus canonici S. Laudi se incurvabant. 284.

Cantori ecclesiæ cathedr. Rotom. refectionem præbebant monachi S. Audoeni 3 diebus rogationum, 168. Ipse in festis aquam diacono deferebat in missa, 19, 106. In medio processionis incedit, 167. Cantores hebdomadarii, 256, 257, 261, 272, 277, 296.

Capitulum post primam canonici ingrediantur, 11, 99.

Digitized by Google

In eo de quibus tractandum, 100, 101, 270, 292. Quomodo teneatur in vigilia Nativitatis Domini et Assumptionis B. Mariæ, 263, 318.

Cappa cantorum ornamentum, 115. Caputio olim ornata, *ibid* Ab omnibus clericis defertur, *ibid.* Cappæ laneæ, seu hyemales, sabbato sancto deponuntur, 312. Eas induebant canonici S. Laudi in processionibus rogationum et S Marci, 325, 344. Cappa chorialis 20 solidorum turon. pro clericis de Albania, 425.

Capsas reliquiarum canonici sancti Laudi deferebant in processionibus rogationum, 325.

Caputia in capite, non birreta, clerici portabant, 248, 312, app. 2, 6.

Carnium et sagiminis abstinentia in adventu apud canonicos sancti Laudi, 261. Earum expositiones in cœmeteriis non fiunt, app. 41.

Caseus et ova papa et Romani sabbato sancto comedebant, 140.

Casula quid significat, 411, 416, 418. Ejus forma, 120, 121. Omnium olim clericorum erat ornamentum, 105. Casulis induuntur diaconus et subdiaconus in Dominicis Adventus et Septuagesimæ, 27, 104, 260, 280, 288, 412 Olim etiam in feriis ejusdem temporis, 27, 104, 112, 260, 280, 282, 304. Casula exuta subdiaconus legit epistolam, et lecta reinduit eam, 18, 104, 260. Eam in modum stolæ componit diaconus lecturus evangelium, 18, 104, 260. Hanc choro *Agnus* bis repetente reinduit, 25, 111, 260.

Catechumeni de fide et moribus instruendi, 50, 129. Quando ab Ecclesia expellendi, 505.

Cathedra pontificalis juxta vel retro altare, 14, 16, 27.

Cauponæ diebus festis saltem tempore divini officii occludantur, app. 41.

Celebrans sacerdos nihil legebat quod a choro cantaretur, 104. Nec epistolam, nec evangelium, 16, 104, 305, 515.

Cereus paschalis quid designat, 158. A diacono benedictus, 137, 314. Ejus inscriptio, 138. Usque in crastinum post completorium, non exstinguatur, 314, 329, 406. Ad fontes per 7 dies deferendus, 138, 143, 313. Quando deponendus, 332. Unus in missa inter duos olim positus, 15, 587, 588. Cerei in duodecim crucibus accenduntur in dedicatione ecclesiæ, 554. Viginti quatuor ante altare accendantur in candelabro ad nocturnas triduo ante Pascha, 52, 289, 405. Is qui remanserat exstinguebatur, 52, 53, 150, 290.

Ceroferarius et acolythus, *idem*, 13, 102, 507. Unus in feriis ad missam, 13, 102. Et cantet graduale, *ibid.* Ceroferarii duo in festis, 27. Usque ad *Kurie eleison* candelabra teneant, 15, 387. Quo incepto dimittant, 15, 16, 103, 587. Ea elevata teneant salutante presbytero, 16. Horum septenarius numerus in missis pontificalibus, 105, 215.

Ceremoniæ præsente D. archiepiscopo Rotomagensi servandæ, 180, app 62, *et seqq.*

Choreæ clericis prohibitæ sub pœna suspensionis, app. 7.

Chorum nullus exeat antequam absolvatur officium absque licentia, 11, 98. Regebatur a diaconis dalmaticatis in festo S. Stephani, 55.

Chrisma et olei consecratio fit in die cœnæ, 53, 54, 405. Hujus consecrationis ritus, 184. Illud consecrant archiepiscopus et 12 presbyteri, 185.

Christus, vox Græca quid significat, 361. Agno comparatus, 60, 584.

Cilicium quare portatur in expulsione publice pœnitentium 128.

Cineres quare imponuntur, 128. Cum aspersione aquæ benedictæ impositi, 48, 128, 281.

Cingulum quid designat, 410, 414, 417.

Claustro Rotomagensis ecclesia ornata erat, 41, 66.

Clementini clerici ad cantandum cum canonicis officium instituti, 433. Eorumdem 12 presbyteri, 2 diaconi, et 2 subdiaconi, 435.

Clerus vox Græca quid significet, 408.

Clerici per bona opera lucere debent, 483. Eos a justitiæ proposito et disciplina ecclesiastica nihil debet dimovere, 451. Criminosi a sacerdotio excluduntur, 225. Clerici cathedralis ecclesiæ Rotomag. canonicis accedunt adjutores in celebrandis divinis officiis, 422, 427, 433. Ex eis unus deputatus qui defectus aliorum videat et scribat, 436.

Collectas, seu orationes, in missa quis composuit, 421.

Collatio spiritualis in cœnam translata, 127.

Colobium est vestis talaris sine manicis, 415.

Columna cerei paschalis erigatur, 193.

Comessationes in fraternitatibus non fiant, app. 42.

Commemorationes plurimæ in vesperis, 29, 115. Olim quinque in missis quotidianis 30. Regis in missa, 30, 114.

Communicare debet sacerdos, seorsum corpore, et seorsum sanguine, 24. Sub utraque specie olim populo licitum, 24. In feria sexta parasceves olim solitum, 56, 61, 133, 136, 137, 184, 193, 196, 310, 405.

Communio cleri et populi in die cœnæ et sabbato sancto, 56, 64, 133, 139, 140, 318. Populo porrigenda intra missam, 153, 296.

Communionem cantari quis præcepit, 421.

Completorium separatim a vespertino officio persolvendum, 7, 95, 302, 319. Recitatum immediate ante cubitum, 7, 302, 319. Debet præcedere lectio de exemplis sanctorum patrum, 7, 96, 127. Quomodo recitatur quotidie, 7, 182, 599. In sabbato sancto, 64, 319. In octava Paschæ, 322. In commemoratione mortuorum olim proprium recitabatur, 82.

Confabulatio in ecclesia interdicitur, 11, 97, 98.

Confessio in completorio fit decano cum præsens est, 182. Confessiones non audiant regulares, etiam in conventu, nisi de licentia episcopi sui, app. 56.

Consecratio Dominici corporis et sanguinis, 21, 107. Sacerdotibus commissa, 467. Alia quæ et communio dicitur, 23, 107. In privatis cubiculis non fiat, app. 36. Non fit biduo ante Pascha, 55, 405.

Consecrandi apostoli per orationem Dominicam, 421.

Consutitiæ sotulares deferre clericis prohibitum, 91.

Core, Dathan et Abiron quare a Deo percussi, 446, 479.

Corona capillorum in modum circuli a clericis deferenda, 3, 90, 91, 92, 93, 408, app. 22.

Corporale ex lino fieri debet, 419.

Corpus Christi in feretro a duobus presbyteris delatum in Ecclesia cathedrali Rotomag. 129, 150, 173. Qua puritate et reverentia sit accipiendum, 468, 469. Corpus hominis 40 dierum spatio in utero matris compaginatur, 46.

Correctio canonicorum in capitulo facienda, 12, 99, 100, 101.

Credo in unum in missa quis instituit, 421.

Credulitas et symbolum apostolorum, *idem*, 397.

Crucifixus aqua et vino olim lavabatur, de quo post communionem bibebant, 60, 136, 191. Crucis signum quare imponitur frontibus initio evangelii, 17. Cruces duæ in festis solemnioribus a 2 subdiaconis delatæ, 215.

Crux in processionibus a subdiacono est deferenda, 141, 215. Non a laicis, 141, 165, 215. Discooperta ad S. Gildardum in ramis palmarum, 169, 286. Quomodo adoranda in die parasceves, 60, 136, 190, 191, 308. Ejus ministri casulis indui eadem die, 60. In sepulcro absconsa usque ad diem Dominicum, 60, 191.

Culpæ delinquentium examinentur in capitulo et puniantur, 12, 99, 100, 101.

Curati S. Dionysii et S. Vigoris Rotomag. quo olim ordine incedebant in processionibus rogationum, 167.

D

Dalmaticarum origo, et quis eas instituit, 415. Earum forma, 86, 411, 415. Quid designat, 86, 411. Ea induitur diaconus, et subdiaconus tunica in die cœnæ et sabbato sancto, 27.

Darnes allani clerici in ecclesia cathedrali Rotomagensi ab antiquo instituti, 439.

Decanus christianitatis, quis, 185. Decani rurales de delictis et excessibus ad vicarios episcopi relationem faciant, app. 5, 7, 21.

Diaconorum ordo et officium, 387, 409. Diaconus consistat donec sacerdos ei sedere innuat, 14. Hic et subdiaconus in processionibus ad fontes, 143. Diaconi, 7, in missa pontificali, 103, 118; 141, 180, 184, 215. Eorum festum in die (S.) Stephani, 55, 118, 119, 120, 274. Iidem regebant chorum in eodem festo, 55, 119.

Dies Pentecostes, qui, 112.

Dignitas sacerdotum, 465, 466, 467.

Dimissorias litteras non habens clericus alterius diœcesis non ordinatur, 227.

Discalciati intererant officio statis diebus canonici (S.) Laudi, 281, 305.

Disciplina ecclesiastica non relinquenda ob persecutionem, 451.

Discretio omnium virtutum mater, 414, 416. Presbyteris est necessaria, 3, 462, 465, 478, 486, 487.

Doctus esse debet presbyter ut alios doceat, 465, 466.

Dominicæ diei officium quomodo celebrandum, 84, 182.

Dona offerunt reges Christo nato, 209.

E

Ebrius sacerdos carceri aliquandiu mancipandus ad pœnitentiam in pane et aqua, app. 21.

Ecclesia quid est, 386. Partium ejus expositio, *ibid.* Sponsa est Christi, 452, app. 31. Una est et Dominus unus, 447. Plus patitur a domesticis et malis fratribus, quam ab extraneis, 450. Quare eam frequentamus, 386. In ea

Digitized by Google

quomodo assistendum, 97. Masculi in ejus parte australi et feminæ in boreali stabant, 386. Eam sine necessitate nullus egrediatur, nisi sacris confectis, app. 43.

Electio publice pœnitentium, 49, 193.

Eleemosynas pauperibus largiri tenetur episcopus, 218.

Elevatio hostiæ et calicis seorsim alias inusitata 108. Olim unica ante orationem Dominicam, *ibid.*

Episcoporum origo, 410. Eorum attributa, et quid significent, 451. Sunt vicarii Christi, 15, 103, 445, 479. Sunt honorandi, 443. Episcopi ordinatio, 245, et seqq. Solus populum salutando dicit : *Pax Domini*, 15. Episcopus infantum in festo Innocentium, 203.

Epistola Claudii *de Sanctes* ad cardinalem Franciscum a Borbonio Rotomag. archiepiscopum, app. 9. Joannis Prevotii ad Franciscum II, Rotomag. archiepiscopum, 157.

Esaü quomodo servivit fratri suo Jacob, 471.

Ezdræ locus a Joanne laudatus elucidatur, 93.

Evangeliorum codex a subdiacono in processionibus portatur, 66, 271. Ad altare, 13. In altari remanet donec legatur, 387. Eum defert diaconus in brachio sinistro, accepta benedictione 18, 103, 390. Evangelium in missa legitur ad aquilonem, 19. Cum candelabris et incenso, 19, 270, 320, 338. Item in lotione pedum, 57, 187, 300. Cum legit diaconus ceroferariis celsius consistat, 17, 390. Evangelium Joannis in fine missæ olim legi insuitatum, 26, 61, 111, 112, 140, 395 Evangelia tria in cappis in nocte Nativitatis Domini cum incenso et candelabris, 35, 95, 267. Item expositio evangelii ad matutinum festorum triplicium, 33, 140, 117, 155, 278. Similiter in vigilia Nativitatis Domini, 176. Evangelii expositio in cœna Domini olim legebatur in 3 nocturno, 52. In capitulo aliquando legebatur, 101, 141.

Excommunicationis sententia pro gravissimis tantum causis concedenda, app. 47. Quæ debeant eam præcedere, *ibid.*

Exemplum bonum sacerdotibus necessarium, 486, et seq.

Exorcistarum origo et officium, 409.

F

Feriale officium quomodo celebrandum, 12, 28, 183.

Festivitates sanctorum quomodo celebrandæ, app. 40. In his quæ vitanda, app. 41 Superflue non agendæ, 79. Non celebrandæ in Quadragesima, 48, 128. Neque in Dominicis post Pascha, 71.

Festos dies instituit Deus, app. 39. Festum duplex aut triplex in Dominica occurrens celebratur, 30. Semiduplex differtur, 114. Simplex in Adventu et Quadragesima non celebratur, 31, 113, 280. Ejus tantum memoria fiat, 31, 280. Triplicis 1 classis officium quomodo celebretur, 177. Secundæ, 122.

Fidei professio quam facit episcopus in ordinatione sua, 219.

Filios ex illicito coitu procreatos clerici in ecclesia sibi ministrare non permittant, app. 2.

Flores ad tertiam in die Pentecostes olim projiciebantur, 76, 154.

Fontium benedictio, 316.

Forma in choro posita, 150, 190, 336, 379.

Fromondi (S.) corpus servatur in ecclesia canonicorum (S.) Laudi, 336.

Fundatio X, clericorum de Albania in ecclesia cathedrali Rotomagensi, 422. Clementinorum XVI, 432.

Fundatio X clericorum de Albania in ecclesia cathedrali Rotomagensi, 422. Clementinorum XVI, 432.

G

Genealogiam sacerdos legat in casula, cum subdiacono et candelabris, olim et in dalmatica, 34, 38, 117, 123, 267.

Genuflectebant qui in psalmodia vel cantu errarent, 324.

Genuflexiones non fiunt tempore paschali, nec in Dominicis, 324, 399. Nec in festis solemnioribus olim, 399.

Gloria in excelsis in missa quis instituit, 421. Quando cantari dum, 27. In nocte Nativitatis Domini celebriter decantetur, 268. Quare in Adventu intermittitur, 258. In festis tempore Adventus et Quadragesimæ non psallebatur, 27, 112, 280. Dum cantatur in 1 responsorio Nativitatis Domini, stantium est, 177.

Graduale quis ius tuit in missa, 421. Quid designat, 44, 389. In feriis ab uno clerico seu acolytho cantatur, 13, 79, 102, 179 In Dominicis a duobus, 83, 179. In Dominica 3 Quadragesimæ quomodo canendum, 179.

H

Hæretici Calvinistæ non iterum baptizandi, etiam sub condition., ap. 35. Iisdem matrimonio junctis ad ecclesiam redeuntibus quæ nuptiarum solemnitas repetatur, *ibid.* Eorum conventicula adeuntes et audientes ipso facto excommunicantur, app. 50.

Hebraica lingua cæteris excellentior, 43.

Historia, apud auctores ecclesiasticos quid significet, 149.

Histrionibus et joculatoribus clerici non intendant, app. 7.

Horæ canonicæ quid designant, 4 et seqq. Non continuatim, sed separatim recitandæ, 94, 126, 148, 304, 398. Cum precibus finiebantur, excepto tempore paschali et festis, 28, 95, 97. Triduo ante Pascha quomodo persolvendæ, 55, 58, 61, 131, 135. Quomodo in die et octava Paschæ, 65, 319.

Hosanna, quid significat, 368.

Hospitalitatem exercere debent episcopi et abbates, 218, 239. Inter se clerici, app. 21.

Hospitiorum bona ab eorum rectoribus juxta fundationes insumantur, app 46.

Hostia in oblatione cooperiebatur corporali, 20, 106. Hostiæ et calicis seorsim elevatio non adeo antiqua 108. In Parasceve, novissima, 192. Olim tripliciter divisa, 23. Prima pars calici immissa, 23, 192, 393. Altera parte sacerdos, diaconus, subdiaconus et populus communicabant, 23, 108, 395, 420. Tertia pars pro viatico si opus esset reservata, 23, 193, 395, 420. Sin autem, sumebatur a sacerdote, aut uno ex ministris, 24, 108. Intincta olim fidelibus porrecta, 24, 109. Hostiæ in die cœnæ optime recondantur, 56, 297.

Hymnus dicitur in singulis horis, 6 et seqq. In vesperis non prætermittatur, 28. Omissus olim in nocturnis Epiphaniæ, 122, 277 S. Mariæ hymnus, quis, 6, 93. Simeonis, 7, 96, 399. Zachariæ, 10, 96.

I

Ignis ab exstinctione cerei usque ad benedictionem ejusdem non accendatur, 53. Novi ignis benedictio, 53, 58, 61, 132, 188, 313, 405. Ignis benedictus ad accendendum novum ignem in domos delatus, 53, 152, 313.

Ignorantia sacerdotum populi errant, 480.

Incensatur altare ad *Te Deum laudamus* in festis triplicibus, 33, 63, 73, 95, 117, 123, 181. Olim in festo S. Stephani a 2 diaconis in dalmaticis, 35. Incensantur altaria et chorus ad *Magnificat* et *Benedictus*, 6, 10, 33, 95, 115, 256, 263, 273, 280, 356, 359, 349. In triplicibus a 2 cappatis, 35, 80, 115, 352. Ad *Magnificat* novem diebus ante Nativitatem Domini, 176. Item feria 5, in cœna Domini, 56. Majus altare et celebrans in die commemorationis defunctorum, 182 In die Pentecostes ad tertiam altare incensatur a 7 presbyteris casualis, 150. Infra octavam a celebrante et diacono, *ibid.* Incensabatur olim altare ad *Gloria in excelsis*, 27, 112, 139. Incensat circuitum altaris diaconus post oblationem, 20. Incensatur in ecclesia catheurali corpus Christi a 4 clericis in festo eucharistiæ, 173. Chorus ad *Gloria in excelsis*, 112. Dum dicitur *Credo*, 181. Evangelium a diacono antequam legatur, 19. Sacerdos a diacono lecto evangelio, *ibid.* Incensat oblata sacerdos, 20. Incensatur postea a diacono, 20, 106, 391. Olim clerus et populus ab acolytho post oblationem.

Inclinandum versus altare dum canitur *Gloria Patri*, 11, 98 In quadragesima ad orationem super populum in fine missæ, 395. Inclinet ante et retro qui lecturus est lectionem, 11. Inclinare ante et retro quid sit, 99. Inclinati perseverent ministri a *Te igitur* usque *Sed libera nos*, 21, 23, 392.

Infantum officium in festo Innocentium, 36, 121, 202. Infantes eodem die in campis regebant chorum, 205, 265, 276. Quinque in albis sabbato in albis, 144.

Innocentia baptismalis ad sacerdotium requisita, 433.

Intervallum fiat inter sextam et nonam, 47.

Intinctionis prohibitio exstat in concilio Braccarensi tertio, 108.

In rotum in missa quis instituit, 421.

Invitatorium in matutinis a quibus decantandum, 151, 182, 183. In festis triplicibus a 4 in cappis, 33, 63, 72, 80, 152, 116, 179, 206, 328, 349, 352. In die Epiphaniæ omissum, et quare, 38, 122, 277. In commemoratione mortuorum olim inauditum, 81, 154. Quis instituit, *ibid.*

J

Jejunium quadragesimale ante S. Gregorium 36 dies continebat, 46, 125. Post eum 4 dies sunt additi, 46, 405. Nunc dies 40 jejunii et 45 abstinentiæ, 46. Apud canonicos S. Laudi quando inceptum, 280. Jejunium 4 Temporum tres dies includit, 78, 407. Observantia ejus in die parasceves, 61, 137, 193, 311. Olim in vigilia Epiphaniæ, 40, 123. Similiter ante purificationem B. Mariæ, *ibid.* Item in festo S. Marci, 71, 147, 344. Olim in diebus rogationum, 72, 148. Loco vigiliarum ordinatum, 116. Quadragesimale circa vesperam frangebatur, 126. Cæteris jejunii diebus ante nonam non comedebant, 72, 148. Jejunabant olim omnes exceptis parvulis et infirmis, 61, 147. His diebus unica tantum refectio, 126, 140, 283. In Adventu

Digitized by Google

jejunabant canonici S. Laudi, 260, 335. Non in festo patroni, 352.
Jesus, vox Græca quid significet, 369
Joannis Abrincensis episcopi humilitas, 1.
Joannis (S.) evangelistæ solemnitas, 36.
Joannes de Novacuria archidiaconus Vulcassini Franciæ, carus Clementi VI papæ, et collator beneficiorum dictæ fundationis, 440.
Joannis Prevotii zelus ad restituendum sacros ritus, 138.
Justi cruciabantur usque ad adventum Christi, 50, 384.

K

Kalendæ et conventiones cleri, idem, app. 3, 21.

L

Laicos ad mortem pravis exemplis trahunt sacerdotes, 477.
Lampades olim 7 ante majus altare, 264.
Lavare pedes pauperum sabbato ante palmas, 50, 129.
Laudes summo diluculo celebrandæ, 9. Post missam Nativitatis Domini in nocte, 34. Laudes et officium matutinale, idem, 9, 65, 97, 401. Laudes officii mortuorum post laudes diei celebrandæ, 47, 77, 123, 151.
Laudi (S.) Constantiensis episcopi corpus in ecclesia canonicorum S. Laudi Rotomag. asservatur, 347, 352, 353. Canonici 7 S. Laudi intererant officio in ecclesia S. Audoeni in festo ejusdem, 175.
Lectiones tres tempore paschali in cappis leguntur in festis triplicibus, 180. In festo Omnium Sanctorum a quibus et quomodo legendæ, 153 Duæ in missa 4 feriæ 4 Temporum quomodo et quare legantur, 79, 264, 408. Duæ olim in Nativitate Domini ad tres missas, 268, 270, 271. Lectio quæ et capitu um, in omnibus horis post psalmos, 4, 6, 7, 9. Lectio collationis ante completorium in ecclesia Rotomag. recitabatur, 47, 98. Lectio legitur in refectorio apud canonicos regulares, 260, 262, 272, 278, 318, 334, 349, 353.
Lectorum origo et officium, 409. Lector mensæ Dominico die petit benedictionem in fine missæ, 259, 272.
Liber evangeliorum per chorum ad osculandum portatur a subdiacono, incenso præcedente, 181, 387. Liber Joannis Abrincensis de officiis ecclesiasticis ex quibus confectus, 2. Quo tempore, 88. Mutilus, 85 et seqq., 158. Auctus et emendatus, 416 et seqq. In usum provinciæ Neustriacæ conscriptus, 2, 90, 155, 157. Libri sacræ Scripturæ quando legendi in ecclesia, 32, 40, 42, 49, 70, 74, 76, 77, 124, 145, 146, 149, 151, 256, 257, 278, 324, 333, 334. Libri curatis Bajocensis diœcesis indicti, app. 3, 7, 9.
Ligandi et solvendi potestas pastoribus concessa, 478, 484.
Litaniæ tres in sabbatis Paschæ et Pentecostes a quibus cantandæ, 63, 139, 315, 316, 329. Variæ in diebus rogationum, 168, 170, 326, 327. Earum cantores in medio processionis incedant, 315.
Lucerna defertur ante lectionarium, 117.
Lucri studium a sacerdote debet esse alienum, 457.
Ludi publici clericis prohibentur, app. 7.
Lumen continue ardeat ante corpus Domini, 56, 296.
Luminaria omnia ecclesiæ quando accenduntur, 76, 151, 264, 277, 317, 329, 330.
Lunæ ætas ante martyrologium recitatur, 100.

M

Mandatum duplex pauperum et clericorum in cœna Domini quomodo celebrandum, 57, 134, 186, 293, 299. Mandatum pauperum mandatum clericorum præcedat, 57, 135, 293.
Manipulus, seu mapula aut sudarium, quid denotet, et ejus usus, 412, 416.
Manuum impositio super capita reconciliatorum, 196. Manus impositionem accipientes observent unctionem suam 7 diebus, 75, 407.
Mappæ ab altari remotæ feria 6 in parasceve, 59, 135
Martyr, vox Græca quid significet, 372.
Martyrologium sequentis diei legendum, 11, 101. Post primam in capitulo, 11, 100.
Matrimonia clandestinis non intersint clerici, app. 3
Matutinum officium pro laudibus usurpatum, 9, 97.
Maurilius Rotomag. archiepiscopus titulo sanctitatis insiguitus in vita, 1. Post mortem, 89. Laudes ejusdem, 1, 2, 88. Ejus epocha, 88.
Memoria sanctorum in Quadragesima fiat sabbato et Dominica, 48, 128.
Mensis ætas in martyrologio recitatur, 100.
Ministeria sacra non usurpanda, 446, 479.
Ministrorum Christi vera generositas, 451. Eos vexantes diabolo comparantur, *ibid.* Mali de sacramentis nihil detrahunt, 488. Ministris majoris altaris stipendia erogavit Petrus de Collemedio Rotomag archiepiscopus, 431. Major pars eorum in dextera, minor sit in sinistra, 15. Prandent cum D. archiepiscopo quando celebravit, 180, 181.
Missæ officium quis instituit, 386. Missa tempore apostolorum, et paulo post, quomodo celebrata, 385, 420, Pontificalis, 103, 118, 141. Non celebranda ante tertiam, vel post nonam exceptis jejunii diebus, nisi in necessitate, 26, 395. Hora tertia celebranda, 12, 26, 395. Aliquando sexta, 26, 396. Jejunii diebus hora nona, 12, 26, 47, 396. Post meridiem excepto jejunii tempore non celebranda, 148. In sabbatis Quatuor Temporum in nocte celebratur, 78, 79, 152. In Sabbato sancto de nocte celebranda, 55, 61, 132, 137, 312. Ejus officium, 63, 64, 139. Missæ siccæ in parasceve officium, 58 et seqq., 188 et seqq. Missa matutinalis post capitulum dicatur, 12. Missæ tres in Nativitate Domini a tribus diversis presbyteris celebratæ, 34, 118, 263. Prima media nocte celebranda, 34, 396. Secunda incipiente diluculo, 34, 118, 269, 396. Duæ diversæ in festo S. Joannis celebratæ, 35, 120, 347, 348, 396. Missa de jejunio celebranda in festo S. Marci ad locum stationis, 147, 164, 343. Quomodo in feriis, 12. In commemoratione mortuorum, 81, 154. Absque *Gloria* et *Alleluia* celebratur, 26, 396. Missæ ministraturi abluant manus, 269. Missæ privatæ seu fraternitatum non excusant a debito audiendi missam parochialem, app. 42. Plures eodem tempore non cantentur, app. 29. Privatæ tempore majoris missæ non celebrentur, 29. Nec triduo ante Pascha, 134.
Monachi pecuniam habentes excommunicantur, 224.
Monitio episcopi ad ordinandos, 225.
Morbo caduco vel incurabili laborans a sacerdotio removetur, 227.
Mortuorum officium in commemoratione eorumdem antecedebant horæ diei, 81, 154. In depositionibus cum 9 lectionibus celebrandum, 26, 114. Tempore paschali, in Dominicis et festis non celebrandum, nisi in depositione aut anniversario, 25, 71, 360.
Mulieres, de quibus suspicio aut scandalum oriri potest, clerici in domibus suis non retineant, app. 2, 20.
Musicam admittunt monachi S. Audoeni in processionibus rogationum, 170.
Mutilatio membrorum prohibet a sacerdotio, 228.

N

Nativitas Domini quomodo celebranda, 33.
Negotiatio sæcularis clericis prohibetur, 458, app. 1, 2.
Nocturnum officium media nocte persolvendum, 7, 65, 96, 116. Ex quibus constat, 8. Nocturnæ tres quid designent, 8, 9. Separatim cantabantur, 115, 116. Unde originem habuerunt, 116. Tres olim tempore paschali, 69, 145, 328.
Nona hora Christus exspiravit, 3, 338. Nona celebranda tertia post meridiem hora, 28, 47, 113.
Novitas in ecclesia non admittatur inconsulto episcopo, app. 29.
Nundinæ diebus festis non fiant, app. 41.

O

Obedire debet episcopus papæ et archiepiscopo metrop., 218. Abbates episcopis suis, 231. Eorum obedientiæ professio, 237, 239.
Oblata quatuor partes calicis tangebat sacerdos, 22, 107.
Oblatio suscipienda a populo antequam offeratur, 391. Eam suscipere debet subdiaconus, 401. Oblatio panis et vini et pecuniæ ab abbate factâ episcopo, 236, 239. Ad adorationem crucis facta ad quos pertineat, 191. In officio ste læ quibus distribueretur, 209.
Octavæ cur institutæ, 37, 400.
Odo I Clementis archiepiscopus Rotomag. vir litteratissimus, 424.
Offerendæ subjungebantur versus, 19.
Offertorium in missa quis instituit, 421.
Officium privatim non recitandum in choro, dum canitur, 98.
Officium nocturnum triduo ante Pascha de nocte celebratum, non post meridiem, 289. Rotomagensis ecclesiæ officium decantabant canonici S. Laudi, 266, 273, 285, 322, 323.
Omnium Sanctorum festivitas quomodo celebranda, 81, 153.
Orarium seu stola quid designet, et quibus concedatur, 85, 414, 417.
Oratio Dominica demonstrat unitatem nostræ fraternitatis, 23. Ejus formam a Christo suscepimus, 380. Ejus expositio, *ibid.* Canoni missæ quis eam addidit, 421. Eam alta voce profert sacerdos, 22. In dominicis Gallice in missæ pronao recitetur, app 8, 23.
Oratio populi et sacerdotis, 361. Super populum in Quadragesima, 395.

Digitized by Google

Ordinarium canonicorum S. Laudi Rotomag. quis composuit, 254. Ex antiquis codicibus confectum, 255.

Ordines jejuniis conferamur a jejunantibus, 79. Eorum causæ ratio ante nonam fieri prohibetur, *ibid.*

Ordinatio episcopi die Dominica celebretur, 79. Ejusdem cæremoniæ et preces, 215. Abbatis monachorum, 228. Abbatis canonicorum, 257. Abbatissæ, 240.

Ordo ad instituendum canonicum regul. S. Laudi Rotomag., 247.

Organa non pulsentur a Septuagesima usque ad Pascha, 279.

Osculum pacis in missæ sacrificio accipiendum, 25, 74, 109 et seq., 149, 256, 269, 385. Quomodo datum et ejus antiquitas, *ibid.* Triduo ante Pascha non datur, 55, 64, 238, 310, 318, 404. Nec in missa pro defunctis, 26, 110, 396. Osculum pacis dat archiepiscopus reconciliatis pœnitentibus, 196. Olim clericis in die Paschæ ad laudes, 141. Osculum sedium ad initium horarum in feriis Quadrag. 178, 284, 290.

Oscu abatur sacerdos diaconum et subdiaconum confessione facta, 13, 102, 112, 587. Diaconus utraque cornua altaris, 14. Sacerdos medium altaris et librum evangeliorum, 14, 387. Eumdem sibi a subdiacono porrectum, 19. Olim diaconus evangelium post celebrantem, *ibid.* Clerus dum dicitur *Credo*, subdiacono præsentante et thuriferario præcedente, 19, 268. Osculabatur altare diaconus et dextram sacerdotis scapulam post calicis elevationem, 22. Ministros presbyter antequam communionem porrigeret, 24, 109. Monachum unum abbatem osculantur, 257.

Ostiariorum origo et officium, 409.

Oves propriæ pastoris vocem audire debent, app. 44.

Ozias rex quare a Domino lepra percussus, 447.

P

Pallium archiepiscoporum qui significet, 419.

Palmarum benedictio, 160. Ordinæ ad offertorium, 283.

Panis non benedicatur extra missam parochialem, app. 42 Pro pauperibus a Petro de Collemedio erogatus, 424, 429.

Papæ et episcopi diœcesani commemoratio in canone, 371.

Parietes et pavimenta ecclesiæ aqua lavabantur in cœna Domini, 86, 134.

Parochias quis divisit, 479.

Parochialem ecclesiam rexisse videntur canonici sancti Laudi, 286, 301, 339.

Parochiani alterius ecclesiæ non audiendi in confessione, 478, 479. Sed ad pastorem suum remittendi, 479. Quare non suscipiendi, *ibid.* Absentes a parochia per tres Dominicos dies excommunicantur, app. 17. Absentes a divinis officiis in Dominicis et festis observentur et notentur, app. 43. Eorum litigia et divortia componant pastores, app. 55.

Passio quibus diebus legenda, 51. Illi præmittebatur olim *Dominus vobiscum*, 51, 130, 189, 288. Quomodo cantabatur, 59, 136.

Pastoralis (S.) Gregorii liber legatur in capitulo, 12, 101. Pastorum officium in nocte Nativitatis Domini, 117, 118. Pastores ex officio populo prædicare ipsi tenentur, 453, 464, 476, 475, 481, app. 23, 24. A prædicatione cessare non debent, 464, 475, app. 25. Qui non prædicant, mercedem et oblationes non recipiant, 459. Sunt oculi Ecclesiæ, 485. Debent vitam dare pro ovibus suis, 470. Oves perditas solliciti quærere et reducere in ovile, app. 31. Meritis et bonis operibus populo præsint, app. 45. Oves sciant vocare nominatim, app. 25. Potestate in suos presbyteros auxiliaribus non abutantur, app. 29. Studeant potius a suis amari quam timeri, app. 45. Dispensatores sunt, non domini, 455. Mali dispergunt et dilacerant oves, 454. Pastoris mercenarii signa, 475, 476, app. Fugit et quomodo, 470, 475, 476, app. 15.

Patenam infra canonem tenens acolythus, 20, 107. Offerebat eam subdiacono, 23. Subdiaconus diacono, 21, 25, 108, 396. Diaconus sacerdoti ad frangendum in ea corpus Domini, *ibid.*

Pater, vox Græca quid significet, 365.

Pauperes quot ad mandatum assumendi, 295.

Pectorale et alba, idem, 414.

Persecutionibus terreri non debent clerici, 471, 473.

Petrus de Collemedio Rotomag. archiepiscopus, postea Alhanensis fundavit X clericos in ecclesia cathedrali Rotomag., 422.

Petrus Rogerii Rotomag. archiepiscopus, qui et Clemens VI papa, XVI clericos in eadem ecclesia, 432, 453. Quo die et anno ad apostolicam sedem evectus, 445, 444.

Pileï clericis interdicti, præsertim tempore divini officii, ap. 2, 6, 22.

Pœnumeta quando facienda, 182, 183.

Pœnitentia de peccatis agenda, 45, 46. Eam clerus et populus prostrati accipiebant in die Cinerum, 48. Qualis esse debeat, 477, 478

Pœnitentium ejectio in die Cinerum, 49, 128. Eorumdem convocatio et absolutio in cœna Domini, 53, 54 Quomodo introducuntur in ecclesiam, 193.

Populi ruina, mali sacerdotes, 477.

Porta magni Pontis Rotomagi ubi constituta, 170. Eam ascendebant pueri cantaturi *Gloria, laus*, 162, 287.

Potus charitatis, quid, 301, 311.

Præbenda est victus diei necessarius, 295.

Præceptum non omittendum prætextu devotionis, app. 42.

Prædicandum opere et sermone, 463, app. 34. Prædicare non debent presbyteri ut laudem vel mercedem consequantur, 458 Nullus, etiam regularis, nisi de licentia episcopi, app. 55.

Præfationem missæ quis composuit, 421. Ejus expositio, 362.

Preces et psalmus *Miserere* in omnibus feriis recitabantur ad horas genuflectendo, 5, 113, 194, 279, 310, 399. Cum prostratione in diebus rogationum, 168, 169, 171.

Presbyterorum origo, 410. Episcopis sunt in paucis dissimiles, *ibid.* Honorandi, 445. Irreprehensibiles ab infantia, 455. Ex dignitate non superbiant, 466. Prædicare et operari debent in populo. 473, 474, 486, 487. Olim duodecim in missis pontificalibus, 105, 215. Similiter in consecratione chrismatis et olei, 184. In servitiis defunctorum non comparebant ad celebrandas missas, nisi specialiter vocati, app. 2. Laicis non administrabantur, sed parochiæ quam incolunt addici sint, app. 36. Dominicis et festis diebus fine superlicio extra non intersint, *ibid.* Missam non celebrent nisi omnia sibi necessaria habeant, et ab clericum, app. 5. Presbyterum alterius diœcesis sine licentia sui episcopi cujus non recipiat, app. 29.

Prima initio diei complenda, 4, 47, 126, 396. Et quare, 4, 396.

Processio in Dominicis fiat unica prima, 33, 40. In Vesperis sabbati in dominicalibus matutinis, 132, 77 Nulla fiat sabbatis ab Adventu usque ad Pascha, 52, 114. In Nativitate Domini post tertiam, 271. Diaconorum olim in festo S. Stephani, 35, 118, 119, 273. Sacerdotum cum casulis in festo S. Joannis evang. 55. Infantium in festo innocentium, 202, 204. Trium regum in die Epiphaniæ, 206. Ad expulsionem publice pœnitentium, 191. Ad reconciliationem eorumdem, 195. Qualibet feria 4 et 6 quadragesimæ, 49, 128, 194, 282. In ramis Palmarum ad S. Gildardum, 129, 130, 160. Olim generalis, 159, 286. In consecratione chrismatis et olei, 184, 185. In cœna Domini ad deportandum corpus Christi, 56. Ad mandatum pauperum et clericorum, 126, 500, 501. In Parasceve, in qua affertur corpus Christi, ad altare, 60, 192, 309. Ad benedictionem novi ignis, 55, 313. In benedictione fontium, 315. Quadruplex in die Paschæ, 66 et seqq., 141, et seqq. In laudibus ad crucifixum in octava Paschæ, 68, 141. Et in Dominicis post Pascha, 70. Ad fontes in eadem octava, 63, 143, 321, 325. In sabbatis post Pascha in vesperis ad crucifixum, 68, 144, 325. In festo S. Marci, 71, 147, 163, 344. Generalis ad S. Eligium feria 2 rogationum, 165, 325. Ad S. Gervasium 3 feria, 169, 326. Ad S. Trinitatem de Monte 4 feria, 171, 327. In Ascensione Domini in qua reus catenatus solvitur, 148, 175. Triplex olim in Inventione S. crucis, 72, 148, 346. Ad crucifixum olim in 1 vesperis et matutinis diei Pentecostes, 75, 150. In festo corporis Christi, 175. Cathedralis ecclesiæ ad S. Audoenum in festo ejusdem, 156, 174, 330. Duæ in dedicatione ecclesiarum, 335 Canonicorum S. Laudi ad cathedralem ecclesiam in festo Ascensionis, 328. Eorumdem ad ecclesiam S. Joannis supra Renedam in festo ejusdem, 347. Eorumdem in commemoratione omnium defunctorum, 338. Ordo processionis sacerdotis et ministrorum ad celebrandam missam, 13, 386. Ad legendum evangelium, 18, 105, 152, 390.

Professio canonici S. Laudi Rotomag., 251. Decani ruralis, app. 59.

Prologus cum libris sacræ Scripturæ olim lectus, 257, 279.

Promotus per saltum ad ordines a sacerdotio excluditur, 226.

Prostratio in feria 4 Cinerum, 194. In passione, 189. In adoratione crucis, 60, 156, 190, 308. In capitulo quibusdam diebus facta, 295, 348. Prostrationes et preces in festis simplicibus retinebant canonici S. Laudi. 343.

Psalmodiæ interrumpant stantes clerici, 97, 98, 122.

Psalmus quid designat, 6. Totus olim ad introitum missæ cantabatur, 13, 102. *Venite, exsultemus* in 3 nocturno Epiphaniæ psallebatur, 38, 122. *Miserere* in omnibus horis olim dictus in feriis, 47, 94, 115, 127, 278. *Laudate Dominum de cœlis* quomodo psallebatur in festo Innocentium, 204. Psalmi ad nocturnas quot recitandi, 96, 147. Quinque ad primam, 5, 95. Tot ad tertiam vesperas, 6, 393.

Digitized by Google

Feriales in præcipius solemnitatibus non dimittebantur, 174, 328, 329, 337, 344, 350. Pœnitentiales 7 cum prosatione psallebantur, 47, 126, 332. In feria 4 Cinerum et in cœna Domini, 131, 194, 196, 281. In festo S. Marci, 164. In diebus rogationum, 169, 171, 326. In quadragesima a canonicis S. Landi quotidie cum litania, 283. Graduale quindecim quando dicuntur, 123.

Psalterium psalmorum quid sit, 47, 127. Psalterium totum olim feria 6 Parasceves recitabatur, 58, 135, 303. Illud cum antiphonario memoriter scire tenentur Clementini clerici intra biennium, 439 et seqq.

Pulpito decorata est Rotomagensis ecclesia cathedralis, 17, 118, 119, 125, 139, 141 et seqq., 160, 163, 174 et seqq., 179. In pulpitum ascendunt subdiaconus epistolam lecturus, diaconus evangelium, et cantores gradualis et *Alleluia* in festis diebus, 17, 390.

Purificationis S. Mariæ solemnitas quomodo celebranda, 11.

Q

Quadragesimale jejunium quis instituit, 421. Quot diebus constat, 45, 46, 403.

Quantum quidam clerici æstimant pietatem, 457, app. 20.

Quatuor Temporum jejunium quare institutum, 78, 407. Quot diebus perficitur, *Ibid.*

Quicunque vult, olim quotidie ad primam recitabatur, 5, 11, 93, 94, 99.

Quinquagesima quot diebus completur, 45, 403.

R

Radantur clerici eodem die et tempore, 3, 262, 312. Radere barbam eis præcipitur, 3, 93. Radere caput ex apostolica doctrina, quid sit, 92.

Rami benedicti canonicis S. Landi distribuebantur in ecclesia cathedrali Dominica in ramis palmarum, 286.

Refectio panis et aquæ in die Parasceves, 61, 137, 311. Unica in diebus jejunii, 126, 140, 283. Refectio canonicorum S. Landi pauperibus data in Paraseeve, 311.

Refectorium olim commune in ecclesia cathedrali Rotom. 57, 134.

Regnum Dei advenire, quid est, 381.

Regula ab episcopo tradita abbati et abbatissæ in ordinatione sua, 235, 239, 245. Regula canonicorum, quæ, 101. Lecta in capitulo post primam, 12, 99, 100, 101. In refectorio, 264, 289.

Regularis cujusdam libri lectio legatur in capitulo, 12.

Reliquiæ sanctorum curiose non tractandæ, 469. A sacerdotibus aut diaconis deferendæ, 103, 165. In diebus rogationum quomodo extrahuntur e sacrario, 165, 166.

Residentia a clericis de Albania et Clementinis exigitur, 423, 433, 440. A curatis, app. 2, 4, 8, 15, 60 et 61. Residentia pastorum est de jure divino, app. 15. Non residentes ad fructuum restitutionem tenentur, app. 15, 16, 18.

Responsorium quid designat, 16. Nonum repetitur loco *Te Deum laudamus*, 32, 239, 279. In festis triplicibus ad vesperas a quatuor in cappis canitur, 115, 152. Similiter 5, 6 et 9 ad matutinum festorum triplicium in cappis, 53, 116, 177, 266, 332. Ultimum in Dominicis post Pascha a duobus in superpelliciis, 70, 145. In vesperis sabbati a duobus in cappis, 145. In horis canonicis triduo ante Pascha olim recitabatur, 53, 131, 293, 302. De sancto Nicolao cantandum feria 2 rogationum in cœmeterio S. Mauri, 170, 327. *Ecce dies veniunt*, sabbato altero præcedente Adventum olim cantabatur, 32, 114. *Tu exsurgens*, olim in Adventu non decantabatur in Ecclesia Rotomag, 28, 113. *Ecce, charissim*, in Dominica Septuagesimæ in statione processionis decantandum, 44, 125. *Spes mea*, quando et a quibus cantetur, 178. *Circumdederunt*, in feria 4 majoris hebdomadæ a duobus in cappis, 130, 289. Responsoria tria nocturni officii tempore Paschali in triplicibus a quibus cantanda, 141, 180. In festo Omnium Sanctorum, 153. Responsorium dictum pro graduali, 16, 50, 104, 129, 389. Quare sic dictum, 104, 389.

Risus in ecclesia interdictus, 98.

Romani (S.) Rotomag. archiepiscopi et patroni festum a populo neglectum, 155.

Rotomagensis Ecclesiæ archiepiscoporum festa a canonicis S. Laudi celebrata, 343, 350, 355. Eadem ecclesia titulo sanctitatis insignita, 1, 89, 90.

Rubeum indumentum clericis interdicitur, 3, 92.

Rumpharii (S.) Constantiensis episcopi corpus in ecclesia canonicorum S. Laudi Rotomag. requiescit, 361.

S

Sabbaoth, vox Hebræa quid significat, 368.

Sabbatum 4 Temporum et sabbatum in 12 lectionibus, idem, 407. Ejus officium quomodo celebrandum, 78, 178.

Sacerdotes de populis sibi commissis rationem Deo suæ reddituri, 417. Facta subditorum debent inquirere et redargnere, 470. Puri et casti esse debent, et quare, 454, 468. Sunt luminaria mundi, et lucernæ ardentes per doctrinam, 482. Indignos Deus rejicit, 485. Negligentes et ignari quomodo puniendi, 480. Sæpe laicis similes, 476. Illis resistentes qua pœna plectendi, 480. Ignoti et alterius diœcesis ad missam celebrandam non admittantur, nisi litteras obedientiæ a prælatis habuerint, app. 3, 8.

Sacramenta propretio non conferantur, 457. Eorum effectus populo Gallice sunt exponendi, app. 28.

Sacrificium offertur pro omnibus fidelibus, 370, 371. Non fit biduo ante Pascha, 55.

Salutans populum sacerdos in missa, ei faciem suam præsentat, 388. Hæc salutatio quid denotet, 15. Salutatio pueri et virginis in nocte Nativitatis Domini, 117, 118. Græcorum in die Paschæ, 141.

Sanctus, Sanctus, in missa quis instituit, 21, 392, 421 Quare ter dicitur, 368.

Sandaliis calciatur episcopus, 216, 412. Quid significent, et forma eorum, 413, 419.

Scholæ instituendæ in omnibus parochiis, app. 49 *et seqq.*

Scripturam sacram plebem docere debent episcopi, et pastores, 217, 482, 486. Eam intelligere sacerdotes, 474. Eam ignorantes a sacerdotio removentur, 460, 461. Ultra modum non perscrutanda, 463.

Secretarius ecclesiæ, quis, 118.

Secretum capituli servandum, 253.

Sedeat episcopus cum ministris incipiente choro *Kyrie eleison*, 14. Ad *Gloria in excelsis*, 27. Sacerdos juxta altare subdiacono incipiente epistolam, 16, 104, 388. Sedeant quidam ministri, stent alii 14. Non sedeat diaconus antequam ei sacerdos innuat ut sedeat, 14, 16, 27, 102.

Septuagesimæ officium, 42, 43. Quot diebus constet, 43, 402.

Sepulcri officium, 64, 141, 211.

Sermo archiepiscopalis ad populum, 125, 194. Sermo fit in statione ad sanctum Gildardum, 161. Tribus diebus rogationum, 168, 169, 171. Archidiaconi ad archiepiscopum pro reconciliatione publice pœnitentium, 195, 196. De honorandis episcopis et presbyteris, 444. Ad pastores Ecclesiæ de officio pastorali, 453. Sermones 4 de officio sacerdotali, 459, 465, 473, 481.

Sessio episcopi cæteris sit celsior, 14.

Severi (S.) Abrincensis episcopi corpus in cathedrali ecclesia Rotomagensi asservatur, 106, 201.

Sexagesima quot diebus perficitur, 44, 403. Afflictionem et pœnitentiam exprimit, 45.

Sexta hora Christus crucifixus est, 5, 398.

Sexta missam sequatur, excepto jejunii tempore, 28.

Signa tria ad vesperas in quadragesima quando pulsanda, 283.

Signo pulsante, antequam laxetur omnes clerici congregentur, 10, 97.

Simonia et avaritia clericorum taxatur, 457, app. 20.

Simoniaci excommunicantur, app 12.

Stabilitatem profitebantur canonici S. Laudi Rotomag., 251.

Statio in processionibus, 66, 77, 125, 141, 239, 271, 320, 353. Debet fieri in navi ad processionem in festo eucharistiæ, 174.

Statuta sua synodalia habeant clerici, app. 3, 7, 9.

Stephani (S.) protomartyris brachium in ecclesia cathedrali Bajocensi asservatur, 119. Ejusdem festum solemniter celebratum in ecclesia Rotomagensi, 35, 118 *et seqq.*

Stellæ officium, seu trium regum, 39, 123, 206.

Stipendia clericorum Clementinorum solvere debent canonici, 442. His non privandi clerici propter infirmitatem, 425, 426.

Stola quid designat, 85, 411, 417.

Subdiaconorum origo et officium, 387, 409. Septem in missa pontificali, 103, 118, 141, 180, 187, 215. Subdiaconus evangeliorum coditem super dextrum cornu altaris ponat, 13. Casula exuta epistolam legat, 18, 104. Olim in choro remanebat, excepto tempore ministrationis suæ, 16, 104. Ei non licebat quidquam sacrum ab altari auferre, 20.

Suffraganeæ ecclesiæ in officiis divinis et cæremoniis usum metropolitanæ tenere debent, 2, 90.

Superlicium, vel superpellicium, habitus clericorum in choro, 119, 153, 200, 201, app. 3.

Symbolum, *Credo in unum Deum*, quando cantandum, 27, 28.

Synodus Bajocensis anno 1518 celebrata, app. 1. Ebroicensis anno 1576, app. 9.

T

Tabernæ clericis prohibitæ, nisi sint viatores, app. 2.

Digitized by Google

In domibus presbyteralibus eas non tenent, seu teneri faciant, app. 5.

Tabula chori legenda in capitulo, 100, 261, 292, 303. In ea describuntur ministri altaris et chori, 91, 100, 163, 261, 263, 302. Tabulæ cereæ forma, 261, 302. Paschalis cereo affixa, 138, 198. Tabulæ ligneæ loco campanarum triduo ante Pascha percutiantur 56, 58, 61, 132, 155, 157, 298, 299, 311, 404. Osseæ quas cantores tenent, quid designant, 17, 104.

Te Deum laudamus in Dominicis Adventus et Septuagesimæ intermittitur, 32, 279.

Templum a Babyloniis destructum 46 annis reædificatum est, 46. Tertia hora Spiritus sanctus super apostolos descendit, 5, 398. Tertia quomodo celebranda in die Pentecostes, 76, 150, 330.

Thuribulum et thus quid designant, 387.

Thurificabatur olim altare immediate ante lectionem evangelii, 18.

Thuriferarius assistens diacono legenti evangelium quid de igniet, 17. In feriis ad missam cantet *Alleluia*, 13, 102.

Thurificatio altaris et chori olim in nocturnis, 33, 65, 75, 80, 116, 201. Quomodo fiat in vesperis et laudibus cum D. archiepiscopus celebrat, 180.

Thus in thuribulo ponit sacerdos ante evangelium, ut deferatur, 18.

Titulus ecclesiasticus non alienandus, 480, app. 6. Fictus vel cum pacto simoniaco concessus reprobatur, app. 6. Eo titulatus a sacerdotio exeluditur, 226.

Tonsura, et habitus clericorum qualis, 2, 3, 90 et seqq., 408, app. 1, 22, 23. Ex apostolica doctrina emanavit, 3.

Torchiæ deferendæ juxta corpus Christi, 159, 174.

Tractus quid denotet, 16. In Dominicis 1 et 2 Quadragesimæ et Palmarum a quatuor in cappis canendus, 178, 179, 283, 288. Horum duo vicissim sedeant, 285. In Sabbatis 4 Temporum a duobus decantatur, 331. In Parasceve a quibus cantandi, 188, 305.

Trinitatis (S.) festum quando et quomodo celebrandum, 76.

Tropi quid sint, 145, 146. Quomodo cantandi triduo ante Pascha, 32.

Tunicarum origo, 86, 417.

Turrim civitatis ascendebant pueri cantaturi *Gloria, laus*, 162, 287.

U

Una est ecclesia et vera, extra quam nulla salus, 447, 448, 452, ap. 31. Ejus unitatem designavit tunica Domini inconsutilis, 448. De hac unitate testimonium (S.) Cypriani, *ibid.*

Usura crimen est in laico, 457. Scelus maximum in sacerdote, *ibid.*

V

Varietas colorum in ornamentis non improbanda, 75, 76, 81, 153.

Velum seu cortina ante altare ponatur in Quadragesima, 283. Quando colligitur, aut extenditur, 284. Deponatur, vel scindatur feria 4 majoris hebdomadæ in Passione, 51, 130, 288.

Venia et genuflexio, *id m* 324, 330. Pro commissis in capitulo postulanda, 100. Eam petere super formas, et eas osculari, *idem*, 178, 284, 290.

Versus in nocturnis, laudibus et vesperis quare canitur, 8, 10, 401. In statione processionis festorum triplicium a quatuor, 324.

Vesperæ inter officia nocturna cum utandæ, 5, 94, 95, 398. Imminente nocte debent decantari, 6, 94, 95. Separatim a completorio, 7, 95. Mortuorum, in Quadragesima vesperas diei præcedant, 47, 126. In 4 feria majoris hebdomadæ, quomodo celebrandæ, 51, 130, 238. In cœna Domini, 56, 133. In sabbato sancto, 64, 318. In octava Paschæ, 66 et seqq., 142 et seqq. In die et octava Paschæ per *Kyrie eleison* incœptæ, 66, 142, 143.

Vestes diaconi et subdiaconi, 12. Vestes clericorum nec longiores sint, nec breviores, app. 1, 5. Canonicorum regularium benedicuntur, 247, 248. Vestium sacrarum expositio, 85, 410, 416. Quando sacerdos et ministri eis induendi ad missam celebrandam, 12.

Viaticum morientis erat tertia pars hostiæ reservata, 21.

Victu contenti sint clerici, 458. Spiritualem et corporalem petimus in oratione Dominica, 381.

Vigiliæ tres de nocte olim in ecclesia, 115, 116. Prima Nativitatis Domini, Resurrectionis et Ascensionis omnes campanæ pulsantur, 53, 65, 75, 266. Vigilia mortuorum ante completorium in quadragesima agitur, 47, 155.

Vinolentia clericis prohibetur, 456. Ejus effectus, 457.

Vinum ab episcopo, seu prælato, canonicis præbetur in lotione pedum, 57, 301. A monachis (S.) Audoeni percipiunt clerici cathedralis ecclesiæ in festo (S.) Audoeni, 175. Vini et aquæ in calice commistio quid designat, 20, 392. Non consecratum sanctificatur per corpus Domini immissum, 310, 405.

Vita et societas communis canonicorum (S.) Laudi, 252. Clericorum cathedralis ecclesiæ Rotomagensis, 425, 426, 457, 458. Vita clericorum depravata plures ab Ecclesia catholica alienat, ap. 19. Carnalis et voluptuosa in clericis ignorantiam parit, 465.

Vitia quæ a sacerdotio excludunt 400 et seqq. Quæ a sacerdotibus debent esse aliena, 455, 456.

Vocis elevatio ad *Nobis quoque peccatoribus* quid designat, 22, 394.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JOANNES ABRINCENSIS PRIMUM EPISCOPUS POSTMODUM ARCHIEPISCOPUS ROTOMAGENSIS.

Notitia historica. 10
LIBER DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS. 27
OBSERVATIONES AD LIBRUM DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS. 63
ACTA VETERA QUORUM IN NOTIS FACTA EST MENTIO. 118
Processio ad S. Gildardum, Dominica in Ramis Palmarum. 118
Processio ad S. Eudoenum, in festo S. Marci evangelistæ. 119
Processio ad S. Eligium, feria secunda in Rogationibus. 120
Processio ad S Gervasium, feria tertia in Rogationibus. 121
Processio ad S. Nicasium, feria quarta in Rogationibus. 122
Processio in Ascensionem Domini. 122
Processio post tertiam, in festo Corporis Christi. 123
Processio ad S. Audoenum, in festo S. Audoeni Rotomag. archiep. 124
FRAGMENTA QUÆDAM. 124
Benedictio chrismatis, feria quinta in Cœna Domini. 127
SEQUUNTUR QUÆDAM NOTATU DIGNA. 127
Mandatum, seu lotio pedum, feria quinta in Cœna Domini. 128
Feria sexta in Parasceve. 129
Expulsio publice pœnitentium, feria quarta in capite Jejunii. 131
Reconciliatio pœnitentium, feria quinta in Cœna Domini. 132
Sermo archidiaconi ad archiepiscopum Rotomagensem, pro reconciliatione publice pœnitentium, feria quinta in Cœna Domini 132
Tabula paschalis anno Domini 1678. 131
Fragmenta. — Ex ordinario ms. cathedralis ecclesiæ Rotomagensis. 131
Officium infantum, in festo S. Joannis evangelistæ, post secundas vesperas. 136
Officium Stellæ, seu trium Regum. 136
Officium sepulcri. 139
Ordinatio episcopi. 142
Nomina excommunicandorum. 145
Benedictio abbatis monachorum. 143
Benedictio abbatis canonicorum. 149
Benedictio abbatissæ. 152
Benedictio in solutione synodi. 154
Benedictio episcopalis ad missam in nocte Nativita-

Digitized by Google

tis. 151
Benedictio episcopalis ad missam in sabbato sancto. 151
Vetus ordo ad instituendum canonicum regularem in ecclesia S. Laudi Rotomagensis. 151
Ordinarium canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis. 159
De festivitatibus sanctorum. 181
Incerti auctoris expositio super canonem missæ secundum Amalarium. 192
Expositio divinorum officiorum. 200
Fundatio X clericorum collegii de Albania in ecclesia Rotomagensi, anno 1245. 212
Fundatio XVI clericorum collegii Clementianorum in ecclesia Rotomagensi, anno 1550. 216
Incerti auctoris sermones sex ad populum. 221
Sermo primus. De honorandis presbyteris. 220
Sermo II, ad pastores ecclesiæ, de officio pastorali. 224
Sermo III, ad sacerdotes. 226
Sermo IV, ad sacerdotes. 229
Sermo V, ad sacerdotes. 230
De expositione baptismatis et Eucharistiæ. 256
APPENDIX AD ACTA VETERA.
Synodales constitutiones. 236
Statuta synodi æstivalis diœcesis Ebroicensis pro anno Domini 1576. 240
Privilegium Urbani papæ, quod episcopus Ebroicensis possit compellere subditos suos ad ordines et residentiam. 262
Litteræ Gregorii papæ super eodem. 262
Joannis charta qua prioratus S. Victoris in Caletis evehitur ad abbatias, anno 1074. 264
Charta de jure institutionis, destitutionis, procurationis, correctionis, etc., quod episcopus Abrincarum plene retinuit in monasterium S. Michaelis, abbatem et xii canonicos, anno 1061. 266
Concilium Rotomagense, in basilica S. Mariæ Rotomagi ab Joanne archiepiscopo, cum suis suffraganeis Willelmo Anglorum rege Normanniam gubernante, celebratum, anno Christi 1072, Alexandri II papæ, anno XI, Philippi I, Francorum regis anno XIII. 268
Canones. 269
I. — Ut episcopus chrisma et oleum bora competenti et eum duodecim sacerdotibus consecret. 269
II. — Quod totum chrisma et oleum ab archidiacons renovandum sit. 269
III. — Qua cura distribui a decanis chrisma et oleum debeant. 269
IV. — Ut qui missam celebrat omnino communicet 269
V. — Ut sacerdos jejunus, cum alba ac stola baptizet. 269
VI. — Ut viaticum et aqua benedicta ultra octo dies non serventur, et consecratæ hostiæ iterum non consecrentur. 269
VII. — Confirmatio jejunis a jejunis et cum igne conferenda. 269
VIII. — Ut ordines sacri post diem sabbati, vel die Dominica mane, jejunis a jejunantibus conferantur 269
IX. — Ut quatuor temporum exacta sit observatio. 270
X. — Quod depositione digni sunt, qui furtum aut malebite ad sacros ordines proveliuntur. 270
XI. — De his qui coronas relinquunt; et ut ordinandi ad episcopum feria quinta veniant 270
XII. — Ut monachi vagi vel expulsi, itemque sanctimoniales, ad monasteria sua redire compellantur. 270
XIII. — Ne curæ pastorales vendantur et emantur. 270
XIV. — De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant, vel inter consanguineos. 270
XV. — De clericis uxoratis, ut ecclesiis non ministrent, nec fructus percipiant, et quales esse debeant archidiacons et decani. 270
XVI. — Ut nullus mortua uxore illam accipiat de qua ante fuerat infamatus 271
XVII. — Nullus uxore velata superstite aliam ducat. 271
XVIII. — Ne absentis viri uxor alteri nubat, priusquam de viri morte compertum habeat. 271
XIX. — Ne clerici in publicum crimen lapsi sacris ordinibus facile restituantur. 271
XX. — Ut episcopus, ad lapsi depositionem venire non potest, vicarium mittat. 271
XXI. — Ut ante horam vespertinam in quadragesima non edatur. 272
XXII. — Ut sabbati Paschæ officium ante horam nonam non inchoetur. 272
XXIII. — De sanctorum festivitatibus transferendis. 272
XXIV. — Ut generale baptisma, nisi sabbato Paschæ et Pentecostes, non fiat. Parvuli, quocunque tempore nati erint, baptizentur; nullus in Epiphania, sine infirmitatis necessitate. 272
APPENDIX AD JOANNEM.
Acta archiepiscoporum Rotomagensium. 275
ARNULFUS CLERICUS MEDIOLANENSIS.
GESTA EPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM. 280
THEODORICUS PADERBRUNNENSIS CANONICUS.
Notitia in Theodoricum. 331
COMMENTATIO IN ORATIONEM DOMINICAM. 334
CAPUT I. — De petitione prima : « Pater noster qui es in cœlis. » 334
CAP. II. — De petitione secunda : « Sanctificetur nomen tuum. » 334
CAP. III. — De petitione tertia : « Adveniat regnum tuum. » 335
CAP. IV. — De petitione quarta : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. » 336
CAP. V. — De petitione quinta : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » 337
CAP. VI. — De petitione sexta : « Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » 338
CAP VII — De petitione septima : « Et ne nos inducas in tentationem : sed libera nos a malo. Amen. » 340
BERTHOLDUS CONSTANTIENSIS PRESBYTER.
CHRONICON.
JOANNES FISCAMNENSIS ABBAS.
LIBELLUS DE SCRIPTURIS ET VERBIS PATRUM COLLECTUS 446
LIBELLUS ALTER. 459
EPISTOLÆ. 464
EPISTOLA PRIMA. — Willelmi Anglorum regis ad Joannem abbatem Fiscamnensem. 464
EPIST. II. — Ad Willelmum Angliæ regem. 464
EPIST. III — Ad Vitalem abbatem Bernacensem. 464
Adnotatio in tres Epistolas superiores. 465
EPIST IV — Ad Warinum abbatem Mettensis monasterii Sancti Arnulfi. Repetit Benedictum monachum suum. 465
EPIST V — Warini abbatis ad Joannem Fiscamnensem. Superiori respondens. 465
EPIST VI — Joannis abbatis Fiscamnensis ad monachos dyscolos D. Martin 473
EPIST. VII — Joannes abbas Fiscamnensis instituit abbatem in monasterio Blangiacensi 474
APPENDIX AD JOANNEM FISCAMNENSEM.
Præfatio Joannis Hominis Dei. 478
Chronicon Fiscamnense. 485
Catalogus abbatum Fiscamnensium. 483
BRUNO MAGDEBURGENSIS CLERICUS.
LIBER DE BELLO SAXONICO.
Prologus Saxonici belli 490
SAXONICUM BELLUM INCIPIT 491
TOMELLUS MONACHUS HASNONIENSIS.
HISTORIA HASNONIENSIS MONASTERII 585
CAPUT I. — De Joanne viro illustri ejusque sorore Eulalia primis fundatoribus. 588
CAP. II. — De cœnobii Hasnoniensis constructione, ejusdemque sacrosancta dedicatione. 588
CAP. III. — De illustribus ejusdem cœnobii fundatoribus. 589
CAP. IV. — Commemoratio rectorum hujus loci. 589
CAP. V. — Quod Ementrudis Reginæ petitio eumdem locum Caroli Calvi munificaverit beneficio 590
CAP. VI. — Ad tutandum idem cœnobium comptum ex archivis Caroli Calvi privilegium 590
CAP. VII — Quod idem locus divina diu religione floruerit, sed paulatim ad tempora usque Baldumi sexti marchisi tepuerit. 591
CAP. VIII — De sexti Baldumi marchisi temporibus, ejusque dignæ memoriæ moribus. 592
CAP. IX. — Quod super hujus loci restauratione divina admonitus sit revelatione. 593
CAP. X — Quod eumdem locum patris munificentia impetraverit, sed admonitionis divinæ immemor fuerit 593
CAP. XI. — Quod ictu dei sauciatus, et de vita perclitatus, divina rursus visione super hoc loco sit commonefactus. 594
CAP. XII. — De castro Hasnoniense a junioribus Baldumo igne cremato, sed denuo a Wintherico reædificato. 594
CAP. XIII. — Quod Wintherico, a proprio milite interemptus, humanis se rebus exemptis. 595
CAP. XIV — Quod Baldumus sextus marchisus castrum Hasnoniense invasit, incendio delevit, castrenses ejecit. 595

Digitized by Google

Cap. XV. — De ejusdem loci canonicis a præfato marchiso callida benignitate conventis, eorumque stipendiis redemptis. 596
Cap. XVI. — Quod, canonicis inde migrantibus, locus idem monasticis ascriptus sit conventibus. 596
Cap. XVII. — De loci Hasnoniensis in majori elegantia constructione novaque solemniter facta dedicatione. 596
Cap XVIII —De bonæ memoriæ Rotlando abbate, ipsiusque gratissima morum probitate. 598

RENALLUS MAGISTER SEDIS BARCINONENSIS.

Versus excerpti de libro Renalli magistri Barchinonensis Gerundensis de corpore Christi. 600

MARIANUS SCOTTUS.

MARIANI SCOTTI CHRONICON. 624

LANDULFUS SENIOR CLERICUS MEDIOLANENSIS.

In Landulfi historiam prolegomena Ludovici Antonii Muratorii. 810
LANDULFI HISTORIA MEDIOLANENSIS. 818
Appendix ad Landulfum. 954
Catalogus archiepiscoporum Mediolanensium. 954
Joannis Petri Puricelli Dissertatio utrum sanctus Ambrosius clero suo Mediolanensi permiserit ut virgini nubere semel posset. 970

SANCTUS GERALDUS SILVÆ-MAJORIS PRIMUS ABBAS ET FUNDATOR.

Vita S. Geraldi auctore monacho anonymo subæquali. 1004
Observationes præviæ. 1004
Incipit Vita. 1024
VITA SANCTI ADALARDI ABBATIS. 1046
Prologus Auctoris. 1046
Vita incipit. 1048
Liber primus miraculorum. 1064
Præfatio auctoris. 1063
Caput I. — Mira sepulturæ ejus manifestatio, per eum qui pedibus hæsit pavimento. 1064
Cap. II. — De muliere contracta, et per sancti meritum a Deo curata. 1065
Cap. III. — De manuum mulieris curatione, meritis sancti confessoris et intercessione. 1066
Cap. IV. — De elevatione sancti et succensione templi et periculo regni. 1066
Cap. V. — Quibus signis animatus sit abbas Richardus ut levaret sanctum corpus. 1068
Cap. VI. — De muto et surdo ante sancti confessoris sepulcrum sanato. 1069
Cap. VII. — De surdo et muto, manibus et pedibus et toto corpore contracto, et super tumulum sanato. 1070
Cap. VIII. — De Ambianensium indignatione, et muti et surdi curatione. 1070
Liber secundus miraculorum. 1073
Prologus auctoris. 1073
Caput I. — Causa cur sanctus Adelardus asportatus sit in Flandriam. 1073
Cap. II. — De asportatione sancti in Flandriam, et quod in adventu ejus apertæ sunt fores ecclesiæ. 1073
Cap. III. — De eo quod comes reddidit ei omnia quæ abstulerat. 1074
Cap. IV. — De eo quod comitissa voluit eum retinere. 1075
Cap. V. — De eo quod per medios vigiles sublatæ sunt sanctæ reliquiæ. 1075
Cap. VI. — De relatione scrinii, et quod in repræsentatione ejus sanatus est claudus. 1876
Cap. VII. — De repositione sanctarum reliquiarum in scrinio. 1078
GERALDI ABBATIS CHARTA de precibus pro fratribus suæ congregationis et aliis sibi confœderatis faciendis. 1078
Appendix ad S. Geraldum. 1080
Commemorationes a Sylvæ-Majoris monachis pro aliarum ecclesiarum alumnis fieri solitæ. 1080

FOLCARDUS CŒNOBII SITHIVENSIS APUD ATREBATES MONACHUS.

Notitia historica. 1084
VITA S. BERTINI ABBATIS SITHIVENSIS IN MORINIS. 1084
Observationes præviæ. 1084
Prologus auctoris 1084
Incipit Vita. 1089
Caput I. — In qua provincia natus est B. Bertinus, et quod in pueritia monachus factus est. 1089
Cap. II. — Quod adhuc adolescentulus ad sanctum Audomarum pervenit. 1090
Cap. III. — Traditio Adroaldi. 1091
Cap. IV. — Quare aptiorem locum sanctus vir Dei quærebat. 1092
Cap. V. — Traditio de villa de Worinhoud. 1093
Cap. VI. — Qualiter cœmeterium acquisivit. 1093
Exemplar chartæ S. Audomari de cœmeterio. 1093
Cap. VII. — Traditio Walberti. 1094
Cap. VIII. — Traditio de Hunulfricurt. 1096
Cap. IX. — Quod plurima signa, licet nos lateant, per eum fecit Dominus. 1096
Cap. X. — Qualiter vir Dei tentatus fuit a diabolo in specie mulieris, et per sanctum Martinum visitatus. 1097
Cap. XI. — Quod Erlefrido post Rigobertum cœnobium suum commisit. 1097
Cap. XII. — De Transitu B. Bertini. 10
Liber primus Miraculorum ab eodem auctore compositus. 1097
Caput I. — De piscatore sanato. 1097
Cap. II. — De quodam sacrilego. 1098
Cap. III — De quodam fugitivo, nomine Benjamin. 1100
Cap. IV. De quodam pœnitente a vinculis ferreis soluto. 1102
Cap. V. — De quadam puella contracta. 1103
Cap. VI. — Quod Fridogisus, expulsis monachis, canonicos instituit. 1105
Cap. VII. — De subjectione canonicorum S. Audomari huic ecclesiæ. 1105
Exemplar chartæ S. Folquini de eodem. 1103
Cap. VIII. — De translatione sive relatione S. Audomari. 1104
Cap. IX. — Qualiter corpus Patris nostri Bertini a S. Folquino primo translatum est. 1107
Cap. X. — De divisione regni Francorum. 1106
Cap. XI. — Qualiter S. Folquinus corpus sancti Bertini sub terra recondidit. 1106
Cap. XII. — Miraculum in translatione S. Bertini factum. 1108
Cap. XIII. — De quadam muliere festum translationis non colente. 1108
Cap. XIV. — De sanguine ex spicis manante. 1108
Liber secundus Miraculorum. 1108
Præfatio auctoris. 1108
Incipiunt miracula. 1109
Relatio de inventione et elevatione S. Bertini abbatis, quæ facta est anno Incarnationis Domini 1052, a Bovone abbate Sithivensi digesta. 1142
Epistola Bovinis ad Widonem Remorum archiepiscopum. 1142
Widonis rescriptum. 1142
Bovonis epistola dedicatoria ad Widonem. 1143
Narratio auctoris. 1144
Sermo in festo ejusdem sancti. 1160
VITA S. JOANNIS BEVERLACENSIS. 1161
CARMEN DE S. VIGORE. 1177
Folcardi opuscula dubia.
Vita S. Audomari. 1177
Vita S. Oswaldi. 1187

EUSEBIUS BRUNO ANDEGAVENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1199
EPISTOLA AD BERENGARIUM. 1201

GEBUINUS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Notitia historica. 1205
EPISTOLA AD RODULFUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM. 1209

GALTERUS MELDENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1211
EPISTOLA AD BARTHOLOMÆUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM. 1213

ALPHANUS SALERNITANUS ARCHIEPISCOPUS.

Notitia historica. 1215
CARMINA. 1219
SERMO in evang. « Cum transiret Jesus, » etc. 1267
VITA ET PASSIO S. CHRISTINÆ. 1269

GUAIFERIUS CASINENSIS MONACHUS.

CARMINA.
VITA S. SECUNDINI. 1295
VITA S. LUCII PAPÆ. 1301
Index in joannem rotomagensem. 1311

FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI SEPTIMI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google